9. 6. F. 9

DE PROBATIS SANCTORVM VITIS

Quas tam ex MSS. Codicibus, quam ex editis Authoribus

R. P. Fr. LAVRENTIVS SVRIVS
CARTHVSIÆ COLONIENSIS PROFESSVS

Primum edidit, & in duodecim menſes diſtribuit.

IVLIVS

Hac poſtrema editione multis Sanctorum vitis auctus, & notis marginalibus illuſtratus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Ioannis Kreps & Hermanni Mylij.

ANNO cIↄ Iↄc XVIII.

Digitized by Google

INDEX SANCTORVM IVLII, QVORVM vitæ, martyria, & acta, partim hoc menſe, partim alijs aliorum menſium Sanctorum vitis inſertæ, continentur.

I V L I V S.

I. S. Simeonis Abbatis, cognomento Sali, aut Stulti, vita, *ſcripta à Leontio Epiſcopo, ex Simeone Metaphraſte.* 1

S. Galli Aruernorum Epiſcopi vita, *authore S. Gregorio Turonenſi de vitis Patrum, cap. 6.* 13

† S. Theoderici Abbatis & diſcipuli S. Remigij vita, *ex Flodoardi lib. 1. hiſtor. Rhemenſis, cap 24.* 15

S. Eparchij Abbatis vita, *ex MS. Codice.* 17

De eodem, *ex Gregorij Turonenſis hiſtoriæ Francorum lib. 6. cap. 8.* 19

S. Carilephi presbyteri vita, *ex MSS. Codicibus.* ibid.

S. Rumoldi Epiſcopi Dublinenſis martyris vita, *authore Theoderico Abbate monaſterii S. Trudonis.* 24

SS. Iulij, Aaronis, ac ſociorum martyrium, *habes in vita S. Albani, 22. Iunij cap. 7.* 285

II. SS Proceſſi & Martiniani martyrium, *ex MSS Codicibus.* 27

De iiſdem, *ex Greg. Papæ homil. 32. in Euangelia.* 28

B. Monegundis cōiugatæ vita, *ex Gregorio Turonenſi de vitis Patrum capit. 19.* ibid.

S. Svvithuni Epiſcopi VVintonienſis vita, *authore Gotzelino Mortnenſi.* 30

† S. Ottonis Epiſcopi Babenbergenſis, Apoſtoli Pomeranorūm vita, *authore Andrea Abbate monaſterij S. Michaelis prope Bambergam.* 31

SS. Aristonis, Creſcentiani, Eutychiani, Vrbani, Vitalis, Iuſti, Feliciſſimi, Felicis, Martiæ & Symphoroſæ acta, *habes in vita S. Sebaſtiani, ex MSS. Codicibus 20. Ianuar. cap 21.* 306

III. SS. Felicis presbyteri, Irenæi Diaconi, Muſtiolæ matronæ & aliorum martyrium, *ex MSS. libris.* 75

S. Anatolij Epiſcopi Laodicenſis vita, *ex Euſebii hiſtoriæ Eccleſiaſtic. lib. 7. cap. 26. interprete Ioanne Chriſtophorſono.* ibid.

IV. † S. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani vita, *authore incerto eius æquali, ex MSS. Codicibus.* 76

† Eiuſdem miracula. 93

† Eiuſdem bulla canonizationis. 97

† Eiuſdem inuentio & translatio. 98

S. Procopij Confeſſoris vita, *per Nicolaum Salium ex annalibus Bohemorum, & MS. Codice deſcripta.* 101

S. Flauiani Epiſcopi Antiocheni, & Eliæ Epiſcopi Hieroſolymitani res geſtas, exilium & mortem, *habes in vita S. Euthymij 20 Ianuarij, cap. 80. & ſeqq. in vita S. Ioannis Silentiarij, 13. Maij, cap. 7. & 8. & in vita S. Sabæ 5. Decembr. cap. 39. 40. 45. 46. & 69. vſq. ad 85.*

V. S. Zoæ martyrium, *deſcribitur in vita S. Sebaſtiani 20. Ianuar. ex MSS. Codicib. cap. 15. 21. & 41. ex Metaphraſte cap. 7. & 17.* 314

* S. Cyrillæ martyrium, *ex menologio Græcorum.* 111

* S. Athanaſii Diaconi martyrium, *ex Niceph. Calliſti lib. 13. hiſt. Eccl. cap. 9.* ibid.

VI. S. Eſaiæ prophetæ vita, *ex Epiphanio de vitis Prophetarum.* 112

Eadem, *ex Iſidoro Iſpalenſi de Patribus veteris teſtamenti.* ibid.

S. Goaris presbyteri vita, *authore VVandelberto monacho Prumienſi.* ibid.

S. Godoleuæ vita & martyrium, *authore Drogone monacho Geſtellenſi.* 115

S. Tranquillini vita & martyriū, *habetur in vita S. Sebaſtiani, 20. Ianuar. ex MSS. Codicibus, cap. 2. & cap. 21. vſq. ad 43. ex Metaphraſte à cap. 9. vſq. ad cap. 19.* 314

VII. S. Illidij Aruernæ Epiſcopi vita, *authore Gregorio Turonenſi de vitis Patrum cap. 2.* 117

SS. Nicoſtrati & ſociorum martyrium, *habetur in vita S. Sebaſtiani 20. Ianuar. ex MSS. Codicib. cap. 16. & ſeqq. & cap. 42. ex Metaphraſte. cap. 7. & 18.* 316

SS. Eartongotæ & Edilbergæ, *al. Edilburgæ,* ſanctimonialium vita, *authore Beda lib 3. hiſt. Eccl. cap. 8.* 118

* S. VVillibaldi Epiſcopi Eiſtetenſis vita *ex tom. 4. antiquæ lectionis Henr. Can.* 119

* Eiuſdem itinerarium *à conſanguinea ipſius ſcriptum.* 121

VIII. S. Procopij vita & martyrium, *ex Simeo. Metaphraſte.* 127

† SS. Kiliani Epiſcopi VVirtzburgenſis, Colomanni presbyteri, & Totnani diaconi vita & martyrium, *ex MSS. Codicibus, authore anonymo.* 135

S. Landradæ virginis vita, *authore Theoderico Abbate.* 138

S. Diſibodi Epiſcopi vita, *authore S. Hildegarde Abbatiſſa.* 141

De eodem, *ex Io. Trithemij chronico Hirſaugienſi.* 147

*SS. E-

Digitized by Google

*SS. Epicteti presbyteri & Aſtionis monachi martyrum vita, *authore incerto*, 148

S. Exuperij & ſociorum Thebæorum martyrium, *habetur in vita S. Mauritij 22. Septembris.* 211

IX. S. Cyrilli Epiſcopi Gortinæ in Creta vita & martyrium, *ex MSS. Codicibus* 155

S. Anatoliæ virginis martyrium, *ex MSS. Codicib.* 156

X. SS. Felicitatis & VII. filiorum eius, Ianuarij, Felicis, Philippi, Silani, Alexandri, Vitalis & Martialis martyriũ, *à notariis Eccleſiæ Romanæ conſcriptum.* 156

SS. Ruffinæ & Secundæ virginum martyrium, *ex MSS. Codicib.* 157

De SS. CCCXVIII. Patribus Primæ Synodi Nicenæ *oratio Gregorij Presbyteri ex Simeone Metaphraſte.* 158

De geſtis Synodi Nicenæ primæ *oratio ex Simeone Metaphraſte.* 161

S. Amelbergæ viduæ vita, *ex MSS. Codicibus.* 164

XI. De inuentione reliquiarũ S. Euphemiæ virginis & martyris, *oratio Conſtantini Epiſcopi Tij.* 164

S. Hildulphi Archiepiſcopi Treuirenſis vita, *ex MSS. Codicib.* 168

*S. Abundij presbyteri martyrium, *authore S. Eulogio libr. 3. memor. Sanctorũ, cap. 12.*

XII. S. Ioannis Gualberti Abbatis Vallis vmbroſæ vita, *authore forte Blaſio Melaneſio, eiuſdem ordinis Generali.* 169

S. Leonis Abbatis Cauenſis propè Neapolim vita, *à quodam eius æquali cõſcripta.* 172

XIII. S. Eugenij Epiſcopi Carthaginenſis, & aliorum ſub Hunerico in Africa paſſorum martyrium, *ex lib. 2. Victoris Vticenſis, de perſequutione Vandalica.* 174

*S. Turiani Epiſcopi Dolenſis vita, *ex MS. Codice.* 182

XIV. S. Bonauenturæ Cardinalis & Epiſcopi Albanenſis vita, *authore Octauiano de Martinis, I.V.D.* 187

*S. Henrici Imperatoris vita, *ex MSS. Codicibus.* 190

*Eiuſdem miracula. 200

*De canonizatione eiuſdem *reſcriptum Eugenij Papæ III.* 204

S. Phocæ Epiſcopi Synopie & martyris vitam, *habes 22. Septembris.* 224

S. Marcellini Epiſcopi & Confeſſoris res geſtæ & mors *habentur in vita S. Suitberti 1. Martij, in prologo, & cap. 14. 15. & 29. & in epiſtola S. Ludgeri ad Rixfridum.* 16

XV. S. Iacobi Epiſcopi Niſibitani vita, *authore Theodoreto Cyri Epiſcopo, interprete Gentiano Herueto.* 204

*De eodem, *ex Gẽnadio cap. 1. de ſcriptorib. Eccleſiaſt.* 206

XVI. S. Raineldis virginis & martyris vita, *ex MS. Codice.* 206

*S. Siſenandi leuitæ martyrium, *à S. Eulogio lib. 2. cap. 5. ſcriptum.* 208

S. Hilarini Monachi Oſtienſis martyrium *lege in paſſione SS. Ioannis & Pauli, 26. Iunij, cap. 5.* 334

XVII. S. Alexij vita, *ex Simeone Metaphraſt.* 208

S. Athenogenis Epiſcopi Sebaſteni martyrium, *ex Simeone Metaphr.* 209

XVIII. *SS. Symphoroſæ & VII. filiorum eius, Creſcentis, Iuliani, Nemeſij, Primitiũi, Iuſtini, Startei & Eugenij paſſio, *ex Africano deſumpta.* 210

S. Philaſtrij Epiſcopi Brixienſis vita, *per Gaudentium eius ſucceſſorem conſcripta.* 211

De translatione eiuſdem, *per B. Rampertum Epiſcopum Brixienſem.* 212

S. Friderici Epiſcopi Vltraiectenſis & martyris vita, *ex MS. Codice.* 215

*B. Roberti Salentini Ordinis Cœleſtinorum vita, *conſcripta à Io. à Boſco Cœleſtino, ex ijs, quæ Sacerdos ipſi coætaneus collegit.* 221

*S. Arnoldi vita, *ex Matutinali in Arnſweyler.* 220

SS. Mauritij & LXX. militum martyriũ, *ex Simeone Metaphraſte.* 230

XIX. SS. Iuſtæ & Ruffinæ martyrium, *authore Io. Maldonato.* 233

B. Arſenij vita, *ex Simeone Metaphraſte. ibid.*

B. Macrinæ virginis vita, *per Gregorium Nyſſenum fratrẽ eius ſcripta, Petro Frãciſco Zino eius interprete.* 241

*S. Aureæ virginis & martyris vita, *ſcripta à S. Eulogio lib. 3. memor. Sanct. capit. 17.* 247

XX. S. Marinæ, ſeu Margaritæ virginis martyrium, *ex Simeone Metaphraſte.* 248

S. Eliæ Theſbitæ prophetæ res geſtæ, *ex Simeone Metaphraſte.* 251

S. Vulmari Abbatis vita, *conſcripta per monachum monaſterij S. Vulmari Bolonienſis.* 254

*SS. Pauli diaconi, & Theodemiri monachi paſſio, *ſcripta à S. Eulogio lib. 2. memor. Sanctor. cap. 6.* 256

S. Seueræ virginis vita, *habetur in vita S. Modoaldi 12. Maii, cap. 13. & 14. lib. 2.* 171

XXI. SS. Danielis & trium puerorum res geſtæ, *ex Simeone Metaphraſte.* 257

S. Praxedis virginis vita, *ex Adonis martyrologio.* 262

*S. Iuliæ ſanctimonialis, & Claudij, aliorumque XX. martyrium, *ex antiquitatibus Tricaſſinis Nicolai Camuzat. ibid.*

S. Ioannis Monachi vita, *habetur in actis S. Simeonis Sali, 1. Iulij, à cap. 3. vſque ad cap. 20. cap. 29. cap. 37. & cap. 49.* 12

XXII. De B. Maria Magdalena, *ex aurea roſa Syluestri Prieratis in Euangelium Feriæ 5. poſt Paſcha.* 263

S. Platonis martyrium, *ex Simeone Metaphraſte.* 266

S. VVandregiſili Abbatis vita, *à quodam eius propè æquali conſcripta.* 270

S. Apol-

XXIII. S. Apollinaris Rauennatum Epiſcopi & martyris vita, *ex MSS. Codic.* 275

S. Liborij Epiſcopi Cenomanenſis vita, *authore fortè Idone Paderbornenſi Epiſcopo.* 278

De eiuſdem Paderbornam translatione. 282

S. Birgittæ, *al. Brigittæ* viduæ vita, 287

*S. Romulæ virginis vita, *per D. Gregorium Papam, hom. 40. in Euang. conſcripta.* 292

* De translatione SS. trium regum Mediolano Coloniam, *litteræ Reinoldi Archiepiſcopi Colonienſis.* 293

XXIV. S. Chriſtinæ virginis martyrium, *ex Adonis martyrologio.* 293

SS. Nicetæ & Aquilinæ martyrium, *habetur in vita S. Chriſtophori 25. Iulij, cap. 2.* 297

XXV. * De translatione S. Iacobi Apoſtoli, *ab anonymo conſcriptus commentarius.* 294

S. Chriſtophori vita & martyrium, *per Fr. Laurent. Surium ex diuerſis conſcripta.* 297

S. Cucuphatis vita & martyriū, *ex MSS. Codicibus.* 298

S. Glodeſindis virginis vita, *authore Bernardo Abbate, vel Arberto monacho.* 300

Translatio S. Germani Epiſcopi Pariſienſis, *per monachum monaſterij S. Germani deſcripta, ex ore Caroli Magni Imp.* 301

Miracula & aliæ eiuſdem translationes *per Aimoinum monachum deſcripta.* 303

SS. Nemeſij & Lucillę martyrium, *lege in geſtis S. Stephani, 2. Auguſti, à cap. 3. vſq. ad cap. 11.*

De S. Magnerico Epiſcopo, *vide acta S. Gaugerici, 11. Auguſti cap. 1. 2. & 3.*

XXVI. S. Hiacynthi martyrium, *ex MSS. Codicibus.* 311

*De S. Anna, *ex S. Ioanne Damaſceno. ibid.*

*De eadem *ex Nicephoro lib. 1. hiſtor. Eccl. cap. 7.* 313

SS. Sempronij, Olympij, Exuperiæ, & Theoduli martyrium *habetur in actis S. Stephani 2. Auguſti, à cap. 7. vſq. ad 11.*

XXVII. De VII. martyribus, quos Dormientes vocant, *ex Greg. Turonenſis de glor. martyrum lib. 1. cap. 95.* 313

De iiſdem, *ex Simeone Metaphraſt. ibid.*

SS. Panteleemonis *ſeu Pantaleonis, al. Pantaleonis,* Hermolai, Hermippi, & Hermocratis martyrum vita, *ex Simeone Metaphraſte.* 317

*B. Bertholdi Abbatis Garſtenſis vita, *à coætaneo ſcripta.* 322

*SS. Georgij Monachi & Aurelij, & Felicis, Sabigothonis & Lihoſæ coniugū vita & martyrium, *à S. Eulogio libr. 2. memor. Sanct. cap. 10. ſcripta.* 332

XXVIII SS. Vrſi & Leubatij abbatum vita, *authore S. Gregorio Turonenſi de vita Patrum, cap. 18.* 337

* S. Samſonis Epiſcopi vita, *ab anonymo veteri authore ſcripta.* 338

SS. Nazarij & Celſi pueri martyrum acta *habes 19. Iunij.* 255

De translatione eorundem, *vide in vita S. Zenobij. 25. Maij cap. 12.* 301

XXIX. S. Callinici martyris certamen, *ex Simeone Metaphraſte.* 343

S. Eudocimi vita, *ex Sim. Metaph.* 344

S. Lupi Epiſcopi Trecenſis vita, *ex MSS. Codicibus.* 347

S. VVilhelmi Epiſcopi Briocenſis vita, *authore Godefrido Caluo Bituricenſi Archiepiſcopo.* 349

*S. Olaui Regis Noruegiæ & martyris vita, *ex Io. Magni hiſtoriæ, lib 17. cap. 21. 22. & 23. & lib. 18. cap. 1. 2. 3. 4. & 5.* 352

*De eodem, *ex Adami hiſtoria Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 43.* 354

SS. Simplicij, Fauſtini, & Beatricis martyrium, *vide in geſtis S. Antimi, 11. Maij cap. 6. & ſeqq.* 137

XXX. De S. Ruffino martyre, *Sermo & hymnus B. Petri Damiani.* 354

SS. Maximæ, Donatillæ & Secundæ virginum martyrium, *ex Adonis martyrologio.* 357

SS. Abdon & Sennes martyrium, *lege in paſſione S. Laurentij 10. Auguſti, à cap. 3. vſq. ad cap. 8.* Translatio eorundem *habetur in vita S. Zenobij, 25. Maij, cap. 8.* 300

XXXI. S. Fabij martyrium, *ex Adonis martyrologio.* 357

S. Germani Epiſcopi Antiſiodorenſis vita, *authore Conſtantio Presbytero.* 358

*B. Ignatij Loyolæ vita, *authore Petro Ribadeneira.* 369

S. Petri Iunioris Rauennatum Archiepiſcopi vita, *ex Hier. Rubei lib. 3. hiſtor. Rauenn.* [illegible]

Digitized by Google

IVLIVS.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERONENSIS, CHRISTIANO LECTORI.

CVM SEQVENTEM HISTORIAM PERCVRRERIS, LECTOR candidiſſime, ne, quæſo, ſcandalizeris, videns ſanctum & ſapientem virum, propter Chriſtum adeo ſe humiliaſſe, vt fatuus ab omnibus æſtimari voluerit. Miri ſunt ſancti ſpiritûs afflatus, & ſtupenda in ſeruis ſuis Diuina iudicia. Samſonem excitat ad ſemetipſum vnà cum Philiſtæis interficiendum. Iephte ſuggerit, vt propriam filiam voueat. Placet ei per ſtultitiam Euangelicæ prædicationis mundũ ſaluum facere. Et quis ei reſiſtit? Simeonem nunc eligit ſtultitiam ſimulantem, vt confundat ſapientes, & per eius luſum mundum ludificans, tam fidelium, quam infideliũ animas ad ſe conuertat. O ergo altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incõprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius. Verè in hoc ſancto adimpletam videmus Domini Saluatoris ſententiam, qua dicit: Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: Hoc eſt: Adſit tibi recta intẽtio, & quidquid egeris, bonum erit. In quam ſententiam etiam beatus Auguſtinus concinit: Habe, inquiens, charitatẽ, &, quod vis, facito. Ne autem de fide iſtius hiſtoriæ, vel eius ſcriptoris aliquatenus dubites, accipe quæ tibi fideli de vtroque relatione ſuggerimus. In actione quarta Nicenæ ſecundæ, quæ fuit ſeptima Synodus vniuerſalis, hæc ſcripta ſunt de huius vitæ authore Leontio; Pater iſte Leontius, cuius ſcripta nunc recitata ſunt, in vrbe Cypri Neapoli, cuius fuit Epiſcopus, decenter & ſanctè conuerſatus eſt, multaque ipſius encomia & panegyricas orationes habemus; inter quas extat oratio in Transfigurationem Domini; ſcripſit & ſancti Iohannis Elemoſynarij Epiſcopi Alexandrini vitam; Præterea beati Simeonis Sali vitam, & alia quædam, in quibus omnibus orthodoxus cognoſcitur. Floruit circa tempora Mauritij Imperatoris. Hæc ibi. Tu bone Lector in Domino vale.

Iudic. 16. & 13. | 1. Cor. 1. | Rom. 11. | Matth. 6.

VITA SIMEONIS ABBATIS, QVI FVIT PROPTER CHRISTVM COGNOMINATVS SALVS, ID EST, STVLTVS, SCRIPTA À LEONTIO SANctiſſimo Epiſcopo Neapolis Inſulæ Cypri. Habetur in Simeone Metaphraſte. An. 540.

I. QVI alios docendi ſtudent exercere authoritatem, debent ex ſua vita aliorum doctrinam oſtendere, conuenienter voci diuinæ, quæ dicit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cælis: nè alios prius admonere perficereque & deducere contendentes, quam ſeipſos docuerint & expurgauerint per operationem diuinorum mandatorũ, imprudentes ſe mortuos defleant, dum ſunt in aliorum occupati cadauere: & in eis impleatur verum, & quod eis competit eloquium, quod dicit: Qui non fecerit, & docuerit, hic minimus vocabitur in regno cælorum. Et rurſus: Hypocrita, eiice primum trabem ex oculo tuo, & tunc inſpicies educere feſtucam de oculo fratris tui. Quocirca actuum quoque Apoſtolorum ſapiens conſcriptor de magno & vero noſtro Deo & magiſtro ſic dicit: Quæ Ieſus incepit facere & docere. Hoc enim Paulus quoque magnum vas Eccleſiæ, Romanos ſic increpans, ſcripſit, dicens: Tu, qui doces alterum, teipſum non doces? & quæ deinceps conſequuntur. Quoniam ergo ex vita propria doctrinæ, & eius, quæ eſt ex virtute, operationis imaginem & figuram non poſſumus adducere, vt qui peccati vitia in nobiſipſis vndique circumferamus, age vel ex aliorum operatione, & aliorum ſudoribus, vobis hodie cibum, non qui perit, ſed qui veſtras animas deducit ad vitam æternam, aperiamus. Nam panis quidem corpus confirmat: verbum autem Dei animam ad virtutem diligenter excitat, & maxime ſocordiorum, qui in exequendis diuinis præceptis ſunt negligentes. Nam iis quidem, qui ſunt ſtudioſi, & mente ſunt Deo dicati, ad faciendum doctrinæ fundamentum ſufficit vel conſcientia, quæ omnia bona conſulit, & auertit ab

IVLII 1. | Matth. 5. | Aliorum doctores quales eſſe debeant. | Matth. 5. | Matth. 7. | Actor. 1. | Rom. 2. | Verbũ Dei panis eſt animæ.

 omnibus

Digitized by Google

omnibus malis:iis autem,qui his ſunt aliquāto abiectiores,opus eſt legis ſcriptæ præcepto,& fundamento. Si quis autem repulerit primum & ſecundum modum viæ,quæ ducit ad virtutem,neceſſe eſt,vt is vel ex aliorum cura & ſolicitudine, quæ ad eum peruenit per oculos,aures & narrationem diuino excitetur deſiderio,& à ſe ſomnum animæ excutiat,arctaque & anguſta via ingrediatur,& æternam vitam agere deinceps incipiat. In noſtra enim poteſtate, & in noſtro libero arbitrio ſitum eſt,futurorum deſiderio ea,quæ ſunt præſentia,vt quæ prætereant, contemnere : vel rurſus cupiditate & deſiderio præſentium excidere à bonis infinitis.

Liberū arbitrium.

QVOD autem verum ſit id,quod dicitur,probant quidem omnes homines,qui à ſæculo Deo grati & accepti fuere,qui erant ipſi quoque noſtræ naturæ:maxime autem ea,quæ noſtra hac ætate apparuêre,lumina. Quorum hic quoque fuit vnus ſapientiſſimus Simeon,& multis quidem longè venerabilior,quoniam eo puritatis proceſſit & impatibilitatis,vt per ea,quæ videbantur iis, qui ſunt paulò magis obnoxij vitiis, & animi perturbationibus, & nimis carnales, afferre inquinamentum,damnum & impedimentum vitæ ex virtute degendæ, hic vir longè puriſſimus, non ſecus ac margarita per cœnum,tranſierit abſque pollutione,per eius,inquam,in ciuitate diuturnam moram, & cum mulieribus habitationem,& reliquam vitæ deceptionem:ſtudens verè oſtendere iis,qui ſunt ſocordiores, & prætexunt ſuarum virium imbecillitatem ad vitam ex virtute degendam, à Deo præberi vires iis, qui purè ac ſyncere toto animo ei ſeruiunt aduerſus ſpiritus improbitatis. Rogo autem omnes,qui nobis propoſitam de angelica eius vita narrationem vel audiunt,vel legunt,cum metu Domini ea,quæ dicuntur,attendere, & cum vera & minimè dubia fide, quæ conuenit Chriſtianis Scimus enim quod iis,&qui ſunt paulò inſipientiores &contemptores, videbimur incredibilia dicere & ridicula. Sed ſi audiiſſent eum,qui dixit:Qui vult ſapiens eſſe in hoc ſæculo,fiat ſtultus,vt fiat ſapiens:Et rurſus : Nos ſtulti propter Chriſtum.Et rurſus:Quoniam quod ſtultum eſt Dei,eſt ſapientius hominibus:non ea,quæ ab hoc vero Athleta geſta ſunt,tanquam ridicula accepiſſent:ſed magis admirati eſſent,quam eos,qui reliqua vitæ ex virtute agendæ genera exercuerunt.Non enim,vt qui eſſet adhuc inexercitatus,& opus haberet aliquo,qui ei præeſſet,in mundum venit : ſed vt videmus fieri inſtructa acie,quando vniuerſus exercitus ſtat vnanimis,qui ſuis vel potius Dei confidunt viribus, & quibus ſe induerunt armis militaribus,variæque & diuturnæ belli experientiæ,ij vel ſoli ex multitudine prodeunt ad ſingulare certamen contra aduerſarios : ita etiam hic quoque fecit, quando pulchrè & legitimè in pulchro decertauit certamine,quando ſe vidit veluti thorace munitum virtute ſancti ſpiritus,quando ab eo accepit virtutem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones,quando extinxit carnis inflammationē rore ſancti ſpiritus,quando vitæ deliciarum & gloriæ fraudem conſpuit non ſecus ac araneam : & quid opus eſt plura dicere?quando impatibilitatem non ſecus ac veſtimentum attraxit per humilitatem intrinſecus & extrinſecus,& dignus fuit habitus,qui adoptaretur in filium, congruenter voci, quæ dicta eſt in Cantico Canticorū de anima munda & impatibili:Tota pulchra eſt,(inquit Chriſtus animæ) tota pulchra eſt,quæ eſt mihi propinqua,& non eſt in ea macula : tunc ipſe quoque aduerſus mundum,tanquam ad ſingulare certamen,ex ſolitudine aduerſus diabolum à Deo electus proſiliit. Non enim æquum exiſtimauit,vt qui à Deo ſic erat honoratus,& in altum enectus,eorum qui erant eiuſdem generis,ſalutem deſpiceret:ſed recordatus eius, qui dixit : Dilige proximum tuum,ſicut teipſum:qui etiam ſerui formam immutabiliter induere propter ſerui formam non eſt dedignatus:imitatur ipſe quoque ſuum Dominum, verè ſuam animam ponens & corpus,vt ſeruet aliquos.Neceſſe eſt autem ante omnia vobis prius narrare,quemadmodum ex ſolitudine venerit in mundum:deinde vero res eius admirabiles,& quæ ſuperant opinionem. II.

1.Cor.3. 1.Cor 4. 1.Cor.1.

Cant.4.

Matt 5.19 22.

TEMPORE Iuſtiniani Imperatoris,cū accederent ij,qui Chriſti erant amantes,& pro more ſancta Chriſti loca cupiebant adorare,quæ ſunt in ſancta ciuitate,in exaltatione precioſæ & viuificæ Crucis(Nôrunt autem omnes, qui illic adeſſe conſueuêre in hoc ſancto , & omnibus laudibus celebrando feſto, quod ex vniuerſo ferè orbe terrarum concurrit multitudo populorum,quæ Crucem & Chriſtum diligit)accidit,vt in hoc venerabili feſto duo quidam iuuenes, qui erant ex Syria,Dei prouidentia ſe inuicem conuenirent. Vni verò nomen erat Iohannes,& alteri nomen Simeon. Peracto autem ſancto Dei feſto,receſſit deinceps vnuſquiſque in ſuam ciuitatem. Hi verò duo iuuenes,poſtquam Dei clementis voluntate ſimul conuenerunt,& ſe mutua complexi ſunt beneuolentia,non ſunt amplius à ſe inuicem ſeparati. Quo circa dum etiā reuerterentur in patriam,iter ingreſſi ſunt vnanimes cum ſuis etiam parentibus. Nam habebat quidem Iohannes patrem ſenem,ſed non matrem:Coniunctus quoq; erat matrimonio. Erat enim circiter vigintiquatuor annos natus.Simeon autem patrem quidem non habebat,ſed ſolam matrem vetulam,circiter octoginta annos natam. Nullum verò habebat omnino alium.Erant ergo omnes in vna via comites.Poſtquam autem deſcenderunt in conuallem Hierichuntinam,& tranſiêrunt ciuitatem,contemplatur Iohannes monaſteria,quæ erant circa Iordanem, & dicit Syriacè Simeoni:Scis ne quinam habitent in his hoſpitiis,quæ ſunt ex aduerſo? Ille ei dicit:Quinam?Iohannes autem dicit,Angeli Dei.Ei verò dicit Simeon veluti admirans:Poſſumus ne eos videre?Ille verò ei dicit : Certè,ſi efficiamur,vt quidam ex illis.Sedebant autem ij duo in equis.Erant enim eorum parentes valde diuites. Cum ergo ſtatim ex equis deſcendiſſent,eos dederunt ſeruis ſuis,dicentes:Præite nos.Præ ſe enim tulerūt,velle ſe in loco ſedere.Contigit autem, vt inuenirentur in via,quæ declinat à via militari,& ducit ad ſanctum Iordanem. Ambo ergo conſtiterunt , & dicit Iohannes digito oſtendens.Simeoni.Ecce via,quæ ducit ad vitam,ſancti Iordanis,& ecce via,quę ducit ad mortem:oſtendens ei viam publicam,per quam eorum parentes præceſſerant. Agedum ergo oremus,& ſtemus quilibet noſtrum in vna ex ipſis,& ſortiamur:&quæ ſorte euenerit,illam viam ingrediamur.Genu itaque flexo,&ſuſpirantes,dixerunt:Deus, Deus,Deus,qui vis totum mundum ſaluum facere,ipſe voluntatem tuam aperi tuis famulis.Cumque ſortiti eſſent,ſortiente Iohanne,decem ſorte obtigêre Simeoni.Stabat autem in via,quæ ducit ad ſanctum Iordanem. Tunc magna affecti lætitia.omnium ſuarum facultatum & parentum veluti in ſomnis obliti,complexi ſe ſunt deoſculantes. Literas autem Græcas inſigniter didicerant,magnaque erant præditi ſapientia.Hæc verò omnia narrauit ille inſignis virtute Simeon cuidam Emeſæ:vbi etiam ſe ſalum,hoc eſt,ſtultum ſimulauit,Diacono ſanctæ catholicæ Eccleſiæ eiuſdem ciuitatis,viro admirabili,& virtute præclaro:qui etiam ex diuina,quæ ei inerat,gratia animaduertit ſenis operationem:cui etiam fecit miraculum terribile hic beatus Simeon,Cuius quidem miraculi in ſuo loco faciemus mentionem. Dictus ergo pius ac religioſus,& virtute egregius Iohannes(ita enim appellabatur Diaconus)ipſe nobis narrauit totam ferè vitam viri ſapientiſſimi,producens Dominum teſtem eorum,quæ dicebat,quod ſcilicet nihil addebat narrationi , ſed potius propter diuturnitatem temporis,multorum erat oblitus. III.

Peregrinationes ad terram ſanctam in feſto exaltationis ſanctæ Crucis.

Duæ viæ, vna ducens ad vitā, altera ad mortem.

Magna eruditio Simeonis.

EIS ergo viam ingredientibus,quæ verè ducit ad vitam,licebat eos videre exultantes & currentes , quemadmodum Petrum & Iohannem ad viuificum ſepulcrum Domini,promptoque & alacri animo ſe inuicem excitantes, & animum addentes.Nam Iohannes quidem verebatur,nè Simeonem matris retardaret affectio : Simeon autem rurſus dubitabat,ne in vxorem,quam nuper duxerat,affectio,tanquam ferrū lapis magnes,ad ſe Iohannem conuerteret.Et ab illo deinceps tempore vtebantur alter apud alterum verbis,admonendum aptis & exhortandum. Et Iohannes quidem dicebat:Noli eſſe ſecors & ignauus frater Simeon, Spero enim in Deum,nos hodierno die eſſe regeneratos. Quid enim vanæ illæ & inanes res huius vitæ & diuitiæ poterunt iuuare in die iudicij?Immo verò lædent potius. Neque rurſus iuuentus & pulchritudo,quæ eſt in noſtro propoſita corpori,perpetuo manet huiuſmodi,vt minime marceſcat : ſed aut à tempore,aut à ſenectute,aut à morte,quæ tempus præuenit,perit & extinguitur.Et poſtquam hæc & multo plura dixiſ- IV.

Iohan 10.

Mutuo ſe confirmant Simeon & Iohannes.

Vanitas opum.

Formæ.

ſet

Digitized by Google

ſet Iohannes Simeoni, ille rurſus viciſſim loquebatur, eademque verebatur & dicebat: Ego quidem frater Iohannes neque patrem, neque fratres, nec ſorores habeo, niſi ſolum humilem illam anum, quæ me genuit. De meo autem labore non ſum tam ſolicitus, quam de corde tuo vereor, ne feruens deſiderium vxoris, quam nuper duxiſti, te ab hac ſancta via abſtrahat. Poſtquam ergo hæc & his plura inter ſe inuicem lubentes diſſeruerunt, perueniunt ad monaſterium, quod vocabatur Abbatis Geraſimi. Nam hoc quoque precati fuerant: Domine Deus, in quo monaſterio vis vt mundo renũciemus, oſtium inueniamus apertum. Quod etiam accidit. In hoc ergo monaſterio erat vir admirabilis, Nicon nomine, vir, qui reuerà nomini conueniens vitæ habebat inſtitutum. Vincebat enim omnem dæmonum aciem, clarus ſignis & miraculis, & prophetiæ dignitate à Deo honoratus: qui etiam præſciuit aduentum horum beatorum. Dicit enim ſe vidiſſe in ſomnis eo die, quo acceſſerunt, quendam, qui ei dicebat: Surge, & aperi oſtium gregis, vt ingrediantur oues meæ: Quod etiam fecit. Poſtquam ergo accedentes inuenerunt oſtium apertum, & ſedentem Abbatem, & eos expectantem, dixit Iohanni Simeon: Bonum eſt ſignum, ô frater, apertum oſtium, & ſedens oſtiarius. Poſtquam autem appropinquarunt, dixit eis Præfectus: Benè venerunt oues Chriſti. Dicit ergo protinus Simeoni: Bene veniſti, Sale: verè decem tua sũt ab Abbate Iohanne, decem enim te expectant. Dicebat autem propter perfectionem vitæ, quæ eſt ex virtute. Cum eos ergo excepiſſet, refecit ac recreauit, vt qui eſſent miſſi diuinitus.

Nicon inſignis Monachus.

V. SEQVENTI autem die cœpit eis dicere ante omnia: In Domino pulchra eſt & digna veſtra in Deum dilectio, modo ne ab aduerſario ſalutis noſtræ ſinatis eam extingui. Bonus eſt curſus veſter, ſed ne currentes interſiſtatis gradum, donec coronemini. Eſt honeſtum propoſitum veſtrum, ſed ne dormitaueritis, ne tepeſcat ignis, qui veſtra corda accendit hodie. Rectè prætuliſtis ea, quæ manent, his quæ pereunt. Boni quidem ſunt, qui ſunt in veſtra carne parentes, & bonũ eſt eis ſeruire: melius autem eſt citra vllam controuerſiam, placere patri cæleſti. Boni ſunt fratres corporales: ſpiritales autem ſunt vtiliores. Boni ſunt amici, quos habetis in mundo propter Chriſtum: ſed melius eſt habere ſanctos amicos, & beneuolos erga Dominum. Boni ſunt defenſores, quos neceſſario habetis apud Principes: ſed ij non ſunt eiuſmodi, vt ſit perinde ac habere ſanctos Angelos pro nobis ſupplicantes. Bona eſt ei, qui eſt locuples, pecuniæ elargitio & pietas in pauperes & beneficentia: ſed nullam oblationem Deus ita à nobis exigit, vt ſuas offerre animas. Dulce quidem eſt frui vitæ bonis: ſed id nequaquam eſt conferendum cum deliciis paradiſi. Sunt quidem iucundæ, & vulgo hominum expetendæ diuitiæ: ſed non ſunt conferendæ cum iis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Iucunda eſt pulchritudo iuuentutis: ſed nihil eſt, ſi conferatur cum pulchritudine cæleſtis ſponſi Chriſti. Dicit enim Dauid: Specioſus forma præ filiis hominum. Magna res eſt, cum Rege terreno bellum gerere: ſed eſt ad tempus, & periculoſa eiuſmodi militia.

Præclara Abbatis Niconis oratio.

1. Cor. 2.

Pſal. 44.

VI. HIS & iis, quæ ſunt huiuſmodi, eos ſanctus admonens, nolebat ceſſare ab admonitione: & cum videret lachrymarum fontes effundi ex eorum oculis, (vſqueadeo attendebant ea, quæ dicebantur) ad Simeonem rurſus conuerſus, dicit: Nè affligaris, neque defleas canitiem dominæ tuæ matris. Longe enim plus, quam tua facies, poteſt eam conſolari Deus, ad tua reſpiciens certamina. Nam ſi apud eam vſque ad finem eius vitæ perſeueraueris, incertum tamen eſt, an tu ante eam è vita excedes, deſertus à virtutibus, excedeſque non habens, qui te poſſit à malis futuris liberare. Non enim patris, non matris charitas, non multitudo fratrum, non diuitiæ, non gloria, non vinculum mulieris, non affectio filiorum poteſt mouere iudicem: ſed vita, quæ ex virtute agitur. & qui ita, vt Deus, requirit, ſuſcipiuntur labores. Poſtea verò dixit Iohanni. Neque verò tibi ſuggerat inimicus animarum noſtrarum: Quis meum parentem alet in ſenectute? Quis conſolabitur meam vitæ conſortem? Quis comprimet illorum lachrymas: Nam ſi apud alium quidem Deum eos reliquiſſetis, & abiretis ſeruituri apud alium, recte ſoliciti eſſetis, an eorum curam gereret & conſolaretur: Nunc autem cum vos contuleritis ad eum, cui eos reliquiſtis, & vos ei conſecraueritis, oportet vos eſſe bono animo. Porro autem illud quoque conſiderate, quod ſi, cum nos ſimus in hoc mundo, & ſeruiamus huic vitæ, omnium curam gerit Dei bonitas: quanto magis nunc curam geret noſtrarum domorum, quando ad ei ſeruiendum, & ei bene placendum toto animo egreſſi ſumus? Recordantes ergo, ô filij, Domini, qui dixit ad eum, qui dixerat: Permitte mihi reuerti primum, & ſepelire patrem meum. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos: mente, quæ conuerti non poſſit, & corde, quod non poſſit moueri pœnitentia currite, poſt ipſum: Quid enim? Si hîc terrenus Imperator, & in quem cadit interitus, aliquos adhortaretur & ad ſe vocaret, volens eos accingere & referre in patricios, vel cubicularios huius terreni palatij, quod præterit, & quod tanquam vmbra & ſomnium euaneſcit: nonne contemnerent ſuas omnes facultates, diligenterque & nullo retardante impedimento, ad eum venirent, eius honoribus, & eius adſpectu, & libertate loquendi frui deſiderantes: omneſque militiæ labores & pericula, atque adeo extrema quæque lubenter ſubirent, modo digni ſolum haberentur, qui illum diem viderent, in quo Imperator eſſet à toto ſenatu excipiendus, militeſque omnes & eos honoraturus? Quod ſi ij ita ſe affectos eſſe dixerint, (ait magnus ille Nicon) longè maiori ſtudio, filij, & compunctione debemus nos accingere, & ſequi immortalem & æternum Regem regum: nos (inquam) qui debemus eſſe grati, & accepti beneficij memores, charitatiſque, quam Deus in nos oſtendit, adeo vt filio ſuo vnigenito non pepercerit propter nos, ſed pro nobis omnibus eũ tradiderit. Quare etiamſi noſtrûm omnium ſanguinem pro eo effunderemus, qui eius ſanguine à morte & interitu fuimus liberati, & in locum propriorum filiorum adoptati, ne ſic quidem offeremus precium, quod ei reſponderet. Non parum enim intereſt, fundaturne ſanguis Regis, an ſeruorum, ô fratres.

Non ſunt curandi parentes vt ſequamur Chriſtum, cui cura eſt de ipſis.

Matth. 8.

Egregia comparatio à ſimili.

Rom. 8.

VII. HÆC autem omnia, & his plura eis ſuggerebat vir diuinus, vt qui præſciuiſſet, & à Deo factus eſſet certior de certamine & curſu eis propoſito, nempe de vita agenda in ſolitudine abſque vllis omnino ædibus, planeque remota & ſeparata ab omnibus, nempè Anachoretica. Id n. nõ leue exiſtimabat, neq; temere eligendũ, maximè cũ videret corpora mollia, & mollibus induta veſtibus, & iuuentutẽ in vita delicata educatã, ac cuiuis relaxationi ac deceptioni aſſuefactam. Quocirca ſapiens ille medicus & doctor, cum ea, quæ ipſi inerat, ſapientia & experientia eos armâſſet talibus monitis & præceptis, rurſus dicit vtriſque: Vultiſne capitis veſtri comam tonderi, an paruo adhuc tempore verſari in laici habitu, quem hodie geritis? Ij autem vno conſilio, vel potius vno ſancto ſpiritu, ceciderunt ambo ad pedes Præfecti, petentes ab eo, vt eos ſtatim tonderet, & citra dilationem. Dixitque Simeon, ſe, niſi id faceret quam citiſſime, eſſe ituros ad aliud monaſterium. Erat enim ſimplex, & minimè malitioſus: Iohannes verò ſapientior, & qui maiorem habebat cognitionem. Accepit ergo protinus ſanctus Nicon ſeorſum alterum eorum, volens probare illorum ardentem, quæ apud Deum facienda erat, renunciationem. Dixitque ei quædam, conans retardare, ne eo die tonderetur. Cum autem ille minimè aſſentiretur, venit ad alium, & dixit ei: Eccè perſuaſi fratri tuo, vt maneret adhuc vnum annum, vt eſt, laicus. Statim verò reſpondit is, cui hoc dicebat: Si ille velit manere, maneat. Reuerà, Pater, ego hoc non ſuſtineo. Porro autem hoc quoque dixit ei Simeon, quando ſeorſum eſt locutus: Feſtina, pater, rogo propter Dominum. Cor enim mihi valde contremiſcit propter fratrem Iohannem: quoniam hoc anno duxit vxorem valde diuitem & formoſam, ne eius deſiderium eum rurſus ad ipſam arripiat, & deſiſtat à ſuo in Deum deſiderio. Rurſus autem hoc ipſum dixit Iohannes illi viro virtute eximio, cum multis precibus & lachrymis: (Eæ enim naturaliter in eius magis abundabant oculis, quam in eius fratris Simeonis) Pater, ne fratrem meum propter te perdas: Matrem enim habet ſolummodo: eratque eiuſmodi vtriuſque deſiderium, vt non poſſet alter ab altero abeſſe duas horas. Quinetiam in hodiernum vſque diem ambo ſimul dormiebant,

Tonſura monaſtica.

Attẽde ſanctum in his viris ardorem.

mater

mater eius & ipſe, vt qui nec noctu quidem poſſent ſeparari. Quod quidem me valde coquit & angit, donec eum videro tonſum, & plane omnem curam de eo abiecero. IIX.

*allato.

Simeon & Iohannes fiunt monachi.

VTRIVSQVE ergo magnam de ſe inuicem ſolicitudinem audiit ille vir magnus, certuſque Deum non dedecore afficere, neque deſpicere eos, qui toto animo & citra vllã dubitationem ad eum confugiunt, *ablato forfice, & eo, quo par eſt, ordine ſancto altari impoſito, eos totondit. Cumque eos exuiſſet, induit quidem miſerabilibus veſtibus, verum ſanctis, eorum motus miſericordia vir ſapiens, & maximè miſericors, propter eorum corporis mollitiem & afflictionem, cui non aſſueuerant. Cum ij autem tonderentur, Iohannes quidem valde flebat: Simeon verò ei annuit: vt ceſſaret, vt qui omnino ignoraret, cur fleret. Exiſtimabat enim eum flere propter dolorem, quem capiebat ex parente, & propter amorem coniugis. Poſtquam ergo tonſi eſſent, & ſanctam ſynaxim peregiſſent, ſedit rurſus Præfectus, toto ferè die illos admonens. Sciebat enim, fore vt non diù apud eum verſarentur, cum hoc Deus quoque prouidiſſet. Poſtridie autem eius diei, cum eſſet ſanctus Dies Dominicus, volebat eis quoque dare ſanctum habitum. Cum ergo ex fratribus quidam eis diceret: Beati eſtis, quoniam cras regenerabimini, & mundi efficiemini, ſicut nati eſtis, ab omni peccato, perinde ac ſi ipſo die eſſetis baptizati, admirati ſunt ambo, & cucurrerunt ad diuinum Niconem veſperi Sabbato, & ad eius pedes prociderunt, dicentes: Rogamus te, Pater, nè nos baptizes. Sumus enim Chriſtiani, & nati ex parentibus Chriſtianis. Is autem cum neſciret, quidnam audiiſſet à patribus cœnobij, dixit eis: Quis enim vult vos, ô filij, baptizare? Illi verò dixerunt: Domini noſtri patres monaſterij dicunt nobis: Cras rebaptizabimini. Tunc intellexit Præfectus eos dixiſſe de ſancto habitu. Is verò dixit eis: Recte dixerunt, filij: Etenim ſi Deo placuerit, volumus vos cras induere ſancto & Angelico habitu. Poſtquam intellexerunt Chriſti pueri, ab omni malitia alieni, ſe mox eſſe ſumpturos habitum monaſticum, dicunt Abbati: Quid enim, Pater, aliquone alio opus habemus, vt induamur illo Angelico habitu, quem tu dicis? Dederat autem vir ille magnus præcedente hebdomada, in qua fuerat Exaltatio Crucis, habitum ſanctum cuidam ex iunioribus fratribus, neque ſeptem dies adhuc impleuerat ſed adhuc ferebat omnia, vt poſtulat conſtitutio. Permiſit itaque vir magnus, vt is ſtatim duceretur in medium. Poſtquam verò venit, eum ambo contemplantur, & ad pedes Abbatis prociderunt protinus, & ei dixerũt: Rogamus te, Si nos ita es induturus, & nos tali honore & gloria dignaturus, id facias veſpere, nec cum homines ſimus, per noctem ad nos veniat id, quod eſt humanum, & abeamus, talem gloriam & lætitiam, taleque veſpertinum officium, & talem coronam minime conſecuti, IX.

Nota quid conferat profeſſio monaſtica.

Monachorum angelicus habitus.

POSTQVAM ergo audiuit eos Præfectus, cum dixiſſent, Tale veſpertinum officium & talem coronam minimè conſecuti: intellexit eos vidiſſe viſionẽ, quam ſanctus ferebat habitus: & permiſit, vt frater ille abiret in locum proprium, in quo fuerat, ex quo ſanctum induerat habitum. Cum is ergo receſſiſſet, magno dolore affecti fuerunt Chriſti pueri, & dicunt præfecto: Propter Chriſtum, Pater, ſurge, & fac nos, ſicut ille eſt. Nam in toto monaſterio nullus eſt in tanto honore, quanto ille eſt. Dicit ei Abbas: Quonam honore? Tunc dixerunt: Per eum, Pater, qui nos dignatus eſt hoc habitu & honore, beati quoque nos ſumus, ſi à tanta Monachorum multitudine cum cereis deducamur in veſperis, & coronam tam ſplendidam geſtemus in noſtro capite. Exiſtimabant enim Præfectum quoque ea videre, quæ à ſe videbantur. Quocirca cum id cognouiſſet, ne eis quidem dixit ſe nihil videre, ſed tacuit, & miratus eſt magnam ſimplicitatem & puritatem, maxime autem Simeonis. Hoc autem iucundiſſime eis dixit ille magnus: Cras vos quoque induemus per gratiam ſancti ſpiritûs. Poſtquam ergo ipſi accepiſſent ſanctum habitum, (vt affirmabat ſanctiſſimus Diaconus) aſſerebat hoc, quia à mẽdacio erat alienus, Simeon: Videbamus, inquiens, noctu non ſecus, atque interdiù alter alterius faciem, & ſimiliter vt eius, qui fuerat prius à nobis viſus, coronam in capite alter alterius. In tali autem gaudio erat anima noſtra, vt nec facilè vellemus ſumere cibum aut potum.

Poſt ſumptum habitum monaſticum vide quid contigerit iſtis.

DVOBVS autem diebus poſtquam ipſi ſanctum cœpiſſent indumentum, contemplantur eum, qui ſeptem ante diebus id ceperat, in quo & coronam viderant, & eos qui veſpertinum dicebant officium: ferebatque is mantile, & miniſtrabat, & neque habebat amplius coronam ſibi impoſitam, neque rurſus monachi veſpertinum dicebant officium cum cereis, miratique ſunt: & dicit Simeon Iohanni: Crede frater, ſi nos quoque eoſdem ſeptem dies impleuerimus, non habebimus amplius, hunc decorem & gratiam. Dicit autem Iohannes. Et quid vis, vt fiat, frater? Is vero ei rurſus dicit: Si me audieris, volo vt ſicut reliquimus mundum, eique renunciauimus, omni quoque habitu, in quo nunc ſumus, planè renunciemus. Aliam enim vitam cerno, & res alienas in hoc habitu. Ex quo enim Dei ſeruus nos eo induit, intrinſecus inflammor neſcio vnde, & quærit anima mea neminem videre, & neminem alloqui, & audire neminem. Dicit ei Iohannes: Et quid comedemus, frater? Dicit ei Simeon: Si quid comedunt, qui vocantur paſtores, de quibus heri quoque nobis dixit dominus Nicon. Forte enim ipſe quoque volens nos eam vitam degere, narrauit nobis quomodo viuant, & quomodo comam creſcere permittant, & omnia quæ ad eos pertinent. Et quomodo, inquit Iohannes? Nam neque pſallere, neque inſtitutum didicimus. Tunc aperuit Deus cor Abbatis Simeonis, & dixit: Qui ſeruauit eos, qui etiam ante Dauid ei placuerunt, nos quoque ſeruabit. Quod ſi digni fuerimus, nos quoque docebit, quomodo docuit Dauid, qui paſcebat oues in ſolitudine. Ne velis frater retardare meam animi alacritatem Sed quoniam nos huic rei dedidimus, nè eam perdamus. Tunc dicit Iohannes: Faciamus, vt volueris: Sed quomodo exibimus? Noctu enim ſunt clauſæ fores. Dicit ei Simeon: Qui nobis interdiu aperuit, ipſe quoque noctu aperiet. X.

Vocat eos ſpiritus ſanctus ad vitæ altioris inſtitutum.

1. Reg 16 & 17.

POSTQVAM ergo firmum ac conſtitutum fuit eis conſilium, ſtatim cum nox aduentâſſet, vidit Præfectus quendam in ſomnis qui aperiebat fores monaſterij, & dicebat: Egredimini ſignatæ Chriſti oues ad veſtra paſcua. Is autem è ſomno excitatus, protinus deſcendit ad ianuam, & eam inuenit apertam, exiſtimanſque eos illinc eſſe egreſſos, ſedebat triſtis, ingemiſcens & dicens: Non ſum dignus habitus ego peccator, qui acciperem preces Patrum meorum. Ij vere erant Patres mei, domini & magiſtri: & ideo non ſum aſſecutus, vt mihi receſſum annunciarent. Papæ, quam appoſiti & precioſi lapides (vt ait ſcriptura) non animaduerſi ſuper terram voluuntur: quià multis quidem cernuntur, à paucis autem apprehenduntur. Cum hæc ergo anxius animi apud ſe cogitaret, ecce puri Chriſti ſponſi, qui veniebant, vt egrederentur, ante quos vidit puriſſimus Præfectus Nicon quoſdam eunuchos, qui geſtabant lampades, hos autem ſceptra vna manu tenentes. Poſtquam ergo illi cognouerunt eum eſſe Præfectum, fuerunt ipſi quoque valde læti, maximè cum etiam ianuam vidiſſent eſſe apertam. Venit enim eis in mentem, Deum quoque id ei reuelâſſe. Voluerunt itaque vocare pœnitentiam: ſed prohibuit eos, dicens, nihil eis tale licere facere propter honorem Angelici habitûs, qui eſt eis impoſitus. Dicunt itaque ei protinus: XI.

Nota quid tribuãt monachiſmo viri tanti.

Profeſſio monaſtica alter eſt Baptiſmus.

GRATIAS agimus tibi, Pater. Quidnam autem Deo offerre, & venerando tuo capiti poſſimus, ignoramus. Quis ſperauit fore, vt talibus donis digni haberemur? Quis Rex tali dignitate nos potuit honorare? Quinam terreni theſauri nos tam cito effeciſſent diuites? Quorumnam lauacrorum ablutiones ita noſtram emundâſſent animam? Quinam parentes ſic potuiſſent diligere & ſeruare? Quænam dona aut munera, peccatorum noſtrorum remiſſionem tam breuiter nobis afferre potuiſſent, vt tu venerande pater noſter? Tu noſter es poſt Chriſtum pater & mater, tu dominus, tu exercitator, tu dux, tu deductor, & quæcunque non poteſt lingua dicere. Per te precioſam acquiſiîmus margaritam, Baptiſmatis vim vere didicimus, de quo nobis prædixerunt ſancti Patres. Cognouimus noſtra peccata verè fuiſſe exuſta ab igne, qui corda noſtra accendit. Quem quidem non ferentes ſic nos intus vrentem, rogamus, Pater, tuam beatitudinem, vt intenſas preces facias, & tuos ſeruos dimittas ad hoc, vt germane & ſyncere, totoque animo ſeruiamus Deo, cui nosipſos conſecraui- XII.

Digitized by Google

ſecrauimus: oratus, vt nunquam obliuiſcatis inutilium tuorum filiorum in tempore extenſionis venerabilium tuarum manuum: oratus, inquam, ô ſancte à tuis hoſpitibus, vt meminetis eorum orbitatis. Sanctiq; genua amplexi, rurſus dicebant: Memento, Pater, tuarum humilium ouium, quarum Chriſto obtuliſti holocauſtum. Memento externarum plantarum, quas in pulchro horto Paradiſi plantare ſtuduiſti. Ne obliuiſcatis pigrorum operariorum, quos circa vndecimam Chriſto ad vineam conduxiſti. Mirabatur autem, & obſtupeſcebat Paſtor, videns eos, qui duobus ante diebus erant idiotæ & planè rudes, tam repente euaſiſſe ſapientes per diuini habitus ſuſceptionem.

XIII. POSTQVAM ergo ambo fleuiſſent ſatis longo tempore flexis genibus, ſanctus Nicon ſtatuens Simeonem à dexteris, & Iohannem à ſiniſtris, ſurrexit, & manus ad cælum extendens, dixit: Deus, qui es iuſtus & laudabilis: Deus, qui es magnus & fortis: Deus, qui es ante ſæcula, exaudi virum peccatorem hac hora: Deus exaudi me, exaudi me in fortitudine, non recordans in hac mea precatione eius, quæ à me vere contempto & abiecto ſemper & ſemper admiſſa fuit, inobedientiæ. Exaudi me, Domine, exaudi me in igne precationis, quomodo tuum quandoq; prophetam: & per eaſdem interceſſiones exure meas iniquitates, & munda mea peccata. Ne, quæſo, Deus ſanctarum poteſtatum, ne, factor incorporeorum, ne, qui dixiſti: Petite, & accipietis, ne me abomineris, cui ſunt immunda labia, & qui detineor in peccatis. Exaudi me, qui es pollicitus te eos eſſe exauditurum, qui inuocant in veritate, & dirige greſſus ſeruorum tuorum, & pedes eorum in viam pacis. Miſerere ſimplicium puerorũ, qui ſunt in terra externa. Qui dixiſti, Eſtote ſimplices, ſicut columbæ. Clamaui tibi in toto corde meo. Deus, Deus exaudi me, qui es ſpes omnium finium terræ, & omnium, qui ſunt procul in externa regione. Increpa omnes immundos ſpiritus à facie famulorum tuorum. Apprehende arma & ſcutum, & exurge ad auxilium eorum. Effunde romphæam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur illos. O Domine, qui dixiſti animæ eorum: Salus tua ego ſum: recedat à mente eorum ſpiritus timiditatis, deſidiæ, ſuperbiæ & omnis vitij. Extinguatur eorum omnis inflammatio, & motus, qui conſtat ex diabolica operatione. Illuminetur eorum corpus, anima & ſpiritus lumine tuæ cognitionis, vt cum occurrerint in vnitate fidei, & agnitione ſanctæ & adorandæ Trinitatis, in virum perfectum, in menſuram fidei, te glorificent in ſæculum ſæculi, & placeant tibi Domino: Quoniam tutiſſimum præſidium eſt nomen tuum Patris, & filij, & ſpiritus ſancti, Amen. Da autem eis cum omnibus bonis, ô Domine, verba quoq; huius meæ miſerabilis & indignæ ſupplicationis in corde habere perpetuo, ad glorificandam & celebrandam tuam benignitatem. Et rurſus dixit eis cum multis lachrymis: Deus, quem elegiſtis, boni filij, & ad quem acceſſiſtis, ipſe mittet Angelum ſuum ante faciem veſtram, & muniet viam ſuam ante pedes veſtros. Angelus (vt ait magnus Iacob, qui me liberat ab omnibus contrarijs poteſtatibus) ipſe ambulabit ante veſtras ſemitas. Qui ſuum liberauit prophetam ex ore leonis, ipſe quoq; vos liberabit à manibus leonis, ipſe meum conſeruabit ſacrificium nullo affectum dedecore.

3. Reg 18. Luc. 11. Pſalm 144. Matth. 10. Pſal. 134. Orat pro ſuis filius S. Nicon Abbas. Gen. 48. Dan. 6 & 14

XIV. POSTQVAM autem hæc & his plura eſt eis precatus, eorũ quoq; colla vir diuinus eſt complexus, & dixit: Serua, Deus, ſerua eos, qui toto corde dilexerunt nomen tuum. Non enim iniuſtus es, Domine, vt eos deſpicias & deleras, qui inanes res huius vitæ reliquerunt. Deinde rurſus dicebat eis: Videte, filij, vos bello, vos dediſtis terribili certamini, & quod non cadit ſub adſpectum: ſed ne pertimeſcatis. Potens eſt enim Deus, qui non ſinet vos tentari plus, quam ferre poſſitis. Decertate, filij, ne ab inimico vincamini, ſed ſtetis forti & excelſo animo, habentes aduerſus eũ arma ſancti habitus. Recordemini eius, qui dixit: Nemo qui manum miſerit ad aratrum, & retrò conuerſus fuerit, aptus eſt regno cælorum. Nolite cum ingreſſi ſitis viam perfectam eius, quæ Deo conuenienter degitur, *ignaui effici & deſides, ne in vobis impleatur, quod ſcriptum eſt de turris ædificatione. Et non habuerunt vires, & animi alacritatem ad conſummandum opus. Securi eſtote, filij. Paruum eſt bellum, ſed magna eſt corona: labor eſt ad tempus, ſed quies eſt æterna. Cum ergo iam tempus proceſſiſſet, & iam deinceps lignum pulſaret, eſſentque è ianua egreſſuri, Præfectum ſeorſum accepit Simeon, & dixit ei: Propter Deum, Pater, ora, vt Deus propulſet à fratre meo Iohanne memoriam coniugis, ne forte à maligno impulſus, me dimittat, & peream propter conceptum de eo dolorem, eiuſque exitium & ſeparationem. Ora (rogo propter Dominum) vt Deus eius quoq; conſoletur parentem, ne ſit de eo ſolicitus. Cum autem admiratus eſſet ſenex amorem, quem habebat in fratrem, nihil ei reſpondit. Rurſus verò eodem modo eum quoq; accepit Iohannes, & ſeorſum eſt adhortatus: Propter Deum, Pater, ne negligas fratrẽ meum in tuis orationibus, ne me fugiat propter matrem, motus in eam affectione, & inueniar in portu patiens naufragiũ. Vt ergo dictum eſt, obſtupefactus vtriuſq; inter ſe amore, eis plane dicit: Ambulate filij, annũcio enim, quod qui hic vobis aperuit, illic quoq; prius aperit: Et cum eorum frontes & pectora, & totũ corpus ſignaſſet, eos dimiſit.

Luc. 9. for. * vitioſi. Geneſ. 11. Attende curam Simeonis de ſalute fratris ſui Iohannis. Item Iohannis de ſalute S. meonis Nota hanc ſignationẽ Crucis.

XV. POSTQVAM ergo dimiſſi exiſſent, hoc dicebant: Deus illius magni tui ſerui, deduc nos, qui ſumus hoſpites, & erramus inſtabiles, quoniã neq; loca ſcimus, nec regionẽ: ſed ad te venientes, nos morti tradidimus in vaſto pelago huius ſolitudinis. Dicit ergo Iohannes Simeoni: Quid modo eſt? Quo imus? Ille ei reſpondit: Tendamus ad dexteram. Nam quæcunq; ſunt dextera, ſunt bona. Euntes autem, venerunt ad mare mortuũ. Fuit vero omnino hæc Dei prouidentia, qui nunquã deſerit eos, qui toto animo in eum credunt: Inuenerunt autem locum, in quo habitabat quidam ſenex, qui paucis ante diebus erat mortuus, in quo & parua erant vaſa, & herbæ delicatæ ad veſcendum, de quibus comedebat ſenex, qui illic iacebat. Cum ergo locum vidiſſent viri illi egregij, perinde læti ſunt, ac ſi theſaurum inueniſſent. Nouerunt enim eum locum fuiſſe ſibi à Deo paratum & apertum. Cœperuntq; Deo gratias agere, & magno illi ſeni. Dicebant enim, quod credebant per eius orationes iter illis ſucceſſiſſe feliciter. Poſtquam ergo manſerunt paucos dies, non ferens Chriſti ſeruorum virtutem, noſtrarum animarum inimicus diabolus, cœpit cum eis bellum gerere: Iohannem quidem tentans per ſuam vxorem. Simeonem autem per magnum matris ſuæ amorẽ. Quando ergo vnus ex eis ſe videbat affligi, ſtatim dicebat alteri: Surge frater, oremus, & magni illius ſenis quandam recitabant orationem. Sic enim ille precatus fuerat: Da eis, Domine, verba huius orationis in corde eorum. Et ſtatim inuẽti ſunt ambo eam ſcire memoriter: eamq; aſſidue recitabant in vnaquaque tentatione, & in vnaquaque ſua ad Deũ petitione. Nonnunquã enim eos inflammabat diabolus, (quemadmodum narrabat diuinus Salus) vt carnem comederent, & vinum biberent. Et rurſus eis in principio ſuggerebat timorem, ignauiamq; & deſidiam ad exercitationẽ, vt ipſi quærerent à ſolitudine reuerti ad monaſterium. Rurſus autem, vt in ſomnis adſpicerent, & nonnunquã etiam in viſione, ſuos partim quidem flentes, partim verò conuiuantes, efficiebat forma multiplex ſerpentis, & multa alia, quæ nec poſſint quidem narrari, niſi quis expertus fuerit eaſdẽ tẽtationes. Sed quãdo recordabantur coronarũ, quas alter in altero viderat, doctrinæq; & lachrymarũ ſenis, nõ ſecus atq; oleo ſancto cor eorũ mitigabatur & recreabatur.

Manent Simeon & Iohannes in ſolitudine. Tentatur à ſatana.

XVI. APPAREBAT autem eis quoq; in ſomnis Abbas Nicon, nonnunquã quidẽ eos admonens, nonnunquã vero orãs pro ipſis, nonnunquam autem eos quoq; docens pſalmos: Et è ſomno excitabantur, memoriter dicentes quæcunq; noctu ab ipſo didicerant: Et propterea magna afficiebantur lætitia. Sciebant enim ſenem propter ipſos laborare, de quo ex ipſis rebus fiebant certiores. Nam cum hoc ambo ante omnia à Deo petiiſſent, Simeon quidem, vt conſolationem cor matris eius acciperet, & penitus acquieſceret: Iohannes autem, vt Deus ſuam acciperet coniugem, quò è ſuo animo auferretur, quod ad eam referebatur, deſiderium, ipſe Dominus vtroſque exaudiit, de quo dicitur: Voluntatem timentium ſe faciet. Cumq; duo anni præteriiſſent, à Deo certior factus eſt Simeon, matrem propter ipſum non amplius moleſtia affici, eumque ei noctu apparere, & eam conſolari, & dicere ei ſermone Syriaco: Ladochte

Pſal. 144.

Digitized by Google

lichem: hoc eſt, Ne te crucies, mater. Etenim recte ſumus ego & Iohannes, & valemus. Militauimus in palatio Im-
peratoris, & ecce coronas, quibus nos induit Imperator, & veſtes decoras geſtamus. Sed Iohannis quoq; fratris pa-
rentem conſolare, quod mecum militauerit: & vos nulla afficiamini moleſtia. Porro autem Iohannes quoq; vidit
quendam ei dicere indutum candidis veſtibus. Ecce effeci, vt pater quidem tuus dolere deſineret: Vxorem autem

Liberantur diſpenſatione diuina à cogitatione ſuorum parentum.

tuam his diebus aſſumo. Narrarunt ergo ambo ſibi inuicem ea, quæ viderant: gauiſiq; ſunt, & cor eorum magna af-
fectum eſt lætitia. Tunc parentum ſuorum cogitatione Deus eos ſtatim leuauit, & in poſterum quieto ac tranquil-
lo fuêre animo, de eis nulla affecti moleſtia: ſed impigre & citra vllum laborem, perpetuum exercitationis & ſilen-
tij curſum nocte dieq; peregere, nullum aliud, in quo verſarentur, opus habentes, niſi, quæ dinelli non poteſt, ten-

Habebant ſolicitudinem perpetuæ orationis.

tationem, & minime ſolicitam ſolicitudinem, dico autem perpetuæ orationis, per quam breuiter eo proceſſere im-
pigri operatores, vt infra modicum tempus digni ſint habiti viſionibus diuinis & miraculis. Nam cum præteriiſſet
parum temporis, ambo ſilentium agebant, ſeparati à ſe inuicem ſpatio iactus vnius lapidis. Nam hoc quoque inter ſe
conſtituerant, nempe ſeorſum ſecedere, quando vellet vnuſquiſque ex illis ſolus ſingulatim orare. Quando autem
ad eũ veniſſent cogitationes, aut ſocordia, alter venire ad alterũ, & cõmuniter Deũ rogare, vt liberetur à tentatione.

CVM ergo quodam die ſederet Simeon in loco ſibi conſueto, videt ſe in ecſtaſi veluti adeſſe apud ſuam ma- XVII.
trem ægrotantem Edeſæ, (Erat enim illinc oriundus) & ei dicit voce Syriaca: Quomodo te habes, mater? Cum ea
autem dixiſſet, Recte fili: ei rurſus dicit: Vade ad regem, nihil timens. eum enim rogaui, & tibi parauit honeſtum lo-
cum, & quando volet, te illic conueniam. Ad ſe autem reuerſus, nouit matrem ea hora eſſe mortuam: curſimque ve-
niens ad Iohannem, ei dicit: Surge frater, faciamus orationem. Cum is autem eſſet conturbatus, (exiſtimabat enim
tentationem aliquam accidiſſe Simeoni) dicit ei Simeon: Ne conturberis, ô frater: Nihil enim mali habeo per Deũ.
Rurſus ergo dicit ei Iohannes: Quænam eſt autem cauſa tanti curſus, ô frater Simeon? Eum enim valde colebat &
honorabat, ſicut & ille. Tunc oculis eius effuſis lachrymis, & incipientibus tanquam margaritis in pectus eius de-
ſcendere, ipſe dicit Iohanni: Modo bonam & benedictam matrem meam Dominus accipit. Et ei expoſuit viſionem.

Simeon orat pro matre moribunda.

Cumque ipſi genua inclinaſſent, orarunt: licebatque Simeonem audire dicentem Deo miſerabilia verba, & ſup-
plicia. Conuertebantur enim, & conturbabantur eius viſcera à natura commota, & clamabat: Deus, qui Abrahæ
ſuſcepiſti ſacrificium, qui reſpexiſti holocauſtum Iephte, qui Abelis dona non es auerſatus, qui propter Samuelem
puerum tuum Annam oſtendiſti prophetiſſam, ipſe, Domine mi Domine, propter me ſeruum tuum ſuſcipe ani-
mam meæ bonæ matris. Memento, Domine, laborum eius, quos pro me ſuſcepit. Memento, Domine, dolorum
eius & eiulatuum, quos effudit, quando ab ipſa ad te fugi. Memento, Domine, uberum, quibus me lactauit hu-
milem & abiectum, vt meæ iuuentutis fructum perciperet, & non percepit. Memento, Domine, quod ne hora qui-
dem à me poterat ſeparari, & à me fuit toto tempore ſeparata. Memento, Domine, qui ſcis omnia, quod quando ip-
ſa volebat ex me gaudium capere, tunc eam meipſo fraudaui propter nomen tuum. Ne obliuiſcaris, ô iuſte, diſtracta
ac diuulſa fuiſſe eius viſcera eo die, quo ad te confugi. Cognoſce Domine, quantæ fuerunt eius vigiliæ, cum tota
nocte meæ recordaretur iuuentutis, quando eam reliqui. Tu nôſti, Domine, quot noctes inſomnis tranſegerit, dum
quæreret ouem, quæ ſimul cum ea dormiebat. Ne obliuiſcaris, ô clemens, qualis dolor cor eius inuaſerit, quando
ſtabat meas veſtes contemplans, propterea quod non eſſem amplius eius margarita, qui eis induebar. Memento,
Domine, me eam meo gaudio, lætitiaque & exultatione fraudaſſe, vt tibi meo & eius Deo & Domino vniuerſorum
ſeruirem. Da ei Angelos, qui eius conſeruent animam à ſpiritibus, & feris huius aeris, qui ſunt ſceleſti & immites, &
conantur omnes deuorare, qui per ipſos tranſeunt. Mitte ei, Domine, mi Domine, cuſtodes fortes, qui increpent o-
mnem immundam poteſtatem, quæ ei occurrerit, & abſque vlla moleſtia & tormento, Deus meus, iube ſeparari eius
animam à corpore, & ſi quid vt mulier, vel facto, vel verbo in hac vita peccauerit, condona eius animæ pro ſacrificio
quod genuit & obtulit tibi Domine, me ſcilicet indignum ſeruum tuum. Ne Domine, qui es Deus meus iuſtus iudex
& clemens, ne eam exportes ab afflictione in afflictionem, & à dolore in dolorem, & à gemitibus in gemitus: ſed
pro ea quam paſſa eſt, moleſtia propter eius vnigenitum, in gaudium, pro lachrymis in exultationem, quæ parata eſt
ſanctis tuis, ô Deus, ô Deus meus in ſæcula, Amen.

CVMQVE ſurrexiſſent ipſi ex oratione, cœpit frater Iohannes eum conſolari, & dicere: Ecce frater Simeon, XVIII
Deus tibi ſatisfecit, & exaudiuit orationem tuam, & accepit matrem tuam. Sed modo mecum collabora, & ambo
oremus ad Dominum, vt faciat miſericordiam ſuam etiam cum ea, quæ Dei conceſſione mea vxor eſt nominata, vt
eam quoq; deducat Deus ad conſiderationem monaſtici habitus, aut vtatur in eam miſericordia, & eam accipiat.
Cumq; oraſſent breui tempore, vna nocte videt Iohannes matrem Simeonis venientem, & manu tenentem eius v-
xorem, & ei dicentem: Surge ſoror, veni prope me: Bonam enim domum mihi largitus eſt Imperator, qui filium

Vxor Iohannis moritur.

meum duxit in exercitum ad ſibi ſeruiendum: ſed muta veſtes tuas, & geſta mundas. Quæ ſurrexit protinus, & eam
eſt ſecuta. Tunc cognouit Iohannes eam quoq; eſſe mortuam, duaſq; illas eſſe in bono loco, valdeque magno affe-
ctus fuit gaudio. Illi autem perſeuerauerunt in ſolitudine, exercentes ſe in omni exercitatione afflictioneque, & fri-

29 annis ſimul degũt in eremo Simeõ & Iohann.

gore, & æſtu, vigintinouem annos, vbi multas, & quæ dici nequeunt, tentationes ſuſtinuerunt à diabolo: maxime
autem Simeon ex ea, quæ ei inerat, ſimplicitate & puritate. Senſi tamen per inhabitantem in ſe virtutem ſancti ſpiri-
tus, ſe neq; timere vllam affectionem, neque frigus, neque famem, neque æſtum: ſed prope videbatur exuperare mo-
dum humanæ naturæ. Quadam die verò dicit Iohanni: Quid nobis deinceps proderit, ô frater, ſi verſemur in hac
ſolitudine? Sed me audias: Surge, abeamus, alios quoque ſaluos faciamus. Hic enim nobis ſolis, & nulli alij proſu-

1. Cor 10. 1. Cor 9. Matth 5.

mus, neque mercedem habemus ex aliquo. Cœpit quoque ex ſancta ſcriptura quædam ei dicere huiuſmodi: Nemo
quærat quod ſuum eſt, ſed id, quod eſt proximi. Et rurſus: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes ſaluos faciam. Et
ex Euangelio: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui

Attende ſtudium S. Simeonis, vt alios ſaluos faciat.

eſt in cælis: Et quædam alia huiuſmodi. Reſpondens vero Iohannes, dixit ei: Satanas (vt exiſtimo) ô frater nobis in-
uidet hanc quietem, & hanc tibi ſuggeſſit cogitationem. Contra autem ſede, & impleamus curſum noſtrum in hac,
in qua Deus nos poſuit, ſolitudine. Dicit vero Simeon: Crede, ego non manebo: ſed in virtute Chriſti abibo, & mũ-
dum ludificabor. Ei rurſus dicit frater eius: Non, bone frater, rogo te per Dominum, ne me dimittas humilem & ab-
iectum. Nondum enim ad eam perueni menſuram, vt poſſim mundum ludificari. Sed propter eũ, qui nos coniunxit,
noli à tuo fratre ſeiungi. Scis, frater mi, poſt Deum me habere neminem præter te, ſed abnegaſſe omnes, & tibi adhæ-
ſiſſe: & modo tu me in hac, tanquam in vaſto pelago, vis relinquere ſolitudine? Memento illius diei, quando ſortiti
ſumus, & deſcendimus ad Abbatem Niconem, quod conuenerimus à nobis inuicem non ſeparari. Memento horæ
terribilis, quando ſancto habitu induti ſumus, & fuimus duo ſicut vna anima, adeo vt noua & admirabilis noſtra vi-
deretur omnibus dilectio. Ne obliuiſcaris verborum ſancti ſenis, quibus nos admonuit nocte, qua exiuimus. Ne
(rogo) ne peream, & requirat Deus animam meam à te.

DICIT ei rurſus Simeon: Puta me eſſe mortuum. Quod ſi eſſet, non poſſes ſeorſum tui curam gerere? Crede, ſi XIX.
venias quidem, bene eſt: ego enim non manebo. Poſtquam ergo frater Iohannes vidit eum perſiſtere, cognouit à
Deo fuiſſe ei ſuggeſtum, vt hoc faceret. Nihil enim, niſi mors, eos ſeparaſſet. Fortaſſe autem ne ea quidem. Etenim in
hoc

Digitized by Google

hoc quoq; Deum ſæpe rogauerant, vt eos duos ſimul acciperet, & credebant fore, vt in hoc quoq;, ſicut in cæteris omnibus, Dominus eos exaudiret. Itaq; ei dicit: Vide, Simeon, ne forte diabolus te velit illudere. Ille autem ei dixit: Tu vide ſolummodo, ne mei obliuiſcaris in tua oratione, ſicut nec ego tui. Nam & Deus, & preces tuæ mihi dant ſalutem. Rurſus ergo cœpit eum frater eius admonere, & dicere: Vide, frater Simeon, & caue, ne quæcunque collegit eremus, diſpergat mundus: & quantum profuit quies, tantum lædat perturbatio: & quæ attulit vigilia, ea per ſomnum perdas. Caue, frater, ne vitæ monaſticæ temperantiam corrumpas fraude rerum humanarum. Vide, ne fructum, quem percipiebas ex eo, quod carebas mulieribus, perdat, quæ cum eis futura eſt, conuerſatio. Vide, ne nihil poſſidendi virtutem, quam tibi conciliabat vita anchoretica, multæ diſpergant poſſeſſiones: ne quod corpus macerauit ieiunium, eſcæ pingue faciant. Vide, frater, ne compunctionem tuam perdas per riſum, & orationem tuam per negligentiam. Vide (rogo) ne dum tuus ridet vultus, mens vna diffundatur: ne dum manus contrectant, vna quoque contrectet anima: ne dũ os comedit, ſimul quoq; voluptate anima perfundatur: ne dũ pedes ambulant, vna quoq; indecorè ſaltet interna quies: & (vt paucis dicã) ne quæcunq; facit corpus extrinſecus, ea quoq; faciat anima intrinſecus. Sed ſi, ô frater, vires à Deo accepiſti, vide vt, quaslibet figuras, verbaq; & res corpus fecerit, immobilis & imperturbata mens maneat, & cor tuum, nec ab eis vllo modo polluatur aut lædatur. Reuera ego propter tuam lætor ſalutem, modo Deum roges, ne illic nos à nobis inuicem ſeparet. Tunc dicit ei Simeon: Ne timeas, ô frater, neque enim à me hoc volo facere, ſed Deo mihi iubente. Ex hoc quoq; cognoſces Deo gratum fuiſſe opus, quod per eius operabor auxilium, quod, antequam moriar, ad te veniam, te vocabo & ſalutabo, & paucis diebus me ſequetis. Sed ſurge, & oremus. Cumq; ſatis diu oraſſent, & ſua inuicem pectora exoſculati eſſent, & ea ſuis lachrymis irrigaſſent, eum dimiſit Abbas Iohannes, ſatis longo ſpatio eum comitatus in itinere. Neq; enim poterat in animum inducere, vt ab eo ſepararetur. Sed quando ei dixit Abbas Simeon: Frater, reuertere: perinde acſi gladius eũ ſeparaſſet ab eius corpore, hoc verbum audiit. Poſtquam ergo eum coegit Abbas Simeon, reuerſus eſt in ſuum locum lachrymis terrã irrigans.

Valedicit Iohanni Simeon, vt Dei obtemperet volun tati.

XX. Simeon autem recto curſu contendit in ſanctam Chriſti Dei noſtri ciuitatem. Valde enim, vt dicebat, ſitiebat, & vehementi ardebat deſiderio iam longo tempore fruendi ſacris locis. Cumque perueniſſent ad ſanctum & viuificum Chriſti monimentum, ſanctumq; & ſalutare, & victoria inſigne Cranium, ſuum impleuit deſiderium. Manſit autem tres dies reſidens in ſancta ciuitate, ingrediens & adorans ex omni parte veneranda loca Domini, & orans. Tota autem erat eius oratio, vt tegeretur eius operatio, donec migraret ex hac vita, vt hominum gloriam effugeret, per quam venit ad hominem ſuperbia & arrogantia, quæ etiam Angelos perdidit è cælis. Eum ergo exaudiuit is, qui dixit: Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos. Etenim cum tot fecerit miracula, totque res tam admirabiles, & quæ ſunt præter opinionem, (vt ſcietur ex ijs, quæ conſequuntur) non fuit manifeſta hominibus huius ſancti operatio. Eius enim petitio fuit veluti integumentum impoſitum cordi eorum, qui videbant, quæ ab eo fiebant, donec obdormiuit: Quemadmodum enim, niſi ita eſſet, (Dico autem, quod Deus illius beati virtutem texit ab hominibus, propter eam, quam erat ab ipſis adepturus gloriam) non euaſiſſet omnibus manifeſtus hominibus? Cum nunc quidem curaret dæmoniacos, rurſus autem res ſplendidas manu ferret: non nullis autem ſæpe futura prædiceret, & aliis, quæ diu ante de ipſo dicta fuerant, ſignificaret: varioſque ac multiplices cibos & valde delicatos in ſolitudine, cum à nemine id videretur, inferret: nonnunquam autem Hebræos quoq;, & eos, qui à fide aberrabant, conuerteret: & curaret eos, qui laborabant, alios liberaret à periculis? Sæpe autem inhoneſtas & impudicas fœminas, partim quidem ad legitimum matrimonium per ludum deducebat, partim verò vt eſſent temperantes, pecuniis venans efficiebat. Quinetiam, vt vitam exercerent monaſticam per eam, quæ ipſi inerat, puritatem compungebat. Neque vero miror, ô Chriſti amantes, ſi, cum hæc ipſe ex Deo faceret, ignotus permanſerit. Nam qui occultas ſuorum famulorum virtutes ſæpe facit manifeſtas omnibus ſua prouidentia, huius quoq; ſancti virtutes, quæ erant notæ omnibus, effecit ignotas.

Simeon cupit adire terram ſanctã.

Pſalm. 33.

Etiam inter miracula latet virtus Simeonis.

XXI. Vt ergo dictum eſt ſuperius, cum tres dies verſatus eſſet in ſanctis locis, ad Emeſinorum peruenit ciuitatem. Modus autem, quo ciuitatem ingreſſus eſt, fuit huiuſmodi: Cum inueniſſet vir inſignis in ſterquilinio, quod erat extra ciuitatem, canem mortuum, ſoluta, quam habebat ex fune, zonula, eiuſque pede alligato, eum trahebat currens, & per portam ingrediens, prope locum, vbi eſt ſchola puerorum. Cum ergo eum vidiſſent pueri, cœperunt clamare: Abbas ſtultus: & aggreſſi ſunt poſt eum currere, & ei colaphos impingere. Poſtridie autem eius diei, cum eſſet dies Dominicus, accepit nuces, & ingreſſus eſt in eccleſiam in principio officij, amputans & extinguens candelas. Poſtquam verò vt eum educerent, accurriſſent, aſcendit in ambonem, & illinc nucibus lapidabat mulieres. Cum autem eum multo labore eduxiſſent, dum egrederetur, ſubuertit libros placentariorum, qui etiam ei plagas vſque ad mortem intulere. Poſtquam ſe vidit ita confractum, dixit apud ſe: Humilis & abiecte Simeon, reuera ſic non viues in horum manibus vna hora. Dei verò prouidentia videt eum vnus, nomine Fuſcarius, (Neſciebat autem eum præ ſe ferre amentiam) & dicit ei: Vis, ô domine Abba, pro eo quod circuis, ſtare & vendere cicerem? Ille verò ei dixit. Volo. Poſtquam autem eum vno die conſtituit vt venderet, is cœpit omnia erogare hominibus, & ipſe rodere inſatiabiliter. Tota enim hebdomada nihil penitus comederat. Dicit itaque vxor Fuſcarij ſuo marito: Vnde nam nobis duxiſti hunc Abbatem? Certe ſi ſic rodit, non opus eſt, vt amplius vendamus aliquid. Comedit enim vnam amphoram lupinorum, ex quo ego in eum dirigo oculos. Neſciebant autem, quod quæcunque habebant, reliquaſque amphoras erogauerat fratribus & cæteris, nempe fabam, & lentem, & reliqua legumina: ſed putabant eum illa vendidiſſe. Poſtquam verò aperuerunt apothecam, & penu non inuenerunt, neque precium venditionis, eum verberarunt & dimiſerunt, eius quoque barbam vellentes. Cum autem veniſſet veſpera, voluit thuris ſuffitum emittere. Non enim receſſit ab eis veſpere, ſed illic dormijt extra fores. Cum verò non inueniſſet teſtam, manum ſuam immiſit in focum, eamque prunis impleuit, & ſuffumigauit:

Venit Emeſſam Simeõ.

Simulat ſe ſtultum.

Dire cæditur.

Manu ſua portat ignẽ abſque læſione.

XXII. Cvm Deus autem vellet ſaluum facere Fuſcarium, (erat enim hæreticus ex hæreſi Acephalorum Seuerianorum) vidit ipſum eius vxor manu ſuffumigantem. Ea verò obſtupefacta, dixit: Vnus Deus, ô Abba Simeon: In manu tua ſuffumigas? Poſtquam autem hoc ſenex audiuit, præ ſe tulit ſe comburi, & neſcio quæ lucida è manu ſua tranſtulit in vetus pallium, quod geſtabat, & dixit: Si nolis in manu mea, ecce in meo pallio ſuffumigo. Virtute verò Domini, qui rubum conſeruauit incombuſtum, & pueros, nec ſanctus ſenſit flammã, nec eius palliũ. Quonã modo autẽ ſalui euaſerũt Fuſcarius & eius vxor, dicetur in alio capite. Conſulto verò hoc faciebat ſanctus, vt quoties alicubi feciſſet aliquid admirabile, & præter opinionem, protinus mutaret illam viciniam, donec ea res, quam fecerat, daretur obliuioni. Studebat quoq; vt videretur protinus aliquid à ſe fieri ineptum & importunum, vt per id contegeret, quod recte geſſerat. Aliquando verò is, qui dabat lupinos in caupona, illum accepit, vt ſibi inſeruiret. Erat autem caupo immitis, adeo vt ei ſæpe ne cibum quidem daret, etiamſi multa vẽderet propter Salũ. Tanquam vero qui eſſent rei nouitate ſuſpenſi, ciues dicebant inter ſe inuicem: Eamus, bibamus, vbi eſt Salus. Ingreſſus eſt autem aliquando ſerpens, & ex vna vrna bibit vinum, & in eo virus ſuum effudit, & abiit. Non erat autem intus Abbas Simeon, ſed foris ad tympani ſtrepitum ſaltabat vna cum popularibus. Cum autem ingreſſus eſſet Sanctus, vidit vrnam, cui inſcriptum erat, ita tamen, vt non poſſet videri, Mors. Statim ergo intellexit, quidnam ei factum fuerat: ſublatoque

Exod. 3.
Dan. 3.

Hoc tamẽ caput deſideratur in hac vita.

Mire tegit ſuam ſanctitatem.

Digitized by Google

ligno eam confregit,ita vt erat plena. Eius autem dominus ex ipſius manu tollens baculum,ei incuſſit, donec illum debilitaret,& fugaret. Die verò ſequenti venit,& poſt oſtium delituit Abbas Simeon. Ecce autem ſerpens rurſus venit potum. Cumq; eum vidiſſet caupo,cepit idem lignum,volens eum occidere. Cum verò aberraſſet, percuſſit. & fregit omnes vrnas,& omnia pocula. Tunc ingreſſus eſt Salus,& dixit ei: Quid eſt ſtulte? Ecce non ſum ego ſolus, caue. Tunc ergo cognouit caupo eum propterea fregiſſe vrnam. Fuitq; ædificatus, & eum habuit pro ſancto.

XXIII. Cvm autem vellet ſanctus diſſoluere huius ædificationem,ne de ſe nimis glorioſe prædicaret, quodam die cũ eius vxor dormiret ſola,illeq; vinum venderet,ad eam acceſſit Abbas Simeon,& præ ſe tulit ſe veſtem ſuam exuere. Cum illa autem clamaſſet,ingreſſus eſt eius maritus. Illa verò dicit ei: Expelle foras hunc ſceleratiſſimum: Nam is voluit mihi vim afferre. Pugnis itaque eum contundens,eduxit eum ex officina ad glaciem. Erat enim magna hyems & pruina. Ab eo autem tempore non modo exiſtimauit caupo eum eſſe emotæ mentis, ſed &, ſi quem alium audiuiſſet dicentem: Reuera ſe talem eſſe ſimulat hic Abbas: ei ſtatim dicebat. Eſt purus dæmoniacus, modo non me fallit homo: Nam meæ quoque vxori voluit ſtuprum afferre,ſi potuiſſet: Carnes quoque rodit, tanquam qui Deũ non habeat. Carnes enim ſæpe deuorabat hic iuſtus,cum tota hebdomada pane non veſceretur. Atque eius quidem ieiunium nemo intelligebat. Ante ipſos autem carnes rodebat, vt ipſos deciperet: erat vero omnino, tanquam incorporeus: & neque reuerebatur dedecus,nec hominum,nec naturæ. Sæpe enim ventre vſum proprium requirente, ſtatim minime erubeſcens,in foro ad aliquem locum ſedebat coram omnibus,vel ex hoc volens perſuadere ſe ob id ea facere,quod ſit emotæ mentis. Nam cum (vt ſæpe dictum eſt) cuſtodiretur à virtute ſancti ſpiritûs,quæ in eo inhabitabat,inflammatione,quæ à diabolo ſuſcitatur,euaſit ſuperior, vt qui ab ea minime læderetur.

Tota hebdomada pane non veſcitur.

Vide longã inediam.

XXIV. Qvodam autem die cum eum vidiſſet maceratum, & plane conſumptum ab exercitatione (Erat enim poſt Paſcha,& omnia ſancta ieiunia ieiunauerat nihil comedens) is,quem prius memorauimus,vir bonus & pius Iohannes,qui eius quoque nobis vitam narrauit,miſeratus & admiratus inexplicabilem eius vitæ auſteritatem, etiamſi eſſet in ciuitate,& verſaretur vna cum mulieribus & hominibus,volens eius corpus veluti per ludum recreare,dicit ei: Vis venire & lauari,ô Sale? Ille verò ei dicit: Maxime: eamus,eamus. Et ſimul atque hoc dixiſſet,ſe veſte exuit & ſuo capiti imponit,eam alligans non ſecus ac lineam vittam capitis. Et autem dicit dominus Iohannes: Indue te,frater: Nam reuera ſi ſic nudus incedas,ego non ibo tecum. Dicit autem Abbas Simeon: Vade,ſtulte: ego enim ante opus, opus feci: Si vero non vis venire,ego te parum præcedam. Eoque dimiſſo,parum præceſſit. Erant autem duo lauacra ſibi inuicem propinqua,vnum virorum,& vnum mulierum. Virorum itaque lauacrum reliquit Salus, volenſque ac dedita opera profectus eſt ad lauacrum muliebre. Ei itaque clamauit dominus Iohannes: Quo vadis, Sale? Mane. Illud eſt lauacrum mulierum. Conuerſus autem vir ille admirabilis,ei dicit: Vade tu,ſtulte. Illic eſt aqua calida, & hic eſt aqua calida, & neque hic,neque illic eſt aliquid amplius. Currensque ingreſſus eſt in medium mulierum, tanquam eſſet vir inſignis quiſpiam. Omnes autem in eum fecere impetum,& eum verberantes expulerunt. Ab eo itaque eſt ſciſcitatus religioſus Diaconus, quando totam ſuam vitam ei narrauit: Dic propter Dominum, Pater: Quomodo te affectum ſenſiſti, quando es ingreſſus lauacrum muliebre? Is verò ei dixit: Crede mihi, fili, vt lignum cum lignis,ſic ego quoque tunc eram. Neque enim quod corpus ferrem, neque quod ad corpora ingreſſus eſſem,ſentiebam: ſed tota mens mea erat in opere Domini,& ab eo non deſiſtebam. Nam res quidem nonnullas faciebat hic iuſtus propter hominum ſalutem,&,qua mouebatur,commiſerationem. Nonnullas verò,vt eius ſtudia & vitæ,quam degebat,opera contegerentur.

Intrat balneum mulierum, nec tentatur.

O virum admirabilem

XXV Rvrsvs aliquando fuerunt extra portam pueri currentes certo genere curſus, qui vocabatur Lyſoporta. Ex quibus vnus erat filius domini Iohannis Diaconi amici ſui,qui paucis ante diebus cum muliere, quæ iuncta erat matrimonio,habuerat ſtupri conſuetudinem. Dumque is è domo eius egrederetur,nemine eum vidente, cœpit vexari à dæmone. Voluit ergo hic ſanctus ſimul eum caſtigare & ſanare,dicitque ijs,qui currebant: Certe niſi ego quoque vobiſcum ludam,non ſinam vos currere. Et cœpit lapides in eos iacere. Voluerunt ergo eum accipere in ea parte, in qua is currebat,quem erat curaturus. Cum id autem vidiſſet Abbas Simeon,magis abiit in partem contrariam. Sciebat enim,quidnam eſſet facturus. Cum autem cœpiſſent currere,velociter vadit ſanctus ad puerum, quem dæmon inuaſerat. Cumq; ad eum veniſſet,nemine animaduertente, eum percutit in maxilla,& dicit: Noli amplius mœchari, ô infelix,& dæmon ad te minime accedet. Statim verò eum fregit & deiecit dæmon, omneſq; ad eum conuenerunt. Cum ergo hic iaceret ſpumans; videt is,qui laborabat,Salum ab eo tempore perſequentem canem nigrum, & eum verberantem cruce lignea. Ad ſe autem poſt multas horas reuerſus,interrogatus eſt, quidnam ſibi accidiſſet: &,hoc ſolo excepto,nihil poterat dicere: Dixit mihi,neſcio quis: Noli amplius fornicari. Cum vero Abbas Simeon fuiſſet in pace conſummatus,veluti ad ſe rediit,& rem omnibus ſingulatim expoſuit.

Eiicit dæmonem.

XXVI. Mimi quandoque ſpectacula exhibebant in theatro. Erat autem ex eis vnus Pſephas nomine. Cum vero vellet hic vir iuſtus à tali malo eum reprimere ac reſcindere, (Habebat enim hic, qui dicebatur Pſephas, quædam bona opera) non dedignatus eſt venire: & ſtetit in ſcena, vbi agebant Mimi. Cumque vidiſſet Pſepham incepiſſe facere res nefarias, iecit in eum lapidem paruum admodum, facto in eo ſigno Crucis, & percuſſit dexteram volam manus Pſephæ, eamque exiccauit. Nemo autem animaduertit, quiſnam iecerit lapidem. Ei vero noctu in ſomnis hic ſanctus apparet, & dicit ipſi: Ego te reuera ſum aſſecutus,& niſi iuraueris, fore vt hoc vitæ inſtitutum non amplius exerceas, minime ſanaberis. Iurauit ergo ei per virginem Deiparam, ſe non amplius ad tale ludicrum agendum eſſe venturum. Cumque ſurrexiſſet, manum ſuam inuenit ſanam. Narrauitque omnia, quæ à ſe viſa fuerant, niſi quod fuiſſe Salum, qui ei apparuerat in ſomnis, non poterat dicere. Hoc autem ſolum dixit: Neſcio quis Monachus ferens coronam ex ramis palmarum, hæc mihi dixit.

Mimũ miro modo curat in vtroque homine.

XXVII Cvm eſſet aliquando ciuitatem magnus inuaſurus terræmotus, quo tempore cecidit Antiochia, tẽpore Mauritij Imperatoris, (tunc enim in orbem terræ habitabilem venit hic ſanctus è ſolitudine) arripuit lorum è ſchola, & cœpit verberare columnas, & dicere vnicuique: Dixit Dominus tuus: Sta. Cumque veniſſet terræmotus, nulla ex ijs columnis, quas verberauit, cecidit. Porro autem venit ad vnam quoque columnam, & dicit ei: Tu vero neque cadas, neque ſtes, & fiſſa eſt à ſuperiori parte vſque ad infimam, parumq; inclinata eſt, & ſic manſit. Nemo autem intellexit id, quod beatus hic fecerat: ſed dicebant omnes, eum præ dementia verberaſſe columnas. Par verò erat glorificare, & admirari Deum, quod per quas figuras quidam exiſtimabant eum ſe ſtolide & petulanter gerere, per eas ſæpe oſtenderit res plane admirabiles, & quæ ſunt præter opinionem. Cum enim aliquando peſtis eſſet aggreſſura ciuitatem, veniens in omnes ſcholas, cœpit ſalutare pueros, dicens vnicuique illorum, quos ſalutabat, tanquam ridicule: Vade pulchre, ô mi pulcher. Non omnes autem ſalutauit, ſed quos ei Dei gratia ſignificauit. Dicebat Magiſtro vniuſcuiuſque ſcholæ: Propter Deum ſtulte, ne cædas pueros, quos diligo. Sunt enim magnum iter abituri. Magiſter autem eum ludificans, aliquando verberabat, aliquando vero pueris annuebat, vt ei inſultarent. Et eum inſectabantur. Cum autem veniſſet peſtis, nemo remanſit ex ijs, quos ſalutauit Abbas Simeon: ſed mortui ſunt omnes.

Attende ſtupendum miraculum

XXVIII. Fvit vero hæc quoque huius ſancti conſuetudo, aſcendere in domos diuitũ, & ludere: ſæpe autem etiam ſimulare, ſe eorum ancillas deoſculari. Quodam vero die accidit, vt cum quidam ex populo prægnantem reddidiſſet vnã

ancillam

Digitized by Google

ancillam vnius ex illuſtribus, nec vellet ancilla dicere, quiſnam eſſet, qui ei ſtuprum attuliſſet: poſtquam eam rogauit eius domina, quis eam vitiaſſet, illa dixit: mihi vim attulit Salus Simeon. Cum is ergo pro more domum veniſſet, dicit ei domina puellæ: Bene habet Abbas Simeon: vitium attuliſti, & ancillam meam ſtupraſti. Ille autem ſtatim ridens, & in manuum dexteram ſuum caput inclinans, ei dixit, ſimul ſuos quinque colligens digito: Sine, ſine, miſera: ea tibi modo pariet, & paruum habebis Simeonem. Donec ergo venit dies eius, manſit Abbas Simeon ad eam afferens panes ſiligineos, carneſque & obſonia: eique dicebat: Comede, vxor mea. Quando autem venit tempus, & hora pariendi, tres dies vel vſque ad mortem vehementes ſenſit dolores. Dicit ergo eius domina Salo: Ora Abba Simeon. nam vxor tua non poteſt parere. Ille vero ei dicit tripudians: Non per Ieſum, non per Ieſum, miſera. Non prius illinc egredietur infans, quam dixerit, quiſnam ſit pater eius. Poſtquam ergo hoc audiuit, quæ erat in periculo, dixit: Ego hoc in eum confinxi. Non eſt eius, ſed eſt N. ex populo. Tunc ergo ſtatim peperit. Cumque omnes eſſent admirati, qui in illa quidem domo habitabant, partim eum habere pro ſancto, partim vero dixerunt eum diuinare ex Satana, quandoquidem eſt plane ſtultus.

Libenter patitur ſibi ſtuprum affingi.

XXIX Cvm autem duo quidam Patres tunc in quodam monaſterio prope Emeſam inter ſe quærerent & perſcrutarentur, Cur cecidiſſet Origenes hæreticus, qui tanto ingenio & tanta ſapientia à Deo fuerat ornatus: & vnus quidem diceret, non fuiſſe à Deo eam, quæ ei aderat, ſcientiam, ſed fuiſſe quoddam donum naturæ & * dexteri ingenij: Nam cum in lectione diuinæ ſcripturæ & ſanctis Patribus maximè eſſet verſatus, acuit ingenium, & ideo ſuos libros conſcripſit: Alter verò contra diceret, neminem ex dono naturæ poſſe tales, quales ille edidit, habere orationes, & maximè eas, quæ ſunt de iis, quæ dicuntur Hexapla. Quocirca ea vel in hodiernum diem ſuſcipit eccleſia, tanquam neceſſaria. Cum ille autem rurſus reſponderet: Crede mihi, ſunt gentiles, qui eo maiorem habuêre ſapientiam, & qui eo plures libros conſcripſere. Quid ergo? Oportetne eos laudare propter verboſas eorum nugas? Cùm (inquam) non potuiſſent conuenire, tandem dicit vnus alteri: Audimus ex iis, qui veniunt ex ſanctis locis, eſſe magnos monachos in ſolitudine Iordanis: eamus, & hoc diſcamus ex ipſis. Cum itaque ad ſancta loca veniſſent, & oràſſent, veniunt etiam in mortui maris ſolitudinem, in quam ſeceſſerant ſemper memorandi Iohannes & Simeon. Cum ergo feciſſet Deus, vt eum laborem non fruſtra ſuſciperent, inuenerunt Abbatem Iohannem, qui ipſe quoque ad perfectam iam menſuram peruenerat. Poſtquam enim eos vidit, dixit: Bene venerunt, qui mare reliquerunt, & in ſiccum lacum venerunt ad hauriendum. Cum longa ergo piaque ac religioſa inter eos fuiſſet congreſſio, dicunt ei, quanam de cauſa tantum iter confecerant. Is verò dicit eis: Nondum, Patres, accepi donum diſcretionis iudiciorum Dei: ſed abite ad Salum Simeonem, qui eſt in veſtra regione. Ipſe vobis poteſt & hoc, & omnia, quæ vultis, ſoluere, ei dicentes: Precare etiam pro Iohanne, vt illi quoque decem ſorte contingant.

Cur lapſus ſit Origenes.

*dexteritatem.

Conſulunt ſapientes ſuper hac quæſtione Abbatem Iohannem.

XXX. Postqvam autem venerunt Emeſam, & rogarunt, vbinam eſſet ille Simeon, qui dicitur Salus, omnes eos irridebant, & dicebant: Quid ex eo vultis, Patres? Eſt homo amens, qui omnes vexat & ſubſannat, & maximè Monachos. Cum ij autem, qui quærebant, inueniſſent eum apud Fuſcarium rodentem lupinos, tanquam viſum, vnus ex iis ſtatim paſſus eſt ſcandalum, & dixit apud ſe: Venimus ad videndum virum magna cognitione præditum: Is poteſt multa nobis dicere? Poſtquam ergo appropinquarunt, dicunt ei: Benedic. Ille vero eis dicit: Male veniſtis, & qui vos miſit, ſtultus. Apprehenſa ergo auricula eius, qui ſcandalum paſſus fuerat, impegit ei talem alapam, vt pluſquam tres dies ſignum apparuerit, & dicit: Cur vituperas lupinos? Ij fuerunt madefacti quadraginta diebus. Origenes autem ex eis non comedit, quoniam mare ſubiit, & non potuit egredi, & fuit ſuffocatus in profundo. Iis ergo obſtupefactis, quod eis omnia prædixiſſet, quin hoc etiam, quod decem velit Salus, ſed eſt ſtultus, vobis ſimilis: Accipitisne, ait, plagam in cruce? Certè, certè abite. Statimque ſublata olla, in qua erat leuis veſica, vſſit eos duos in labiis, ne quid poſſent dicere, quod eis dixiſſet.

Simeonis de Origene ſententia.

XXXI. Cvm autem quodam die eſſet in officina, in qua erant veſicæ, accepit calamum, & cœpit tibia canere in quodã anguſto vico, vbi erat ſpiritus immundus. Canebat autem tibia, & dicebat orationem magni Niconis, vt ex eo loco effugaret ſpiritum. Multos enim vexauerat. Poſtquam ergo fugit dæmonium, tranſiit tanquam Æthiops per veſicatum officinam, & confregit omnia. Reuerſus ergo ille admirabilis, dicit dominæ: Quis hæc fregit? Illa autem dixit: Vnus Mauritanus ſceleratus venit, & omnia contriuit. Is verò dicit ridens: Pumilio, pumilio. Illa verò dicit: Certe Sale. Ille autem dicit: Reuera ego eum miſi, vt omnia confringeret. Poſtquam autem illa hæc audiuit, voluit eum verberare. Ille vero ſe incuruans, & puluerem tollens proiecit, & oculos eius ſanctus obſcurauit, & dixit: Reuera non me apprehendes: ſed aut in Eccleſia mecum communicabis, aut Mauritanus confringet omnia. Erat enim ex hæreſi Acephalorum. Poſtquam ergo receſſit ab ea, ecce cras, eadem hora venit Maurus, & rurſus confregit omnia iam apertè, vt videretur oculis. Vires itaque ſumpſerunt Orthodoxi, vt qui Simeonem haberent Dei famulum: de eo autem nemini audentes dicere, quamuis quotidie tranſiret Salus, & eos irrideret. Quidam autem ex iis, qui præerant officinis ciuitatis, voluit eum publicare, cognoſcens eius virtutem. Semel enim vidit, cum lauaretur, duos Angelos, qui cum eo conuerſabantur. Erat autem is, qui præerat officinæ, Hebræus, & Chriſtum ſæpe blaſphemabat. Apparet ergo ei in ſomnis hic Sanctus, dicens, vt nemini diceret, quod viderat. Manè ergo voluit de eo triumphum agere, & eum traducere. Protinus autem adſtans Sanctus, eius labra attigit & compreſſit, nec potuit vllum alloqui. Venit autem ad Salum, & ei manu annuit, vt faceret eum loqui. Simulabat verò Abbas Simeon amentiam, & ei contrà annuebat, tanquam ſtultus. Ei autem annuebat, vt ſe ſignaret, licebatque vtroſque videre inter ſe annuentes terribili ſpectaculo. Ei ergo rurſus apparet in ſomnis ſenex, dicens: Aut baptizare, aut eris mutus. Atque tunc quidem non induxit in animum, vt ei crederet. Poſtremo verò, quando mortuus fuit Abbas Simeon, & ſe vidit adductum in anguſtias, maxime autem dum eius transferrentur reliquiæ, tũc ipſe baptizatus fuit, & eius domus: & cum primum aſcendit è ſacro lauacro, eſt locutus. Faciebat autem Sali quotannis commemorationem, & inuitabat pauperes.

Hæreſis Acephalorum.

XXXII. Ad eum autem puritatis & impatibilitatis modum proceſſerat hic ſanctus, vt ipſe ſederet, & choreas duceret, hinc vnam tenens ſcenicam fœminam, & illinc alteram: & in medio totius populi verſaretur, & luderet: adeo vt impudicæ mulieres in eius ſinum ſæpè manus iniicerent, eumque irritarent & titillarent. Hic autem ſenex, non ſecus atque aurum purum, nequaquam ab eis polluebatur. Nam quando inflammationem bellumque ſenſit in ſolitudine, Deum orauit, (vt dicebat) & magnum Niconem, vt magno fornicationis bello eum leuaret. Semel verò vidit egregium illum virum ad ſe venientem, & dicentem: Quomodo te habes, frater? Dixit autem ei, inquit: Male, niſi tu ſuccurreris: Caro enim mea laſciuit, neſcio quarè. Subridens ergo, inquit, admirabilis ille Nicon, ſuſtulit aquam ex ſancto Iordane, & iecit ſubter vmbilicum, cum venerandæ Crucis eum figura ſignâſſet, & dixit ei: Eccè ſanus factus es. Ab eo ergo tempore (vt iurabat) nec vigilans ſenſit inflammationem corporis. Quocirca vel maximè confidens vir ille præclarus, in mundum eſt reuerſus, volens eorum miſereri, & ſeruare illos, qui bello oppugnabantur. Dicebat autem etiam nonnunquam alicui meretrici: Viſnè te habeam amicam, & dabo tibi centum aſſes? Multæ itaque ei vel lubenter credebant. Oſtendebat autem eis etiam theſaurum. Habebat enim quæcunque volebat, vtpotè quod Deus, etſi non paterent oculis, omnia ſuppeditaret, propter diuinum eius ſcopum & inſtitutum: Et deinde iuſiurandum exigebat ab ea, quæ accipiebat, eam id non eſſe inſtimaturam.

Libido omnis prorſus extincta in S. Simeone.

Apparet ei S. Nicon Abbas.

Vide qua aſtutia vir Dei lucrifecerit animas.

Digitized by Google

OMNIA autem faciebat ſtultis quibuſdam figuris & indecoris. Sed non poteſt oratio rerum oſtendere ſimilitudi- XXXIII
nem. Se enim aliquando fingebat claudicare, aliquando ſaltare, aliquando ſedentem trahi, aliquando verò currenti ali-
cui pedem iniicere, & eum deiicere. Aliquando cum Luna orittetur, in terra deuolui, & eã pulſare pedibus. Aliquando au-
tem ſimulabat loqui temerè. Dicebat enim talem figuram ac ſpeciem magis conferre ac conducere iis, qui propter Chri-

Spiritu ſentit lapſas meretrices poſt reſipiſcentiam.

ſtum ſimulant ſtultitiam. Per eam enim ſæpè peccata arguit & repreſſit, & iram in aliquem immiſit, vt ſe corrigeret: &
quædam prædixit, & fecit quæcunque voluit. Quæcunque vero faceret, eum habebant tanquam vnum ex iis, qui lo-
quuntur & futura prædicunt, afflari à dæmonibus. Si quando autem tranſgreſſa eſſet vna ex iis, quæ eius reputaban-
tur amicæ, ſtatim ſpiritu intelligebat eam eſſe fornicatam, dicebatque loquens, & os ſuum aperiens, & clamans: Da da ei
ſancta: & vel precabatur vt ad eam veniret infirmitas vſque ad mortem, vel ſæpe, ſi perſeuerabat ſe impudice gerere, ad
eam immittebat dæmonem. Tandem itaque effecit, vt omnes, quæ ſe ei dederant, pudicè viuerent, & minime tranſ-
grederentur.

ERAT autem prope Emeſam manens quidam Protocomes: qui cum audiiſſet eius vitam, dixit : Crede mihi, ſi XXXIV.
eum videro, ſciam an ſe ſtultum ſimulet, an ſit reuerà ſtultus. Cum itaque veniſſet in ciuitatem, offendit forte fortuna,
quod vna ex iis, quæ eius curam gerebat, eum portabat, & altera eum cædebat loris. Statim autem fuit offenſus Proto-
comes, & apud ſe cogitauit & dixit Syriacè : Nunquid ipſe ſatanas non credit hunc Pſeudoabbatem cum eis fornicari?
Eis itaque ſtatim relictis, venit Salus ad Protocomitem, qui ab eo aberat ad iactum vnius lapidis. Incuſſit autem ei co-
laphum, & aperuit ſuas veſtes, & ei dixit ſaltans: Hic lude, ô infelix: Non eſt enim hîc dolus. Ille itaque cognouit eum in-
tellexiſſe, quidnam corde ſuo agitâſſet, miratuſque eum rem cœpiſſet dicere alicui, vincta fuit eius lingua, nec potuit e-

Mira eius inedia tota ſancta Quadrageſima.

loqui. Donum quoque continentiæ habuit ſupra multos ſanctos. Quando enim veniebat ſancta Quadrageſima ſan-
ctorum ieiuniorum, nihil comedebat vſque ad ſanctam quintam feriam. Statim autem mane ſanctæ quintæ feriæ, ſede-
bat in Nitra, rodens adeo, vt qui eum videbant, offenderentur, dicentes : Ne ſanctam quidem ieiunat quintam feriam.
Dominus autem Iohannes Diaconus nouit eſſe ſanctam eius operationem. Cum verò ſancta quinta feria vidiſſet eum
ſedentem in Nitra, & mane rodentem *, dicit ei: Quanti hoc, Sale? Ille quoque ei dicit, eum manutenens · Quadraginta
nummis conſtitit hoc eſculentum, ô ſtolide, per hoc ſignificans, ſe veſci poſt quadraginta dies.

RVRSVS verò verſabatur dæmon in quodam compito ciuitatis. Quodam autem die eum vidit hic ſanctus tran- XXXV.
ſiens, volentem pulſare aliquem ex iis, qui præteribant. Sumptiſque in ſinum lapidibus, cœpit eos huc & illuc in fo-
rum iacere: & prohibebat omnes, qui volebant tranſire. Interea tranſiit canis & eum percuſſit dæmon, cœpitque ſpu-
mare. Tunc ſanctus dicit omnibus: Tranſite modò, ſtolidi. Sciebat enim vir ſapientiſſimus, quod ſi homo tranſiiſſet,

Scopus ſapientiſſimi Sali.

eum dæmon erat pulſaturus pro cane: & ideo aliquantiſper prohibuit, ne tranſirent. Totus ergo (vt iam prius dictum
eſt) ſapientiſſimi huius viri ſcopus hic fuit, primum quidem vt ſeruaret animas, ſiue per aliquas rationes, quas per riſum,
& veluti ex inſidiis ad eas tranſmittebat: ſiue rurſus per miracula, quæ ita faciebat, vt non intelligeretur : ſiue per præce-
pta, quæ ſtultitiam præ ſe ferens dicebat : deinde ne cognoſceretur eius virtus, & laudem & honorem acciperet ab ho-
minibus.

NAM cum quodam die chorum ducerent puellæ, & referrent in catalogum eos, qui erant luſuri, viſum eſt ei tran- XXXVI.
ſire per illum vicum. Poſtquam autem eum viderunt, cœperunt eum referre in catalogum eorum, qui erant luſuri calcu-
lis. Cum ergo oraſſet hic iuſtus, volens eas caſtigare, eas omnes effecit ſtrabas. Cumque cœpiſſent inter ſe inuicem
narrare malum, quod ſibi acciderat, cognouerunt quod ipſe eas feciſſet ſtrabas : ipſumque inſectabantur, poſt ipſum
flentes & clamantes: Solue, Sale, ſolue. Putabant enim eum ipſas ſtrabas feciſſe incantatione. Poſtquam autem ad
eum peruenerunt, ipſum vi tenuerunt, & adiurârunt, vt ſolueret, quod ligârat. Eis itaque dicit ludens: Quæcunque vult
ex vobis eſſe ſana, oſculabor eius oculum, qui factus eſt ſtrabus, & ſanabitur. Quotquot ergo voluit Deus eſſe ſanas,
eæ, vt dixit ſanctus, id permiſerunt. Reliquæ autem, quæ non permiſerunt, vt eas oſcularetur, eæ manſerunt ſic flentes.
Poſtquam verò ipſe parum ab eis receſſiſſet, cœperunt reliquæ quoque ipſum inſectari, & clamare : Mane, Sale, mane,
per Deum mane, & nos quoque oſculare. Licebat ergo ſenem currentem videre & poſt ipſum adoleſcentulas. Et alij
quidem dicebant: Ludunt cum ipſo: alij autem putabant puellas quoque eſſe infatuatas. Sicque perpetuo manſerunt in-

Iſte Iohannes alius fuit ab eo, qui cum Simeone ingreſſus eſt ſolitudinem.

curatæ. Dicebat enim ſanctus: Niſi Deus eas feciſſet ſtrabas ſuperâſſent omnes mulieres Syriæ petulantia & impudicitia:
ſed propter morbum oculorum ablata ſunt ab eis multa mala. Semel eum vocauit ad prandium dominus Iohannes a-
micus eius: eratque lardum illic ſuſpenſum. Cœpit autem ſcindere, & rodere lardum crudum Abbas Simeon. Sapientiſ-
ſimus aut Iohannes, nolens ei aliquid dicere cum clamore, ad eum accedens, dixit ei in aurem: Reuera non me ſcandali-
zas, ſi ex camino crudum comedas. Fac deinceps, ſi quid velis. Nouerat enim Sali virtutem, quoniam ipſe quoque erat
homo ſpiritalis.

VENERVNT aliquando tempore Paſchali Emeſeni quidam in ſanctam ciuitatem, vt feſtum celebrarent. Ex qui- XXXVII.
bus vnus deſcendit ad ſanctum Iordanem, vt oraret: & partes circumiens, petebat benedictionem. Accidit autem, vt Ab-
bas quoque Iohannes frater Abbatis Simeonis, Dei prouidentia huic negociatori occurreret in ſolitudine. Cum eum
autem vidiſſet negociator, humi procubuit, ab eo petens orationem. Dicit ei Abbas Iohannes: Cuiaſnam es? Ille verò di-
cit ei: Sum Emeſenus, Pater. Tunc ei reſpondit: Et cum illic habeas Abbatem Simeonem, qui dicitur Salus, à me humili
& abiecto quid petis? Nam & ego illius precibus egeo, & totus mundus Duxit itaque Abbas Iohannes negociatorem in
ſuam ſpeluncam, eique appoſuit lautam cœnam. Diuinitus enim inuenti ſunt in illa ſicca ſolitudine mundi panes ſiligi-

Diuinitus cibus & potus Abbati Iohãni paratus.

nei, & lautum obſonium, & vinum optimum, & pocula vitrea. Poſtquam ergo comediſſent, & eſſent exatiati, dat ei tres
eulogias, quæ ſimiliter factæ erant diuinitus, & dicit : Da Salo, & dic ei meo nomine: Propter Dominum ora pro fratre
tuo Iohanne. Veritate ergo Domini ferente teſtimonium, poſtquam Emeſam venit negociator, in porta ciuitatis ei oc-
currit Abbas Simeon, dicens: Quid eſt ſtolide? Quomodo ſe habet ille fatuus tui ſimilis Iohannes ? Non comediſti eu-
logias, quas dedit tibi: Reuerà, reuera ſi tres illas comediſſes, malè eas concoxiſſes. Ille autem obſtupuit, cum audiuiſſet

Nota rem miram.

ab eo omnia, q̃ ipſe volebat ei dicere Statim ergo eum duxit Salus in ſuum tugurium. Affirmabat autẽ negociator, ſic di-
cens. Omnia mihi citra vllum diſcrimen hîc quoque ſic appoſuit, ſicut Abbas Iohannes, vſque ad ipſam poculi magni-
tudinem, quam vidi in ſpelunca eius. Et poſtquam comedimus, dedi ei tres eulogias: & receſſi in domum meam, eru-
beſcens de ipſo aliquid vnquam dicere alicui: quoniam omnes pro certo habebant eum eſſe fatuum.

DIXIMVS ſuperius, eum feciſſe aliquod miraculum in virum pium & Dei amantem, qui eius quoque vitam no- XXXVIII.
bis expoſuit. Factum eſt autem hoc modo miraculum: Malefici quidam fecêre cædem : acceptumque corpus per fe-
neſtram proiecêre in domum prius dicti viri maxime pij & Dei amantiſſimi. Cum itaque non paruus exortus eſſet tu-
multus, res delata eſt ad Magiſtratum. Is verò tulit ſententiam, vt in furca ſuſpenderetur dominus Iohannes. Cum
ergo abiret ad mortem, nihil apud ſe dicebat aliud, niſi: Deus Sali, adſis mihi in hac hora. Cum Deus autem vellet eum
ſeruare ex tali ſycophantia, venit quidam, & dicit Abbati Simeoni : O miſer, ille tuus amicus dominus Iohannes
ducitur ad furcam. Certe ſi moriatur, tu fame morieris. Nam nemo tuî curam gerit vt ille. Dicit verò ei
quoque, quemadmodum ſit contextum crimen cædis. Cum ſe itaque tanquam ſtultum geſſiſſet Abbas Simeon, dimiſit
eum,

Digitized by Google

eum, qui hoc illi dixerat, & ſeceſſit in locum occultum, vbi ſemper orabat: quem nemo ſciebat, niſi amicus eius, pius & Dei amans Iohannes. Flexiſque genibus Deum rogauit, vt ipſe liberaretur à tali periculo. Cumque ij, qui eum eduxerant ad ſuſpendium, perueniſſent ad locum, vbi erant poſituri eius furcam, ecce accurrunt equites & dicunt, vt is ſoluatur: quoniam inuenti erant, qui cædem reuera fecerant. Abſolutus itaque, recta cucurrit ad locum, vbi ſciebat Abbatem Simeonẽ ſemper orare. Cumq; eum vidiſſet procùl manus ad cęlum extendentem, extimuit. Iurabat n. ſe vidiſſe globos igneos, ab ipſo in cælum aſcendentes, & circa eum in orbem tanquam clibanum ardentem, adeo vt non appropinquârit, donec perfeciſſet orationem. Cum is autem conuerſus eum vidiſſet, ei dixit: Quid eſt Diacone Iohannes: præter dimenſum bibiſti? Sed vade, ora. Hæc autem tibi accidit tentatio, quoniam venerunt ad te duo pauperes: Cumque tibi ſuppeteret, quod eis dares, eos es auerſatus. Non enim tua ſunt, quæ das, ô frater. An non credis ei, qui dixit, illum qui elargitur, eſſe centuplum accepturum in hac vita, & in futura poſſeſſurum eſſe vitam æternam? Atque ſi credis quidem, da. Si autem non das, manifeſtum eſt te Domino non credere. Ecce verba Sali, id eſt, fatui, vel ſapientis potius ſancti. Nam apud hunc quidem Dominum Iohannem, quando erant ij duo ſoli, nihil faciebat, quod eſſet fatui: ſed tam moderatè & cum tanta compunctione cum eo loquebatur, vt ſæpe ſuauis odor exiret ex eius ore, vt affirmabat hic dominus Iohannes. Quocirca vix credebat illum eundem eſſe, qui paulo ante erat Salus, id eſt fatuus. In alios autem omnes ſe gerebat aliter.

Nota vim preců eius, quibus Iohannẽ liberat a ſuſpendio.

Nota Dei iudicium.

Matth. 19.

XXXIX. NONNVNQVAM autem cum dies ſanctus veniret Dominicus, ipſe accipiebat ſeriem farciminum, & ea ferebat tanquam orarium: manu quoque ſiniſtra tenebat ſinapium: & ſic orto manè tingebat & rodebat: nonnullorum quoque ora ſinapio inungebat ex iis, qui cum eo veniebant. Cum itaque ad eum veniſſet quidam ruſticus, vt cum ipſo luderet, vterque autem eius oculus aſpera laboraret albugine, is illius oculos inunxit ſinapio. Cum is autem dolorem ſenſiſſet vſque ad mortem, ei dixit Simeon: Vade, ſtulte, lauare in aceto, & in allio: & ſtatim eris ſanus. Ille verò tanquam exiſtimans ſe aliquid poſſe efficere, recta vadit ad medicos, & fuit magis excæcatus. Tanquam ergo furore percitus, iurat Syriacè: Per Deum cæli, etiamſi meos ſtatim oporteat exilire oculos, cum fecero quod mihi Salus dixit, tamen id faciam. Cum ipſe autem oculos lauiſſet, vt ei dixerat, fuerunt ſtatim ſani eius oculi, & ita mundi, & quando natus eſt, adeò vt ipſe Deum glorificaret. Tunc ei Salus occurrens, dicit ei: Ecce ſanus es, fatue: noli amplius furari capellas vicini.

Vide miraculum.

XL CVIDAM exactori furto ſurrepti ſunt nummi quingenti. Cumque is eos quæreret, occurrit ei Abbas Simeon. Cumque ſe vellet conuertere, dixit ei: Potes aliquid facere, ô fatue, vt mei nummi inueniantur? Ille autem dicit ei: Certè, ſi velis. Ille vero ei dixit: Fac, & ſi inuenti fuerint, do tibi decem. Dicit ei Salus: Si quid tibi dixero, fac, & hac nocte eos inuenies in tuo armario. Ei ergo dato iureiurando eſt pollicitus, quod ſi quid diceret, eum audiret, modò ne aliquid diceret importunum. Is autem rurſus ei dicit: Abi, nummos tuos ſeruus Epicernes abſtulit. Sed age promitte mihi fore, vt neque ipſum, neque vllum è domo tua cædas. Eos enim cædebat acerrimè. Ille autem exiſtimabat eum dixiſſe, neminem eſſe cædendum pro nummis: Abbas verò Simeon dixit ei, vt neminem vnquam cæderet. Ei ergo promiſit cum ſacramento formidabili, ſe nullum eſſe cæſurum. Abiens ergo, ſeruum minime repugnantem prehendit, & pecuniæ ſummam ab eo accepit. Accidit autem, vt cum ab eo tempore vellet aliquem cædere, non potuerit: ſed eius manus ſtatim emarcuerit. Quod quidẽ agnoſcens, dicebat: Reuerà hoc ego Salo acceptũ fero: iuitq; ad eum, & dixit: Sale ſolue iuſiurandum. Ille autem ſtatim ſtultũ agebat, vt neſciret quidem, quid diceret. Cum verò pergeret ei exhibere moleſtiã, ei apparet in ſomnis, & dicit ei: Ego verò ſoluam tuum iuſiurandum, & tuum promiſſum, idque diſſipabo. Cur te turpiter & indecorè geris? Quid vis tuos cædere conſeruos, qui in futuro ſæculo te præcedent? Poſtquam ergo hæc vidit, quieuit in poſterum. Eorum autem, qui vexabantur à dæmone, miſerabatur ſupra omnem naturam. Recedens itaque, multis modis ſe faciebat tanquam vnum ex ipſis: & cum eis degens, multos ex ipſis curauit ſua oratione, adeo vt quidam dæmoniaci murmurarent, & dicerent: O violente Sale, totum mundum irrides, & veniſti prope nos, vt nos vexares. Recede hinc: non es ex nobis. Quid nos totam noctem torques & vris? Cum ergo illic eſſet ſanctus, multos ipſe quoque, tanquam ex ſancto ſpiritu loquens, conuicit, alios quidem eſſe ſuffuratos, alios verò eſſe ſcortatos: alios clamans reprehendebat, vt qui non frequenter communicarent: & alios arguebat, vt periuros: adeo vt vel hac ratione totam ferè ciuitatem à peccato reprimeret.

Vide aliud miraculum.

Sũma eius erga dæmoniacos cõmiſeratio.

Magnos fructus facit.

XLI. ERAT autem illo tempore quædam mulier diuinatrix, quæ faciebat amuleta, & vtebatur incantationibus. Hanc conabatur hic vir iuſtus parare ſibi amicam, dans ei ea, quæ colligebat ex iis, qui ei dabant, ſiue eſcam, ſiue pultem, ſiue etiam veſtes. Itaque quodam die dicit ei: Vis faciam tibi amuletum, vt nunquam ſit tibi lema in oculo? Illa verò dicit ei: Certè Sale, reputans quod etſi ſit fatuus id forte poſſit præſtare. Abiens itaque ſcripſit in tabella Syriace: Deus te faciet ceſſare & deſiſtere ab auertendis ab ipſo ad te hominibus. Dedit ergo ei, & ipſa geſtauit: neque potuit amplius alicui diuinare nec facere amuleta. Rurſus autẽ ſemel ſedebat cum fratribus, & ſe calefaciebat prope caminum vaſorum vitreorum opificis, Erat verò vitreorum opifex Hebræus, dixitque ludens pauperibus: Vultis faciam vos ridere: Ecce quando artifex facit poculum, faciam crucem, & franget. Poſtquam ergo ſeptem fregit ordine, cœperunt ridere pauperes, & rem ei dixerunt. Is verò illum, ira accenſus, eſt perſecutus. Poſtquam autem receſſit, clamauit, ei dicens: Reuera, Manzer, donec crucem in tua fronte feceris, contererentur omnia. Cumque rurſus tredecim alia fregiſſet ordine, compunctus eſt, fecitque Crucem in fronte, nec vllum fregit amplius. Hoc ergo modo abiit, & factus eſt Chriſtianus.

Nota vim Crucis in frõte pictæ.

XLII. CVM decem populares aliquando ſuas veſtes lauarent extra ciuitatem, ad eos accedens beatus, dicit eis: Venite, ſtulti, & faciam vobis lautum prandium. Quinque autem ex ipſis dixerunt: Scit Deus, Eamus. Reliqui vero eos prohibebant, dicentes: Certe faciet nobis prandium ex tenebris. Ipſe mendicat oſtiatim, & vndenam habebit? Vult tantum facere, vt ceſſemus. Quinque ergo ei crediderunt & abiêrunt. Is verò dicit eis: Manete hic. Et ab eis recedit tanto ſpatio, quantus eſt iactus teli ſagittarij, & ſecretè orauit. Illi autem inter ſe dicebant: Reuera ſumus illuſi. Nam vt puto, vult ad nos fœnum deferre Abbas Simeon, vt paſcamur. Ecce ergo cum hæc dicerent, viderunt eum ipſis annuentem Orauerat enim, vt prius dictum eſt, & eis menſam diuinitus parauerat. Cum ergo ad eum veniſſent, viderunt prope eum, tanquam à Deo poſitos panes ſiligineos, & placentas, & liba, & ſeſama, piſceſque & vina diuerſa, & φαθίρια & γλυκύ: & vt ſemel dicam, quæcunque habet vita opipara & delicata. Dumque ij comediſſent, dicit: Accipite, ô miſeri, etiam pro veſtris vxoribus. Quod ſi non fueritis amplius ſtulti populares, reuerà ex veſtris domibus nequaquam deficient hi panes ſiliginei, donec moriar. Dixerũt autem inter ſe, quando receſſerunt: Probemus vnam hebdomadam: & ſi non defecerint, non reuertamur amplius cum noſtris ſociis in publicum. Poſtquam ergo viderunt non defeciſſe panes ſiligineos, etiamſi ipſi ex eis in dies conſumerent, ad malum negocium non acceſſerunt amplius: ſed tres ex ipſis fuerunt etiam Monachi, compuncti propter inſtitutum vitæ Sali. Quod tamen nulli potuerunt dicere, quandiù vixit in carne Salus.

Aliud miraculum.

XLIII. QVAMNAM autem rem, & cninam maxime digno, nempe Burdonario, fecerit, par eſt mandare iis, quæ de eo fiunt, ſcriptis. Erat enim miſericors Burdonarius, & ex iis, quæ ad ipſum redibant, diſpergebat. Quodam verò die cum exiret ad affere ndum pro domo ſua, & ad vinũ emendũ, ei occurrit ille beatus, & dicit ei: Quo vadis, ſtulte? Hoc n. verbum

itidem

itidem ſemper habebat in ore. Ille autem ei dicit: Ad vinum quærendum, ô Sale. Reſpondit verò ei Abbas Simeon: Affer etiam, cum veneris, pulegium. Ex eo itaque ominatus Burdonarius, apud ſe dicebat, dum abiret: Quiſnam ſatanas ad me mane miſit hunc Abbatem, dicentem mihi, Affer ad me pulegium? Reuera malum eſt hoc vinum, & aut aceſcit, aut neſcio quid habet vitij. Cum autem reuerſus eſt, ferens admodum pulchrum vinum, præ gaudio oblitus eſt ferre pulegium. Recordatus tandem, dicit Abbati: Verè oblitus ſum ego miſer. Subridens autem Abbas, dicit ei: Abi ſolum, res enim tua eſt diſpenſata. Poſtquam autem venit, vt mutaret vtres, inuenit eos acetum, adeo vt homo timeret vel ea odorari. Tunc ergo rem intellexit, & cœpit dicere: Reuera iamiam imus ad quærendum pulegium. Properauit ergo, & venit ad Salum, & rogauit eum: (Dicebat autem intra ſe: Sicut præſtringit oculos præſtigiator, ita etiam ipſe fecit) Reſolue, inquiens, quod feciſti, Sale. Ille verò dicit ei: Quid feci? Is autem dicit: Bonum vinum emi, & inuentum eſt acetum intra duas horas. Ei verò rurſus dicit Simeon: Abi, abi, ne ſit tibi curæ. Aperi cito vtrium officinam, & tibi proderit. Erat enim ſcopus & votum ſenis, & benediceretur eius labor, quoniam erat miſericors: nolebat vero aliquid aperte facere, ſed omnia per ludum. Compunctus eſt itaque Burdonarius, & dixit: Benedictus Deus, aperio phuſcarion. Cum autem aperuiſſet, benedixit ei Deus. Sed pro quo eum Salo gratias agere oportuiſſet, pro eo ipſi magis iraſcebatur, neſciens quidnam ſibi conciliâſſet. Summa autem rei erat Deus, qui ſcopum Simeonis tegebat.

Mutat vinũ in acetũ Salus Abbas.

ÆGROTAVIT aliquando quidam ex primoribus ciuitatis. Solebat autem hic ſanctus aſcendere, & ludere in domo eius. Cumque eſſet grauatus, vidit ſe in ſomnis talis ludere cum quodam Aethiope. Is autem erat mors. Stabat ergo ægrotus, vt deiiceret: & niſi ieciſſet ter ſenionem, fuiſſet victus. In ſomnis ergo ad eum venit Abbas Simeon, & dicit: Quid eſt, ſtulte? Reuera modo te vincet hic Maurus: ſed promitte mihi te non amplius violaturũ eſſe cubile vxoris tuæ: & ego eum pro te deiiciam, & non te vincet. Cum ergo iurâſſet, qui viderat, & talos Abbati dediſſet, ille proiecit, & ceciderunt ter ſeniones. Cum autem ægrotus è ſomno eſſet excitatus, aſcendit ſtatim Salus, & dicit ei: Pulchra traiecta iecisti, ſtolide. Crede mihi, ſi tranſgreſſus fueris iuſiurandum, Maurus ille te ſuffocabit. Cumque eum & omnes eius domeſticos affeciſſet contumelia, deſcendit currens. Non habebat autem ille ſapiens aliquid in ſuo tugurio, (habebat enim tugurium, vt dormiret, vel potius vt vigilaret) niſi vnum faſcem ſarmentorum. Sæpe verò totam noctem vſque ad mane perſeuerabat in oratione, humum irrigans lachrymis, & mane egrediebatur, ſecabatque vel frondes oleæ, vel herbas, & ſibi faciebat coronam, & eam geſtabat: manu quoque tenebat ramum vnum, & clamabat: Victoriam Imperatori, & ciuitati. Dicebat autem ciuitatem quidem, animam: Imperatorem autem, rationem, quæ dominatur animi perturbationibus. Porro autem hoc quoque Sanctus à Deo petiit, ne creſceret coma capitis ſui, vel barba: ne forte dum tonderetur, planum fieret, eum agere ſtultum. Quocirca toto tempore, quo perſeuerauit in hoc vitæ inſtituto, nemo vidit, quod creuerit coma eius capitis, neque quod eam totonderit. Sæpè verò magna & vtili congreſſione vſus eſt cum domino Iohanne Diacono ſolo, & minatus eſt, fore vt ſi eius bonum, & quod ex virtute degebat, diceret vitæ inſtitutum, in magnũ tormentum incideret in futuro ſæculo. Dixit autem ei, quando totam ſuam ei narrauit vitam, nempe duobus diebus antequam ex hac vita excederet: Iui hodie ad fratrem Iohannem & inueni eum valde per Deum profeciſſe, & gauiſus ſum. Vidi enim eum geſtantem ſuam coronam, cui erat inſcriptum: Corona tolerantiæ ſolitudinis. Et rurſum ait ille benedictus: Vidi, quando huc veniſti, Iohannes, quendam mihi dicentem: Veni, veni Sale, vt feras non vnam coronam, ſed coronas animarum, quas mihi obtuliſti. Perſuaſum autem habeo, domine Archidiacone, eum nihil in me noſſe huiuſmodi, ſed hoc mihi gratis conceſſiſſe. Stultus enim homo & fatuus, qualem debet mercedem accipere? Illud rurſus te rogo, ne vllam animam, maxime autem Monachum, aut mendicum, vllo modo habeas deſpicatui. Sciat enim charitas tua, quod ſunt inter mendicos, maxime autem inter cæcos, homines, qui ſunt vt Sol nitidi & expurgati per eorum tolerantiam & afflictionem. Quot ruſticos agricolas vidi ſæpe ciuitatem ingredientes communicâſſe, qui erant auro mundiores propter eorum ſimplicitatem, & quod in ſudore vultus ſui comedant panem ſuum? Sed ne, Domine mi, propter ea, quæ apud te dicuntur, me inſimulâris, quod expoſuerim totam miſerabilis meæ vitæ negligentiam. Scias autem, fore vt Dominus te quoque breuiter aſſumat. Sed pro totis viribus curam geras tuæ animæ vt poſſis tranſmittere abſque vlla tempeſtate principes tenebrarum huius aeris. Scit enim Dominus me magno vexari metu & ſolicitudine, donec ab eorum ſæuitia fuero liberatus. Hic eſt enim dies malus, de quo dicebat Apoſtolus & Dauid. Quamobrem rogo te, fili & frater Iohannes, omni, ſi fieri poteſt, ſtudio eſto miſericors. Miſericordia enim nos tunc iuuat pluſquam omnes virtutes. Dicit enim: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Neque vnquam accedas ad ſanctum altare, habens aliquid aduerſus aliquem, ne tua iniquitas alios quoque faciat indignos aduentu ſancti ſpiritus. Hæc & alia plurima ei præcepit, ex quibus iuſſit quædam nemini vnquam dicere, propterea quod non omnes ea, quæ dicuntur, cum fide accipiant. Fac autem vt te conſoleris: Nam poſt hos tres dies aſſumit Dominus Salum hunc minimum, & Abbatem Iohannem fratrem eius. Etenim ego ipſe ad eum accedens, dixi ei: Frater, agedum eamus, eſt enim tempus. Sed poſt duos dies veni in meum tugurium, & vide quid inuenias. Volo enim, vt habeas aliquod monimentum humilis & peccatoris Sali. Cumque hæc & plura his dixiſſet, abiens, ſe recepit in ſuum tugurium. XLV.

XLIV.

In ſomnis apparet ægrotanti.

Vide eius vigilias & preces.

Miri quidã de coma eius.

Docet D. Iohannẽ Diaconum viã iuſtitiæ.

Epheſ. 6.

Epheſ. 5.

Pſalm. 40.

Prædicit obitũ ſuũ, & Abbatis Iohannis.

NVNC autem tempus vocat, ô amici, vt admirabilem eius mortem, vel ſomnum potius, vobis narrem. Nam ipſa quoque non leuem præbebit vtilitatem. Quinetiam eſt iis omnibus, quæ dicta ſunt, excellentior: quæ etiam eius vitæ, nulli labi obnoxiæ, ſignaculum fuit & confirmatio. Nam cum vir ille magnus communem horam ſenſiſſet, volens ne poſt mortem quidem humanum ferre honorem, quid facit? Ingreſſus ſubter faſcem ſarmentorum in ſacro eius tugurio, illic dormiens, in pace Domino tradidit ſpiritum. Eius ergo familiares, poſtquam eum duobus diebus non viderunt, dixerunt: Eamus, videamus, num ſit ægrotus Salus. Et inuenerunt eum iacentem mortuum ſubter faſcem ſarmentorum. Tunc dicunt: Ecce credunt omnes eum modò eſſe apud ſe. Ecce ipſa quoque mors eum alligat ad ſcalmum. Et eum portantes duo quidam, abſque eo quod eum lauiſſent, & ſine pſalmodia, & ſine cereis, & ſine ſuffumigationibus, eum ſepelierunt in ſepulcro peregrinorum. Cum autem tranſierunt per domum illius vitreorum poculorum opificis olim Hebræi, quem quidem ipſe fecerat Chriſtianum, (vt ſuperius diximus) ij, qui eum portabant, & ibant ad eum ſepeliendum, audit is, qui dictus eſt. Pſalmodiam, cuius ea erat harmonia, vt nulla vox humana eam poſſit pſallere, & tantam multitudinem vidit, quantam humanum genus non poteſt congregare. Stupefactus ille ſono numeroſæ & concinnæ vocis Angelicæ, exit foras, & videt ſanctum, qui afferebatur à duobus tantum, qui venerandum eius corpus portabant. Tunc dixit, qui numeroſum hunc cantum audierat: Beatus es, Sale, quod cum non habeas homines tibi canentes, habes cæleſtes poteſtates, quæ te hymnis honorant. Et ſtatim deſcendens, eum ſuis manibus ſepeliit: & tunc à ſe audita incorporeorum cantica narrauit omnibus. Audiuit autem hoc quoque dominus Iohannes Diaconus, & curſu etiam venit cum multis aliis in locum, vbi eſt ſepultus, volens tollere precioſas eius reliquias, vt eis honorificas faceret exequias. Cum autem aperuiſſet ſepulcrum, nequaquam eum inuenit. Eum enim glorificans, tranſtulerat Dominus. Tunc omnes veluti è ſomno fuerunt excitati, & narrauerunt inter ſe quænam vnicuique feciſſet miracula, & quod propter Deum ſe fingebat eſſe Salum, hoc eſt, ſtultum.

Feliciſſime ſub ſarmentis moritur.

Chriſtianis ſepeliendi ritus.

Angeli ad funus eius concinunt.

Abſconſum eſt corpus S. Simeonis à Domino.

HÆC eſt vita, ô Chriſti amatores, huius admirabilis Simeonis. Hæ ſunt eius, quæ ex multis collectæ ſunt, virtutes. XLVI

tes. Hic fuit eius verè occultus atque cœleſtis curſus: qui à nullo quidem videbatur, omnibus autem repentè inuentus eſt manifeſtus. Hic eſt nouus Lot, ſicut ille Sodoma, ità hic clàm mundum ingreſſus. Atque eius quidem admirabilia & maximè celebranda certamina, quantùm nos, qui nihili ſumus, præſtare potuimus, literis mandare ſtuduimus: etiamſi anteà breuiter ſcripſerimus, propterea quòd nondùm ſingulatim ad noſtram veniſſet notitiam hæc eius narratio admirabilis. Eum autem ornare encomijs, non eſt noſtræ ſcientiæ, ſed eorum, quibus illa adeſt facultas, vt dicendo poſſint eſſe pares eius virtuti. Quænam enim eum laudauerit oratio, cuius honor ſuperat orationem? aut quomodò eum laudârint labra carnea, qui in carne expers carnis apparuit? Quomodò autem linguæ ſapientia, eam quæ omnem ſapientiam obſcurauit & prudentiam, quaque ipſe Dei voluntati congruenter vtebatur, extulerit ſtultitiam? Reuerà in faciem homo, Deus verò ad cor. Reuerà non ſic videt homo, vt videt Dominus. Reuera nemo nouit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Reuerà nè ante tempus iudicemus ô Chriſti amatores, donèc venerit Dominus, & omnia illuminauerit. Quis dixiſſet, Iudam quidem corpore verſari cum diſcipulis, corde verò cum Iudæis? Quis Rahab, quæ in Hiericho corpore erat in proſtibulo, putâſſet eſſe ſpiritu in Domino? Quis Lazarum illum mendicum, qui tot affligebatur vlceribus, ſperâſſet futurum in ſinu Abrahæ in tanta felicitate? Hæc nos quoq; videntes ô dilecti, pareamus ei, qui rectè conſulit. Attende tibiipſi, & nec tuis, nec ijs, qui ſunt circa te, ſed tibiipſi ſoli, quoniam vnuſquiſq; onus ſuum portabit, & propriam mercedem accipiet à cœleſti Rege Chriſto: Cui gloria & potentia cum patre & ſancto ſpiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.

Geneſ 19. 1. Reg 17. 1. Cor 2. Rom. 14. Matth 26. Ioſue 2. Luca 16. Gal 6. 1 Cor 3.

Requieuit autem, qui Angelicam & ſupra modum admirabilem egit vitam, & qui propter Chriſtum Salus, hoc eſt, ſtultus, fuit appellatus, Simeon primo Menſis Iulij, cùm valdè coruſcâſſet in ſuis rebus, ex Deo rectè geſtis: & ſuis virtutibus adduxiſſet in admirationem etiam ſupramundanas poteſtates incorporeorum. Nunc verò ad æternam Dei & patris luminum ſedem aſſiſtens, vt qui libertatem acceperit & fiduciam, perpetuis eum hymnis & laudibus celebrat cum omnibus cælestibus poteſtatibus. Itaque concedat nobis Deus habere partem & hæreditatem vnà cum ſancto hoc Simeone, & cum omnibus ſanctis in eius regno, quod nunquàm conſeneſcit: Quoniam eius eſt gloria in ſæcula, Amen.

VITA S. GALLI ARVERNORVM EPISCOPI, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENSI EPISCOPO, LIBRO de Vita Patrum, cap. 6.

An. 540.

I. NOBILITATIS mundanæ faſtigium ſemper inhiat cupiditatibus, gaudet honoribus, inflatur occurſibus, litibus forum pulſat, rapinis paſcitur, calumnijs delectatur, rubiginoſi auri talenta deſiderat, & dum parua poſſidere videtur, vt agglomeret plurima, magis accenditur, ingeritq; ei congeries auri ſitim arduam poſſidendi, ſicut Prudentius ait,

Auri namq; fames procedit maior ab auro.

Vndè fit, vt dum gaudet pompis ſæculi, & vanis honoribus oblectatur, nihil ei de manſuris dignitatibus in memoriam reuocetur: nec reſpicit ad ea, quæ non videntur, dummodò illa, quibus ſatiari animum putat, importunè poſſideat. Sed ſunt qui ſe de his nexibus, tanquàm aues de laqueis euolantes, & ad altiora tendentes, mentis alacrioris ingenio abſoluerunt, ac relictis terrenis facultatibus, totis ſe viribus ad illa, quæ ſunt cœleſtia, aptauerunt: ſicut ſanctus Gallus, incola Aruernæ vrbis: quem à Dei cultu abſtrahere non potuit dilectio patris, nō matris blanditiæ, non amor nutricum, non obſecundatio baiulorum: ſed his omnibus pro nihilo habitis, & tanquàm ſtercora æſtimans, Dei ſe dilectioni, Dei ſe officio vouens, monaſteriali ſe diſtrictioni ſubegit. Sciebat enim iuuenilis feruoris flammas non aliter poſſe deuincere, niſi cenſuræ canonicæ & diſciplinæ ſeueriſſimæ ſubderetur. Sciebat inſupèr, ſe ab humilitate ſæculi ad altiora ſubleuandum, & per patientiam tolerationis, ad illam excelſi apicis gloriam euchendum. quod poſteà probauit euentus.

Ivl. I. Vita nobilitatis. Auri fames vndè procedat. S. Gallus petit monaſterium.

II. SANCTVS igitur Gallus ab adoleſcentia ſua deuotus Deo eſſe cœpit, diligenſque ex tota anima Dominum, & ea, quæ Deo dilecta eſſe nouerat, diligebat. Pater ei nomine Georgius, mater verò Leocadia, à ſtirpe Vectij Pagati deſcendens, quem Lugduni paſſum Euſebij teſtatur hiſtoria. Qui ità de primoribus ſenatoribus fuerunt, vt in Gallijs nihil inueniatur generoſius atque nobilius. Cumque ei pater cuiuſdam ſenatoris filiam quærere vellet, ille, aſſumpto ſecum vno puerulo, monaſterium Cremonenſe expetijt, ſexto ſitum ab Aruerna vrbe milliario, ſuppliciter Abbatem exorans, vt ſibi comam capitis tondere dignaretur. At ille videns prudentiam atq; elegantiam pueri, nomen inquirit, interrogat genus & patriam. Ille verò Gallum ſe vocitari pronunciat, ciuem Aruernum, Georgij filium ſenatoris. Quem Abbas vt cognouit de prima ſtirpe eſſe progenitum, ait: Benè deſideras, fili: ſed primùm oportet hæc ad patris tui deferri notitiam: & ſi hæc ille voluërit, faciam quæ depoſcis. Deniq; Abbas pro hac cauſa nuncios ad patrem interrogantes, quid de puero fieri iuberet, miſit. At ille parumpèr contriſtatus: Primogenitus, inquit, erat mihi, & ideò volui coniugio copulare: ſed ſi eum Dominus ad ſuum dignatur accire ſeruitium, illius magis, quàm noſtra voluntas fiat. Et adiecit: Quicquid vobis infans Deo inſpirante ſuggeſſerit, adimplete. Tunc Abbas, iſta nuncijs referentibus, puerum clericum fecit. Erat autem egregiæ caſtitatis, & tanquàm ſenior, nihil peruerſè apperens, à iocis ſe etiam iuuenilibus cohibebat, habēs miræ dulcedinis vocem cum modulatione ſuaui, lectioni incumbens aſſiduæ, dans operam ieiunijs, & abſtinens ſe multùm à cibis. Quem cùm beatus Quintianus Epiſcopus ad idem monaſterium veniens cantantem audîſſet, non eum permiſit vlterà illic retineri, ſed ſecum ad ciuitatem adduxit, & vt cœleſtis pater in dulcedine ſpiritali nutriuit.

Parentes eius Georgius & Leocadia. Tonſura Monaſtica. Aſſumit Gallum S. Quintianus Epiſcopus in filium.

III. CVMQVE defuncto patre, vox eius magis ac magis in dies componeretur, atq; idem in populis maximum haberet amorem, nunciauerunt hæc Theodorico Regi: quem dicto citiùs accerſitum tanta dilectione excoluit, vt eum proprio filio plùs amaret. A regina autem eius vxore, ſimili amore diligebatur, non ſolùm pro honeſtate vocis, ſed etiam pro caſtimonia corporis. Tunc verò Theodoricus Rex ex ciuibus Aruernis clericos multos abduxit, quos Treuericæ Eccleſiæ ad reddendum famulatum Domino iuſſit aſſiſtere: beatum verò Gallum à ſe nequaquàm paſſus eſt ſeparari. Vndè factum eſt, vt eunte Rege in Agrippinam vrbem, & ipſe abiret ſimul. Erat autem ibi fanum quoddam, diuerſis ornamentis refertum, in quo barbaries opima libamina exhibens, vſque ad vomitum cibo potuq; replebatur. Ibi & ſimulacra vt Deum adorans, membra, ſecundùm quod vnumquenque dolor attigiſſet, ſculpebat in ligno. Quod vbi ſanctus Gallus audiuit, ſtatim illuc cum vno tantùm clerico properat: accenſoque igne, cùm nullus ex ſtultis paganis adeſſet, ad fanum applicat ac ſuccendit. Illi videntes fumum delubri ad cœlum vſque conſcendere, authorem incendij quærunt: inuentum euaginatis gladijs perſequuntur. Ille verò in fugam verſus, in aula ſe regia condidit. Verùm poſtquàm Rex quæ acta fuerant, paganis minitantibus, recognouit, blandis eos ſermonibus leniuit, & ſic eorum furorem improbum mitigauit. Dehinc autem referre ſæpè erat ſolitus vir beatus hæc cum lachrymis, & dicebat: Væ mihi, qui non perſtiti, vt in hac cauſa finirer. Fungebatur eo tempore Diaconatûs officio.

Accitur Gallus ad regē Theodoricum. Nota de fano gentiū apud Agrippinenſes.

IV. DENIQVE cùm beatus Quintianus Epiſcopus ab hoc ſæculo, iubente Domino, tranſiſſet, ſanctus Gallus apud vrbem Aruernam eo tempore morabatur. Ciues autem Aruerni ad domum Impertati presbyteri eiuſdem auſiculi conuenerunt, conquerentes de obitu ſacerdotis, &, quis in eius locum deberet ſubſtitui, requirentes. Quo diutiſſimè pertractato, regreſſus eſt vnuſquiſq; ad domum ſuam. Poſt horum diſceſſum ſanctus Gallus vocauit vnum è clericis, & irruente in ſe Spiritu ſancto, ait: Quid hi muſſitant? Quid curſitant? Quid tractant? Vacuum eſt, inquit, opus eorum. Ego ero Epiſcopus. Mihi Dominus hunc honorem largiri dignabitur. Tu verò cùm me redire de præſentia Regis audiĕris, accipe equum deceſſoris mei ſtratum, & egrediens, te obuiàm exhibe mihi. Quod ſi audire deſpexeris, caue nè te in poſterum pœniteat. Cumq; hæc loqueretur, ſuper lectulum decumbebat. Tunc iratus contra eum clericus, cùm multa exprobraret, eliſum ſuper ſpondam lecti latus ſuum læſit, turbidusque diſceſſit.

Prædicit ſe futurum Epiſcopum.

V. QVO diſcedente, ait Impetratus presbyter ad beatum Gallum: Audi, fili, conſilium meum: noli manum facere, ſed vade ad Regem, & nuncia ei, quæ hîc contigerint: & ſi ei inſpirat Dominus, vt tibi hoc ſacerdotium largiatur, magnas Deo referimus gratias: ſin aliud, ſaltem ei, qui ordinatus fuerit, commendaberis. Ille verò abiens, quæ de beato Quintiano contigerant, Regi nunciauit. Tunc etiam Aprunculus Treuirorum Epiſcopus tranſijt. Congregatusq; clerus ciuitatis illius ad Theodoricum Regem, ſanctum Gallum petebant Epiſcopum. Quibus ille ait: Abſcedite, & alium requirite: Gallum enim diaconum aliò habeo deſtinatum. Tunc eligentes ſanctum Nicetium, Epiſcopum acceperunt. Aruerni verò cleri conſenſu inſipientium facto, multa munera ad Regem ferentes venerunt. Iam tunc enim germen illud iniquum cœperat pullulare, vt ſacerdotium aut venderetur à Regibus, aut emeretur à clericis. Tunc ij audiunt à Rege, quòd ſanctum Gallum habituri eſſent Epiſcopum. Quem presbyterum ordinari iuſſit Rex, & mandauit, vt datis de publico expenſis, ciues inuitarentur ad epulum, & lætarentur ob honorem Galli futuri Epiſcopi. Quod ità factum eſt. Is autem referre erat ſolitus, non ampliùs donaſſe pro Epiſcopatu, quàm vnum trientem coco, qui ſeruiuit ad prandium.

Aprunculus Treuirorū Epiſcopus.

S. Gallus datur Aruernis Epiſcopus

VI. POST hæc Rex, datis ad ſubſidium eius duobus Epiſcopis, Aruernos cum direxit. Clericus verò ille, qui ſuper ſpondam lecti latus eius illiſerat, Viuentius nomine, ad occurſum Pontificis ſecundùm verbum illius properat non ſine magno pudore, & ſe ſimulq; equum, quem iuſſerat, repræſentat. Ingreſſisque vtriſq; in balneum, dolorem lateris, quem ab impulſu ſuperbiæ eius incurrerat, clementer improperat, magnam ex hoc ei ingerens verecundiam, non cum ira, ſed tantùm ioco ſpiritali delectatus. Igitur exindè cum multo * pſallentio in ciuitatem ſuſcipitur, & in ſua Eccleſia Epiſcopus ordinatur.

** id eſt, Pſalmodia.*

VII. IAM verò aſſumpto Epiſcopatu, tanta humilitate, tantaque charitate cum omnibus vſus eſt, vt ab vniuerſis diligeretur. Patientiam verò vltra hominum mores habebat, ità vt, ſi dici fas eſt, Moyſi compararetur ad diuerſas iniurias ſuſtinendas. Vndè factum eſt, vt à presbytero ſuo in conuiuio percuſſus in capite, ità ſe quietum reddiderit, vt nec ſermonem quidem aſperum reſponderet: ſed omnia, quæ ei eueniebant, patienter ferens, in Dei hoc arbitrio, à ſe petebat enutriri, iactaret. Nam eùm & Ennodius quidam ex ſenatoribus presbyter, in conuiuio Eccleſię multis calumnijs atque conuicijs eum laceſſiſſet, confugiens ſacerdos, loca baſilicarum ſanctarum circuibat. Cæterùm cùm hoc Ennodio fuiſſet perlatum, poſt eum curſu veloci pergens, & ſe ante pedes eius in ipſa platea proſternens, veniam petijt, deprecans vt eum oratio eius * cum omnipotente iudice non fuſcaret. At ille benignè eum colligens, cuncta, quæ locutus fuerat, clementer indulſit, eum arguens, nè hæc vltrà contra ſacerdotes Domini proferre auderet: quia ipſe Epiſcopatum nunquàm promeretur accipere. Quod poſteà probauit euentus. Nam cùm in Gabalitano ad Epiſcopatum iam electus, iam in cathedra poſitus, iam cuncta parata eſſent, vt benediceretur Epiſcopus, ità ſubitò contra eum omnis populus conſurrexit, vt vix viuus poſſet euadere: qui poſteà presbyter tranſijt.

Virtutes eius.

** coram.*

Eius prophetica prædictio.

VIII. APVD Aurelianenſem autem vrbem incriminato ab iniquis Marco Epiſcopo, & in exilium truſo, magnus Epiſcoporum conuentus eſt aggregatus, Childeberto Rege iubente. In qua ſynodo cognoſcentes beati Epiſcopi hoc eſſe vacuum, quod contra eum fuerat muſſitatum, eum ciuitati & cathedræ ſuæ reſtituunt. Deniq; tunc ad ſeruitium ſancti Galli Valentinianus Diaconus, qui nunc presbyter eſt & cantor, acceſſit. Cumq; Epiſcopo alio Miſſam dicente, Diaconus ille, propter iactantiam potiùs, quàm pro Dei timore cantare vellet, à ſancto Gallo prohibebatur, dicente ſibi: Sine, fili: quandò Domino iubente nos celebrauerimus ſolennia, tunc & tu canere debes. Nunc eius clerici concinant, qui celebrat Miſſam. At ille & tunc ſe poſſe pronunciat. Cui ſacerdos: Fac vt libet, nam quod voluĕris, non explebis. Ille igitur negligens mandatum Pontificis, abijt, & tam deformiter cecinit, vt ab omnibus irrideretur. Adueniente autem alia Dominica, dicente ſæpe dicto Pontifice Miſſam, eum iuſſit abire: Nunc, inquiens, in nomine Domini, quod voluĕris, explicabis. Quod eùm feciſſet, intantùm vox eius præclara facta eſt, vt ab omnib. laudaretur. O beatum virum, cui talis gratia conceſſa eſt, vt ſicut animæ, ità & voces hominum ſub eius poteſtate cōſiſterent: quas & cùm voluit, cantu prohibuit: & cùm libuit, cantare permiſit. Præſtitit autem Deus & alia miracula magna per illum. Nam cùm Iulianus defenſor Presbyter deincèps, dulciſſimæ voluntatis homo, à quartano typo correptus, grauiter cruciaretur, lectulum ſancti ſacerdotis expetijt: in quo decubans, à famulo opertus, paululumq; obdormiens, ità ſanatus eſt, vt nec contractus quidem poſteà ab hac infirmitate videretur.

Synodus Aurelianēſis quarta, vt putat Baron. anno 545.

Lectulus eius ſanat quartanam

IX. CVM autem Aruerna ciuitas maximo incendio cremaretur, & hoc ſanctus comperiſſet, ingreſſus Eccleſiam, diutiſſimè Dominum ante ſanctum altare cum lachrymis exorâuit: ſurgensque, Euangelijs comprehenſis, apertisque, obuiàm ſe igni obtulit. Quo obtemperante protinùs, ad adſpectum eius ità omne incendium eſt extinctum, vt nec fauillæ quidem in eo igne remanerent. Sub eius autem tempore magno terræmotu Aruerna ciuitas eſt concuſſa: ſed cur acciderit, ignoramus. Hoc tamen ſcimus, quòd nullum ex populo læſit. Cùm autem lues illa, quam inguinariam vocant, per diuerſas regiones deſæuiret, & maximè tunc Arelatenſem prouinciam depopularetur, ſanctus Gallus non tantùm pro ſe, quantùm pro populo ſuo trepidus erat. Cumque die ac nocte Dominum deprecaretur, vt viuens plebem ſuam vaſtari non cerneret, per viſum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæſariem, quàm veſtem in ſimilitudinem niuis candidam efferebat, & ait ad eum. Benè te, ô ſacerdos, proſpectat diuina pietas pro populo tuo ſupplicantem, ideoq; nè timeas: exaudita eſt enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullusq;, te viuente, in regione iſta ab hac ſtrage deperibit. Nunc autem noli metuere: poſt octo enim annos expletos migrabis à ſæculo. Quod poſteà manifeſtum fuit. Expergefactus igitur, Deo gratias pro hac conſolatione egit, quòd per cœleſtem nuncium ſe confortare dignatus eſſet. Rogationes illas inſtituit, vt media Quadrageſima pſallendo ad baſilicam beati Iuliani martyris itinere pedeſtri venirent. Sunt autem in hoc itinere quaſi ſtadia trecenta ſexaginta. Cùm autem regiones illas, vt diximus, lues illa conſumeret, ciuitatem Aruernam, ſancti Galli intercedente oratione, non attigit. Vndè non paruam cenſeo gratiam eius, qui hoc meruit, vt paſtor poſitus, oues ſuas deuorari, defendente Domino, non videret.

Sedat incēdium precibus.

Apparet ei Angelus Domini.

Pellit peſtē ab Aruernis.

X. SED veniamus ad illud tempus, cum eum Dominus de hoc mundo iuſſit aſſumi. Cum grauatus incommodo decubaret, ita febris externa omnia mēbra eius depilauit, vt capillos & barbam ſimul amitteret. Sciens autem ſe, reuelante Domino, poſt triduum migraturum, conuocat populum, & omnibus, confracto pane, communionem ſancta & pia voluntate largitur. Adueniente autem die tertia, quæ erat Dominica dies, ciuibus Aruernis immanem

Communio ſub vna ſpecie

allatura

Digitized by Google

allatura luctum, albeſcente iam cœlo, interrogat quid in Eccleſia pſallerent. Dixerunt autem circumſtantes, benedictionem pſalli. At ille, pſalmo quinquageſimo & benedictione decantata, & alleluiatico cum capitello expreſſo, cōſummauit officium totum temporis matutini. Quo iam extremo perfunctus officio, ait: Valedicimus vobis, fratres. Et hæc dicens, extenſis membris, ſpiritum cœlo intentum præmiſit ad Dominum. Tranſijt autem ætatis ſuæ ſexageſimoquinto, Epiſcopatûs verò ſui ſeptimo & vigeſimo anno. *Excedit è vita A. 571.* Exindè ablutus atque veſtitus, in Eccleſiam defertur, donec comprouinciales ad eum ſepeliendum conuenirent. Magnum autem ibi miraculum oſtenſum populis fuit, *Inſigne miraculum.* quòd ſcilicet ſanctus Dei, attracto dextero pede in feretro, ſe in aliud latus, quod erat versùs altare, contulit.

XI. Dvm hæc agerentur, Rogationes illæ, quæ quotannis vbiquè poſt Paſcha fiunt, celebrantur. Iacuit autem in Eccleſia per triduum, aſſiduo inſtante * pſallentio cum magna frequentia populi. ** id eſt, Pſalmodia.* Epiſcopis autem quarta die aduenientibus, eum de Eccleſia leuauerunt, & portantes in ſancti Laurentij baſilicam, ibi ſepeliunt. Iam verò in exequijs eius quantus planctus, quanti populi affuêre, enarrari vix poteſt. Mulieres cum lugubribus indumentis, tanquàm ſi viros perdidiſſent: ſimiliter & viri obtecto capite, vt in exequijs vxorum mos eſt, ipſi quoq; Iudæi accenſis lampadibus plangentes proſequebantur. Omnes præterea populi vna voce dicebant: Væ nobis, qui poſt hanc diem nunquàm ſimilem merebimur habere Pontificem. Et quia, vt diximus, prouinciales longè diſtabant, nec celeriùs venire poterant, vt mos ruſticorum habetur, glebam ſuper beatum corpus poſuêre fideles, quô ab æſtu non intumeſceret. Quem ceſpitem poſt eius exequias mulier quædam, & verè (vt ego diligenter inquiſiui) virgo puriſſima & deuota Deo, Meratina nomine, ab alijs eiectum collegit, atq; in horto ſuo poſuit, & infuſa ſæpiùs aqua, Domino incrementum dante, viuere fecit. De quo ceſpite infirmi non ſolùm auferentes herbam, atque ex eius ſucco bibentes ſanabantur, verum etiam fidelis ſuper eum oratio ſuffragium merebatur. Qui poſteà per incuriam, virgine migrante, deperijt. Deniquè ad ſepulcrum eius multæ virtutes oſtenſæ ſunt. Nam quartanarij & diuerſis febribus ægroti, vt *Miracula mortui ſepulcro eius.* ad beatum tumulum fideliter perueniunt, protinùs hauriunt ſanitatem.

XII. Valentinianvs igitur cantor, cuius ſuprà meminimus, qui poſteà presbyter fuit, cùm Diaconatûs fungeretur officio, à typo quartano corripitur, ac per multos dies magna defectione laborauit. Factum eſt autem, vt in die acceſsûs huius febris, loca ſancta circuire diſponeret orans: veniensque ad huius ſancti ſepulcrum, proſtratus ait: Memor eſto mei, beatiſſime ac ſancte ſacerdos: à te enim educatus, doctus ac promotus ſum. Memor eſto alumni proprij, quem amore vnico dilexiſti, & erue me ab hac, qua detineor, febre. Hæc effatus, herbulas, quæ ob honorem ſacerdotis tumulo reſperſæ fuerant à deuotis, collegit, & quia virides erant, ori applicat, dentibus decerpit, ſuccumque earum deglutit. Præterijt dies illa, nec ab hoc eſt pulſatus incommodo: & deincèps ità ſoſpitati eſt reſtitutus, vt nec vllos vel minimos rigores vltrà perferret. Hoc ab ipſius presbyteri ore ità geſtum fuiſſe cognoui. Non enim ambigitur, per illius potentiam prodire virtutes de tumulis ſeruorum ſuorum, qui Lazarum vocauit ex *Iohan. 11.* monumento.

VITA S. THEODERICI ABBATIS ET DISCIPVLI S. REMIGII, VT EAM DESCRIPSIT FLODOARDVS PRESBYTER *lib. 1. hiſtoriæ Remenſis Eccleſiæ, cap. 24.* *An. 520.*

I. Extitit beatiſſimi Remigij temporibus beatus vir Theodericus, almi magiſtri pius diſcipulus: quē *IVL. I.* non ex alto voluit adeo ſanguine generari, qui ſublimiter hūc in generatione iuſtorum decreuerat nobilitare. Ortus autem pago Remenſi, villa, vt traditur, Alamannorum Corte, patre latrone, veluti roſa *Patria & parentes S. Theoderici: Cui nomen Marchardus.* ſpinarum procreatur horrore. Ad declarandum verò caſtitatis eius mūditiam, quo infantulum eiuſdē cunarum panniculi feruntur abluti, non ſordium iactu, non alicuius immunditiæ puteus inquinamētò, licet os eius ex tunc de more pateat, adſtruitur infici. Beatus itaq; Theodericus ad annos vſq; pubertatis laudabiliter educatus, iuxta morem propagationis humanæ, ſtudio parentum coactus, ſponſam cœpit habere nomine tenus vxorem, ceu non habiturus. *Accipit vxorem & virgo manet vterque.* Amore ſiquidem cœleſtium latenter inflammatus, fieri ſtudebat Dei cultor occultus. Huius igitur Angelici cultus habuit in proximo, quo ſanaretur, medicum; quo iuuaretur, patronum; quo doceretur, magiſtrum; beatiſſimum videlicet patrem religionis ſuæ Remigium. Cuius piſſimi præceptoris irradiatus exemplis, ardens deſiderio virtutum, certatim creſcebat in virum perfectum. Copulæ nuptialis amor amareſcit, & caſtitatis dilectio indulceſcit. Deſiderium deſiderio reſtinguitur, & ardor carnis ardore ſpiritus ſuperatur. Abrenunciat amator pudicitiæ mundo, fœdus init cum Deo, bellum continentiæ indicitur hoſti, ſingulari locus quæritur certamini. Alloquitur beatus Theodericus ſponſam, & ad ſponſi cœleſtis hortatur amorem, perpetuúmque pro virginitate pollicetur decorem. Sed ſponſa tabeſcens amore carnalis deſiderij, ſpernit ſalutaria monita ſponſi, & amaro animo reſpondet, dum ſe deſpectam videt. Cumq; Dei ſeruus cerneret, quòd eius in animo ſponſæ cohortatio locum nō haberet, diſſentientem deſerit, & vrbem Remenſem propere petens, Abbatiſſam quandam cœlibis vitæ cultricem, nomine Suſannam, requirit. Sobrius adit ſobriam, pudicus pudicam, virgo virginem; quæ ſub tutela beati Remigij puellari præerat congregationi, fœmina virilis animi, virago profundi conſilij, conſiliatrix altioris ingenij. Ad cuius piiſſimæ matris ſinus mitiſſimos ſanctus ſe contulit Theodericus. Solo ſternitur ante pedes ſpiritalis matris, eiq; prodit arcana ſoli Deo cognita ſui cordis. Erumpentibus lacrymis gemitu conturbatur, ſingultu concutitur, atq; ſalubre conſilium ſibi cum ſubſidio precum ſubnixè ferri precatur. Ad hunc conpūctionis mœrorem deuotiſſimi iuuenis cōmota ſunt viſcera benigniſſimæ matris: flenti compatitur, lugentem conſolatur, mœrentem lætificat; & vt eum voti compotē faciat, Dominum pietatis exorat. Communis itaq; patet vtriuſq; piiſſimus ab vtroq; ſimul hac de cauſa ſanctus conſulitur Remigius: cuius inſtitutione ſublimiter iam beatus proficiebat Theodericus. Ad ſponſam deniq; mittitur; æternæ præmium retributionis in virginitate perſeuerantibus à patre ſeruari demonſtratur; & quia virginitas Angelicæ grata munditiæ ſit amica, propalatur. Acquieſcit ſponſa demum: prudentiſſimi patris immo complectitur affamina, vitæ cœleſtis dulcedine emollita, ſeſeque pollicetur, ſi Chriſto mereatur adhærere, incorruptam ſalua pudicitia permanere. Lætus tandem caſtitatis decore ſponſus amplexatur ſponſam; quam videt à voluntate ſeductoris, & voluptate carnis ereptam, conditoriq; iam ſub integritatis honore mancipatam.

II. Dirigitvr ad prouidendum ſibi locū habitationis cum virgine virgo, Suſanna cum Theoderico. Eſt ſyluula in monte ſita, tribus à ciuitate millibus ſeparata: in quo viſum eſt venerabili ſemper in diuinis flagranti patri Remigio conſtrui Cœnobium, quo ſub pij regimine ductoris quem perficere probabat exempla virtutū, cateruā Chriſto militantium colligeret fratrum. Conſcenſo deniq; ſyluoſi montis vertice, dum circumferentes oculorum aciem de Monaſterij corde voluntant poſitione, ſubitò ſublimi cœlorum mittitur aliger iudex à culmine, per quam cœlos ſcanſuro locus in terris beato depromeretur Theoderico. Nam myſticus ales aquila, ſpaciando gyrans & gyrādo circumuolans, quantum in ipſo fuit locū Monaſterij capacē ſecans aëra deſignauit. Et vt expreſſius oſtenderet quid Dominus vellet vnius ferè horæ ſpacio ſupra, vbi Eccleſia conſtrui debuit, lentis volatibus ſtetit. Et ne hoc ab incredulis caſu contigiſſe putaretur, ipſo natalis Domini die quadriennio continuò ſuperuolando Monaſterium circumire mi-

rantibus plurimis eadem aquila cernebatur. Quæ verò virtutum opera, quanta miraculorum miles Chriſti Theode-
ricus inibi geſſit inſignia, non humanus ſermo valet enarrare per ſingula.
Post ſucceſſum denique temporis, vbi Presbyteralis ſubijt onus honoris, implere volens officium ſacerdo- III.
tis, prædicare cœpit omnibus præcepta ſalutis. Specialiter autem tãgit animũ pijſſimæ prolis cariſſimi cura genitoris,
filius ſapiens lætificat patrem, cœloq; regenerat terræ ſe generantem. De lubrico monachum, de latrone datorẽ lar-
giſſimum, de ſeruo diaboli Chriſti facit libertum. Iam iamque virtim de eo ſancta per populos diuulgabatur opi-
nio. Et ne veluti lucerna contecta lateret ſub modio, ſed omnibus in Dei luceret domo; quantum ſublimis erat me-
ritis, tantùm coruſcis cœpit inſignis effulgere miraculis. Eius namque beatiſſima fama peruenerat vſque ad Franco-

** al. Theodericus.*

rum regis palatia, quorum Rex tunc erat * Teudericus, Clodouei filius: cuius oculus doloris ſubiti nimijs cruciatib.
ita fuerat oppreſſus, vt nullis diuerſi generis medicaminibus ad ſanitatem priſtinam poſſet vllus eum reducere medi-
cus, vnius oculi lacrymabilis ægritudo multorum lacrymas oculorum prouocauerat in populo. Mentem regis varij
conturbant exitus cladis, hinc metus ſtimulat amittendi luminis; illinc imminentis pudor deformitatis. Nam ſi Rex
adforet luſcus, maximum fuiſſet in populo dedecus. Aut enim turpiter regnando fœditatis geſtaret opprobrium, aut
cum luminis amiſſione fortè perdidiſſet & regnum. Vnum reſtabat ergo regi cõſilium, quatenus vbi remedium ceſ-
ſabat humanum, diuinum requireretur auxilium. Mittit igitur ad venerabilem Theodericum: cui venienti pandit
miſerabilis oculi morbum, prodit pœnam quam patitur, præuenit precibus pericula quæ veretur. At vir Dei virtutẽ
ſciens operationis eſſe diuinæ, nõ fragilitatis humanæ, corpus ſolo ſternit, animam in cœlos erigit, orationi ſe totum

Sacro oleo & crucis ſigno curat oculum Regis.

committit. Tandem finitis ſuigens precibus, ad ſidera vultu ſublato, ſanctæ Trinitatis nomen inuocans, olei ſanctifi-
cati paululum ſummitati pollicis infundit, & oculo malè habenti ſignum ſalutiferæ crucis imprimens, ſimul cum ſo-
ſpitate lumen in momento reſtituit. Regem regum magnificat rex lætus, celebri repletus lætitia populus exultat, in-
genti gaudio cunctus ſenatus: laudatur Theodericus Dei ſeruus, glorificatur ab omnibus mirabilis in Sanctis ſuis
Deus. Conuocantur à rege primates populi, de magnitudine congratulantur miraculi, quòd tam citò rex ſenſerit vir-
tutem ſpiritalis medicamẽti, & nullius cicatricis veſtigia, nullius caliginis vel glaucomæ reſideret in oculo ſaluti red-
dito macula. Quantis honoribus rex ſublimaret famulum Chriſti, ſi vellet? quantis muneribus vel dignitatibus re-
muneraret, ſi contemptor ipſe dignitatum permitteret? Quid etiam oculo in corpore carius? Sed humanæ laudis &
mundanæ retributionis refuga gratis dare maluit, quod gratis accepit, atque vir magnæ humilitatis ſollicitus ne regi
foret vniuocus, petit vt non Theodericus de cætero, quin vocetur Theoderio. Tunc rex admiratus puriſſimæ ſim-
plicitatis humilitatem, venerabiles manus deoſculans, ſacerdotis benedictionem deuotè poſtulat, & eum honorifi-

Multi ſanantur

cè ad ſuum deduci monaſterium mandat. Quantas tunc cerneres ad eum confluere debilium multitudines, quæ ſine
mora quæſitas recepêre ſanitates?
Reperitur etiam præfati regis filiam vita defunctam magnificus hic Domini præco vitæ reformaſſe ſpi- IV.
raculo: pro qua languente rex ad ſanctum direxerat Remigium, petens vt ad ſe veniret, atq; cum precibus ægrotanti
filiæ manum imponeret. At pius Præſul moleſtia quadam corporis, vt fertur, detentus, beato Theoderico, quem piè
caſtéq; nutrierat, & ſpiritalibus doctrinis inſtruxerat, quemq; gratia curationum repletum videbat, negotium quod
petebatur, vt pater filio, commendat. Qui iuſſa cupiens ſolerter explere, dum feſtinus iter ad palatium regis ageret,
affuturã ſibi diuinã confidens clemẽtiam, ex nuncijs accipit obijſſe puellam, & ne fatigari debeat ſuadetur propriam
repetere cellam. Ille verò præceptoris parere non deſiſtens imperio peruenit ad palatium; mœrore parentes affici, lu-
ctu palatinos inuenit opprimi. Quorum lacrymis & ipſe ſanctus Dei permotus, plures ſecedere præcipit; cum paucis
ad funebria recedit. Cor & oculos ad cœlum cum manibus extendit: deuotas in cubiculo mentis Deo preces com-

Precibus & ſancto oleo excitat regis filiam vita functam.

pũctionis, profuſus faciem lacrymis, effudit. At vbi exauditũ ſe ſpiritu ſentit, ad exanime corpus accedit, oleo ſancto
ſenſuum vias cum tactu pollicis illinit, mirũmq; in modum membra mortua in rediuiua reparantur officia; oculi lu-
mẽ hauriunt, vox admoto pectoris impulſu prorũpit, & puella ſe beati Theoderici votis redditã pandit ſaluti. Accur-
runt genitores cum gaudio miraculum ſtupentes; omnis exultat aula, tripudians lætatur familia: veneratur Sanctus
tam à rege quàm à proceribus, glorificatur à palatinis omnibus, laudibus effertur à turmis vulgaribus. Rex itaq; non
ſolùm diſcipulum, ſanctum ſcilicet Theodericum, ſed & beatum Remigium cupiens munificentiæ ſublimare dono,

** Gaudiacũ*

villam quam dicunt Vendeiam, ſitam ſuper fluuium Matronam, reuerendo patri Remigio; * Gaugiacum verò in pa-
go Remenſi præcepto ſuæ auctoritatis ſancto contulit Theodorico. Proceſſu deniq; temporis, Carolo Ludouici Im-
peratoris filio ſceptra regni Francorum gubernante, Angilrannus aulicorum quidam traditionis huius ignatus, à re-
ge Venderã ſibi poſtulat dari, quod vbi rex annuiſſet, audiens domnus Hincmarus Præſul, qui ſedẽ tenebat Eccleſiæ
Remenſis, hanc infiſcari villam, regalis præcepti chartam in Eccleſiæ huius archiuo repertã, dationis huiuſce ſeriem
continentem, Carolo mittit, & ne contra legem Canonicam res vſurpet Eccleſiæ cõmonefacere ſatagit. In quo præ-
cepto manifeſtè legitur, quomodo rex Theodericus, pro reſuſcitatione filiæ ſancti Theoderici precibus obtenta, nõ
ſolùm prænotatam conferens ei villam, Dei ſeruum ſui muneris honore prætulerit, quin & magiſtro, præſtantiſſimo
ſcilicet Remigio, cui Dominus tantam gratiam contulerat, vt talem diſcipulum haberet, qui Spiritus ſancti dono ſic-
ut & magiſter mortuos ſuſcitaret, beneficentiæ gratia villam Venderam obtulerit. Hæc vt ita ſe habere ex ipſis char-
tarum monimentis Carolus animaduertit, à peruaſione villæ deſtitit, & Eccleſiæ proprijs libere vti permiſit.
Traditur huius beati viri ſuggeſtione ſanctus Remigius collectionẽ meretricum, quæ ad id vſq; tẽporis V.

Lupanar conuertitur in congregationem viduarum.

proſtibula fertur extra ciuitatem tenuiſſe, ſubuerſis fornicib. in viduarum xl. cõgregationem permutaſſe, ſumptúſq;
quotidiano victui neceſſarios inſtituiſſe, ipſúmq; numerum viduarum perpetim manere, vt adhuc quoq; manet de-
creuiſſe. Nam dum ſanctus Remigius monaſterium ſancti Theoderici viſitans, ſecus meretricium pſalmos cũ eodem
cariſſimo diſcipulo ſuo concinendo tranſiret, ac ſancto Theoderico vox faucibus hæſiſſet, iterumq; in redeundo ſi-
militer idem in eodem, ceu memoratur, loco & verſiculo contigiſſet, admiratus pater ſanctiſſimus, & requirens cur
diſcipulus ſolers in Dei laudibus contra morem titubauerit, accipit dolere beatum virum de animarum diſpendio
perditarum, & in tam ſancti Patris vicinia, tam fœdæ turpitudinis tanta diabolo creſcere lucra. Sicque perſuaſum pa-
tri pijſſimo, diſcipulo ſuggerente caſtiſſimo, ſubuertere latibula diaboli, & deceptas atq; decipientes animas in ca-
ſtimoniam tranſducere Chriſti. Multas præterea conſtat virtutum per hunc fidelem Dei famulum patratas operatio-
nes. Cœcis nempè viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum reſtaurans, aridas contractáſq; manus relaxans, obſeſſos à
dæmonibus liberans, mille nocendi Satanæ fraudes per diuinæ medicinæ deſtruebat oppoſitiones. Et reuera felicem
gregis Chriſti ductorem, cui datum eſt tam corporibus quàm animabus conferre ſalutem.
Perseveravit autem in Dei famulatu vſq; in finẽ, & quod ore docuit, exemplis euidentiſſimis demonſtra- VI.
uit. Qui poſt multarum virtutum opera, poſt miraculorũ inſignia, bono certamine ad victoriam perducto, feliciter
curſu conſummato, ſanctis ei obuiantibus ſpiritibus, & gaudenter cũ Angelis ſuſcipientibus, die Kalendarũ Iuliarũ

Rex Theodericus proprijs humeris ſancti ad ſepulchrum deportauit corpus.

cũ gloria migrauit ad Chriſtum. Cuius audito tranſitu precioſiſſimo, præfatus rex Theodericus ad monaſterium pro-
pere cum magna venit multitudine, prærogatiq; ſibi beneficij memor, ſed & debitæ ſeruitutis non immemor, ad tu-
mulum beatiſſimi corpus Abbatis proprijs euehere ſtuduit humeris. Nec mirum, ſi rex hominum illius mẽbra con-
diderit

diderit tumulo, cuius animam cum gaudio Rex Angelorum ſuſcepit in cœlo. Ad cuius venerabile ſepulcrum diuina virtus vſq; in hodiernum diem multimodam dignatur operari ſalutem.

VII. DESIDIA verò vel raritate ſcriptorum, plurima ſilentio conſtat neglecta mirorum. Nos tamen vnum, quod nuper comperimus actum, decreuimus inſerendum. Quadam denique Sabbatorum die, iam veſpera Dominici diei accedente, quædam paupercula, nomine Gislaidis, ex familia ſancti Dionyſij villæ Cortis ſuperioris, dum molam manu verteret, manubrium molæ ipſius inhæſit dextræ, vt diuelli poſſet à nemine. Tandem molæ manubrium ex vtraq; parte manus abſcindere cogitur, indicium nolens ſecum deferre miſerabilis operæ. At ſalutis ſuæ ſollicita, quoniam B. Dionyſij tunc Remis ob infeſtationem paganorum ſeruabantur membra, veloci greſſu ad eiuſdem ſancti Martyris Domini ſui contendit accedere pignora. Perueniens igitur, cum magno timore ac reuerentia ſolo prolapſa, liberationem deprecatur à tantæ confuſionis miſeria. Id cùm die peregiſſet ac nocte, remedium inde non deſperans accipere, apparuit in ſomnis ei quidam clericali habitu, veſte indutus cādida, facie iocunda, capillo admodum albo, vultu pauliſper macilento, dicens illi: Surge hinc, & vade ad ſanctum Theodoricum, quia ſecunda feria, quæ eſt poſt cras, ipſius erit feſtiuitas celebranda, & vide ne in domo eius appareas vacua: ſed accipe ceram, prout tibi ad præſens ſuppetit facultas, & ſic ad Eccleſiam illius perge, & illius, quod imploras, obtinebis interuentione. Illa mox euigilās, hac de viſione ſtupefacta, orat ex voluntate Dei ſibi confirmari viſa, & cum gaudio feſtinat peragere iuſſa. Venit igitur ad Eccleſiam Sancti venerandæ ſolennitatis die, B ſcilicet Theodorici, tres ſeptimanas habens, ex quo id diſcriminis acciderat illi. Tunc ſe ante ſepulcrum illius cum lacrymis ſternens, pro ſalute ſua preces effundit. Ibiq; tota nocte perſeuerans in oratione, veniam de piaculis ſuis humiliter ac fidēter expoſcit. Dumq; adhuc ante tumbam iaceret beati confeſſoris Christi, diuina iubente gratia, per interceſſionem Sancti cœpit manus ipſius fœminæ paulatim à ligno diſiungi, & abſq; læſione cuiuslibet doloris aperiri. Sicq; dein tota manus expanditur, & lignum dicto citius in pauimento prolabitur, ac ſi manu nunquam adhæſiſſe videretur. Multi verò qui aderant, hoc ſupernæ pietatis cernentes miraculum, glorificauerunt mirabilem in ſanctis ſuis Deum.

VITA S. EPARCHII ABBATIS ET CONFESSORIS, QVAM, MVTATO PASSIM STYLO, EX PERANTIQVO MS. codice deſcripſit F. Laur. Surius.

An. 550.

EST hoc rationi conſentaneum, vt eæ potiſſimùm res in ſcripta redigantur, quas conſtat nihil à verò diſcrepare. Itaq; in hac S. Eparchij vita nemo quicquam putet commentitium aut ſuperuacaneum recitari: quandoquidem ea, quæ dicturus ſum, multorum poſſunt, qui coràm intuiti ſint, teſtimonijs confirmari. Non eſt ſanè in hac hiſtoria verborum elegantia aut ſermo diſertus & eruditus: atque ea cauſa oro & obſecro, vt ſi in cuiuſquam ſapientis manus inciderit, comiter ac benignè eam emendandam ſuſcipiat, lectoresq; potiùs dent operam, vt fidem adhibeant rebus geſtis, quàm temerè carpendo labantur. Sed iam agè dicere incipiamus, quæ per illum in hac vita, Domino auxiliante, perpetrata ſint. PROLOG. AVTHORIS.

I. EPARCHIVS igitur in Petragoricenſi vrbe natus, patrem habuit Felicem, cognomento Aureolum, matrem verò Principiam. Cùm iam autem ſeptennis ferè eſſet, in eadem vrbe adhibitus eſt literis addiſcendis: cumque Domino ſuam illi gratiam adſpirante, benè eſſet eruditus, ab auo ſuo Feliciſſimo Comite eſt accitus, vt apud ipſum Cancellarij officio fungeretur: quod quidem adhuc adoleſcens maiori ille integritate & morum honeſtate præſtitit, quàm eius ætatis ferret voluntas. Sed cum annos quindecim apud illum Comitem egiſſet, relicta ſæculari militia, inſcijs omnibus, Sedacianum expetijt monaſterium, Abbatiſque Martini pedibus aduolutus, petijt ſe in monachum recipi: intercedenteque Dei miſericordia, licèt inuitis parentibus, quod deuotè poſtulauit, obtinuit. Prima autem obedientia iuſſus colere vineam, terrā aratro proſcindere, & omne genus ſeruitij, vt habet Canon monaſticus, exequi, libenter paruit, vili & paupere habitu contentus. Ieiunabat quotidiè, vigilabat & orabat aſſiduè, miſericordiæ operibus ſedulam nauabat operam: multos morbis preſſos vel à malo dæmone vexatos, ſuis precibus curabat. IVL. I. Patria & parentes S. Eparchij. Fit Cancellarius. Monaſterium petit.

II. PER id tempus Leuiuialum monaſterij agellum cū Victoriano monacho petere iuſſus, dum carperet iter, vidit capreolum curſu rapidiſſimo fugientem, relicto fœtu, quem properè voluit ablactare. Orans autem tacitè vir Dei, iubet eum gradum figere. Mox ille non modò expectandi officium exhibuit, ſed etiam depoſita ceruice, eius manus oſculabatur. Tum vir Dei leniter manu tangens, Crucis ſigno eum armauit, atque ità recedendi fecit poteſtatem. Properabat aliquandò ad Cellam S. Aquilini orationis cauſa, comite vſus Munderico monacho. Vidit autem auem ſuis pullis incubantem. Iubet illam quoq; non ſe mouere loco: paret auis, donèc accepta benedictione, copia ei facta eſt cum pullis permanendi. Sed cùm hæc pluraq; alia Domino largiente faceret, cœpit multis innoteſcere & celebris haberi: quod quidem ei non voluptati fuit, ſed horrori. Itaq; occultè è ſuo recedens monaſterio, totumq; ſe Chriſti miſericordiæ committens, eiuſmodi perquiſiuit locum, in quo poſſet incluſus habitare. Cùm autem iret per pagum * Equolinenſem, puerum, Gratulphum nomine, interemptum offendit in Angeleſis villa, eumq; ad monachorum preces vitæ reſtituit. Alium quoque vita functum apud Burdegalenſes, precibus ſuis excitauit. In eo itinere ſic ſe comparabat, vt poſſet ſecretiùs pertranſire, nec vlli innoteſcere. Sed agnitus eſt à ciuibus, & perlatum ad * Antonium, ipſius vrbis Epiſcopum, eum illic adeſſe. Iam verò fama notus erat illi Epiſcopo, ſed lætabatur is poſſe ſe coràm hominem Dei pleniùs cognoſcere, multoque ad eius conſpectum gaudio perfuſus, propenſiſſima animi beneuolentia eum ſuſcepit: cognitaque accuratiùs voluntate eius, non permiſit eum aliò commigrare, ſed multo cordis amore eum complexus, locum optatum ei oſtendit, qui erat inſtàr deſertæ cuiuſdam ſolitudinis. Eo conſpecto, vir Dei non tantùm ore deprompſit, quantùm animo lætabatur, quòd locus eſſet remotus & procùl à ciuitate, & supernè è montis vno latere perſpicuus manaret fons, ab alio verò Carantonis fluuius. Laudes fugit. Excitat puerum mortuum. Itē alium.

III. POSTQVAM ergò exul cœpit eſſe à natiuo ſolo, noluit illo in loco includi, niſi priùs Epiſcopus vel Abbas ipſius annuiſſet. Quamobrèm vir Domini * Antonius Epiſcopus miſit legatos ſuos, Frontonium Archipresbyterum, qui poſteà eſt Epiſcopi dignitatem adeptus, Arthemium Archidiaconum, qui per omnia ſe verum Chriſti ſeruum declarauit, itemque Arthemium defenſorem, vt ij à Sabaude Epiſcopo & eius Abbate copiam impetrarent faciendi, quod animo deſtinârat Eparchius. Reuerſi tandèm illi, ægrè ſe potuiſſe obtinere nunciārunt, at tamen benignè permiſſum eſſe, quod poſtulabatur. Interim viro Dei in vrbe manente, cùm locus congruus ei iam præparatus eſſet, cūctis in domo illa ſomno oppreſſis, ille clàm ſurrexit è lecto, & nocte abijt viſurus locum ipſi attributum. Abſolutis verò precibus, lapidem ſuppoſuit capiti, vt ſe daret ſopori. Eccè autem cælitùs eum Chriſtus alloquitur, iubetque illic manere, nec deinceps aliò vagari. Eam Chriſti iuſſionem ipſe poſteà fratribus indicauit ore ſuo. Cùm autem eſſet in ciuitatem reuerſus, ſub horam tertiam venit ad carcerem, in quo permulti vincti tenebantur. Aderat autem etiam carceris cuſtos. Tum verò piiſſimis ad Deum fuſis precibus, citò impetrauit, quod voluit. Iubetur à Domino manere in loco ſibi deſtinato.

Multos è carcere vinctos liberat

Carceris enim oſtia ad eius imperium ſunt aperta, & virga ferrea reiecta & multis locis quaſſata eſt: porrò vincti omnes è carcere ad eccleſiam confugerunt, cuncto populo acclamante eius rei authorem eſſe Eparchium, Deumque plauſu manuum collaudante.

Ordinatur presbyter.

IV. Iam nec hoc quidem ſilentio premendum eſt, quid miraculi perpetrârit vir Dei, poſtquàm ad presbyterij gradum euectus eſt, & ab * Antonio Epiſcopo ordinatus. Multa quidem ab illo miracula tum edita ſunt, ſed nos pauca duntaxàt commemorabimus. Ruſticus quidam, Redemptus nomine, vas habuit melle plenum. Id furto quidam abſtulit. Accuratè autem perquirens ruſticus, tandem furem ipſum comperit, refert omnia ad Comitem Ramnulphum: fur diris tormentis ſubijcitur, & non hoc ſolùm, ſed multa etiam alia atrociora confeſſus, ſuſpendio adiudicatur. Vbi id comperit vir Dei Eparchius, preces ſupplices offert Comiti pro ſalute miſeri hominis, dicitque eum hoc nomine mori non debere. Sed cùm nulla ratione poſſet flectere Comitem, vocat ad ſe vnum ex fratribus, Gratianum presbyterum, ex cuius ore nos iſthuc accepimus, iubet collectis ægrotis quibuſdam ad vrbis portam, rei euentum eum præſtolari. Interim ſuſpenditur miſer ille: ſed abeuntibus carnificibus, patibulum totum diſſipatur, eius ſoluuntur vincula, & curſu rapidiſſimo ad oppidum properat. Comes id conſpicatus, iubet milites, conſcenſis equis, eum inſequi & anteuertere, priuſquàm eccleſiæ limina attingat: parent milites non pauci, ſed ſub ipſius Comitis conſpectu in itinere adeò contabeſcunt & retardantur, vt illum comprehendere non potuerint. Liberatus ille precibus S. Eparchij, vita donatus eſt. Alium quendam Comitem vir Dei orabat, vt parceret reo, extremo ſupplicio iam afficiendo. At ille non modò preces eius non admiſit, ſed etiam inuerſis pedibus hominem ſuſpendit. Rogante verò beato Eparchio præpotentem Deum, ſolutus eſt homo, & hora veſpertina longo itinere venit ad virum Dei.

Suſpenſum furem conſeruat.

Item alium

Sanat contractam.

V. Clara, nobilis fœmina, quam etiam Araniam vocant, toto corpore contracta, ad famam beatiſſimi viri carruca ad eum perducta eſt, eoque viſo, magna voce rogauit, vt pro ſua humanitate ipſi ſubueniret. Manſit autem illic hebdomadam vnam, & eius precibus priſtinæ ſe ſenſit ſanitati reſtitutam. Eius autem fœminæ quanta fuerit fides commemoràſſe operæ precium erit. Poſtquàm ei reddita ſalus eſt, domum reuertens, ſecum tulit literas viri Dei. Accidit indè, vt è ſua domo, quæ erat ad litus maris ſita, cerneret nautam in præſentiſſimum vitæ diſcrimen coniectum. Confiſa igitur tum auxilio Dei, tum precibus ſancti Eparchij, celeri curſu cum illis literis ad ripam maris properat, porrectiſque manibus eas contrà expandit, altaque voce exclamat, dicens: Serue Dei Eparchi, ſalutem Chriſti per hæc literarum pignora ad liberandos nautas operari dignare. Et ecce non abſque nutu diuino, nauis illa, cunctis poſthabitis portubus, à fluctibus vehementer oppreſſa, ad eum locum, vbi Clara ſtabat, appulſa eſt.

Vera fides quantum valeat.

Multi curantur.

VI. Genesia alia fœmina, lepra deformis, ab eodem ſancto viro mundata eſt, tres cœci illuminati, Gandemia mulier dæmonum legione liberata. Arthemius quidam, parentibus non infimis, cùm de ſcripturis ſanctis tractaret, optaretque Chriſtiana religione initiari, & necdùm clericus ordinatus, apud Santones ſe incluſiſſet, multiſque annis ità incluſus manſiſſet, atque ea cauſa capillus ei admodùm promiſſus eſſet, à malo dæmone arreptus, indè egreſſus eſt, dicens ſe ad Childebertum regem iturum, eius regni vires exploratum. Vt autem parentes eius viderunt iſthuc eum non ſana mente meditari, iter cum illo pariter ſuſcipiunt, tanquàm etiam ipſi velint vnà ad regem proficiſci, ſed inter eundum alio itinere ad Eparchium eum ducere nituntur. Vbi autem ad ciuitatem propiùs accedunt, animaduertens ille ſe ad domini Geneſij vicum, quem * Equoliſinam vocant, perduci, tandèm in has erupit voces, nolle ſe in Eparchij conſpectum venire. Multùm igitur illo renitente, manus in eum inijciunt, qui ei aderant, impoſitumque equo, ligatis manibus & pedibus ſub ventre equi conſtrictis, ad Eparchium etiam inuitum adducunt. Introductus indè ad hominem Dei, cœpit agitare capillos, iactare procaciter, nullum ſibi vitæ ſanctitate parem eſſe: ſimul etiam virum Dei fœdiſſimis proſcindere conuicijs, cùm interim duriſſimè ei colligatæ eſſent manus, digitis ad palmas adactis. Accedit ad eum ſanctus Eparchius, eumque Cruce conſignat. Tum ille eatenùs ad ſanitatem redijt, vt ab illis improbis vocibus abſtineret. Altera luce iuſſit ſanctus Eparchius capillos eius tonderi, quemadmodùm laicis fieri ſolet. At ille clamitabat, neminem ea fore audacia, vt id auſus ſit attentare. Ægrè tandem capilli ſecti ſunt. Poſtero die iubente Eparchio Clericus ordinatus eſt, moxq; ille adeò obmutuit, vt ad dies non paucos nullum prorſùs verbum protulerit. Non diù pòſt ſanum & incolumem eum reſtituit vir Dei, & poſteà factus Diaconus, vſque ad obitum ſuum ſanus permanſit.

*forte * Engoliſmam.*

Vide vim Crucis.

Dæmoniacus curatur.

VII. Salomon, vnus è ſuis, caballum eius per id tempus hyeme nutriendum ſuſceperat, quem ſeruus Ebrulphi, qui erat viro Dei præcipuè charus, furto abſtulit. Sed cùm ad eum perductus eſſet à dæmone correptus cœpit miſer valida voce prodere ſcelus ſuum. Itaque quidam ſimulatis animis, perindè ac ſi ille morbo laboraret, eulogias ſancti Eparchij expetiêrunt. Ille verò fallaciam eorum non ignorans, mox reſpondit, per fraudem ipſos ſua munera poſtulare. Seruum enim, qui caballum ipſius furatus eſſet, iam extinctum eſſe. Tum illi confeſtim ei equum reddiderunt, non ſine multa admiratione inter ſe conferentes, vndè ille eius furti notitiam haberet. Perceptis autem à viro Dei eulogijs, abiêrunt ad furem: ſed ille infelix priùs quàm eas acciperet, in ſuo ſcelere, diabolo id agente, defunctus eſt. Habebat id vir ſanctus diuinitùs ipſi conceſſum, vt ſiue benè, ſiue malè quiſpiam de eo loqueretur, id ipſum minimè latêret.

Attende iuſta Dei iudicia.

IIX. Servus quondàm Leontij apud Santones pro ſuo facinore atroci catena vinctus, cùm iam diutina ferri laceratione pedes eius attererentur, audiens celebre viri Dei nomen, ad eum confugit, humique ſe proſternens, obſecrabat vt ſuis precibus dignaretur ipſum liberare. Viſo illo ſanctus Eparchius cogitare cœpit, num qua ratione aut arte humana poſſet miſer ab illis compedibus abſolui, nihil interim de Dei virtute diffidens. Iubet ergò adeſſe fratres, & ſoluere compeditum. Illis verò malleo cædentibus catenam, vt eam confringerent, miſer homo voces dabat intolerabiles præ dolore. Dicebant tum fratres, ſe nunquàm vidiſſe hominem atrocius compeditum, nec ſe videre viam vllam, qua poſſent illas compedes diſſipare. Ait ergò ad illos ſanctus Eparchius, vt malleum darent in manus compediti: ipſe verò cum lachrymis ſe proſternens in preces, poſt paulùm ſurrexit: & ait: Dominus ſoluit compeditos: præcepitque homini, vt feriret. Facilè autem æſtimari poteſt, qua vi percuſſerit, quem tam immanis vexabat dolor. Simul autem vt percuſſit, tribus in locis rupta catena, ad pedes eius cecidit.

Pſalm 145. Precibus perfringit duriſſimas compedes

IX. Certamen erat Chriſti athletæ perpetuum aduersùs dæmones. Ea cauſa habebat ſuo loco repoſitam ampullam cum oleo, quo in energumenis curandis vtebatur. Adfuit quandoque energumenus quidam: cumque vir Dei manum extendiſſet ad accipiendam ampullam, ſerpens immaniſſimus illum in manu percuſſit. Sed non ignorans vir ſanctus multa eſſe figmenta diaboli, non ſe voluit carminibus ſanari: ſed mox ad orandum Dominum ſolicitus accedens, adeò eſt diuina benignitate ſeruatus incolumis, vt nec manus intumeſceret.

Non ſinit monachos ſuos laborare, ſed

X. Erat vir ſanctus noctes atque dies peruigil in precibus, (*Author habet, Curſu diuino: vndè apparet, iam antiquitùs ea dictione Preces, præſertim ſolennes, ſignificatas eſſe*) monachoſque ſuos non ſolùm non laborare, ſed neque panem quærere vnquàm permittebat, ſoli eos orationi vacare volens. At fratres cùm ſe adeò ijs, quæ ad victum

Digitized by Google

victum pertinent, deſtitutos viderent, vt etiam panis inopia labotatent, mœſtis vultibus indicabant ei, ſe iam propter famem in periculo verſari. Tum ille læta facie, ſedula prædicatione dicebat eis: Fides famem non timet: atque ad confirmandos eorum animos, eremitarum hiſtorias crebrò eis referebat. Interim miſerario Domini precibus ſancti viri ita illis ſemper adfuit, vt nunquam deeſſent eis munera à fidelibus hominibus tranſmiſſa, vnde & ipſi reficerentur, & egenis aliquid etiam impartirentur. Porrò ex ijs, quæ in codicibus de ſancti viri geſtis ſcripta legimus inuenimus ad duo hominum millia eum redemiſſe ijs rebus, quas ab alijs dono acceperat.

ſemper vult eos orationi vacare.

XI. Sed ne commemorandis miraculis prolixior ſim, multa prætermitto, ne lectori faſtidium pariat multitudo. Nimis enim longum erit, ſi ſingulatim referre velimus, quoties ille carceres perruperit, quot ab immundis ſpiritibus vel morbis liberauerit. Veſtimentum & victus eius ſemper aſperrima fuêre. Vinum & reliqua potûs genera refutauit, nec vllus vnquam vel familiariſſimus miniſter eius illum comedentem vidit. Quanta autem ſuî afflictione Quadrageſimæ dies peregerit, quàm fuerit creber in precibus, quàm humilis in ſuſcipiendis fratribus, quàm ſeuerus in corripiendis, quàm alacer in exhortandis, nos haud quaquàm idonei ſumus explicare. Continentiam verò & rigotem eius, nulla vnquàm corporis aduerſa fregit valetudo. Ita demùm cùm iam annos trigintanouem incluſus vixiſſet, nullo tædio tractus aut fatigatus, Calendis Iulij emiſit ſpiritum, victurus deinceps in patria claritatis æternæ.

Migrat ad Dominum Ann 584.

XII. Accidit tum miri quiddam. Nam in vico Viegio, qui triginta & eo ampliùs milliaribus illinc aberat, hora diei tertia puella quædam à dæmone obſeſſa, ipſius beatiſſimi viri deceſſum indicauit, relictiſque omnibus, iter curſu rapidiſſimo arripuit, cùm nunquàm anteà ibi fuiſſet, eodemque die ad veſperam in eius baſilicam aduenit. porrò die ſequenti à nequiſſimo ſpiritu liberata eſt. Cùm autem obitus viri Dei per omnium ora volitaret, conuenerunt vndiquè ex omnibus locis ad eius ſacrum corpus tumulandum: cumque locus ſepulcri eius inquireretur, multique multa conferrent & baſilicas deſignarent, vir clariſſimus Alexander ingreſſus baſilicam, diuino, vt credimus, admonitus inſtinctu, locum, in quo ſacri eius artus condendi eſſent, oſtendit. Quantum autem certa ei veritate licuit aſſequi, eadem hora conſtat virum Dei obdormiuiſſe in Domino, qua primùm audiuit vocem illam Chriſti, dicentis ad ipſum: Eparchi, hîc permane, & iam ampliùs noli vagari.

Dæmoniaca liberatur.

Porro cùm eius baſilica ædificaretur, vaſculum vini, vndè bibebant, iam ferè exhauſtum erat: ſed noctu vino redundauit. Hæc & alia permulta ab illo patrata ſunt: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in cuncta ſæcula ſæculorum, Amen.

DE EODEM SANCTO EPARCHIO, EX GREGORII TVRON. HISTOR. FRANCORVM, LIBRO VI. CAP. V:II. IN *quibus nonnulla paulò aliter referri videntur, quàm habeat præcedens hiſtoria: ſed ea prudens Lector facilè inter ſe conciliare poteſt.*

I. Obiit Eparchius recluſus Engoliſmenſis, vir magnificæ ſanctitatis, per quem Deus multa miracula oſtendit, de quibus, reliquis plurimis, pauca perſtringam. Petragoricæ vrbis incola fuit: ſed poſt conuerſionem clericus factus, Engoliſmam veniens, cellulam ſibi ædificauit. In qua collectis paucis monachis, in oratione morabatur aſſiduè, & ſi ei aliquid auri argentique offerebatur, aut in neceſſitatibus pauperum, aut in redemptione captiuorum diſtribuebat. Panis in cellula illa, eo viuente, coctus nunquàm fuit, ſed à deuotis, cùm neceſſitas exegiſſet, inferebatur. Magnam enim cateruam populorum de oblationibus deuotorum redemit: puſtularum malarum venenum Crucis ſigno ſæpè compreſſit: dæmones de obſeſſis corporibus oratione abegit, & iudicibus plerunque vt culpabilibus ignoſcerent, dulcedine profuſa imperauit potiùs, quàm rogauit. Nam ita erat dulcis alloquio, vt ei negare non poſſent, quod fuiſſet indulgentia deprecatus.

Semper eſt in precibus.

Pro reis crebro rogat iudices.

II. Qvodam verò tempore dum pro furto quis ad pendendum duceretur, qui & in alijs multis ſceleribus, tam in furtis, quàm homicidijs, accuſabatur ab incolis criminoſis: & hæc ei nunciata fuiſſent, miſit monachum ſuum ad deprecandum iudicem, vt ſcilicet culpabilis ille vitæ concederetur. Sed inſultante vulgo atque vociferante, quòd ſi hic dimitteretur, neque regioni, neque iudici poſſit eſſe conſultum, dimitti non potuit. Intereà extenditur ad trochleas, virgis ac fuſtibus cæditur, & patibulo condemnatur. Cumque mœſtus monachus Abbati nunciâſſet: Vade, inquit, alongè: quia ſcito, quòd quem homo redimere noluit, Dominus ſuo munere redonabit. Tu verò cùm eum cadere videris, protinùs apprehenſum adducito in monaſterium. Monacho verò iuſſa complente, ille proſternitur in oratione, & tandiù in lachrymis ad Deum fudit preces, quouſque dirupto obice cum catenis, terræ reſtitueretur appenſus. Tunc monachus apprehenſum eum, Abbatis conſpectibus incolumem repræſentat. At ille gratias agens, Comitem acceſſiri iubet, dicens: Semper me benigno animo ſolitus eras audire fili dilectiſſime: & cur hodiè induratus hominem, pro cuius vita rogaueram, non laxâſti? At ille: Libenter te, inquit, audio ſancte ſacerdos: ſed inſurgente vulgo, aliud facere non potui, timens ſuper me ſeditionem moueri. Et ille: Tu, inquit, me non audîſti: Deus autem audire dignatus eſt: & quem tu tradidiſti morti, ille vitæ reſtituit. En, inquit, coram te adſtat ſanus. Hæc eo dicente, proſternitur ad pedes Comitis ſtupentis, quòd videbat viuere, quem in mortis interitu reliquiſſet. Hæc ego ab ipſius ore Comitis cognoui. Sed & alia multa fecit, quæ inſequi longum putaui. Poſt * quadraginta quatuor verò annos recluſionis ſuæ, parum febre pulſatus, tradidit ſpiritum: protractuſque à cellula, ſepulturæ mandatus eſt. Magnus autem conuentus, vt diximus, de redemptis, in eius proceſſit exequijs.

Hiſtoria præcedens habet 39. ſed facilè in numeris labuntur librarij.

VITA S. CARILEPHI PRESBYTERI ET MONACHI, GRAVITER ET ERVDITE CONSCRIPTA. HABETVR IN PERvetuſtis MS. Codicibus, *Stylum aliquot locis, vbi res poſcere videbatur, modicè elimauit Frater Laurentius Surius.*

Vitam beatiſſimi Carilephi ſacerdotis * Aninſulæ cœnobij narraturus, ſanctum inuoco ſpiritum, actuum eius comitem: cuius ille præſidio fretus, tanquàm quiſquilias domûs, labiles huius vitæ deſpexit diuitias, & ſub leni redemptoris iugo animi colla ſubmittens, per cæleſtis tramitem vitæ curſu perpeti impolluto calle mundanas tranſmiſit illecebras. Nemo mè putet de illius rebus geſtis falſa dicturum, quippe qui ea tantùm ſcribenda ſuſceperim, quæ aut in antiquis reperi ſcripta voluminibus, aut ab incolis loci illius, in quo vir ſanctus conuerſatus eſt, ab illo facta didicimus: nec fallendi cupio eſſe artifex, tametſi per ingenij inopiam narrator videar anguſtus.

Præfatio authoris.

* al. Anſola.

Digitized by Google

Iulii 1. Patria S. Carilephi. — *Antiquiſſimum apud Chriſtianos, crebro ſe Cruce ſignare.* — *Matth. 21.* — *Eius ſancta exercitia.*

I. IGITVR vir vitæ venerabilis Carilephus ex prouincia Aquitaniæ pago Aruernico ortus eſt, parentibus non improbis, ſed credentibus in Chriſtum, ibiq; in crepundijs lactantis infantiæ ablactatus eſt & nutritus. Qui cùm adoleſcere cœpiſſet, totum ſe in amore ſuperni iudicis, quantum fas videbatur, conſtringere, coætaneorum ſuorum inſolentias & vaniloquia declinare, ſigno ſanctæ Crucis ſe hincindè communire, tum etiam ad cælos ſemper oculos reuerenter leuare, & ſoli Deo vacare ſanctus puer ſtuduit, ſcilicet vt illorum puerorum iungi mereretur conſortijs, qui veniente Domino clamauerunt: Hoſanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini. Porrò eius propinqui vt viderunt eum ab omnibus mundanis deſiderijs alienum, nutu Dei religioſis monachis eum nutriendum tradiderunt, & ſacris myſterijs imbuendum. Vbi cùm per dies ſingulos ætate, ſapientia & amore æternæ patriæ creſceret, cœpit iam talis exiſtere, qualem poſſis ſine bonorum oblocutione aſſerere. Erat enim ſubiectus maioribus, ijs ſancta iniungentibus obſecundans: blandus æqualibus, & communi charitate mirè officioſus erga inferiores, nulli ſe in religioſo curſu præferens, cùm omnes in via Dei & cæleſti tramite anteuerteret. Erat frequens in ieiunijs, in vigilijs pernox, in precibus perſeuerans. Quid verò de eius pudicitia dicere nos attinet, cùm in eo domicilium ſibi ſtatuerit caſtitas, & altas fixerit charitas radices? Talis ad maturiores peruenit annos, & bonæ operationis viam vt aggreſſus eſt, ita etiam conſtanter proſecutus eſt.

Hortatur ſuos ad vitæ monaſticæ inſtitutum.

II. CVM autem tantæ virtutes & chariſmata cunctis eum redderent amabilem, & in magno honore & reuerentia ab omnibus haberetur, metuens vir ſanctus, ne ſagitta diaboli vulneratus, in laqueum elationis incurreret, peregrinam cogitabat vitam arripere, vt ſic ignotus deſpiceretur ab omnibus, & mereretur gloriam ciuium ſupernorum. Quodam igitur die accerſitis quibuſdam è fratribus, quos in diuinitatis amore conſtantes cognouerat, ita eos cœpit compellare: Quamuis, fratres chariſſimi, mundi huius facultatibus abiectis & contemptis, videamur religionis titulo inſigniri, tamen ſi velimus eſſe memores, quanta Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro noſtris ſit peccatis perpeſſus ſupplicia, non poſſumus non fateri, nos pauca ei retribuere pro eis, quæ ille præſtitit nobis. Ille Deus cùm eſſet, in vnitate regnans cum Patre & ſpiritu ſancto, exinaniuit ſemetipſum, & de Virgine matre, operante ſpiritu ſancto, dignatus eſt formam ſerui ſuſcipere, non deſinens eſſe verus Deus: factuſque homo, deitatis imperio non ſe abdicauit. Creuit per tempora, ſubiectus parentibus vt verus homo: ſed multis fulſit miraculis, vt Deus verus. Poſt innumera autem miracula, quæ eloqui non poſſim, etiamſi mihi per centum linguarum irriguos meatus verba fundantur, vt nos à peccati vinculis abſolueret, funibus conſtrictus, ſputis illitus, alapis cæſus, irridiculè adoratus, ad columnam alligatus, corpore nudato diriſſimè flagellatus, ſpinis coronatus, clauis ad patibulum Crucis affixus, felle cibatus, aceto potatus, lancea confixus, inter latrones deputatus, in terra ſepultus eſt, vt verus homo ſed in obſcuratione Solis, in terræ totius commotione, in ſciſſione luminis & veli templi, in fiſſione petrarum, in apertione ſepulcrorum, in reſurrectione ſua & ſanctorum corporum, atque in aſcenſione ad cælos, declaratus eſt verus Deus. En quanta ille pro noſtris erratis perpeti dignatus eſt, qui nullum omninò habuit peccatum. Quid nos miſeri dicturi ſumus, quandò ille in diuino examine plagas, quas noſtrâ causâ ſuſtinuit, oſtendet, qui vt illi iungi mereamur, nil laboris tolerare volumus? Peregrinemur ergo in hoc ſæculo pro illius amore & deſiderio, vt etſi ciues non poſſimus effici angelorum, vel pœnas æterni incendij euadere valeamus.

Geneſ. 12. — *S. Auitus iungit ſe S. Carilepho.* — *Locus obſcurus.* — *Pſal. 26.* — *Maximinus Aurelianẽſ. Epiſcopus.* — *Matth. 25.* — *Carilephus & Auitus initiantur ſacerdotio.*

III. HIS dictis, conticuit. At illi ad eius veſtigia proſtrati, quaſi ex vno ore dixerunt: Bonum te quidem in cunctis actibus ſemper perſpeximus frater, ſed optimum nunc tua reſtantur eloquia. Parati ſumus, Chriſto adiuuante, ſequi veſtigia tua, & pro illius amore famem, inopiam & nuditatem perpeti. Poſt hæc facta oratione cum fletu, inſtar Abrahæ patriarchæ per iter incognitum gradientes, Chriſto duce, profecti ſunt. Votis autem viri Dei beatus Auitus, qui erat viuum quoddam ſapientiæ domicilium, ſe ſocium adiunxit, & vt inchoata peruigili animo perficerent, eos animauit. Cœperunt igitur milites Chriſti ſingula ſanctorum loca ſagaciter inuiſere, vt certos quoſdam de bonorum meritis floſculos legerent, & ad maturitatem quaſi grauida arbor poma producerent, atque de fructibus bonorum operum donaria onuſta plantarent. Poſt aliquot autem dies peruenerunt ad Ligerim fluuium, eoque tranſmiſſo, ad partes occiduas iter intenderunt, ſolerter inquirentes, ſi fortè inuenire poſſent Patres, quorum exemplo per melioris vitæ tramitem ad terram viuentium, in qua Propheta Dauid eſſe concupierat, pertingere valerent. Interim præcurrente fama, audiunt de beatiſſimi Maximini, Aurelianenſis præſulis ſanctitate & labore atque virtutibus, feruentique deſiderio ad eius properant monaſterium, quod ipſe ſibi in ſuæ Eccleſiæ parœcia conſtruxerat, vbi carnem macerans, ſedulus Domino ſeruiebat, & multis coruſcabat miraculis. Cumque eò perueniſſent, reuerenter ab eo ſuſcepti, ibi aliquandiù morati ſunt, vt Confeſſoris Chriſti cognoſcerent ſanctitatem. Vt autem beatiſſimus Maximinus eorum ſapientiam & abſtinentiam perſpexit, diuina inſpiratione permotus, hortabatur eos presbyterij dignitatem ſuſcipere, vt per ſanctæ prædicationis ſtudium alios ſecum ad regna cælorum perducerent, ne in illo diuino examine vacui à munere viderentur: ſed cum duplicato talento ad creditorem ſuum reuertentes, in gaudium Domini feliciter intrarent. His auditis, beatiſſimi viri Carilephus & Auitus, vt erant ad omnem humilitatem paratiſſimi, ſicut bona terra ſemen verbi libenter excipientes, vt centeſimum fructum per patientiam redderent, iuſſis Pontificis obtemperârunt, atque ab eodem ſacerdotij onus ſibi imponi ſuſtinentes, mox inde ingreſſi ſunt, vt ſpiritale ſemen in corda credentium iactarent.

Iohan. 7. — *Fugit homines.* — *Pſal. 144.*

IV. EVNTES autem peruenerunt ad vaſtam quandam eremum in loco, qui Pitiacus antè dicebatur, nunc autem Cella S. Auiti vocatur, ibique in multis ieiunijs & orationibus perſeuerantes latitârunt. Porrò S. Carilephus, quemadmodùm olim Moyſes, poſt oblatas Domino preces, aquam viuam illic inuenit, vt daretur intelligi, flumina de ventre eius, id eſt, ſancti ſpiritûs doctrinam iuxta veritatis vocem prodituram, & corda audientium irrigaturam. Super eum autem fontem ſanctus vir ad laudem Dei ſummi oratorium extruxit, & vſq; in præſens fons S. Carilephi vocatur. In quo loco dum morarentur, & in Dei famulatu ſtrenuè exercerentur, meritorum eorum fama vſque adeò longe lateque diffundi cœpit, vt ab omnibus inuiſerentur. Id vbi animaduertit ſacerdos Domini Carilephus, inſtar Iohannis Baptiſtæ ſolitariam vitam appetens, valedixit S. Auito, & cum germano ſuo Daumero, Galloque commilitone, ad partes Cenomanorum perrexit, ſingulaque ſolitaria loca perluſtrans, vbi ſecretiùs degere poſſet, explorabat. Sed Dominus, qui voluntatem timentium ſe facere conſueuit, perduxit eos ad locum ſolitudinis ipſi pergratum, qui Caſa * Iagani priſcis dicebatur temporibus, ſuper fluuium, quem Aniſolam appellant, vbi multi fontes frigidas fundunt aquas: à quarum frigiditate fluuium volunt ſumpſiſſe vocabulum, tanquam ab anio, id eſt, tremo, & inſula: dictus ſit Aniſola, hoc eſt, tremoris & frigoris inſula. Atque hinc etiam anates volucres dictas putant, quòd ſemper in aquis verſari eas delectet. Erat autem is locus valdè ſolitarius & nemoroſus.

Oratio S. Carilephi.

V. EO vt peruenit vir ſanctus, perſpexitque locum à ſæcularium habitatione & hominum frequentatione alienum, nullumque illuc mortalium acceſſum, niſi volucrum & beſtiarum, ſibi eum à Domino præparatum intelligens, humi proſtratus, ſic orauit: Lumen meum Chriſte mecum inhabita, & qui Antonio ſeruo tuo in eremo commoranti ita adeſſe dignatus es, vt ad exemplum illius & magiſterium multæ hominum turbæ confluerent: cùm quibus terribili tuo aduentui vt bonus præliator, diuictis vetuſti hoſtis inſidijs, te cooperante poſſet occurrere: præſta & mihi non merenti in hoc loco cæleſte præſidium, vt quæ tibi ſunt placita, momentis omnibus operemur, & ſuper-

ſupern

ſuperatum ſe lugeat hoſtis nequiſſimus, qui nos debellare feſtinat. Oſtende nobis Domine Deus noſter ſecundùm magnitudinem potentiæ tuæ, vt cognoſcamus tua nos huc voluntate veniſſe: qui es benedictus Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Cui cùm reſpondiſſent, Amen: cœperunt ſarculo, quod ſecum attulerant, ſentes eruĕre, vt nonnihil poſſent colere humum, & iactis paruis ſeminibus, herbarum radicibus victitare. Dum autem totis viribus incumbunt extirpandis vepribus, repentè nutu Dei maceriam dirutam offendunt, quæ ob nimiam vetuſtatem ſpinis & ſentibus operta, ſerpentium erat hoſpitium & habitaculum beſtiarum. Ea re perſpecta, athletæ Dei magno conatu ſpinas euellunt, & Dauidico carmine gratias agunt altiſſimo, qui eis ad inhabitandum domicilium demonſtrâſſet: & aliquot menſes in opere perdurantes, ex vilibus virgultis tugurium ſibi conſtruxêre: multiſque diebus Domino illic ſeruientes, Miſſarum ſolennia & ſingularum horarum officia perſoluebant.

VI. Cvm autem die quodam miles Chriſti Carilephus ſagaci cura locum horro excolendo opportunum inquireret, pauciſſimas vites de ruinis conglomeratas inuenit, diuina diſpenſatione vuis refertas. Quas vt vidit, fixis in terram poplitibus, benedixit Dominum, cum lachrymis dicens: Benedictus es tu Deus, quia tu in excelſis habitas, & humilia reſpicis: quem glorificant Angeli & adorant Dominationes: qui non deſeris inuocantes te in veritate, ſed quæ pollicitus es, ſemper implere feſtinas. Tu enim dixiſti, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, & ego in medio eorum ſum. Tu es via inennarrabilis, tu es veritas incommutabilis, vita immortalis, mons infatigabilis, petra incorruptibilis, murus inexpugnabilis, fons indeficiens, ianua patens, panis viuus, vitis vera, cuius palmites per cuncta mundi climata in ſanctis prædicatoribus extenduntur, cuius ſpirituali aqua abluimur, cuius veraciſſimi corporis nutrimur pane quotidiè, cuius ſacratiſſimo ſanguine indeſinenter ſatiamur: Tuum nomen cum timore & tremore ſupplex precor, vt effundas ſuper hunc locum multiplices tuæ gratiæ benedictiones: vt extruſis hinc ſerpentium ſibilis, & beſtiarum rugitu atque vlulatu, rationabilium hominum ad laudes tuo nomini depromendas repleatur vocibus.

Pſal. 137.
Matth. 18.

VII. Hac fuſa oratione, erexit ſe, & exutus cucullo, quo indutus erat, ad arboris eum ramum ſuſpendit, & vitium cœpit palmites à frutetis abſoluere, atque ab earum radicibus ſpinas & tribulos eradicare. Eo autem ſic infatigabiliter pro immenſo gaudio laborante, exigua quædam auis in cucullo eius ouum poſuit, & auolauit. Cumque poſt laborem veſtimentum repeteret, ouum videns, Domino gratias egit, ita dicens: Gloria tibi Chriſte Ieſu fili Dei altiſſimi, qui ſecundùm magnam indulgentiam tuam, ouum mihi ſicut pater filio donaſti. Nunc ſcio, quia me, etſi immeritum, in filiorum tuorum numerum adoptare dignaris, & demonſtraſti mihi fore, vt multæ hîc ſobolis pater efficiar. Deindè ouum exultans fratribus oſtendit, & ait: Eccè fratres, quomodò nos diuina potentia in minimis viſitare dignata eſt, vt potiora fideliter exequamur. Sed cùm eo in loco, per ſingulos dies in Domini ſeruitio perſeuerantes, aliquanto tempore ſeſe occultâſſent, ſicut non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, neque accenſa lucerna, poſita ſuper candelabrum: ſic ſacerdotis magni Carilephi regi non potuit ſanctitas, vt ab arbore, quæ ad maturitatem iam fruges perduxerat, populorum turbæ ſpiritalia poma deciperent, & lumen, quod latebat in tenebris, corda ignorantium illuminaret. Quo ergò ordine ad hominum notitiam eius merita peruenerint, exponamus.

Matth. 5.

VIII. Erat tum in ea ſolitudine taurus, qui ſylueſter dicitur, miræ magnitudinis, miræque ferocitatis. Vulgò, à bouis deriuatione, bubalum eum vocant. Is diebus ſingulis, poſita feritate, ad ſanctum Dei Carilephum venire ſolebat, & quaſi benedictionem poſtulans, ſummiſſo capite accedebat ad eum, ſtans immobilis, donec illius manibus contrectaretur. Itaque caput & collum eius ſeruus Dei contrectans, fratribus id quod futurum erat, ita prædixit: Cuiuſdam potentis hominis taurus iſte ſpeciem præ ſe fert, qui cum magna indignatione ad nos venturus eſt: ſed diſpenſatione diuina coactus, cum omni manſuetudine recedet à nobis. idque poſteà rei probauit euentus. Per idem enim tempus Francorum rex Childebertus cum robuſtiſſima manu, regio more ad Cenomanos veniens, aliquandiù illic morabatur. Indicatum eſt autem illi de prædicti bubali vaſtitate & ferocitate, & quòd non ſolùm capi non poſſet, ſed etiam volatu pennigero ab oculis videntium aufugeret. Id ille audiens, cum omni venandi apparatu ingreſſus eſt eremum, ſagaciter inueſtigans, vbinam bubalus latitaret. Ad eius verò ſtrepitum & clangorem buccinarum, canumque latratum & hominum clamores commotum animal, ad ſanctum Dei Carilephum, quaſi ad portum refugij ſe recipiens, tremens ac palpitans, huc illucque toruis oculis adſpectabat. Quem venatores inſequentes velociter, inuenerunt prope Chriſti famulum ſtantem & palpitantem: timoreque perculſi, non ſunt auſi propè accedere: ſed protinùs veloci curſu reuertentes ad regem, ei, quæ viderant, cum magno pauore nunciauerunt. At ille verſus in furorem, eò ſe deduci iubet ab ipſis: cumque vidiſſet ſeruum Dei, & bubalum ad tergum eius ſtantem, indignabundus ait: Quinam eſtis vos homines, aut vndè huc veniſtis, vel cuius hîc authoritate commoramini, & regiam venationem interturbare audetis? At Chriſti ſacerdos Carilephus, non immemor præceptorum Domini dicentis, In veſtra patientia acquiretis animas veſtras: cum omni humilitate properans ad regem, dixit ei: Nos, domine rex, ex Aquitaniæ partibus huc ad peregrinandum venimus, vt cæleſtis patriæ indigenæ fieri mereamur. Reliquimus diuitias inſtabilis vitæ, vt ad illius ſemper manſuræ gloriam peruenire valeamus. His auditis, rex cum ingenti indignatione minitabundus ait: Omni cum celeritate hinc recedite, & alibi vobis ſedem figite, nè deinceps à noſtris hîc hominibus deprehenſi, ſæuiſſimis ſtipitum verberibus rumpamini. S. Carilephus conſtanter reſpondit: Non eſt neceſſè, clementiſſime rex, vt hac de re quicquam tibi reſpondeamus: ex paucis autem vitibus, à Chriſto nobis in hoc loco oſtenſis, modicus vini liquor expreſſus in paruulo vaſe habetur: petimus, vt pro benedictione cum his omnibus, qui tecum ſunt, ſumas indè, & ſic ad tuum palatium cum lætitia reuertaris.

Bubalus ſancto viro familiaris.
Prædicit fratribus quem bubalus ille præſignat.
Luc. 21.

IX. Eivs autem verba rex deſpiciens, equum vertit, aitque cum fremitu: Hoc facite, quod præcepi: mihi verò & meis nihil opus eſt, veſtræ ruſticitatis multum vt potemus. His dictis, vt fortiſſimus equi moderator abijt: ſed Dominus Deus, qui ſerui ſui merita decreuerat in lucem proferre, gradienti regi obſtitit, nè poſſet iter proſequi. Repentè enim equus eius obriguit, & haud ſecus atque præcipitium viam, qua tendebant, oſcitabundus refugiebat. Rex autem cœpit eum magna contentione impellere, virgis cædere, calcaribus cruentare. Sed videns nihil ſe proficere, nimia equi cæde fatigatus, mirabatur quid equo accidiſſet, vt nec progredi, nec retrocedere poſſet. Tum vnus ex Comitibus eius, diuina, vt reor, inſpiratione commotus, dixit ad eum: Superni regis famuli ſunt hi, quibus tu comminatus es, præcellentiſſime rex: qui, vt arbitror, ſi vel Soli ipſi dixerint, Sta: ſtabit profectò Sol, curſumque ſuum ſine illorum imperio conficere non audebit. Dixit autem illi rex: Abi citiùs ad hominem Dei, ſi fortaſſis deprecari poſſis, vt vel ad ſua nos veſtigia repedare permittat. Mox veloci curſu, vt erat iuſſus ad virum Dei reuerſus Comes, & ad eius pedes aduolutus, indicauit, quid regi eueniſſet. Ille verò gratias agens Deo, comiter iuſſit regem ad ſe reuerti. Id vbi rex didicit, equus, qui pauloantè nulla verberum vi aut calcarium punctionibus, vt ſe loco moueret, adigi potuit, ad ſanctum Dei ſolita velocitate regreſſus eſt. Poſtquàm autem rex Dei ſeruum procul vidit, ab equo deſcendit, curſuque concito & curuato corpore ad eum cucurrit, eiuſque proſtratus veſtigijs, tranſgreſſorem ſe & impium, qui ſancto Dei contradicere auſus eſſet, cum lachrymis clamitabat. At Chriſti ſeruus eum cõplexans, erexit à tellure, exoſculatumq; his inſtruxit admonitionibus: Ruſticitatis meæ verba accipe

Childebertus rex, dũ minas intentat ſeruis Dei, diuinitus caſtigatur.
Carilephus regem inſtituit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

accipe nunc, inuictiſſime Princeps, & quæ à me dicentur, in cordis tui penetralia admitte. Dominum, qui in cælis eſt, regem te habere memento, cui, multùm neceſsè eſt conſiderare, quid placeat. Non te de loco regiminis inflata poteſtas extollat, nec reddat turgidum rerum tranſeuntium tumor: huius altitudo honoris temperetur ſancta humilitate. Recordari te conuenit, quòd cum omnibus hominibus vnus te mulieris partus effuderit in mundum, vno ſis cum cæteris omnibus mediatoris Dei & hominum Chriſti Ieſu redemptus cruore, æquali etiam regeneratus baptiſmate, vno Chriſti corpore & ſanguine cum pauperibus ſatieris. Dicit autem tibi Dominus per prophetam ſuum: Non aliud exquiro à te niſi facere iudicium & diligere miſericordiam, & vt paratus ſis ire poſt Dominum Deum tuum. ſcriptum quippe eſt: Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem. Tu ergò pro conceſſa tibi à Domino regia poteſtate, homines culpæ obnoxios impenſa pietate reſtitue: quia exigua eſt apud Dominum noſtrum miſericordia, ſi eos tantùm læſio non ſequatur, qui reatu carent. Cæleſte eſt, remittere ſceleta: terrenum, vlciſci. Tu itaque inſtar poteſtatis æthereæ hoc poſſidebis regnum, ſi imperium tuum pietate ſublimaueris.

Mich. 6. — *Prou. 20.*

HIS admonitionibus inſtructus rex, ſtabat attonitus, ac ſi Deum in eius pectore cerneret, pollicebaturque X.
ſanctiſſimas præceptiones, ipſius precibus adiutum, ſeſe impleturum. Deindè manus ſacerdotis exoſculans, obnixè rogabat, vt pro diuina benedictione poculum, quod antè promiſerat, porrigi iuberet. Quod cùm eſſet allatum, ſua manu obtulit regi vino plenum, qui illud hilariter accipiens, totum vinum exhauſit. Inde etiam alijs, qui aderant, bibentibus, rogabat eos ſacerdos Chriſti, vt tertiò & quartò biberent vſque ad ſatietatem, dicens de pleno ſemper impertire eum, quem non opprimat in largiendi voluntate paupertas: nec vnquàm animum diuitem facultate deſtitui, nec poſſe abundare hominem mente mendicum. Ita factum eſt, vt copioſa multitudo, quæ cum rege erat, ad ſatietatem biberet, nec vinum tamen in vaſe minueretur. Sed quid mirum, ſi vas plenum vino remanſit ſacerdotis Carilephi meritis, cùm ipſe author vitæ, qui quinque panibus quinque hominum millia ſatiauit, promiſerit maiora eos facturos, qui in eius nomine eſſent credituri? Poſtquàm autem biberunt omnes & ſatiati ſunt, iterùm rex ad ſancti viri pedes ſe abijciens, obnixè rogabat eum, dicens: Video hominem Dei te eſſe, & illius huc miſſum voluntate. Oro igitur, vt digneris noſtræ ſupplicationis munus accipere, & de * Madoalenſis fiſci noſtri finibus, vbi poſſis monaſterium condere, quantum tibi viſum erit, eligere: vt congregata fidelium caterua, ſolitudo hæc in domum vertatur orationis: & vbi brutorum animalium fuit habitatio, ad laudem mundi redemptoris fiat hoſpitium Angelorum: vt & te de conſtructione apud cæleſtem iudicem magna maneat merces, & meorum atque Francorum, qui mihi parent, fiat expiatio peccatorum. His regis flagitationibus vir ſanctus conſtrictus, id ſolum ſe accepturum aſſenſit, quod ad recipiendos peregrinos vno die aſello vectus circumire poſſet. Atque eo munere accepto, benè precatus eſt regi atque omnibus ſocijs eius, hortabaturque vt alacriter ad ſuum palatium rediret. Reuerſus rex domum, protinùs cum multa exultatione omnia Vltrogodæ reginæ ordine intimauit, eaque dixit ei. Neceſſe eſt, domine mi rex, vt velociter operando cuſtodias cuncta, quæ didiciſti.

Nota has beati viri ſententias. — *Matth. 14. Iohan. 14.* — ** Modoalenſis.* — *Offertur ei a rege Madoalenſis fiſcus pro extruendo monaſterio.*

HIS ita geſtis cœperunt ſerui Dei magis magiſque ſedulis ieiunijs & orationibus vacare, vt quos aduerſa XI.
perturbare non poterant, proſperis ſucceſſibus non eleuarentur. Porrò autem magnarum perſonarum ſancti viri fama aures demulcente, multi ad eum hincindè cateruatim conuenêre, illius ſe precibus commendantes. Ille verò humaniter eos ſuſcipiens, blandis ſermonibus compellabat, & perindè ac ſi quidam mellis fauus ab eius ore manaret, eorum corda ſuauiter afficiebat, cum magna conſtantia & ſuauitate eis dicens: O quàm venuſtas figulus noſter Deus formauit in vobis imagines, quas ad perpetuæ æternitatis finxit ſimilitudinem. Feſtinate ergò quantocius, quæ ſunt iuſta operando, ad eum aſcendere, qui vt vos ab æterno æſtuantis gehennæ incendio liberaret, dignatus eſt deſcendere, natus ex Virgine: ille alienus à crimine, vt vos à flagitijs mundaremini, mortem crucis pertulit & flagella: vos ſine tormento, recedendo à malo, & faciendo bonum, poteſtis ad eum pertingere. Filioli mei, fugacem iſtam & fallaciſſimam vitam deſpicite, & fugitiuas illecebras reſpuite. Hæc enim vita, caduca eſt & tam infida, vt nec amatoribus ſuis ſeruet fidem. Omnes in ſe ſperantes decipit, cunctos de ipſa præfidentes irridet. Ipſa inter coniuges diuortia ſerit, inter amicos diſcordias, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala. Ipſa iudicibus iuſtitiam, caſtis pudicitiam, artibus peritiam, moribus diſciplinam eripit. Contemnite ergò vitam hanc, quæ hora vna exiſtit, & puncto temporis amittitur: quæ hodiè floreſcit, cras euaneſcit: ad illam autem veram vitam feſtinare, cui nullius vnquàm ſuccedit finis. Quantum autem diſtat inter ignem viuum & picturam eius, tantum intereſt inter tormenta, quæ patitur hìc corpus, & illa, quæ anima paſſura eſt, ſi ignara creatoris ſui, præſentis vitæ impleuerit curſum. Itaque ſi quem veſtrùm pondera peccatorum inclinant, ad pœnitentiæ portum ſine hæſitatione confugiat, & cordis gemitu grauis ſarcina alleuetur. Nolite tardare conuerti ad Dominum, qui ad vos & per ſuos prophetas clamat quotidiè & per ſemetipſum vocare non deſinit, dicens: Venite ad me omnes, qui onerati eſtis peccatis, & ego requieſcere vos faciam. His informati ſermonibus, qui ad S. Carilephum venerant, flentes ad ſua habitacula recedebant.

Præclara eius oratio ad eos qui eum inuiſebant — *Matth. 11.*

ADEO verò diuinus in eo fauor ſeſe declarauit, vt ſi ægroris manus imponeret, curarentur, quocunque eſſent XII.
morbo oppreſſi: ſed & de obſeſſis corporibus vociferabantur dæmonia, flagris ſe & cruciatibus nimijs, ſacerdote Carilepho imperante, expelli, quos ille, breui cum lachrymis fuſa oratione, ad extremos terrarum orbis fines relegabat. Ecquid verò pluribus me agere neceſſe eſt, quandò omnia referre non poſſum? His ſanationibus corporum etiam animarum ſtudia iungebantur, vt multorum cordium oculi, illius monitis illuminarentur, atque ad exercenda præcepta Dominica nutantium animi excitarentur. Multi quidem ex illis ſancti ſpiritûs inflammati calore, mundanas reſpuentes illecebras, ad illius conſortium conuolabant. Quodam autem die fodiente illo terram cum fratribus, qui ad conuerſationem eius ſe adiunxerant, eo in loco, vbi ad conſtruendum Domino templum fundamenta iactari debeant, ſubitò magnum auri pondus in vaſe fictili ſub terra inuenit repoſitum, vocatiſque fratribus, ait: En quantum nobis præſtitit Deus noſter, vt viri iuſti in nobis vaticinium cõpleatur, ita dicentis: Habebimus multa bona, ſi timuerimus Deum. Non ergò eleuet ſe cor noſtrum pro huius theſauri inuentione, qui non propter eà oſtenſus eſt nobis, vt eum poſſideamus, qui etiam proprias facultates amore cæleſtis patriæ abiecimus: ſed vt per nos peregrinis & indigentibus diſtribuatur. Quod ita etiam factum eſt: non enim erat in beato viro auri ſacra fames aut cupido, vt cui mundus, vt ait Apoſtolus, iam eſſet crucifixus, ſicut & ipſe mundo: cui indumentum aliud non erat, niſi cilicium, & nuda humus ſubſtrato cinere lectum exhibebat: qui nudis ſemper gradiebatur pedibus etiam in quacunquè aëris inclementia, memor illius ſententiæ Saluatoris: Nihil tuleritis in via, neq; peram, neq; calceamenta. De ferculorum verò perceptione quid dicam, quandò cibi potuſque ferè expers, ſola propemodùm lectione paſcebatur? Quoties tamen pro corporis ſuſtentatione poſt biduum triduumq; ad refectionem ſedebat, vile olus & parùm leguminis capiebat, neq; id tamen ad ſatietatem. Vinum verò haud ſecus atq; venenum reſpuebat, aquæ ſolius hauſtu contentus. Operabatur autem ſedulò manibus, illud Apoſtolicum memorans: Qui non laborat, nec manducet. Vtebatur etiam lectione pro requie. His laboribus ſe macerans per ſingulos dies, ita ſe reddidit celebrem, vt ad eius conuerſationem permulti aduolarent, creſceretque monachorum cœtus etiam ex viris ſpectabilibus, ſonuſque prædicationis loca omnia compleret.

Curat morbidos & demoniacos. — *Inuenit S. Carilephus theſaurum aureum, quẽ in vſum piorum diſtribuit.* — *Tob. 4. Galat. 6.* — *Luc. 10.* — *Multa eius abſtinentia.* — *2. Theſ. 3.* — *Multi ſpectabiles viri fiunt monachi.*

DVM

XIII. Dvm hæc agerentur, peruenit ad aures Vltrogodæ reginæ de beatiſſimi Carilephi ſanctitate, abſtinentia, humilitate, & quòd eſſet prophetiæ ſpiritu plenus. Miſit ergò ad eum quoſdam ex iudicibus, qui reuerenter ab illo peterent, vt permitteret ipſi ad eum accedere, vt eius benedictione frueretur: ſimulq́; offerret monaſterio illius Madoalenſes fines omnes. Poſtquàm illi hæc viro Dei ſignificârunt, metuens ille, ne diſcipulorum mentes in aliquo ſtimularentur, per eos comiter reginæ hæc remandauit: Ite, inquit, dulciſſimi filij, & renunciate reginæ, monachum in terris poſſeſſiones habere non debere: benedictionem verò, quam fideliter expedit tanquàm à ſeruis Dei, ipſam à ſupernis ſedibus percepturam. Credo enim in omnipotentis Dei miſericordia, qui me indignum ad hunc locum perducere dignatus eſt, & multorum fratrum quamuis inutilem patrem conſtituit, intrà hoc cœnobium ſexum fœmineum nunquàm ingreſſurum: quod quidem ita ſeruatur vſque in hodiernum diem. Reuerſi illi, reginæ renunciauerunt, quæ ſanctus vir mandauerat. Illa verò, vt fœmina prudentiſſima, de percepta benedictione Deo gratias agens, conticuit. O magnum cordatumque ſacerdotem, cuius erat ſermo ad doctrinam opportunus, ad interceſſionem commodus, ad neceſſarias exhortationes lepore conditus. Qui ad excipiendos hoſpites erat promptiſſimus, in donis largus, in operatione pius, omnes ad ipſum venientes gratiſſimis paſcens eloquijs. Tanta verò illi cura erat apud regem intercedendi pro miſeris, vt ſe iniuria illos affeciſſe exiſtimaret, ſi caſu aliquo non ſtatim ſupplicem ad regem epiſtolam miſiſſet: quem etiam deprecando nunquàm defeſſus eſt. Quid multis immoror? Factus erat omnibus omnia, vt omnes faceret ſaluos. Erat autem vultus vitæ reſpondens, ità vt eum vidiſſe, præmij inſtar eſſet: & cum eo habitare, magnam adferret ſecuritatem.

Reſpuit à regina oblatas poſſeſſiones.

Monaſterium S. Carilephi nulla ingreditur mulier.

XIV. Sed quid reformidas oratio? quid ceu carina ſcopulos refugiens perhorreſcis? Velis nolis, cuius vita quamuis ſtrictim dicta eſt, eius etiam narrandus eſt obitus. Circa finem igitur vitæ, quem ſanctus ſacerdos ſpiritu præuiderat, correptus febre, accitis cunctis fratribus, ſic locutus eſt ad eos: Ecce chariſſimi filij, iam me ad migrandum ætas compellit, iam me ad ſuum ius originaria reuocat terræ particula. Scribite ergò in tabulis cordis veſtri ea, quæ per me vobis dicuntur à Domino, & inuicem vos adhortando, præcepta myſtica ſeruate. Pacem, quam ſuis diſcipulis author noſtræ ſalutis repetitis commendauit ſermonibus, cuſtodite, iram omnem & murmurationem ceu diaboli venena reſpuite. Authori bonorum omnium ſeruate pudicitiam, & cum omnibus hominibus pacem loquimini. Omnis mendax ſermo non proficiſcatur ab ore veſtro, ne fortè ſententia illa prophetica feriamini, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Non vos inquinet luxuria, non libido perturbet, non inuidia tabefaciat, non elatio inflet, non vana gloria demulceat. Damnate ſuperbiam, quæ regina eſt omnium vitiorum. Fugite auaritiam, & omnes adinuentiones eius toto pectore repudiate: memineritis ſuperbiam, libidinem, auaritiam alumnos ſuos omnes mittere in tartarum. Adulatio procùl ſit à vobis, hoſpitalitatem diligite, cuius plerique ſtudioſi, angelorum conſortia meruêre. Super omnia momentis omnibus orate & pſallite, vt ſanctus ſpiritus cuſtos veſter ſit nunquàm deficiens. Alterius ruina, veſtra ſit cautela: & aliena miſeria, veſtra afflictio ſit. Flete cum flentibus, iacete cum iacentibus, donec miſerante Domino pariter releuemini.

Morituri præclaræ adhortationes.

Iohan. 14. & 20

Pſalm. 5.

Gen. 18.

Rom. 12.

XV. Hæc & his ſimilia ſancto Patre proſequente, proſtrati fratres omnes, cum gemitu & rugitu cordis immodicè flere cœperunt, ita vt oculorum imbre humum madeficerent: dicebantque ad illum: Cur, ò pater, hiſce difficilibus temporibus acquiſitũ gregem tam citò relinquis? Væ nobis miſeris, qui talem amittimus paſtorem, cuius fruebamur alloquijs, & interceſſionibus muniebamur. At pius pater, humaniſſimè eos ſuo more conſolans, ait: Cur dulciſſimi filij tam acerbè ploratis & plangitis? Paſtor & congregator veſter, qui in cælis eſt, ſi ad eius voluntatẽ vos conformaueritis, nunquàm deſeret vos. Ego verò iam diſſoluor, & tempus eſt vt pergam ad eum, quem à puero deſideraui. Cõfortamini ergò, & Dominum benedicite: quia proficiſcor à morte ad vitã, à labore ad requiem, ab afflictione & mœrore ad gaudium, à fame ad epulas, de tenebris ad lucem, de ignominia ad regnum & gloriam ſempiternam. His dictis, hortabatur eos, vt pſalmos Domino decantarent: ipſe autem expanſis in cælum manibus, hilari facie quaſi inuitatus ad epulas, canebat: Miſericordias tuas Domine in æternum cantabo: in generatione & progenie annunciabo veritatem tuam in ore meo. & illud: In manus tuas cõmendo ſpiritum meum: necnon adijciebat, de profectionẽ ſecurus: Confirmatum eſt cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo ſalutari meo: vt inter hymnos & cantica ad ſedem ſuam cæleſtis anima remearet. Inter hæc flentibus fratribus atq; pſallentibus, ſacerdos Domini corpore Chriſti percepto, gaudens & exultans emiſit ſpiritum. Ad cuius ſancti corporis excubias tantæ populorum turbæ confluxêre, vt ad explicandum lingua non ſufficiat. In tanta enim multitudine, vt ita dicam, penè totius prouinciæ, nemo fuit, qui illius beneficijs non deberet. Quæ verò illic lachrymæ, qui planctus extiterit, dicere nolo, ne poſt annorum curricula dolorem reficiam. Eius ſacrum corpus Calendis Iulij in baſilica, quam ipſe Domino conſtruxerat, poſt altaris confinia poſuerunt: vbi, quid viuens geſſerit, vſque hodiè oſſa mortua teſtantur.

Pſalm. 88.

Pſalm. 30.

1 Reg. 2.

Reddit Domino ſpiritum.

XVI. Ad eius enim ſacratiſſimum tumulum dæmoniaci veniunt, & liberantur: periuri veniunt, & vexantur: languidi veniunt, & curantur: rapaces veniunt, & vinciuntur. Atque ita fit, vt qui fideliter eò accedunt, ſalute potiantur: qui verò infideliter, iuxta Doctoris gentium vocem, tradantur ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſalui fiant. Interim verò in dies creſcebat erga ſancti viri monaſterium amor & timor. Amor quidem, quòd humiliter eò ſe conferentes, ſani reuerterentur, quacunque fuiſſent infirmitate detenti: timor autem, quòd ſi quis proterua voluntate auſus eſſet accedere, diuina diſpenſatione coërceretur. Vnum ſanè idemque inſigne miraculum omittendum non eſt, quod penè nullum latet ex ijs, qui in his regionibus morantur.

Multa miracula ad ſepulchrum eius.

1 Cor. 5.

XVII. Mvlier quædam, Gunda nomine, quam clandeſtinus ſupplantator illexerat, ſpiritui ſancto volens illudere, virili ſumpta veſte, in beatiſſimi Carilephi monaſterium ingredi conata eſt, vt probaret, verúmne eſſet illius vaticinium, quo prædixerat ſexui fœmineo nunquàm datum iri copiam in illud intrandi. Sed iſto Dei iudicio, priuſquàm vel adſpiceret cœnobij clauſos aditus, arrepta à diabolo, retrorſùm ruit, adeoq; fœdè ab illo vexata eſt, vt dicere me pudeat. Caput enim illi adegit inter femora, ſicque factum eſt, vt quæ ſacratis liminibus falſa oſcula imprimere tentauerat, turpiſſimè deformata, immundas ſui corporis partes oſculari cogeretur: ſexumque ipſa ſuum, quem virili habitu tegere voluerat, cunctis cernere volentibus palàm proderet. Ea res effecit, vt deinceps eò ſe conferre mulieres auſæ non ſint: pateretque verum fuiſſe beati viri vaticinium.

Punitur diuinitus fœmina, volẽs in monaſterium eius ingredi.

XIIX. Illvd quoq; recens miraculum ſilentio premere nolim, quod religioſos quoſdam eius loci monachos retuliſſe ſcio. Homo quidam, immundo correptus ſpiritu, humana voce perdita, inſtar canum vlulabat. Obibat illa multa ſacra loca, in quibus beatiſſimorum martyrum & confeſſorum corpora quieſcunt, vt poſſet curari: ſed cùm non haberet meliùs, Romam perfectus eſt, vt vel beatiſſimi Petri Apoſtolorum principis precibus ſanaretur. Cumque aliquot dies perſeueràſſet in oratione, ab ipſo Apoſtolo Petro in ſomnis admonitus eſt, vt ſancti Carilephi monaſterium repeteret, illic ſalutem recuperaturus. Paruit ille, & ſimulatque valuas domûs Dei, vbi ſancti viri oſſa quieſcunt, proſtratus attigit, liberatus à dæmonio, loquendi vſum recepit, Deumq́; laudans & glorificans abſceſſit.

Curatur dæmonicus mutus.

Alia quædam pauca miracula recitat hic Author hiſtoriæ huius, quæ ſtudio breuitatis omiſimus: tandem verò ita ſubiungit:

XIX. Sed nunc mihi veniam tribuat decus optimorum ſacerdotum, quòd de illius meritorum cumulo quædam auſus fui attingere, cuius ſi cuncta velim merita perſtringere, dies me priùs, quàm ſermo deficiet. Hæc autẽ pauca viro ſancto

Digitized by Google

ſancto & doctori petitiſſimo pio affectu, non ſcientia, impendi. Tu ſacerdos Chriſti præpotens mihi apud Dominum tribue, vt quem religionis titulo illius pietas inſigniuit, religioſorum reddat in diuina retributione participem. Sanctam etiam eorum congregationem, qui ad beatiſſimi ſacerdotis Carilephi reliquias excubant, quaſi ad eorum veſtigia aduolutus ſuppliciter deprecor, vt meî memores eſſe dignentur, & ſuis precibus omnipotenti Domino me commendare non deſinant, vt & hîc ab æmulorum inſidijs merear liberari, & in diuino examine meorum conſequar veniam peccatorum: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuus & verus eſt Deus, cum Patre & Spiritu ſancto in vnitate Trinitatis viuens & regnans nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Concluſio Authoris.

ANN. 750

VITA S. RVMOLDI EPISCOPI DVBLINENSIS MARTYRIS, EDITA A VENERABILI VIRO DOMINO THEOdorico Abbate monaſterij ſancti Trudonis, & in eius feſto pro concione, vt appa-ret, recitata.

IVLII 1.

I. TRIVMPHALE & gloria Chriſtianorum, miracula ſunt & virtutes Sanctorum, quæ quo latius propagantur, eo & boni in Domino gloriantur, & mali erubeſcunt & cruciantur. Hoc inſigne ab illa Crucis arbore natum eſt, in qua cùm vita mortem triumphâſſet, & velut irrigata fœcundiſſimo aquæ & ſanguinis imbre ſtatim extēdit ramos ſuos à mari vſq; ad mare: eoſq; flores edidit, quorum fructus & ſuauiſſimus ſapor orbis terræ ſinum impleuit. Nouit hoc ab Ortu Ægyptus & India, ab Occaſu alter penè orbis Britannia cum adiacente Scotia: qui ſtatim vt ab illius æternitatis ſole tacti ſunt, illi ſub vmbra eius quem deſiderabant requieſcere, iſti ad ardorem vſq; martyrij feſtinauerunt incaleſcere, & ſtridentia anhelantiaq; verba in dulce Crucis melos didicerunt infringere. Vndè autem hoc tam latè diffuſum germinarium, niſi quia in eorum cordibus coaluerunt Ieſu Chriſti amor & deſiderium? Aſſentit in hoc Herbipolis glorioſa martyris Kiliani meritis & corpore, nec minus prona Scotorum talium & tantorum patrum glorioſa veneratione. Columbanus Italiam, Bertinus & Winocus illuſtrant occidentalem Galliam, & innumerabiles alij ſuis quique in locis: qui vitæ ſinceritate & fidei integritate multos ad iuſtitiam erudiunt, & quaſi ſtellæ fulgent in æternitate.

Scoti Chriſtum annunciant. S Kilianus. S Columbanus S Bertinus, S Winocus S. Rumoldus.

II. Ex horum numero, ex hoc orbis terræ remotiſſimo angulo beatus Rumoldus emicuit: de quo aliqua dicturi dum ſtudium pietatis affectamus, minùs dicendi notam formidamus. Quo enim ore, qua facundia quis poſſet exponere, quem vix cogitatu ſufficiat adæquare? Nè autem parentes eius & proauos omninò taceamus, ex regali quippè proſapia extitit oriundus: illuſtris regis Scotiæ ſatus extiturus hæres eiuſdem. Fruſtrà tamen fructus ſapor eminùs in radicè quæritur, vbi gratiùs in ramo pullulando cominus demonſtratur. Hic deniq; ſceptro regni potiturus erat, generis inſignia, deliciarum commoda, præſulatus culmina lubrica æſtimauit: & vt de bonis caducis & tranſitorijs, fortunæque fallaci ſubiectis ad immarceſſibiles diuitias mentem adſpiraret, voluntaria paupertate ſacratiſſimus Dei ſeruus carnem propriam domans, mentem ſinceram & ſolidam Creatori ſuo cum omni deuotione dedicauit: vt in perſona eius impleretur quod ſcriptum eſt, Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te. Omni autem virtutis bono ab ipſa imbutus infantia, conſque prodijt, vt nihil eorum quibus Deus acquiritur intentatum reliquerit. Acceſſit ad religionem literarum ſcientia: vt quodcunque ageretur, intellectuali ſcripturarum ſale adſpergeretur. Tota inſula mirabatur, ſicut omni terrarum gleba fœcundior, ita ſanctorum glorioſa ſimplicitate beatior. Hæc eſt illa Scotia, teſte Solino, olim inhumana incolarum ritu aſpero: alias ita pabuloſa, vt pecua, interdum niſi à paſcuis arceantur, in periculum agat ſaties. Illic nullus anguis, auis rara, gens inhoſpita & bellicoſa: adeò vt victores hauſto priùs interemptorum ſanguine vultus ſuos oblinirent. Apis ibi nulla, intantùm vt aduectus inde pulueres ſeu lapillos ſi quis intra aluearia ſparſerit, examina fauos deſerant. Vt in virum proficiat ad quid iam in terra ſua adſpiraret non inueniens, de peregrè cogitat, in id ſe totum expedit & præparat. Romam auditu didicerat, eam, vel ſtudio inuiſendorum locorum, vel veneratione Apoſtolorum appetendam deliberat. Omnibus exoccupatus, nec iam in angaria crucem Ieſu geſtaturus, in Britanniam ex more gentis tranſmeat. Nauigant enim vimineis alueis, quos circundant ambitione tergorum bubalorum. Indè tranſmiſſo Morinorum freto, qua breuiſſimus tranſitus maris eſt, in Galliam defertur, quoquò locorum veniens, Ieſum ſemper proloquens, de vita æterna, & quid ſit Deus, homines inſtruens: ſæpè etiam cum ratio poſtulaſſet, miraculorum gratia refulgens. Sic demum ſatis laborioſo itinere Alpium niues tranſierat: qua olim Pœnus Hannibal aceto & igni naturæ vim faciens ſciſſo Apennino Romani nominis vires laceſſitum tranſuolauerat. Vrbem dehinc ingreſſus, aliquot dies continuat, Apoſtolicum piſcatorem quotidiè ſtudioſa oratione ſolicitat, & clauigerum cæli ad aperiendum inuitat. Mirabatur vrbem in qua olim totius orbis dæmonia velut in ſentinam confluxerant, nunc vnius Dei cultum amplecti, feliciorem per omnia Apoſtolorum ſacra paſſione, quàm eo quo primi olim eius muri maduerunt fraterno ſanguine. Amplexatus & ipſe triumphale martyrum nomen, qua ierant, qua ſteterant, qua pro nomine Saluatoris ſanguinem fuderant, mille oſculis & genuflexionibus ſatisfaciebat: & dulci mixto ploratu quædam bellatorum Chriſti ſpectacula ipſe ſibi in corde ſuo repræſentabat. Vincebatur totus ardore martyrij, vt tormentum & tortor ſi adeſſet, ad vitalis commercij mortem ſe ingereret. Sed quia non eſt in hominis poteſtate vita eius: ex prouidentia omnipotentis Dei de repatriatione admonetur.

Ex regali proſapia ortus. Regno faſtidito, voluntariam paupertatē ſectatur. Matth. 19 Sacris fuit literis imbutus Solini de Scotia teſtimonium. Peregrinatio eius. Vbiquè Chriſtum annunciat. Romam venit. Deuotio eius erga pia martyrum loca De reditu diuinitus admonetur.

III. DIVINITATIS igitur ſe committens conſilio, compendioſa peregrinatione Italiam reuerſus, qua ſe Apennini montis dorſo attolit, ſupergreditur: Galliaſque ingreſſus, in eas occidentalium partes ſe deponit, qua Scaldis fluuius æſtum maris in Ruperam vſque remittit. Locum incolæ Machliniam dicunt propter maris Malinam & Ledonam, quæ certis temporibus cum corniculantis Lunæ conſonantia nunc acceſſum faciunt, nec vltra quàm ad huius loci fretum vel damna vel lucra ſua commutant. Nobilium quidam Odo nomine Comitatum gerebat, cùm æquè moribus & genere nobili coniuge. Ambo religioſi, ambo ante Deum florentes caſtitate coniugali, vt antiquos illos Abraham & Saram eſſe putares: præter quòd Iſaac tertius aberat. Hi ſolita religione virum mox viſum inuitant, hoſpitio inducunt, conuiuio participant, ad commanendum poſtulant & impetrant. Felices ambo tali hoſpite, ad cuius ingreſſum diuina iocundati ſunt benedictione. Vna enim dierum ſoli & ſine arbitris diuinum aliquid cùm agerent, tota ſpiritum prophetiæ mente concipiens, manu impoſita orationem præſtat vtriſque benedicens fœcunditatem pollicetur: ſeipſum compatrem promittit, de nomine prædicit. Accommodant fidem parentes ſtupidi: certi faciliùs naturam vinci, quàm Rumoldum poſſe mentiri. Fidem efficacia comitatur: iuxta tempus & diem prædictam de priùs ſterili filius naſcitur: exceptus homini Dei præſentatur. Ille ſuſceptum baptiſmate abluit: & Libertus nomen imponit. Ætas intereà vſque in adoleſcentem profecerat, & ex pij doctoris magiſterio dulcis puſio in omnis boni formam coaluerat. Parentes cum ſuis curialibus exultabant, & de futuro hærede quotidiè cogitabant. Vnius talis lætitiæ diem maximi mœroris nox obtenebrat, & totam domum caliginoſa nube inuoluit & cæcat. Quadam enim dierum puer cum coæuis ludos in aluei littore dum meditatur, dumque nimiùm benè ripæ eredit, periculum inijt: elapſus ſubmergium facit. Triſti fremitu totum ſtatim littus concutitur: & proiectis qui mergentem extrahant, omnis natantium conatus deficit. Captiua præda coram oculis abduci-

Ordo, quē tamē Odonem alij vocant, eū benigne ſuſcipit. Fœcunditatem ſterilibus coniugibus prædicit. Euentum ſortitur prædictio.

Digitized by Google

abducitur,& abſorpta cameratis vndis includitur. Rumoldus interim aberat, rumor vſque ad parentes intonat &
nihil minus ſuſpicantes irremediabili vulnere transuerberat. Appenſus præſens dolor cum priori lætitia præpon-
derat: & quo olim lætiores de recens nato filio, eo nunc triſtiores de mortui ſubmergio. Nihil enim ſine dolore
amittitur, niſi quod ſine gaudio poſſidetur. Quid agerent, quò ſe verterent, quid conſilij caperent, non habe-
bant. Sola hæc ſpes: vt quo prophetante non habitum acceperant, eo orante amiſſum recipiant. Euocatus homo
Dei de triſti luctu & ipſe totus concutitur, nec minùs quàm ipſi genitores ſuper ſpirituali ſuo filio compungitur: Submerſũ
conſolatuſque alios, qui ſeipſum vix conſolari poterat, littus adit, locum notat, & celebri oratione terque qua- Libertum
terque Ieſum inclamat. Circunſtat triſtis conuentus: præſtolatur fidem euentûs. Mirum dictu, vixdum ab oratione puerum in-
ſurrexerat, reiectis oculis propè adſtantem puerum adſpectat: non diſſono tamen à trium Babylonicorum puero- clamato
Dan. 3 rum miraculo. Nam ſicut illi caminum triumphauerunt abſque ignis ardore: ità & hic in contrario elemento ſu- Chriſti no-
pergreſſus eſt aquas abſque aquarum humore. Ieſu bone, quid illud miraculi, quid illud fuit gaudij? Vbi nunc mors mine parẽ-
victoria tua? vbi nunc mors ſtimulus tuus? Ecce non ſolùm noſter Chriſtus, ſed & qui ſunt Chriſti, in nomine eius tibus inco-
tibi imperant: tu obaudis, ipſi ſpoliant. Gratias illi, cuius gratuita adoptione homines facti ſunt dij. Rediuiuus puer lumem re-
parentibus imò à parentibus Rumoldo redditur: donaria auri, argenti, totiuſque ſupellectilis adduntur. Veſtra, ſtituit.
ille reſpondet, vobis ſint: caduca enim aſpernamur, ne cum cadentibus in præceps labamur. Aut quæ nobis cum iſtis Munera re-
conuentio, quorum iam totus in cælis actus & intentio? Vt tamen ſatisfaciatis aduenæ veſtro, deſerta paludis huius ſpuit.
nobis dati obſecro, non vt alieno delectemur fundo, ſed vt labore noſtro inibi ſeruorum Dei proficiat manſio. Nec Extruendo
magnum id eſſe debet, ſi veſtra metamus carnalia, qui ſeminauimus ſpiritalia. Fauet ſtatim Comes, quod petebatur monaſterio
ex voto offert: teſtamentalis conſcribitur pagina adſtipulatione ſubnixa. Nomen loco Vlmus: ob vlmorum illic locum im-
luxuriantium copiam. Adunantur illic Duo militantium copiæ: accreſcunt omnia, quæ ad vſus pertinent eccleſiæ petrat.
vſque ad conſummati operis ſummam. Ille ipſe poſthumus Libertus inibi adoleſcit & eruditur, poſtremò ſub tanto
patre Dominico gregi præficitur: poſteà perſequendus & proprij cruoris laurea coronandus. Ea enim tempeſtate, Scythæ &
qua Scytharum furor excanduit, & de vagina Daciæ Getharum gladius erepſit, omnibus ab ipſa maritima ora vſq; ad Dani loca
Agrippinenſem Coloniam vaſtatis & incenſis, hic homo Dei occaſione euadendi periculi in Haſbaniam ſe transtu- maritima
lit: quem proſecutum & captum effera gens ante ipſam S. Trudonis aram fecerunt Deo ª victimam. Corpus eius, vt Coloniam
aiunt. (veri enim periculum ad me non recipio) illic ſepultum: de loco autem ſepulcri non ambigua ſententia eſt. vſque vaſta-
runt.
ª S. Libertus
occiſus à
Danis.

IV. Invidia interim recrudeſcit diaboli, nouos cœtus cernentis quotidiè adunari, ſe impigrè impugnari, inter-
dum etiam ſuperari: inficit nota peſte duos quondam ſancti viri comites, qui ſolum aliquandò gradientem & ex mo- A ſuis co-
rè pſalmos ruminantem ex aduerſo lethali vulnere excipiunt, ſpe adipiſcendæ pecuniæ quam ſolitus eſſet circunfer- mitibus a-
re. Miſeri profectò & proditoris Iudæ digniſſimi laqueo: qui dum vaniſſimum ſequuntur quæſtum & turpe lucrum, uaritia ex-
tanti tamq; religioſi ſacerdotis incurrunt magiſtricidium. Prætereà factum volentes palliare, ſceleri crimen addunt, cæcatis oc-
raptumq; ſacratiſſimum corpus præterlabentibus vndis iniiciunt: regreſſi, mendaciorum folijs rem geſtam coope- ciditur, S.
riunt, fruſtrà tamen. Piſcatoribus ᵇ enim noctu circa negocia partito labore occupatis lux cæleſtis incanduit, & quo Rumol-
loco ſacratiſſimum illud corpus deliteſcebat, ſuperfuſis luminarij apparuit. Perterriti homines, & nihil per ſe præ- dus Anno
ſumentes, Comitem adeunt, notitiam rei patefaciunt: prodigium aliquod id ſibi videri perſuadent & promittunt. 775.
* Odo ſocium ſe præſtat nauigij, ſolitoque iocundius luminariorum miraculo, iactis retibus nobilem piſcaturam ᵇ Diuino
haurit, & ſacratiſſimum illud funus cum iubilo ad terram [illegible]. Impoſitum vehiculo quo nunc requieſcit loco de- lumine piſ-
portat, & ſepulturam celebri ſumptu curat: nec defuit digitus Dei, operatus ſtatim ad glebam militis ſui. catoribus
ſacrum corpus deſignatur. * al. Ado.

V. Cæterum Carolo Romæ à Iohanne Papa in Imperatorem conſecrato, ira Dei reſpondentis peccatis populi Carolus
ſui, Nortmanni adiunctis ſibi Danis Franciam & Lotharingiam peruagantur: fines præcipuè Morinorum, Mena- Craſſus
piorum & Brachbatenſium, omnemq; circa Scaldum flumen terram ferro & igni deuaſtant. Inde Vbal fluuium in- hic fuit.
greſſi, totam Baruam, palatium et Neomagi incendunt. Eodem anno Godefridus & Sigfridus reges Nortmannorum Nortman-
cum inæſtimabili multitudine iuxta Moſam in loco Haſlon conſedentes, Leodium, Traiectum, Tungros, ſancti Tru- ni atq; Da-
donis, Coloniã, & Bunnam cum adiacentibus prouincijs & caſtellis cobruunt. Aquis in palatio equos ſtabulantes, ni Franciã
oppidũ & regiam domũ incendunt. Ad hæc mala Hugo filius Lotharij regis ex Vbaldrada pellice in Lotharingia & &c. vaſtant.
Boſo tyrannizabant in Burgundia. At ne Chronicum magis videar texere quàm cœptum opus proſequi hoc tali bellorum
Thr. 2. incẽdio per decem & octo annos totus orbis dum ardetet, iuxta prophetam nec ſcabelli pedum ſuorum Dominus in
multitudine iræ ſuæ recordaretur, eccleſia tamen huius martyris noſtri illæſa permanſit, nec quicquam tale efferata Eccleſia S.
gens aduerſus eam aut potuit, aut præſumpſit. Ad quam gratia prædæ quidam ex eis cùm acceſſiſſet, & ſuperpoſitum Rumoldi,
campanarij, quod vulgus gallum propter ſimilitudinem formæ, nos auratium propter obſeruantiam vocamus auræ, omnib. bel-
Prou. 19 rapere præſumeret, lapſum facit: dignaſque rapacitatis pœnas deuita morte luit. Et quia iuxta Salomonem peſtilen- lo confla-
te flagellato, ſapiens ſapientior erit: hoc vnius infortunium cæteris omnibus diſciplinæ fuit commonitorium. grantibus,
illæſa per-
manſit.

VI. Vt reliqua proſequamur, vel id in hoc ſancto noſtro mirabile, nec minùs iocundum eſt: quòd circa ſupplices Miracula.
ſuos hanc velut maternam curam exhibet, vt de minimis quoq; rogatus ſe quaſi obuium præparet. Mulier matricu-
laria eadem & nonna, Gerlingis nomine, pia deuotione eccleſiæ eius adhæſerat: ſonandarum campanarum officium
habebat. Proſequendarum horarum die ſolennia, noctu ſibi gallum nuntiauerat monitorem. Aſſueta domeſticos pa-
rietes ſubrepere vulpecula, dum vnam alteramque prædam impunè aſportat, maiora præſumit: in gallum totum ne-
gocium intendit. Sed nec ſaliendo pennam volatilem, nec rependo fas erat adſpirare ad trabeam altitudinem: nota
vſa fraude, parat inſidias, ſubintrat latebras, cùm interim ſecurum & ſuperbo greſſu limen calcantem de poſt oſtium
beſtiola aggreditur, inuadit, & minaci preſſum dente velut triumphans aſportat, tum ſyluæ ſe reddit. Accurrit mu-
lier, ſed tardiori impedita greſſu, vno & altero conatu fruſtrà conſumpto, totius damni querelam in Sanctum retor-
quet & cauſando deficit. Quid, ait, mihi & tibi? Aut mihi reddatur gallus, aut matutinis careat Rumoldus. Nulla
mora, redit beſtiola: & captiuam prædam quodam ſuffuſo pudore coram oculis mirantium deponit viuam: data de-
licti venia, fruſtrata præſumptrix nihil ſimile deinceps auſura, ad latebras ſe recolligit. Mirentur alij confragoſum
cælum, turbatum mare, terram concuſſam: ſufficit mihi in his quæ putantur minima gloriari ſuper hoc martyre. Pe-
nè enim neſcio Ægiptij peſtilentiùs ne cæſi ſunt in ciniphe, an in omni primogenitorum occiſione. Exod. 8.

VII. Svperest & aliud eiuſdem huius ſuæ matriculariæ miraculum, non minori pietate amplectendum. Ea enim Aliud mi-
incurſione, qua Danos omnia ſuperius diuina & humana perturbâſſe meminimus, hanc quoque captiuam fecerant, raculum.
& mare transportaturi abduxerant. Oſtium Scaldis necdum attigerant, tranſtra, remos, & cętera quę ſunt armamen-
ta nauium, reparantur: figunt anchoras. Nox ſolito horridior, vtpotè vicina iam hyeme, in ſomnos vocat. Cæteris
nocturnum frigus duplici diploide conſolantibus, captiua in prora contractis in ſimul membris algoris & nimium S. Rumol-
pœnas luit. Extrema tandem vrgente neceſſitate, appenſa oratione cum lachrymis: Eia, inquit, S. Rumolde, ſi iurè, di opem
ſi fideliter, ſi ad gratiam tibi ſeruiui, nudam & algentem tuam cooperi. Mira fides, ſtatim depreſſis oculis vt obdormi- implorat,
uit, omnibus quæ domi reliquerat veſtimentis ſe coopertam ſentit. Expergefacta miratur & ſtupet: officioſum ſibi neq; fruſt à,
Gerlingis
C martyr- Nonna.

Digitized by Google

martyrem quibus poteſt laudibus magnificat & effert. Sol in diem fuſo manè repubeſcebat, & nauis cæſo fune ſolui parabat: hîc verò vires deficiunt, & quo ampliùs inſudāt, minùs proficiunt. Stabant fixa ſimulacra toto luctamine & conatu fruſtrà deficiente. Rupium inſtat medijs inhærent fluctibus alternatim quis quid agat innuentibus, cùm interim vnus captiuam admonet dimitti, hanc longarum morarum cauſam ſibi videri. Ex conſulto fauent cæteri: ea dimiſſa mox velut ex ſarcina naui velificant omnes celeritate non difficili. Quod ne in hac tantùm captiua miſemini, quis vſque in hanc diem carceratis & boiatis faciliori exauditione ſolet campati?

S. Rumoldus, carcere vinctis imploratus ſubuenire conſueuit.

2 Theſ. 3. *1 Theſ.* 2. S. Rumoldus honeſto ſemper labore ab oratione ceſſans occupatus fuit. ª Arbor D. Rumoldi manu ſata ad ætatem vſq; Theodorici Abbatis perdurat. ᵇ *Sap.* 5.

VIII PRÆTEREA de ſerendis arboribus & inſitis earum non ignobile illud eius recordamur miraculum. Quicquid enim huiuſmodi ſeminum ſanctiſſima eius manus ſparſiſſet, cum incremento cæleſtis gratiæ donum comitabatur efficaciæ. Memor enim Apoſtoli: Qui non laborat, nec manducet. & rurſùs, Manibus noſtris laborauimus nè quem veſtrûm grauaremus. honeſto hoc plerunque exercebatur negotio, in tantùm vt partito ipſe ſibi tempore nulla omninò hora quin aut labium in oratione aut manus occuparet in opere. Fagineam ª hoc negotio nutriuerat ſiluulam: ſub quarum plerunque recubans tegmine meditabatur harmoniam Dauidicæ melodiæ. Ad noſtra vſque tempora vna harum perdurat arborum, dulci digna religione & grata plantatoris ſui recordatione. Excreſcit ad materiam laudis quidam Lantgerus nomine: qui in eccleſia beati Rumoldi coaluerat & in presbyterum profecerat. Sed vt ſolet ex abundantia luxuria, & ex luxuria naſci ſuperbia, corde tactus ad hoc vſq; intumuit, vt nec pares dignaretur, nec quid ſit homo recordaretur. Non iam priuata loquitur altiora præſumens, velut vter in pruina inani turgeſcens ſpiritu, ſtipendia quæ ex quotidiana debebantur præbenda ducit contemptui: ad alia velut maiora migraturus ſe extendit. Sed lapis ille offenſionis & petra ſcandali, qui ſuper quemcunque ceciderit, collidetur, & qui in eum impegerit confringetur, quædam ſtatim ſalubria fugitiuo ſuo opponit ſcandala: & occultis fatigatum importunitatibus, cunctis quibus antea lactabatur excludit rerum ſucceſſibus. nam, ᵇ vt ſcriptum eſt, pugnabit pro eo orbis terrarum aduersùs inſenſatos, rerum primò flagellatur inopia, deinde quadam animi lapidatur accedia. Dies ipſe & nox ſolito triſtior: plerunque etiam mors vita iocundior. Sic diſſipatus nec tamen compunctus pertinaci corde recedit: viamque ſuam ingreſſus velut maiora appetiturus, iterùm ſalubriter reprimitur, & oculorum cæcitate percutitur. Quid multis moror? Eruditus ex verbere, ad horam pœnitet, & ad horam illuminatur: iterumque priora præſumens, iterùm cæcatur. Edoctus tandem quid ſit contra torrentem niti, aut quid homo comparatus Deo, nil ſimile vltrà auſurus, ante manus illas quas nullus effugit humiliatur: & mediante noſtro martyre non tantùm oculis, ſed etiam corde illuminatur. Clareat hoc vel exemplum vel pœna eis, qui non contenti aurea mediocritate, inani ebulliunt auiditate: nati in paupere nido & ruſticano tugurio, adſpirant ad alta laquearia & tecta palatina: aſſueti olim pane cibario, ſimilam & mella prægustant cum faſtidio, de quibus Propheta: Væ qui coniungitis domum ad domum, agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos ſoli ſuper terram? Filius patriarcharum Eſau propter lenticulam venditis primogenitis de gula arguitur. Dauid manu fortis & amicus Dei, propter aquam quam de ciſterna Bethleem in ſanguine virorum fortium hauſerat reprehenditur: quam niſi Domino ſtatim libâſſet, ſanguinis pœnas luiſſet. Ipſe filius hominis à filijs ſæculi vini potator accuſatur: & qui ſine omni peccato erat, de ebritate calumniatur. Et Apoſtolus ait: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Si non ſunt condignæ paſſiones, quantò minus ebrietates & comeſſationes? Ad quos ſpecialiter loquitur propheta, Vacare & videte quoniam ego ſum Deus, nónne ad Clericos? Eis quippè Deus vacationes, eis ferias inſtituit Papa Syluester: quas prius à nominibus deorū ſuorū gentiles vocabant. Nobis quippè vacare, nobis feriari inſtitutū eſt: vt quanto remotiores ſumus à negotijs ſæcularibus, tāto omnipotentis maieſtatē contemplemur vicinius. Vnde Apoſtolus: Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſęcularibus. Aut nunquid nō adhuc cum Deo eadem perdurat gratia ſuo martyri, vt contemptores & veneratores ęquè aut certè ampliùs poſſit coronare aut punire?

Authoris exhortatio ad eos qui ex humili ſurgunt in altum. *Gen.* 25. *2 Reg.* 23. *Eſai.* 5. *Rom.* 8. *Pſal.* 45. Syluester ferias vocauit dies, a Deorum nominibus antè nominatos. *2 Tim.* 2.

Implorantibus opem ſuam adeſt S. Rumoldus.

IX VERVM hæc, vt ait quidam, mordaciùs diſtribuenda B. Hieronymo relinquamus, nos verò ad cætera quæ ſuperſunt currenda redeamus, & quod ſupereſt diei in laudem beati viri percurramus. Compertum hoc ſignis euidentibus, nullam vnquàm fruſtrari fuſis erga hunc patrem precibus, quibuſcunq; grauaretur incommoditatibus. Quidam Helinardus dum nimiùm indulget venatibus, & fugientem prędam captat aſſidiùs, lapſu aut alio neſcio incommodo inclementer periclitatur. Erat languor vehemens ad mortem procliuior, vt paratis exequialibus nihil ampliùs quam extrema conclamatio expectaretur: cum interim recuperato ſpiritu, lingua adhuc obligata, quodam oculorum nutu ad ſepulcrum B. Rumoldi gemitu interprete ſe poſtulat deferri. Satisfaciunt miſero: & inter manus exceptum ante altare illud plùs cadauer quàm hominem proijciunt. Triſtis turba proſequitur, & precio fidei diuinæ miſericordiæ ſtillicidium prouocatur. Adeſt euicta diuinitas: & prece omnium vni huic redintegratur prior & auctior incolumitas. Miratur ſeipſum rediuiuus homo: & paulò antè aliorum delatus adminiculo, pluſquam ſeipſum portare ſufficit. Recordatuſque ſcripturæ, Nec apparebis in conſpectu Dei tui vacuus: annui censûs votum facit, & dum aduixit perſoluit.

Exod. 23.

X ADDAMVS & aliud non minùs exemplo dignum quàm miraculo. Quidam eorum quos ſtipendiarios vocant milites ab Antuerpia Machlines habebat negocium. Feria cœnæ illius erat, in qua à diſcipulo traditus Ieſus perditi hominis ſalutem eſt operatus. Ieiunium ex antiqua patrum inſtitutione vniuerſalis celebrat Eccleſia: vtpotè nondum percurſa ſolenni Quadrageſima. Miles ille more eorum quibus quicquid libet licet, & quod noluerint non dignantur licere, abſq; Miſſæ audientia & ieiunij reuerentia cōfecto matutino prandio ſolus progreditur. Vixdum medium iter attigerat, & ecce coram oculis diſſimilis militiæ armatura & copiæ. Legio enim dæmonum ſub fœmineo habitu criſpantibus à tergo iubis, haſtata manu, clypeo protegente humeros, improuiſa progreditur. Spumantis equi pulueream quatit vngula campum: vrgentibus à latere calcaribus in vnum illum totus ille intenditur furor & impetus. Ille contrà euaginato gladio dum parat congredi, vno atq; altero ictu fruſtrà cōſumpto, auras dum verberat, inani conatu vires laſſat. Iamiam infelix futurus victima equo labitur, & tota iniquorum maſſa velut voti compos conclamat & irruit: cùm ille vix ad mentem rediens, & toto conatu celebre Ieſu inclamans nomen, addito ēt Crucis ſignaculo, omnem iniquorum perturbat aciem, & velut fumum reddit inanem. Confractus tamen & velut totis deſtitutus viribus, ad eccleſiam B. Rumoldi alienis defertur manibus: illic dies aliquot cōtinuatur, & demum curatur. Tua hæc Domine gratia, tua hæc in ſanctis tuis eſt gloria: vt nullū prorsùs ſit incōmodum, quod ad eorū preces non ſentiat remediū. Fœmina quædam longo manûs languore grauata, fruſtrà in medicos multa conſumpſerat, laborabat non modò chiragra, ſed ēt digitis in palmam relisis, truncū nulli profuturum officio ægra trahebat. Subrepſerat etiam inopia, omnium ſemper incommodorum pediſſequa. Hoc duplici preſſa infortunio, quid iam ageret non habebat: operari non valebat, mendicare erubeſcebat. Rememorata de largitate martyris, ad menſam eius altaris accedit, cum ſupplice prece ægram manum porrigens: non micas panis, ſed pleniſſimam ſanitatem de manu propitiatoris ſui recipit. Operæprecium eſt, dum breuitati ſtudemus multa prætereuntes: nèdum affectamus officiale ſtudium, auditorum incurramus tædium. Neq; enim, etiamſi vellemus, materiā æquare poſſemus, ad cuius ſuperabundantem gratiam Tulliani eloquij fluuius ſiccaretur. Sed nec virum ſanctum patet quis egere officiali eloquio, cuius laus & gloria tota penſatur ab æternitatis munere & beneficio. Veruntamen quod loquimur, quod ſcribimus

Ieiunij & Miſſæ irreligioſus cōtemptor dæmonibus ludificandus permittitur.

Chriſti gratia Sancti mortalibus ſubueniūt, in quo eius etiam gloria vertitur.

neceſſe

neceſſe eſt vt in laudem & gloriam eius expendam is, ſine quo loqui & ſcribere nec debemus, nec poſſumus. Addamus tamen in calce, quanta virtute hoſtiles dæmonum ictus ſoleat propulſare: quod cùm ſit de vna & ſimili re ſimiliter factum, non neceſſe fuit variare. Tres quidem à dæmonibus vexati ad medicinalem eius tumbam ſunt præſentati & curati. Quanta autem pietatis & quàm efficaci poſſit & velit ſuis ſupplicibus compati charitate, qui omnibus incommodis patrocinatur authoritate? Redeamus iam tandem ad ſolennem diem martyris, qui octauo Calendas Iulij eſt depoſitione eius celebris. Nec immeritò, vt qua die præcurſoris natiuitas iuxta angelicum præconium cum gaudio celebratur in terris, eadem ob meritum martyris tripudium eſſet cælo & terris. Sed * ne quid Baptiſtæ celebritati & officio detraheretur, octaua ab hac die martyris officium percolitur. Agè ergo pater ſancte martyr inuicte, ſupplices tuos reſoue, cum indice ſæculi cauſas noſtras compone. Si noſtram reſpicis miſeriam, nihil fœdius, ſi omnipotentis miſericordiam, nihil pulchrius. Mediator Dei & hominum mediatorem audiat inter nos & ipſum: quatenùs te orante & ipſo propitiante alleuiati peccati pondere, ad æternitatis mereamus ſcalam pertingere. Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

A dæmonibus eo ſe pti ad eius tumbam curati.
Solennis dies martyris eſt in Kal Iulij tranſlatus, authoritate Alexandri IV. Pontificis Romani, Molanus in Ind. SS. Belgij.
* Inuocat S. Rumoldū author.

An. 50

MARTYRIVM SS. PROCESSI ET MARTINIANI, VT HABETVR IN PERANTIQVIS MSS. CODICIBVS. CONSENTIVNT *vetuſtiſſima Martylogia. Stylum Frater Laurentius Surius aliquot locis nonnihil correxit.*

I. TEMPORE illo, quo Simon Magus intrinſecus crepuit, & impijſſimus Nero tradidit beatiſſimos Apoſtolos Chriſti Petrum & Paulum Paulino viro clariſſimo magiſterię poteſtatis, idem Paulinus mancipauit beatiſſimos Apoſtolos [a] cuſtodiæ Mamertini: veniebantq; ad eos multi Chriſtiani infirmi, & curabantur eorum morbi, alijq; à dæmonijs obſeſſi, liberabantur per orationes Apoſtolorum. Erant autem iiſdem beatiſſimis Apoſtolis cuſtodiendis deputati milites multi, inter quos erant duo magiſtriani * Melli principis, Proceſſus & Martinianus. Qui cùm viderent mirabilia quæ faciebat per beatos Apoſtolos ſuos Dominus Ieſus Chriſtus, admirantes dixerunt eis: Viri venerabiles, non poteſtis ambigere veſtrî iam oblitum eſſe Neronem, quandoquidem nonus iam menſis agitur, quòd eſtis in cuſtodia. Rogamus itaq; vos, vt eatis, quocunq; voletis: tantùm in eius nomine, per quem facitis res admirandas, baptizetis nos. Dixerunt eis beatiſſimi Apoſtoli Petrus & Paulus: Si credere velitis toto corde & animo in nomen Trinitatis, vosipſi quoque facere poteritis, quæ nos facere cognouiſtis. Hoc vbi audierunt, qui in cuſtodia erant, omnes vnanimiter clamabant: Donate nobis aquam, quia ſiti periclitamur. Eadem hora beatiſſimus Petrus Apoſtolus in ipſa cuſtodia Mamertini dixit ad omnes: Credite in Deum patrem omnipotentem, & in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum, & in ſpiritum ſanctum, & omnia miniſtrabuntur vobis.

IVLI. II.
a De hoc carcere, vide Baron in Martyr 14 Martij
* Aminelli.

II. TVM omnes abiecerunt ſe ad pedes Apoſtolorum, rogantes vt baptiſmum ab eis perciperent. At verò beatiſſimi Apoſtoli orauerunt Deum, orationeq́ue expleta, beatus Petrus in monte Tarpeio ſignum Crucis expreſſit in eadem cuſtodia, atq; eadem hora emanârunt [b] aquæ è monte: baptizatiq; ſunt beati Proceſſus & Martinianus à beatò Petro Apoſtolo. Hoc vt viderunt cuncti, qui erant in cuſtodia, proſtrauerunt ſe ad pedes beati Petri Apoſtoli, & baptizati ſunt promiſcui ſexûs & diuerſæ ætatis numero quadragintaſeptem. Obtulit autem prò eis ſacrificium laudis, & participes eos fecit corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Deindè beati Proceſſus & Martinianus dixerunt ad ſanctos Chriſti Apoſtolos: Pergite, quò vultis. oblitus enim veſtri Nero, de vobis deſperauit. Exeuntes ergò de cuſtodia ſancti Apoſtoli, per viam, quæ Appia nuncupatur, ad portam Appiam peruenerunt. Beatiſſimo aũt Petro Apoſtolo, cuius pedem attriuerant cōpedes ferrei, cecidit faſciola apud ſepem in via noua: cumq; veniſſet ad portam Appiam, vidit Dominum Ieſum Chriſtum, eumq; agnoſcens, dixit illi: Domine, quò vadis? Et Dominus: Romã, inquit, redeo, vt iterùm crucifigar: tu aũt Romam reuertere. redijtq; Petrus Romam manè, & milites tenuerunt eum. Nunciatum eſt autem Paulino viro clariſſimo, magiſtro officij, Proceſſum & Martinianum Chriſtianos effectos eſſe. Miſit ergò milites, cōprehenſoſq; iuſſit in cuſtodiam retrudi. Alia die præcepit ſibi eos exhiberi, adductiſq; ad conſpectum ſuum, dixit: Sic ſtulti facti eſtis, vt deſerentes deos & deas, quos inuictiſſimi principes colunt, & antiquitas adorat, temeritate ducamini, militiæ veſtræ priuandi ornamentis? Reſpondit Martinianus clara voce: Nos iam demùm cœpimus habere ſacramenta militiæ cæleſtis. Paulinus vir clariſſimus dixit: Deponite amentiam pectoris veſtri, & adorate deos immortales, quos ab incunabulis veſtris venerati eſtis & coluiſtis, in quorum religione enutriti eſtis. Beati martyres vna voce dixerunt: Nos Chriſtiani facti ſumus. Ait Paulinus vir clariſſimus: Audite me commilitones mei, & facite quæ dico, & eſtote amici mei & fruimini militia veſtra, dijſque omnipotentibus ſacrificantes, viuite, & ſitis præclari apud principes noſtros. Reſponderunt ambo: Sufficiat, nos declaraſſe tibi veros nos eſſe Chriſtianos, & ſeruos Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem beatiſſimi Apoſtoli eius Petrus & Paulus prædicauerunt.

Inſigne miraculum.
b Vide Bar. An Chriſti 68 § 24
Multi baptizantur in carcere à S. Petro,
Siſtuntur coram iudice Proceſſus & Martinianus.

III. PAVLINVS vir clariſſimus dixit: Iam dixi vobis, & iterùm repetens dico: obtemperate conſilio meo, & viuite. Illi autem tacuerunt. Iterùm atque iterùm Paulinus eadem inculcans, cùm ſe videret nihil proficere, iuſſit lapidibus eorum ora contundi. Cumq; diù cæderentur, clamabant ambo pariter, Gloria in excelſis Deo. Paulinus vir clariſſimus dixit militibus ſuis: Proferte tripodam, vt ſacrificent maieſtatibus. Beati martyres reſponderunt: Nos ſemel obtulimus nosipſos Deo omnipotenti. Allata tripoda, Paulinus ait: Facite, quæ dico. Allatus eſt autem etiam Iupiter aureos. Eo viſo, riſerunt ſancti martyres, & in tropodam atq; Iouem coram Paulino expuerunt. Tunc Paulinus iuſſit eos in eculeo ſuſpendi, & neruis attrahi, atq; fuſtibus cædi. Illi autem alacri vultu lætantes dicebant: Gratias tibi agimus Domine Ieſu Chriſte. Paulinus magiſter officij nimio furore incenſus, iuſſit flammas ad eorum latera admoueri. At martyres clamabant: Benedictum nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem beatiſſimi Apoſtoli eius Petrus & Paulus prædicauerunt.

Lapidibus ora eorum tunduntur.
Fuſtibus cæduntur.
Latera aduruntur.

IV. ERAT tum ibi matrona quædam nobiliſſima, Lucina nomine. Ea aſſiſtens eis, confirmabat eos his verbis: Conſtantes eſtote, milites Chriſti, & nolite metuere pœnas, quæ ad tempus ſunt. Paulinus verò dixit ad eos: Quæ eſt in hæc veſtra amentia? At illi corroborati, irriſêre tormenta. Iuſſit ergò Paulinus in eculeo ſuſpenſos ſcorpionibus caſtigari, adhibita voce præconis, ita dicentis: Præcepta principum contemnere nolite. Eadem hora Paulinus ſiniſtro oculo orbatus eſt, ductuſque pœnitentia, præ dolore exclamauit: O carmina artis magicæ, præcepitque eos deponi de eculeo, & diù maceratos, in Mamertini cuſtodiam retrudi: iis autem ſedulò miniſtrabat Lucina matrona venerabilis. Poſt triduum Paulinus ſubitò à dæmone arreptus, expirauit. At filius eius Pompinius vociferans ibat ad Palatium: Moderatores, inquiens, & gubernatores Reipublicæ, ſubuenite, vt extinguantur arte magica imbuti. Audiens hoc Cæſarius vrbis præfectus, rem geſtam indicauit Neroni Auguſto, qui iuſſit ſine mora illos interfici. Pompinius itaque filius Paulini, cœpit fortiter vrgere Præfectum vrbis Cæſarium. Tum præfectus tulit in eos ſententiam: eiectique è cuſtodia, & ducti extra muros vrbis Romæ, via aurelia capite cæſi ſunt. Cùm vidiſſet autem illos beatiſſima Lucina, cum familia ſua ſequebatur eos vſq; ad aquæductum, vbi etiam decollati ſunt, & trunca eorum corpora relicta ſunt canibus deuoranda: quæ eadem ſanctiſſima matrona collegit, & condiuit precioſis aroma-

Cæduntur ſcorpionibus
Plectuntur capite.

aromatibus, ſepeliuitq; in prædio ſuo in arenatio iuxta locum, vbi plexi ſunt ſexto Nonas Iulias via Aurelia: vbi etiam præſtantur beneficia eorum vſq; in hodiernum diem, regnante Domino Deo atq; Saluatore noſtro Ieſu Chriſto.

DE IISDEM BEATIS MARTYRIBVS, EX HOMILIA XXXII. IN EVANGELIA, BEATI GREGORII PAPÆ.

AD ſanctorum martyrum (*Proceſſi & Martiniani*) corpora conſiſtimus fratres mei. Nunquid iſti carnem ſuam in mortem darent, niſi eis certiſſimè conſtitiſſet, eſſe vitam pro qua mori debuiſſent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis coruſcant. Ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & ſanantur: periuri veniunt, & à dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodò ergò
Miracula ad eorum monumentum. illic viuunt, vbi viuunt, ſi in tot miraculis viuunt hic vbi mortui ſunt? Rem fratres dico breuem verbo, ſed non paruam merito, quam religioſis quibuſdam ſenioribus narrantibus agnoui. Gotthorum tempore matrona quædam fuit valdè religioſa, quæ ad horum martyrum (*de Proceſſo & Martiniano dicit*) eccleſiam crebrò veniebat. Quadam die, dum ex more ad orandum veniſſet, egrediens, duos ſtantes ſub peregrino habitu monachos inuenit, peregrinos credidit, dari eis aliquid eleemoſynæ præcepit. Sed priuſquàm eius erogator eis ad largiendum eleemoſynam propinquaſſet, adſtiterunt illi viciniùs, & dixerunt: Tu nos modò viſitas, nos te in die iudicij requiremus, & quicquid poſſumus, præſtabimus tibi. Quo dicto, ab oculis eius ab-
Vide quid conferat inuocatio Sanctorū. *Heb* 11. lati ſunt. Territa illa, ad orandum rediit, ſeſeque in lachrymis prolixiùs effudit: & facta eſt poſthàc tanto inſtantior in opere, quanto certior de promiſſione. Si autem iuxta Pauli vocem, eſt fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium: nequaquàm iam dicimus, vt venturam vitam credatis: quia ecce ipſi, qui in illa viuunt, humanis obtutibus viſibiliter præſentantur. Quod enim videri poteſt, meliùs dicitur ſciri, quàm credi. Venturam ergò vitam nos Dominus magis voluit ſcire, quàm credere, qui eos, quos inuiſibiliter recipit, apud ſe
Sanctorum patrocinia nobis conciliare debemus. viuere nobis etiam viſibiliter oſtendit. Hos ergo, fratres chariſſimi, in cauſa veſtri examinis, quam cum diſtricto iudice habebitis, patronos facite, hos in die tanti terroris illius defenſores adhibete. Certè ſi apud quendam magnum iudicem cauſa quælibet veſtra eſſet die craſtino ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur: patronum veſtra fraternitas quæreret, magnuſque precibus ageret, vt apud tantum iudicem ſibi defenſor veniret. Ecce diſtrictus iudex Ieſus venturus eſt: tanti illius Angelorum Archangelorumque concilij terror adhibetur: in illo conuentu cauſa noſtra diſcutitur, & tamen nos patronos modò non requirimus, quos tunc defenſores habeamus.
Sancti martyres rogari volunt, vt nobis ſubueniant. Adſunt defenſores noſtri, ſancti martyres: rogari volunt, atque, vt ita dixerim, quærunt, vt quærantur. Hos ergò adiutores veſtræ orationis quærite: hos protectores veſtri reatus inuenite: quia nè punire peccatores debeat, rogari vult & ipſe, qui iudicat. Vndè etiam longo tempore comminatur iram, & tamen miſericorditer expectat. Sic autem nos & miſericordia eius refoueat, vt nullo modo negligentes reddat: ſic peccata noſtra perturbent, vt mens in deſperationem non prorumpat. Quia & ſi præſumentes metuimus, & metuentes ſperamus, æternum regnum citiùs adepturi ſumus per eum, qui viuit & regnat cum patre in vnitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA BEATÆ MONEGVNDIS CONIVGATÆ, AVTHORE S. GREGORIO TVRONEN. EPISCOPO, LIB. DE VITA PATrum, Cap. 19 quod in .0. capitula diuiſimus.

Ivlii 2. Beneficia Dei immenſa. INSIGNIA diuinorū beneficiorum chariſmata, quæ humano generi cælitùs ſunt indulta, nec ſenſu concipi, nec verbis proferri, nec ſcripturis poterunt comprehendi, cùm ipſe Saluator mundi ab illo rudis ſeculi exordio Patriarchis ſe præſtat videri, Prophetis annunciari, ad extremum ſemper Virginis intactæq; Mariæ dignatur vtero ſuſcipi, & præpotens immortaliſq; creator, mortalis carnis patitur amictu veſtiri, I.
Luc 10. mortem pro hominis ob peccatum mortui reparatione adire, victorq; reſurgere. Qui nos grauium facinorum ſpiculis ſauciatos, ac latronum inſidiantium vulneribus affectos, infuſo meri oleique liquore, ad ſtabulum medicinæ cæleſtis, id eſt, Eccleſiæ ſanctæ dogma perduxit: qui nos exemplis ſanctorum viuere, ineffabili præceptionis ſuæ munere cohortatur, nobiſq; non modò viros, ſed ipſum etiam inferiorem ſexum, non ſegniter, ſed viriliter agonizantium præbet exemplum: quæ non ſolùm viris legitimè decertantibus, verumetiam fœminis, in his prælijs fauorabiliter deſudantibus, ſiderea regna confert: ſicut beatæ Monegundi, quæ relicto genitali ſolo, tanquàm regina
3 *Reg.* 10. prudens, quæ audire ſapientiam Salomonis adiuit, beati Martini baſilicam, vt eius miracula quotidianis momentis miraretur, expetijt, hauriterque de fonte ſacerdotali, quo poſſet aditum nemoris paradiſiaci recludere.
S. Monegundis patria. IGITVR beatiſſima Monegundis, Carnotenæ vrbis indigena, parentum ad votum copulata coniugio, duas II.
filias habuit, ſuper quibus valdè gauiſa lætabatur, dicens: Quia propagauit Deus generationem meam, vt mihi duæ filiæ naſcerentur. Sed hoc mundiale gaudium intercepit ſæculi huius amaritudo, dum puellæ, modica febre pulſatæ, metam naturæ debitam concluſerant. Ex hoc genitrix mœſta deplorans, orbatamque ſe lugens, non diebus, non noctibus à fletu ceſſabat, quam non vir, non amicus, non vllus propinquorum poterat conſolari. Tandèm verò in ſe conuerſa, ait: Si nullam conſolationem de obitu filiarum capio, vereor ne ob hoc lædam Dominum meum Ieſum
Iob 1. Chriſtum. Sed nunc hæc lamenta linquens, cum beato Iob conſolata, decantabo: Dominus dedit, Dominus abſtu-
B. Monegundis ſe arctiſſime includit. lit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum. Et hæc dicens, exuta veſte lugubri, iuſſit ſibi cellulam paruulam præparari, in qua tantummodò feneſtellam, per quam modicum lumen poſſet cernere, præcepit aptari: ibique contempto mundi ambitu, ſpreto viri conſortio, ſoli Deo, in quo erat confiſa, vacabat. Fundenſ-
Eius eſca & potus. que orationem pro ſuis ac populi delictis, habens puellulam vnam, cuius ei famulatu miniſtrabatur aquæ neceſſitas, accipiebat etiam farinam hordeaceam, infuſoſque lymphis cineres diligenter colans, ex ea aqua mixturam maſſæ conficiebat, formatoſq; proprijs manibus panes ipſa coquens, poſt longa ieiunia reficiebatur. Reliquum domûs ſuæ cibum pauperibus diſpenſabat.
FACTVM eſt autem quadam die, vt memorata puella, quæ ei conſueuerat famulari, & credo inimici aſtu ſeducta, cui ſemper bonis iniurias irrogare mos eſt, ſe ab eius famulatu ſubtraheret, dicens: Non potero ego cum hac domina permanere, quæ in tali abſtinentia commoratur: ſed potiùs vtar ſæculo, ac cibum potumque in abundantia ſumam. Quintus autem iam fluxerat abſceſſionis eius dies, quòd hæc religioſa neque farinam conſuetam, neque aquam acceperat, ſed perſtabat immobilis, & fixa manens in Chriſto: in quo quiſque locatus vel fundatus, nec vento turbine, nec fluctuum impulſione dilabitur: nec enim ſibi illa de mortali cibo vitam, ſed de verbo Dei (ſicut ſcri- III.
Deut 8. *Prouerb.* 10. *Habac* 2. ptum eſt) putabat inferri, commemorans illud ſapientiæ Salomoniacæ prouerbium: Quia non necabit Dominus fame animam iuſti. & illud, Quia iuſtus ex fide viuit. Sed quoniam corpus humanum abſque eſu terreno ſuſtentari nequit, proſtrata in orationem, petijt, vt qui manna populo eſurienti de cælo, lymphaſque ſitienti produxit
Exod 16 *Num* 20. è ſaxo, ipſe quoquè alimentum, quo parumper corpuſculum feſſum confortaretur, dignaretur indulgere. Protinuſq;
ad eius

Digitized by Google

ad eius orationem nix de cælo decidua humum operuit. Quod illa cum gratiarum actione cernens, educta manu per feneſtram, quod circa parietem erat, ex ipſa niue collegit, de qua aquam exprimens, panem ſolitum formauit, quo vſque ad alios quinque dies victum corporeum miniſtrauit.

Cælitus accepit aquã.

IV. HABEBAT autem contiguum cellulæ paruulum viridarium, in quod pro quadam releuatione prodire erat ſolita. In illud igitur cùm ingreſſa eſſet, intuens herbas loci ac deambulans, mulier, quæ triticum ſupra tectum ſuum ſiccandum poſuerat, quaſi de eminentiori loco cuius oppleta mundanis, importunè proſpexit, moxque ocu-lis clauſis lumine caruit. Cognoſcens autem reatum ſuum, ad eam accedit, rem vt geſta fuerat pandens. At illa deijciens ſe in orationem, ait: Væ mihi, quia pro paruitatis meæ perſona peccatrice, aliorum clauſi ſunt oculi. Et conſummata oratione, impoſuit manum mulieri. Confeſtim autem, vt ſignum Crucis expreſſit, mulier viſum recepit. Homo ex pago illo, qui olim auditum perdiderat, ad hanc cellulam deuotus aduenit, pro quo deprecati ſunt parentes eius, vt ei manus hæc benedicta dignaretur imponere. Sed illa indignam ſe proclamans, per quam Chriſtus operari dignaretur, ſolo proſtrata, & quaſi ipſa Dominicorum pedum veſtigia lambens humiliter, pro eo diuinam clementiam ſupplicauit: illaq; adhuc ſolo decumbente, aures ſurdi apertæ ſunt, reditq; ad domum propriam, mœrore ablato, cum gaudio.

Sanat cæcam.

Item ſurdum.

V. HIS ſignis glorificata inter ſuos, nè vanæ gloriæ lapſum incurreret, ſancti Martini autiſtitis baſilicam, relicto coniuge, cum familia & omni domo ſua, fideliter expetiuit. Cumq; iter cœptum carperet, venit ad vicum vrbis Turonicæ, cui nomen eſt Euena, in quo Medardi Sueſſionici confeſſoris reliquiæ continentur, cuius & vigiliæ ea nocte celebrabantur. Ibi igitur illa attentè excubans in oratione, hora debita cum reliquo populo ad Miſſarum acceſſit ſolennia. Quæ dum à ſacerdotibus Dei celebrarentur, aduenit quædam puella puſtulæ malæ veneno conflata, procidítque ad pedes eius, dicens: Subueni mihi, quia mors iniqua vitam conatur eripere. At illa more ſolito in oratione proſtrata, ſupplicauit pro ea Deo omnium creatori, erectaque ſignum Crucis impoſuit: ſicque in quatuor partes vulnere excrepante, puellam, pure decurrente, mors importuna reliquit.

Item puellã à puſtula.

VI. POST hæc ad baſilicam ſancti Martini Monegundis beata peruenit, ibique proſtrata coram ſepulcro gratias agens, quòd tumulum ſanctum oculis proprijs contemplari meruerat, in cellula parua conſiſtens, quotidiè orationi ac ieiunijs vigilijſque vacabat. Sed nec ille locus ab eius virtute fuit inglorius. Nam viduæ cuiuſdam filia manus contractas detulit, cui vt illa exorata ſignum ſalutis impoſuit, manibus ſuis digitos puellæ contrectare cœpit. Extenſis verò digitis, neruiſque directis, volas laxauit incolumes. Dum autem hæc agerentur, audita vir illius fama beatæ, conuocans amicos vicinoſque ſuos, perrexit poſt eam, ac reduxit ad propria, & eam in cellulam, in qua priùs habitauerat, intromiſit. At illa non ceſſabat ab opere, quo conſueuerat, ſed exercebatur in ieiunijs & obſecrationibus, vt tandem locum, in quo habitare deſiderabat, poſſet acquirere. Inchoat iterùm iter deſideratum, implorans beati Martini auxilium, vt qui dederat deſiderium, tribueret & affectum perueniendi ad baſilicam. Reuertitur ad cellulam illam, in qua priùs fuerat commorata, in eaque perſtitit inconcuſſa: nec enim eſt ampliùs à viro ſuo quæſita. Ibi verò paucas colligens monachas, cum fide integra & oratione degebat, non ſumens panem niſi hordeaceum, non vinum, niſi paruum in diebus feſtis, & hoc ipſum aqua nimia temperatum, nullum habens ſtratum fœni, paleæque mollimen, niſi tantùm illud, quod intextis iunci virgulis fieri ſolet, quas vulgò mattas vocant. Hoc ſuperponebat formulæ, hoc ſolo ſuperſternebat, hoc erat quotidianum ſcamnum, hoc culcitra, hoc plumella, hoc erat *ſtragulum*, *hoc* omnis lectuli commoditas: ſic docens eaſdem facere, quas ſecum adſciuit. Ibique in Dei laudibus degens, multis infirmis, oratione facta, ſalutaria impartiebat medicamenta.

Aliud miraculum.

Duritia vitæ eius.

VII. MVLIER quædam filiam ſuam exhibuit vulneribus plenam, & pus eadem generarant. Tunc illa, facta oratione, ſaliuam ex ore ſuſcipiens, vulnera ſæua peruuxit, puellamque reddidit ſanam, opitulante eius virtute, qui cæci nati oculos ſputo formauit. Puer verò incola loci, maleficium in potione hauſit, de quo, vt aſſerunt, ſerpentes generati in intraneis pueri, magnum dolorem ſuis morſibus excitabant, ita vt nulla quieſcendi mora vel in modicum momentum indulgeretur: ſed neque cibum aut potum capere poterat: & ſi quandò aliquid accipiebat, protinùs reijciebat. Hic adductus ad beatam fœminam, petijt ſe eius virtute mundari. Cumque illa reclamaret, indignam ſe eſſe, quæ hæc agere poſſet, multiplicita precatu ſuorum, ventrem pueri palpabat palma demulcens, ſenſitque ibi anguium venenatorum nequitiam latitare. Tunc accepto pampini viridis folio, ſaliua liniuit, fixitque ſuper eum Crucis beatæ ſignaculum. Quo poſito ſuper aluum iuuenculi, dolore paululùm ſedato, obdormiuit in ſcamno, qui olim doloribus inſiſtentibus caruerat ſomno. Poſt vnius verò horæ momentum conſurgens, & ad purgandum ventrem egreſſus, peſtiferæ generationis germen effudit, gratiaſque referens ancillæ Dei, ſanus abſceſſit.

Saliua ſua ſanat puellam Ioan 9.

Item puerũ morbidum.

VIII. ALIVS verò puer paralytica ægritudine contractus, ante eam inter manus delatus eſt aliorum, deprecans à beata ſanari. At illa oratione proſtrata, precem pro eo effudit ad Dominum. Conſummata verò oratione conſurgens, apprehenſa manu pueri, erexit eum, ſoſpitemq; abire permiſit. Mulier erat cæca, quæ adducta ad eam, deprecata eſt, vt ei manus imponeret. At illa reſpondit: Quid vobis & mihi, homines Dei? Nónne ſanctus Martinus hic habitat, qui quotidiè illuſtrium opere virtutum refulget? Illuc accedite, ibi obſecrate, vt ipſe vos viſitare dignetur: nam ego peccatrix quid faciam? Illa verò in ſua petitione perdurans, aiebat: Deus per omnes timentes nomen ſuum, quotidiè opus exercet egregium: ideoq; ſupplex ad te confugio, cui præſtita eſt diuinitùs gratia curationum. Tunc commota Dei famula, luminibus ſepultis manus impoſuit: ſtatimque reſeratis cataractis, mundum latè patentem, quæ fuerat cæca, proſpexit. Multiſque etiam energumenis ad eam ingreſſis vt manus impoſuit, fugato hoſte nequam, ſoſpitatem reſtituit. Nec morabatur ex his curari, quos ad ſe ſancta permiſiſſet accedere.

Item paralyticum.

Item cæcã reſtituit.

IX. IAM autem tempus vocationis eius appropinquabat, & defeſſa corpore ſoluebatur. Quod cùm viderent ſanctimoniales, quas ſecum habebat, flebant valdè, dicentes: Et cui nos, mater ſancta, relinquis? vel cui commendas filias, quas in locum hunc pro Dei intuitu congregaſti? At illa parumper lachrymans, ait: Si pacem ſanctificationemque ſequamini, Deus erit protectio veſtra, habebitiſq; ſanctum Martinum Antiſtitẽ paſtorem magnum. Ego quoq; non diſcedam à vobis: ſed inuocata adero in medio charitatis veſtræ. At illæ rogabant, dicentes: Venturi ſunt multi infirmi ad nos, flagitantes benedictionem à te accipere: & quid faciemus, cùm te non viderint eſſe ſuperſtitem? Confuſæ enim eos foràs emittemus, cùm tuam faciem non contemplabimur. Rogamus autem, vt quia hæc ab oculis noſtris abſconditur, ſaltem digneris oleum ſalemque benedicere, de quo poſſimus ægrotis benedictionem flagitantibus miniſtrare. Tunc illa, benedicto oleo ac ſale, tradidit eis: quæ ſuſcipientes, diligentiſſimè ſeruauerunt. Sicque beatiſſima obijt in pace, & ſepulta eſt in ipſa cellula, multis ſe in poſterum virtutibus repræſentans. Nam de memorata benedictione multi poſt eius tranſitum ægroti incolumitatis beneficia ſunt experti.

Sãcti inuocati adſunt nobis.

Obijt S. Monegundis.

X. BOSONIS denique Diaconi pes vnus à puſtula mala intumuerat, ita vt greſſum facere non valeret, deportatuſque ad eius templum, orationem fudit. Puellæ verò accipientes ex oleo memorato, quod ſancta reliquerat, poſuerunt ſuper pedem eius, & extemplò aperto vulnere, defluente veneno, ſanatus eſt. Cæcus quidam adductus ad eius tumulum, in oratione proſternitur: irruente autem in eum ſopore, obdormiuit, apparuitque ei beata, dicens: Indignam quidem me iudico exæquari ſanctis: ſed tamen vnius hîc oculi recipies lumen: deinceps autem propera

Miracula ad eius tumulum.

quanto-

Digitized by Google

quantociùs ad pedes beati Martini, & proſternere in compunctione animi coram eo. ipſe enim tibi reſtituet alterius oculi viſum. Expergefactus homo, vnius oculi recepto lumine, abijt quò iuſſio impulit imperantis, ibique iterùm obſecrans beati confeſſoris virtutem, depulſa cæci oculi nocte, videns abſceſſit. Mutus etiam ad hunc beatæ tumulum proſtratus decubuit: qui in tantùm fide compunctus eſt; vt riuis lachrymarum cellulæ inficeret pauimentum: qui conſurgens, abſoluta lingua virtute diuina, regreſſus eſt. Alius denique mutus veniens & decumbens, corde tantùm implorabat, & non voce ſolubili beatæ fœminæ auxilium, in cuius ore de memorata benedictione parte infuſa, erumpente ſanguine mixto cum pure, vocis officium meruit adipiſci. Frigotiricus quoquè accedens ad hoc monumentum, vt palam tegentem attigit, reſtincta contagionis febre, conualuit. Contractus verò, Marcus nomine, manibus deportatus aliorum ad ſepulcrum beatæ, orationem diutiſſimè fudit: hora autem nona pedibus proprijs ſtetit, domumque regreſſus eſt. Leodinus puer cùm in valetudinem grauem irruens, quatuor ægrotaret menſe, & non ſolum greſſuum, verumetiam iam ciborum vſum, inſiſtente febre nimia, perdidiſſet, ad eius deportatus ſepulcrum, præmortuus accepta ſalute, ſurrexit è tumulo rediuiuus. Quid de frigotiricis reliquis loquar, cùm pleriſque hoc fuerit beneficium remedij, dum palam tumuli ſunt fideliter oſculati? Quid etiam de energumenis? qui adducti ad cellulam beatæ, cùm limen ſanctum fuerint ingreſſi, integræ menti reſtituuntur. Nec enim moratur larua egredi è corpore, cùm ſanctæ huius ſenſerit adeſſe virtutem, operante hoc Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui timentibus nomen ſuum præmia largitur æterna.

An. 830.

VITA S. SVVITHVNI EPISCOPI VVINTONIENSIS, AVTHORE GOTZELINO MORINENSI, QVI CLAruit anno Chriſti 1110. quamquàm ſuſpicor hanc non niſi Epitomen eſſe vitæ ab illo conſcriptæ. Stylum modicè hincindè correxi.

Ivlii 2.
*Svvithunus
Fit clericus.
Virtutes eius.

I. Glorioso rege Anglorum Egberto regnante, qui regi Kinegilpho, ab idololatria per beatum Birinum conuerſo, octauus in regni adminiſtratione ſucceſſit, beatus *Suuithunus, pater & paſtor in Eccleſia Dei futurus, curſus ſui in ſtadio mundi huius exigendi, diuina ordinante miſericordia, accepit exordiũ. Annis verò puerilibus, pia ſimplicitate, tranſactis, iugũ Dominicæ ſeruitutis ſuis humeris imponi voluit ſuſceptumq; humiliter viriliterq; portauit. Itaq; in clerum adſcitus, de gradu in gradum, de virtute in virtutem, greſſus eius Deo per omnia dirigente, conſcendens, ſub Helinſtano Vuintano Epiſcopo, ad ſacerdotij honorem prouectus eſt. Porrò autem curabat ſeipſum miniſtrum idoneum & probabilem Deo ſemper exhibere, verbum veritatis rectè & catholicè tractare, humanitati & manſuetudini ſtudere, opera pietatis ante omnia exercere, non rectè neque ordine viuentes, virga caſtigationis corrigere, humiliter omnibus inſeruire.

* *Quidam Aldulphũ, alij Ethelvulpham vocant.*
Creatur S. Suuithunus Epiſcopus.
Miraculũ.

II. Eivs fama vbi ad regis aures peruenit, ab illo accerſitus eſt, & inter præcipuos amicos numeratus. Commendauitq; ei rex filium ſuum * Adulphum, liberalibus diſciplinis erudiendum, & ſanctis moribus inſtruendum: quem poſteà Subdiaconum ordinauit. At tamen patre eius ſine hærede ex hac vita decedente, cùm præter eum nullus alius hæres ſupereſſet, Leone Pontifice diſpenſante, vxorem duxit. Defuncto verò Helinſtano Epiſcopo, omnium votis Swithunus electus eſt. Eius precibus & exhortationibus rex Adulphus permotus, eccleſijs Dei vniuerſam decimam terræ regni ſui benignè donauit, libereque ſibi vendicare conceſſit. Idem ſanctus Epiſcopus pontem Wintonienſem, qui eſt ad Orientem, conſtruxit: Cumque ei ædificando ſolicitam nauaret operam, quodam die illo ad opus reſidente, quædam paupercula mulier eò venit, oua venalia in vaſe deferens: quam apprehenſam operarij laſciuientes & ludibundi, magno incommodo affecerunt, ouis vniuerſis non ereptis, ſed confractis. Illa igitur pro illata iniuria & damno dato, cum lachrymis & eiulatu coram Epiſcopo conquerente, vir ſanctus pietate permotus, vas, in quo erant repoſita oua, corripit, dextra ſignum Crucis exprimit, ouaque incorrupta & integra reſtituit.

Multa eius præclara exempla.

III. Solebat verò ſtudioſè fabricare eccleſias ijs locis, quibus non erant: porrò dirutas & confractas inſtaurare. Dedicaturus ſacras ædes, non equo vehebatur ſublimis, nec ſæcularis pompæ apparatum ſibi adhibebat: ſed clericis & familiaribus ſuis comitantibus, nudis pedibus humiliter incedebat. Ad conuiuia ſua accerſebat non locupletes, ſed egenos & pauperes. Os ei ſemper apertum erat ad cohortandos peccatores ad agendam pœnitentiam. Monebat ſtantes, darent operam, nè caderent: lapſos, vt reſurgerent. Cibum non vt ventrem farciret, ſed pro ſuî ſuſtentatione parcè & moderatè ſumebat. Poſt multas vigilias multoſque labores, nè deficeret, ſomni paululùm admittebat, pſalmis & canticis ſpiritualibus ſemper intentus. Proximis ſemper, perindè ac ſibijpſi, quod vtile, quod honeſtum, pium & ſanctum eſſet, modeſto & humili ſermone proponebat. Vixit vir beatus vſque ad vitæ exitum in vera obſeruatione mandatorum Dei, omni cuſtodia ſeruans cor ſuum in omni munditia & ſpiritali puritate, catholicæ & Apoſtolicæ doctrinæ cuſtos integer, filiorum ſpiritaliter regeneratorum in ſanctæ conuerſationis ſtudio eruditor, peruigil & magiſter. Humilitatem & manſuetudinem accuratiùs ſectabatur. Denique pacem & ſanctimoniam ſequens, fontem vitæ & ſempiternæ beatitudinis ſitiebat. Atque ità feliciter migrauit ab hoc ſæculo ad ſidereas manſiones ſexto Nonas Iulij, anno ſaluris octingenteſimo ſexageſimoſecundo: Iuſſit verò non intrà eccleſiam, ſed extra eius ſepta, indigno & vili loco ſe tumulari.

Eius beata mors, Anno 962.

Multa poſt obitũ eius miracula.

IV. Post obitum ſuum multis corruſcauit miraculis: inter quæ apparuit cuidam viro, incredibili membrorum omnium infirmitate laboranti, admoneus, vt Ethelwoldum Wintonienſem Epiſcopum adiret, diceretque ei diuinæ prouidentiæ ita viſum, vt corpus ipſius à loco, in quo conditum erat, ſublatum, intrà eccleſiam digniori loco honorificentiùs tumuletur. Si diffidat & hæſitet, teſtimonij loco habiturum ſanitatem, quam, profligato eadem hora morbo, quo diù laboràſſet, ilicò eſſet recuperaturus. Addidit etiam, vt ad locum ſepulturæ veniat, vnum ex ferreis annulis, qui etiamnùm lapidi infixi viſuntur, ſine vlla lapidis læſione extracturus, rurſumque pari facilitate, nihil læſo lapide, in ſuum locum repoſiturus. Surgit ille perfectè ſanus: vti prædicta erant, omnia reperit, cunctaque ex ordine Epiſcopo enarrat.

V. Incvrvvm quendam, & pecudum more, prono vultu terram reſpectantem, ſanum & incolumem reddidit. Vir quidam nobilis & diues, cùm meridiano tempore ad fluminis ripam deambularet, vidit ſubitò apparentes ſibi tres vltra modum horrendas quaſi mulieres ſtatura immenſa. Eæ fugientem illum comprehendentes, & multis modis affligentes, peſtiferoq; flatu ſuo penè ſuffocantes, incredibili horrore affectum, inſano ſimilem reddiderunt. Adducto autem ad eccleſiam, nocte apparuit ſanctus Suuithunus, & omni pulſo dolore, ſanitati eum reſtituit.

Eius tràſlatio, & miracula.
Quæ deinceps ſequũtur in hac

VI. Cvm Etheluuoldus Epiſcopus corpus beati viri è terra leuaret, mira odoris fragrantia omnes perua ſit, mulier cæca viſum recepit, & multi diuerſis preſſi ægritudinibus, eius meritis curati ſunt. Ea tranſlatio incidit in annum centeſimum decimum ab obitu illius, incarnationis verò Dominicæ nongenteſimum ſeptuageſimumprimum, & Idus Iulij. Eodem die puerum, à natiuitate mirabiliter contractum, ſanauit: tribus mulieribus oculorum lumine orbatis viſum reſtituit: nexibus ferreis mulierem in carcere compeditam, ruptis vinculis, liberauit: paralyticum cu-

Digitized by Google

ticum curauit: matronam nobilem, ſed cæcam, illuminauit: vigintiquinque homines varijs vexatos morbis, qui è locis diuerſis venerant, vno die perfectè reſtituit: cœcos aliquot, duas contractas fœminas intrà vnum diem: triginta & ſex è diuerſis locis venientes, nec vnius generis laborantes ægritudinibus, trium dierum ſpacio: neque diù pòſt, centum vigintiquatuor intrà dies quatuordecim curauit.

hiſtoria, in cõpendium redegi.

VII. REX Edgardus ob coërcenda furta lege ſanxit, vt in furto deprehenſus, oculis priuaretur, auribus, manibus pedibusque præciſis, cute capitis nudaretur, ſicq; feris & auibus laniandus obijceretur. Accidit verò, innocentem quendam ea pœna mulctatum, penè amittere auditum, obſtructis ſanguine aurium meatibus. Delatus à parentibus in oratorium S. Suuithuni, vt ſolus auditus ei redderetur, non id modò impetrauit, ſed etiam alia, quæ non rogauerat. Mulierem quandam dormientem oſtio aperto in villa ciuitatis Vuintonienſis, lupus è lecto abſportauit in ſyluam, & horrendo vlulatu alios ad ſe lupos acciuit. Mulier & inedia & ætate debilis, quid faceret ignorabat. Conuertitur ad preces, diuinam implorat opem, S. Suuithunum appellat. Lupus, eius audito nomine, obdormiuit: mulier ſe ſubducit: lupus euigilans, cum ſocijs eam inſequitur, ſed lædi non potuit, quam Dei & beati Pontificis miſericordia liberandam ſuſceperat.

Edgardi regis lex ſeuera in fures.

VIII. STATVAM quandam S. Suuithuni Epiſcopus Schireburnenſis à fratribus acquiſitam, honorificè in eccleſia ſua collocauit, vbi præclara miracula crebrò edi ſolebant. Ad hanc ſtatuam quidam leproſus non curationis obtinendæ cauſa, ſed vt ab illis, qui eo in loco preces funderent, ſtipem acciperet, acceſſit. Cumque paululùm illic obdormiuiſſet, viſum eſt ei S. Suuithunum adeſſe, lepram ipſius manu abſtergere, & morbum illum omnem repentè ab ipſo depellere. Euigilans, lætus coram omnibus cingulum ſoluit, & ſe purgatum oſtendit.

Statua S. Suuithuni, & miracula ad eam.

VITA S. OTTONIS EPISCOPI BABENBERGENSIS, APOSTOLI POMERANORVM, QVATVOR LIBRIS ſcripta ab Andrea Monaſterii S. Michaëlis prope Bambergam Abbate, à P. Iacobo Gretſero edita.

An. 1100.

Præfatio.

VENERABILI AC SVPPLICI IN CHRISTO PATRI IOANNI MACARIO, SERAPHICI ORDINIS, CONVENtus Babebergenſis Guardiano, Proclamatori Verbi Dei conſtantiſſimo, Frater Andreas, humilis ſeruitor Fratrum Cœnobij S. Michaëlis Archangeli, Ordinis S. Benedicti propè Babebergam, ſalutem & charitatem.

IVL. II.

*PEtitionibus veſtris, Venerande Pater, prout ſcientiæ meæ tenuitas permiſit, parere ſtudui. Petiſtis enim, vt ſanctiſſimi Patris noſtri Ottonis, Babebergenſis Epiſcopi, vitam præcipuo quidem elegantiq; ſtylo ſcriptam vtpote Ebbonis noſtri cœnobij monachi, ſicut eam ex ore venerandi, & à Deo dilecti ſacerdotis Vdalrici audiuit, nec non Sefridi, atque Tiemonis, per modum Dialogi antiquitus editam, ſed in locis quibuſdam ita infirmo intellectui obſcuram, vt difficile pateat, quò oratio tendat, & in nonnullis locis à ſeipſis diſcrepantem; hanc ego ſententia apertiori reſerarem. Quam nimirum petitionem inprimis miratus, cur tot Patribus peritis circumquaq; commorantibus hucuſque relictis, mihi imperito, & liberalis ſcientiæ admodum ignaro, tam arduum opus iniungere vel excogitaueritis, pro nihilo duxi; appoſuiq; aliquando animum, volens ſcilicet implere petita, ſi vlla adſtipularetur ſcientia. Cumq; diu velle mihi adiaceret, perficere autem in me non inuenirem, dicebam vobis; quod vellem, quodq; nequirem. Sed veſtra benemerita paternitas, vti nouit, eadem crebrò repetiuit dicens; ſi mihi tantummodo ſolida ineſſet voluntas, à Domino cætera præſtari: Exhortatione huiuſmodi ſæpe incitatus tentaui tandem veſtros implere precatus: confidens in eo quàm maximè, qui dixit; aperi os tuum, & ego adimplebo illud: quiq; ſicut in paucis ſæpe victoriam præſtans, ſic etiam in imperitis, peritiam tribuens, gratiæ ſuæ potentiam oſtendit. Hæc autem ideo præmiſi, ne quis me forſitan tantum opus vltrò arripuiſſe per arrogantiam arbitratus, diceret, magnæ præſumptionis eſſe cauſam, illa, quæ à quolibet ſancto viro vtcunque fuerint prolata, ab vllo deinceps quaſi emendatore, in aliud transferri. His itaq; prælibatis contra detractores vniuerſos, quibus nihil eſt dulcius, quam alios lacerare alijs laqueos ponere in via, qua ipſi nolunt incedere: iam deinde lectori pandere cupio; quia id mihi maximè fuit ſtudij in opere iſto, vt ſententiam eandem verbis apertioribus proferrem, exceptis his, quæ ob ſuam difficultatem & obſcuritatem inueſtigare penitus nequiui. In tantum autem faciliora ſequebar, vt, ſicut probari poteſt, alicubi eadem verba ponerem. Quid enim mihi infimo & illiterato nodoſa & perplexa oratio? Habeant amatores ſapientiæ ſæcularis Tullium; ego imperitus & ignobilis, deſpectus & contemptibilis ſequar Chriſtum; qui non Philoſophos, ſed Piſcatores elegit diſcipulos. Inter hæc etiam illud notum facio veſtræ dilectioni; quia cum ipſos libros, quos me explanare, & in vnum comportare petiſtis, diligenti indagine reuoluerem, plurima tam operum, quàm miraculorum inſignia non haberi in vno, quæ in alio libro inueni, molitus ſum ex illis colligere, & in locis, quæ opportuna videbantur, inſerere. Fortaſſis enim Sefridus vir ille beatus, quid in peregrinis & barbaris nationibus egerit Otto Epiſcopus ſanctus, quia horum ſibi conſcius magis fuit, & quomodo apud Principem in Curia degerit, vel qua opportunitate in Curiam venerit, & inde ad Pontificatus dignitatem, homo Curialis & in Curia enutritus, aptius explanauit. Thimon autem homo ſimplex, velut Iacob habitans in tabernaculis cum Rebecca matre ſua, quæ domi ſolitus erat agere Epiſcopus, & de fundationibus vel renouationibus cellarum & cœnobiorum cœnobita clarius edicit. Iſte quippe eſt Thimon; quem aiunt, ipſius ſancti Præſulis Ottonis mimulum fuiſſe quinquennem; habuitq; ſuper eum oculos bonos, eò quod de illuſtri eſſet parentela, & ab ipſis cunabulis ad monaſterium translatus, & quod eſſet puer gratioſæ pulchritudinis, iucundus valde & mirabilis factis & dictis, omnes lætificans. Ebbo vero presbyter & monachus cœnobij noſtri, vitam Beati Viri Ottonis Epiſcopi, prout ex ore * Vdalrici Sacerdotis ſancti Ægidij edoctus fuerat, eleganti ſatis ſtylo deſcripſit. † Herbordus autem Scholaſticus vitam præfati Ottonis in libello quodam dramatico carmine, vel etiam proſa, luculentiſſimè perſudauit. Vnde conſideranti mihi omnia, quæ de S. Præſule ſcripta reperi, in nullis maior tanti Præſulis auctoritas, quàm in epiſtolis ab ipſo, aut ad ipſum directis, videtur eſſe. Ibi namq; apertiſſimè inſpicitur*

Pſalm 80.

Quatuor Scriptores vitæ S. Ottonis.

Sefridus.

Thimon.

Ebbo.

* Huius Vdalrici extat mentio lib 1. c. 31.

† Herbordus, cuius fit mentio lib 2. cap 34. & cap. 1 lib 4.

*quanta veneratione primitùs fuerit ſuſceptus à Pontifice Romano Paſchali ſecundo, qualiterq́; eum ordinatum miſerit, ne dum Clero Babebergenſi, verùm etiam cunctis Alemaniæ Epiſcopis; quanto etiam labore populum Pomeranorum ad fidem conuerterit: quantam gratiam à terræ Principibus Henrico IV. Romanorum, & Bela Vngarorum regibus obtinuerit. Poſtremò & illud ibi ſpeculatur, quod etiam nobis peropus eſt, quomodo corporis ſui locum Cœnobium, videlicet Montem S. Michaëlis Archangeli, poſſeſſionibus & donis plurimis ſublimauerit. Vnde, quæcunq; ſcripta huic operi conducentia de ipſo inuenire potui, in vnum colligere ſtudui, & nonnunquam nomen Auctoris expreſſi, ſperans aliquem æmulum, & tantæ auctoritatis ignarum lectorem exinde poſſe ædificari. Quatuor autem libellos, Domino adiuuante, de vita ſancti viri ſcribere geſtio. In priori quidem narratur quis fuerit, aut qualiter ad Epiſcopatus celſitudinem peruenerit, ac deinceps, quæ in Epiſcopatu egerit, depingitur. In altero verò, qualiter in Eccleſia ſancta pro conuerſione gentilium & paganorum in Pomerania laborauerit, & quomodo eos Chriſtianæ religioni initiauerit, explicatur. In tertio verò de ſecunda eius profectione ad Pomeranos poſt apoſtaſiam, qua à fide receſſerunt, & de eius reditu ad ſedem ſuam, exprimitur. In vltimo verò quæ Dominus ante felicem deceſſum miracula diuinitus ſit operatus, & de tranſitu ipſius ac miraculis factis poſt felicem ipſius exitum diligenter exponitur. Quapropter Lectores, in quorum fortè manus hæc ſcripta venerint, peto ne arrogantiæ aut temeritati hoc adſcribant, ſed, Deo teſte, ſciant, me ſola charitate vrgente, dum vocem * pectori negare non poſſum, ob notitiam poſterorum, hæc humiliter pandere. Et certè, ſi quid erro, ad eos culpam depoſitum eo, à quibus ea legi auctoribus. Nam ego aduena ſum huius cœnobij & peregrinus. quinq; compleui luſtra quo hæc ſcribere cœperam; tria autem quo eorum Curam ſuſcepi agens; Dei & Fratrum meorum miſericordia in conſortium eorum adoptatus, conſcius & comparticeps effectus conſolationum & bonorum omnium, per eum huic cœnobio collatorum. Huius ergone obliuiſci potero, qui ſuas eleemoſynas noſtras fecit, dum eas manibus noſtris erogandas inſtituit? Num eius obliuiſci potero, qui oculis noſtris tot egregia & præclara ſui monumenta, quoad vixerimus, contuenda ingeſſit? Omnes enim has Cœnobij maximas ædificationes tam Monaſterij, quam omnium officinarum eius, intus exteriusq; à fundamentis vſq; ad apices tectorum, opera eius eſſe dicimus. Sic fontis venam plumbeis fiſtulis ab horto ſuo deductam, quam labio plumbeo cernitis emergentem, ſicut conſtare poterant, cenſu appreciauit æternæ retributionis auidiſſimus negotiator, vt omnia coram Deo ſibi aſcriberentur. Vnde ſæpe dum mentio fit horum, ſtupor & admiratio oritur inter loquentes, quomodo videlicet Epiſcopus tam multis & varijs negotijs occupatus, tantam circa locum noſtrum promouendum ſolicitudinem, tantamúe potuiſſet habere diligentiam? Nã maioribus noſtris ſcribentibus percepimus, res Cœnobij noſtri, eius diligentia & prouiſione, adeò auctas fuiſſe, quas exiles ac tenues inuenit, & pauperrimas ſuo tempore; centum monachis ſi rectores habeant induſtrios, ſufficientes & amplas ſatis eſſe; quæ olim viginti quatuor monachis tenues fuerunt & anguſtæ: licet iam, peccatis noſtris merentibus, manibus perfidorum, & incuria rectorum ſint fermè diſtractæ. Sed tamen mihi ſummè cauendum, (quia multum diligere ſcio eum, de quo loquor) ne ob eius dilectionem rem non verè auxiſſe videar. Itaque ſummoperè cauendum, ne laude mortuorum viuis derogem. Multi enim in iniuriam viuentium magnis & importunis laudibus benefacta efferunt mortuorum. Sed hos ego non laudatores veros ſed figuratiuos criminatores arguerim. Proinde & vos, Patrem amantiſſimum, vnicè dilectum peto atque admoneo; vt præſens opuſculum, intentione ſumma legatis, Deo ſupplicantes, vt per eius preces, à quo, vel per quem ſcriptum eſt, à prauis hominibus nos locumq́; noſtrum cum rebus creditu defendere dignetur. Et quia veſtra dilectio id mihi iniunxit officij, vt coquam pulmentum filijs Prophetarum; in quo ſi colocynthidas miſcuero, ſuperiecta, vt confido, farinula amaritudinem condiet Heliſæus, & exceſſus inſipientiæ obedientiæ bonitas condonabit. Valeto Patrum amantiſſime, religionis gemma, præſidium & dulce decus meum Neſtoris æuo Ex monte Pauonis feliciter.*

Diuiſio operis in quatuor libros.

* *paſtori.*

4. Reg. 4

LIB. I.

Ebbo. Ortus & familia S. Othonis. Vide vitam editam à Doct. Caniſio, lib. 1. cap. 1. Venit in Poloniam

IGITVR ex prouincia Alemanorum beatiſſimus Otto generoſa ſtirpe & parentibus ſecundum carnem liberis, ex Sueuia duxit originem: (Nam ſummis Principibus ſanguine pares erant, ſed opibus impares;) patre Ottone, & matre Adelheida nuncupata: qui ambo ſimplicitati ac manſuetudini operam dantes, nulli violẽtiam aut oppreſſionem inferebant: quin imò pijs operibus & eleemoſynis vacantes Dei nutu ad conſolationem Eccleſiæ elegantem hunc filium gignere meruerunt. Qui decurſa teneriori infantia literis imbutus, vt primùm annos intelligibiles attigit, mirum in modum ſpiritu ſapientiæ & intellectus abundare cœpit: ſed & morum grauitate, & modeſti habitus nitore cunctis acceptus & honorabilis erat. Accidit fortè illis diebus, vt germana ſoror Henrici IV. Imperatoris Iudita nomine in matrimonio iungeretur Bolezlao Polonorum Duci, cui ille tanquam fideliſſimus adhærens Capellanus, Poloniam venit: ibique in breui loquelam gentis addiſcens, & præfatæ matronæ obſequio deditus prudenter ſe agebat; donec magnus valdè & nominatus in illa regione factus eſt. Sed & nobiles quique & potentes illius terræ, certatim ei filios ſuos ad erudiendum offerebant. Sicque, Deo cuncta eius opera dirigente, non mediocriter diues eſſe cœpit in poſſeſſione auri & argenti. Non enim in ludicris & vanis mundi illecebris opes ſapientia & fidelitate ſua congregatas expendebat: ſed, vt vir prudens & ſenſatus rem ſuam ſeruare nouerat. Domina etiam Iudita, cui familiare contubernium præſtabat, frequenter per eum munera varia & magnifica germano ſuo Imperatori dirigebat; vtpote quæ nullum fide & moribus inter obſequentes ſibi præſtantiorem habebat. Cuius legationis officium tanta auctoritate & circumſpectione perſoluebat, vt per hoc ipſi etiam rerum Domino mirabilis videretur. I.

Ebbo.

SÆPIVS autem tranſitum faciens per Wurtzeburgenſe cœnobium, à religioſo eiuſdem loci Abbate Henrico nomine, vt vir grauioris perſonæ reuerenter ſuſcipiebatur, debitoque humanitatis officio benignè tractabatur. Cuius beneuolentiæ vir ſagacis animi non immemor, audienſque illic magnam victualium rerum eſſe penuriam; vt totis miſericordiæ & charitatis viſceribus affluebat, inopiæ eorum condoluit. Et quia charitas operatur magna, ſi eſt; ſi verò operari renuit, charitas non eſt: ex opibus à Deo ſibi conceſſis, Hoſpitale ad receptionem peregrinorum illic conſtruxit; hocque primum ſuæ deuotionis munus de theſauro bonæ voluntatis Chriſto obtulit. Sic bona arbor fructum plurimum germinatura in florem erupit, & quaſi primitias agri ſui ad altare veri ſacerdotis detulit, vt centuplum in hoc ſæculo, & in futuro vitam æternam reciperet. Bonum planè initium, quod finis eſt optimus ſubſecutus. II.

Herbipoli Hoſpitalẽ domum extruit. *Matth. 19.*

Ebbo. Reditum Germaniam.

POST obitum ergò venerabilis Dominæ Iuditæ, ad Teutonicas reuerſus regiones, Ratisbonam adijt; III.
vbi Canonicis in ſeruitio Chriſti adhærens reuerendi habitus modeſtia ac probabilis vitæ diſciplina cunctis amori

Digitized by Google

mori & exemplo fuit. Illo tempore Abbatiſſa de * inferiori monaſterio magnæ opinionis, vtpote neptis Henrici Imperatoris, & Virtutum operatrix habebatur; quæ cernens perſonæ & morum eius elegantiam, audiensque magni conſilij virum, ſine mora eum aduocans, vt alterum Ioſeph rerum ſuarum totiùsque domus diſpenſatorem conſtituit: at ille ſolita grauitate & induſtria fideli grauitate gubernabat omnia. Interea Henricus Imperator quoddam de Principalibus feſtis Ratisbonæ celebraturus, ad neptem ſuam Abbatiſſam diuertit, in cuius obſequio videns tantæ auctoritatis & reuerentiæ virum, mirari ac delectari cœpit ſagacitate animi eius; conuerſusque ad cognatam, ait; Opportunum eſt, ſoror, cunctis in hoc feſto amicis ſuis ſolatiantibus, & te mihi aliquod charitatis obſequium ob conſanguinitatis vinculum impendere. Qua humiliter reſpondente; iube quod vis, Domine, mi Rex: non enim fas eſt, vt auertam faciem tuam. Imperator ſubiunxit. Nihil aliud peto, niſi Capellanum tuum, Dominum Ottonem, ſpiritu ſapientiæ plenum. Talem enim virum Reſpublica noſtra habet neceſſarium. Quo audito, Abbatiſſa, licet fideliſſimi ſui auricularij ægrè ferret abſceſſum, Imperatoriæ tamen maieſtati contraire non potuit. Et aduocans eum, debitasque miniſterij ſui gratias exſoluens, non ſine lacrymis, pium amorem teſtantibus, Principi aſſignauit. Aſſumptus itaque, Dei nutu, in * curtem regiam vir totius induſtriæ & religionis, ita ſibi prudentiſſimum Imperatorem nobilitate morum & fidei pietate deuinxit, vt eum quaſi vnicum amplectens filium † Secretalem intimum & cuſtodem capitis ſui poneret cunctis diebus. Nam & Cancellarium eum fecit, & quæcunque precioſa, vel cariora in Palatio habuit, eius fidei commiſit. Hoc modo ſeruus Dei Vdalricus pium Ottonem in curtem regiam accepiſſe ferebatur. Alij verò dicunt, eum liberalibus imbutum diſciplinis primò ad Abbatem Wurtzeburgenſis Cœnobij Henricum veniſſe, & poſt modicum, eundem Henricum, Dei nutu, in Polonia Archiepiſcopatus apicem conſcendiſſe, cui ipſum fideliſſimo adhæſiſſe famulatu teſtantur, & mirabili ſtrenuitate ac ſapientia in breui per totam regionem diuulgatum tam ab Archiepiſcopo, quàm à venerabili Iudita Imperiali aulæ aſſignatum.

* Niedermünſter.
Vide vitam edit. à Caniſ. lib. 1. cap. 2.
Imp. Henricus petit ab Abbatiſſa S. Othonem
S. Otho adſciſcitur in Aulam Imp.
* Aulam.
† Secretarium.
Fit Cancellarius.

IV. Eo tempore glorioſiſſimus Imperator Henricus magnum illud, & admirabile Spirenſis Eccleſiæ ædificium ob venerationem perpetuæ Virginis Mariæ, cuius ſpecialis alumnus fuit regali magnificentia exſtruebat. Sed Magiſtri operis fraudulenter, & ſine timore Dei agentes, magnam pecuniæ quantitatem ſuis vſibus inſumebant; ita vt frequenter ad opus tam mirificum pecunia ipſa deficeret. Vnde his anguſtijs, non mediocri dolore permotus, ex conſultis accito familiari auriculario ſuo Ottone, ei totius Operis magiſterium commiſit, vtpote cuius ſapientia cunctis probata, etiam ad maiora quæque & ardua diſpenſanda eſſet idonea. Qui ſagaciter [a] & prouidè commiſſo operi intendens: (ſciebat enim iuxta Apoſtolicum mandatum Dominis carnalibus ſic quaſi Deo ſeruiendum) frequenter ad Curtem regiam regreſſus pecuniam, quæ ſupererat ſtatuto operi fideliter reſignabat. Inſuper ad indicium ingenioſæ diligentiæ ſuæ æquam feneſtrarum Eccleſiæ menſuram prudenter à ſe diſpoſitam Imperatori conſiderandam offerebat. Pro qua ſynceriſſimæ fidei conſtantia non ſolùm Regi, ſed & cunctis Optimatibus ita ſe acceptum reddidit, vt Deo gratias agerent, quod ad eius notitiam perueniſſent. Siquidem interiorem animi eius ſolertiam, exterioris quoque hominis habitus præferebat, ita vt prudentes quique ex ipſo eius ſchemate, quid in eo futurum eſſet, ſagaciter intelligerent. Nam, vt de multis vnum exempli cauſa annectam. Quidam paterfamilias de Spirenſi ciuitate, Anſelmus nomine, non tam diuitijs quàm religione & prudentia inſignis, eundem Chriſti ſeruum adhuc in tenuitate poſitum, antequam in Curtem regiam acceſſiſſet, hoſpitio recepit. Moxque reuerendi habitus eius venuſtate delectatus, & in faciem ei curioſius intendens, gratiam ipſi cœlitùs ſuperuenturam ſagaci animo præuidit: idque ſuis omnibus certiſſima atteſtatione prænuncians, vt in cunctis ei, tanquam ſibimetipſi obſequerentur, mandauit. Deinde, ſecretius cum conueniens, & vnicum filium ſuum Richardum nomine, per manum ei tradens, ait: Video, Domine, quia, largiente Deo, magnus in futuro apud Deum & homines eritis. Re vera enim faciet vobis Deus nomen grande iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra. Vnde peto, vt cùm verba mea impleta fuerint, memor obſequij mei, fidem & miſericordiam cum filio meo Richardo faciatis, & paternæ conſolationis manum ab eo non ſubtrahatis. Cui ille ſubridens; Et quis ego, inquit, vel quid ego? aut quid magni in me eſſe poterit? Si tamen excelſus Dominus, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, exiguitatem meam promouere dignatus fuerit, abſit à me peccatum hoc in Domino, vt benignitas & humanitas mihi à vobis impenſa obliuioni tradatur. Scriptum quippe eſt; Eleemoſyna viri quaſi facculas cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit. Decet igitur, vt & ego gratiam & miſericordiam, quam hîc inueni, domui huic conſeruem; quod & poſtea deuotus impleuit, quia, factus Epiſcopus eundem Richardum familiarem ſibi vernulam aſſumpſit, & ſpecialis amoris priuilegio fouere non deſijt.

Ebbo
Hent. Imp. ædificat Spirenſem Eccleſiam.
S. Otho ædificio præficitur
[a] Fidelitas S. Othonis in hoc munere obeundo.
Quidam Spirenſis prædicit S. Othoni Epiſcopatum.
1. Reg. 7.
Pſalm. 101.
Eccleſiaſt. 29

V. Sed vt ad id redeam, vnde digreſſus ſum, Imperator Henricus, fide & prudentia pij Ottonis cognita, ſecretius eum compellans, an * Spalterium corde tenus ſpallere poſſet, inquiſiuit. Quo reſpondente; etiam: gauiſus Imperator, eum ſibi aſſidere præcepit, & remotis alijs, Spalmodiæ, cum eo vacabat, quoties à negotijs expeditus eſſe poterat: erat enim Imperator literis vſq; adeò imbutus, vt chartas, à quibuslibet ſibi directas, per ſemetipſum legere & intelligere præualeret. Codex autem in quo Spalmos decantabat manuali frequentiâ rugoſus, & admodum obfuſcatus erat. Quod pius Otto cernens, abſente Imperatore, vetuſto codicem inuolucro deſpoliauit, & nouam mercatus pellem, eumq; decenter cooperiens, loco ſuo repoſuit. Veniens ergò poſtmodum Imperator, & quod factum erat neſciens, Spalterium à Cubicularijs requirebat. Turbantibus autem ſe ad quærendum Cubicularijs, dum præ oculis omnium iacens veteribus teſſellis Codex exutus, & nouis decoratus induuijs neſcitur, fit huc illucq; diſcurſus, nec quidquam reperitur. Tandem Imperator diuino commonitus inſtinctu; Vocate, inquit, Ottonem meum, & ab eo ſciſcitamini. Quo coram poſito, Imperator ab eo Spalterium requirebat. At ille concitus librum coram Imperatore iacentem eleuans; ecce, ait, præ oculis omnium hîc fuit, vbi & ſemper reponebatur. Obſtupefactus Imperator; & quis ait, tam nitido hunc innouauit operimento? At ille ait; Ego Domine. Quo audito Imperator, collum eius blandis ſtringens amplexibus, & in oſcula proruens; Viuit Dominus, inquit; ſicut tu inter cætera diligentiæ monumenta, Spalterium meum vetuſto exutum tegmine, nouo illuſtraſti operimeno; ſic & ego te paupertatis tunica ſpoliatum, noui honoris culmine ſublimabo. Et exinde quærebat opportunitatem, quomodo eum promouere, & Pontificali infula redimire poſſet. Nec multò poſt, annulus cum virga paſtorali * Premenſis Epiſcopi ad curtem regiam perlata eſt.

Ebbo.
* Sic legendum pro Pſalterio, notat Gretzerus in Diuis Bambergenſib. ad hoc cap.
* Bremenſis

VI. Hoc ſiquidem tempore Eccleſia liberam electionem non habebat, ſicut poſtea ſub Henrico V. mediante piæ memoriæ Calliſto Papa actum eſt: ſed cum quilibet Antiſtes viam vniuerſæ carnis ingreſſus fuiſſet, mox capitanei ciuitatis illius, annulum & virgam paſtoralem ad Palatium tranſmittebant; ſicque regia auctoritas, communicato cum Aulicis conſilio, orbatæ plebi idoneum conſtituebat Præſulem. Itaque, cùm, vt diximus

Ebbo.
De abuſu iſto multa Baronius Tom. 11 & Tom. 12. & Baronia a

virga
Greizerus in Apologia

* Bremenſis. Rupertus Epiſcopus Bamberg moritur. * Aulam. † Cancellarium. Dotes Othonis. Pſalm 8.

virga Paſtoralis & annulus Epiſcopi * Premenſis Imperatori offerretur: mox ille accerſito vnicè dilecto ſibi Ottone, munera hæc ei conſeruanda tradidit. Poſt paucos verò dies, rurſum annulus & virga Paſtoralis Ruperti Babebergenſis Epiſcopi Domino Imperatori tranſmiſſa eſt. Quo audito, multi nobiles & tam ſcientia quàm diuitijs inſignes ad * Curiem regiam confluebant, qui Epiſcopatum Babebergenſem non mediocri precio ſibi comparare tentabant. Imperator verò gaudens, quod occaſionem honorandi intimum † Secretalem ſuum Ottonem, vt volucrat, inueniſſet, cunctos, qui pro eodem Epiſcopatu adipiſcendo ſatagebant, arguta reſponſionum ambiguitate ſuſpenſos reddidit. Accidit itaque vt procedens crepuſculo dici cuiuſdam ex aula regia, & parumper in limine ſubſiſtens, audiret puerulos quoſdam naturali callentes ingenio, talia inuicem muſſitare: Non benè agit Imperator, qui nobilem illum Babebergenſem Epiſcopatum precio venumdare diſponit: cur non potius fideli ſuo Domino Ottoni hunc aſſignat? in quo eſt aſpectus angelicus, reuerendus habitus, mores religioſi, facundia ſingularis, prudentia & magnanimitas admirabilis. Hunc omni pietate & induſtria conſpicuum decet eſſe Paſtorem populorum. Audiens hæc Imperator, hilaris effectus eſt, recordatusque Propheticum octani Pſalmi verſum; Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem; Deo gratias agebat, quod voluntatem ſuam, hoc teſtimonio confirmari cernebat. Nec mirum; quod infantilis ætas tali eum præconio efferebat. Illo enim tempore, ſicut & poſtea, tantæ benignitatis, tantæque affectionis ergà omnes erat, vt nemo cohabitantium ei inueniretur, qui non hunc ex corde diligeret, & verum Dei ſeruum acclamaret; & modeſtia habitus, & perſpicua religionis auctoritas ſic in eo eminebat, vt nullus, eo præſente, quippiam indecens, aut riſui aptum Verbo ſeu facto prætendere auderet; ſed, cùm regiam Curtem intrabat, mox omnes prioris laſciuiæ intentionem magnæ grauitatis manu tergebant. Imperator verò legatos honorabiles Clero & populo Babebergenſi dirigit: Paſtorem ſe eis idoneum & electum ex millibus prouidiſſe nuntiat; atque vt Capitanei ciuitatis Moguntiam ad natale Dominicum ſibi occurrant, paterna dulcedine mandat. Exhilarantur hoc nuncio Babebergenſes, & confeſtim Egilbertus Præpoſitus, Adelbertus quoque Decanus, cum Eberhardo, piæ memoriæ, tunc ſancti Iacobi, poſtmodum verò Maioris Eccleſiæ Præpoſito, aſſumptis natu maioribus, & quibusque illuſtrioribus perſonis, Imperatori Moguntiam, tempore condicto, occurrerunt.

Legati Bambergenſium ad Imp. pro nouo Epiſcopo.

Ebbo. Vide vitam à Caniſio editam lib. 1. cap. 3. Supplicationes Bamberg. pro adeptione noui Præſulis. Eccleſ. 49.

INTERIM verò Clerus & populus Babebergenſis diu iam Epiſcopali benedictione priuatus, nullo mo- VII.
do à precibus ceſſabat, ſed vnanimi deuotione congregatus in Dominica proxima natali Dominico ſolemni proceſſione cum reliquijs ſanctorum Montem B. Michaëlis Archangeli aſcendunt, ibique Miſſarum celebritatem ſumma compunctionis dulcedine agentes, diuinam exorabant clementiam, vt per ſummum ſedis ſuæ miniſtrum, qui ſemper in adiutorium populo Dei occurrit, eis propitiatus acceptabilem ſibi largiri dignaretur Antiſtitem. Quorum preces & vota, quomodo ſecretiſſimas Dei penetrauerint aures, hodieque & vſque in conſummationem ſæculi, patenter datur intelligi, quia talem huic Eccleſiæ prædeſtinauit Præſulem, qui omnes Prædeceſſores ſuos meritorum Prærogatiua longè anteceſſit; cuius memoria in omni ore quaſi mel indulcabitur, & vt muſica in conuiuio vini. Diuinitùs enim re vera in hunc locum eſt directus, quem penè collapſum mirificè Deo cooperante, reparauit, & cultu interiori & exteriori tam nobiliter augmentauit, vt, quouſque mundus iſte voluitur, eius laudabile meritum, ſemper accipiat incrementum. Venientibus itaque Capitaneis Eccleſiæ Babebergenſis, Imperator eos cum honorifico gaudio ſuſcepit, & accitis coràm Principibus, ait; quantum profectui & honoris Eccleſiæ Babebergenſis congratuler, hinc aduertite, quòd cùm tot magnæ & alti ſanguinis perſonæ Epiſcopatum hunc à me precio comparare tentarent, ego illum potius, qui fide, moribus, ſapientia & religione cunctis præſtat, vobis eligere malui; & aduocans pium Ottonem, annulum & virgam paſtoralem * Præmenſis Epiſcopi ab eo repetijt. Illo, ſine mora reſignante hæc Imperator ait; Ex multo iam tempore, fidelem te mihi, & præ omnibus vtilem approbaui: tempus eſt, vt & ego fidei tuæ digna munificentiæ meæ largitate reſpondeam: accipe nobilem Eccleſiæ Babebergenſis Præſulatum, quem multi quidem pecunijs & muneribus ſibi comparare ſatagunt, ſed ego, ſpretis omnibus illis, te ſolùm hoc Pontificali culmine ſtatuit illuſtrare. Mox pius Otto cadens in faciem, & cum lacrymis, ſe tanto apice indignum eſſe proteſtans, iuſſu Cæſaris ab Optimatibus erigitur, annulo & virga paſtorali, quamuis plurimùm renitens, inueſtitur, & quantùm ſe indignum fatebatur, tantùm [a] dignior à cunctis aſſerebatur, mirumque in modum vniuerſa, quæ aderat, multitudo [b] in electione acclamabat; vna omnium voluntas, eadem vota, eademque ſententia, Ottonem Epiſcopatu eſſe digniſſimum, felicem fore tali Eccleſiam ſacerdote. Quid multa? non aliud pium Ottonem facere licuit, niſi quod Imperator & populus, Domino volente, conſtituit. Itaque Imperator [c] Clero & populo affectuoſa cum ſedulitate eum commendans: Ecce, ait, electus & Deo dignus Pontifex: hunc vt viſcera mea deſideranter ſuſcipite; ſcientes, eum omni diuina & humana ſcientia probabiliter inſtructum. Nam, vt verum fatear, ex quo regni ſolium, Deo largiente, conſcendi, in comitatu noſtro, vel in Capella noſtra [d] non memini me virum honeſtate, prudentia, & omni virtutum genere præſtantiorem vidiſſe. Ad hæc Beringerus Comes de [e] Sultzbach, cui cum bonis læua ſemper voluntas fuit, ſubmurmurans; Domine, ait, neſcimus quis, vel vnde ſit, quem nobis Paſtorem aſſignaſti. Cui [f] Imperator, ſi vnde ſit, ait, quæris? Babeberg mater eius, ego autem pater ipſius ſum. Et, viuit Dominus, qui nocuerit eum, tanget pupillam oculi mei: quiuè eum deponere tentauerit, me quoque regni ſolio priuabit. Hunc diuino credens electum iudicio, vobis Pontificem dignum offero. Nam qualis eſt, quantáue in eo gratia redundet, euidentius adhuc experimentum capietis. His dictis cuncti, elata in altum voce, laudem Deo canebant, Clerus & populus proſpera ei diuinitùs imprecando affectuoſis vocibus concrepabant.

* Bremenſis. Otho deſignatur Bamberg. Epiſcopus. Otho oblatum honorem deprecatur. [a] Sed fruſtra. [b] Gaudium populi in eius electione. [c] Imperator commendat Bambergenſibus Othonem. [d] Encomia Othonis. [e] Obmurmurat Comes de Sulzbach. [f] Imp. defendit Othonem.

Ebbo. Vide vitam edit. à Caniſ. lib. 1. cap. 4. [g] Otho Bambergam tendit. [h] Occurrunt Othoni Bambergenſes. [i] Bambergam pedes & nudipes intrat.

IMPERATOR autem ſecretius cum de neceſſarijs quibuſque paterna informans diligentia, aliquandiu IIX.
in Palatio detinuit, donisque optimis cumulatum, Eccleſiæ Babebergenſi honorificè deſtinauit. At pius Otto charis Cæſaris vitam chariſſimo Ieſu multùm commendans, iter [g] cum ſuis aggreſſus eſt. Cumque emenſo itinere ad villam Ampherbach dictam veniſſet, occurrerunt ei [h] eminentiores quique & honorati Babebergenſium, & magno exultationis concentu Patrem deſideratiſſimum excipientes, debita ſedulitate obſequij in vicem ſeſe præuenire certabant. Ipſe autem paululum ex eâdem villa progreſſus, cum ciuitati Babebergenſi appropinquaret, ad demonſtranda veræ humilitatis & inuictæ magnanimitatis exempla, equo, cui inſederat ſeſe excutiens, & calceamentum ſoluens, nudipes intrat vrbem. Erat autem tunc hyems niuoſa, & glaciali frigore aſperrima, & ille beatus, igne diuini amoris calens, in intimis virili conſtantia tolerabat horrorem tanti algoris, ita [i] vt per longiſſimos viæ tractus nudipes ambulans cunctis per hoc admirationi eſſet, atque ſtupori. Igitur in Purificatione ſanctæ Dei genetricis Mariæ, pio Ottone cathedram ſuam inuiſente, Clerus & populus

Digitized by Google

pulus Babebergenſis vnanimi deuotione adunatus ante portam ciuitatis occurrit, & ſolenni apparatu cantuque dulciſono, vt competebat, in domum Domini nouum Paſtorem deducendum cum lacrymis, ſpirituali gaudio plenis, Deo gratias agebant. Cumque poſt debitam deuotæ ſuſceptionis & ſalutationis iucunditatem domum Epiſcopalem adiſſet, pedes eius nimio gelu diriguerant, ita vt ſanguis guttatim procurrens, tepida eos aqua confoueri vrgeret: vnde & poſtmodum ſæpius vehementiſſimo podagræ dolore cruciabatur: ſed inerat ei admiranda fortitudo patientiæ & robur mentis, tantaque vis amoris Chriſti, vt pro hoc à Dei opere nullatenus ceſſaret. Sciens autem veridicum illud prouerbium; Hæreditas, ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit: conſecrationis ſuæ gratiam longo tempore, id eſt, per triennium diſtulit, vt poſtmodum ſuſcepti Præſulatus curam tanto perfectiori interiorum & exteriorum ſcientiâ adminiſtraret, quanto ad hanc inſtructior ex tempore veniret. Augebat quoque dilationis huius cauſam ſchiſmatis, quod tunc in regno erat, dolenda ſatis confuſio: quia * Ruthardus venerabilis Moguntinus Archiepiſcopus, quaſi rebellis Imperatori, & per hoc cathedra ſua depulſus in Turingia per octo annos iam morabatur. Plurimi quoque Epiſcoporum in Teutonicis partibus, officij ſacerdotalis ſuſpenſione mulctati fuerant: vnde, pius Otto ordinationis ſuæ gratiam à beatiſſimæ memoriæ Paſchali Papa conſequi deſiderabat, ſciens quantæ affectionis priuilegio, Babebergenſis Eccleſia à fundatore ſuo beato Henrico Imperatore, primitùs Romanæ ſedi quaſi vnica filia matri, eſſet obligata. Pro hoc ergò literas huiuſcemodi per fideles & honorabiles nuncios miſit Apoſtolico.

Prou. 20.
Differt cõſecrationẽ ſuam.
* De Ruthardo, lege Serarium lib quinto, Rerum Mogunt. ad annum 1088. & 1109.

IX. DOMNO Apoſtolico Paſchali prærogatiua meritorum & ſanctitate morum, Romanæ ſedis apice condignè ſublimato, Otto Dei gratia Babebergenſis electus, cum omni deuotione orationes promptiſſimas & ſeruitium tam voluntarium, quàm debitum. Quia tandem, Domino miſerante, & Eccleſiæ ſuæ nauem moderante, poſt nubilas errorum tempeſtates, ſerena lux veritatis Occidentali refulſit Eccleſiæ, ante omnia & ſuper omnia deſideramus ſcire ſanctitatem tuam, in omnibus nos paruiſſe, vti decuit, legato tuo, Epiſcopo videlicet * Conſtantienſi, & ſumma deuotione cuncta, quæ per ipſum edocti ſumus, partim executos fuiſſe, partim, ſi vita detur, exſequi paratos. Quamobrem veſtigijs pedum tuorum aduoluti, obnixè flagitamus, vt paternitatis tuæ ſeruum patienter audias. Siquidem mundo iam in maligno poſito, † cui vix cuiquam creditur homini aut loco, nõ [a] paruæ nos torquent anguſtiæ pro ordinationis noſtræ aſſecutione. Proinde dubius & anxius & fluctibus curarum naufrago ſimillimus, cum Principe Apoſtolorum, cuius vicem tenes, ad te clamo; Domine, ſalua me: & vt paucis ſummam noſtræ cauſæ concludamus, in hac hora & poteſtate tenebrarum, te ſolùm [b] reſpiciunt oculi noſtri, tibi debitam ſeruare obedientiam, parati ſumus, tecum aut conſiſtere, aut pro te in carcerem ire decreuimus. Auctoritati ergò tuæ tota mente deſideramus iuniri, tu nobis manum porrige, quod nobis velis facere, iube. Si mandas, vt ad te veniamus, opes noſtræ, licet rapina & igne ſint attritæ, tamen deſiderio te videndi, & conſecrationis gratiam conſequendi, cum debita ſeruitutis noſtræ benedictione tuæ maieſtatis præſentabimus aſpectibus. Dignentur ergò viſcera pietatis tuæ ſuper hoc negotio aliquo nos reſcripto certum reddere, quo & iter tutius ad te veniendi nobis præmonſtretur, & benedictionem, quam deuoti efflagitamus, à te percepturos eſſe ſignificetur. Quam nimirum propterea à tuæ ſanctitatis manu tantopere expetimus: quia Metropolitanus noſter, etſi per te habeat conſecrationis gratiam, tamen, quod ſine lacrymis fateri nequimus, magnam cooperatorum ſpiritualis doni patitur iniuriam.

Inſignis epiſtola S. Othonis ad Paſchalem Ponif. & eſt copioſior, quam illa, quæ extat in vita edit. Caniſianæ lib. 1. c. 5.
* *Gebhardo.*
† *cum.*
[a] S. Otho ſcrupulis angitur ob acceptum annulum & baculum ab Imperatore.
[b] Subijcit ſe totum ſummo Pontifici.

X HIS ergò literis ab Apoſtolico reuerenter acceptis & relectis, idem ſummus Pontifex Paſchalis gaudio repletus, (erat enim totus charitate diffuſus, omnique affabilitate iucundus) pium Ottonem paterna dulcedine ad ſedem Apoſtolicam euocauit, qui pro hoc immodicas Deo [c] gratiarum actiones exſoluens, vt mandatum acceperat, cum ſuis impigrè limina Apoſtolorum adijt. Cumque hilari ſatis reuerentiâ, ab Apoſtolico ſuſceptus fuiſſet, iuxta quod ſcriptum eſt; iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui; genibus Domini [d] Papæ aduolutus, curam paſtoralem humiliter ei reſignauit, ſe indignum, & nullatenus tanto oneri aptum eſſe, lacrymoſis ſingultibus vociferans. Verebatur enim aliquantulæ Simoniacæ hæreſeos vmbra ſe reſperſum: quia, tanto tempore in [e] Curte regia * fidelibus miniſterio deſudauerat, ne fortè Imperator pro mercede eiuſdem ſeruitij, Pontificatus eum infula ſublimaſſet; ideoque non ſine animæ periculo, huius ſacerdotij dignitate fungeretur. Vnde maluit temporanei honoris ſubire diſpendium, quàm ſuperni arbitri oculos offendere, animæq; ſuæ pati detrimentum. Cumque abdicata paſtorali curâ è conſpectu Apoſtolici gaudens pro huiuſmodi libertate abſceſſiſſet; conuerſus ad Dominum; Expeditius, inquit, tibi Domine ſeruiturus ſum; quia tanto me onere liberaſti. Sed non diu hac ei libertate frui licuit. [f] Papa enim diuino tactus ſpiritu, ſequenti die ad reuocandum Dei virum legatos dirigit: cùm iam ille ad locum Sudra dictum veniſſet, eique onus Eccleſiaſtici regiminis, quod pridie abiecerat, licet plurimum renitenti, ex auctoritate S. Petri impoſuit, & iterum iterumque renitentem dulcibus & verè paternis animauit promiſſionibus, ſe ei fautorem, & fideliſſimum contra omnes mundi impetus defenſorem ſpondens. Deinde in vigilia Pentecoſtes xenia ei per honorabilem tranſmiſit Apocriſiarium, cui & hoc in mandatis tradidit; dic Epiſcopo, vt præpararet ſe ad accipiendum Spiritum ſanctum, ſicque in die ſancta [g] Pentecoſtes, quæ erat tertio Idus Maij, ſcilicet in natalitio S. Gangulfi Martyris, Deo dignum Antiſtitem, proprijs, tanquam B. Petri manibus ſolemniter conſecrauit in Anagnia ciuitate, quæ Romaniam diuidit & Apuliam; priuilegio Crucis ac pallij tam eum, quàm omnes ſucceſſores eius in perpetuum honorandos eſſe cenſuit, idque ſcriptis talibus confirmauit.

Ebbo. Vide vitam edit. a Caniſio lib. 1. ca. 7.
Anno 1105.
[c] S. Otho vocatur Romam.
Prou. 18.
[d] S. Otho procidit ad pedes ſummi Pontificis.
[e] Eidem reſignat Epiſcopatum.
* *fideli.*
[f] Pontifex Othoni Epiſcopatum reſtituit.
[g] Ipſo die Pentecoſtes Pontifex conſecrat Othonem. Vide Baron. an 1105. circa initium.

XI. PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Ottoni Babebergenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Charitatis proprium eſt bonum, congaudere profectibus aliorum; charitas enim non quærit quæ ſua ſunt. Vnde Apoſtolus, tunc ait; Viuimus, ſi vos ſtatis in Domino. Et iterum; quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nónne vos, ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum? Hoc igitur charitatis debitò prouocamur, & Apoſtolicæ ſedis auctoritate compellimur hoc nomine debitum fratribus exhibere, & S. Romanæ Eccleſiæ dignitatem pro ſuo cuique modo cæteris Eccleſijs impartiri. Idcirco venerabilis frater, Otto Babebergenſis Epiſcope, dilectioni tuæ pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia celebranda concedimus; quo nimirum fraternitas tua intra Eccleſiam tantùm vti nouerit, illis ſolùm diebus, quos præſens deſcriptio continet; videlicet, die ſancto Reſurrectionis Dominicæ & pentecoſtes, item Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in natalitio SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, in ſolennitate S. Dionyſij Martyris, anniuerſario etiam tuæ conſecrationis die, & dedicationibus Eccleſiarum: cuius nimirum pallij volumus te gratiam per omnia vindicare. Huius ſiquidem indumenti honor humilitas atque iuſtitia eſt. Tota ergò mente fraternitas tua ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in aduerſis, ſi quando eueniunt, cum iuſtitia erectam, amicam bonis, peruerſis contrariam, nullius vnquam faciem contra veritatem ſuſcipiens, nullius vnquam faciem pro veritate loquentem premens, miſericordiæ operibus iuxta veritatem ſubſtantiæ inſiſtens, & tamen inſiſtere etiam

Pontifex cõmendat Othonem Bambergẽſibus.
1. Cor. 13.
1. Theſſ. 3.
Pallium conceditur S. Othoni. Vbi & quãdo ferendũ.

Digitized by Google

tiam ſuper veritatem cupiens, infirmis compatiens, benè valentibus congaudens, aliena propria deputans, de alienis gaudijs, tanquam de proprijs, exultans, in corrigendis vitijs piè ſæuiens, in fouendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira iudicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeueritatis iuſtæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt ergo frater, Frater chariſſime, pallij accepti dignitas, quam ſi ſolicitè ſeruaueris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Ad hæc etiam Crucis vexillum intra Babebergenſis Eccleſiæ Parochiam ante faciem tuam portari concedimus, ſalua videlicet Moguntiæ Metropolis reuerentiâ, vt ſpecialia Romanæ Eccleſiæ dignitate præditus, ſpecialiter eius ſtudeas obedientiæ ac ſeruitus inſudare. Fraternitatem tuam ſuperna dignatio per tempora longa conſeruet incolumem, Amen. Scriptum per manum Ioannis Scriniarij Regionatij ac Notarij ſacri Palatij.

Crucis præferendæ poteſtas.

Sed & reuerendo Præſuli Ruthardo Metropolitano idem Apoſtolicus literas commendatitias pro dilecto Patre Ottone miſit in hunc ſe modum continentes.

PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Ruthardo, Moguntino Archiepiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantum à ſuæ inſtitutionis exordio Babebergenſis Eccleſia ſedi Apoſtolicæ familiaris extiterit, prudentiæ tuæ notum exiſtimamus. Congruum igitur duximus, vt venientem ad nos venerabilem fratrem noſtrum Ottonem, eiuſdem Eccleſiæ Electum, integra & perfecta præteritæ familiaritatis gratia ſuſciperemus. Præterea quoniam Eccleſia eadem per diuturna iam tempora Epiſcopalis officij ſolicitudine caruit, & propter præteriti ſchiſmatis vltionem in Teutonicis partibus perpauci Epiſcopali funguntur officio, iuxta ipſius Eccleſiæ poſtulationem, eidem fratri noſtro chariſſimo, cum per multa ad nos veniſſet pericula, conſentientibus & vnanimi ſententiâ decernentibus omnibus, qui nobiſcum aderant, Epiſcopalis benedictionis manum, Domino largiente, contulimus, ſalua nimirum debita tuæ Metropolis reuerentia. Eum igitur ad vos cum noſtræ gratiæ dulcedine remittentes, fraternitati veſtræ literis præſentibus commendamus, vt quanto ſedi Apoſtolicæ familiarior creditur, tanto apud vos charior habeatur. Data Lateranis 12. Calend. Iunij. XII.

Pontifex commẽdat Othonem Archiepiſcopo Moguntino.

Talibus ſcriptis beatiſſimum Patrem noſtrum Ottonem Apoſtolicus, diuæ memoriæ, Ruthardo Archiepiſcopo, fideli ſuo, commendans, quàm intimis paterni amoris viſceribus eum amplectendo foueret ac fouendo amplecteretur, euidentius apparuit. Nec immeritò. Præuidebat enim beatum hunc firmiſſimam Eccleſiæ Dei columnam futuram, & arcam Domini inter vndas diluuij feliciſſima gubernatione recturum. Nihilo minus clero & populo Babebergenſi idem ſummus Eccleſiæ Paſtor literas huiuſcemodi tranſmiſit, vt filijs quoque vnicum Patrem ante gratum ex hoc gratiorem redderet.

PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Clero & populo Babebergenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantæ affectionis debito Babebergenſis [a] Eccleſia ab ipſo ſuæ conſtitutionis primordio ſedi Apoſtolicæ conſtringatur, etſi nos lateret, literarum veſtrarum ſignificatio manifeſtat. Quod affectionis debitum venerabilis Frater noſter Otto, veſtræ Eccleſiæ Electus non * inconſtanter tenuiſſe, & tenere cognoſcitur, cùm per tot & tanta pericula ad Apoſtolicæ ſedis viſitationem * tendere procurauit. Nos igitur eum debitæ benignitatis affectione ſuſcepimus, & iuxta veſtræ dilectionis deſiderium, noſtris, tanquam Beati Petri manibus, ſaluo Metropolitani iure, vobis per Dei gratiam Præſulem ordinauimus. Nunc ergò ſub præſentium literarum proſecutione ad Eccleſiæ veſtræ regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate venerari. Confidimus enim eccleſiaſticæ diſciplinæ eum futurum eſſe cuſtodem, & ſalutis veſtræ ſolicitum prouiſorem. Huic ergò ſedulis obedite obſequijs, & gratiam vobis in eo conciliare cœleſtem, integritatem fidei Catholicæ firmam ſemper in omnibus conſeruate, ſedi Apoſtolicæ ſemper deuotius adhærete, vt per eius conſortium à contagijs omnibus liberi ad æternæ ſalutis portum feliciter peruenire, Domino largiente, mereamini. XIII.

Vide vitam edit. a Can lib. 1 cap 9.
a Pontifex commedat Othonem Bamberg.
* *Mendosè editio Caniſiana.* Non inſtanter.
* *edit Caniſ. percurras.*

Hoc modo vir ille per omnia Apoſtolicus & verè dignus Petri vicarius patrem filijs deuotiſſimis commendabat. Ad hæc etiam ipſe piiſſimus pater Otto non ignarus curarum & ſolicitudinum, quibus grex fidelis pro vnico Paſtore angebatur iam iamque ardens & ſitiens deſiderabili eius reditu recreari conſolatorias ei miſit literas hæc continentes.

OTTO Dei gratia Babebergenſis Epiſcopus * Egilberto Præpoſito, Adelberto Decano cæteriſque fratribus omne bonum. [b] Quantum ego [c] noui & expertus ſum charitatem veſtram, ſcio vos iam diu exſpectare euentum noſtri laboris, vt de noſtro ſucceſſu, ſiquidem benè per miſericordiam Dei ſucceſſerit, gaudeatis. Ne ergò diutius ſuſpenſi aut dubij de nobis ſitis, ſed vt iuſtum eſt, ſynceriſſimè congratulemini, literis iſtis ſignificare vobis decreuimus, quàm miſericorditer Deus, more ſuo, poſt immenſos labores & ſudores plurimos, nobiſcum operatus ſit in die ſancto Pentecoſtes, qui dies ex aduentu ſancti Spiritus ſacratus & cunctis fidelibus iure ſolennis eſt: Illo, inquam die, Deo ſic ordinante, in Anagnia, ciuitate Campaniæ, quæ Romaniam diuidit & Apuliam, Epiſcopalis benedictionis munus, quamuis indignus, Domino largiente, ſuſcepi, beatiſſimo Papa Paſchali manum imponente, cæteris verò Epiſcopis plurimis cooperantibus, Clero quoq; Romanæ Eccleſiæ, cuius magna pars ea die in eandem ciuitatem conuenerat, aſtante & conſentiente: Et quod nulli à Romano Pontifice conſecrato noſtris temporibus contigit, ſine oblatione alicuius iuramenti conſecratus ſum. Huius loci, huius diei, huius gratuitæ miſericordiæ Dei ſemper memores eſſe velitis, cum omni gratiarum actione, obnixè precamur, præcipuè cùm aliæ complures venerandæ perſonæ de magnis rebus apud Apoſtolicam ſedem agentes, infecto negocio, redierunt. Magnificate ergo Dominum mecum, & exaltemus nomen eius inuicem: cui quàm facilè eſt reſiſtere ſuperbis; tam facile eſt humilibus dare gratiam. [c] Quia verò aſperum eſt, confuſis temporibus eſſe præpoſitos, curandum nobis eſt, & omninò ſatagendum, vt res dura fiat mercedis occaſio. Dum ergò ſeminandi tempus eſt, ſemina bonorum operum ſerere non ceſſemus, vt maiores in die meſſis lætitiæ manipulos reportemus capiti noſtro, quod eſt Chriſtus, per compagem charitatis adhærentes, ne ab eo, mundanis plus iuſto intenti lucris ſeparemur, & veluti palmites de vite eiecti areſcamus. Sed quia in exequendis iuſtitiæ operibus, diuinæ gratiæ adiutorio opus eſt, omnipotentis Dei aſſiduis precibus clementiam exorate, quatenus ad hæc nobis operanda & velle tribuat, & poſſe concedat, atque in ea nos via cum fructu boni operis, quam ſe eſſe, teſtatus eſt, dirigat, vt, ſine quo nihil poſſumus, per ipſum implere omnia valeamus. VIV.

Edit Caniſ. * *Eberhardo*
Vide vitam Caniſ edit. lib. 1 c 8
b Epiſtola S Othonis ad Bambergenſes.
Nunciat illis conſecrationem
c Hic finitur epiſtola S Othonis in edit Caniſ
Pſal 33
Iohan 14

Igitur electus Dei Pontifex conſecratione ſolenni ab Apoſtolico prouectus, aliquantiſper ab eo humanitatis gratia eſt detentus; ſicq; optata potitus emiſſione, proſpero itineris decurſu, tranſcenſis Alpibus, Carinthiam venit.

Sanct. Otho venit in Carinthiam

POSTHÆC Imp. Henricus vniuerſis regni Principibus Curiale colloquium Ratisbonæ indixit, ad quod nouus Antiſtes pius Otto currẽs, debiti honoris reuerentiâ ſuſceptus eſt, cunctoſq; Optimates præſentes ſapientiæ grauitate, ac paternæ dulcedinis affabilitate miro ſibi deuinxit amore: ita vt felicẽ vnanimiter proclamarent Eccleſiam, quæ tali diuinitus donata eſſet ſacerdote: ſicq; regia cumulatus munificẽtia, poſt arduæ peregrinationis angariam, Paſtor XV.

Ebbo MCIV. S. O hovenit ad Comitia Ratisbonenſia.

pius

Digitized by Google

pius ouium ſuarum curam ſuſcepturus Bambergam ingreditur, ibique à Clero & populo immenſo iubilationis tripudio, ac ſi angelus è cœlo miſſus exciperetur. Qui tali potitus honore in hoc omne ſtudium ſuæ deuotionis impendit, vt & ſplendore virtutum radiaret in moribus, & glorificantem ſe Dominum ſuis glorificaret operibus. In cunctis enim affectabat honorem Chriſti, ſalutem populi, contemptum ſui: ſciens ſibi in his omnibus, non ſua, ſed Domini eſſe lucra quærenda. Nitebatur itaque in domo Domini oliua eſſe fructifera, ſtuduitque in populis verbi erogare talentum, pro quo ſe ſciebat quandoque ſuper omnia Domini bona conſtituendum. Quapropter de commiſſa ſibi cura ſolicitus, Eccleſiaſticæ vtilitati diebus inuigilabat ac noctibus, dans operam quomodo bona Eccleſiæ ſuæ vel augeret inuenta, vel reſtauraret amiſſa. Cum itaque ad dilatandam Chriſti gloriam tota eius flagraret intentio, quædam cœnobia à fundamentis conſtruxit, quædam verò prius tenuiter inchoata, ſed per eum Eccleſiæ Babebergenſi digno precio acquiſita, largo ſumptu perfecit.

Inde Bambergam. Studia S. Othonis. Vigilantia eius pro ſuo grege.

XVI. Et primitiæ quidem Operum eius,[a] duorum fuit ſtructura Cœnobiorum in Epiſcopio Herbipolenſi quorum alterum Vraugia dicitur, ſub patrocinio beati Laurentij: alterum vero Vra, in honorem Beati Petri Apoſtoli. His autem honeſta & eleganti fabrica compoſitis, ſicut omnibus Cœnobiis ſuis faciebat, prædia emere, ſyluas & agros, & prata comparare, vel aliis iuſtis modis acquirere ſatagebat. Ipſa vero nominare & enumerare vniuerſa, ne longus aut faſtidioſus fiam, omitto. Deinde in Babebergenſi Epiſcopio tertia & quarta ædificatio duorum Cœnobiorum fuit; quorum [b] vnum Michelvelt dictum in honorem S. Ioannis Euangeliſtæ: alterum, Lankheim in honore Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Ordine Ciſtercienſi. Nam illa tria de ordine fecit Cluniacenſi: ſed Michelvelt & Vraugia in patrimoniali fundo Eccleſiæ: Lankheim verò & Vra in aduentitio locata ſunt.

Verba Thimonis. Vide vitam edit. Caniſ. lib. 1 c. 11.

a Monaſter. a S Othone condita in Diœceſi Herbipolenſi. b Cœnobia ab eodem condita in Diœceſi Bamberg.

XVII. Porro in Ratiſbonenſi Epiſcopatu ſex monaſteria conſtruxit: quinque de Ordine Cluniacenſium; quorum vnum Entsſtorff dictum in honore S. Iacobi Apoſtoli. Secundum eſt * Pruveningen, ſub patrocinio beati Georgij Martyris: vtraque autem in aduentitio fundo ſita ſunt. Tertium eſt Cœnobium cognomenti * Monaſterium, quod cum adiacente parochia eiuſdem nominis, auri & argenti precio, ab Henrico Duce Bauariæ, & à Dietpoldo Marchione comparauit; & regali priuilegio Imperatoris Lotharij in proprietatem ſanctæ Babebergenſis Eccleſiæ collatum ſuſcepit. Quartum eſt Biburck: Quintum * Madelhardeſdorff. Sed Biburck ſub patrocinio eſt Beatæ Mariæ ſemper Virginis: illud autem in honorem S. Ioannis Euangeliſtæ; vtrumque autem fundi aduentitij. Sextum eſt VVindebergen, de ordine Clericorum Regularium, quos vocant Nortpertinos, in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ipſum de fundo aduentitio.

Monaſteria Ratiſbonenſis Diœceſeos. Entſtorp. * Prüfening. * Münſter. * Mallerſtorff. Biburg. Windberg.

XVIII. In Epiſcopatu Halberſtatenſi vndecima ei eſt congregatio Regenſdorff, de Ordine Cluniacenſi ſub patrocinio beati Ioannis Baptiſtæ. Abbatiam enim Vicenburg, quæ nunc mutato loco & nomine, Regenſtorff appellatur, cum omnibus ad illam pertinentibus à munificentia Domini Henrici Imperatoris iunioris, acceptis priuilegiis regiæ auctoritatis, S. Babebergenſi Eccleſiæ adiecit. Bona quoque eiuſdem Cœnobij duplicauit, nam, cum prius non niſi ſexaginta duos manſos habuerit, eundem numerum, totidem appoſitis, ipſe ampliare curauit.

Regensdorff.

XIX. In Epiſcopatu Eiſtetenſi, quæ * Halesbrune dicitur, duodecima illi congregatio eſt de ordine Ciſtertienſi ſub patrocinio Beatæ Dei genitricis Mariæ. Ipſum autem fundum ingenti pecunia comparatum, magnis ſumptibus promouit in Abbatiam.

* Heilsbrun.

XX. In Epiſcopatu Patauienſi ei tertiadecima congregatio eſt, quæ dicitur * Alriſpach; & quartadecima, Cluniaca, ſub patrocinio beati Andreæ Apoſtoli iuxta fluuium * Aniſum. Hanc autem à Lupoldo Marchione datam ſuſcepit, in cuius promotionem viginti manſos, & quinquaginta marcas impendit.

* Aldersbach. * Ens.

XXI. Et in Patriarchatu Aquileienſi decimumquintum Cœnobium in Caſtro Arnoldeſtein, deſtructa munitione, conſtituit. Quadraginta vero & quinque annis hoc caſtrum cum nonaginta quinque manſis ad ſe pertinentibus ab Eccleſia Babebergenſi abalienatum fuerat: quod ipſe multo labore & impenſa recuperauit; & appoſitis ei ſexaginta manſis, Abbatiam eſſe fecit. Has quindecim congregationes opera eius atque benignitas nunquam infœcunda propagauit.

Arnoldſtein.

XXII. Qvinqve inſuper Cellulas, quaſi totidem grana ſeminis ſeminare curauit, ſciens, quod neque qui ſeminat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat, Deus. Ex eiſdem, igitur granis quidam iam ſurculi pullulant, poteruntque, Deo incrementum præſtante, in arbores conſurgere. Sunt autem hæc. Vna, quæ dicitur Aſpach, in honore S. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ: ipſum autem fundum & prædium eius multo tempore Babebergenſis Eccleſia perdiderat. Sed ipſe illud ſolerti cura requiſitum, Cellam fecit monachorum. iamque in Abbatiam conualuit copioſa prædiorum donatione, ab ipſo primum, deinde ab aliis fidelibus ditata. Secunda eſt in loco Babebergenſi in domate S. Michaelis ſita, ſub patrocinio S. Fidis Virginis & Martyris: Primo hanc ſanctimonialium eſſe voluit; ſed altiori conſilio, ſeptem monachis eam inſtituit, & cum omnibus pertinentiis ſuis S. Michaeli conſignauit. Tertia eſt Rotha ſub patrocinio S. Georgii Martyris in Epiſcopio Herbipolenſi. Quarta eſt Vezzera in eodem Epiſcopio, in honore S. Dei genitricis Mariæ, de Ordine Nortpertinorum. Sed alterius fœcunditas alteri fecit ſterilitatem. Rotha enim in ſua permanens tenuitate proficienti Vezzeræ, tanquam meliori, ad ſeruiendum ſubdita eſt. Hoc tamen ſciendum, quod Epiſcopus Rotham ab Agnete Palatina, & eius ſorore Adelheida cum ſexaginta manſis Eccleſiæ Babebergenſi donatam ſuſcepit, circumiacentia vero eidem Cellæ bona emit ducentis ſeptuaginta quinque marcis, cum miniſterialibus ſcilicet & agris, ſyluis & pratis, paſcuis & molendinis, & cum omni vtilitate ac iure, quo Chuno Dux idem prædium noſcitur habuiſſe. Vezzeram autem Gothboldus Comes ædificare inchoauerat, quam Epiſcopus ab eo ſibi datam ſuſcipiens, ſuis eam promouit impenſis. Quinta ei Cella fuit in Epiſcopio Herbipolenſi Nithardeshuſen in pago Tullefelt. Atque, ſi, quod verum eſt, fateri liceat; Sextam illi, Tuckelnhauſen in eodem Epiſcopio annumerare debemus. Huius enim ſtructores dum eius promotioni minus ſufficerent, ſcientes Epiſcopum talium rerum ſtudioſiſſimum, vt eius opitulatione locus promoueretur, ipſius hunc Titulo adſcripſerunt, atque vt eum Bambergenſi Eccleſiæ omni iure firmaueris, coram idoneis teſtibus promiſerunt. Hac igitur conditione multa eidem loco impendit. Hæc de Cellis & monaſteriis eius dicta ſibi ſufficiant. Tum ego; diſtincte, inquam, atque ſuccincte ſatis ea digeſſiſti. Et ego, ſi bene numeraui, viginti vna Cellarum & monaſteriorum ſumma perficitur: Vni epiſcopo ſatis fuit, imo vero tribus aut quatuor.

1. Cor. 3. Aſpach. Cella S. Fidis ſeu Fidei. Roth. Weſſera. Nithardshuſ. Tuckelnhauſen.

XXIII. Sed quare obſecro tantam pecuniam in talia proiecit? Certum eſt enim quod non ſine magnis ſumptibus iſta conſtiterint. Sed, ſicut ea reprehendere non audeo, ita vel laudare, niſi alicuius prudentiſſimi hominis de his ſententiam audirem, non præſumo. Mundus enim, inquiunt, Cœnobiis & monaſteriis plenus eſt. Quid igitur neceſſe eſt tanta fieri monaſteria? Thimo. Non tu prima iſta cauſatus es. Etiam cum eo ipſo talis de his non ſemel à ſuis familiaribus, habita eſt quæſtio. Sed, quia hunc valde prudentem fuiſſe non ambigis, ipſius tibi de hac re dico ſententiam, ſi placet. Tum ego; non aliàs, inquam, ſicut eius, æque grata mihi ſuper eius opera vnquam poterit eſſe ſententia: Thimo: Parabolam, inquit, illam Euangelicam de Samaritano & homine à latronibus cæſo, & ſtabulo atque ſtabulario

Sefridus. Vide vitã editã a Can. lib. 1 c. 12. S. O. hoã mult. ſ re. p. ch. rius. quod tot Monaſteria extrueret.

Luc. 10.

D

bulario

Qua ratione S. Otho multitudinem monaſteriorum abs ſe exſtructorum defenderit.

2 *Cor.* 5.

bulario ad ſuam cauſam inflectebat, quando familiariter ab aliquo de talibus operibus conueniebatur. Mundus, ait, iſte totus exilium eſt; &, quandiu viuimus in hoc ſeculo, peregrinamur à Domino; vnde ſtabulis egemus atque diuerſoriis. Stabula vero & diuerſoria Cellas dicebat atque Monaſteria: & ea non indigenis, ſed peregrinis ſæculi eſſe opportuna. Qui multa, inquit, vel nimia eſſe vel fieri queruntur diuerſoria, non ſe in peregrinatione poſitos putant, ſed in patria. Qui, ſi à latrunculis occupati fuerint, ſi ſpoliati, cæſi atque plagati fuerint, & ita ſemiuiui relicti, certe vel inuiti experientur quam melius eſt iuxta eſſe ſtabulum, quam procul. Cum enim repentinus ſuperuenit interitus & dolor, ſicut in vtero habentis, ita vt euadere non ſperent, quomodo illuc leuari poterunt, ſi procul eſt? Et ſi tales multi in locis multis, nonne melius eſt ſtabula multa eſſe, quam pauca? Si enim pauca fuerint, quomodo multis peregrinis, multis ſufficient ægrotis? Præterea, inquit, nouiſſima hora eſt, & mundus in maligno poſitus eſt: ſed propter eos, qui ab illo fugere & ſaluari cupiunt; quia homines multiplicati ſunt ſuper terram; & cœnobia multiplicare abſurdum non eſt. Ab initio ſæculi, cum pauci eſſent homines, neceſſaria erat hominum propagatio; & ideo non continebant ſe, & nubebant omnes, & nuptum dabant: nunc autem, inquit, in fine ſæculorum, multiplicatis hominibus ſuper numerum, continentiæ tempus eſt; continere debent homines, quicunque poſſunt, atque vacare Deo. Continentia verò, & alia ſanctitatis opera, in Cœnobiis melius quam extra obſeruari poteſt. Hæc mihi, inquit, cauſa fuit, hæc intentio multiplicandi Cœnobia. Et vt aliquid ſecundum hominem loquar, dum proficiunt atque ſuecreſcunt Cœnobia ſtudiis & oblationibus fidelium, ſicut in pleriſque

Pſalm. 143.

locis videmus; quia, tribuente Deo; promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ: ipſorumque prouidente ſolertia, non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus inutilis in ſatis & pratis eorum; poſſunt nonnunquam honori atque vtilitati eſſe ſuis Epiſcopis. Si vero tenues ſunt & pauperes, habent ſucceſſores mei, apud quos opportune collocent eleemoſynas ſuas, & occaſionem inueniunt benefaciendi honeſtam, ſi meos ſurculos irrigando, ſuas arbores faciunt, ſicut & ego aliorum meas feci aliquas; & facilius quidem eſt inchoata promouere, quam ea, quæ nulla ſunt, inchoare. Initia enim rerum difficilia ſunt. Vnde, ſi qui ad inchoandum talia, tardi fuerint & timidi, vel meis initiis, meiſque fundamentis in nomine Domini ſuperædificare accingantur. Tales ille ſuorum operum rationes reddere non eſt dedignatus, hoc fine omnia concludens; vt in omnibus honorificetur Deus, & proximus adiuuetur. Nec eum vtique ſpes fefellit. Multa

1. *Pet.* 4.

enim bona ex eius ſtudiis in Eccleſia prouenere, atque proueniunt quotidie. Quid enim putatis in tot Cellis & Cœnobiis Deo ſeruitij & honoris; quid proximo ſolatij exhibetur & vtilitatis? Signa illic & portenta per eum, & per

Matth. 11.

eius opera fiunt quotidie: &, ſi non corporaliter, profectò, quod melius eſt, ſpiritaliter. Ibi enim cæci vident, ſurdi audiunt, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. His enim malis & incommodis circumuenti homines de ſæculo peccatores ad meliorem vitam ſecundum animam in Cœnobiis conualeſcunt: ibi lectiones ſacræ, pſalmodia & orationes, miſſæ atque diuinarum rerum contemplationes, ieiunia & vigiliæ, & pugna iugis contra ſpirituales nequitias; ibi carnis contritiones & cordis, eleemoſynarum largitiones & multæ hoſpitalitates. Quis neget ex magna parte meritis eius hæc omnia poſſe adſcribi, cuius labore & impenſa contigit fundari? Conſiderans autem quod ipſorum Cœnobiorum ſtructura robuſtius conſiſteret, ſi eam Apoſtolicæ auctoritatis petra ſolidaret: nec facile poſſe conuelli, ſi vallata eſſet munimine Petri, ſub eius defenſione omnia conſtituens, à ſede Apoſtolica huiuſmodi ſcripta ſuſcepit.

Vide vitam edit. Can. lib 1 c 14. Bar. Tom. 12 refert hanc Calliſti Bullam ad annum Chriſt. 1124.

CALLISTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Ottoni Babebergenſi Epiſcopo, ſalutem & XXIV.
Apoſtolicam benedictionem. Bonis fratrum noſtrorum ſtudiis non ſolum fauere, ſed ad ea etiam ipſorum debemus animos incitare. Tuis ergo, chariſſime & venerabilis frater, Otto Babebergenſis Epiſcope, ſupplicationibus incitati, monaſteria, quæ ipſe propriis ſumptibus exſtruxiſti, & Babebergenſi Eccleſiæ conferens Apoſtolicæ ſedis roborari munimine quæſiuiſti, in Sancti Petri eiuſque Romanæ Eccleſiæ protectionem ſuſcepimus contra prauorum hominum nequitiam defenſanda. Statuimus ergo, vt poſſeſſiones, prædia & omnia bona, quæ & fraternitas tua eiſdem monaſteriis, diuini amoris intuitu, contulit, quæque aliorum fidelium iuſta oblatione conceſſa ſunt, aut in futurum iuſte * largiterue acquiri vel offerri contigerit, firma eis, & illibata, Domino auctore, permaneant.

* *legaliterque.*

Ordinationes ſane Abbatum vel monachorum ſuorum à Catholicis Epiſcopis diœceſanis accipiant. Rerum vero ipſorum monaſteriorum curam & adminiſtrationem in tuo tuorumque ſucceſſorum arbitrio & poteſtate manere cenſemus. Nulli itaque hominum facultas ſit eadem monaſteria perturbare, aut eorum poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſeruentur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt vſibus omnimodis profutura. Si qua igitur Eccleſiaſtica ſæculariſue perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentauerit, ſecundo tertioue commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat; cunctis autem eiſdem monaſteriis iuſta ſeruantibus, ſit Pax Domini noſtri IESV Chriſti; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Scriptum per manum Geruaſij ſcriniarij regionarij & Notarij ſacri Palatij.

Vide vitam edit. Can. lib 1. c. 14. Eſt hic Innocentius hoc nomine ſecūdus.

INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babebergenſi Epiſcopo, eiuſque XXV.
ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoties illud à nobis petitur, quod religioni & honeſtati conuenire cognoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & congruum impartire ſuffragium, vt fidelis deuotio celerem ſortiatur effectum. Proinde venerabilis frater, Otto Epiſcope, petitionis tuæ deſideriis ex conſueta ſedis Apoſtolicæ manſuetudine clementer annuimus. In primis ſiquidem conſtituentes, vt tenor religionis, qui in Eccleſiis tibi commiſſis eſt per tuam diligentiam, cooperante Domino, inſtitutus, firmiter in eis perpetuis temporibus conſeruetur. Conſtituimus etiam, vt in iiſdem Eccleſiis nullus per Simoniacam prauitatem ſtatuatur; ſed, honeſtæ perſonæ, quibus vtique morum & ſtatus dignitas ſuffragatur, inibi ordinentur. Sane in Cœnobiis, quæ vel antiquitus in tua parochia conſtructa ſunt, vel tu ipſe deuotionis intuitu conſtituiſti, ſeu aliis iuſtis modis Eccleſiæ tuæ vnire poteris, vel ab aliquo deinceps fidelium infra tuam diœceſin, diuina inſpirante gratia, conſtruentur, ſacræ religionis Ordinem manere decernimus. Nec alicui liceat eiuſdem inſtitutionis formam vllatenus permutare, niſi forte ad melioris ſtatus prærogatiuam, præſtante Domino, promouere voluerit. Nec id alicuius ſingulari iudicio committatur, ſed omnium monaſteriorum ad Babebergenſem diœceſin pertinentium, aut ſanioris partis conſilio ac conſenſu fieri debere ſancimus. Si quis autem huic noſtræ conſtitutioni temere contraire tentauerit, ſecundo tertioue commonitus, ſi non factum ſuum digna ſatisfactione correxerit, à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & redemptoris noſtri Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubiaceat vltioni: conſeruantes eiſdem locis quæ iuſta ſunt, omnipotentis DEI & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtram gratiam conſequantur.

His

Digitized by Google

xxv. His ita ſe habentibus nonne tibi videtur beatum Ottonem, ſatis, quantum in ſe fuit, prouidiſſe, vt in omnibus Cœnobiis ſuis ordo & tenor religionis ſacræ, qui per eius diligentiam, cooperante Domino, inſtitutus eſt, firmiter perpetuis temporibus conſeruetur? Nonne ſatis apte ſancitum eſt ab auctoritate Romana, vt in eiſdem eius Cœnobiis ſanctæ inſtitutionis formam nullatenus alicui mortalium liceat permutare, niſi forte ad melioris ſtatus prærogatiuam, præſtante Domino, voluerit promouere? * Hic ſe tueantur nouitatum inuentores. Dicant quod dicunt, & quod certe intendunt, ſcilicet ad melioris ſtatus prærogatiuam religionem noſtram ſe velle promouere. Sed qualiter id, quæſo, ſi neceſſe eſt, fieri oportet? ita nimirum, vt ſacroſanctæ Romanæ auctoritatis ſigillum non violetur. Neque hæc, inquit, auctoritas alicuius ſingulari iudicio committatur; ſed omnium monaſteriorum ad Babebergenſem Eccleſiam pertinentium, aut ſanioris partis conſilio ac conſenſu fieri debere ſancimus. Iuſte ergo, quod iuſtum eſt, exſequantur. Si quid adiiciendum, ſi quid reiiciendum, temporum, locorum aut perſonarum ratio poſtulauerit, quod vtique pro fructu & ſalute animarum, pro melioratione & ſtatu Eccleſiarum, & ordinis promotione plerunque fieri oportet, Domini & Patris noſtri in tantum illi beatæ animæ Ottonis, in tantum etiam beati Petri ſigillo deferant, vt illud conſilio atque conſenſu monaſteriorum omnium ad Babebergenſem Eccleſiam pertinentium, vel ſanioris partis, prout ſancitum eſt, faciant. Sed mirum quod * noſtro Ordini contigerit, quod generale Capitulum non admittit, cum Auguſtiniani, Ciſtercienſes, Nortbertini hoc polleant honore? Omnia enim faciunt cum conſilio: & ideo multa gubernantur ſapientia. O vtinam Babebergenſis Epiſcopii Abbates, memores Ottonis ſui, memores Apoſtolicæ ſanctionis, & exemplo animati de aliis Ordinibus Abbatum & Præpoſitorum, de ſuis quoque actionibus incipiant communi tractare conſilio, & formulam inire Capituli. Profecto, ſi gnauiter ſe agent, & ſe ſuosque ſapientia gubernare volent, & in his immorari, ſicut dicitur; beatus vir qui in ſapientia morabitur; proficiendo proficient, ſuique profectus multos cito imitatores inuenient. Omnia magna à modicis cœperunt; ni forte de paucitate cauſeutur; & Ciſtercienſe Capitulum, quod modo maximum eſt, à paucis cœpit. Sed ea, quæ reſtant, his omiſſis, edicam.

* Hæc deſunt in vita à Caniſ. edita.

* Loquitur de ordine S. Benedicti.

Eccle. 14.

xxvi. In diebus ipſius ſemper honorandæ memoriæ Ottonis Cathedralis Eccleſiæ monaſterium, quod ſub * anteceſſore ſuo, Deo permittente, vſque ad ſolos muros ſuperſtites, conflagratum erat incendio, multis ſumptibus ab eo, ad priſtini decoris nobilitatem reparatum eſt. Ipſe pauimentum ſtrauit; columnas Eccleſiæ, quas ignis afflauerat, opere gipſeo & firmauit & ornauit. Chorum Sancti Georgij exaltauit; picturas quoque non ignobiliores prioribus effecit: & ne vltra ſimiles formidare debeat euentus, totum monaſterium & turres cupreis tabulis contexit. Sphæras quoque & cruces turrium deaurauit; omnia denique ædificia clauſtri per officinas ſingulas renouare, & in meliorem ſtatum promouere curauit. Quantum vero eidem Eccleſiæ bonorum & prædiorum, præter ea, quæ à fundatoris liberalitate pridem habuerat, ſua benignitate ipſe ſuperaddiderit, latior & lautior multo quam fuit, teſtis eſt menſa Canonicorum.

Thimon. Vide vitam edit à Can. l. 1. cap. 15.

* Ruperto.

Quid S. Otho præſtiterit in reſtituenda Eccleſia Cathedrali Bamberg.

xxvii. Vt autem ad noſtra veniamus, idem Deo deuotus Pontifex Babebergenſis monaſterium S. Michaelis cum eiuſdem Eccleſiæ ædificiis, nec non & baſilicam ſanctæ Mariæ, & Capellam B. Bartholomæi cum magna domo eidem adhærente, à fundamentis ampliori ſtatu reædificauit. Capellam quoque ſuper portam in honore Sancti Oſvvaldi Regis & Martyris fecit. Sed & diuerſorium & muri ambitum cum vniuerſis officinis conſtruxit. Idem vir beatus fontem in medio clauſtri fieri iuſſit; itemque venam aquæ viuæ de vicino monte in clauſtrum plumbeis *fiſtulis copioſo* ſumptu duci fecit. Pleraque eidem loco ornamenta contulit; inter quæ duas argenteas ſcutellas ad *ſuſcipiendas* oblationes: auriphygium quoque & caſulam precioſam; crucem quoque auro gemmiſque nobiliter fabricatam, recondito in ea ſalutari ligno ſanctorumque reliquiis, ipſe ſacrauit, crucemque Saluatoris appellari *ſtatuit*, & banni ſui interpoſitione, ne ab ipſo monaſterio pro aliqua vnquam neceſſitate auferretur indicens, beato Michaeli Archangelo eam deuotiſſime obtulit. Hunc locum ille Deo plenus fideliſſimo ſemper amore dilexit; hunc reſtaurauit; hunc ditauit; huius gloriam quæſiuit; huic bona tribuit; hunc ſublimauit; hunc coluit; huius profectum ſemper amauit; & in ipſo, coram altari eiuſdem Archangeli, cuius ſpecialis miniſter erat, ſe ſepeliri decreuit. Eidem monaſterio quoque in vſum fratrum dedit octo prædia quingentis argenti libris comparata. quæ hic ob notitiam eorum ſigillatim annotare, friuolum duximus. Præterea Eccleſiam iuxta Albuch hæreditario ſibi iure propriam eidem monaſterio cum duabus Eccleſiis aliis donauit, ob memoriam videlicet ſui parentumque ſuorum inibi corpore quieſcentium. Adhuc autem dilectiſſimum ſibi locum amplificare deſiderans ſub monte Sancti Michaelis Capellam Sancti Ægidij cum hoſpitali domo pauperum & peregrinorum receptionibus aptam conſtruxit. Totus enim miſericordiæ viſceribus affluebat; totus eleemoſynæ & compaſſionis affectu ſic ardebat; vt iure cum B. Iob dicere poſſet; Ab initio creuit mecum miſeratio, & de ventre matris meæ egreſſa eſt mecum. Flebam ſuper eum, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Nouerat quippe, & aſſidue recolebat illam B. Gregorij ſententiam: qui compaſſionem non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet. Virtus namque ſanctæ charitatis omnibus quidem fidelibus, ſed maxime Chriſti congruit Sacerdotibus, qui & ſpecialius ad hanc exſequendam in ipſo ſacratiſſimo ſuæ ordinationis myſterio commonentur. Cum enim ſacerdos conſecratur oleo, per quod charitas intelligitur, manus eius liniuntur, oleumque manibus eius infunditur, vt per hoc vberiora miſericordiæ & pietatis opera ſibi facienda nouerit. Sed & cum veſte ſacrata ornatur & amicitur, ei conſecrator dicit; accipe veſtem ſacerdotalem, per quam charitas intelligitur; vt ea ſe totum quaſi tunica talari circundatum & ſplendidiſſime ornatum eſſe debere meminerit. Quam pius Otto ſingulari decore veſtitus, vſquequaque eam propagare & feliciſſimis declarare ſatagebat operibus.

Ebbo.

Opera S. Othonis in monte S. Michaelis.

Crux Saluatoris.

Amor S. Othonis in Montem D. Michaelis.

Liberalitas eius in Monaſteriū S. Michaelis.

Capella S. Ægidij.

Iob. 31.

Ibid. 34.

xxviii. Perambulans itaque ſuburbana in circuitu, aptumque locum perluſtrans ad Hoſpitale conſtruendum, venit ad collem ſub monte Sancti Michaelis poſitum, qui vulgo Lugenbuhel / id eſt, mendacij collis, vocabatur, duabus ex cauſſis, ſiue eo, quod non naturali terræ ſitu, ſed potius de fundamentis murorum ciuitatis illis aggeſta humus in altum excreuerat; ſiue pro eo, quod crebra inibi conuenticula ſtultorum mendaciis & vanitatibus plena agebantur. Hoc ergo ſpiritualis hic pater in melius commutare deſiderans, qui ad hoc ſe conſtitutum nouerat, vt praua exſtirparet, & bona quæque insereret; collem ipſum complanari, & Eccleſiam illic B. Ægidij iuſſit ædificari. Domicilia quoque pauperibus & peregrinis opportuna conſtrui: vt vbi antea ſeruitus inimici pullulabat, ibi deinceps diuino cultu, & eleemoſynis pauperum, lucra animarum ſuccreſcerent. Eo tempore Canonicus quidam Eccleſiæ Sancti Iacobi, VVichodo nomine, orationis cauſa beatum viſitans Ægidium, reliquias magnificas, id eſt, pollicem eius comparauit; quem pius Otto ab eodem ſagaciter impetratum altario Sancti Ægidij cum aliis multiplicibus reliquiis incluſit, Eccleſiamque ſolenniter dedicans, memoriam eius per omnem locum celebriorem, quam eatenus fuiſſet, inſtituit. Hoſpitale autem cum eadem Eccleſia primum quidem Gumponi Decano Sancti Iacobi commiſit; poſtea vero, mediante beatæ memoriæ VVolframo, decimo huius loci Abbate, ſancto Michaeli cum omnibus pertinentiis ſuis contradidit. De quo amabili & reuerendiſſimo huius loci Abbate dignum

Ebbo.

Collis mēdacij.

dignum eſt aliqua literis mandare, quia in ingreſſu eius, Domino largam ſuæ benedictionis copiam infundente, locus hic iam pene in omni religione collapſus, noua & mira interioris diſciplinæ, & exterioris profectus ſumpſit incrementa.

Ebbo. VVolframus Abbas S. Michaelis ex Bauaria oriundus. Rom. 11.

Hic enim VVolframus ex prouincia Bauarorum, nobili & religioſa ortus parentela, Babebergenſi Eccleſiæ xxix.
in ſchola Chriſti educandus ſub ordine canonico traditus; vbi diuina præuentus gratia, in tenera adhuc ætate, ſitibundo pectore hauriebat fluenta doctrinæ, ac de die in diem ſapientiæ maturitate & elegantia morum proficiens inter ſuos Collegas pulcherrimus proceſſit. Siquidem paternæ iuſtitiæ fortitudo, & maternæ pietatis, imago euidentius in eo apparebat iuxta Apoſtoli dictum: Quod ſi radix ſancta & rami. Et hic quidem ſub venerabili Ruperto, ſeptimo Babebergenſi Epiſcopo: poſtmodum autem cum annos viriles attigiſſet ætatis, à pio Ottone primicerius factus, auctorabili ſagacitate, velut alter Ioſeph, curam totius adminiſtrabat Epiſcopatus. Nihil erat in omni Eccleſiaſticæ diſpenſationis negotio, quod non eius nutu & arbitrio diſponeretur. Sed cum Deus omnipotens ſtatum monaſticæ religionis, qui ſub Domino Gumboldo nono huius loci Abbate ad nihilum redactus erat, per miniſterium reuerendiſſimi Patris VVolframi reparare, & nouo Hirſaugienſium Ordine ad meliora prouehere dignatus eſſet, eundem ſæpe dictum ſæpiuſque dicendum ſapientem architectum corporalis ægritudinis moleſtia perculit; ſicque naufragoſis mundi abruptum fluctibus ad portum quietis aduexit, caſtraque militiæ ſpiritualis intrare compulit.

Qua occaſione VVolframus factus ſit Monachus.

Nam cum periculoſo colli tumore aliquandiu laboraſſet, iuxta beati Iob ſententiam; terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties: quibuſdam ſagacioribus de familia eius, nocturna viſione apparuit culmen domus eius repentino lapſu corruere, domumque confractam diſſipari, illiſque inter ſe hoc muſſitantibus, & mortem Domini ſui præſagire affirmantibus; ipſe pater amabilis hoc rumore paueſactus eſt, & internum iudicem hoc verbere ad meliora ſe vocantem in ſpiritu humilitatis & animo contrito ſequi deliberauit. Itaque diſpoſita domo ſua, & ſolerter præcauens inſidias amicorum, & propinquorum à bono eum propoſito reuocare tentantium, clam, matutino tempore, montem Sancti Michaelis aſcendit, vbi veterem deponens hominem cum * pompis, quibus ornatior aliis incedere ſolebat, exuuiis Deo ſe ipſum hoſtiam acceptabilem obtulit, & ſanctæ conuerſationis habitum voluntaria paupertate ſuſcepit.

* Pompoſis.

Cum ergo præceptis obediens Euangelicis, cruce ſua flagrantiſſimo corde elata, Dominum ſecutus fuiſſet, ſine mora verus ille medicus, qui percutit & ſanat, occidit & viuificat, quique languores noſtros tulit, & ægrotationes portauit, infirmitati eius medelam ſolita pietate adhibuit, vt ipſe primum corpore & mente ſanatus, multis poſtmodum ſpirituali magiſterio ſalutem operaretur animarum.

Iob 5. 1. Reg. 2. Iſa. 53.

Quomodo S. Otho conuerſionem S. VVolframi acceperit.

Eo tempore piiſſimus pater Otto in Carinthia morabatur; & cum reuerſus, quæ circa intimum diſpenſatorem ſuum geſta erant, audiſſet, plurimum in Chriſto exhilaratus eſt, licet in adminiſtratione publicorum negotiorum grandi ſolatio deſtitutus eſſet. Et accerſito eo ad familiare colloquium, de ſtatu ſuo paterna dulcedine requiſiuit: & ſi conſuetudine quam inuenerat, contentus eſſe vellet? Sed ille vir ſagacis animi, diſtortam & pene nullam hic monaſticæ religionis diſciplinam in breui deprehenderat; &, ſe ad perfectiora tendere, ne in vacuum curreret, reſpondit. Quo audito, Paſtor mitiſſimus Otto feruori eius admodum congratulatus, ad Hirſaugienſe Cœnobium, in ſacro tunc ſpiritualis Ordinis rigore celeberrimum, quantocius eum cum xeniis honorabilibus deſtinauit: eo quod & ipſe ibi peculiariter notus eſſet, ob frequentes illo tranſmiſſas eleemoſynas.

VVolframus Hirſaugiam mittitur. Fit Prior.

Vbi ſummo cunctorum exceptus tripudio, tum pro ſui reuerentia; tum etiam pro amore pij Ottonis loco tantæ venerationi habitus eſt, vt etiam poſt modicum, tranſcenſis aliis Officiorum gradibus, Prioratus honore ſublimari mereretur. Aderat iam tempus miſerendi: quia proſpexerat de excelſo ſancto ſuo Dominus, vt locum hunc, Montem ſcilicet Sancti Michaelis, diu à ſpiritualium profectuum germine areſcentem, nouis ſupernæ gratiæ ſtillicidiis irroraret, per beatiſſimum Patrem Ottonem, qui velut aurora pulcherrima, & lucifer matutinus, ad diſcutiendas & illuminandas priſcæ conuerſationis caligines cælitus effulſit. Nam cum ſe totum ad dilatandam eius gloriam, qui eum glorificauerat, & ſpectabilem præ aliis Coepiſcopis ſuis fecerat, præparaſſet, hic præcipue, tanquam in ipſo capite, religionis monaſticæ normam propagare curauit, vt poſtmodum & aliis, quæ ædificare propoſuerat, Cœnobiis, larga benedictio ex huius fontis vbertate proflueret. Ad quod opus diuinum nullus ſibi fidelior, nemo ſibi viſus eſt aptior hoc, de quo loquimur ſeruo Dei VVulframo, quem dudum in actiua vita ſagaciſſimum nouerat, & nunc in contemplatiua vita audierat.

Reuocatur VVolframus Hirſaugiâ cum quinq; aliis fratribus.

Itaque miſſa ad Hirſaugiam fida ſatis legatione, tam eum, quam & alios quinque Fratres religione & omni ſcientia eximios impetrauit; licet cuncti abſceſſum dilecti Patris VVulframi moleſtiſſimum, & pæne importabilem ſibi cenſerent. Sed nihil erat, quod non pij Ottonis reuerentia & eleemoſynarum largitas apud eos obtineret. Veniente igitur eo, abſens erat Epiſcopus: ideoque in Saxonia apud * Curtes Epiſcopales Mocheln & Schidingen reſidens, aduentum eius præſtolabatur.

* villas.

S. Otho monet Monachos S. Michaelis vt in Abbatem VVolframum eligant.

Poſtmodum autem, cum reuerſus de Carinthia piiſſimus pater Otto, voti ſe compotem factum apud Hirſaugiam cognouiſſet, Deo gratias egit, dilectum ſibi VVulframum, ac ſi è cœlo tranſmiſſus eſſet, omni paternæ benignitatis affectu ſuſcepit: & per occultos internuncios primo Seniores, deinde omnem Sancti Michaelis congregationem admonuit, vt ſuæ vtilitati per omnia conſulentes, in electione Venerandi Patris VVulframi vnanimiter concordarent. Cumque diuina præueniente gratia, hoc, vt deſiderabat, obtinuiſſet, vberiores ei, à quo bona cuncta procedunt, laudes exſoluit; ſtatimque in vigilia Palmarum, aſſumptis Maioribus & Prælatis Eccleſiæ, montem Sancti Michaelis, magna ſpiritualis gaudij alacritate plenus, adſcendit; vbi in Conuentu publico Dominus Gumboldus ad pedes Epiſcopi procidens, vltroneam curæ Paſtoralis abdicationem fecit; iam ſenio longinquo ſe feſſum, & ad hanc minus idoneam proteſtatus imbecillitatem ſuam. Beatus ergo Pontifex receptam ab eo curam Paſtoralem, mox reuerendo Patri VVulframo aſſignauit; ipſeque Gumboldus in electione eius primus acclamauit, & ex hoc in remotiorem cellam deputatis ſibi duobus miniſtris, & quibuſcunque neceſſariis, ſeceſſit.

S. Otho conſecrat Abbatem VVolframum.

Itaque electione Canonica reuerenter ſatis & vnanimiter facta, pius Otto, moræ impatiens, ſequenti die, id eſt, 18. Calend. April. ſolenniter eum ante conſecrationem Palmarum ordinauit; & ex eo ad ſtatum loci intus & exterius renouandum mirifice totum ſe accinxit;

Hirſaugienſis diſciplina in Montem S. Michaelis introducitur.

Primumque abolito communi fratrum conſenſu vetuſto & remiſſo ordine Amerbacenſium, nouum & religione plenum ordinem Hirſaugienſium inſtituit. Deinde paucitatem Fratrum Deo militantium corde tenus dolens, & crebras in conſpectu Domini ſupplicationes pro hoc cum eleemoſynarum largitate profundens, religioſos viros, & tam diuina quam ſæculari ſcientia ornatos omnimodis hic aggregare ſtuduit. Nec prius ab hoc cœpto deſtitit, quam de exiguo numero, vltra ſeptuagenarium multiplicatos videre meruit: quod ipſius literis declaratur, quæ in hunc ſe modum habent.

70 incolæ Monaſterii S. Michael.

Epiſtola S. Othonis ad varios Abbates.

Otto, Dei gratia, Babebergenſis Eccleſiæ miniſter humilis, venerabili fratri VVulframo Abbati Cœno- xxx.
bij Sancti Michaelis, VVigand Tharilienſi, Baldevvino Bantzenſi, Eggehardo Vraugienſi, Imbriconi Michelueldenſi, VValchuno de Entſdorff, Etiboni de Pruveningen, Friderico de Gengenbach, Eberhardo Scuturenſi, Ottoni Steinenſi, Lingero de Regenſtorff, Ingrammo de Arnolſtein. Præpoſito de Clunicken, Præpoſito de Hoſterhouen, & omnibus ſub ipſis pie conuerſantibus, ſalutem & perſeuerantem in Dei voluntate famulatum. Cum

primum

primum paſtoralis curæ regimen, quamuis indigni ſuſcepimus, monaſteria Eccleſiæ noſtræ ſubdita qualiter in monaſtica religione diſpoſita eſſent, diligenter attendimus. Sed omnia à diſciplinæ ſuæ rigore nimis reſoluta inuenimus; quod moleſte ferentes, ac diſpenſationi noſtræ incautum exiſtimantes, diu multumque laborauimus, fuſis ad Deum precibus, vt per diuinam prouidentiam, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, hoc mutaretur in melius. Tandem Deus virtutum, cuius eſt totum, quod eſt optimum, vota reſpiciens humilium, in omnibus monaſteriis noſtris religionis præſtitit augmentum: quia vos gregi ſuo Paſtores idoneos elegit, ac fratrum veſtrorum numerum in ſancta conuerſatione multiplicauit; quod in vicino Sancti Michaelis Monte oſtenditur, quia dum non plus quam viginti Fratres, & eoſdem ſub tenui diſciplina, inuenimus, iam, Deo gratias, plus quam ſeptuaginta inibi cernimus, abſque his, qui honeſte conuerſantur extrinſecus. Vnde nos non mediocriter lætificati, omnes vos Prælatos ac ſubditos in charitate ſancta appellamus, omnium pedibus humiliati, in Deo, & propter Deum obſecrantes, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, & religionis veſtræ ac ſpiritualis diſciplinæ vigorem alij ſuccedentes aliis hæreditario iure in longitudinem dierum conſeruetis. In memoriam ergo tam ſalubris exhortationis addimus decretum noſtræ Epiſcopalis confirmationis dirigendum, tranſcribendum, relegendum ſingulis monaſteriis, Monaſticæ religionis ſpiritualem militiam, Deo placitam, hominibus acceptam, celebrem angelis, terribilem hoſtibus, vt iam per omnia Cœnobia noſtra ſub auctoritate Spiritus ſancti renouauimus, inſtituimus, ſic deinceps integram illibatamque perſeuerare ſancimus atque decernimus; commendantes eam ſub teſtimonio Chriſti & Eccleſiæ vobis electis Rectoribus ac dilectis Fratribus per vos nihilo minus commendandam omnibus veſtris ſucceſſoribus. De cætero in nomine Domini vobis benedicimus. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in Chriſti viſceribus. His mellifluis & auctorabilibus tanti Patris verbis euidenter ſatis declaratur, quam intimo & flagrantiſſimo affectu, ſanctam monaſticæ profeſſionis religionem adamauerit, quantaue diligentia eam in quibuſcunque poterat locis, ſed potiſſimum apud nos, propagare ſtuduerit. Qua, vt deſiderabat, propagata, Deo fauente, Fratribuſque tam merito quam numero multiplicatis; etiam materialem Eccleſiæ fabricam cum vniuerſis monaſterii officinis, neceſſaria & congruenti amplitudine dilatare curauit: tanquam & ei ſpirituales filij ſui affectuoſa vnanimitate proclamarent: anguſtus eſt locus mihi coram te, fac ſpatium mihi, vt inhabitem. Et ô beatus ille, qui tandem deſiderij ſui, quod in multiplicandis religioſis Fratribus habuerat, compos effectus, iuxta Prophetiam Iſaiæ, à Domino audire meruit; Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus; quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circundabis tibi eos, ſicut circundat ſponſa monile ſibi precioſum. Quomodo enim non gauderet, & gratulabundus Domino iubilaret, cum non ſolum ex vicinis, ſed & de longinquis multarum regionum partibus illuſtres quoſque & ſapientes, ac diuerſarum artium imbutos peritia, ad locum dilectæ requietionis ſuæ congregari cerneret, quos nimirum bonæ opinionis eius fama, per totam Eccleſiæ domum diffuſa, & indefeſſa oratio, quæ eleemoſynarum largitate fulciebatur, illo attraxerat? His nempe deuotiſſimis filiis, quaſi floribus ſpecioſis adornatus erat. His tanquam monilibus ambiebatur, cum & hic, & in omni actu & negotio eorum intimis præueniebatur ſuffragiis, ac comitabatur; ac pòſt in reſurrectionis gloria nobili eorum ſtipatus frequentia regi regum accenſis lampadibus occurret; vbi & filij de patris honore, & pater de filiorum ſalute perpetuo lætatur. Sed his per exceſſum dictis ad narrationis ordinem redeuntes, cauſam & rationem antiqui monaſterij diſſoluendi, & noui deinceps maiori ambitu reparandi poſterorum notitiæ pandamus.

Cura S. Othonis circa Monaſteriorũ reformationem

Epheſ. 4.

Philip. 1.

Quid effecerit epiſtola & cura ſua S. Otho.

Iſa 49.

Accurſus ad Montem S Michael.

xxxi. SIQVIDEM Anno Domini M. C. XVII. tertio nonas Ianuarij, id eſt, in octaua Sancti Ioannis Apoſtoli, peccatis hominum exigentibus, terræ motus factus eſt magnus quarta feria, luna viceſima ſexta, hora veſpertina, impletâ prophetiâ, quæ dicit; Pugnabat cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Hoc ſiquidem terræ motu Eccleſiæ noſtræ fabrica, quæ & ante iam longa temporis vetuſtate, ex parte ſciſſa erat, ita concuſſa eſt, vt lapis magnus in frontiſpicio vel culmine * ſcumarij ſubito lapſu proruens, totius monaſterij ruinam minaretur, cunctoſque ingenti pauore perculſos in fugam conuerterat; & tamen, mirum dictu, grandi hoc lapide, qui totum in circuitu opus ſua concluſione firmabat, lapſo, reliqua templi fabrica licet hiatu terribili, caſum iam iamque minaretur, immobilis perſtitit, donec poſt feſta Paſchalia, iuſſu pij Ottonis deſtructa & ſolo adæquata eſt. Hinc iam noui templi ædificatio, quod maiori ſe ambitu dilataret, cœpta eſt: vbi tanta ſe liberalitate beatiſſimus Pater Otto, pro feruore accelerandi operis, profudit, vt cunctis ſtuporem, multis quoque inuidiam tanta pecuniæ profuſio pareret. Nam cum quadam vice, eo apud Caſtrum Bodenſtein poſito, pecunia defeciſſet; & fideliſſimus Camerarius eius, Erbo nomine, deuotus Sancti Michaelis famulus, qui poſtea hic in ſancta claruit conuerſatione, pernicirer ad Epiſcopum tendens, defectum hunc ei inſinuaſſet; ille ſtatim centum marcas argenti beato offerens Michaeli, eum, moræ impatiens, redire vrgebat. Qui piæ voluntatis plenus theſauro, quo nil ditius Deo offertur, tanta miræ deuotionis feſtinantia reuerſus eſt, vt eadem die memoratum pondus argenti ad altare Sancti Michaelis, tanquam holocauſtum gratiſſimum, imponeret, ſicque cœpto operi tota virtute & ſagacitate inſtandum vrgeret. Igitur perfecto iam templo, quod in modum crucis, vt cernitur, conſtructoris ſui præcepto ædificatum eſt; dedicationem eius in arbitrio Fratrum conſtituens, vtpote cum quibus cor vnum & animam habebat, mandauit, vt certam ei ſignificarent diem, qua tantæ ſolennitatis celebritas communi omnium voto ageretur. At illi multam inter ſe conquiſitionem facientes, tandem conſilio reuerendi & doctiſſimi Patris VVigandi, de quo in ſecundo huius operis libro dicemus, vnanimi conſenſu definierunt, vt in Calend. Septembris eadem celeberrima fieret dedicatio: congruenti ſatis & acceptiſſimo ordine, tam pro beati Ægidij patrocinio, cuius ea dies natalitio illuſtratur, quam & pro antiqua huius diei reuerentia, quam ſacræ Moſaicæ legis obſeruantia conſtat præcipua inſigniri ſolennitate, ſicut in libro Leuitici legitur, loquente Domino ad Moyſen: Menſe ſeptimo prima die menſis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum, omne opus ſeruile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum Domino; quia dies propitiationis eſt, vt propitietur vobis Dominus Deus veſter. Et item in Libro Numeri: Menſis ſeptimi prima dies venerabilis & ſancta erit vobis; omne opus ſeruile non facietis in ea; quia dies clangoris eſt & tubarum; offeretiſque holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, &c. quæ de ritu ſacrificiorum myſtico nunc in Eccleſia celebrandorum ibi exſequitur. Sed & decima, & decimaquinta eiuſdem menſis dies ſacra feſtiuitate celebres, & nullum in eis opus ſeruile fieri, ſed ſolenne ſacrificium Domino offerri lege præcipitur, de quibus modo dicendum non eſt. De huius autem ſacratiſſimæ diei celebritate Origenes ſic loquitur: Prima die ſeptimi menſis Neomenia tubarum eſt, ſicut dicitur in Pſalmo; tuba canite in initio menſis: iſta eſt ſolennitas repropitiationis: in hac ſola die Pontifex induitur omnibus Pontificalibus veſtimentis. Tunc induitur manifeſtatione & veritate: tunc ingreditur ad illa inacceſſibilia, quo ſemel in anno accedi tantummodo licet, id eſt, in ſancta Sanctorum. Semel enim in anno Pontifex populum derelinquens ingreditur ad eum locum, vbi eſt propitiatorium, & ſuper propitiatorium Cherubin, vbi & arca teſtimonij & altare incenſi; quo

Ebbo.

Terræ motus Bambergæ.

Sap 5.

** Sic habet manuſcriptum exemplar.*

S. Otho Templũ S. Michaelis reparat.

Templum in formam Crucis.

Dedicatio Tẽpli noui.

Leuit 23.

Num 29.

Origen. Hom 9 in Leuit.

Pſal. 80.

Digitized by Google

nulli introire fas eſt, niſi Pontifici ſoli. Si ergo conſideremus verum Pontificem Chriſtum, quomodo in carne quidem poſitus per totum annum erat cum populo, annum illum, de quo ipſe dicit; euangelizare pauperibus miſit me, & vocare annum Domini acceptum, & diem remiſſionis; *Luc. 4.* aduertimus, quomodo ſe mel in iſto anno, in die propitiationis, intrat in ſancta Sanctorum, hoc eſt, cum impleta diſpenſatione penetrat cælos, & intrat ad Patrem, vt eum humano generi propitium faciat, & exoret pro omnibus credentibus in ſe. Hanc repropitiationem eius, qua hominibus repropitiat patrem, Ioannes Apoſtolus commemorat dicens: *1. Ioan. 2.* Aduocatum habemus apud patrem Ieſum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Sed & Paulus ſimiliter de hac repropitiatione ſcribens ait de Chriſto; quem Deus poſuit propitiatorem in ſanguine eius per fidem. Igitur dies propitiationis manet nobis vſquequo occidat ſol, id eſt, vſquequo finem accipiat mundus. Stamus enim nos pro foribus, operientes Pontificem noſtrum commorantem inter ſancta Sanctorum, &c. id eſt, apud Patrem, & exorantem pro peccatis eorum, qui ſe exſpectant. Hæc Origenis eximij Doctoris verba ſunt: *Orig. Hom. 24. in lib. Numerorũ* qui item alio loco de hac ſolennitate, quæ eſt prima die ſeptimi menſis, ſic ait: Sicut inter dies ſeptimus quiq́ue dies obſeruatur Sabbatum, & eſt feſtiuitas: ita & inter menſes ſeptimus quiq́ue menſis Sabbatum eſt menſium. Agitur ergo in eo feſtiuitas, quæ dicitur Sabbata Sabbatorum, & fit in die prima menſis ſeptimi: memoria tubarum. Sed quis eſt, *Pſalm. 1.* qui memoriæ tubarum feſtiuitatem gerat, niſi qui poteſt ſcripturas Propheticas & Euangelicas atque Apoſtolicas, quæ velut cæleſti quadam perſonant tuba, mandare memoriæ, & intra theſaurum cordis ſui recondere? Qui ergo hæc facit, & in lege eius meditatur die ac nocte, iſte feſtiuitatem gerit memoriæ tubarum. Sed & ſi quis *Pſalm. 80.* poteſt gratias illas ſancti Spiritus promereri, quibus inſpirati ſunt Prophetæ, & pſallens dicere, canite in initio menſis tubæ in die inſignis ſolennitatis eius; & qui ſcit digne in Pſalmis iubilare ei, Deo agit ſolennitatem tubarum. Eſt adhæc & alia ſolennitas ſeptimum illuſtrans menſem, videlicet ſcenopegia, id eſt tabernaculorum, Deo grata feſtiuitas. Lætatur enim cum viderit fideles ſuos non habere fixum, & fundatum animum ſuper terras; ſed in tabernaculis quaſi quotidie migraturos habitare, non deſiderantes, quæ terrena ſunt, nec vmbram vitæ huius quaſi poſſeſſionem propriam & perpetuam deputantes: ſed velut in tranſitu poſitos, ad veram patriam, vnde egreſſi ſunt, ad paradiſi feſtiuitatem properare dicentes; aduenæ ſumus & peregrini ſuper terram, ſicut omnes patres noſtri. Cum ergo ſic peregrinari ſe in mundo ſenſerint, & parati ſunt cito tranſire, & extendere ſe ad anteriora, vt hæreditatem capiant futurorum: Deus in his lætatur, & diem feſtum agit ſuper eos. Hæc nos de opuſculis tanti Doctoris, *Hyperbole ignoſcenda, & quæ ſe veterum auctoritate tueri queat* qui in ea parte, qua Presbyter, neminem poſt Apoſtolos habet æqualem, hic inſeruimus ad commendandam ſacratiſſimæ huius feſtiuitatis celebritatem, quæ aliarum ſolennitatum mater eſt, & conuenientiſſime prima die ſeptimi menſis agitur; qui & in veteri lege celeberrimus eſt, & in hoc nouæ gratiæ tempore natalitio, tam eximij Patris Ægidij, qui ſingularis tribulantium portus, & certum remedium eſt, decoratur. Hæc igitur iucundiſſima ſolennitas tanto ardentius omni deuotione ſpirituali colenda eſt, quanto dulcius imaginem & vmbram cæleſtis illius præfert dedicationis, vbi verus Pontifex Chriſtus, conſummato templo ſuo, quod ab origine mundi vſque ad finem ſæculi de viuis atque electis conſtruit lapidibus, deſiderabilem & nunquam deficientem celebrat ſolennitatem, ad quam ſuſpirare, & omnibus cordis medullis anhelare cunctos Eccleſiæ filios hæc tranſitoria commonet dedicatio. Sed iam ad narrationis ordinem redeamus. Igitur audita, piiſſimus Pater Otto filiorum ſuorum legatione, qua in Calendis Septembris dedicationem fieri vnanimiter flagitabant, aptum quidem & rationabile hoc approbauit: ſed vnum erat, quod conſenſum eius aliquantula contradictione retardabat: *Capella S. Ægidij.* quia Capellam Beati Ægidij in Hoſpitali à ſe conſtructam, & vnice ſibi dilectam ſolita popularis concurſus veneratione fraudari metuebat, nimirum cunctis in montem Sancti Michaelis, tantæ feſtiuitatis gratiæ inuitante, accurrentibus. *Vdalricus Sacellanus S. Ægidij* Quapropter ſine voluntate & petitione Vdalrici religioſi eiuſdem Eccleſiæ Sacerdotis, id ſe facturum negabat. Qui mox, vrgente ſpirituali patre VVigando, qui hæc omnia ſpeciali adminiſtrabat diligentia, Epiſcopum adiit, & prudenti ratione dedicationem hanc Capellæ Sancti Ægidij in nullo officere, quin imo maiorem & reuerentiam, & cultum parturire affirmabat: cuius aſſertionem Paſtor piiſſimus approbans, demum aſſenſit: & venerabili VVolframo Abbati Fratribuſque vniuerſis paterna dulcedine mandat, ſe deſideriis eorum, & in hoc, & in omnibus promptiſſima affectione pariturum. *Ægrotat S. Otho.* Appropinquante verò eadem ſacratiſſima die, ſummus Arbiter, qui quos amat, corripit & caſtigat, hunc beatiſſimum Patrem corporalis ægritudinis tam graui perculit moleſtia, vt penitus fracta corporis virtute, decumberet, omnemq́ue propoſitæ dedicationis intentionem poſtponeret. Quo audito, vniuerſi nimia mœroris anxietate percelluntur, cunctos nubes, & caligo triſtitiæ inuoluit, & vt natura docet, capite vulnerato, cætera quoque membra dolore atteri, languorem pij paſtoris grex deuotus ſuum deputabat. *Edit. Can. lib. 3. c. 44. Preces pro ſanitate S. Othonis* Vnde quod ſolum in his erat remedium, tota ad Deum corde conuerſi lacrymoſis ſuſpiriis cum oblationibus hoſtiarum & eleemoſynarum, ſalutem ei & ſoſpitatem cælitus imprecari non ceſſabant, donec proſpiciens de excelſo ſancto ſuo Dominus clamores & gemitus pauperum ſuorum exaudire dignatus eſt. Illis enim tanta precum & votorum inſtantia diuinæ aures clementiæ pulſantibus, *S. Othoni apparet Angelus.* quadam die Pater amabilis, dum meridiano ſomno apud Caſtrum Bodenſtein quieſceret, vidit ſpecioſum iuuenem, qui re vera angelus Dei erat, lecto ſuo gratulabundum aſſiſtere, & magna iucunditate antiphonam; In domum Domini lætantes ibimus; pſallere. *Conualeſcit S. Otho.* Nec mora; expergefactus ſanum ſe & incolumem ſenſit, ſtatimq́ue, quod viſio portenderet, intellexit. Et accerſito Capellano ſuo * Seufrido, viſionem expoſuit, eamq́ue VVulframo Abbati celeriter nuntiari, & omnia futuræ dedicationi neceſſaria nauiter præparari mandauit. Quo nuncio lætiſſimo, quaſi reſponſo diuinitus accepto, mœror in gaudium, luctus in lætitiam verſus eſt, cunctiq́ue debita laudum præconia non ſono tantum oris, ſed & iubilo cordis in cœlum ferentes, tantæ ſolennitatis iucunditatem ſpe flagrantiſſima præſtolabantur. Igitur anno Domini M. C. XXI. Indictione decimaquarta, in Calend. Septemb. dedicatum eſt monaſterium Sancti Michaelis Archangeli in Monte Babebergenſi à venerabili Ottone eiuſdem ſedis octauo Epiſcopo in honorem præſcripti Archangeli ſanctiq́ue Benedicti Abbatis, ſicut à primordio fundationis monaſterii definitum eſt.

** Sefridus, ſeu Sifridus, qui S. Othonis vitam ſcripſit.*

Quando dedicatum nouum templum S. Michaelis.

R E G I B V S quippe ſæculi ſuper omnes regni Pontifices honorifice ac fideliter domi foriſque ſeruiuit. XXXI.
Thimon. Principum quoque ſibi familiaritates & amicitias intimas conciliauit, miniſterialibus & feudatis Eccleſiæ ſuæ propria iura & honorem intemeratum conſeruauit. Familiam denique & omnia ſibi adhærentia firmiſſimo pietatis præſidio, & maternæ affectionis ala confouendo protexit.

Vide vitam edit. à Can. c. 25. fol. 156 cuius menda hinc emendare licebit.

S T I P E N D I A Epiſcopalis menſæ nullius vnquam neceſſitatis occaſione minorauit, Sed, ſi quid de patrimoniali fundo Eccleſiæ matricis, propter adiacentiam & opportunitatem, Cœnobiis contulit; XXXII.
Thimon. emptitiis & aduentitiis prædiis recompenſare cum augmento curauit ei: quia de iniuſto non poſſe fieri dicebat eleemoſynam: Iniuſtum

Reditus menſæ Epiſcopalis diligenter conſeruat Sanctus Otho.

Digitized by Google

iuſtum autem, imò iniuriam maximam eſſe affirmabat, aliqua largitione aut feudatione ſine recompenſatione, tabulam minuere ſucceſſorum. Ad hanc ergo excludendam ſuſpicionem, ne cuiquam ſuccedentium ſibi Epiſcoporum fas ſit diſpoſitioni eius, quæcunque ſuperordinare, vel ab ipſo bene ordinata reſcindere, ſedes Apoſtolica, eius poſtulatione, ſuper his omnibus huiuſmodi confirmationis priuilegium porrexit.

XXXIV CALLISTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Ortoni Babebergenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sanctorum Patrum præceptis & Canonicis ſanctionibus demonſtratur, quod prædia & poſſeſſiones Eccleſiarum, quæ vota fidelium, precia peccatorum, & pauperum patrimonia non immerito nuncupantur, vendi, vel alienari non debeant. Quæ enim diuinæ maieſtatis obſequio & cæleſtium ſecretorum vſui ſunt dicata, non [a] decet in alienum ius redigi, vel in alterius ſeruitij formam tranſmutare: nempe, vt Beati Symmachi verbis loquamur; Poſſeſſiones, quas vnuſquiſque Eccleſiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibus libet titulis aut diſtractionibus, vel ſub quocunque argumento non patimur. Ea propter, nos tuis iuſtis poſtulationibus annuentes, * manſos, qui Epiſcopalis menſæ tuæ ſeruitio dediti ſunt, in eodem ſtatu, in quo bene à te diſpoſiti cognoſcuntur, futuris temporibus permanere, præſenti ſcripti noſtri confirmatione ſancimus, ſtatuentes, vt nulli ſucceſſorum tuorum, vel alicui hominum liceat eos vendere, ſiue in Laicorum beneficium trahere, aut in vſus alios commutare: Sed, ſicut à te diſpoſitum eſt, de vnoquoque prædictorum manſorum denarius vnus, annis ſingulis. Babebergenſi Eccleſiæ, pro anima Imperatoris Henrici fundatoris eius, ad concinnanda luminaria conſeratur. Abbatias verò & regulares Canonicas per induſtriam tuam in religionis Ordine ſtabilitas, & alia à te recte conſtituta, nulli hominum facultas ſit in poſterum immutare. Si quis autem contra hanc noſtram confirmationem venire temerario auſu præſumpſerit, excommunicationis vinculo ſubiacebit. Data Laterani, Idib. Aprilis Indictione ſecunda.

Refert hoc diploma Baronius ad annum Chriſti 1124. Et liquet ex Indictione ſubiuncta. Vide vitam edit à Can. lib 1. c 16.

[a] Alienari non debẽt, quæ ſemel Deo dicata ſunt.

* Manſus ſeu Manſum: eſt fundus, vel prædium. Manſuarii, villici manſos incolentes: Idem Manentes appellantur, quod in Manſis maneant.

XXXV. REM quoque familiarem Epiſcopij, ſicut prædiis & poſſeſſionibus, ita etiam ædificiis & Caſtrorum munitionibus adiuuit, atque ſublimauit. Nam per diuerſa loca, & curtes Epiſcopij quatuordecim Baſilicas, & quatuor cœnacula elegantis fabricæ conſtruxit. Præterea ſex caſtella, quæ pridem non habuit, dominio Epiſcopatus adiecit; vnum videlicet, Albuineſtein; ſecundum, Luipoldeſtein: tertium, Geutenreut; quartum, Hempſenvelt: quintum, Eberſperg: ſextum, Eckenvelt, Caſtrum verò Albuineſtein, quod etiam dicitur Bodenſtein, fere in meditullio ſitum Epiſcopatus, octingentis argenti libris, necnon decem & ſeptem auri talentis comparauit, prouidens in hoc & ſibi, & poſteris non modicum pacis ſubſidium, quia, bonis Eccleſiæ in circuitu poſitis, defenſio eſt & terror inimicis. Multa quidem commemorare poſſem, quæ illius ſtudio, & labore in rebus temporalibus Epiſcopatui acceſſerunt; ſed parcius hæc laudanda puto; quia penè omne genus hominum acquirendi ſtudioſum eſt, & ſua cumulandi: neque, vt id faciant, egent exemplo, ſed, ne malè id faciant. Hic ergò non in eo quidem magnopere laudandus, quod rem familiarem quærere & augere ſolicitus fuit; ſed hoc in eo non temere laudatur, quod his rebus, * à quibus abeſſet turpido & auaritiæ ſuſpicio, diligentia videlicet & frugali parſimonia, quæ ſane hinc aduerti poteſt.

Thimon. Vide vitam edit à Can. lib. 1. c. 17.

Caſtella Epiſcopatus Bambergẽſi per S. Othonem adiecta.

Quomodo laudandus S Otho ob rei familiaris curam.

* ſubintellige: rem familiarem augere ſtuduit.

XXXVI TEMPORE quodam in domo Epiſcopali * domeſticæ habens rei nomen forte nuper emptum veſtiebatur, videns & probans ſi apte ſederet corpori. Et ecce Bruſſo quondam Argentinenſis Epiſcopus, eloquio & moribus apprime *feſtiuus* adueniens, Bene eſt, inquit, bene eſt: ſenior noſter bonum habet pellicium. Erat autem ad oras *capitij* & manicarum modice vulpinis abumbratum: nam cætera pars cute leporina conſtabat. Et Epiſcopus; Sic eſt, inquit, ſed miſerum me, carò mihi venit; his binis vnciis conſtat. Videſne, qui tam benignus in alios extitit, quam parcus in ſemetipſum fuit? * Non in veſte, non in cibis rebus Epiſcopij vnquam indulgentius vti voluit: nec voluptati, ſed neceſſitati ſuæ tantum prouidebat. * Quin etiam aiunt, illum, humilitatis cauſa, ocreas vel ſubtalares diſſutos, plerunque ad ſartorem miſiſſe. Murmurantibus autem de hoc aliquibus: Sinite, inquit, fratres, ſinite; res Epiſcopij eleemoſynæ ſunt fidelium, vanis vſibus eas profligare non debemus.

* Etiã hæc ex Timone ſe deſumpſiſſe, Andreas teſtatur. Sed non cõparent in editione Caniſ.

* *forte: dum eſſet, habens renonem* Sunt autem renones velamina humerorum & pectoris vſque ad vmbilicum. Vide Gretzerum in notis. * Hæc ſunt ex Timone, vide vitam edit à Caniſ cap. 18

XXXVII. HÆC in veſtitu ei frugalitas fuit; at in victu quomodo ſe reſtrinxerit, vix vlli credibile videbitur. Nam dixiſſe hunc pro certo accepimus: Nunquam ſe ad ſatietatem panem in Epiſcopatu comediſſe: Semper enim ſobrius ac pene ieiunus de Cœna vel prandio ſurrexit: appoſita omnia infirmis pauperibus ac mendicis impertiens. Quodam ieiunij tempore multa piſcium penuria fuit. Sed quidam Procurator eius lucium paruæ quantitatis, emptum duobus ſolidis, prandenti attulit bene paratum, modeſte obſecrans vt ſe vberius reficeret vel cibo, qui tam magno conſtabat. Cui Epiſcopus, quanto, inquit? Procurator, duobus, ait, ſolidis. Et Epiſcopus: abſit, vt miſer [d] Otto ſolus hodie tot denarios abſumat; leuanſque diſcum: defer, ait, hunc precioſum cibum Chriſto meo, qui mihi me ipſo pretioſior eſſe debet. Defer, inquit, ei, ſicubi ægrotus in lecto iacet, vel paralyticus. Nam ego robuſtus hoc me pane reficiam. Sic ille in opulentia ſua deliciis affluebat.

Timon. Lib 1 c. 18. vitæ edit. à Caniſ.

Frugalitas S. Othonis in victu.

[d] Memorabile exemplum frugalitatis & charitatis in proximum.

XXXVIII PRÆTEREA in conſuetudine habuit à manibus ſacerdotum in conclaui corporales accipere diſciplinas, ſane adeo acres, vt cruor aliquando latera eius tingeret. Ipſe quoque Pater cæleſtis, qui ait; Ego quos amo, arguo & caſtigo, ſuo interdum verbere ad eruditionem eum tangebat.

Vita à Can. ed loc. cit.

Apo. 3

XXXIX. REFERAM vnum de flagellis eius, cauſamq́; ſiue ordinem monſtrabo, quidue inde boni prouenerit, dum forte in vico, qui dicitur Buchebach, diuinarum rerum ſtudioſus * chartulam Patrociniorum legiſſet, & in ara Eccleſiæ multas & permaximas ſanctorum reliquias reconditas agnoſceret; ad nobiliora loca eas transferre cogitabat, vbi ampliore honore diuinæ ſeruitutis à religioſis colerentur. Itaque aſſumptis clericis, ieiunio & oratione præmiſſa, pia, vt dictum eſt, intentione, ſigillum altaris ſolui præcepit. Sed hæſitantibus cunctis & trepidantibus, ipſe ferramẽtum accipiens: abſit, inquit, vt tantum decus, ſub tam vili ſchemate remaneat; cumq́; bis aut ter ſigillum malleo percuteret, ſanguis de ciſtula plumbi cucurrit, ac ſi de corpore animalis flueret. Sed quid? Turbatur Epiſcopus; ferramẽtum proiicit; ſtupent omnes; opus cœptum omittitur: ad orationem tam ipſe, quam omnes qui aderant, ſe proſternunt; commiſſi veniam poſtulantes. Sed Pater omnipotens ſapiens ac benignus, qui ad diſciplinam filiũ erudire parabat, graui ſtatim languore tetigit Ottonem ſuum, adeo, vt vitæ terminum putaret. Igitur inualeſcente morbo, cũ euadere non ſperaret, eum, quem maxime fidum & familiarem habuit Abbatem S. Michaelis, VVulframũ vocauit, vt ſiue ad vitam, ſiue ad mortem res vergeret, fide & obſequio fidelis amici vteretur; qui dum eius lectulo aſſiſteret, eiuſq́; dolores modis, quibus poterat, leuare curaret, Otto beatus, monaſticæ religionis præcipuus amator, habitum monachi ardentiſſime flagitabat; à multis annis ſe dicẽs in propoſito habuiſſe, depoſitis Põtificalibus, in paupertate ſpiritus in cõtritione cordis Deo ſeruire ſub magiſtri obediẽtia. Verũ Abbas gnarus & prudẽs, & magni cõſilij, obedientiã quidẽ ægrotãtis ſuſcepit; deſideriũ laudãs & petitionẽ. Porro de habitu diſtulit genioſe. Hinc poſt aliquot dies melioratur ægrot⁹, voti memor, habitũ quærit religionis, diſponit de reb⁹ ſuis, ad monaſteriũ ſe portari mãdat. Abbas

Vita edit. Can l. 1 c 19

* *In dicem Reliquiarũ.*

Refert S. Otho ſepulchrũ eius ſ. dã altaris. Sãguis inde profluit

S. Otho in morbum incidit.

Aduocat VVolframũ Abbatẽ

S Otho habitũ Monaſticum induere cupit,

Digitized by Google

igitur lætus de feruore votiui ſui, adhibitis compluribus honeſtis viris, de hoc verbo cum eis communicat. At hi quidem perſpectis omnibus, inutile factum dicunt, perſonam talem, Eccleſiæ & pauperibus Christi tam neceſſariam ad ſilentium monaſterij tranſire. Itaque cum reuerentia Epiſcopum interrogat; ſi promiſſam ſibi obedientiam implere vellet. Ille vero, in eius, inquit, nomine, qui pro nobis Deo Patri vſque ad mortem obediuit, tibi obedire paratus ſum. Cui ille, Et ego, inquit, in nomine ipſius tibi iubeo, Pater ſanctiſſime, ſub onere accepti regiminis vſque ad diem vocationis tuæ permanere ad honorem & vtilitatem Eccleſiæ, ad conſolationem egenorum & pauperum Christi, in ſubleuationem viduarum & orphanorum facere ſicut facis, ad conſummandum cœpta tua in operibus bonis; &, vt breuius dicam, facere quod facis, operari quod operaris pro æterna vita & centuplo. Quis enim monachorum tantæ perfectionis eſt, vt eius merita vel paupertatem tuis diuitiis adæquemus? Igitur poſt hæc tempora Epiſcopus Babebergenſis totus in eleemoſynas, totus in hoſpitalitates pauperum, & peregrinorum verſus eſt. Quidquid frumentorum victualium, quidquid auri vel argenti vſquam vel vnquam reperiri potuit per egentium manus in theſauros cæli tranſmiſſum eſt.

VVolfranus S. Othone ſuo inſcite deludit. — *Studium eleemoſynæ & hoſpitalitatis.*

Thimon. Vita edit. Can. lib. 1. cap. 20. — *Pauperum ſtrages ex fame.* — *Cura ſepeliendi mortuos.*

Eo tempore Orientalis Francia ſterilitate annorum magna panis inopia laborabat. Ipſi namque opulen- XL.
tiores famis etiam extrema neceſſitate ſqualebant: inopes & mendici paſſim per plateas & agros mortui iacebant; ita vt præ multitudine in cœmeteriis humari non poſſent. Sed vir Dei miſericordiæ plenus, memor Tobiæ, modo per ſe, modo per alios ſepeliendi officium compleuit. Vbi autem cadauerum multitudo ſepulturam ordinatam fieri non ſinebat, ingentes foſſas præparauit, & centenos ac millenos ſimul quandoque terræ mandabat, precio conducens homines, qui talibus officiis iugiter inſeruirent. Ipſe autem per ſe omnia luſtrabat vicos, plateas ac domos pupillorum. Veſpere, mane & meridie, nec non etiam nocturno tempore, viſitando ægrotos, reficiendo famelicos, omniqne ingenio bene operandi vias inquirebat.

Reperit S. Otho cadauer mulieris. — *Corpus exanime in humeros ſublatum ipſe S. Otho ad ſepulturam defert.*

Accidit ergo die quadam æſtu meridiano, quando intus in vmbraculis & refrigidariis ſuis ſoporantur XLI.
homines; Epiſcopus, accito cubiculario, more ſuo, ad hoſpitale pauperum pergebat. Dum autem iret fœtor inhumati corporis non procul à via de ſub vrticis nares eius tetigit. Subſtitit ergo, & cubiculario ſuo digito ſuo locum demonſtrans; ſentio ait, tanquam illic corpus humatum iaceat. Pergente puero, ſequitur Epiſcopus; diligenter quærunt, ac tandem inter herbas & ſiluam ſtantis vrticæ proiectum ad ſepem cadauer inueniunt mulieris, lacero vultu, & ab auibus comeſto. Epiſcopus conſpecta miſeria, ferit pectus, ſortem deflet humanam, flagellum diuini confitetur iudicii. Poſtremo ſeipſum culpabilem, ſe reum addicit, qui ea die, qua hæc fame periiſſet, multis panibus abundaret. Dehinc, dicta breuiter oratione pro anima iacentis, manum mittit ad corpus: cubicularium hortatur leuare ſecum. At ille; Noli, ait, Domine, noli ſacras manus tuas inquinare. Curram & vocabo alios, ac ſepeliemus eam. Cui Epiſcopus; Abſit, inquit, vt ſororem meam, filiam Adæ, imò filiam Eccleſiæ, tangere deſpiciam. Portabo mortuam, quam viuam paui ſſe debueram. Sed tu, rogo, iuua me, certus, quod à Deo, & à me quoque mercedem accipias. Ille autem, etſi horrore pariter & fœtore propelli potuiſſet, tamen dum luctantem & laborantem, ipſiqne oneri humerum iam aptantem vidit, vicit ſemetipſum; & clauſis naribus, auerſoque vultu dorſum inuiſæ ſubiecit ſarcinæ, & cum Epiſcopo communicato labore, ad cœmeterium cadauer fœtidum deportauit, cantante ac flente Sacerdote; Heu mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea, quid faciam miſer? vbi fugiam, niſi ad te Deus meus? miſerere mei, dum veneris in nouiſſimo die.

Thimon. — *Liberalitas eius tempore famis.*

Videns ergo, quia tempus, eum monet: omnes apothecas ſuas aperuit; panes præparat, alit egentes; & XLII.
ecce, quaſi ad vniuerſales nundinas de tota prouincia famelicorum turbæ concurrunt; de monaſteriis virorum ac feminarum Præpoſiti ac diſpenſatores, omneſque, quos annorum egeſtas premebat, ad promptuaria Epiſcopi currunt, ſperata ſubſidia, ſine mora inuenientes. Cumque meſſis appropinquaret, & maturæ iam ſegetes vbique locorum falcem poſtularent, multa millia falcium pauperibus, quos toto anno aluerat, præparata diſtribui fecit: atque refectis omnibus, in feſtiuitate B. Iacobi; Ecce, inquit Pater optimus, filioli mei, terra coram vobis eſt; finita eſt dierum malitia; & accipiens ſingulas falces, ſingulos addidit denarios, vnicuique denarium & falcem, inſtrumentum operis, & viaticum: ſicque valefecit eis in bonitate & gaudio eos dimittens. Is modus, id officium ei fuit omnibus annis inopiæ ac ſterilitatis.

Thimon. — *Hæc in Caniſiana editio, exſtant lib. 3. c. 30.*

Matth. 6. — *S. Otho miſerorũ, ſuæ ciuitatis catalogum habebat.* — *S. Otho Paralytico pretioſum ſtragulũ mittit.* — *Multi hoc factum S. Othonis ægre tulerunt.*

Dvx Poloniæ Bolezlaus, omneſque terræ illius meliores ſumma ei amicitia iuncti erant, frequenter ei ſalu- XLIII
tatorias mittebant, donariis ſuis eum magnifice viſitabant, meritis ac precibus ſe apud Deum iuuari poſſe plurimum confidentes. Alij quoque Principes ac diuites de omnibus terris, audientes famam operum eius, audientes eleemoſynas & largitates eius circa egentes: multa ei & ſæpenumero ingentia dona mittebant, ſocios ſe fieri & comparticipes ſtudiorum eius deuote poſtulantes. Quadam vice tegumentum nocturnale mirabilis precij de ſerico, auro, & megalina pelle confectum, inter alia dona ei allatum eſt; ipſeque auctor doni ſpecialis amicitiæ ſignum hoc eſſe nuntians, obnixe rogabat, vt in recordationem ſui eius vſum dignaretur, neue de profligatione rei cauſaretur, deuote promittit, hoc detrito vel parumper abſumpto, aliud ſe tranſmiſſurum. At Præſul, accepta veſte, plicat eam ac replicat, & diligenter vndique perſpectam, veſtiario ſuo commendat. Deinde, portitoribus & legatis ſub perſona mittentis reuerenter inclinat, gratiaſque agit dicens; ſiquidem munus hoc magnæ dilectionis teſtimonium eſt; & ego in memoriam datoris in perpetuum illud ſeruare curabo, ita ſane, vt nec fures mihi furentur, nec tinea demoliatur, vel ærugo. Habebat autem cognitos, & ex nominibus propriis notatos omnes paralyticos, languidos, canceroſos, ſeu leproſos de ciuitate ſua, modum, tempus & quantitatis languoris eorum per ſe inueſtigans, congruaque ſubſidia omnibus prouidebat & curabat. Vocato ergo veſtiario; tolle, ait, præclarum illud & carum mihi tægumentum, ac pone ſuper illum paralyticum, nomine vnum deſignans, quem ſciebat longis doloribus affectum, vlceribus ſcatentem & vermibus, cuius fœtorem vicinia tota perhorrebat. Abit ille, ac mandatum implet, & delicatiſſima veſte miſerrimum illum cooperit; mirantibus ac ſtupentibus omnibus qui hoc videre potuerunt. Sefridus. Ego huius rei teſtis ſum; ſed confiteor peccatum meum. Illis diebus ſic affectus eram, vt hoc idem factum deliramento compararem. Sed non ſolus ego de hoc murmurabam: erant complures me maiores ac nobiliores talia dona de manibus illius accipere conſueti; qui ſpe huius deluſi, vix ab iniuria linguas tenuêre; aientes non opus eſſe megalinis tegi pellibus leproſos & paralyticos, quibus vtrique ouium aut leporum veſtimenta ſufficere potuiſſent. Sed nunc ſcio prudentiam tanti viri duplici hoc ratione feciſſe; ſcilicet vt exemplum miſericordiæ in pauperes memoria dignum poſteris oſtenderet; & in præſentiarum curatores ægroti de precio veſtis ſolatia perciperent. Tiemo. Recte interpretatus es rem. Sed nouimus aliquos Epiſcoporum ſi hanc veſtem corpori proprio ſubtraherent, ſanguini fortaſſe non negarent, qui terrenæ ſapientiæ dediti, tales ſumptus fatuitatem vocant, qui cor trahentes in terra, lingua cælum pulſant, qui terrenum habentes fundamentum, rem ſuam humanis præſidiis tutandam putant, moles turriũ, &

inertem

Digitized by Google

inertem maſſam murorum multis ſumptibus coaceruantes, ſpiritualia munimenta floccipendunt. Verum Ottoni beatiſſimo non ea mens erat, omnem fiduciam ſuam in diuinitatis ope collocabat; caſtra quidem & Vrbes ad terrenos vſus quandoque * patrabat, ſed longe maior Eccleſiarum vel monaſteriorum ei cura fuit, quæ res etſi probatione non egeat, eo quod manifeſta ſit; tamen, quia in mentem venit, rem paruam dico, vnde cordis eius directio altius intelligi poſſit.

* parabat.

XLIV. FABER quidam peritiſſimus de arte ſua Epiſcopo innoteſcere cupiens, telorum ac diuerſi generis ſagittarum, ad opus bellicum mirabiliter præparatarum, ſportam plenam apportauit, vt in Vrbibus & propugnaculis Epiſcopi futuris neceſſitatibus ſeruati debuiſſent. Epiſcopus vero gratias quidem egit homini pro munere dignam mercedem illico rependens; ſed manu propria vnam leuans, quæ triplici acie, ac longo acumine, viſu etiam, terribilis erat. Quare, inquit, iſtam tam longam, tam ſubtilem, tam acutam feciſti? Faber, tales, inquit, facimus ad penetrandas loricas & clypeos. Impulſu enim balliſtæ tales ſagittæ nec ſcuto nec thorace tueri ſinunt hominem. Epiſcopus, ego, inquit, agam, vt mortales ſe de his non mortificent, iubetque leuari omnes ſimul, ſicut erant in cophino, portitoribus dicens: ferte eas Abbati Hermanno, rogantes diligenter, vt eas; mei cauſa, in opus Dei expendat, ne mortibus hominum coaptentur. Habebat autem opus in manibus, tectum videlicet conſummati monaſterij noſtri. Acceptis ergo ſagittis, pabula ferro hæſitamenta omnibus conuolui iuſſit, ac de nobiliſſimis ſagittis, clauos regularum fabricans, tecto Eccleſiæ illos coaptauit. Quæ res quidem, tametſi magna non eſt, magnæ tamen bonitatis indicio valet; ſicut enim ex abundantia cordis ſermo; ita etiam ex eadem actio dirigitur. Exterior enim homo celare non poteſt, qua diſpoſitione interior ambitus ſit. Flagrant enim ad proximos per exteriorem ſtudia hominis interioris. Verum ego cuncta ſigillatim, quæ ipſius ſunt, perſtringere non potero: vnum tamen adhuc memorabo, quo eius diligentia & ingenium, quod habuit ad bene agendum, magis clareſcat.

Thimon. Edit. Can. lib. 3. c. 40.

Iucunda hiſtoria, de ſagittis S. Othoni oblatis.

XLV. QVIDAM Oeconomorum eius Rudolphus, vir bonus ac prudens, ad eum propter cauſas domeſticas veniebat. Cumque pro explicandis rebus aliquandiu apud eum moraretur, Epiſcopus, more ſuo, egreſſus viſitare xenodochium, ſtabulum tranſiuit Oeconomi; videnſque duos equos fortes, eleganti corpore, à comitantibus, cuius namque ſunt hi; inquirit. Dicunt ei, hos eſſe Procuratoris ſui. Bene, inquit; magni ſunt & fortes, Certe portare habent precia & redemptiones captiuorum in terram Pomeranorum. Audierat enim quoſdam de baptizatis ſuis in ciuitate barbararum gentium fuiſſe captiuatos. Sublatis ergo equis, Oeconomus, re cognita ad Epiſcopum venit: de via ſua & negotiis ſuis inſinuat, equitaturas repetit, quas ſi habere non poſſit, ad omnia ſe impeditum dicit. Cui Epiſcopus, non iraſcaris, obſecro; lucrum quoddam & negotiationem cogitaui. Eſto ſocius. Agamus pariter, vt de fructu & lucro actionis pariter gaudeamus. Decem equos pannis oneratos in Pomeraniam miſſurus, opera tua indigeo. Omnem igitur annonam, quæ ad vſus noſtros in partibus Saxoniæ repoſita ſeruatur, inargentabis: inſuper omnes pecunias de redditibus earundem partium, ad nos pertinentium, quas colligere poteris, cuncta ſimul ad nundinas Halle portabis. Noſti enim nobiles puros & precioſos pannos in terra Pomeranorum caros frugi mercatu haud inueniri. Igitur quidquid ex priuata pecunia fuſtani & purpuræ, bruſſati, Fritſali quoque, ſeu alterius cuius liber optimi generis vel coloris pannorum coemere poteris, in ſarcinas concludes, aliaſque ſpecies glorioſas, & res pulchras emens, omnia his iumentis in Pomeraniam diriges, partim dona maioribus, reliqua verò, cauta venditione habita, precium captiuis, quos in barbaras nationes adductos conſtiterit. Si autem, vt dictum eſt, ita exſequi potuerimus, nec tu nec ego fructu manes ac ſine mercede in futura vita remanebimus Hac etenim occaſione equitaturas tuas abſtuli. Abiit homo; & quia fidelis ac ſtrenuus erat, omnia, ſicut Epiſcopus ordinauerat, haud ſegniter impleuit. Mercatur honeſtiores, inſtitor Ottonis, laudatur forum eius, ac diſtractio populo rudi admirationi fuit & exemplo, cunctique certatim rapientes res duplo emebant, tum pro dilectione Pontificis, tum etiam, quia precium ſciebant eſſe redemptionis.

Timon. Edit. Can. lib. 3. c. 41.

Quem in vſum equos Procuratoris ſui S. Otho deſtinarit.

Pia negotiatio S. Othonis in Pomerania.

Nundinæ Halenſes.

XLVI. HIS omnibus ad votum Epiſcopi explicitis, eundem Oeconomum mittit ad Regem Hungarorum illum beatæ ſemper memoriæ Belam, qui à patruo ſuo Colomanno Rege, cum patre ſuo Almo Duce, in diebus adoleſcentiæ, luminibus priuatus, poſtea in regnum ſublimatus eſt, oculiſque fidei ac ſapientia mentis præditus, Rempublicam Vngarorum per annos plures grauiter adminiſtrauit. Certus itaque de ſtrenuitate ac prudentia Rudolphi Epiſcopus, cuius memoria in benedictione ſit, qui ad omnia ſtudia miſericordiæ ſedulus ei miniſter erat, ad Regem prædictum Belam, magnum eleemoſynatorem [a] cum literis ac donariis eum direxit, parare amicitias & notitiam ſocietatemque ac parilitatem ſtudiorum in operibus miſericordiæ, accendere hominem ſanctum ad deſiderium futuræ exſpectationis, ad gaudium æternæ vitæ atque beatitudinis Bela [b] ergo, accepto nuntio, auditiſque literis Epiſcopi, ſpirituali gratia ac diuina conſolatione plenus, lætificatus eſt valde in feſtiuitate Paſchali, quæ apud Vngaros etiam, propter ipſius terræ maximam vbertatem, multa epularum largitate ſplendide ac delicate celebrari ſolet, magnifice habuit nuncios Ottonis, vitam eius, conuerſationem, ſtatum & opera crebro interrogans, miraturque omnia, quæ de illo audiuit, magnæ felicitati adſcribens, quod talis viri notitiam per nuntios, dona & literas accipere meruiſſet. Conſummatis ergo diebus, cum tempus eſſet dimittendi legatos, multa deuotione ſacris Orationibus beati viri Rex ſeſe Deo commendans, dona multiplicat, vaſa [c] aurea & argentea, & veſtes precioſas mittit: inſuper viginti libras excocti auri, ſpecialiter obſecrans, vt has in aliquos diuinos vſus in recordationem ſui expendere dignaretur. Epiſcopus ergo, acceptis donis & auro, nihil moratus beato [d] Michaeli hoc obtulit; Crucis decus, in nomine Saluatoris de hoc fieri mandans, additque de ſuo auri quantitatem & gemmas; & cluſorem conducens; inſigne trecentas argenti marcas valiturum ad honorem Dei & vtilitatem Eccleſiæ fabricatus eſt.

Timon. Edit. Caniſ. lib. 3. c. 42.

a Legatio S. Othonis ad Belam Hungariæ Regem.

b Quomodo Bela nũtios Othonis acceperit.

Rex cõmendat ſe precibus S. Othonis.

c Ridé ingẽtia munera mittit.

d S. Otho dona accepta S. Michaeli offert.

XLVII SED quia beati Belæ Vngarici Regis mentio incidit, pauca de filia eius Sophia, quæ in propoſito Virginitatis ſub ſacro velamine inter ſanctas Virgines Admontenſis monaſterij laudabiliter degit, ad ædificationem narrare incipiam. Hæc etenim ante annos nubiles petita eſt in matrimonium Henrico puero, Teutonicorum Regis * Conradi filio primogenito. Bela ergo cum ſæpe rogatus tandem acquieuiſſet, hanc illi dare, & nuncij pro ea veniſſent Archiepiſcopi & Epiſcopi, aliique primates de regno Alemaniæ, vt iuxta imperialem magnificentiam clare ad nuptias duceretur, hoc ordine, hac oratione ad ſponſalia eam direxit: Dominus Deus cœli & terræ, tu omnia vides, ego autem nihil video, Tua etenim ordinatione, ſicut voluiſti Domine, cæcus factus ſum; ſed tu vides omnia, vides abdita cordium, præſentia, præterita & futura indifferenter: Et manus ponens ſuper caput filiæ, hæc inquit: [e] Domine, vnica filia mihi eſt, hac me ſola feminea prole in tua miſeratione beaſti. Hanc hodie, te teſte, te inuocato in auxilium noſtrum, ad nuptias mitto: hanc hodie te comitante, præſentibus nunciis

Thimon. Edit. Can. lib. 3. c. 43.

Admontẽſe Monaſterium in Stiria, fundatum à S. Gebhardo Archiepiſcopo Saliſburg Anno 1073 Hũd. in Metropoli. Vide etiam vitam S. Gebhardi.

* Qui poſt Lotharium II. Anno 1139 regnum iniit.

e Oratio Belæ Regis ad Deum pro filia ſua.

nunciis committo, tali fixa inter me, & te, Domine Deus, conditione, vt nunquam eam deſeras. Et, ſi forte is,

Oratio Belæ Regis ad Legatos.

qui eam petit filio ſuo Dominus Imperator Conradus vnquam mali quidquam aduerſus eam cogitauerit, tua in petitione tibi hanc commiſſam habeas. Ad legatos autem: En, inquit, coram vobis eſt: tollite filiam meam: ducite hanc Imperatori veſtro. Et quia mea vita ipſa mihi charior eſt, omne, quod charum vel precioſum habeo,

** Reliquiis.*

Apparatus ad iter.

cum ea tranſmitto. Iuſſitque apportari omnia regalia ſua, Campellam ſuam totam cum * patrociniis Sanctorum, cum vniuerſis paraturis, & vtenſilibus aureis & argenteis, cum tentoriis & papilionibus, cum iumentis optimis ad ſubuectionem rerum; inſuper aurum & argentum abſque vlla æſtimatione dona genero ſuo & filiæ. Et apprehen-

* Quia Admontenſe Monaſteriũ conſtructum erat in honorẽ Deiparæ & S. Blaſii.

dens ſcrinium vbi erat * patrocinium Sancti Blaſij, ſtatuit ſuper hoc filiolam; dehinc ad legatos; En, inquit, filiam meam cum patrono ſuo in hæc verba, vt locutus ſum, in nomine Domini vobis præſento. Igitur abeuntibus nuntiis, exita iam Vngaria, cum ad Taurum montem Carinthiæ propinquaſſent; Imperator Conradus, obuiam eis mittens, ad ſacras Virgines Admuntenſis monaſterij, * Dominam cum duabus puellis ſuis interim collocari fecit, donec opportuno tempore ſolenni habita Curia, conuenienti honeſtate ad nuptialia Sacramenta vocaretur. Dona verò & omnes diuitias, quæ allatæ cum ea fuerant, ſibi apportari fecit. Itaque diuerſis negotiis occurrenti-

*Sophiam, ſponſam.

** Bonſin. Geyſa.*

bus, quæ Regum etiam animos à propoſito retardant, rem explicare impeditus eſt. Puer etiam infirmitate præuentus, Domina in Monaſterio permanente, hominem exuit. Bela quoque requieuit in Domino, & filius eius * Giſo ei ſucceſſit in regno: qui videns fruſtratas eſſe nuptias ſororis ſuæ, nuncios miſit, vt reducerent eam. Sed, illa noluit redire. Secundo & tertio miſit. Sed, illa venire noluit. Ad extremum reputans apud ſe, vi fortaſſe tene-

Reuocatur Sophia in Hungariã. Renuit redire.

ri à rectoribus monaſterij ſororem ſuam, indignari aduerſus locum, & niſi quantocius ei redderetur, excidium vaſtationemque minari. Sed virgo caſtiſſima mente & corpore ad omne bonum diſpoſita. Deo magis quam ſæculo adhærere cogitabat, apertiſque oſtiis clauſtri cum Abbas in eius deliberatione poſuiſſet, intus manere, vel ad nuncios fratris ſui foras egredi; intus manere delegit, & à propoſito Virginitatis nunquam recedere. Rex verò nimio

Exemplum ſingularis conſtantiæ in bene cœptis.

affectu germanitatis circa ſororem ſuam afflictus, cum ſecundum ſæculi huius magnitudinem eam ſublimare vellet, modo vi, modo aſtutia, & ingenio eam teneri querebatur, habitoque cum neceſſariis ſuis conſilio, ire parat in manu forti, eam liberare. Sed viri prudentes & magni, quos in conſilio ſuo habuit, Regem monebant, non ab re, nec cito regno Teutonicorum importari bellum oportere, ſine cauſas belli. Optimum factum eſſe, vt miſſa perſona publica & honeſto comitatu, cum decore & diſciplina Dominam repeteret: quæ, ſi inordinate negaretur, iuſtas

Rex Hungariæ vi parat reducere ſororem ſuã ex Monaſterio Admonteñ.

tunc fore cauſas commotionis. Sed quid multis? Licet ægre, fracto animo ſuo Rex audiuit conſilium. Mittit Ducem vnum, virum fortem, cognatum ſuum, & amatorem gloriæ ſuæ, & cum illo militiam magnam: & ecce ventum eſt * ad Munti. Abbas verò & fratres, conſpecta multitudine & potentia Legati, rem ſerio agi vident, turbantur, præſidia orationis quærunt. Deinde egreſſi ad Legatos, reſponſa Tyranni triſtes accipiunt, ſcilicet aut reddant puellam, aut graues Vngarorum inimicitias experiantur. Abbas vero Admontenſis, vir dignæ auctoritatis, gnarus ad omnia, & multo pollens conſilio mentis ac religione, decus & firmamentum manaſtici Ordinis ad verba legato-

**. Monaſterium Admontenſe.*

rum hæc paucis reſpondit verbis: In hac cauſa, inquit, nihil à nobis perperam actum eſt, aut agetur. Sed hodie curam corporum veſtrorum, qui a itinere fatigati eſtis, velim agatis. Craſtina dies negotium veſtrum expediet. Itaque lauto epularum apparatu, multaque diligentia eis miniſtrauit. Sequenti verò die Abbas ad legatos: Et quid facie-

Hungari repetũt ſororẽ ſui Regis.

tis, inquit, ſi Domina veſtra ſponte ſua vobiſcum venire noluerit? Nunquid inuitam abſtrahetis? Nunquid nolenti ac renitenti violentas manus iniicietis? Siquidem hoc regibus ac reginis extremum dedecus eſt, vi trahi, ad quod nolint, & ſubiici, quando non velint, atque alienæ voluntati ſeu violentiæ mancipari: non puto id conuenire inge-

Oratio Abbatis Admontenſis ad Legatos.

nuæ libertati. At illi: Sic eſt, inquiunt, & nos eam libertati ſuæ reſtituere venimus, & non vim inferre, ſed obſequium præſtare ad ſuos redeunti. Denique ſi ab indigna coactione ſoluta, ſuæque libertati reſtituta fuerit, ſane quidquid propria deliberatione delegerit, neque nos, neque vos prohibere debemus: & Dominus noſter Rex Vn-

Reſpõſum Legatorum

garorum muniti ſſimus indecenter, vel contra decus regij ſanguinis habitam germanam ſuam conterinam, cauſari non poterit. Placuit ſermo Abbati & fratribus, & venientes in atrium Baſilicæ ante fores Clauſtri, quo Virgo ſacra cum Virginibus ſacris clauſa degebat; duos globos faciebant ſeorſim legati, & milites populuſque multus, qui ad ſpectaculum venerat; & ſeorſim Abbas cum fratribus & monachis. Reſerantur poſtes, ianuæ clauſtrales pan-

Conſtãtia Sophię

duntur; Regina exire ad nuncios rogatur; Negat illa; nihil ſibi & eis dicens; lege ſe loci limen ianuæ, niſi morte obita, non eſſe tranſituram. Docetur ergo, quid inter legatos & Abbatem ſententiæ ac rationis de ipſa conſtiterit, illam de ſub clauſtris in apertum egredi oportere, liberam fieri, coactione ſolui. Cæterum in eius arbitrio lo-

Sophia limen cœnobii tranſitura commendat ſe Deo, Deiparæ & S. Blaſio.

candum, quam viam poſtea ſibi arripere velit. At illa corpore femineo viriles animos gerens, vbi videt, quia ſic neceſſe eſt, neque aliter litem decidi poſſe, pede ſuo ſuper limen poſito; En, ait; S. Maria, Domina mea, patrona mea, mater Domini mei Ieſu Chriſti, ſponſi mei, ſalua gratia, & pace tua, te Duce, te comitante, limina tua tranſeo; te adiuuante & protegente cito reuerſura, tibi commendo cauſam meam, Virgo Virginum; & tu B. Blaſi Martyr Chriſti, Patrone Admuntenſium, Domine ac dominator loci huius, qui me à parente meo tibi commendatam, diuina ordinatione in hæc tua tecta ſuſcepiſti peregrinam: obſecro ne me derelinquas. His dictis, flebant Virgi-

Technæ Legatorũ.

nes, flebant monachi & fratres. Egreditur illa modeſto & lento gradu in medium tendens. Stabant Legati immobiles, veſtes tantum ac purpuram gemmaſque precioſas in ſæculi cultum eo allatas ei offerentes ac protendentes ad reginæ animos pelliciendos. Omnes igitur, qui aderant, immoti ſtabant, auide ſpectantes & oppetientes, quid eſſet factura, nullo ei aut hinc, aut inde propinquante. Sacræ autem Virgines ſtabant ardentiſſime flentes & orantes, admodum veritæ, ne quauis occaſione tantum decus ſocietatis amitterent. Itaque vbi libertatem, & abſolutionem ſuam in medio poſita, ſatis omnibus oſtenderat, ad nuncios conuerſa Regia virgo modeſte inclinans,

Sophia ſalutatis Legatis, reuertitur ad Monaſterium.

valefecit eis. Deinde via, qua venerat, ad ſorores rediens, clara voce multam compunctionem omnibus excitans, cantare cœpit: Regnum mundi, & omnem ornatum ſæculi contempſi: Succinentibus cæteris Virginibus, quæ illam in limine ſtantes opperiebantur; ſuccinentibus & monachis, & proſequentibus eam in gaudio & lacrymis vſque ad introitum ianuæ. Omnis quoque populus voces & laudes dedit in excelſum; gratias agens Deo, quod virgo nobilis & tenera, tam virili mente ſæculi delicias abiecisset. Nuncij quoque non minus aliis Dominum magnificabant, omniaque ornamenta ſeu veſtes, quas ad vſus ſæculi ei portauerant, monaſterio conferunt, & Reginæ valefacientes, eiuſque orationibus ſe commendantes in pace & gaudio ad Dominum ſuum reuertuntur; vt geſta erant, omnia referentes. Mitigatus eſt Rex vltra deſinens à propoſito ſuo reuocare illam. Hæc de initio conuerſio-

** quando.*

nis beatæ Sophiæ, * quomodo occaſio data fuit, reticere non potui. Sefridus. Grata nimis & accepta digreſſio, nempe auri occaſione gemmam acceptabilem tuæ manui affixiſti.

Sefridus.

Sed tedi obſecro ad Ottonem noſtrum, qui omnibus hominibus omnia factus, præcipue autem nobis mo- XLIIX.

Amor S. Othonis erga Monachos

nachis non ſolum Pater, ſed, vt verius dicam, mater fuit. Tiemo. Credo, inquam, nam & tu me ad viam reuocaſti. Senes noſtros, vt Patres, venerabatur; iuniores, vel pueros, vt filios diligebat, inter nos quaſi vnus ex nobis ambulabat: immemor quandoque potentiæ & magnitudinis perſonæ ſuæ Presbyteris ad

altare

Digitized by Google

altare miniſtrabat, modo ſtolam offerens, modo cingulum porrigens præparandis: Aquam etiam manibus illorum manu propria fundens, calicem præbens, & ad cætera miniſteria ſeſe plerunque de inopinato ingerens, miris modis omnium in ſe affectus excitabat; omnes nos facie & nomine notos habere volebat, ſingulorum cauſas vel ſtatum, defectus vel profectus noſtros diligenter inueſtigans, curaque de omnibus non modica ei fuit. Quid dicam de multimodis humanitatibus omnibus ac ſingulis nobis indeſinenter ab eo exhibitis? Etiam fratribus ad refectionem conſedentibus, cibos optimos ſuis ſumptibus præparatos, manibus propriis nobis intulit; ſuſcipientium manus caro affectu deoſculans; nonnunquam etiam, expleta ferculorum poſitione, conuiua nobis idem ac miniſter aſſedit, nobiſcum conueſcens obtentu propagandæ charitatis.

Seruiit aliquando Presbyteris rem diuinā faciētibus.

Miniſtrat menſæ.

LIB. II. I. POMERANIA Prouincia ex ipſa nominis etymologia qualitatem ſui ſitus indicare videtur. Nam pome lingua Sclauorum, iuxta ſonat, vel circa: meritz autem, mare. Inde Pomerania, quaſi Pomeritzania, id eſt, iuxta, vel circa mare ſita. Eſt autem terra hæc, ſi totam eius poſitionem tam in ſtagnis & refuſionibus marinis, quam in locis campeſtribus conſiderare velimus, quaſi figura triangula, quia tribus lateribus, quaſi tribus lineis per capita ſibi cohærentibus tres angulos habere deprehenditur: ita tamen, vt vnus angulus duobus reliquis ſit extenſior: qui etiam vſque ad Leutitiam, & prope Saxoniam verſus Aquilonem ad fluctus Oceani paulatim recuruatus demittitur. Itaque Pomerania poſt ſe in Oceano * Daciam habet & Rugiam inſulam, paruam ſed populoſam: ſuper ſe autem, id eſt, ad dexteram ſeptentrionis Flauiam habet, & Pruſſiam & Ruſſiam: Ante ſe verò, id eſt, verſus Aridam, parua extremitate ſe attingentes fines reſpicit Vngariæ & Morauiæ: dein Poloniam ſpacioſa contiguitate vſque ad confinia Leuſitiæ & Saxoniæ ſe habet attingendo extendentem. Gens iſta terra marique bellare perita, ſpoliis, & raptu viuere conſueta, naturali quadam feritate ſemper erat indomita, & à cultu & fide Chriſtiana penitus aliena. Terra verò ipſa piſcium & ferarum copioſam incolis præbet abundantiam, omnigenumque frumentorum ac leguminum ſiue ſeminum fertiliſſima eſt; nulla mellis feracior; nulla paſcuis & gramine fœcundior. Vinum autem nec habent nec quærunt, ſed melleis poculis ex ceruiſia accuratiſſime confecta vina ſuperant Falernica. Sed de his aliâs. Nunc autem eſt expediendum, quod multis admirationi eſt, quare videlicet hi homines tam procul ab Orientali Francia, & Babebergenſi Eccleſia, imo à toto Orbe pene diuiſi, non alium quemque de viciniorbus regnis vel Eccleſiis Baptiſtam, & prædicatorem, quam Babebergenſem Epiſcopum habere potuerint. Sed hic fructus ad incrementum beatitudinis eius à Deo illi donatus eſt. Tiemo, à Domino, inquit, factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Vnde, quo nam id ordine factum ſit, nos audire delectat. At ille; à re, inquit, paululum digrediendum eſt, vt concurrentium cauſarum, & euentus & ordinem poſſim digerere.

Sefridus. Lege præf. edit. Caniſ. in lib 2. Et hinc corrige menda.

Situs & forma Pomeraniæ.

* Daniam.

Quorum terminos tangat.

Quales olim Pomerani.

Fertilitas Pomeraniæ Vino caret.

Pſalm 117.

II. TEMPORE, quo Dominus meus Babebergenſem regebat Eccleſiam, Bolezlaus vir ſtrenuus & prudens, & ingenuæ atque auitæ nobilitatis decore illuſtris, ducatum Poloniæ adminiſtrabat: qui dum ſe gnauiter & prouide gereret, omnes terræ ſuæ terminos ſub prædeceſſoribus ſuis hoſtium violentia inuaſos & perturbatos, caſtra vrbeſque à ſua poteſtate alienatas manu robuſta recuperate præualuit. Cumque bellicos [a] actus ſuos felici exitu ſæpe proſperari videret, erga Deum quidem, à quo ſibi ſciebat præſtari victoriam, humilior, atque deuotior, erga hoſtes vero erectior atque animoſior factus, mutua vice terminos eorum ferro & igne attentare, prædaſque & manubias frequenter abſtrahere & perſonas captiuare ſolebat, quouſque aſſiduis cladibus ac terrore confracti, multis obſequiis, & donorum impenſis animum eius delinirent, datiſque & acceptis dextris, fœdera pacis firmiſſime pangerent, & pacta reciperent.

Sefridus. In edit Caniſiana inchoatur hic c. 1. l. 2. vbi, quæ Andreas Sefrido attribuit omnia reperies.

a Strenuitas Bolezlai, Ducis Poloniæ.

III. ERANT autem, cum quibus diuiſim, diuerſis temporibus, certamen habebat ex parte vna Poloniæ; * Bohemiæ, Morauiæ, Vngariæ: ex alia Rutheni, gens crudelis & aſpera, qui Flauorum, Pruſſorum & Pomeranorum freti auxilus, acrius, diutiuſque illi reſtiterunt, ſed fruſtra, quia tandem ſuperati ab eo & contriti, poſt multas clades, pacem ab eo poſtulare cum Rege ſuo decreuerunt. At ille, vt erat bellis ac laboribus ſemper infractus, non continuo de pace acquieſcere voluit, niſi prius aliqua memorabili honorificentia ſatisfactionem accepiſſet.

Sefridus.

* Bohemi, Morau, Vngari.

IV. REX vero, & omnes Principes Ruthenorum, ſine amicitia & pace Ducis non ſe quietos fore perpendentes, viam inueniendæ mutuæ pacis & gratiæ, illius prudentiæ ac fidei committendam præſumpſerunt. Ille verò hanc honeſtiſſimam ratus viam ſtatuendæ atque firmandæ pacis, filiam ipſius Regis petiuit & accepit vxorem; videlicet, vt hoc affinitatis commercio tam Principes ipſi, quam ſubditi, & terræ vtriuſque populi pacem ad inuicem haberent perpetuam, atque in neceſſitatibus & opportunitatibus ſuis mutuo ſibi contra hoſtes præſidio forent, atque auxilia portarent. Colebant ergo ſe mutuis beneficiis ſoceri & gener, magnificatuſque eſt Bolezlaus & confortatus, ac proſperatus vndique, nec vlla ei erat contradictio, vniuerſis poteſtatis ſuæ terminis hoſte nullo turbatis. Verum ea perfunctoria & breuis erat tranquillitas. Nam poſt annos paucos Ruthenisſa, vxor Bolezlai, moritur, vnum tantum ei filium relinquens: vnde, quaſi rupto vinculo, quo tota inter generum & ſocerum conſtabat amicitia, dudum conſopita bella paulatim recrudeſcunt. Bolezlaus igitur feritate gentis permotus cum ſuis conſilium habuit, quo nam modo rediuiua mala hæc propulſare potuiſſet. Habebat autem Petrum quendam militiæ Ductorem virum acris ingenij & fortem robore, de quo dubium, verum in armis, an in conſiliis maior fuerit: qui erat Præfectus à Duce ſuper viros bellatores. Hic adſcitus conſilio; Si ſuis tantum, inquit, Rutheni viribus dimicarent, illos à nobis conteri difficile non eſſet. Sed, habent Flauos, habent Pruſſos, habent etiam Pomeranos, gentem idololatram, inuiſam, ac nimis indomitam: quos omnes ſimul in arma prouocare, quam durum ſit, inexperti non ſumus, quamuis ante de his triumphos habuerimus. Quocirca meo animo conſilium incidit Ruthenos arte melius ſuperari. Et ne quis impoſſibile hoc æſtimet, ecce vadam ad illos, & incruentam nobis de Tyranno victoriam reportabo, Deo mihi præſtante ingenium. Sed quid multis? Placuit Duci & Principibus, experiri, ſi effectum habere verba Petri queant: aſſumptiſque viris quaſi triginta robuſtiſſimis, ficta neceſſitate, Petrus ad regem transfugit Ruthenorum, eumque arte ſermonis circumuentum, quod male de Duce ſentiret, æſtimare fecit. Et Rex, eo quod fidem haberet homini, quem etiam prudentem ſenſit, ad multa negocia ſua eius familiaritate vſus eſt, ſperans, quod tandem per eum de Polonia tota poſſet triumphare. At Petro aliud mentis erat. Nam cum die quadam fictus transfuga, ipſiuſque ſocij cum Rege in ſaltu nemorum venandi gratia vagarentur, Rex nihil mali ſuſpicatus, occaſione ferarum longius à mœnibus abſceſſerat, elongatiſque aliis, Petrus cum ſuis circa illum remanſerat. Qua fretus opportunitate, capto Rege, incruentam, vt pollicitus erat, de Ruthenis victoriam Domino ſuo Duci reportauit: mirumque dictu, effera gens illa, hoc facto ita edomita eſt, vt nunquam poſtea, viuente Duce, ne quidem de bello cogitaret. Nam pro ereptione ſui, Tyrannus, quidquid maiorum ſuorum ſtudio ac ſolertia in theſauris collectum habere poterat, dare coactus eſt: aurum

Boleſlaus connubio ſibi iungit filiam Regis Ruthenorum.

Moritur vxor Boleſlai.

Recrudeſcunt bella inter Polonos & Ruthenos.

Conſilium Petri Ducis

Mirificum ſtratagema Fictū transfugium.

Petrus capit Regem Ruthenorū

Digitized by Google

rum & argentum, & quæcunque precioſa in vaſis & veſtibus, & variis opum ſpeciebus; quadrigis & camelis in Poloniam apportantibus, ita vt Ruthenia tota inſolita paupertate contabeſceret. Deinde vbi fœdera manſuræ pacis iureiurando tam Rex quam optimates Ruthenorum ſolidauerant; etiam hoc polliceri fide firmiſſima rogati ſunt, ne Pomeranis vltra forent auxilio. Contra illos enim totis viribus Dux manum leuare cogitauit.

S. fridus. Dux Boleslaus contra Pomeranos arma mouet. Victoria Boleslai de Pomeranis relata. Edit. Caniſ. Badam ſed leg. Nactū. Vide Cromerū l. 5. Numerus cæſorū & captiuorū. Studium Boleslai in r odu en di in Pomeraniam Christianiſmum.

His omnibus ergo ipſis ad votum compoſitis, Pomeraniam inſultibus crebris concutere, vaſtare ac populari cœpit. Et quia paganiſmo tenebantur, Dux eos aut penitus elidere, aut ferro ad fidem Chriſtianiſmi conatus eſt impellere. At illi ſuis ſiſi viribus, eo quod ciuitates & caſtra, natura & arte firma in introitu terræ haberent, quam plurima, ſe inexpugnabiles fore, arbitrati ſunt, omnemque ſubſtantiam ſuam in Vrbibus collocantes, armorum præſidia præparare moliuntur. Sed quia Deo placuit aliquos ex eis conterere, vt cæteros ad fidem conuerteret, ingenium & vires contra eos Bolezlao miniſtrauit, ita vt multis & magnis cladibus eos frequenter afficeret. Nam & ciuitatem Stetinenſem, quæ ſtagno & aquis vndique cincta omni hoſti inacceſſibilis putabatur, quæ etiam totius Pomeraniæ Metropolis fuit, hyemali tempore ſtrictam per glaciem non ſine periculo exercitum ducens inopinata clade percuſſit. * Nactam quoque ciuitatem munitam & fortem valde fregit & ſuccendit, & omnem regionem eius igne & ferro vaſtauit, adeo vt ruinas & aduſtiones & aceruos cadauerum interfectorum incolæ nobis per diuerſa loca monſtrarent per annos tres, ac ſi de ſtrage recenti. Tam grauiſſime autem in illarum ciuitatum expugnatione ſubacti ſunt, vt quos neci & captiuitati Dux ſupereſſe paſſus eſt, cum ſuo Principe Chriſtianos ſe atque tributarios fore, quod iurare licuit, pro lucro ingenti ducerent. Ferunt autem, quod octo & decem millibus virorum pugnatorum neci traditis octo millia cum vxoribus, & paruulis ad terram ſuam captiuos abduxit, & in periculoſis Marchiarum locis in Vrbibus, & caſtris eos collocans, quo terræ ſuæ præſidio forent, & cum hoſtibus ſuis, gentibus ſcilicet externis, bella gererent, indixit, hoc addito, vt abdicatis idolis, Chriſtianæ ſe religioni per omnia conformarent. Sed cum reliquos de gente perfida, quos in terra propria tributarios dimiſerat, Dux, fidei Chriſtianæ apponere curaret, omnes Epiſcopos terræ ſuæ conueniens, nullum perſuadere potuit, vt illo ire, atque in tenebris & vmbra mortis ſedentibus lumen vitæ vellet oſtendere, ſingulis ſuas excuſationes prætendentibus, ſicque per triennium dilata eſt prædicatio, Duce ipſo ſatis ægre ferente dilationem. V.

Sefridus. * admonitio. Boleslaus S. Othonē in Pomeraniā inuitat. Litteræ Ducis Poloniæ ad S. Othonem. * apud.

Tandem inſtinctu * admonitionis diuino ad hoc opus Ottonem Babebergenſem Epiſcopum, cuius tunc famalate in regnis effloruit, eo quod & hunc in adoleſcentia eius Patri ſuo, Capellani more, obſequentem, notum & charum habuerit, inuitare decreuit, opportunum fore autumans cum tali viro & antiquas renouare amicitias, & tam ſancti operis gratiam illius iniungere ſanctitati. Mittens ergo legatos & munera ſcripſit ei literas ſecundum verba hæc: Domino ſuo & Patri amantiſſimo Ottoni Venerabili Epiſcopo, Bolezlaus Dux Polonorum filialis obſequij humilem deuotionem. Quia in diebus iuuentutis tuæ ad Patrem meum decentiſſima te honeſtare conuerſatum memini, & nune quoque Dominus tecum eſt firmans te, & benedicens tibi in omnibus viis tuis, ſi tuæ non diſplicet dignitati, veteres tecum renouare animo ſedit amicitias, tuoque conſilio ſimul & auxilio vti ad Dei gloriam promouendam, ipſius gratia coadiuuante. Noſti enim, vt arbitror, quomodo Pomeranorum cruda barbaries, non mea quidem, ſed Dei virtute humiliata, ſociari Eccleſiæ per baptiſmi lauacrum, ſeque admitti petiuit. Sed ecce per triennium laboro, quod nullum Epiſcoporum vel Sacerdotum idoneorum mihiue coaffinium ad hoc opus inducere queo. Vnde, quia tua ſanctitas ad omne opus bonum prompta & indefeſſa prædicatur, rogamus Pater amantiſſime, non te pigeat, noſtro comitante ſeruitio, pro Dei gloria, tuæque beatitudinis incremento, id laboris aſſumere. Sed & ego tuæ paternitatis deuotus famulus impenſas omnes, & ſocios itineris & linguæ interpretes, & coadiutores presbyteros, & quæcunque neceſſaria fuerint, præbebo: tu tantum venire dignare. VI.

S. Otho prouinciā oblatam cupidiſſime arripit. * Callisti. Vide Baron. Tom. 12. Anno 1121 qui putat conceſſā à Callisto veniā, Honorium confirmaſſe. S. Otho parat ſe ad iter Pomeranicum, & quo modo.

His auditis Epiſcopus quaſi de cælo vocem loquentis Dei accepiſſet, toto pectore abundantia lætitiæ repletus, gratias egit omnipotenti Deo, quod ad tale negocium ſuo vti dignaretur miniſterio. Habito igitur, chori & Cleri ſui conſilio, miſſis ad Apoſtolicam ſedem legatis, cum licentia & benedictione, atque obedientia venerandæ memoriæ Domini * Honorij Papæ huic gratiſſimæ ſarcinæ humerum deuote applicauit. Sed quia terrā Pomeranorum, fama ferente, opulentam audiuerat, & egenos atque mendicos penitus non habere, ſed vehementer aſpernari, & iam dudum quoſdam ſeruos Dei Prædicatores, egenos ac ſenſu tenues propter inopiam contempſiſſe, quaſi non pro ſalute hominum, ſed pro ſua neceſſitate leuanda, officio inſiſterent prædicandi, ſtudioſe procurauit, vt non ſolum illis non indigens, verum etiam opulentus appareret: non opes eorum ſibi, ſed ipſos potius velle Deo lucrari. Aſſumptis igitur Clericis idoneis, & eiſdem ad iter abunde procuratis, Miſſales, alioſque libros & calices cum indumentis ſacerdotalibus, & alia quæque altaris vtenſilia, quæ in gente pagana ſubito inueniri non poſſe ſciebat, prouida liberalitate ſecum fecit portari, ne ſine inſtrumentis agricola fidus in agrum Domini ſui exire videretur. Veſtes quoque & pannos precioſos, aliaque donaria nobilibus ac diuitibus apta, Euangeliſta ſimplex & prudens in viam portauit Euangelij, ne forte indigentiæ cauſa, paganis videretur euangelizare, ſed nouellæ plātationi ſua potius cōferre, quā illius appetere. Tiemo. Parum te hic ſubmoneo, non tibi ſit iniuria. Video equidē quibus cauſarū euentibus ad illam gentem tam longinquam Ottonem noſtrum ire contigerit. Sed qua illic iter egerit, & quo tempore in viam ierit, leuiaq; ſiue aſpera viæ dicere nō omittas, ne errare incipiam, ſi & ego eò ire velim. Sefridus. Vt vis, & in hoc ego obediā. VII.

Sefridus. Iter S. Othonis in Pomeraniā * Edit. Caniſ. Cladrim. S. Otho paſſim cum proceſſione excipitur.

Paratis omnibus, quæ profectioni erant neceſſaria, proxima die poſt feſtum B. Gregorij Martyris, ſalutato Clero & populo ſuo, tanquam hoc opere viam ſanctificaret, duas Eccleſias, vnam in Luckenperge, & aliam in Vohendreſe conſecrauit. Hinc, tranſito nemore Bohemico, per Abbatiam * Cladruuam ventum eſt Pragam; inde per Satiſcham in Albe fluminis ripa ſitam Eccleſiam, ad caſtrum Ducis Bohemici, quod Miletiam dicunt, vbi à Duce ipſo magnifice ſuſceptus & donis honoratus eſt. Inde per aliud eius caſtrum Burda nomine, vſque Nemeriam, Vrbem Ducis Polonorum, atque inde per tres Epiſcopatus Poloniæ, Bretzlauuenſem videlicet, & Caliſſenſem, atque Bozenamenſem, vſque ad Epiſcopatum Genezenſem cum gaudio & pace conducti ſumus, omnibus illis Eccleſiis vna ſalutationis fama Dominum meum ſuſcipientibus, feſtiuæ ſcilicet proceſſionis honore, gaudenteſque per loca ſingula vno eodemque exultationis cantu eius propoſito alludentes: Ciues Apoſtolorum & domeſtici Dei aduenerunt hodie, & cætera, quæ in illo Reſponſorio ſunt, deuote cecinerunt. VIII.

Sefridus. Dux Poloniæ cum proceribus obuiam it S. Othoni, nudis pedibus

Præterea Dux ipſe & omnes Optimates Poloniæ, quaſi ducentis paſſibus ab vrbe Gnezna nudis pedibus procedentes, cum magna ſuſceptum reuerentia, principalem vſque ad Eccleſiam conduxerunt. Dux ergo tali hoſpite lætiſſimus & glorioſus, per dies [a] ſeptem eius fruens præſentia, multa nobis exhibita humanitate, omnia etiam viæ neceſſaria ſolerti cura inſtitit præparare; deditque Domino meo de gente illa [b] tam Slauicæ, quam Teutonicæ linguæ gnaros Satellites ad diuerſa eius miniſteria, ne quid incommoditatis per linguæ ignorantiam in gente externa pateretur. Quid dicam? currus & quadrigas ordine longo, victualia, & omnes ſarcinas noſtras portantes, monetamque IX.

a Septē dies manet cum Duce. b Dux dat S. Othoni Miniſtros linguarum peritos.

Digitized by Google

que illius terræ liberalitate contulit ingenua, nulla nos ſuſtinens laborare inopia; ſed neq; propria expendere; ac ſi omne illius viæ meritum ſuis impenſis emere cogitaret. Tres etiam Sacerdotes Capellanos de latere ſuo Princeps Epiſcopo ſociauit Coadiutores Verbi, & Centurionem quendam nomine Paulitium, virum ſtrenuum & Catholicum, qui etiam naturali facundia idoneus eſſet concionari ad populum.

Dux S. Othonem & Comites rebus neceſſariis liberaliter inſtruit.

X. [a]TALITER à Duce Poloniæ dimiſſi per Vzdam Caſtrum in extremis Poloniç finibus tranſeuntes, nemus horrendum & vaſtum, quod Pomeraniam Poloniamq; diuidit, intrauimus; ſed viam in inuio quam difficile ſit tenere, etiam illic experiri potuimus. Nemus quippe hoc nulli ante mortalium peruium erat, niſi quod ſuperioribus annis, Dux, latrocinandi cauſa, priuſquam ſubegiſſet totam Pomeraniam, ſectis, ſignatiſq; arboribus, viam ſibi exercituiq; ſuo exciderat. Quæ ſigna tenentes, magna quidem difficultate, propter ſerpentum ferarumq; monſtra diuerſarum, nec non & gruum in ramis arborum nidos habentium, noſq; garritu & plauſu nimis infeſtantium importunitatem, ſimulq; propter loca paluſtria quadrigas & currus prępedientia, vix diebus ſex, emenſo nemore, ad ripā fluminis, qui limes Pomeranię eſt, conſedimus.

a Sefridus. Iter ex Polonia in Pomeraniam. Sylua inuia.

XI. DVX vero Pomeranorum, Wortislaus dictus, aduentus noſtri præſcius, cum quingentis viris occurrens ex alia parte aquæ, caſtra metatus eſt, moxque amne tranſmiſſo, cum paucis Epiſcopum ſalutat, atque ſalutatur ab illo. Et [b] quia Chriſtianus erat, occulte autem propter metum paganorum, corde magis quam ore locutus, in amplexu Pontificis diu pendens, alta deuotione ſuper viæ cauſa Dei clementiam collaudat. Epiſcopo autem & Duce cum Interprete & Paulitio ſeorſum in colloquio demorantibus, cæteri, qui cum Duce venerant, homines barbari, quia [c]Clericos aliquantum trepidare videbant, ficto eos terrore amplius vexabant, ita vt articulum paſſionis imminere metuentes, confeſſione, orationibus atque Pſalmodia Domino noſtrum commendaremus agonem. Tiemo, Modicæ fidei, inquit, quare dubitaſti? Sefridus. [d] Non, inquit, ſine cauſa. Primo illic paganos vidimus, & qua mente Dux aduenerit, nondum omnes ſciebamus, ſed & horror ſolitudinis & loca inſolita, & nuper euaſi nemoris nigra denſitas, & crepuſculum noctis propinquæ, & hominum barbarorum crudelis aſpectus, materia nobis non parui timoris erat. Nam & cultros acutiſſimos educentes, viuos nos excoriare, aut transfigere, aut humi nos defodere vſque ad verticem, coronaſque noſtras, eiſdem cultris punctare ac ſecare minati ſunt, & alia multa genera tormentorum, rictu, fremituque nos terrentes, nobis imminere dixerunt. Quæ omnia certe, ſi bene te noui, tuam quoque animoſitatem effregiſſent. Sed cito reſpirauimus, Duce ipſo nos placidæ benignæque conſolationis [*] eulogio releuante: quod que inani pauore pulſati fuimus tam nobis, quam illis ioco eſſe cœpit. Nam vbi nobis Ducem ipſum, alioſque milites, qui nos terruerant, Chriſtianos occultos eſſe compertum eſt, primo quidem paulatim animari; deinde, fiducialius agere, ipſoſque etiam adhortari ac docere præſumpſimus, quos ante vel intueri, metu perculſi, non potueramus. Ipſis ergo iam manſueſcentibus, & religioni Chriſtianæ magis magiſque deferentibus, repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione, dicebantque inter gentes, quorum Deus tetigerat corda, magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes: quia vobis venientibus ad nos, diſſoluet Dominus captiuitatē noſtram, ſicut ſoluitur glacies à ſole meridiano. Epiſcopus itaq; bene agendi ſemper auidus, bene ſe veniſſe ominatus, donariis Ducem honorans, baculum quoq; dedit eburneum, quo ille ſtatim vſus, ipſoque incumbens gratulabundus huc illucque deambulabat, conuerſuſque ad milites; qualem, ait, Patrem dedit nobis Deus, & qualia Patris dona, & hæc nunc quidem magis quam alio tempore gratioſa. Hinc ad caſtra diſceſſum eſt: factoque mane, Dux de viris, qui ſecum venerant, ductores & miniſtros reliquit Epiſcopo, mandans in tota Pomerania, per cuncta loca poſſeſſionis ſuæ, liberalia ei præberi hoſpitia. Nos vero tranſito fluuio terram Pomeranorum in nomine Domini intrauimus, & conductoribus noſtris viam demonſtrantibus, iter ad Caſtrum [*] Piriſſam direximus. Dux vero à nobis ad *ſua negotia diuellitur.*

Sefridus. Dux Pomeraniç obuiā procedit S. Othoni. b Dux Pomer. occultus Chriſtianus. c Pomerani Clericos timidos ſimulate terrent. Matth 14. d Quæ Clericis metū incuſſerint. * alloquio. Pſalm 12. 1 Reg. 10. ibid. eodem. Pſalm. Quā grata Duci acciderint. Ductores aſſignat. * Piritz.

XII. *IN ipſo* autem itinere viculos paucos bellica pridem vaſtatione dirutos ac raros incolas, qui nuper ſe poſt diſperſionem recollegerant, inuenimus: qui, de fide Chriſtiana conuenti, & an credere vellent, interrogati, humiliter pedibus *aduoluuntur* Epiſcopi, catechizari ſe atque baptizari poſtulantes. Hos ergo, quaſi primitias meſſis Dominicæ in aream Domini ſui meſſor deuotus cum gratiarum actione componens, baptizauit illic homines triginta, fidemque ſanctæ Trinitatis & decalogum legis in numero tacite conſiderans, opus Euangelii myſtice à ſe inchoatum gauiſus eſt.

Sefridus. Raritas incolarum poſt cladem bellicam. Primitiæ Chriſtianiſmi.

XIII. [e]INDE ad caſtrum Ducis Piriſſam vndecima hora diei propinquantes; ecce illic hominum ad quatuor millia ex omni prouincia confluxiſſe, vt eramus eminus, conſpeximus. Erat [f]enim neſcio quis feſtus dies paganorum; quem luſu, luxu cantuque gens veſana celebrans, vociferatione alta nos reddidit attonitos. Non igitur vtile vel cautum nobis viſum illa nocte in turbam populi lætitiaque feruentem nos inſolitos hoſpites aduenire, ſed manentes, vbi fuimus, noctem illam inſomnem duximus, nec ignem in caſtris habere auſi, nec verbis apertioribus ad inuicem loqui præſumentes. Mane vero Epiſcopus Paulitium, & nuncios Vratiſlai ad caſtrum mittit. At illi ſalutatis maioribus ex nomine Ducum, ab eis miſſum nunciant Epiſcopum, qui fidem & religionem Chriſtianam terræ illi debeat prædicare, atque ſub eorundem auctoritate, mandant & ſuadent, vt digne ac reuerenter ſuſceptum audiant; addentes, virum eſſe honorabilem, domi diuitem, & nunc quoque in aliena terra ſuis opibus ſufficientem; nihil illum petere, nullius egere, pro illorum ſalute aduenisse, non quæſtus gratia: Memores ſint fidei ac ſponſionis ſuæ, memores diuinæ vltionis & recētis exterminii, ne denuo iram Dei exaſperarent, orbem vniuerſum Chriſtianis legibus deditum, ſe ſolos vniuerſitati reſiſtere non poſſe. At illi diu cunctabundi, & diuerſas excuſationes molientes, indulgentiam temporis conſilio petunt, non oportere dicentes rem tam grandem ſubito aut inconſulte aggredi. Paulitius vero ac legati aſtu ea dici animaduertentes; Non, inquiunt, tempus eſt productioris conſilii, quod facturi eſtis, facite citius. Ecce, iuxta eſt: ſero ad vos intraturus erat Dominus Antiſtes: ſed quia ludo & iocis occupatos animaduertit, diſtulit intrare, in campo figens tentoria. Sed veſtræ hoc conuenit prudentiæ, vt non illum deſpectiua dilatione contriſtetis, ne forte & Domini Duces ſe doleant ſuper hoc iniuriatos. Et eſt, inquiunt, tam prope? Quibus, ita eſſe, reſpondentibus; & omnia, inquiunt, conſilia noſtra ruptum eunt. Quomodo ergo rerum conuenientia poſtulat, ſic faciamus ſponte & alacres, quod facturi ſumus. Nam & altiſſimus Deus ſua nos virtute circumuentos vndiq; trahere videtur. Declinare non poſſumus: ſequamur ergo trahentem ad vitam, ne reluctantes bonitati eius, præcipitemur in mortem. Dii noſtri, ſicut apparet, Dii non ſunt: contra eum nos iuuare non poſſunt. Melius ergo eſt, vt relictis deſertoribus, ad verum Deum: qui non deſerit ſperantes in ſe, ex toto tranſeamus. Verum vbi eam ſententiam tam bonam, tamq; ſalubrem diligenti retractatione probauerant, primo quidem apud ſe in conclaui, deinde vero cum Legatis & Paulitio ad plenum vigorem laxiori conſilio firmauerant, cum eiſdem ad populum egreſſi, qui, ſicut ad feſtum confluxerat, contra morem, indiſperſus Dei nutu, in loco manebat, nec in rus diſceſſerat, luculenti ſermonis dulcedine multo beneuolentiæ captu, eos de hoc Verbo allocuti ſunt. Sed quid multa? Mirum dictu, quam ſubito, quā facili conſenſu omnis illa multitudo populi, auditis Primatum verbis, in eandē ſeſe conuenientiam inclinauerit. Et quia dici audiunt, Epiſcopum in proximo eſſe, facto ingenti clamore, vt aduocetur, rogant; quo illum videre queant & audire, antequam ſoluto cœtu ſinguli in loca ſua diſcedant. Redeuntibus itaq; Paulitio & Legatis, abierunt quidam de Caſtellanis cum eis ad Epiſcopum; qui obnixa veneratione ad ſe illum inuitarent ſalutatum ex parte nobilium, plebiſq; vniuerſæ, quiq; fidem facerent, ſine omni periculo vel iniuriæ metu, eum aſcendere poſſe: quin etiam in omnibus ei obedituros ſe ex animo. Epiſcopus vero tam quieto ſucceſſu rebus ſe promouentibus, gratias agens Deo, ad caſtrum ſe leuabat: ſed ecce, vbi quadrigas, vehicula & ſagmarios noſtros victualia portantes, iumenta quoq; & populū, qui nobiſcum

e Sefridus. f Feſtum Ethnicum. Legatio ad incolas Piriſſæ. Cur Otho aduenerit. Quis, & quantus. Tergiuerſantur Piriſſenſes. Inſtant Legati. Piriſſenſes dāt manus. S. Othonē aduocant.

 veniebat,

Digitized by Google

Turbantur ob Epiſcopi numeroſum comitatum. Sed mox pacantur.

veniebat, eminus videre cœperunt, quaſi apparatum belli ſuſpicantes, modicum turbati ſunt. Re autem, ſicut erat, recte agnita, pauore abiecto, in modum torrentis, omnis populus in occurſum noſtrum effunditur ambiens & circundans, admirans & contemplans, & nos & omnia noſtra, vſque ad hoſpitii locum nos conducendo. Fuit autem ante introitum Caſtri area ſpatioſa, quam occupantes fiximus tentoria in eodem loco, ipſis Barbaris manſuete ac familiariter adiuuantibus, & in omnibus ſe nobis opportunos exhibentibus.

Sefridus. Oratio S. Othonis ad Piriſſenſes.

INTEREA vero Epiſcopus Pontificalibus indutus, monente Paulitio & primatibus, de loco editiori populum cu- XIV.
pientem ore alloquitur interpretis ita dicens; Benedictio Domini ſuper vos: Benedicti vos à Domino: Benedicimus & gratias vobis referimus in nomine Domini; quia, grata & iucunda, & benigna ſuſceptione nos refouiſtis. Et cauſa quidē aduentus noſtri ad vos quæ ſit, forte iam audiſtis, & iterum, ſi dignamini, audire debetis, & diligentius attendere. De via longa venimus: ſalus veſtra, beatitudo veſtra, gaudium veſtrum, tantæ nobis viæ cauſa fuit. Nam ſalui, læti, atque beati eritis æternaliter, ſi creatorem veſtrum agnoſcere, & illi ſoli ſeruire vultis. Hæc & his ſimilia, quæ inſerere ſtudio breuitatis omitto, populo rudi ſimpliciter euangelizante Pontifice, omnis illa multitudo quaſi vnus homo fidei ſanctæ concordantes illius doctrinæ ſe commiſerunt. At ille eum Clericis & Sacerdotibus ſeptem diebus eos catechizans, & de omnibus, quæ Chriſtianæ religioni conueniebant, diligentiſſime inſtruens, indicto trium dierum ieiunio, iuſſit, vt corpora ſua balneis mundarent, lotis albiſque indui veſtibus mundo corde & corpore mundoque habitu ad ſanctum baptiſma concurrerent.

Omnes Chriſtianā religionem amplecti volunt.

Sefridus. Modus, quē in conferēdo baptiſmate S. Otho ſeruabat.

INTERIM vero tribus exſtructis baptiſteriis, ita ordinauit, vt ipſe ſolos mares pueros in vno baptizaret, alii autem ſa- XV.
cerdotes, feminas ſeorſim, & viros ſeorſim. Tanta quoque diligentia, tanta munditia & honeſtate Pater optimus Sacramenti operationē fieri edocuit, vt nihil indecorum, nihil pudendum, nihil vnquā quod alicui gentilium minus placere poſſet, ibi ageretur. Namq; dolia grandia valde terræ altius immergi præcepit, ita vt ora doliorum vſq; ad genu hominis, vel minus de terra prominerent, quibus aqua impletis, facilis erat in eam deſcenſus. Cortinas circa dolia, fixis columellis funibuſque inductis, oppandi fecit, vt in modum coronæ velo vndique cuppa cingeretur, ante ſacerdotem vero & comminiſtros, qui ex vna parte adſtantes Sacramenti opus explere habebant, linteum fune traiecto pependit, quatenus verecundiæ vndiq; prouiſum foret, ne quid ineptiæ, aut turpidinis notaretur in Sacramento, ne honeſtiores perſonæ pudoris occaſione, ſe à baptiſmo ſubtraherent. Cum ergo ad ſtadium catechiſmi turbæ venirent, ſermone, qui talibus competerent, Epiſcopus eos omnes cōmuniter alloquens, ſexumq; à ſexu dextrorſum & ſiniſtrorſum ſtatuens, catechizatos oleo perunxit: deinde ad baptiſteria digredi mandat. Igitur ad introitum cortinæ venientes ſinguli tantum cum patrinis ſuis intrabant, ſtatimq; veſtem, qua fuit amictus is, qui baptizandus erat, & eteum, illo in aquam deſcendente, patrini ſuſcipiebant, & ante faciem ſuam illam tenentes exſpectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos vero, qui ad cuppam ſtabat, cum audiſſet potius, quam vidiſſet, quod aliquis eſſet in aqua, velo paululum amoto, trina immerſione capitis illius myſterii Sacramentum perfecit, vnctumq; liquore chriſmatis in vertice, & alba impoſita, reductoq; velo de aqua iuſſit exire baptizatum, patrinis veſte, quam tenebant, illum cooperientibus atque deducentibus. Hic modus, hæc ſpecies, hic ordo nobis fuit baptizandi viros & mulieres, & pueros adul os, qui à ſacerdotibus in aquam, leuari non poterant, tam in Piriſſa, quam in aliis vrbibus & caſtellis, vbicunq; populi copia nos moram facere coēgiſſet. Tiemo. Miror oppido, vnde tam diſciplinatam, & honeſtam baptizandi formam acceperit; & in hyeme, quæſo, quomodo ſuſtinebant? Sefridus, Neq; tunc, inquit, eius diligentia, quod tempori commodum eſſet, inuenire neglexit: nempe in ſtubis calefactis, & in aqua calida, eodem nitore, atque verecundiæ obſeruatione, infoſſis doliis: & cortinis adhibitis, thure quoque, & aliis odoriferis ſpeciebus cuncta reſpergentibus, veneranda Baptiſmi confecit Sacramenta. Nec mirum, te iſta mirari, Etenim qui ea vidimus, mirabamur & ipſi tam hæc, quam alia complura morum eius, & virtutum inſignia. Ipſe namque in omni actione ſua, quod & paganis laude dignum videbatur, quandam à Spiritu ſancto, (hoc enim potiſſimum credo) cuiuſdam ſingularis munditiæ, atque, vt ita dixerim, elegantis & vrbanæ diſciplinæ prærogatiuam habebat: ita vt nihil vnquam indecens, aut ineptum, inhoneſtumve quid in cibo, aut potu, ſermone, geſtu vel habitu admitteret: ſed omni officio exterioris hominis, quæ nam eſſet compoſitio interioris oſtendebat bonitate, diſciplina & prudentiæ cautela conſpicuus. Sed redeamus ad rem.

Catecheſis ante baptiſmum. Patrini in baptiſmo. Trina immerſio. Vnctio chriſmatis in vertice. Modus baptizandi in hyeme. Studium honeſtatis in S. Othone.

Sefridus. Quamdiu S. Otho māſerit Piriſſę. a De quibus neophytos inſtruxerit.

MANSIMVS autem in eodem loco quaſi diebus viginti, euangelizantes populo, & baptizantes eos in nomine Do- XVI.
mini, docentes ſeruare vnitatem fidei in vinculo pacis, inſtruentes de feſtiuitatibus & obſeruationibus[a] Chriſtianæ religionis, de ieiuniis quatuor temporum, de Quadrageſimali ieiunio, de Incarnatione, Natiuitate, Circumciſione, Apparitione, Præſentatione: Baptiſmate, Transfiguratione, Paſſione, Reſurrectione atq; Aſcenſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, de aduentu Spiritus ſancti, de Vigiliis & Natalitiis Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum, de die Dominico, de ſexta Feria, de diſtributione menſium, de inſtitutione totius anni ſecundum Chriſtianos, exſtructoq; altari; & ſanctuario (Totum enim corpus Baſilicæ tam ſubito fieri non potuit) altare ſanctificauit, & interim Miſſas illic celebrari fecit, dans eis ſacerdotem, libros & calicem, paraturam & omnia vtenſilia, quæ ad officium altaris pertinebant. Quæ omnia illi cum multo gaudio, alacritate & deuotiooe ſuſcipientes, & gratias agentes, omnes veteres & profanas ſuperſtitiones ſuas & gentiles obſeruantias, penitus abiiciebant, & exuti veterem hominem cum actibus ſuis in vitæ nouitate ambulare cœperunt & proficere. Erat [b] autem numerus conuerſorum ibi ad fidem, quaſi ſeptem millia. Videns autem Epiſcopus, quia meſſis multa, & quia etiam aliis ciuitatibus oportet eum euangelizare regnum Dei, cum inde proceſſurus eſſet vocata concione, hoc ſermone allocutus eſt Eccleſiam, nouellam plantationem ſuam.

b Numerus eorum, qui Piriſſæ ad Chriſtianā fidem acceſſerunt.

Sefridus. 2 Cor. 11. Sermo S. Othonis ad Piriſſenſes. 1 Cor. 7. Galat. 4. 1 Cor. 12. 2. Cor. 11. Galat. 2. Cohortatio ad conſtantiam in fide. Ioſ. 5. 1. Petr. 2.

FRATRES, æmulor vos Dei æmulatione. Vos enim omnes, qui in præſentiarum ad me audiendum conueniſtis, &, XVII.
me docente, Chriſto credidiſtis, & Chriſtiani facti eſtis, vna in Domino Eccleſia eſtis deſponſati per fidē Domino meo Ieſu Chriſto; vna, inquam, vos omnes Eccleſia eſtis, vna & vnica ſponſa Domini mei Ieſu Chriſti: quia, vniuerſali Eccleſię per fidem incorporati eſtis. Sed quia ego per eius gratiam huius veſtræ deſponſationis auctor eſſe videor, nam ego & vni viro deſpondi vos Virginem caſtam exhibere Chriſti: hinc eſt, quod æmulor vos, non tamen qualibet, ſed æmulatione Dei. nam & mala æmulatio eſſe poteſt, iuxta illud Apoſtoli; ſunt quidam, qui æmulantur vos non bene: æmulari autem eſt velle indignari; licet, pro imitari, nonnunquam poſitum inueniatur, vt eſt, æmulamini chariſmata meliora. Volo autem vobis indignari, & paratus vobis indignari, quod pridem dixi, æmulor vos: a ſine triſtitia & indignatione ferre non poſſum, nec potero, ſi, quod abſit, ad iniuriam Domini mei Ieſu, cui per fidem vos deſpondi, cum Diis alienis vos denuo contaminare volueritis. Hoc enim eſt fornicationis genus, quod maxime ſeparat à Deo. Fratres intendite; Ecce, omnes in Chriſto baptizati eſtis, & omnes Chriſtum induiſtis, originalium & actualium peccatorum indulgentiam accepiſtis ab ipſo, mundi eſtis & ſancti, non per nos, ſed per eum mundati & ſanctificati, quia ipſe in ſanguine ſuo lauit peccata mundi. Nolite ergo iterum inquinare vos cultura idolorum. Nam hæc eſt immunditia, qua omnino Deus offenditur, & penitus ſeparat à Deo: Nolite vos proſtituere corruptoribus, & immundis ſpiritibus: Soli Deo creatori veſtro, nulli autem creaturæ diuinum exhibere honorem: ne indignatio eius & furor veniat ſuper vos: Sed magis in fide, ſpe, & charitate proficite, vt benedictio eius veniat ſuper vos, & ſuper filios veſtros, & vt ei credentes, & fidem operibus exornantes, vitam habeatis in nomine ipſius, qui de tenebris vocauit vos in ad mirabile lumen ſuum. Certi enim eſſe & nullatenus dubitare debetis, quia ſi hanc, in qua hodie poſiti eſtis, innocentiam & ſanctificationem, ipſius adiutorio ſeruare vſ-

que in

que in finem vitæ veſtræ ſtudueritis, non ſolum mortem euadetis æternam, ſed etiam gaudium regni cœleſtis poſſidebitis in æternum. Sed quia vita præſens ſine peccatis duci non poteſt; lucta enim & tentatio eſt vita hominis ſuper terram, diſceſſurus à vobis, trado vobis, quæ tradita ſunt nobis à Domino, arram fidei ſanctæ inter vos & Deum, ſeptem videlicet Sacramenta Eccleſiæ, quaſi ſeptem ſignificatiua dona ſancti Spiritus, quibus vtendo in laboribus & certamine huius vitæ non deficere, ſed proficere veſtra poſſit Eccleſia, ſuoſq; defectus reficere. Videte ergo & tenete, & vt ſciatis, diligenter enumerate, quæ tradidimus vobis, diſcedentes à vobis. Primum ergo Sacramentum eſt, quo iam imbuti eſtis, ſacroſanctus baptiſmus. Hoc Sacramentum, fratres mei, abhinc & ſemper tenere, & venerari debetis, & paruulis veſtris opportuno tempore, ſcilicet in Sabbato ſanctæ Paſchæ ac Pentecoſtes, per manus Sacerdotum, tradere debetis, certiſſime ſcientes, quod quicunq; ſine illo de hac vita migrauerit, & regno Dei carebit, & inſuper maledicti originalis pœnas luet æternas. Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, id eſt, vnctio chriſmatis in fronte. Hoc Sacramentum victuris eſt neceſſarium, videlicet, vt Spiritus ſancti corroboratione muniantur, ſi armentur contra omnes tentationes, & nequitias vitæ præſentis pugnaturi. Non autem vſque in ſenectam differendum eſt, vt quidam putant, ſed in ipſius adoleſcentiæ feruore percipiendum, quia illa ætas magis obnoxia eſt tentationibus. Tertium Sacramentum eſt vnctio infirmorum, quod ideo morituris eſt neceſſarium; quia in illa vnctione per Virtutem Spiritus ſancti remiſſio datur peccatorum, & ipſe, qui moriturus eſt, contra ſpirituales nequitias, id eſt, contra malignos ſpiritus in exitu vitæ animabus inſidiantes eadem Spiritus ſancti virtute pugnaturus amatur. Hoc omni Chriſtiano in agone mortis ardentiſſime deſiderãdum & deuotiſſime percipiendum eſt, vtpote remedium animæ certiſſimum. Quartum Sacramentum eſt corpus & ſanguis Domini. Hoc Sacramentum victuris & morituris eſt neceſſarium, ſiue viuimus, ſiue morimur, hoc viatico ſemper eſt vtendum. Eſt enim cibus animæ verus, vitam in ſe habens æternam. Vnde frequenter miſſæ celebrandæ ſunt, & vos ad eaſdem deuote conuenire debetis, vt ſæpius huic viatico communicetis. Quod ſi non poteſtis, quia carnales eſtis, huic tam ſanctiſſimæ rei per vos ad omnes Miſſas participari, ſaltem per mediatorem veſtrum, ſcilicet Sacerdotem, qui pro vobis communicat fideliter, reuerenter & deuote Miſſas audiendo communicate. Oportet tamen & vos ipſos ter vel quater in anno, ſi amplius fieri non poteſt, & confeſſionem facere, atque ipſi Sacramento communicare. Quintum Sacramentum eſt, per Pœnitentiam reconciliatio lapſorum, id eſt, ipſorum qui poſt baptiſmum, propter grauiores culpas, ab Eccleſia proiecti, ſatisfactione pœnitentiæ iterum ei reformantur. Et hoc Sacramentum quaſi malagma & recuperatio eſt cadentium in pugna & vulneratorum. Sextum Sacramentum eſt coniugium, id eſt, copula matrimonialis. Quinque autem Sacramenta ſuperiora, quaſi generalia ſunt, & omni Chriſtiano neceſſaria. Iſtud autem, quaſi particulare eſt, quia, non omnibus neceſſarium eſt, ſed eis tantum, qui ſe continere non poſſunt. Et ſicut ad ſuperiora Sacramenta omnes homines trahendi ſunt & inuitandi: ita nullus ad hoc trahendus, vel inuitandus eſt, niſi qui, vt dictum eſt, ſe non continent, ſed vago & illicito concubitu ſeſe polluunt & commaculant. His enim ſuadendum eſt, vt infirmitati ſuæ honeſtiori ſubueniant remedio. Vos autem, qui vſque ad hæc tempora non Chriſtiani, ſed pagani fuiſtis, Sacramentum coniugii non habuiſtis: quia fidem vni toro non ſeruaſtis, ſed qui voluiſtis, plures habuiſtis vxores, quod deinceps vobis non licebit: ſed vnus vir vnam tantam habere debet vxorem, & vna vnum: quod amplius eſt, à malo eſt. Si quis ergo in vobis eſt, qui plures habuerat vxores ante baptiſmum, nunc vnam de illis, quæ ſibi magis placet, eligat, dimiſſiſque aliis, hanc ſolam habeat, ritu Chriſtiano. Et partus, inquit, fœmineos, audio, quia vos, ô mulieres, necare conſueuiſtis: quod, quantum abominationis habeat, exprimi ſermone non poteſt. Videte, ſi hoc vel bruta animalia faciant fœtibus ſuis. Parricidium hoc non fiat modo in vobis, quia, ſine grauiſſima pœnitentia dimitti nõ poteſt, ſiue igitur ſit maſculus, ſiue fœmina, diligenter nutrite partus veſtros. Dei enim eſt & marem procreare, & fœminam. Septimum itaque Sacramentum eſt Ordinatio ſiue conſecratio Clericorum; quod & ipſum particulare eſt, & non generale, quia, non omni homini neceſſarium: quamuis enim omnes homines indigeant Clericis, non tamen eſt neceſſarium, omnes homines fieri Clericos. Ad ipſum tamen Sacramentum, qui moribus & ſcientia magis idonei ſunt, inuitandi ſunt potius, quam trahendi. Vnde, adhortor vos & inuito, quia cogere non debeo, vt de liberis veſtris ad Clericatum tradatis liberalibus ſtudiis prius diligenter inſtructos, vt ipſi per vos, ſicut aliæ gentes de lingua veſtra Latinitatis conſcios poſſitis habere Clericos & Sacerdotes. Iſta igitur ſeptem Sacramenta, quæ iterum veſtræ cauſa enumerare libet, id eſt, Baptiſmum, Confirmationem, Infirmorum vnctionem, Euchariſtiam, Lapſorum reconciliationem, Coniugium & Ordines per nos humiles ſuos paranymphos cæleſtis ſponſus in arrham veræ dilectionis vobis Eccleſiæ ac ſponſæ ſuæ tranſmittere dignatus eſt. Quapropter omni honore ac reuerentia eadem Sacramenta ſeruate, diligite, & veneramini; docete ea filios veſtros, vt memoriter teneãt, & diligenter obſeruent in omnes generationes. Ecce habetis Eccleſiam, habetis ſacerdotem, de his omnibus, & quæcunque ſunt neceſſaria vobis abundantius vos inſtruere ſcientem. Ipſum ergo, ſicut me audietis, honorantes & amantes eum, & quæcunque vobis dixerit, facientes. Et nunc ego vado, iterum cito reuerſurus ad vos: Valete in Domino.

Iob 7. — Septem Sacramenta. — Baptiſmus. — Confirmatio. — Extrema vnctio. — Euchariſtia. — Pœnitentia. — Matrimonium. — Ordo.

XIIX. Forte videor alicui nimis plenarie hiſtoriam exſequi & longior eſſe, quam in tali narratione oporteat. Quid ſentis? Tiemo. Perge, quæſo, ſicut cœpiſti; dilecto[...] quidem Ottonis, quidquid de illo eſt, quoniam bonum eſt, ſuperfluum aut longum videri non poteſt. Sefridus, Ibo, inquit, vt vultis. Poſtquam confirmata & inſtructa eſt Eccleſia in Piriſſa, vbertime lachrymati, populoque primitiuo noſtro charo affectu valefacientes, legatis nos deducentibus, ad ciuitatem Ducis Caminam deuenimus. Erat autem illic Duciſſa, vxor videlicet Ducis legitima; & licet inter paganos, [a] Chriſtianæ tamen religionis, memor de noſtro aduentu, lætiſſima efficitur, & cum omni domo ſua tanto nos deuotiſſime ſuſcepit, quanto & hoc marito placere, ſuæque & illius ſaluti profuturum non dubitauit. Nobis etenim Piriſſæ demorantibus, omnia quæ illic gerebantur, immiſſis clam exploratoribus, diligenter edidicit, magnoque tripudio cordis, de illuminatione illius plebis exultans, ipſa quoq; ſuæ fidei ſcintillam, quaſi ſub mortuis cineribus eatenus conſopitam, inter ſuos familiares modeſte primo, deinde [...] apud omnes, quos potuit, ventilare cœpit. Et quia ſcriptum eſt; de ſcintilla conſurgit ignis; totam illam ciuitatem ante noſtrum introitum tantus ardor fidei ſanctæ, operante Domino, per matronam, innaſcerat, vt non ſolum nihil contradictionis, verum etiam totius populi conſenſum de ſuſcipiendo baptiſmo inuenerimus in multa gaudii plenitudine.

Sefridus. — Camenum vocat Crom. lib. 6. — [a] Duciſſa Pomeraniæ, S. Othonem maxima charitate excipit. — Eccleſ. 11.

XIX. Quadraginta ergo ferme diebus in eodem loco manentes, tam ipſe Pontifex, quam alii eius cooperatores ſacerdotes & Clerici; id penè ſolum operis habuimus; ſuſcipere venientes ad fidem, docere, catechizare, prædicare & baptizare: videbamurque in tam copioſa meſſe pauci meſſores. Nam & ipſius loci atque circumiacentis prouinciæ populus cateruatim accedebat quotidie ac recedebat, quibus omnibus dum ſatisfieri oporteret, immenſo labore, maxime, [b] qui fuit in baptizando, Epiſcopum noſtrum, licet ſolos mares pueros tingeret, ſæpe numero ſudantem aſpeximus, adeo profecto, vt alba eius ab humeris vſque ad vmbilicum ante & retro ſudore manaret. Sæpe etiam ipſius miniſterii nimietate, breui [c] ſeſſione vires recuperans, modicumq; ſedendo reſpirans, quaſi animoſus operator & ſtrenuus denuo ſe ſubleuabat in idem opus ſibi dulciſſimum, gratias agens omnipotenti Deo, quod ipſius præſtante clementia, tot manipulos in eius horrea cum ſudore ac laſſitudine ſua congereret.

Sefridus. — Quandiu S. Otho Caminẽ cũ ſuis manſerit. — [b] Concurſus ad baptiſmum. — [c] Aſſiduus labor S. Othonis.

XX. Cum ea Caminæ gerebantur, atque de ſucceſſu rerum & nos & populus ciuitatis cum ipſa matrona nobiliſſima & Chriſtianiſſima ſpirituali gaudio frueremur, ecce cum ſuo comitatu Dux terræ Vuratislaus, non modicum lætitiæ ſalutaris augmentum, ſuperuenit, nihilque moratus, quaſi filiali fiducia in amplexus ruens Epiſcopi; ſalue, inquit, Pater ſanctiſſime.

Sefridus. — Dux Pomeraniæ Caminã venit.

Excuſatio Ducis apud S. Othonē

ctiſſime. Deinde; non quæſo, ait, iraſcaris, quod poſt illam primam & momentaneam ſalutationem tam diu fui te non videns: ſed cauſa fuēre inexcuſabiles Reipublicæ adminiſtrationes. Nunc autem, ecce adſum, parere ac ſeruire tuę paternitati, prout vis. Etenim nos ipſi, & omnia noſtra, tui ſumus: vtere ſicut vis. Et hæc dicens, conuerſus ad Clericos, & ad alios quouſq; meliores de comitibus noſtris: Et hos, inquit, Pater tuos collaboratores tua licentia ſalutabo, apprendenſq; manus ſingulorum tenebat & benedicebat illis atq; deoſculabatur, eos filios & fratres appellans chariſſimos; benedixitq; Deum omniū bonorum largitorem, quod hoſpites tam gratiſſimos ſua domo ſuſcipere meruiſſet. Quia vero deinceps de ciuitate ad ciuitatem eundum fuit, omnes equos & iumēta noſtra, villicos ſuos ad optima loca terræ, paſtus gratia, deducere iuſſit; nec ante nobis reddebantur, quam etiam conſummatis omnibus, de terra fuimus iam exituri, quos certe ita accepimus alteratos, vt præ craſſitudine vix cuiq; ſuus noſceretur. Milites ergo, qui cum Duce venerant, catechizati ſtatim & baptizati ſunt, multique ex eis, qui prius Chriſtiani fuerant, ſed ex conſortio incredulorum, metas Chriſtianitatis exceſſerant, ex quorum numero Ducem etiam ipſum fuiſſe conſtat, per confeſſionem & pœnitentiā Eccleſiæ reformati ſunt, promittētes ſe deinceps omnia, quæ Chriſtiano inimica ſunt nomini, reſpuere, & ea, quæ ſunt apta, ſectari.

Humanitas Ducis & reuerentia erga comites S. Othonis.

Milites Ducis Catechiſmo inſtituti.

Sefridus

Mos Chriſtianorum iurandi tactis ſanctorum Reliquiis

b Dux & alii polygamiæ valedicunt.

c Eccleſia Caminæ exſtructa.

XXI. Dux etiam; ſcio, inquit, Chriſtianæ ſocietati eſſe contrarium plures vxores vel concubinas habere, ſimulque tactis Sanctorum reliquiis, ſicut Chriſtianis iurare mos eſt, coram Epiſcopo, populo aſpiciente, viginti quatuor concubinas, quas, ritu gentili, ſuæ legitimæ vxori ſuperduxerat, publice abiurauit. Quod [b] videntes alii complures eiuſdem enormitatis præſumptores, abiurata & ipſi coniugum pluralitate, vni toro, exemplo Ducis, fidem ſe ſeruaturos polliciti ſunt. Creuit ergo Eccleſia in loco illo, & confortata eſt, ambulans in timore Dei, & Spiritu ſancto replebatur, Epiſcopo & Clericis inſtantibus & euangelizantibus regnum Dei Exſtructa quoq; illic [c] Baſilica, & ſanctificato altari & ſanctuario, collatiſque illuc per Ducem prædiis ac dote in ſuſtentationem ſacerdotis, pater liberaliſſimus, ſicut omnibus Eccleſiis in terra illa faciebat, libros contulit & indumenta ſacerdotalia, calicem quoque argenteum cum cæteris vtenſilibus, deque ſuis ſacerdotibus vnum, qui populum inſtruere poſſet, eidem præfecit Eccleſiæ.

Potentia apud Pomeranos equorum numero æſtimabatur.

Nobilis cuiuſdam matronæ contumeliæ in Deum & S. Othonem.

c Diem Dominicam à ſuis obſeruari vetat.

d Prima ad opus manū mittit.

e Diuinitus punitur.

XXII. Cvm omnia hæc rite peracta eſſent, & non ſolum de ciuitate, verum etiam de rure populus ad Eccleſiam omni die conueniret, & diem Dominicum aliaſque ſolennitates deuote obſeruarent, vidua quædam in rure non longe à ciuitate Caminenſi diues ac nobilis valde, Chriſtiana religione contempta, patrios Deos ſe colere, nullaque occaſione vanitatis nouæ, à parentum ſuorum veteri traditione declinare ſe velle dicebat. Erat autem multam habens familiam, & non paruæ auctoritatis matrona, ſtrenue regens domum ſuam, & quod in illa terra magnum videbatur, maritus eius, dum viueret, in vſum ſatellitii ſui, triginta equos cum adſcenſoribus ſuis habere conſueuerat. Fortitudo enim & potentia nobiliū & capitaneorum ſecūdum copiam vel numerum æſtimari ſolet caballorum. Fortis, inquiunt, & potens eſt ac diues ille, tot vel tot poteſt habere caballos; ſicque audito numero caballorum, numerus militum intelligitur. Nullus enim militum, præter vnum caballum, illic habere conſueuit. Sunt enim magni & fortes equi terræ illius: & vnuſquiſque militum ſine ſcutifero militat; manticam per ſe geſtans & clypeum agiliter ſatis & ſtrenue ſic militiæ ſuæ officium exequens. Soli autem Principes vel Capitanei, vno tantum, vel ſi multum eſt, duobus clientibus contenti ſunt. Factum eſt ergo in vna Dominica die, tempore meſſis, populo vndique ad Eccleſiam properante, [c] præfata matrona nec ipſa veniebat, nec ſuos permittebat, ſed magis turbulenta; Ita, inquit, metite mihi agros meos hoc enim melius eſt, quam vacare illi neſcio cui nouo Deo, quem de terra ſua nobis affert ille Otto Babebergenſis Epiſcopus. Quid nobis cum illo? Videtiſne quanta bona, & quantas diuitias nobis dederint dii noſtri? ipſorumq; largitate opibus & gloria, & omnibus rebus abundantes ſumus; quare ab eorum cultura diſcedere non leuis iniuria eſt. Ite igitur, ſicut dixi, ad metendas ſegetes noſtras: &, vt minus timeatis, parate mihi vehiculum. Ecce ego vobiſcum ipſa in campos meſſura deſcendam. Cumq; [d] in agrum veniſſet; quod me, inquit, facere videritis, omnes ſimiliter faciatis: moxq; rebrachiatis manicis, ſuccinctaq; veſte, falcē dextra corripuit, ſtantes vero calamos ſiniſtra tenēs, ſecare niſa eſt. Sed mirum dictu: ſubito [e] in actu ipſo, vt erat inclinis, miſera diriguit, & quaſi marmoris effigies, nec ſemetipſam erigere, nec falcē è manu dimittere potuit, nec ſegetem, ſed muta & nihil loquens ſimilis ſimulachro ſtabat: tantum intuens intuentes ſe. Videntes autem famuli, timuerunt valde & cōcurrentes circumſtabant eam aſpicientes & operientes, ſi nam melius eſſet habitura. Rogant etiam vt à temeritate ſua reſipiſcat, dicentes; fortem eſſe Deum Chriſtianorum. Sed illa nihil reſpondebat. Iniectis ergo manibus violenter illam trahentes, erigere conati ſunt, & falcem ſegetemq; de manibus extorquere, ſed minime potuerunt. Stabat enim quaſi moles immobilis terræ affixa: at vbi ſatis miraculi ac ſtuporis hoc habitu infœlix illa intuentibus oſtenderat, ipſique famuli dolore ac tædio affecti iam abire, illamq; dimittere vellent, ſoluta illa, repente corruit, ſontemq; animam in ignem Tartareum efflauit: quam leuantes in vehiculum: En, inquiunt, qualem de agro manipulum die Dominico reportamus. Quod factū vbi, perferente fama, paſſim vulgatum eſt; (nam famuli ſtatim ad Eccleſiam currentes, baptiſmum poſtulant, ſtupidi, quę viderant, referentes) & credentibus quidem fides aucta eſt ex miraculo; non credentes autem, & ſi qui adhuc blaſphemi remanſerūt, ad credendū, ex pœna mulctatæ mulieris, eruditi ſunt: Dies autē Dominicus & aliæ ſolennitates reuerentius obſeruari cœperunt, nos quoq; ipſos, & omnem doctrinam noſtram, præcipue autem Epiſcopum, amplius reueriti ſunt.

Profect' ex miraculo.

S. Otho Iulinam proficiſcitur.

Trepidant ductores.

Immunitas in palatio Ducis.

Iulinenſiū in S. Othonem & comites impetus.

Febris Sefridi.

Furor populi

* Stuba, vox Germanica.

XXIII. Expletis autem illic ferme quinquaginta diebus, acceptis à Duce legatis & conductoribus, de ipſo loco ciuibus, Domizlao videlicet & filio eius, viris honoratis, per lacus ac refuſiones marinas Iulinam vecti ſumus nauigio. Eſt autem ciuitas hęc magna & fortis, homineſque illius loci crudeles erant & barbari. Cum autem propinquaſſemus ciuitati, conductores noſtri hærere, pauere, atq; inter ſe muſſitare cœperunt; quod intelligens Epiſcopus: quid eſt, inquit, quod ad inuicem confertis? At illi; Timemus, inquiunt, Pater, tibi ac tuis. Populus iſte durus ſemper ac indomitus fuit. Si ergo placet tibi, applicemus, & moram in litore vſq; ad crepuſculum noctis faciamus, ne forte, ciuitatem manifeſto ingrediendo tumultum populi ſuper nos ſuſcitemus. In ſingulis autem ciuitatibus Dux palatium habebat & curtim cum ædibus, ad quam ſi quis confugiſſet, lex talis erat, vt quolibet hoſte perſequente, ſecurus ibi conſiſteret & illæſus. Dixerunt ergo; ſi per noctem ad Ducis tecta intramus, freti ſecuritate, paulatim ciues conueniendo, negotiumq; noſtrum illis pedetētim inſinuando, melius fortaſſe proficiemus. Placuit conſilium: & cum dies abſceſſiſſet tecti vmbra noctis, curtim & mœnia Ducis inuaſimus, illis ignorantibus. In craſtinum vero vbi nos viderunt, & quinam eſſemus & vnde, & quare venerimus, maligni homines ſcrutati ſunt: primo quidem moueri, ac ſenſim turbari, currere ac diſcurrere, videre nos iterumq; videre, & alii aliis nuntiare. Poſtremo vero inſano furore correpti, magno tumultu ſecuribus & gladiis, aliiſq; telis armati, ſine vlla reuerentia in ipſam Ducis curtem irrūmpentes, mortem nobis ſine vlla retractatione, niſi quantocius de Curti & de ipſa ciuitate fugeremus, comminabantur. Erat autem in ipſa Curti ædificium quoddam fortiſſimum, trabibus & tabulis ingentibus compactum, quod ſtubam, vel pyrale vocant, in quod ſcrinia & clitellas Capellam Epiſcopi, & pecuniam, & quæq; precioſa de naui portaueramus, quin & propter impetum furentis populi cum Epiſcopo Clerici omnes illuc confugerant. Ego autem eo tempore magna febri tenebar in alia domo iacens & ægrotans; vltra vires tamen, audito ſtrepitu & clamore bacchantium, de ſtrato erectus, ad oſtium domus conſtiti: & ecce, omnia plena hominum tela & arma portantium, Vociferabantur autem & clamabant, exite nos compellentes. Sed moram nobis facientibus, quaſi à furore illi eſſent ceſſaturi; magis eorum exarſit inſania, factoque impetu; * ſtubam aggrediuntur & diſſipant; tectoq; primum, dein parietibus, diſiectis & exciſis. Tunc vero Epiſcopus ad coronam Paſſionis ſe inuitari ſperans, nobis aliis trepidantibus, quibuſdam etiam præ pauore lachrymantibus, ille ſpiritu iucundo & hilari vultu ſtabat intrepidus optans & gliſcens,

Digitized by Google

gliſcens, vt vel vnum ictum aut vulnus in nomine Ieſu accipere dignus habeatur. Paulitius vero & Legati, videntes, quia vere inſaniunt omnes, & quia illic moram facere deterius eſt, in medium populi exilientes, validiſſimo clamore, ac ſi & ipſi furerent, extẽtis manibus ſilentium fieri poſtulabant, quibus ad modicum ſedatis, illi continuo proſecuti, quid hoc eſt, inquiunt? & cauſam totam in ſemetipſos transferentes; ſi nos, aiunt, hic in Curia Domini noſtri Ducis pacifice conſiſtere non ſinitis, ſaltem pacifice hinc exire permittite, quid furtiis in nos? quem læſimus ex vobis? At illi; Paſtorem, inquiunt, illum Epiſcopum & cæteros cum eo Chriſtianos, Deos noſtros blaſphemantes, interficere venimus: ſed ſi eos ſeruare vultis, ecce damus locum, cito eos extra ciuitatem deducite, plateæ autem ciuitatis paluſtres erant & lutoſæ & pontes exſtructi, & tabulæ vndiq; poſitæ propter lutum. Arripiens ergo Paulitius per manum trahere cœpit Epiſcopum, & deducere, adhortans modeſte, vt, ſi poſſet, properantius iret. Vt autem per mediam Vrbem nos omnes non imperturbatis paſſibus extra curtim vſq; ad pontes deuenimus; ecce quidam de turba vir barbarus & fortis, librata quam geſtabat, ingenti phalanga, vaſto ictu caput ferire niſus eſt, tranſeuntis Epiſcopi: ſed ille auertens caput, humero ictum ſuſcepit, eodemq; geminante, cominus, & alio eminus in eum iaciente contum, inter manus Paulitii & Hiltani ſacerdotis ducentiũ illum à ponte in lutum proſternitur Otto noſter. Paulitius vero & animo & corpore ibi ſe virum exhibens, iacentem Epiſcopum, nec propter imminentia tela deſeruit, ſed proprii corporis obiectu crebras percuſſiones excipiens, inque cœnum à ponte inguine tenus deſcendens, ſubleuabat de luto proſtratum: ſimiliter & alii Sacerdotes Clerici, dum protegunt illum, & iacenti manus porrigunt, fuſtibus & contis iuxta ſuum Pontificem in nomine Ieſu vapulauerunt. Tãdem multo diſcrimine ponte arrepto, rurſum ire & abire cœpimus extra ciuitatem, illiq; à prudentioribus ciuitatis ſedati ceſſauerunt à nobis, abeuntes ergo trans lacum, diſiecto ponte à tergo noſtro, ne iterum impetũ ſuper nos facerent, in campo inter areas & loca horreorum decumbendo reſpirauimus, videntes & dinumerantes ſocios, & quia nullus deſuit, Deum benedicentes. Tiemo. Hîc primum, hîc audio quoddam veri Apoſtolatus indicium, plagas videlicet & liuores, ſicut ſcriptum eſt: Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Sed dic, obſecro, mi Apoſtole, num in aliquo particeps fuiſti huius Apoſtolicę benedictionis? Sefridus: Me miſerum, infirmitate mea conſpecta, talibus bonis me indignum ipſi iudicauêre pagani. Puduit tamen, vt verum fatear, aliis de ſuis portionibus poſtea ſatis iucunde glorantibus, me nihil ibi accepiſſe. Tiemo, Conſolare, inquit; ſi quid minus, circa te in illo capitulo actum eſt, in noſtro poterit impleri. Sed perge ad cætera, & qualiter in tam dura terra Euangelii radix tandem conualuerit, explicato.

Legatorum ad furentem populum oratio. Reſponſio Iulinenſium.

Virtus Paulitii.

Actor. 5.

XXIV POSTQVAM nos reſpirauimus, & illi deſierant; Otto beatiſſimus, Proh dolor, inquit, bona ſpe caſſati ſumus, palma in manibus erat: vos eam (Deus vobis ignoſcat filii & fratres) extorſiſtis de manibus noſtris. Vix omnes ictus illi vnius paſſioni ſufficerent. Sed, dum omnes ad coronã proſiluiſtis, nec vnum peruenire dimiſiſtis. Cui Paulitius, Satis, inquit, Domine, nobis viſus es accepiſſe. Parum, inquit ille; quia voto minus. Tua quoq; auaritia meã ex parte magna ſurripuit benedictionem. Hoc autem dixit de ictibus, quos ille intercepit. Conſtat tamen Epiſcopum tribus plagis vapulaſſe. Manſimus ergo per dies quindecim trans ſtagnum quod cingebat ciuitatem, exſpectantes, ſi forte meliori animo fierent. Interea vero & noſtri ad illos ſæpe ibant & redibãt. Similiter autem & eorũ primates veniebant ad nos excuſare ſe, ſtultis hominibus & vilioribus de plebe culpam illius tumultus imponentes. Habuit ergo[f] cum eis verbũ de fide Chriſtianiſmi, quaſi per ambages, hortans eos, & ſuadens. Præferebat etiã nomen & potentiã Ducis Poloniæ, & quomodo ad illius iniuriam ſpectet illata *nobis* contumelia: quidue mali contra eos inde oriri queat: niſi forte illorũ intercedat cõuerſio, inſinuauit. *At illi conſilium* ſe accepturos dicebant, regreſſiq; ad ſuos, omnia hæc tractabant diligenter, & retractabant, tandemq; *in vnius* ſententiæ formam conſenſerunt, videlicet ſuper hoc verbo ſe facturos, quidquid facerent Stetinenſes. Hanc enim *ciuitatem* antiquiſſimam & nobiliſſimam dicebant in terra Pomeranorum, matremq; ciuitatum: & ſatis iniuſtum fore, ſi aliquam nouæ religionis obſeruantiam admitterent, quæ illius auctoritate prius roborata non fuiſſet.

Sefridus.

Proceres Iulinenſes S. Othonẽ & Comites ſæpe adeũt.

f S. Othonis Colloquiũ cum eiſdem.

XXV. QVIBVS auditis, Epiſcopus Stetinam, nihil cunctatus adire feſtinat, & quendam de Iulinenſium ciuibus, Nedametum nomine, vt viam nobis monſtraret, aſſumpſit. Hic autem familiaritate noſtra bene vtens, cum filio ſuo, quaſi alter Nicodemus occulte nos frequentabat, & quæ dicebantur, libenter audiebat. Alii quoque nonnulli de ipſa ciuitate occulte Chriſtum colebant tam viri, quam mulieres. Illi etiam frequentabant nos, dum ibi moras faceremus, deque ſuis rebus nobis humanitatem honeſte impendentes, ſpirituali conſolatione ab Epiſcopo recreati ſunt, optantes, vt, Stetina recipiente verbum Dei, Iulina quoque recipere ex ratione pacti conueniatur: quo ipſis, quid de Chriſto ſentiant, publicare licitum fiat. Igitur Nedamero duce & filio eius, Stetinam nauigauimus. Sed illi Stetinenſes offendere veriti, ſi nos adduxiſſe viderentur, priuſquam ab eis videri poſſent, nobis valefacientes, in locum ſuum reuerſi ſunt. Nos vero per crepuſculum noctis applicantes ciuitati, egreſſi nauis Curtim Ducis intrauimus. Mane facto, Paulitius & Legati primates adeunt, ex parte Ducum ſe cum Epiſcopo miſſos referunt, cauſam viæ proponunt Euangelium, dant conſilium, promittunt & terrent. At illi inquiunt, nihil nobis & vobis, patrias leges non dimittemus: contenti ſumus religione, quam habemus. Apud Chriſtianos, aiunt, fures ſunt, latrones ſunt, truncantur pedibus, priuantur oculis, & omnia genera ſcelerũ & pœnarum Chriſtianus exercet in Chriſtianum: abſit à nobis religio talis. Hæc & his ſimilia proteſtantes, obturauerũt aures ſuas, ne audirent Verbum. Omnibus igitur obſtinatis per duos menſes, & plus ibi morantes, nihil profecimus. Dũ ergo tam & longa & inutilis mora nobis turbationi eſſet, conſilium incidit, legatos mittere ad Ducem Poloniæ, ſciſcitaturi, quid de nobis iuberet, vtrum manere illic, an redire, & de contradictione ciuitatum, quid ei videretur? Quod[g] conſilium, vbi ciuibus compertum fuit, timebant quidem, tamen rogabant, vt mitterentur Legati, ſuos cum illis hac ratione profecturos dicentes, vt, ſi apud Ducẽ perpetuæ pacis ſtabilitatem obtinere, tributumq; alleuiare queant, his ibi coram ſuis & noſtris legatis ex ſcripto firmatis, Chriſtianis ſe legibus ſponte inclinarent. Abeuntibus[h] ergo cum Paulitio noſtris & eorum legatis, nos interim bis in hebdomada, in diebus ſcilicet mercatus, per medium fori, populo ex omni prouincia conueniente, ſacerdotalibus induti, Crucem[i] portauimus, & de fide atque agnitione Dei populum incredulum opportune & importune alloquendo, iugulum neci quodammodo quotidie optauimus: Sed, Deo protegente nos, læſi nõ ſumus. Plebs[k] autem, quæ de rure fuit, & ſimplicitate ſua, & rerum nouitate capta negotiis ſuis poſtpoſitis, prædicationem libentiſſime accepit, quamuis credere non auderet. Et quia certis diebus crux portabatur, & ſermones fiebant, magis propter verbum, quam propter forum ruricolæ confluebãt. Ego[l] in illis diebus crucem cum Simone in angaria portaui. Nam vellem nollem, per medios barbaros, per forum & turbam incredulorum, opprobrium crucis animo & corpore tener agonotheta, coram Epiſcopo portare videbar. Deus autem pius & miſericors ſciens timiditatem meam, & pauorem meum, lædi me non ſinebat.

Sefridus. Lib. 2. c. 15. e[illegible] Caniſ. Nedamerus ciuis Iulinenſis.

S. Otho Stetinã venit [illegible] ad [illegible] Ducis. Quid Stetinenſes [illegible] gatis reſpõderint. Bimeſtri ſpatio nihil efficit S. Otho

g Decernitur legatio ad Ducem Poloniæ.

h Biſin foro cõcionan[t] quauis hebdomade

i Prædicatoribus Crux prælata

k Plebs ruſtica auide audit concionantes. l Sefridus Crucem Epiſcopo prætulit.

XXVI QVOTIDIE, dum hæc geruntur, fidei retia laxantibus, & nihil nobis capientibus, & multum ſuper hoc tædentibus; tandem benignus Dominus, ſedulitatem boni ſerui ſui Ottonis, laborem quoque & mœſtitiam miſerando reſpexit. Nam duo pulcherrimi adoleſcentes, filii cuiuſdam nobilis de ciuitate, domum noſtram frequentare, ac familiares ſe præbere, paulatimque de Deo noſtro, & de fide quærere cœperunt. Epiſcopus autem ſentiens, quia in bono veniunt, futurorum bonorum ex his captando præſagium, blandis mulcet alloquiis, atq; de munditia & honeſtate Chriſtianiſmi, de immortalitate animarum, de reſurrectione corporum, de ſpe & gloria æternæ vitæ adoleſcentibus, per ſingulos dies euangelizauit. Quæ omnia, flante Spiritu ſancto, pueri altius ſuis imbibêre pectoribus: neque diu cunctati, credere ſe

Sefridus. Initiũ conuerſionis fit à duobus adoleſcentulis.

 velle,

S. Otho pueros catechizat, Baptizãtur.

velle, atque baptiſmum percipere dixerunt. Epiſcopus ergo lætiſſimus, pueros ſtatim catechizat, ac de omnibus, quæ Chriſtianæ religioni competebant, diligenter inſtructos; iuſſit, vt loti, & lotis induti cum ceteris ſuis, & albis ſeſe præberent baptizandos. Illi, vt moniti erant, ſilenter exequentes omnia, die ſtatuto, parentibus inſciis, loti & purificati, nouiſque ac mundis veſtibus induti cum albis & ceteris percepturi ſanctum baptiſma ſe manibus Epiſcopi obtulerunt. Videns humano in corpore vultus Angelicos, videns expulſa dæmoniaci ſqualoris inertia, in vultibus iuuenum Chriſtum nouum hominem gratioſo iam coruſcare aſpectu, Pontifex ipſe, omneſque alii Sacerdotes & Clerici gauiſi ſunt & admirati ſuper gratia, quam videre in pueris. Sed quid moror? Baptizati ſunt, & propter octauam Purificationis octo dies apud nos commorantes, in domos parentum non ſunt reuerſi.

Sefridus. Mater puerorum gaudio exultat ob baptizatos filios. m Mater confert ſe ad Epiſcopum. Gratias agit Deo ob cõuerſionem filiorum. Oratio matris ad Epiſcopum.

MATER vero illorum puerorum (nam pater domo aberat) vbi, quæ geſta ſunt, audiuit; pueris nondum exalbatis, XXVII.
vltra quam dici queat, gaudio perfuſa, cuidam de pueris ſuis: Vade, inquit, nuntia Domino meo Epiſcopo, quia ipſum & filios meos videre venio. Erat enim matrona magnæ honeſtatis & potentiæ in ciuitate illa. Epiſcopus [m] ergo audiens illam aduenire, de ſub tecto exiens in graminis ceſpite ſub diuo conſedit, ſuoſq; regeneratos adhuc albis politos, circumſedentibus Clericis, ad pedes ſuos collocauit. Sed vbi matrem eminus aduenientem conſpiciunt, modeſte conſurgentes, & Epiſcopo prius inclinantes, quod aduertere pulchrum fuit, quaſi petita licentia, obuiam ei vadunt. Quos illa intuens albatos, magnitudine gaudii quaſi amens & ſtupida, ſoluta in lachrymas, ſubito in terram corruit. Accurrit Epiſcopus, accurrunt Clerici, leuant, tenent, conſolantur: putabant enim, quod nimietate doloris defeciſſet. At illa recuperato flatu: Benedico te, inquit, Domine Ieſu Chriſte, totius ſpei & conſolationis auctor, quod ad filios meos tuis Sacramentis imbutos, tuæq; fidei veritate aſpicio illuſtratos. Scis enim Domine Ieſu Chriſte, quod hos, (tenenſq; oſculata eſt pueros, & amplexata) in ſecreto pectoris mei tuæ miſerationi iam per multos annos commendare non ceſſaui, petens, vt hoc eis fratres, quod feciſti. Deinde ad Epiſcopum; Benedictus, inquit, introitus tuus in hanc ciuitatem, Domine & Pater reuerendiſſime. Multum enim populum tua perſeuerantia Domino hîc habet acquirere. Non te dilatio fatiget. En ego ipſa, quæ coram te adſto, Dei omnipotentis adiutorio, & tui, Pater animata præſentia, ſed & pignorum meorum freta ſubſidio, Chriſtianam me confiteor, quod hactenus non audebam. Sicut enim proteſtata eſt, in diebus adoleſcentiæ ſuæ de terra Chriſtianorum per rapinã ablata fuit: & cum eſſet ingenua & ſpecioſa, gentili homini marito ſuo, diuiti ac præpotenti viro, copulata eſt, & eoſdem filios ex illo ſuſcepit. Epiſcopus ergo ſuper his omnibus Deum benedicens, confitenti & confidenti matronæ Verbo confortationis fidem auxit & fiduciam, ſuæque liberalitatis non immemor, griſeæ pelliculæ chlamydem precioſam ei dedit, & eadem petente, atque cum fiducia iam euangelizante, omnes eius domeſticos aqua tinxit regenerationis, deinde omnes conuicinos eius & familiares, viros ac feminas cum paruulis ſuis eadem fidei ſocietas paulatim inuouit. Pueros quoque ipſos, poſt expletos octo dies, in die depoſitionis albarum, duabus camiſiis de ſubtili panno veſtiuit, & eaſdem camiſias auriphrygio in ora capicii, & ſutura humerali atque brachiali ornari eis fecit, duoſque cingulos aureos, tradens & calceamenta picturata, Verboque doctrinæ ac Sacramento Euchariſtiæ eos communiens cum gaudio in domum matris remiſit. Tiemo. Miris modis aurum ſuum & donaria Otto noſter expendit. Vt enim ſalui eſſent homines & precio conduxit, & verbo inſtruxit, rudeſque alumnos & ſpiritualibus documentis informabat, & corporalibus beneficiis conciliabat. Sefridus. Optime animaduertiſti. Sed quanto fœnore donaria ſua in theſauros Domini ſui aliquoties congeſſerit, ex his poteris conicere.

Munera matri à S. Othone oblata.

Quomodo S. Otho poſt octauã diem paruulos abs ſe dimiſerit.

Sefridus.

Puerorum ad coæuos & ſodales ſuos oratio de pietate & liberalitate S. Othonis.

PRÆFATI etenim pueri cum ad ſuos adoleſcentes peruenissent, & quomodo ab Epiſcopo habiti & inſtructi eſſent, XXIIX.
& quanta apud illum eſſet diſciplina & honeſtas, quanta pietas & manſuetudo, ruminare cœperunt: mox etiam quantæ munificentiæ & liberalitatis circa omnes exuterit, prædicare obliti non ſunt. Atque in argumentum rei; Cernite, inquit, his indumentis poſt omnia beneficia ſua nos induit, his aureis cingulis honorauit, pecunia ſua captiuos redemit ſuos: impenſis eoſdem veſtit, cibo reficit, & liberos abire dimittit. Quid vnquam ſimile viſum, auditumue in terra Pomeranorũ? quid ſimile Pontifices & Sacerdotes noſtri faciunt? hunc certe aliquem viſibilem Deum inter homines aduenisse, ipſa gratuita redemptio captiuorum in cippis & compedibus putrefactorum, multos ciues noſtros fecerat autumare. Sed ille hoc negans, non Deum ſe, ſed Dei altiſſimi ſeruum pro noſtra ſalute ad nos directũ dici & credi optat; & animæ immortalitatem, & corporum reſurrectionem, & ęternę vitę gloriam, doctrinam dicit eſſe Chriſtianorum, quare non credatur ei? Hæc & his ſimilia pagana iuuentus à iuuenibus audiens, aſpirante gratia Dei, tracta eſt & attracta per eoſdem in eundem fidei feruorem: reuerſique ad Epiſcopum pueri fide recenter imbuti, more columbarum alias trahentium, gregem non modicum adduxêre coæuorum, Euangelii rudimenta ſuſcipere cupientium. Quid multa? catechizantur, baptizantur. Et à pueris, & à iuuenibus cana Patrum prudentia ſe paſſa eſt erudiri: flãmaq; fidei paulatim progrediente, concaluit ciuitas vniuerſa: neque iam occulte, vel pauci, ſed publice & multi ſimul quotidie veniebant ad fidem. Interea præfatæ coniux matronæ, & pater primitiuorum in via domo abſens, vbi audiuit, quod vxor & filii, totaq; domus eius, proiecto paganiſmo, ritu viueret Chriſtiano, mori voluit præ dolore. Sed vxor prouida, cognatos eius & amicos, qui malagma ei conſolationis apponerent, obuiam direxit ægroto. Ipſa vero domi, pro illius conuerſione preces Domino, & vota nõ irrita, offerre non ceſſauit. Itaque reuerſus ille, cum non ſolum domeſticos ſuos, verum etiam alios vicinos, & conciues ſuos veterem hominem exutos, in nouitate vitæ conſpiceret ambulantes, ad conformandum ſe illis, Deo viſitante cor illius, facile inclinatus eſt.

Pueri baptizati alios ad baptiſmum adducunt.

Quid puerorũ pater?

Ipſe etiã ad fidem conuertitur.

Sefridus: *Hæc vox hoc loco in bonã partem accipitur.

CVM ea geruntur in ciuitate, Paulitius & legati tam illorum, quam noſtri à Duce Poloniæ veniunt, pacti mandata XXIX.
& ſcripta *Tyranni ſecundum hæc verba reportantes. Bolezlaus omnipotentis Dei fauente clementia Dux Polonorum & hoſtis omnium paganorum, genti Pomeranicæ, & populo Stetinenſi promiſſæ fidei Sacramenta ſeruanti, pacem firmam & longas amicitias, nõ ſeruanti vero, cædem & incendia, & æternas inimicitias. Si occaſiones quærerem aduerſum vos, iuſta eſſe poterat indignatio mea, quod quaſi fidei veſtræ tranſgreſſores, vos retrorſum abire conſpicio: & quia Dominum & Patrem meum Ottonem Epiſcopum, omni honore ac reuerentia digniſſimum, vita & fama in omni populo & gente præclarum, veſtræ ſaluti à Deo vero & noſtro miniſterio deſtinatum, ſicut oportuit, non ſuſcepiſtis, neque hactenus ſecundum Dei timorem illius doctrinæ obediſtis, omnia hæc veſtræ valebant accuſationi: ſed interpellauêre pro vobis *Reſponſales & mei & veſtri, honorati viri & prudentes, pręcipue autem ipſe Pontifex apud vos manens, Euangeliſta veſter & Apoſtolus. Horum ergo conſilio ac petitioni acquieſcere dignum iudicans, ſeruitutis ac tributi pondus, vt iugum Chriſti eo alacriores ſuſcipiatis, hoc modo releuare decreui. Tota terra Pomeranorum Duci Poloniæ, quicunq; ſit ille, trecentas tantum argenti marcas publici ponderis annis ſingulis perſoluent. Si bellum ingruet ei, hoc modo eum iuuabunt. Nouem Patresfamilias decimum in expeditionem armis & impenſis abunde procurabunt. Iſta ſeruantes & fidei Chriſtianæ conſentientes noſtram pacem protectione manus, & æternæ vitæ gaudium cõſequemini, & in omnibus opportunitatibus veſtris præſidia ſemper & auxilia Polonenſium, tanquam ſocii & amici, experiemini. Igitur habita cõcione, vbi coram populo & principibus Verba hæc recitata ſunt, multo quam dum apud *Nactam armis ſubacti eſſent, lætiores facti, ſacramenta deuote ſuſcipientes, remota omni controuerſia, Euangelicis traditionibus ſe ſubmiſerunt. Epiſcopus vero, arrepto tempore, pulpitum conſcendens: nunc, ait, ad noſtri ſermonis officiũ ventum eſt: & incipiens; gaudete, inquit, in Domino ſemper, iterũ dico gaudete, modeſtia veſtra, fides & cõuerſatio veſtra nota ſit omnibus, nota ſit omni mundo. Nam totus mundus pro veſtra doluit infidelitate. Totus n. mundus, fratres chariſſimi, vſq; ad hunc terræ angulum, lumen veritatis agnoſcit, & vos in tenebris manere voluiſtis? Pudeat & pœniteat vos, creatorem veſtrũ hactenus non

* Legati.

Pacta Boleslai cum Pomeranis.

* *Naclã ſeu Naclum.*

Concio Epiſcopi ad Stetinẽſes. *Philip.* 4.

hus non agnouiſſe. Nunc ergo tanto deuotius, quanto ſerius ad ipſum conuertimini; currite, feſtinate, vt eos, qui vos in fide præceſſerunt, conſequamini: hoc agere ſoliciti, vt, qui de veſtra cæcitate pie doluerunt, de veſtra illuminatione poſſint in Chriſto gloriari. Et primo ipſis deceptoribus Diis veſtris, ſurdis & mutis ſculptilibus, & immundis ſpiritibus, qui in iis ſunt, ſigno crucis armati, quantocius renuntiate, fana diruite, ſimulachra conterite, vt hoſtibus eius eiectis, à vobis Dominus Deus noſter, Deus viuus & verus, in medio veſtri habitare dignetur. Niſi enim omnes alios abiiciatis, ipſum habere propitium non poteſtis. Fugit enim, & indignum ſibi reputat aliorum conſortium Deorum: & nulla communicatio eius cum idolis. Sed ſcio, quia nondum ſatis confiditis; ſcio, quod timetis dæmones inhabitatores fanorũ ac ſculptilium veſtrorum, & idcirco nõ audetis ea comminuere, ſed pace veſtra ſit, vt ego ipſe cũ fratribus meis Sacerdotibus & Clericis ſimulachra & cõtinas illas aggrediar, & ſi nos Crucis ſanctæ ſignaculo præmunitos, illæſos permanere videritis, eodẽ crucis muniti trophæo, vos omnes nobiſcum inſecuti & aſcia exciſis ianuis & parietibus deiicite illas & incendite.

Monet S. Otho Stetinenſes, vt idolis valedicant.

XXX Qvod cum audiſſent, & annuiſſent, Epiſcopus & Sacerdotes, celebrata miſſa & accepta cõmunione armati ſecuribus & harpis continas aggrediuntur, & fana comminuentes & excidentes, omnia ſcandentes tecta & conuellentes. Stabant autẽ ciues aſpicientes quid dii facerent miſerrimi? Vtrumnam tecta ſua defenderent, nec ne. At vbi deſtructoribus nihil mali euenire vident; ſi, inquiunt, aliquid diuinę virtutis haberent, iſti, quorum ſacra & tẽpla conuelluntur, vtiq; defenderent ſe. Si autẽ ſe defendere, aut ſibi prodeſſe non valent, quomodo nos defendere, vel nobis prodeſſe poterunt? Et hæc dicentes, facto impetu, diruunt & cõminuunt omnia, ipſamq; lignorũ materiã inter ſe diripientes ad domos ſuas in vſum foci coquendis panibus & cibis comportabant, & quia plus rapienti, plus habere fas erat, omnes illæ continæ numero quatuor, mira celeritate confractæ ſunt, ac direptæ. Tiemo. Quare illa tẽpla vocabant Continas? Sefridus. Sclauica lingua in pleriſq; vocibus Latinitatem attingit, & ideo puto ab eo, quod eſt continere, Continas eſſe vocatas.

Sefridus. Deſtruuntur Templa Idololatrica.

XXXI Erant autem in ciuitate Stetinenſi Continæ quatuor, ſed vna ex his, quæ principalis erat mirabili cultu & artificio constructa fuit interius & exterius ſculpturas habens de parietibus prominentes, imagines hominum, & volucrum, & beſtiarum tam proprie ſuis habitudinibus expreſſas, vt ſpirare putares ac viuere, quodque rarum dixerim, colores imaginum extrinſecarum nulla tempeſtate niuium, vel imbrium fuſcari vel dilui poterant, id agente induſtria pictorum. In hanc ædem, ex priſca Patrum cõſuetudine, captas opes & arma hoſtium, & quidquid ex præda nauali, vel etiam terreſtri pugna quæſitum erat, ſub lege decimationis congerebant, crateres [n] etiam aureos vel argenteos, in quibus augurari, epulari & potare nobiles ſolebant, ac potentes in diebus ſolennitatum, quaſi de ſanctuario proferendos ibi collocauerant. Cornua [o] etiam grandia taurorum agreſtium deaurata & gemmis intexta potibus apta, & cornua cantibus apta, mucrones & cultros, multamque ſupellectilem precioſam raram viſu, pulchram in ornatum & honorem Deorum ſuorum ibi conſeruabant, quæ omnia Epiſcopo [p] & Sacerdotibus, vbi fanum dirutum fuerat, danda cenſebant. Sed ille; [q] Abſit à me, inquit, vt à vobis ditemur, nam talia, & his meliora domi nobis abundant. Vos ea potius, quorum ſunt, in veſtros vſus, cum Dei benedictione diſtribuite, & aqua benedicta omnia conſpergens, & crucis benedictione ſuper ea facta, iuſſit, vt inter ſe illa diuiderent. Erat autem ibi ſimulachrum triceps, quod in vno corpore tria capita habens, [*] Triglaus vocabatur: quod ſolum accipiens ipſa capitella ſibi cohærentia, corpore comminuto, ſecum inde quaſi pro trophæo aſportauit, & poſtea Romam pro argumento conuerſionis illorum tranſmiſit, ſcilicet ad videndum, [r] Domino Apoſtolico, & Vniuerſali Eccleſiæ, quid ipſe illius obedientiarius vellendo & plantando, ædificando & deſtruendo apud illam gentẽ profeciſſet. Tres [ſ] vero aliæ Continæ, minus venerationis habebant, minuſq; ornatæ fuerant. Sedilia tantũ intus in circuitu extructa erant & menſæ: quia ibi conciliabula & conuentus ſuos habere ſoliti erant. Nam, ſiue potare, ſiue ludere, ſiue ſeria ſua tractare vellent, in eaſdẽ ędes certis diebus conueniebant & horis. Erat pręterea ibi quercus [t] ingens & frondoſa, & fons ſubter eam amœniſſimus, quã plebs ſimplex numinis alicuius inhabitatione ſacrã æſtimans, magna veneratione colebat. Hanc etiam Epiſcopus cum poſt deſtructas Continas incidere vellet, rogatus eſt à populo, ne faceret. Promittebant enim nunquam ſe vlterius ſub nomine religionis nec arborem illam culturos, nec locum: ſed ſolius vmbræ atque amœnitatis gratia, quia hoc peccatum non ſit, ſaluare illam potius, quam ſaluari ab illa ſe velle, qua ſuſcepta promiſſione, Acquieſco, inquit, Epiſcopus, de arbore: ſed illud viuum numen ſordium veſtrarum de medio tolli oportet, quia nec augurium, nec ſortilegium exercere Chriſtianis licet.

[ſ] De tribus aliis contin ſeu fanis [t] Quercus pro numine culta.

Sefridus. Ornatus præcipui fani. Præda omnis in hoc delubro repoſita. [n] Crateres augurales. [o] Cornua deaurata. [p] Totus Theſaurus fani euerſi, offertur Epiſcopo. Renuit accipere. [*] Triglas, Triglaff Pomerano. idolum triceps. [r] S. Otho idolum Triglaff Romã miſit.

XXXII. Habebant enim caballum miræ magnitudinis & pinguẽ nigri coloris & acrem valde. Iſte toto anno vacabat, tantæq; fuit ſanctitatis, vt nullũ dignaretur ſeſſorẽ: habuitq; vnum de quatuor ſacerdotibus templorum, cuſtodẽ diligentiſſimum. Quando ergo itinere terreſtri contra hoſtes, aut prædatum ire cogitabant, euentum rei hoc modo per illũ ſolebant prædicere. Haſtæ nouẽ diſponebantur humi, ſpatio vnius cubiti ab inuicem diſiunctæ. Strato ergo caballo atque frænato, ſacerdos, ad quẽ illius pertinebat cuſtodia, ranũ ſigno per iacentes haſtas in tranſuerſum ducebat ter atq; reducebat. Quod ſi pedibus inoffenſis, haſtiſq; indiſturbatis equus tranſibat, ſignũ habuêre proſperitatis, & ſecuri pergebãt. Hoc ergo genus ſortium, aliaſq; ligneas calculationes, in quibus naualis pugnæ vel prædę conſiderabant auguria, quãuis multũ renitentibus aliquibus, tandẽ Dei auxilio penitus abraſit, ipſumq; profani vaticinii caballum, ne ſimplicibus eſſet offenſionis laqueus, in aliam terram vendi præcepit, aſſerens hunc magis quadrigis, quam prophetiis idoneum. Cumq; omnes ſuperſtitiones & enormitates ſuas, Epiſcopo docẽte, abieciſſent, monuit, [u] vt omnes Chriſtianos fratres ſuos reputantes nec venderent, nec interficerent, neq; captiuando torquerent, nec terminos eorum turbarent; ſed fraterne ac ſocialiter ſe cum omnibus gererent; eadẽq; ab illis mutuo ſperarent; &, quod omni immanitate crudelius erat, fœmineos partus enecare, nec vltra fieret, mulieres collaudare monebat. Nam vſq; ad hæc tẽpora, ſi plures filias aliqua genuiſſet, vt cæteris facilius prouiderent, aliquas [x] ex iis iugulabant, pro nihilo ducentes parricidium.

Sefridus. Mirabilis ratio explorandi euentum belli. Equ' ſuperſtitionis miniſter venditur. [u] Salubria monita Stetinenſibus data [x] Barbara immanitas.

XXXIII. Emvndata igitur ciuitate ab immanitate ſcelerum & ſpurcitiarum: abdicata etiam coniugum pluralitate, adiuuantibus & coëuangelizantibus illis, qui ante vniuerſalem populi conſenſum, fidem quaſi priuatim acceperant, fiunt catechiſmi per vicos, & capita platearum; tuba inſonat Euangelii; Cruces [y] eriguntur; crucifixus adoratur; omnis ætas, omnis lingua Chriſtum nominat, Chriſtum ruminat, verbaq; fidei aut diſcunt omnes, aut docent. In tam [z] ingenti autem ciuitate, quæ nongentos patresfamilias abſq; paruulis & mulieribus & reliqua multitudine numeratos habebat, non eſt inuenta perſona, quæ poſt generalẽ conſenſum, ab Euangelii veritate ſe ſubtrahere niteretur, niſi ſolus ille ſacerdos, qui præfati caballi habebat curam. Hic autem cum multis importunitatibus fatigaret Epiſcopum, & bono ſemini zizania ſuperiaceret, die quadam, cum multa prece ab omnibus rogatus, & ab Epiſcopo multis rationibus ſuperatus, ex obſtinatione nullo modo vellet acquieſcere veritati; [a] nocte ipſa diuina vltione percuſſus, tumore ventris ac dolore crepuit & mortuus eſt. Quod factum vniuerſæ ciuitati magnum incuſſit terrorem; omneſque Chriſtum laudantes fortem Deum, ſuæq; legis æmulatorem vocitabant.

Sefridus. Catechiſmus per compita. [y] Cruces eriguntur. [z] Omnes Stetinenſes ad fidem tranſeunt, vnico ſacrificulo excepto. [a] Qui tamen paulo poſt meritas pœnas dedit.

XXXIV. Miror quod tantæ pietatis homo neq; hunc ſacerdotem, neq; viduam illam, quam etiam ſuperius à Deo percuſſam meminiſti, vt conuerti poſſent, à morte ſuſcitauit. Nam de quibuſdam Sanctorum legitur, perſecutores ſuos homineſq; impios, conuerſionis gratia, reuocaſſe ad vitam. Sefridus, Iudicia Dei abyſſus multa. Et illi quidem, quia prædeſtinati erant ad vitam æternam, idcirco huic vitæ redditi ſunt, vt conuerti poſſent & ſaluari: iſti autem, quia prædeſtinati non erant, nec ſuſcitati ſunt, nec ſaluati; ſed propter blaſphemiam in Deum adeo iuſte damnati ſunt, & condemnatione iſtorum alii docti ſunt atque correpti. Tiemo. Vt video, quia blaſphemia Spiritus ſancti irremiſſibilis eſt, idcirco tanquã blaſphemos à vita eos irreuocabiliter ſentis eſſe defunctos: ſic enim Phariſæis blaſphemãtibus à Domino dictũ recolo:

Tiemo. Hoc caput deeſt in edit. Caniſ. Dubitatio. Pſalm 35. Reſponſio.

Matth 12. Omnis qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctũ, non remittetur ei neq; hîc neq; in futuro ſeculo. Timide quidem & caute de diuinis iudiciis diſputandum eſt. Sed quia fides Catholica de incredulis omnibus generalẽ ante me fixit ſententiam, eiuſdem orbitã non excedere, iuſtum puto. Videntur enim hi, de quibus ſermo eſt, blaſphemi contra Spiritum ſanctũ ſenſiſſe, quod eſt, verbũ corde firmare: nam hoc proprie dici poteſt blaſphemia; & idcirco non eſſe ad vitam reparatos. Sicut n. ſaluandi his adſcenſionis ad vitam nituntur gradibus, fide ſcilicet, ſpe & charitate; nam profecto fide incipimus, ſpe proficimus, charitate conſummamur, ita è diuerſo, hi qui pereunt, per oppoſitum iter deſcenſionis tendere videntur ad interitum. Initium n. perditionis perfidia eis eſt, prouectus perditionis, quãuis inſolite dicatur, quia melius defectus vocatur, deſperatio. Conſummatio autẽ perditionis blaſphemia aliquibus videtur, ſicut enim charitas, quę conſummat hominẽ, ſemper diligit & gratias agit: ita eius contrarium quod blaſphemiã dicunt, negligit, id eſt, nequaquã diligit, ſed bonis & donis Dei ſemper ingrata eſt, quod eſt iniuria Spiritus ſancti. Vnde hi aliis contribulibus & conciuibus ſuis cum gratiarũ actione Verbũ ſalutis recipientibus, & fide incipientibus, ſpe proficiẽtibus, vt ad arcẽ perfectionis, quæ charitas eſt, quandoq; pertingerent, proh dolor, in perfidia ſua remanentes in deſperationis barathrum, atq; in blaſphemiæ abyſſum corruerunt. Sefridus. Negare nõ audeo, ſed argute ſatis blaſphemiã charitati dicis contrariã. Equidẽ ſi recte perfidiã fidei dicimus cõtrariam, & deſperationẽ ſpei, quid magis contrarium ſit charitati, quã blaſphemia, in omni genere vitiorũ inuenire non poſſum. Sed charitas eſt ſummum bonum: ergo eius contrarium, quod eſt blaſphemia, eſt ſummum malum: quo modo enim non ſummum malum, quod neq; hîc neq; in futuro ſeculo prædicatur remittendum? Sic autẽ ſummum malum eſt, ſummo bono maxime contraria *1. Tim 1.* eſt. Iterũ: charitas eſt diligere Deũ de corde puro & conſcientia bona, & fide nõ ficta. E conuerſo, blaſphemia eſt de impuro corde & mala conſcientia, & fide ficta odiſſe Deũ. Nam de impuritate cordis & mala conſcientia naſcitur deſperatio: fides autẽ ficta, perfidia peior eſt. Ergo ex perfidia & deſperatione perfidi & deſperati homines, malo & ſeruili timore timere incipientes, & oderunt eum, à quo ſine dubio ſe damnandos ſciunt. Eo etiam ordine hoſtis antiquus in abyſſum deſcendit. Perfidus enim eſt, quia, non credit in Deum, deſperatus: quia non ſperat, blaſphemus, quia ſeruiliter metuens etiam odit eum, à quo ſe damnatum & damnandum nouit. Perfidia eſt infernus: deſperatio infernus inferior; blaſphemia; infernus infimus, quod eſt abyſſus. Ibi religatus tenetur ille infelix ſuæ obſtinationis ac diuinæ diſtrictionis catena, nun*Sap 2.* quam ab illa exiturus blaſphemia. Imitãtur autem illum, qui ſunt de parte illius. Aſt hic [a] Herbordus quare ad hæc omnia *Herbordus, vnus ex quatuor ſcriptoribus vitæ S. Othonis.* ſiles? Egone, inquam? Satis ſupereſt illis veſtra de illorum morte ſententia. Sed tamen circa hoc, quod reſuſcitati nõ ſunt, quod ſentio, dicam, ſi placet. In hiſtoriis [a] omnibus tam veteris quam noui Teſtamenti vbi à Prophetis & Apoſtolis, vel ab ipſo Domino mortui reſuſcitati leguntur, aut fide, aut petitione propinquorum id effectum conſidero. Sic Eliſæus, fide matris, puerum ſuſcitauit: ſic Petrus Tabitham, ſic & Dominus Lazarum à mortuis reuocauit. Vnde, ſi fides aut petitio proximorum pro his interpellaſſet, Episcopo virtutem Dei ad miraculum non defuiſſe, haud dubium eſt. Quis ſan*a Sententia Herbordi.* ctior Chriſto? Et de ipſo Euangeliſta dicere non cunctatur: non poterat autem Ieſus ibi facere quidquam propter incre*4. Reg 4. Act. 9. Ioan 11.* dulitatem eorum. Hinc manifeſtum eſt, viuentium fidem neceſſariam eſſe ad mortuorum reſuſcitationem. Et de paralytico, quem per tegulas propinqui ſubmiſerunt ante Ieſum, vide quid dicat Euangelium: Et vidẽs Ieſus fidem illorum, dixit Paralytico; Tolle lectum tuum, &c. Sed audite, quæſo, adhuc, dona Dei diuerſa eſſe, quis neſciat? Petro datum eſt, *Matth 13. Luc 5.* mortuos ſuſcitare, infirmos curare, dæmones effugare, aliaque multa in hunc modum corporalia beneficia præſtare per miracula, quibus ad ſpiritualia bona ſuos alliceret auditores: argentum autem & aurum, quod egenti daret, non habe*Act. 3.* bat, ſicut ipſe pauperi claudo ſtipem poſcenti reſpondit; argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi *1. Cor. 12.* do. Sed ab eo, qui dat vnicuique prout vult: Ottoni datum eſt, multas opes habere cum bonitate & largitate admirabili. Petro igitur orante, Chriſtus languidos & debiles curauit. Ottone autem largiente, Chriſtus vincula & captiuitates abſoluit. Petri oratio & Ottonis largitio in ſalutem populi ab vno Chriſto diſpenſabantur: alter ſanctitate, alter liberalitate pollebat: ille prodigaliter, ille liberaliter beneficus erat: vterque carceres aperuit, vincula ſoluit: ſed ille prece, iſte precio: ille mortuos ſuſcitauit: iſte ne morerentur homines, morbos fugauit. Quid enim fames, ſitis, gelu & alia incommoda vitæ noſtræ, niſi morbi ſunt, qui niſi congruis effugentur medicinis, profecto exſtinguunt hominem. Non tamen Ottonem Petro me quiſquam putet velle adæquare, niſi forte vt Mantuam Romæ, vt Maro quadam proportionis ratione *Virg. Ecloga 1.* res æquales fingit dicens: Sic canibus catulos magnis, ſic matribus hœdos Aſſimilans, naturæ ſcilicet ac formæ proportione, non magnitudine corporis, aut quantitate. Sed tu, quod cœpiſti euolue.

Sefridus. DESTRVCTIS igitur fanis, colliſis ſimulachris, mulctato diuinitus ſacerdote, victoria crucis erigitur, conſtruuntur XXXV.
Erectio Crucis. baptiſteria, dolia humo infodiuntur, cortinis velantur, omnibuſque religioſe ac ſancte aptatis, populus per aliquot dies ante catechizatus & inſtructus, ad aquam regenerationis, cum multa grauitate ac diſciplina, ſe offerebat, toto [b] corpore *b Baptizantur Stetini, & quibus ritibus.* balneis prius abluti, ac lotis & mundis veſtibus induti, cereos ardentes & albas ſuas geſtantes, ac ſancti Spiritus acceſi deſiderio ſinguli apud ſe in cordibus ſuis cantantes: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Domini. *Pſalm 41.* Pater [c] vero ſpiritualis feruorem, & ſtudia filiorum tacita mente conſiderans, abundantia lætitiæ ſpiritum excitante, *c Exhortatio S. Othonis ad catechumenos.* obortiſq; præ gaudio lachrymis inter agendum in vocem exhortationis erupit dicens: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos: accedite, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Nec abs re fuit talis ex ore Sacerdotis exhortatio. Videbat enim, quod & nos alii cum magnæ admirationis tripudio contuebamur, quodque ipſi ciues nos con*Pſalm. 33.* templari monuerunt, in vultibus ſcil. omnium baptizatorum [d] quendam iucũdum & ſpiritalis gratiæ rutilare fulgorem: *d Fulgor in vultibus baptizatorum.* ita vt baptizati à non baptizatis, veluti lux à tenebris, facile diſcerni poſſent: quidve tenebroſus dæmon ſuis cultoribus, & quid Deus lucis auctor & amator ſuis dilectoribus conferre habeat, omnibus intueri promptum fuit. Currebant ergo de ipſa ciuitate, & de omni circũ prouincia felices animæ ad regales nuptias ingredi feſtinãtes, & Epiſcopo ſeorſim [e] ingenue ſolos mares pueros, aliis autẽ & aliis Sacerdotibus ſeorſim viros, & ſeorſim mulieres. Apud omnes opera Dei *e Quos ſinguli baptizarint.* feruebant, & de Ægyptia ſeruitute populo acquiſitionis, tranſito mari, liberato, velut olim ad montem Sinai, lex panditur Euangelii, & quid Chriſtianis fugiendum, ſequendumve ſit, ſicut fide plena docentur, ſic & plena intentione diſcunt & facere ardent. Manſimus ergo in eodem loco negotioſi operatores ſe... alius tribus menſibus, deſtruentes & ædificantes, *Quamdiu Stetini manſerint.* euellentes & plantantes, & irrigantes, ipſo agro Dominico ſuis cultoribus grata & gratuita fœcunditate victum præbente neceſſarium. In omnibus enim victui noſtro competentibus liberales nobis extiterunt & humani, optantes, vt ſi fieri poſſet, nunquam à ſe diuelleremur. Ordinatis autem illic omnibus, quæ rudi Eccleſiæ profutura credebantur, exſtru** Vbi antea Cõtina ſeu fanum Triglaſi fuerat.* ctaque Baſilica diligenti artificio * in medio foro Stetinenſi, collatiſque omnibus, quæ ſacerdotalis officii ratio poſcebat, qui populo præeſſet, ſicut vbique faciebat, ſacerdotem inueſtire curauit.

Sefridus. IVLINENSES etiam, Epiſcopo & nobis ignorantibus, quoſdam homines cautos & gnaros Stetinam miſerant explora- XXXVI
Exploratores à Iulinenſibus ſubmittuntur. tores tacite, quidnam illic ageremus, ſi ab eis reciperemur, an non; & qui omnes vias noſtras & ſtudia noſtra diligenter conſpicerent atque referrent. At illi, vbi habita exploratione diligentiſſima, nihil impoſturæ aut doli circa nos inuenerunt, & Stetinenſes, licet tarde, fidem tamen vnanimiter ſuſcepiſſe viderunt, [f] reuerſi ad ſuos, more Apoſtolorum & Euangeliſtarum, pagani paganis, nobis abſentibus, quãta bona vidiſſent & audiſſent; & quam bona, & quam munda eſſet *f Renunciãt Iulinenſibus, quæ viderant.* fides, & doctrina Chriſtiana prædicare non ceſſabant, eorumq; verbis paulatim ſcintillantibus, quaſi arundinetũ, [g] tota ciuitas incanduit; & iam tædere atque horrere ſuper ſuis abominationibus, ſuaq; idola & errores, quibus inuoluti tenebantur,

g Iulina ad fidem Chriſti amplectendam accenditur.

Digitized by Google

bantur, exſecrari cœperunt. Epiſcopus autem tenorem pacti, quo ab eis receſſerat, mente habens, cogitabat quidem ſtatim poſt conuerſionem, Stetina ad eos properare; ſed rogatus eſt duo prius inuiſere caſtella, Gradiciam videlicet, & Lubinum, quæ in confinio poſita, ad pagum pertinebant Stetinenſem. At vbi homines illi, velut arida, imbrem ſitiens, verba Euangelii ſuſcipientes, fidei Sacramentis imbuti ſunt, extructo altari & ſanctificato per caſtellum vtrunque: atque ordinatis illis ſacerdotibus, per Oderam flumen in mare lapſi, vento meliori ad Iulinæ littora nauigauimus. Quanto [a] autem exſultationis tripudio recepti fuerimus, & quanta humilitate illorum & ſatisfactione priores iniurias obliuiſci nos rogauerint, dicere non valeo. Quidquid autem ſuſcipiendi Chriſtianiſmi ratio exigebat, diſcere & facere, aſſumere vel reiicere non morabantur, ita vt illic impleri videres, quod ſcriptum eſt; Ipſe dixit, & facta ſunt; &, populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.[b] Hæc autem fuit mutatio dexteræ excelſi. nam quos prius contis & fuſtibus à ſuis terminis ſatis inclementer exturbauerant; poſtmodum, quaſi angelos de cœlo venientes, ſummo ſtudio venerati ſunt; ſanctum arbitrãtes atq; diuinum, quidquid à nobis dictum vel factum eſt. Sed [c] quid multis? Tota ciuitas atque prouincia cum populo ſuo appoſita eſt ad Dominum; tantaq; fuit multitudo virorum & mulierum, & vtriuſque ſexus puerorum, vt in ſpatio duorum menſium, quamuis ſine ceſſatione inſtaremus operi, vix omnes tingere poſſemus. Quantum [d] & illic ſudoris, & laboris ſanctæ ſemper memoriæ Otto loquendo & clamando in turba, baptizando, & multa faciendo pertulerit, qui videt omnia, viderit Deus. Sed, quia ciuitas hæc in meditullio ſita eſt Pomeraniæ, ciueſque Iulinenſes fortes & duræ ceruicis, tam Dux Vuratiſlaus, quam Principes terræ Sedem [e] Epiſcopatus illis conſtituẽdum fore cenſuerunt; ſcilicet vt gens aſpera ex iugi Doctoris præſentia manſueſceret, nec ad priſtinos rediret errores; & quod de medio ad omnes terminos terræ chriſma & alia, quæ ab ipſo accipienda ſunt, facilius deportari poſſunt. Itaque duas illic Baſilicas fieri præcipiens, altaria tantum & ſanctuaria conſecrauit, quia dum reliqua pars interim conſurgebat, & perfectionem exſpectare, longum erat ad alia feſtinanti.

Gradiciam & Lubinum [margin]. a Quanto honore & gaudio à Otho Iulinæ exceptus fuerit. Pſalm 148. Pſalm 17. b Iulinenſiũ mutatio in melius. c Ingens multitudo eorum, qui baptizabantur.

d Labores aſſidui S. Othonis. e Agitur de Sede Epiſcopali Iulinæ ſtatuenda.

XXXVII. MOVENTES autem à Iulina * Dodonam venimus, nihilque difficultatis aut contradictionis illic inuenientes ſanctæ Crucis trophæum ibi ereximus. Et [f] quia locus nemoroſus erat & amœnus, & ligna ad ædificandum ſuppetebant, in honore ſanctæ Crucis ingentem Eccleſiam de nobili artificio fundauimus, & cum lætitia & gaudio populum catechizantes & baptizantes, quia meſſis multa erat, ad vlteriora progredi feſtinauimus. Tranſito autem flumine, quod Dodonam præterlabitur, ciuitatem quandam inuenimus, magnam quidem ambitu & ſpatioſam, ſed raros incolas; nam [g] ferro & incendio ſe vaſtatam aduſtionum ſignis & cadauerum aceruis, ſpectantibus indicabat. Ipſi autem incolæ tenues illorum ſe fuiſſe clientulos, qui à Duce Poloniæ illic interfecti erant, & captiuati, aſſerebant, & à facie gladii ſaluatos ſe fugæ præſidio. Fecerant autem ex ramis & virgultis circa ruinam parietum tuguria & vmbracula, quibus tegebamur, quouſque tecta meliora inſtaurarent. Hos Pater optimus verbis conſolans, & ſtipe releuans, benigniſſime inſtruxit & baptizauit. Multi etiam de vinculis circumpoſitis ruricolæ illic confluentis fidei percepere Sacramenta.

Sefridus. * Aliter; Dodonæ. f S. Otho Dodonæ S. Crucem erigit: & in eius honorem Eccleſiã extruit. g Vaſtata ciuitas.

XXXVIII. INDE Colobergam peruenimus, quæ ſuper littus maris ſita eſt. Sed quia ciues illius pene omnes, inſtitorum more, ad exteras inſulas, negotiandi cauſa nauigauerant, illi, qui domi reperti ſunt, abſentibus ſuis conciuibus, nihil ſe noui aggreſſuros dicebant: atq; ſub occaſione tali aliquandiu reſtiterunt Euangelio, Tandem exhortationibus crebris ab Epiſcopo ſuperati ſunt. Confirmatis [h] ergo eis in fide SS. Trinitatis, & baptiſmo regeneratis, & fundato altari & ſanctuario, cæteriſque, quæ naſcenti Eccleſiæ viilia credebantur, ordine peractis, diei vnius itinere diſtantem à Coloberga * Belgradam petens, ſimili operum effectu illic lætificatus eſt; omnibus ſe Domino ſponte applicantibus: quod vbi factum erat, viſum eſt ei, bonum eſſe, omiſſis quatuor, quæ ſupererant, ciuitatibus cũ pagis, inſulis & viculis ſuis, videlicet Noirnia, * Hologoſtà, * Cozgaugia & * Timina: quia tempus eum reuocabat (hyems quippe erat) id, quod plantauerat, interim irrigare, ne forte dilatando tantum agrum ſuum, & non etiam excolendo, in vacuum curreret, aut cucurriſſet; quin etiam, ſi vlterius procederet, ante diem Palmarũ, ſicut diſpoſuerat, redire ad ſuã Sedẽ, conſecraturus chriſma, minime potuiſſet.

Sefridus. S. Otto venit Colobergam; ſeu Colobregam. h Excuſatio Colobregenſium, ſed tandem monitis Epiſcopi cedunt. * Belgard. * Wolgaſt. * Guſtow. * Camin.

XXXIX. [i] DISCRETVS ergo Pontifex apud Belgradam terminum ponens Euangelii, omnia loca & ciuitates ſuperius nominatas, in quibus ſemina fidei ſparſerat, fidus agricola denuo perluſtrauit; cogniturus quomodo ſe haberent ſata. Et ecce omnes, quas imperfectas reliquerat Baſilicas & Eccleſias, perfectas inuenit. Ad opus ergo [k] dedicationis deuotus & lætus accingitur; atque inter dedicandum, Chriſmatis vnctione populum confirmans, etiam quam plurimos inuenit [l] baptizandos, qui generali baptiſmo prius intereſſe non poterant, eo quod in exteris partibus peregrinari, negotia ſua exercerent: quorum profecto Dodonæ, Iulinæ, Stetinæ maxima erat copia. Mira quippe auiditate, audito, quod Epiſcopus diſcedere vellet, ad eum confluxerunt, infelices ſe reputantes, quibus ſine illius benedictione remanere contingeret. Quæ res in ſingulis locis aliquandiu nobis remorandi cauſa fuit. Nullam autem ciuitatem, aut locum plantationis ſuæ relinquere voluit, quam non ſemel aut ſæpius ante exitũ à terra, confortationis, & conſolationis cauſa reuiſeret. [m] Talibus ergo viſitationibus regione peragrata, conſolando, confirmando, atq; ſalutando amicos, patronos, & filios noſtros, in pacis oſculo dimiſimus eos, & dimiſſi ſumus, lachrymis & gemitibus diuulſionis dolorem vtrinq; temperantes. Multoties etiam toto conamine nos iugiter apud ſe retinere moliti dominum meum, vt Epiſcopatum ibi gubernaret ardentiſſime rogabant, ſe ipſos & omnia ſua illius ditioni ſeruire pollicentes. Et, vt verum fatear, tanto amore ſuæ plantationis flagrabat Epiſcopus, quod voluntatem plenariam apud eos remanendi haberet: ſed à Clericis ſuis diſſuaſus eſt.

i Sefridus. S. Otho reuiſit omnia loca, vbi Euangelium annunciauerat. k Dedicat Eccleſias extructas. l Denuo multos baptizat. m Mutua valedictio.

XL. [n] ET video, inquit, tua narratio ad ſedem ſuam reducere vult Ottonem noſtrum: Sed, de ipſius terræ, quam deſeris opportunitate vel fœcunditate vellem aliquid diceres. Poſſunt ne illic eſſe Cœnobia? [o] Sefridus. Poſſent vtique, & maxime huius temporis Sanctorum, qui terram vberem, quam ſcopulos aridos, vel ſqualentem eremum incolere malunt, ſuæ memores imbecillitatis. Nam [p] piſcium illic tam ex mari, quã ex aquis & lacubus, & ſtagnis abundantia eſt incredibilis, carratamq; pro denario recẽtis acciperes alecis, de cuius ſapore vel craſſitudine guloſitatis argueret, ſi dicerẽ, quod ſentio. Ferinæ ceruorum, bubalorum, & equulorum agreſtium, vrſorum, aprorum, porcorum omniumq; ferarum copia redundat omnis prouincia. Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adype agnorum & arietum, cũ abundantia mellis & tritici, cum * canabo & papauere, & cuncti generis legumine: atq; ſi vitem & oleam, & ficum haberet, terram eſſe putares repromiſſionis propter lignorum abundantiam fructiferorum. Sed Epiſcopus [q] vitem illi terrę deeſſe nolẽs, in ſecunda profectione, cuppam ſurculis plenã attulit, & implantari fecit, vt tellus ea vel ſacrificio vinũ procrearet. Tanta [r] vero eſt fides & ſocietas inter eos, vt furtorum & fraudium penitus inexperti, ciſtas aut ſcrinia ſerata non habeant. Nã [ſ] ſeram & clauem ibi nõ vidimus. Sed & ipſi admodũ mirati ſunt, quod clitellas noſtras & ſcrinia ſerata viderunt. Veſtes ſuas, pecuniam & omnia pretioſa ſua in cuppis & doliis ſuis ſimpliciter coopertas recondunt, fraudẽ nullam metuentes, vtpote inexperti, & quod mirũ dictu, menſa illorum nunquam diſarmatur, nunquam defercatur: Sed [t] quilibet paterfamilias domum habet ſeorſim mundam & honeſtam, tantum refectioni vacantem. Illic menſa cum omnibus, quę bibi ac mandi poſſunt, nunquam vacuatur, ſed, aliis abſumptis, alia ſubrogantur. non ſorex, non * ſoriſegus admittitur, ſed de mappa mundiſſima fercula teguntur comeſuros exſpectantia. Quacunq; igitur horã reficere placuerit, hoſpites ſint, domeſtici ſint, omnia parata inueniunt intromiſſi ad menſam. Et de his ſatis dictũ eſt. Reuertentes [u] autem de terra illa, rurſum tranſitũ facimus, per Patrẽ noſtrum, Ducem Poloniæ. Retribuat illi Dominus Ieſus in die agnitionis omnia bona, quæ oſtendit nobis: nã tantæ affectionis, tantæq; benignitatis circa nos extitit, vt etiã in Pomerania poſitis, hyemis tempore,

n Tiemo. o Qualis Pomerania. p Piſcium copia. Deut. 32. Feræ. Armenta. * canabi. q S. Otho vites in Pomeraniam infert. r Fidelitas Pomeranorum. ſ Nihil occludunt, vel includunt, quia absque ſeris omnia tuta ſunt.

t Menſa apud Pomer. ſemper ferculis onuſta. * ſoricilegus. u S. Otho cum ſuis reuertitur ad Boleslaum, Ducem Poloniæ.

Beneuolentia & humanitas Ducis in S. Othonem & comites.

pore, ille vir optimus veſtes nobis mitteret hyemales, Epoſcopo, & vnicuique ſecundum ſuam perſonam idoneas, tam Clericis, quam militibus ſiue ſcutiferis omnibus. Nunc ergo conſummatis his, ad quæ nos vocauerat, ipſe ad ſe reuerſos, omnes nos, vt filios chariſſimos, recipiens, Epiſcopum & cæteros quoſque congruis honoribus habitos, nullum reliquit indonatum. Dein, quia feſtinantes vidit, cum multa gratiarum actione dimiſſos, vſque in Bohemiam nos fecit conduci Epiſcopus vero propter feſtinantiam, de Epiſcopatu Pomeraniæ pro voto ſuo tunc ordinare non potuit, ſed, de prudentia Ducis confiſus, ei ex otio commiſit ordinandum. At ille vnum de Capellanis ſuis Adalbertum nomine, quem de latere ſuo cum aliis duobus Sacerdotibus in adiutorium conceſſerat Epiſcopo. Præſulatus honore in gente illa ſublimauit. Itaque, vt breuis ſim, iuxta propoſitum ſuum, ante diem Palmarum ad ſedem ſuam Otto reuerſus eſt.

Adalbertus Primus in Pomerania Epiſcopus

Ebbo. *Luc 11.* a Sequentia vſque ad finem huius libri ſecũdi, deſunt in edit. Caniſiana. b Incẽdium Bambergẽſe, Cacodæmonis inuidia & itá excitatum. c Corpus S. Hermetis Bambergæ conditum. *Pſalm 9.*

SED dum fortem armatum, qui eatenus atrium ſuum, Pomeraniam ſcilicet, poſſederat, fortior [a] Chriſtus ſuperue- XLI.
niens, ſuperaſſet, armiſque eius per beatum Præſulem confractis, ſpolia diſtribuiſſet, non ferens ille violentam de ſedibus ſuis excluſionem, tanquam leo rugiens, vel modicam ſeruo Dei inferre niſus eſt læſionem. Et aliud, quod ageret, Domino prohibente, non inueniens, locum [b] Babebergenſem, maiori ex parte, inopinato incendii diſcrimine, abſumpſit, vt, dum paſtor eximius, peracta apud extraneos prædicatione, ſponſam ſuam cum gaudio reuiſeret, non per omnia integram, ſed aliquantulum hoc damno conquaſſatam, ac mœrore confectam inueniret. Nocte enim, qua feſtiuitas ſancti [c] Hermetis Martyris agebatur, cuius precioſo corpore locus ipſe à primordio per fundatorem ſuum beatum Henricum nobiliter eſt inſignitus, idem lamentabile incẽdium, occaſione mulieris cuiuſdam in partu laborantis, ſumpſit exordium: quod ſtatim circum circa ſe impetu valido torquens, omnem locum extra ciuitatis ambitum tanta vaſtauit atrocitate, vt vix ranuſculæ quorum caſæ euaderent. Ipſa vero ciuitas cum Eccleſiis ſuis infra vel extra poſitis patrocinio beati Hermetis aliorumque aduocatorum ſuorum illæſa permanſit. Ad nihilum itaque fraus & malitia verſuti hoſtis eſt redacta, quoniam quidem & ſponſa caſtiſſima Bamberga terram calamitatis huius nubeculam, patre ſuo, tanquam sereniſſimi ſolis iubare, ad ſe reuerſo, facile diſſipauit: & ipſe atrium ſuum, quod diu ſecurus poſſederat, vltra tenere non potuit. Chriſto enim in Pomerania, per Apoſtolatum pii Ottonis, regnante, inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum deſtructæ ſunt.

d Ebbo. e Baptizantur Iulinenſes, qui domo abfuerant, præſente S. Othone.

[d] PLVRIMI autem Iulinenſium pro negotiatione ſua trans mare abierant: qui, audita ciuium ſuorum conuerſione XLII.
ſpiritu Dei præueniente, & æmulatores eorum facti ſunt; ad [e] Metropolim ſuam reuerſi, Regi regum Chriſto colla ſubmittunt, ſtatimq; à presbyteris, quos pius Otto illic conſtituerat, baptizati, ciuibus ſuis dudum Chriſtianis legibus incitatis, pari deuotione adunantur, & mirum in modum, fideliſſimo præcone veritatis in opere Dei laborante Eccleſia per totam illam regionem creſcebat & confortabatur, Dominuſque augebat quotidie, qui ſaluum faceret in idipſum. Apoſtolus itaq; Pomeranorum duas illic [f] Eccleſias conſtituit, vnam in ciuitate Iulin, ſub honore S. Adalberti & Wenceslai, qui magnæ apud Barbaros opinionis erant, in loco, vbi profani dæmonum ritus agi ſolebant; vt, vbi ſputea pridem commercia, Chriſti deinceps frequentarentur myſteria. [g] Alteram extra ciuitatem in campo miræ latitudinis & amœnitatis, in veneratione beatiſſimi Apoſtolorum Principis ædificauit, illicque ſedem Epiſcopalem ſtatuit.

f Duas Eccleſias Iulinæ ædificat. g Alteram, extra vrbem in honorem S. Petri.

Ebbo. Quãtis precibus Bamberg reditũ S. Othonis efflagitarint

SED pio doctore pro continuis animarum lucris moram illic faciente, deuota gregis ſui multitudo, non ſolum in XLIII.
Babegergenſi loco, ſed & in pluribus cœnobiis & parochiis collecta; incredibili ſolicitudine & mœrore, pro longiturna tanti paſtoris abſentia, angebatur: & vt reportaret illum, modis omnibus inſtat. Vnde crebra ad illum miſſa legatione, preces precibus, vota votis congeminant; ſed & literis filialem atteſtantibus amorem pro reditu eius ſatagere non deſinunt: quarum hîc vnam inſerere dignum videtur, tam pro ſui dulcedine, quam etiàm pro auctoris eius, piæ memoriæ, Wigandi Abbatis perpetua recordatione; quæ in hunc ſe modum habent.

Literæ Wigandi Abbatis ad S. Othonem. *Hierem. 1.*

DOMINO & Patri chariſſimo, pio Ottoni Epiſcopo ac gentis Pomeranicæ Apoſtolo, Wigandus Tarifienſis Cœnobii prouiſor indignus, deuotum in omnibus ſeruitium & orationum ſpirituale debitum. Benedictus Deus pater miſericordiarum, pater luminum, qui ex vtero formans vos ſeruum ſibi dedit in lucem gentium, vt ſalus eius in extremis terræ per vos annunciaretur; ac lumine fidei tenebroſa gentilium corda irradiarentur. Vnde ſancta mater Eccleſia nouo filiorum augmento digne lætatur, dum per miniſterium veſtrum multa millia barbaræ nationis ſacro baptiſmate renaſcũtur, & abiecta idolorum cultura, deſtructis delubris, reædificatis Eccleſiis, verus Deus aduocatur & colitur. Ergo poſt Euangelium alienis annunciatum, poſt tanti miniſterii opus conſummatum, iam ad proprias oues reuertẽti paſtori grex omnis lætabundus occurrit, clerus cum populo, ac ſingulari gaudio monachorum proceſſio, patrem ſuum ſuſcipit concinens in iubilo cordis & voce exultationis: reuertere reuertere Sunamitis reuertere reuertere vt intueamur te. Ego autẽ horum omnium minimus, ſed fidei & dilectionis integritati nulli ſecundus, circa feſtum S. Mauritii, in Saxoniam veni, ſperans optatiſſimum aduẽtum Domini mei, vt primus ſuſciperem, quẽ nouiſſimus deduxi. Sed redeunte nuncio veſtro, ſpe exſpectationis meæ fruſtratus, multũ autẽ de certo reditu veſtro lætificatus, quod corporali præſentia nõ potui, in ſpiritu humilitatis Dominum meũ primus ſalutare ſtudui dicens non ſono tantũ oris, ſed flagrantiſſimo etiã iubilo cordis.

Cant 6. VVigandus vſque in Saxoniam S. Othoni obuiam ierat.

Salue magne pater, dic litera, dic reuerenter,
Dic rogo verſifice. inclyte Præſul aue.
Exſpectate redi populi ſpes, optio cleri,
Digne dator legis, certa medela gregis.

Vide Vrſperg. in Chron. Anno 1126. h Dãna Eccleſiæ Bambergenſi illata † Botenſten.

Nolumus ergo vos ignorare, Pater ſanctiſſime, quia ex quo receſſiſtis, ſemper imminebat nobis dies anguſtiæ & tribulationis. Tyrãnus n. ille Conradus toto pene anno in Caſtello Nurnbergenſi moratus, bona Epiſcopatus ſibi vicina deuaſtauit, de reditibus veſtris frumentũ ex parte abſtulit, cenſum ſibi perſolui ſtatuit; Villicum de Ruſtal bis captiuatũ omnibus rebus ſuis deſpoliauit; inſuper vrbem [h] Babenberg callida machinatione, vt fertur, apprehendere ſtuduit; Sed, Deo gratias, iniquitas eius nequaquam præualuit. Ego enim & Conradus Cuſtos, de diſpenſatione nobis credita ſoliciti, ciuitati præſidia & cuſtodes cum cæteris fidelibus veſtris deputauimus, militibus, prout opus erat, ſtipendia erogauimus, reliqua omnia, quæ cõmiſiſtis, diligenter procurauimus. Inter Hermannum & Fridericum maxima guerra habetur; inſidiæ diuerſæ altrinſecus tenduntur, rapinæ rapinis, incendia incendiis redduntur: inter quæ, villa ſubiacens † Lapidi Botonis cum Eccleſia combuſta eſt. Fridericus quadam nocte munitionem Nieſtein cum militibus ſuis clam ingreſſus, viriliter agere cœpit: ſed qui in arce erant, miſſis iaculis, & iactis lapidibus vnum de ſuis occiderunt, plures vulnerauerunt: ſicq; infecto negotio, vix cum ſuis omnibus euaſit. Præterea per totam prouinciam multa mala graſſantur, rapinis, incendiis omnia vaſtantur. Ergo tot malis, tot miſeriis finem facere ſperantes, aduentum veſtrum clamamus ſinguli, clamamus omnes; Veni Domine, veni, feſtina, ne tardaueris, adueni deſiderabilis, quem exſpectabamus in tot tribulationum tenebris. Reliquus rerum veſtrarum ſtatus in Bauaria & Saxonia ſatis proſpere agitur. De negotio autem mihi ſpecialiter iniuncto, paternitatem veſtram ſcire volo: quia cuprum ad ſeptingentos, & eo amplius centenarios comparauimus; ex quibus trecentos maxima difficultate vſque Smalchalten perduximus, & iam viribus exhauſti, manum auxilii veſtri ardenti deſiderio præſtolamur, ac exoptatiſſimum omni regno ſanctitatis veſtræ reditum vix exſpectamus.

Ebbo. Digreſſio de Wignãdo.

HIC eſt Wignandus Prædicator ſuauiſſimus, quem pius Otto quaſi auricularium ſibi fideliſſimum eligens, In tan- XLIV.
to amore & reuerentia habebat, vt omnium ſecretorum ſuorum, participem eum faceret & cuſtodia ciuitatis ſpecialiter

sibi

ſibi delegata, etiam egregium opus, quod tunc inchoauerat, ſcilicet & domum S. Petri maioris Eccleſiæ, cum turribus ad arcenda ignium pericula cupreis operire laminis, eius potiſſimum magiſterio committeret. Nec immerito. Erat enim vir totius prudentiæ & ſagacitatis: gloria ordinis noſtri, non ſolum ſpirituali gratia præſtantiſſimus, ſed & corporis venuſtate, & morum habituſq; dulcedine amabilis. Cuius venerandam ſenectutem & caput ad ſimilitudinē Chriſti candidum liceat nobis paru mper dignis vocibus prædicare. Nam cum pœne centenariam ageret ætatem, & plurimum in opere Dei nocte dieque laboraret, oculi puro vigebant lumine, pedes firmo greſſu veloces, auditus penetrabilis, dentes numero & firmitate durabant, vox canora, corpus ſolidum, nec ſenio longinquo curuatum, cani cum rubore diſcrepabant, vires cū ætate diſſentiebant; non memoriæ tenacitatem, vt in pleriſq; cernimus, antiquior ſenecta diſſoluebat, nō calidi acumen ingenii frigidus ſanguis obtundebat, non contractam rugis faciem arata frons aſperabat, non deniq; tremula manus per curuos ceræ tramites errantem ſtylum ducebat. Futuræ igitur reſurrectionis vigorem in eo Dominus nobis oſtendit, vt peccati quidem ſciamus eſſe, quod cæteri adhuc iuuenes præmoriuntur in carne; iuſtitię autem, quod hic adoleſcentiam in aliena ætate metiebatur. Et quanquam multis iſtam corporis ſanitatem etiam peccatoribus, euenire videamus, tamen hac illi ad peccandum abutuntur: hic vero ad bene agendum. Si quidem ab infantia diuinis apud nos ſcripturis eruditus, & in ſancta conuerſatione probatus, cum Prioratum hîc ſtrenue ſub venerabili Wolframo Abbate adminiſtrabat, pius Otto violenter abreptum [a] Tariſienſi eum Cœnobio præfecit, quod multo tempore, id eſt, amplius quam triginta annorum ſpatio, nobiliter gubernans, ac circumquaq; cœleſtis doctrinæ dulcedinem melliſluam prædicatione ſpargens, cunctorum in Deum prouocabat affectus. Totus [b] enim, quaſi Seraphin, ſuperni amoris facibus accēſus, in ſolo redemptoris deſiderio anhelabat, diuinæ ſeruitutis celebritatem flagrantiſſima deuotione peragebat, ſecretiorum cœleſtium ſumma & capere præualuit & annunciare loquendo, & alios accendebat, & quos verbo tangebat, ardere protinus in Dei amore faciebat, ſed & ſacra Miſſarum ſingulari affectu & compunctionis dulcedine agebat; ita, vt [c] & alios in vinculo perfectionis, quod eſt charitas, ſibi arctius deuinctos tam viua voce, quam & literis incomparabili ſuauitate plenis ad hoc ſacrificium, ardentiſſimo ſummi ac veri ſacerdotis deſiderio celebrandum, ſæpius accenderet, nec mirum: quod ſpiritualis huius cibi intimum ſaporem diu multumque deguſtans amplius eſuriebat. Nam [d] & plus, quam XL. annis ſacerdotio functus eſt. O felix, & omni dignus beatitudine, quem ſenectus honorabilis Chriſto ſeruientem occupauit, quem extrema dies ſaluatori tanta deuotione inuenit militantem: qui non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta: cui introitu paradiſi dicetur, ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui: accipe manna abſconditum, accipe calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit: Cerne deſiderabilem Chriſti vultum;

Quem prius abſconſum nitidi ſub tegmine panis
Myſtica verba canens ſemper ſacrare ſolebas.

Si quis autē de tranſitu eius audire voluerit, breuiter accipiat. Totam n. Paſchalem quinquageſimam ſolita deuotione in diuinis exegit laudibus, Pſalmis & orationibus, ſacræq; lectioni & prædicationi vacabat; & cū diſcipulis ſuis noua eo loci mœnia ſtruere cogeretur, ille inſtabilē vitæ humanæ curſum, diemq; vocationis ſedulo attendens reſpondebat: Cernitis me ſilicernium: velox eſt depoſitio tabernaculi mei, paucitas dierū meorū finietur breui: ideoq; expenſas ad cœleſte ędificium cōgregare deſiderio flendo, eleemoſynas tribuendo, ſacras hoſtias offerendo cæteriſq; ſpiritualib exercitiis inuigilando, aduentū iudicis iā iamq; ad oſtiū pulſantis operiri volo. Appropinquante igitur die præſtolato remunerationis, antiquus Domini vineæ operarius, Dominica, qua cantabatur, Vocē iucunditatis, more ſuo feſtiuus & alacer, chorū ingreſſus inuſitato ordine, Alleluia, ſurrexit Paſtor bonus, ac deinde ſequentiā, Victimæ Paſchali per ſemetipſū impoſuit, cunctos voce, manu, totiuſq; corporis motu ad pſallendum deuotius incitabat, tanquā præſentis vitę metā ſibi iam adeſſe intelligens, diceret, omnis laus in fine canitur. Solebat n. ſæpius tantæ ſuauitatis & compunctionis cantum indifferenter pſallere, quoties id Sp. S. cordi eius dictaſſet, cuius videlicet donū lege non conſtringitur. Finita autem diuini celebritate officii, accerſito fratre, cui diſpenſatio monaſterii credita erat, dixit: Hodie, vt audiuiſti, chariſſime fili, Dominicæ reſurrectionis gloriā debitis laudū præconiis pro modulo noſtro proſecuti ſumus: Tu ergo, ꝙ te attinet, ſedulus munus exequere, miniſterium tuum imple, quia, tam deuotis Chriſti ſeruitoribus affluentior hodie impendenda charitas. Ipſe ego, ſicut præcentor & inſtigator ad dulciſonū carmen fui: ita ſpiritualis conuiuii adminiſtrator eſſe volo: ſicque vltimū cum grege ſuo paſtor piiſſimus agens conuiuiū, futuræ Aſcenſioni ſolita precū & lachrymarū ſe deuotione præparabat diebus Rogationū, id eſt, ſecunda & tertia feria litaniis cū fratribus interfuit: ſed feria quarta graui, nocturno tēpore, oppreſſus infirmitate, matutinali officio aſſurgere non potuit. Iam n. reſolutionis tempus inſtabat, iam ſummus Paterfamilias ad oſtiū ſerui vigilantiſſimi pulſabat, iam reuerendo ſeni, qui diu in ſtadio [*] laboraſſe huius [†] viæ indefeſſa deuotione cucurrerat, brauiū æternæ dulcedinis dare ſpondebat. Itaq; accitis Fratribus, infirmitatis ſuæ grauedinē aperuit, Canonicū coram ſe Curſum decantari fecit, & mane in Capellam ſuā ad audienda ſacra Miſſarū ſolennia ſe deferri petiit. Exinde relatus, pacē omnibus dedit, cunctis ſe paterno affectu cōmendauit, ſicq; ægrotans biduo, omnes ad ſe confluentes pro viriū ſuarum poſſibilitate Verbo Dei ædificabat, & morbo ingraueſcente, Feria ſexta poſt Aſcenſionē Domini, ſumpto viatico, hora nona ex Ægypto huius mundi ad veram repromiſſionis terrā migrauit; Teſtantq; ſunt, qui aderant, in exanimi eius corpore nec tenuē ſe deformitatis alicuius pallorem vidiſſe, ſed vultu decoro dormienti ſimillimus apparebat, ita vt rubeus color faciei, & totius corporis venuſtas primo obitū eius ambiguū faceret. Nec mirū, ſi mortis acerbitas minime ſibi locum in eo vendicabat, qui non ad mortem, ſed potius de morte ad vitam tranſibat. Antea quidem frequentiſſimus graui & longiſſima decubuerat ægritudine, vt virtus ſpiritus in infirmitate carnis probaretur: ſed cunctis pro vita & ſanitate eius certatim ſupplicantibus, iam deſperatum patrem amantiſſimum Dominus, quaſi de ipſo mortis limine reuocatum, filiis mœrentibus & lugentibus ſæpius reſtituebat: nunc autem, præmiſſis ad Dominum pluribus gregis ſui manipulis, & ipſe paſtor eximius breui tactus morbo, ſuper nobilem hunc nobilior ipſe ruit aceruum, qui Regem gloriæ in decore ſuo videre deſiderans, quotidianis cum Propheta ſuſpiriis decantabat dicens: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Sed hæc hactenus, nunc reuertamur ad ordinem.

XLV. IGITUR Apoſtolus Pomeranorum Otto pius aſſiduis fratrum ac filiorum ſuorum precibus & legationibus contraire non valens, cum apud Iulinenſes hyemaſſet, circa Purificationem S. Mariæ, accepta ab omnibus licentia, vnicam ſibi ſponſam Babebergenſem Eccleſiam deſiderato reditu conſolari diſpoſuit. Quo audito, plebs neophyta Pomeranorum non mediocri mœrore perculſa lachrymoſis precibus veſtigia pii Doctoris ambire, cumque apud ſe detinere conata eſt. Sed incaſſum. Ipſe enim graues in terra ſua diuerſorum negotiorum cauſas ſibi imminere reſpondit: Sed & magnum animæ ſuæ periculum aſſerebat: ſe, dum Chriſto noua de alienis gregibus lucra requirit, proprias oues, ſibique ſpecialiter aſſignatas negligeret. Moxq; adunata ſociorum & cooperatorum turba, cunctos, quibus fidei Verbum diſſeminauerat, circuiuit, & in religione Chriſtiana tam monitis, quam & precibus deuotis confirmauit. Primum vero Caſtellum [*] Gamin, exin Dodonenſem locum in honore S. Crucis conſecratū adiit, vbi multos Pomeranorum de inſulis maris reuerſos (vbi timore Bolezlai Ducis occulti erant, baptizauit. Nam Dux Bolezlaus ſicut erga Deum cultoreſque Dei religione ac pietate inſignis, ita erga idololatras & criminoſos debiti rigoris aſperitate fuit implacabilis. Singulis quippe annis, collecto exercitu valido, terras paganorum deuaſtare ſolebat, vt vel timore gladii iugo Chriſtianę fidei ſubigerentur. Quod vbi miniſterio pii Ottonis factum eſt, arma in pacem mutata ſunt, cunctique de latibulis, vbi abſconditi erant, accepta per bea-

Marginal notes:
do Abbate, quis & cuias fuerit.
Dotes animi & corporis Wignādus fermo centenarius vix vlla ſenectutis incōmoda ſenſit.
Wignādus prior Montis S. Michaelis
a Fit Abbas Monaſterii Tariſienſis.
b Eiuſdem dicendi gratia.
c Pietas in re diuina facienda.
d Sacerdos ſupra XL. annos.
Pſalm 128. Matth 25. Apoc. 2.
2. Petr. 1. Iob. 10
Præparatio ad mortem.
Dies Rogationum.
* Laborans. † Vita.
Quando vitam finierit.
Pſalm 84.
Ebbo.
S. Otho diſcedit ex Pomerania circa Purificationem S Virginis.
* Camina.
Ducis Bozlai eximia virtus.

per beatum Præſulem ſecuritate, prodeuntes, baptiſmi gratiam conſecuti ſunt. Hæc igitur ſancta occupatio Prædicatori veritatis moram redeundi fecit, eumque in Dodonenſi loco aliquandiu detinuit. Sed peractis omnibus, Belgradenſem vrbem petiit: deinde Colobergam; illic Eccleſiam S. Dei genetricis Mariæ dudum à ſe inchoatam perfecit & conſecrauit. Poſt hæc viſitatis omnibus Eccleſiis, Deoque intima lachrymarum profuſione commendatis, auctus benedictione Domini Pomeraniam egreditur. Dein, proſpero curſu, Poloniam veniens, inedicibili gaudio & reuerentia, velut angelus Dei, à Duce Bolezlao, omniq; clero & populo ſuſcipitur. Fit gaudium generale totius plebis, tam de conuerſione Pomeranicæ gentis, quā etiam de ſoſpitate, & reditu deſiderantiſſimi Patris Ottonis. Aliquandiu ergo illic à Bolezlao Duce, humanitatis gratia, detentus, [a] Bohemiam adiit, ſimilemque Ladiſlao Duci, & omnibus ſuis de aduentu ſuo lætitiam præbuit. Deinde ad Cladaranenſe Cœnobium veniens, fratribus vnanimi deuotione ſibi occurrentibus, ſolita humilitatis affectione ſe commendauit; ſicq; omni feſtinātia fines terræ ſuæ ingreſſus, feria tertia maioris hebdomadæ Michelueldenſem locum adiit; ibique cœnam Domini, debita veneratione, multo fidelium ſtipatus agmine, celebrauit. Nam plures de clero & populo Babebergenſi deſiderantes angelicam eius præſentiam, illic occurrerant, & quaſi de morte redditum Paſtorem piiſſimum ſuſcipientes omnipotenti Domino, qui per tot pericula ſaluum eum reduxit, cum lachrymis gratias agebant. Igitur ſacratiſſimo Paſchali Sabbato diu viduatam ſponſam ſuam amantiſſimus Pater reuiſit, locumque Teuerſtetenſem ingreſſus, ibi reuerendas ſacræ noctis vigilias, more ſolenni peregit. Mane primo reſurrectionis Dominicæ ſplendidior ſolito nobis aurora refulſit, & geminata nos excepit lætitia, tam iucunditate Paſchalis feſti, quam etiam aduentu pii Ottonis illuſtrata. Nam vniuerſo Clero & populo coadunato, multiſque honorabilibus & reuerendis aliorum Cœnobiorum Patribus præſentibus, nouus noſtri temporis Apoſtolus, deſtructis apud Barbaros portis mortis, Victor rediens Eccleſiam ſuam cum triumpho nobili ingreditur, & cunctis præ gaudio flentibus, cum cantu Paſchali, adueniſti deſiderabilis; omni deuotione ſpirituali ſuſcipitur. Erat apud omnes gaudium lachrymis intimæ compunctionis permiſtum, (vti ſolet eſſe in charis mortuis reſuſcitatis) cunctorum voces inedicibili iubilationis ſuauitate alleluia reſonabant, ſtrepitu quantum humanæ aures capere vix poſſent. Omnibus enim veriſimile videbatur, ac ſi Chriſtum à morte reſurgentem ſuſciperent, Deo laudes, Deo gratias, nullo tacente, vnanimi pſallentium affectu, concrepabant. Omnes venerandam eius caniciem & angelicam faciem videre geſtiebant; cuncti pedes eius, Euangelio pacis conſecratos, exoſculari gaudebant. Quibus ille Verbum Dei ſolita eructans dulcedine, magnalia Domini & conuerſionem Pomeranicæ gentis narrabat, & cunctorum affectus ad conſiderandam diuinæ pietatis gratiam, illo, quo ipſe ardebat, charitatis igne accendebat. Exinde incertam humanę vitę metam attendens, illudq; de libro Beati Iob aſſidua meditatione reuoluens, Neſcio, quandiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me fictor meus; omnia, quæ dudum inchoauerat Cœnobiorum & Eccleſiarum ſepta, quantocius conſummare accelerabat. Sed & neceſſariis quibuſque domicilia & hoſpitalia pauperum Chriſti, vt bonus Paterfamilias, ſufficienter accumulare ſatagebat, ne ſi quid in his neglectum foret, de mercede ſua ſubtractum poſtea doleret. Sed pio Præſule in his partibus toto conamine diuinis operibus inſudante, antiquus hoſtis veneno inuidiæ tabeſcens, tot animarum detrimenta ſibi in Pomerania ſucreſcere doluit, ideoque bono ſemini zizania ſuperſeminare ſtuduit. Nam duæ præcipue illæ ciuitates Iulin & Stetin, inſtinctu inimici, apoſtaſian incurrerunt, abiectoque veri Dei cultu, priſcis dæmoniorum ritibus ſe perdendos proſtituerunt. Hoc autem, quo ordine ſit factum; vel qualiter ſecundo pii Ottonis Apoſtolatu, per Dei gratiam, mirifice ſit recuperatum, tertius liber, Domino annuente, explicabit.

S. Otho redit in Poloniam.
Hæc iam ſupra expoſita ſunt; ſed ex Tiemone.
a Venit in Bohemiam.
S. Otho Babergam redit Sabbatho Paſchę.
S. Otho Babergæ cum proceſſione excipitur.
Gaudium ex aduentu S. Othonis.
Deficiunt à fide Iulina & Stetina.

Ebbo.
Hæc non habentur in edit. Caniſ.
** De quo Andreas in præfat. huius operis.*
Qua de cauſſa Iulina & Stetina à fide defecerint.
Iulina à Iulio Cæſare condita.
Ioſ. 7.

LIB. III.

CVm infatigabilem Domini ac Patris noſtri pii Ottonis Epiſcopi affectum, quo gloriam & cultum Chriſti non ſolum in Teutonicis, ſed & in remotis Barbarorum finibus euangelizando propagauit, aſſidua meditatione reuoluerem, nefas iudicaui tam laudabilia eius geſta infructuoſo tegi ſilentio; vnde, non præſumptionis, ſed potius intimæ charitatis ſpiritu ductus, de ſecundo eius Apoſtolatu in Pomerania, ſicut fidelis cooperator ipſius * Vdalricus Presbyter S. Ægidii mihi innotuit, ſcripto tradere curaui. Nam de primo alias ſcriptum eſt. Legat ergo qui voluerit; inuitum & faſtidientem nemo legere compellit. Beatiſſimo Patre noſtro Ottone, poſt primum gentis Pomeranicæ Apoſtolatum ad ſedem propriam feliciter reuerſo, duæ ex nobiliſſimis ciuitatibus, id eſt Iulin & Stetin, inuidia diaboli inſtigante, ad priſtinas idololatriæ ſordes rediêre, hac videlicet occaſione. Iulin à Iulio Cæſare condita & nominata, in qua etiam lancea ipſius columnæ miræ magnitudinis, ob memoriam eius, infixa ſeruabatur, cuiuſdam idoli celebritatem initio æſtatis maximo concurſu & tripudio agere ſolebat. Cumque verbo fidei & baptiſmi lauacro vrbe mundata, per beatum Pontificem idola maiora & minora, quæ in propatulo erant, ignibus conflagrare cœpiſſent, quidam ſtultorum modicas idolorum ſtatuas, auro & argento decoratas, clam furati, penes ſe abſconderant, neſcientes quale per hoc Vrbis ſuæ operarentur excidium, ſicut & infelix Achan, qui, Hierichuntina Vrbe ſubuerſa, auream regulam quinquaginta ſiclorum cum pallio coccineo, & ducentis argenti ſiclis furatus eſt, indeq; grauem cœleſtis iræ vindictam, & Iudaicæ plebis vidit ruinā. Nam ad prædicti idoli celebritatem cum prouincialibus ſolito feruore concurrentibus, ludoſq; & comeſſationes multiformi apparatu exhibentibus, ipſi dudum abſconditas ſimulachrorum effigies populo inani lætitia reſoluto, præſentantes, eos ad antiquum paganizandi ritum impulerunt, ſtatimq; per hoc diuinæ correptionis plagam incurrerunt. Siquidē ludis & ſaltationibus, paganico more, omni populo occupato, ſubito ignis Dei cecidit è cœlo ſuper Apoſtatricem ciuitatem, tantaq; violentia tota Vrbs conflagrare cœpit, vt nemo quippiam de rebus ſuis eripere valeret, ſed animas tantum ſuas ſaluare cupientes, fuga pernici ſæuiens incendium vix euaderent. Tandem vero, vrbe ſua ignis atrocitate deleta, reuerſi, inuenerunt Eccleſiam S. Adelberti per Apoſtolum ſuum Ottonem illic in meditullio propter raritatem lapidum, firmo lignorum tabulato conſtructam, ex media parte flammarum vaporibus abſumptam: ſed mirūin modum ſanctuarium, quod viliori ſchemate, id eſt, arundineto cōtectum fuerat, ſubtet habens pannum lineum oppanſum, propter vermiculos ab altari arcendos, omnino ab ignibus intactum remanſerat. Quo ingenti viſo miraculo, tota plebs in laudem Dei ſumma clamoris exultatione perſonabat, aſſerens procul dubio verum hunc eſſe Deum, qui in tanta ignis violentia, quæ etiam lapides comminuerat, arundinetum ſuo altari oppanſum reſeruare potuerit illæſum: ſicque, aduocatis Sacerdotibus Chriſtianis, publicam egêre pœnitentiam; & abiuratis penitus idolis, vrbeq; ſua, prout poterant, reædificata, iugo Chriſti ceruices ſuas alacri deuotione ſubmiſerunt. Hoc modo diuinæ correptionis plaga ſalutem in terra eorum eſt operata. Stetin vero ampliſſima ciuitas, & maior Iulin tres montes ambitu ſuo concluſos habebat; quorum medius, qui & altior, ſummo paganorum Deo, Trigelaus dictus, * tricapitū habebat ſimulachrum, quod aurea cidari oculos & labia contegebat, aſſerentibus idolorum ſacerdotibus, ideo ſummum Deum tria habere capita, quoniam tria procurat regna, id eſt cœli, terræ & inferni: & faciem cidari operire pro eo, quod peccata hominum quaſi non videns & tacens diſſimulater. Hac itaq; potentiſſima ciuitate ad veri Dei agnitionem per beatum Præſulem adducta, delubra idolorum flammis erant abſumpta; duæq; Eccleſiæ, vna, in monte * Trigelai ſub honore S. Adelberti; alia, extra ciuitatis mœnia, in veneratione S Petri, erant excitatæ: & ex hoc ſacrificia, quæ copioſo apparatu & diuitiis, ſacerdotibus faniſq; idolorum exhibebantur nunc, Eccleſiæ Chriſti vindicabant: vnde commoti ſacerdotes, & prioris pompæ delicias quotidie ſibi decreſcere videntes, occaſionem quærebant, vt populum ad idololatriam, quęſtus ſui gratia, reuocarent. Accidit ergo mortalitatem magnam ciuitati ſuperuenire, & requiſiti à plebe ſacerdotes, dicebant; abiurationis idolorum cauſa hoc eos incurriſſe, omneſque

Vltio diuina in Apoſtatas.
Eccleſia S. Adelberti media ex parte flāmis abſumpta.
Ingens miraculum.
**Trium capitum vel Triceps. Triglaff.*
**Triglaff.*
Sacrificuli Ethnici famem metuentes, populum ad defectionem ſollicitant.

mneſq; ſubitò morituros, niſi antiquos Deos ſacrificiis & muneribus ſolitis placare ſtuderent. Ad hanc vocem ſtatim conuentus forenſes aguntur, ſimulacra requiruntur, & in commune profanus ſacrificiorum ritus ac celebritas repetitur: Eccleſiæ Chriſti ex media parte deſtruuntur. Cumq; ad ſanctuariũ plebs furibunda veniſſet, non auſa vlterius progredi, cum vnum idolorum Pontificem ſic tumultuoſo ſtrepitu alloquitur. Ecce, quod noſtrum erat, executi ſumus, tuũ eſt iſtud caput & culmen Teutonici Dei pro officio ſuo aggredi & profanare. Ille autem, arrepta ſecuri, cum altius dextram libraſſet, ſubitò dirigitur, & reſupinus corruens clamore lamentabili dolorem ſuum proteſtatus eſt. Accurrens vulgus cauſam doloris requirit. At ille grauiter ingemiſcens; heu, proh dolor, inquit, quantæ potentiæ, quantæ fortitudinis eſt Teutonicus Deus, & quis reſiſtet ei? Ecce ego, quia ſacraminis eius ædẽ contingere præſumpſi, quomodo percuſſus ſum. Illis verò attonitis, & quid agerent, inquirentibus; Pontifex eorum: Aedificate, ait, hic domum Dei veſtri iuxta ædem Teutonici Dei, & colite eum pariter cum Diis veſtris, ne fortè indignatus interitum huic loco quantocyus inferat; qui præcepto eius paruerunt, & vſque ad reditum piiſſimi Apoſtoli ſui Ottonis in hoc errore permanſerunt.

Tumultuãtis plebis ad przeptum Popã oratio. Punitur impius ſacrificus.

II. SED interim non deſtitit diuinæ pietatis prouidentia, quæ ſemper conuerſionem errantium deſiderat, paterna eos lenitate redarguere, per quendam potentiſſimum de ciuibus ſuis Wirtſchachum nomine, mirabiliter ab hoſtium captiuitate & maris periculo liberatum, quod nullatenus ſilentio prætereundum eſt: maximè cum per abſentem licet beatiſſimum Pomeranicæ gentis Apoſtolum, tam euidens miraculum Chriſtus operari ſit dignatus. Siquidem orientalis eſt regio Barbarorum Pomerania, habens ex latere prouinciam Danorum, mari interiacente; tantaque eſt maris latitudo vtramque diuidens regionem, vt qui in medio nauigans ſereniſſima die poſitus fuerit, vix prouincias has ad inſtar minimæ nubis conſiderare valeat. Hic itaque ciuitatis Stetinenſis gloria ex diuitiis inter ſuos opinatiſſimus, frequenter in prouinciam Danorum nauigare, & prædam ex ea agere ſolebat, ſicut & illi è contra in Pomeraniam crebras incurſiones piraticas faciebant. Sed eo tempore, quo ciuitas ſua apoſtaſiam, vt prædiximus, incurrerat, idem præpotens vir Wirtſchachus, copioſo ſex nauium apparatu, Danos ſibi infenſos petebat, & non præuiſas incidens inſidias, cum omnibus ſuis captus eſt; ſociiſq; te crudeliter ſtrangulatis, ipſe ſolus carceri traditur, collo, pectore, manibus, pedibuſque graui catenarum nexu, quæſtus duntaxat gratia, compeditus. In hac arctiſſima reclusione poſitus, ſinguliſque momentis, quando ad mortis atrociſſimum ſupplicium traheretur, ſuſpectus, piiſſimi Apoſtoli ſui memoriam reuoluere cœpit, à quo ipſo dudum de ſacro Chriſti fonte ſuſceptus erat, & ſalubri lacrymarum imbre perfuſus, hanc ſupplicem Domino ex omnibus cordis medullis profudit orationem: Domine Deus omnipotens, qui nos ad cognitionem nominis tui per os ſancti Patris noſtri Ottonis Epiſcopi venire tribuiſti; miſerere & ſuccurre mihi in hac tribulatione, per eius beatiſſima merita, qui me licet indignum de ſacro nouæ regenerationis lauacro ſuſcepit, vt ſi vera ſunt omnia, quæ ex ore eius de tua inæſtimabili pietate audiui, nunc in tam horrendæ mortis imagine poſitus experiar, & tuo munere abſolutus, deinceps ab hac piratica inuaſione deſiſtam, tuæque religioni debita deuotione iugiter inhæream. Hæc cum dixiſſet, ex multa mœroris & inediæ defectione in ſomnum reſolutus eſt, continuoq; dilectum Apoſtolum ſuum Ottonem cernit Pontificali infula redimitum adſtare, & virga paſtorali latera dormientis pulſare. Qui attonitus & præ gaudio lacrymans, hic flebili voce eum compellat. O Pater ſancte, ô ſerue Dei viui, quis te ſic inopinatum his appulit oris? At ille, propter te, inquit, veni: ſurge quantocyus, & ſequere me. Cui captiuus: quomodo, ait, Domine pater ſurgam tantis catenarum nexibus irretitus? Tunc Pater benignus, ſigno Crucis edito, erexit eum, ſtatimq; vincula eius, cœleſti virtute, dicto citius, ſoluta ceciderũt in terram. Cui ſeruus Domini: Ecce, ait, abſoluit te Chriſtus, cui credidiſti. Memento, vt, cum redieris in terram tuam, omnibus ciuibus tuis legationem meam proferas. Grauem quippe offenſam Dei incurrerunt pro eo, quod cultu eius neglecto, priſcis idololatriç ſordibus ſe polluere veriti non ſunt: & niſi quantocyus reſipiſcant, cœleſtis iræ vindictam aut hic, aut in futuro ſeculo multipliciter incurrent. His dictis euanuit ex oculis eius. At ille concitus egrediens, curſu rapidiſſimo venit ad mare. Sed, quid ageret, dubius intra ſemetipſum variis cogitationibus æſtuabat dicens: Ecce Deus per merita beatiſſimi patris mei Ottonis abſoluit me: ſed quomodo tanta maris ſpatia ſine naui trãſibo? Hæc animo voluens in tetræ noctis ſilentio, aſpicit modicam coram ſe nauiculam littoribus ſine vectore appulſam, in qua non niſi vnus homo gnarus & exercitatus in his, vehi poſſet, quam ſine cunctatione ingreſſus, pelago ſe committit, ſola fide munitus, & hæc ſecum reputans: Satius duco in profundo maris, ſi ſic neceſſe eſt, * introire, quàm denuo cruentas hoſtium manus incidere qui, ſi me, quod abſit, in hoc littore comprehenderint, nouis & inauditis cruciatibus laniatum crudeliter ſtrangulabunt. Sed adſcendente eo in nauiculam ſtatim Dominus ventum validiſſimum miſit in mare, qui eum ſine mora ad littus Stetinenſis ciuitatis ſine remige perduxit. Et egreſſus ad terram, cum lacrymis Deo omnipotenti, & beatiſſimo Patri ſuo Ottoni debitas gratiarum actiones exſoluit, maximoq; ciuium ſuorum gaudio & admiratione ſuſceptus, omnem iacturæ & ereptionis ſuæ ordinem eis expoſuit: qui etiam in teſtimonium miraculi huius, nauiculam ipſam in portæ Vrbis introitu ſuſpenderunt. Sed à malis incitati ſacerdotibus, legationem pij Doctoris ſui ſpreuerunt in eodem errore durantes, quoad vſque Præſul ipſe denuò eos viſitans, ad viam veritatis reuocaret. Quod, quo ordine factum ſit, ſubſequens narratio declarabit.

Vide edit. Caniſ. c. 13.

VVirtſchachus ciuis Stetinenſis ditiſſimus. Captiur a Danis.

Oratio eius ad Deũ.

S. Otho apparet Wirtſchacho.

Liberatur ex vinculis ope S. Othonis.

Diuinitus offertur ei nauicula

* Interire.

Sine remige transfretat.

Venit Stetinum.

Liberationis ſuç modũ exponit.

III. IGITVR electus Dei Pontifex audiens inimicum bono ſemini zizania ſuperſeminaſſe, non eſt paſſus Stetinenſes claudicare in duas partes, Domino & idolis ſeruiendo; ſed, petita benedictione à Domino Apoſtolico Honorio, & ſereniſſimo Rege Lothario, Barbarorum fines rurſum adire diſpoſuit, tam pro Apoſtatis ad ſinum Eccleſiæ reuocandis, quàm etiam pro alia gente, videlicet Noim dicta, quæ necdum nomen Chriſti audierat iugo fidei ſubigenda. Præparatis itaque paterna prouiſione abundanter vitæ neceſſariis, pluribus etiam verbi miniſtris & cooperatoribus, religione & induſtria pollentibus, accitis, in Cœna Domini ſacratiſſima, mox poſt confectionem Chriſmatis & Miſſarum ſolennia deuotè peracta, ieiunus ac ſandaliis, ſicut altari adſtiterat, ornatus, elato Crucis vexillo, iter prædicationis arripuit, iuxta quod ſcriptum eſt; quam ſpecioſi pedes euangelizantium bona. Omnibus ergo filiis ſuis amantiſſimum patrem lacrymis proſequentibus, & proſpera ea ſupplici affectu imprecantibus, ipſe fide armatus, & galea ſalutis munitus ciuitatem inimici expugnare ac deſtruere aggreſſus, primam manſionem habuit in curia Babenbergenſis Eccleſiæ, quæ Grouuze dicitur, vbi authenticum * Mandatum ſuis, more ſolenni, celebrauit. Sequenti verò die poſt officii & ſepulturæ Domini celebrationem, inde digreſſus ad vrbem antiquam, vocabulo Kirchberg deuertit: vbi Sabbathum ſanctum Paſchæ & ipſam Dominicæ Reſurrectionis diem ſumma deuotione peregit. Feria ſecunda Paſchæ monaſterium nouiter à ſe conſtructum Regenhereſtorf expetiit, quod & feria III. Paſchæ in honore S. Ioannis Baptiſtæ debita cum veneratione dedicauit, multum ſe iterũ; ſuum beato Ioanni, intimo Patrono ſuo, commendans. Poſt hæc tota Paſchali hebdomada, in poſſeſſionib. Eccleſiæ Schidingẽ & Mucheln, pro neceſſariis viæ ſumptib. aggregãdis, occupatus, inſignẽ illã Saxoniæ metropolim Magdeburg adiit, vbi à dilecto ſuo* Noriperto Archiepiſcopo honorifice ſuſceptus eſt. Sed quia ſemper gloriã ſequitur æmulatio, idẽ Archiepiſcopus cernens eũ de tã lõginqua regione ad officiũ prędicationis ſuperuenire, & pudore actus, quod ipſe in ciuitate gentiũ Barbararũ poſitus, nihil tale aggredi præſumpſiſſet, inuidia ſtimulãte, piũ doctorẽ aliquãdiu retardare voluit. Sed ipſe feruẽs in ſpiritu, nullaten⁹ à bono propoſito reuocari potuit. Itaq; petita ab eo benedictione, poſtera die, * Abelbergenſẽ † Epiſcopatũ petiit, quod tũc paganorũ crebris incurſionib. ita deſtructũ erat, vt Chriſtiani nominis vix tenues in eo reliquiæ manſerint. Nam ipſo die aduentus eius ciuitas vexillis vndiq; circũ poſita, cuiuſdam idoli Gerouiti nomine celebritatem agebat. Quod vir Domini vt aduertit, corde tenus pro tali errore cõpunctus,

Ebbo.

Anno Chriſti 1128.

Altera S. Othonis in Pomeraniã profectio.

Rom. 10.

*Intelligit nedum lotionem die Cœnæ Domini fieri conſuetam.

*Norberto

* Hauelbergenſe.

† Epiſcopiũ.

punctus,

Digitized by Google

Solemnitas Ethnica. [a] S. Otho Dominũ loci obiurgat ob toleratã idololatriã. [b] S. Othonis concio ad Hauelbergenſes. [c] Fructus cõcionis. [d] Munera data Witikindo. [e] Piſcator pro venditis piſcibus ſalem petit, rẽpudiatis nummis, Et quare. [f] Saxones ſubiecti Archiepiſcopo Magdeburgenſi petunt baptiſmum à S. Othone.

punctus, vrbis mœnia ingredi recuſauit. Sed, ante portam conſiſtens, Witikindum eiuſdem loci Dominum, accerſiuit, & [a] cur hãc idololatriam exerceri pateretur, obiurgauit: qui poteſtatus plebẽ, Archiepiſcopo ſuo Noriperto rebellẽ, eo quod duriori ſeruitutis iugo eam ſubiugare tentaret, nullo modo cogi poſſe fatebatur, vt ab eo doctrinæ verbũ ſuſciperet. Sed prius mortis occaſum, quàm ſeruitutis huiuſmodi onus ſubire paratam eſſe. Ideo verò idem Witikindus ſupplicabat Epiſcopo, vt eidem ciuitati errorem ſuum pandere ne abnueret, dicẽs; monitis eius multo ardentib. plebẽ, quàm Archiepiſcopi ſui iuſſionibus obedire: qui [b] ſtãs in edito ante portam ciuitatis, omni populo coadunato, Verbum ſalutis prædicabat, & abdicationem huius ſacrilegæ celebritatis facilè apud [c] eos obtinuit, proteſtãtibus etiam, baptiſmi gratiam ſub alio Archiepiſcopo prompta voluntate ſuſcepturos. Pius verò prædicator eidem VVitikindo magnã auri [d] quãtitatem & coniugi eius Pſalterium precioſum, ſolita vſus beneuolentia tribuit: ibique diuerſa itineri neceſſaria cum triginta plauſtris comparauit, Deinde à VVitikindo exquirere cœpit, ſi ducatum ſibi per regionem ſuã, ſicut in Merſeburgenſi oppido, corã glorioſiſſimo Rege Lothario ei ſpoponderat, præbere paratus eſſet: qui abnuens, reſpõdit, eum per terras hoſtium ſuorum paulo poſt tranſiturum, ideoq; ducatũ ei præbere non poſſe, ne fortè ſatellites ſui ab eiſdem hoſtibus capti & iugulati interirent. Tum Pater amabilis, fortiſſima Dei manu ſuper ſe inuocata, cœpti itineris curſum aggreſſus eſt. Erat illic vaſtiſſima ſilua, quâ diebus quinque tranſmiſſa, venit ad ſtagnũ miræ longitudinis, vbi homuncionẽ paruæ inſidentem nauiculæ contemplatus, copioſam ab eo piſciũ multitudinẽ comparauit, ſed ipſe, mirũ dictu, argento multo, aliiſq; ſpeciebus ſibi propoſitis, nihil precii, niſi [e] tãtum ſal accipere conſenſit. Dicebat enim ſe ſeptennio panẽ non guſtaſſe, ſed piſcibus tantũ & aqua ſtagni illius vitam alere inopem. Siquidem capta à Duce Poloniæ Prouincia, ipſe cum vxore ſua fugiens, ſecuri & aſcia ſua aſſumpta, paruam in medio ſtagni ipſius planitiem inuenit: vbi ædificata domuncula, ſecurè habitabat, tantamq; ſiccatorum piſciũ multitudinem æſtiuo tempore congregabat, vt tota hieme ſuperabundaret: quibus etiam condiendis non paruam ſalis quantitatem à bono prædicatore coẽmit. Erat etiã illic barbarorum natio, quæ Morim vocabatur. Hęc audita beati Pręſulis opinione, [f] vltro ſe fidei Sacramẽtis ab eo imbui expetebat: ſed ipſe vt vir prudens & ſagaciſſimi ingenii, ad Noripertum, Archipræſulem ſuum, eos dirigebat, dicẽs; illicitum eſſe ſuper alienum fundamentum ædificare, ſe potius ad remotiores gentes, edicto Domini Papæ & literis VVortizlai Ducis Pomeraniæ euocatum. At illi; Magdeburgenſem ſe nolle ſequi proteſtantes: quia grauiſſimo ſeruitutis iugo eos opprimere niteretur, ei, tanquam pio Dei ſeruo ceruicem cordis humiliter ſubmittere, & dictis eius per omnia obedire pollicentur. Quorum deuotionem intuens, benignè reſpondit, ſe quidem interim ad gentes ſibi cõmiſſas tendere; ſed poſt earum conuerſionem, ſi in hac voluntate perſiſterent, auctoritate & permiſſu Domini Papæ, atq; voluntate & conſenſu Noriperti Archiepiſcopi, eos impigrè viſitaturum.

Ebbo. Dammin, Damina, ſeu Domina. [g] Luticẽſes oppugnant Timinam. [h] Implorant opẽ Ducis Pomeranię. [i] Timinẽſes terrentur aduentu S. Othonis. [k] Ponunt timorem. [l] Timinẽſes occurrunt S. Othoni. [m] Figit tentoria ante portam. Vide libr. 3. cap. 3 vitæ à Caniſ. edit. [n] Albinus Interpres S. Othonis. [o] Gaudium Ducis Pomeraniæ ob præſentiam S. Othonis. * Vſdom.

IGITVR veniens ad Vrbem Timinam maximum illic belli apparatũ hoſtilemq; Luticenſium incurſionem reperit. Nam Luticenſes, quorum ciuitas cum fano ſuo, à glorioſiſſimo Rege Lothario, zelo iuſtitiæ, nuper erat igni tradita, vrbẽ [g] Timinam vaſtare, ciueſq; eius captiuare nitebantur: ſed ipſi eis vtiliter reſiſtẽtes VVortizlai Ducis [h] auxiliũ requirebant. Dux verò beato patri noſtro aduentum ſuum illic præſtolari mandauerat, quem etiam per biduum, non ſine periculo capitis ſui intra hoſtiles diſcurſus expectabat. Ipſa verò die aduentus Præſulis eximii, Timinenſes ante portã conuentus forenſes agebant. Sed quia ciuitas in valle poſita erat, ipſo de montibus cum tam copioſo triginta plauſtrorum apparatu deſcendẽte, plebs [i] omnis tumultuoſo hoc perterrita ſonitu, hoſtiumq; cuneos ſuper ſe arbitrata irruere, vrbẽ quantocius ingredi, ſeque ad reſiſtendum præparare molitur. Appropinquante ſeruo Dei, nihil armorum [k] in circuitu eius, ſed potius vexillum Crucis deprehendit, ſtatimq; pium Ottonem, fama apud eos celeberrima vulgatum, agnoſcẽtes, alacri deuotione [l] occurrunt, mœniaq; ciuitatis intrare depoſcunt, qui renuens vrbem idololatriæ ſordibus pollutã ingredi, ante [m] portã, fixis tentoriis, habitabat; interimq; accerſitos ad ſe primates plebis, ad fidei Chriſtianæ & lauacri ſalutaris gratiam, mira prædicationis dulcedine, prouocabat. Sed antiquus hoſtis cernens illic Dominica lucra, ſuaque detrimenta ſuccreſcere, inuidiam erga Dei famulum habitam celare non paſſus eſt: ſed immiſſo quodam fallaci terrore, eum à finibus illis propellere niſus eſt. Sequenti etenim nocte, Dux Pomeraniæ in auxilium Timinenſium cũ duobus exercitibus, id eſt, nauali & equeſtri ſuperuenit: & equeſtris exercitus prior occurrere debuerat, ſed ventus rapidiſſimo curſu nauim impellens, celerius litori appulit. Equeſtris verò exercitus poſtea veniens, ſociamque turmam, quam ſe tardè ſecuturam ſperabat, illic inueniens, ſuſpicatus eſt hoſtilem cuneum ſe incurriſſe, eo quòd tetra noctis ingrueret caligo; ſtatimq; clamor confuſus & tumultus importabilis vtrimque exoritur; vniuerſus pii Præſulis comitatus nimio terrore perculſus, ad fugam ſemet inuicem cohortantur, affirmante Domino [n] Albino, interprete Viri Dei, paganorum Luticenſium adeſſe cateruam, & iam cæde miſerabili Duces exercitum laniare. Doctor verò eximius eundem Albinum, religioſum Preſbyterum, illuc celeriter pro inueſtiganda rei veritate tranſmiſit: qui flumini concitus ſe iniiciẽs, eo quod natandi peritus eſſet, pacata iam omnia reperit, quia exercitus illi ciues ſe tandem recognouerant, & diabolico errore ſe præuẽros aſſerebant. Dux [o] autem Vuortizlaus de aduentu pii Paſtoris vltrà quàm credi poteſt gratulatus, mandat ei ſine mora, in vlteriorem ſibi ripam occurrere, dicens: diuini eſſe miraculi, quod biduo ibi inter tam crebras hoſtium diſcurſiones illæſus permanſit. Et re vera, niſi validiſſima Dei protectione, tanquam ſcuto inexpugnabili, obũbratus fuiſſet, cum omni ſuo comitatu, nullo reſiſtente, interiſſet. Mox autem, vt terris dies eſt redditus, Dux cum exercitibus ſuis rebellium Luticenſium terras inuadens, cuncta ferro & igne vaſtat. Ad veſperam verò magna præda onuſtus rediens, chariſſimum ſibi Patrem Ottonem debita cum reuerentia * Vznoim perduxit; vbi opportunam manendi & prædicãdi quietem habebat; ſtatimq; in feſtiuitate Pentecoſtes generale Principum Regni ſui colloquium in eodem loco indixit, vbi conuenientibus Timinenſis ciuitatis, aliarumq; Vrbium primoribus, ſapienter eos ad ſuſcipiendum Chriſtianæ fidei iugum prouocabat. Ipſe enim in pueritia ſua captiuus erat in Teutonicas regiones abductus, atque in oppido Merſeburgenſi baptiſmi gratiam conſecutus Sed, inter paganos viuens, ritum Chriſtianæ legis exequi non poterat, ideoq; gentem, cui præerat, fidei iugo ſubiici, ardenter deſiderabat.

Oratio Ducis ad ſuos ſubditos. Vſdonẽſes interfecerunt nõnullos Euangelii prædicatores. * Legatus. Quis & quantus Otho Epiſcopus.

CONSIDENTIBVS ergo Principibus, Dux ita exorſus eſt: Cernitis dilectiſſimi, quomodo Pater hic beatiſſimus etiam canicie venerandus pro ſalute veſtra, omnem gloriam & magnificentiam, quam apud ſuos habebat, reliquerit, & V.
cum periculo capitis ſui longinquas ſibi ignotaſq; adiit regiones, nec propriis ſumptibus, nec canis ſuis, pro Dei amore parcens, ſed in morte animam ſuam ponens, vt vos à morte ad vitam reuocaret; arduam, difficilemque nimis hanc peregrinationem ſubire non dubitarit. Antea quidem multi verbum Dei his partibus annuntiantes venerũt, quos inſtinctu Satanæ occidiſtis, è quibus etiam nuper vnum crucifixiſtis, ſed oſſa eius, Capellani, Domini mei Epiſcopi, digna reuerẽtia colligentes, honorificè tradiderunt ſepulturæ Hunc autem reuerendiſſimum Dominum meum Epiſcopum, fama celeberrima vbiq; vulgatũ; nõ ſic tractare debetis, nec poteſtis, quia * Miſſus eſt Papæ, & dilectus Domini noſtri Lotharii Regis inuictiſſimi, Nã & ipſe Romani imperii Princeps, & cuncti primates, loco Patris eum venerantes, conſiliis eius per omnia obedire ſatagunt. Vnde ſciatis procul dubio, quia, ſi quidquã moleſtiæ aut controuerſiæ ei à vobis irrogari Dominus Rex audierit, ſine mora cum exercitu ſuperueniens vſque ad internecionem delebit vos, & terram veſtram. Non eſt meum ad hanc vos religionem cogere, quia, vt ex ore Domini mei Epiſcopi audiui, non vult Deus coacta ſeruitia, ſed voluntaria. Quapropter vnanimi conſilio inter vos ſecretò conuenientes, ſalutis veſtræ cauſam agite, & quali deuotione hunc reuerendiſſimum Dei ſeruum, veſtrumque Apoſtolum ſuſcipiatis, in com-

mune

Digitized by Google

munere decernite. His auditis, Principes, & natu maiores opportunum huic colloquio locum petentes, diù multumq; ancipiti ſententia nutabundi oberrabant, præcipuè ſacerdotibus idolorum, quæſtus ſui gratia, contradicentibus: ſed pars ſanioris conſilij affirmabat, infinitæ nimis eſſe inſipientiæ, cùm oẽs circumiacentium nationum prouinciæ totusq; Romanus orbis Chriſtianæ fidei iugum ſubierit, ſe velut abortiuos, gremio S. matris Eccleſiæ abalienari, meritoq; diligendum Chriſtianorum populum, qui per tot annorum curricula eos ſibi rebelles pertulerit, patienter exſpectans conuerſionem eorum; nimisq; verendum, ſi amplius iugum eius detrectauerint, cæleſtis iræ importabilem ſeſe vindictam incurrere. Tandem diuinâ præueniente clementiâ, vnanimiter cultum idolorum abdicarunt, & fidei iugo colla ſubmittentes, baptiſmi gratiam flagitare cœperunt. Quo audito, paſtor pijſſimus flens præ gaudio, poſitiſque genibus, intimas Deo gratiarum actiones exſoluit.

Audita oratione Ducis deliberant, quid facto opus.
Idololatriã deſerunt.

VI. Mox igitur in eadem ciuitate baptizatis Principibus vniuerſis, binos & binos è Presbyteris ſibi adhærentibus, ad alias vrbes, ante faciem ſuam, præmiſit, vt populo conuerſionem Principum, ſuumque aduentum denunciarent, quorum duo, id eſt, Vdalricus religioſus Presbyter S. Ægidij, & ſupra dictus Albinus, interpres viri Dei, opulentiſſimam ciuitatem * Hologoſt dictam, adierunt, vbi à matrefamilias, vxore ſcil. Præfecti vrbis, honorificè ſuſcepti ſunt, ita vt pedes eorum ſumma humilitatis deuotione lauaret: ſtatimq;, menſa appoſitâ, copioſiſſimis eos dapibus reficeret, mirantibus eis & admodum ſtupentibus, quod talem in regno diaboli humilitatis & hoſpitalitatis gratiam meruiſſent. Tandem finita refectione, Dominus Albinus matremfamilias ſecretius alloquens, indicauit ei cauſam aduentus ſui, & qualiter ad colloquium * Vznoim habitum cuncti Principes, abdicatis idololatriæ ſordibus, Chriſti gratiam induerint. Hæc illa audiens, adeò expauit, vt terra procumbens diù ſemianimis remanſerit: quam in aqua refocillatam Dñs Albinus requirere cœpit: cur Dei gratiam adeò exhorruiſſet: cùm magis lætari debuerit, ꝙ Deus viſitauit plebem ſuam mittendo ei tam idoneum Verbi miniſtrum. At illa, non pro hoc, ait, obſtupui, ſed magis pro nece veſtra, iam iamq; imminente, contremuit cor meum. Nã *a* magiſtratus ciuitatis huius cum omni plebe propoſitũ habet, vt vbicũq; apparueritis, ſine retractatione occidamini: & *b* hæc domus mea ſemper quieta & pacifica omnib. peregrinis ſuperuenientibus hoſpitalis fuit: nunc verò ſanguine veſtro contaminanda erit re vera. Nam ſi aliquis magiſtratuum introitũ veſtrum hunc deprehendit, hac hora domus mea obſidione vallabitur: & ego infælix, niſi vos tradidero, igni, cum omnibus meis concremabor. Aſcendite ergò *c* in ſuperiora domus meę, ibiq; latitate. Ego miniſtros meos cum exuuiis veſtris atq; caballis ad remotiores villas meas dirigam, vt, ſi venerint inquiſitores, libere vos excuſare poſſim, cũ nec indumenta veſtra, nec caballi apud me deprehendantur. Illi verò piæ eius prouiſioni gratias agentes, fecerunt vt docti erant: ſtatimq; miniſtris caballos eorum & veſtes abducentibus, poſt modicũ *d* plebs furibunda irrupit, omniaq; ſcrutantes, peregrinos illic ingreſſos violenter ad mortẽ expetebant. Quib. *e* materfamilias: fateor, ait, domũ meam ingreſſi ſunt, & ſufficienter refecti velocius abierunt: & ego, qui vel vnde eſſent, aut quò tenderent, explorare nõ potui. Sequimini aũt. & forſan cõprehenderetis eos. Illi verò, ſi, inquiunt, abierunt, vanũ eſt, eos inſequi: ſed viam ſuam pergant: & ſi denuò hîc apparuerint, morti ſe ꝓcul dubiò inuoluẽdos ſciant. Et ſic inquiſitio eorũ, Dei nutu, caſſata eſt: ſeruiq; Dei Vdalricus & Albinus in ſolario matronæ illius, velut alterius Raab, abſconditi latuerũt.

Ebbo. Vita a Caniſ. edit. li. 3 c. 5.
* VVolgaſt.
Quã humaniter VVolgaſti excepti fuerint.
* Vſdom.
Albin.* cauſam aduentus pandit.
Mulier præ pauore cor ruit
a Cauſa huius rei.
b Iam decretum fuerat, vt trucidarentur.
c Abſconduntur in ædib. fœminæ.
d Plebs fortẽs impetũ facit in ædes.
e Quæ eluſa recedit.

VII. PORRO fama facti repentè in vniuerſam prouinciam vulgatur, villas & vicos in ſtudia diuerſa conſcindens, aliis dicentibus, *quia benè eſt*: aliis aũt dicentibus, quia nõ: ſed magis ſeductio magnates apprehẽdit. Ipſi verò ſacerdotes *idolorũ f nõ* minima cauſa huius cõſciſſionis erant, appoſiti eis, quibus diſplicebat, ꝙ factum fuerat: ſua nimirum lu*cra ceſſatum* iri non ignorantes, ſi cultura dæmonum illic aboleretur. Vnde modis omnibus rem præpedire moliti, *varia callidi*tatis ſuæ argumẽta viſionibus, ſomnijs, prodigiis & variis terroribus confinxerunt, quin etiam *g* in Holo*goſta ciuitate*, quo tunc proximè aduenturus nunciabatur Epiſcopus, Sacerdos, qui illic idolo miniſtrabat, nocturno tempore vicinam ſyluam ingreſſus, & *h* in loco editiori ſecus viam, inter condenſa fruticum, ſacerdotalibus indutus adſtabat, & mane ſummo quendam ruſticum de rure ad forum gradientem his alloquitur. Heus tu, inquit, bone homo? At ille reſpiciens in eam partem, vnde vocem audierat, inter virgulta perſonam candidis indutam, quamuis dubia luce videre cœpit & timere. Et ille: Sta, inquit, & accipe, quæ dico. Ego ſum *i* Deus tuus, ego ſum, qui veſtio & graminibus campos, & frondibus nemora, fructus agrorum & lignorum, fœtus pecorum, & omnia, quæcunque vſibus hominum inſeruiunt, in mea ſunt poteſtate. Hæc dare ſoleo cultoribus meis, & his, qui me contemnunt auferre. Dic ergo eis, qui ſunt in ciuitate Hologoſtenſi, ne ſuſcipiant Deum alienum, qui eis prodeſſe non poſſit: mone, vt alterius religionis nuncios, quos ad eos venturos prædico, viuere non patiantur. Hæc vbi attonito ruricolæ dæmon viſibilis edixerat, ad denſiora nemora ſeſe contulit impoſtor. Ruſticus vero: quaſi de oraculo ſtupidus, corruens, pronus adorauit in terra. Deinde abiens in ciuitatem, cœpit annunciare viſionẽ. Quid plura? Credidit populus, iterum atq; iterũ circũdantes hominẽ, eadem ſæpiùs narrare cogebãt, moti videl. monſtri nouitate. Poſtremo, ac ſi neſcius omniũ, aduenit Sacerdos, indignationem primo ſimulans, quaſi de mendacio, deinde attẽtius audire, & obteſtari cœpit hominem, vt vera tantum narrans, nullo figmento populum ſolicitaret. At ille, vt erat ruſticanæ ſimplicitatis, manus tendere, oculos ad cœlum leuare, magnis iuramentis & forti proteſtatione rem ita ſe habere aſſerens, etiam locum ipſius apparitionis ſe oſtenſurum pollicetur. Tunc Sacerdos conuerſus ad populum, vanè ſuſpirãs: En hoc eſt, inquit, quod toto anno dicebam. Quid nobis cum alieno Deo? quid nobis cum religione Chriſtianorum? Iuſtè mouetur & iraſcitur Deus noſter, ſi poſt omnia benefacta eius ſtulti & ingrati ad alium conuertimur. Sed ne iratus occidat nos, illis iraſcamur, & occidamus eos, qui nos ſeducere veniunt. Quod dictum cùm placuiſſet omnibus, firmauerunt decretum,
Vide fol. 63. vt, ſi Otto Epiſcopus, vel quiſpiam de ſocietate eius ciuitatem intraret, ſine mora occideretur. Item, firmauerunt ſibi ſermonem, nequam ſcil. vt ſi nocte vel clam intrantes quiſquam tecto reciperet, ſimili ſententiæ ſubiaceret. Et hæc agentes multis opprobriis, & verborum iniuriis religionem noſtram blaſphemantes deridebant.

Sefridus. Vita a Caniſ. edit. li. 3 c. 4.
f Sacrifici idololatriæ obſtant cõuerſioni ad fidem.
g ſq; variis technis.
h Lepidum cõmentum cuiuſdam Popæ.
i Fictitius Deus Ruſtici ſtupor.
Quid viderit, nunciat.
Populo à cõcitato admiſcet ſeipſum et impoſtor.
Populum in illuſione cõfirmat.
Decreta cõtra S. Ottonem & comites.

VIII. ITAQVE vrbem ingreſſus, Duce fideliter ac ſtrenuè ad omnia cooperante, ſemen ſparſit Euangelij, & dura incredulorum corda placidæ prædicationis vnguento paulatim detumeſcere faciebat. Interea quidam de ſociis noſtris, Vdalricum & Albinum de latibulis ſuis emergentes, & iunctos nobis timorem ſuum referentes deſerunt, & quaſi eis inſultantes ſecurius ſe habere cœperunt, & longius à ſuis digreſſi, fana etiam idolorum, Epiſcopo ſermonem exhortationis protrahente, ſpeculatum vagabantur. Verùm quidam maligni homines, apud quos radix paganiſmi adhuc valentius vigebat: En, inquiunt, iſti explorant quomodo templa noſtra incendant: & congregantes ſe in platea, etiam arma portare & fuſtes cœperunt: & quia tranſituri videbamur, nobis obuiam ſtare. Vdalricus aũt intuens illos eminus & ſubſiſtens: non aduertitis, inquit, hos non ſine cauſa conuenire. Nam & turbulenter ſe habent: & arma habent oẽs: & prioris periculi recordans: Nolo, inquit, toties tentare Deum meum: & cõuerſus illo, vbi Epm dimiſerat, redire cœpit, aliis omnib. eum ſequentib. præter *k* clericum quendam, nomine Theodoricum: qui longius ante illos progreſſus, iam fores delubri tenebat. Videntes aũt pagani, qui conuenerant, illos arrepta via reuerſos, perſequi quidem eos nõ audebant: ſed *l* ad illum Clericum interficiendum oẽs accurrunt. Quo viſo, ille aliud, quo declinaret, nõ habens, fanum *m* ipſum audacter, quãuis exterritus, intrauit. Erat aũt *n* illic clypeus pendens in pariete miræ magnitudinis, operoſo artificio, auri laminis obtectus, quẽ contingere nullum mortalium liceret, eo ꝙ eſſet illis neſcio quid in hoc ſacroſanctum, ac paganæ religionis auſpicium, in tantum, vt nunquam, niſi belli ſolummodo tempore, à loco ſuo mo-

Sefridus.
Populus cõtra comites S. Othonis cõgregatur.
Pedem referũt Vdalric.* & alij.
k Vn* ex clericis ad delubrũ pergit.
l Quẽ plebs inſequitur.
m Ipſe ad fanum fugit.
n Clypeum arripit, & eo plebẽ fugat.

Videtur hic legendum. Herouito.
Ruſtici partim fugiũt, partim obrigeſcunt.
S. Otho monet ſuos, vt caute agãt.
Conuertũtur Hologaſtenſes.

ſuo moueri deberet. Nam vt poſtea comperimus, Deo ſuo * Gerouito, qui lingua Latina Mars dicitur, erat conſecratus, & in omni prælio victores ſeſe, hoc præuio, confidebant. Clericus autem vir acris ingenij, dũ metu mortis in templo huc illucq; diffugeret, telum aliquod vel latibulum quæritans, clypeum corripuit, & amẽto collo iniecto, leuaq; loris inſerta, in medium turbæ furentis è ianua proſiliit. Ruſtici verò prodigialem armaturam videntes, partim in fugam conuerſi, partim etiam quaſi exanimes facti in terram cadunt. Ille autem proiecto clypeo verſus hoſpitium ad ſocios currere cœpit, & pedibus timor addidit alas. Cumq; anhelans & pauidus ad ſuos perueniſſet, de ipſa huius trepidatione, & eorum, qui præmiſſi fuerant, triduana occultatione, apud omnes, præcipue vero apud Epiſcopum & Ducem, tota nocte illa, iucunda erat narratio. Monuit tamen pius Pater filios ſuos, & diſcipulos, propter inſidias latentes inimici, vt ſe circumſpecte agerent. Tam diu ergo manſit in illo loco diſputans ac ſuadens de regno Dei, quouſque omnis populus fidei Sacramenta ſuſcipiens, fana ſua deſtrueret, & Eccleſiæ ſanctuarium cum altari præpararet, Quod Epiſcopus conſecrans Ioannem Presbyterum eis ordinauit, & vt reliquam Baſilicæ fabricam poſt ſuum diſceſſum promouerent, admonuit.

Sefridus. Edit. Can. lib. 3. cap. 8.
Cura Marchionis Adelberti pro S. Othone.

CVM ea gerebantur, legati Marchionis Adalberti de Saxonia ſuperuenere opera & ſtatũ Epiſcopi ſtudioſe inquirentes. IX.
Marchio enim cum eſſet amicus valde & familiaris Epiſcopo, in gẽte barbara hũc periclitari metuebat. Vnde, ſi opus haberet, præſidium & opẽ ferre cupiebat. Affuere ſimul ipſius Epiſcopi Oeconomi, & procuratorũ nuncij, aurum, argentum, veſtes quoq; & alia neceſſaria ei deferentes. Vt enim ſupra dictum eſt, licet Euangeliũ annuncians de Euangelio viuere deberet, ipſe nihil horũ vti volens, ſuis ſe tantũ vſibus tranſigebat. Igitur legatos omnes apud ſe ibi tamdiu detinuit, quouſq; videndo & audiendo diſcerent, quid de ipſius operibus aut ſtatu referre deberent. Porro baptizatis omnibus tam viris quam mulieribus totius ciuitatis, ad dedicationem altaris ac ſanctuarij iam ſurgentis Baſilicæ, multa exultatione populi, deuotus Præſul accingitur, omni ſtudio & diligentia ipſi facto decorem, & reuerentiam procurans, quatenus de amiſſione prioris fani, vel celebritatis minime dolerent melioris ſolennitatis tripudio, & melioris fabricæ ornamento conſolati.

Ebbo.
Ingens magnitudo idolorum.
Cremantur idola.
Dan. 14.
Muſcæ nũq; ã anteæ viſæ ex fanis euolãt.
Fugantur circumlato crucis vexillo.

ET re vera iucundum erat ſpectaculum, cũ ſimulacra miræ magnitudinis, & ſculptoria arte incredibili pulchritudine cælata, quæ multa boum paria vix mouere poterãt, abſciſſis manibus & pedibus, effoſſis oculis, ac truncatis naribus, per deſcenſum cuiuſdam pontis igni cremanda trahebantur, adſtantibus idolorum fautoribus, & magno eiulatu, vt Diis ſuis ſuccurreretur, ac iniqui patriæ ſubuerſores per pontẽ demergerẽtur, acclamantibus: aliis vero ſanioris conſilij è contra proteſtantibus: quia ſi Dij eſſent, ſemetipſos defendere poſſent; ſed cum ipſi taceãt, nec de loco, ne fracti moueantur, omni ſenſu ac vitali ſpiritu penitus carere probentur. Sacerdotes verò idolorum ſeditionẽ conflare moliebantur, quæſtus ſui gratia. Nam, vt in Daniele Propheta legimus, quotidie fercula & pocula diuerſi generis copioſo apparatu ſimulacris illis vaſta mole prominentibus exhibebantur, quæ omnia ſacerdotes cum amicis ſuis clanculo ingreſſi abſumebant. Sed non prætereundum videtur quid miraculi in deſtructione fanorũ ipſorum apparuerit. Subito enim adſtante populi frequentia, inſolitæ magnitudinis muſcæ, quæ nunquam in terra illa viſæ ſunt, magno impetu ex delubris idolorum proruperunt, & tanta denſitate omnem ciuitatis ambitum operiebant, vt pene lucem diei tetra caligine obducere viderentur: ſed & oculos & labra vniuerſorum nimia importunitate vexantes, non paruum horrorem adſpicientibus ingerebant. Sed cum violentis manuum percuſſionibus abigerentur, nihilominus tamen diutius inſiſtebant: donec fidelibus laudes Dei concrepantibus, crucisq; vexillum circumferentibus, inuiſum monſtrum portis apertis euolans, terram Barbarorum, qui Rutheni dicuntur, pernici velocitate petiit. Vnde, eunctorum ſapientium iudicio definitum eſt, non aliud hoc portenti genus, niſi dæmonum expulſionem præſagire, qui Chriſtianiſmi coruſcantem per nouos Doctores gratiam non ferentes, negata ſibi in his regionibus manſione, Ruthenos, pagano adhuc errore irretitos, adiẽre. X.

Sefridus. Edit. Can. lib. 3. cap. 9.
S. Otho cæremonias dedicationis populo explicat.
Mitzlaus ab Epiſcopo cupit inſtrui.
Quid S. Otho a Mitzlao poſtulauerit.
a Tergiuerſatur Mitzlaus de captiuorum dimiſſione.
b Inſta: Epiſcopus.
* Danie.
c Adoleſcẽs Danus captus
Supplicat Vdalrico ſacerdoti pro liberatione
Vdalricus refert ad Epiſcopum
Epiſcopus pro Sacerdotes ad Mitzlaum.

INTER agendum vero, quid ipſa dedicatio, vel quid ſingula opera dedicationis ſignificare haberent, rudi populo Antiſtes expoſuit, præcipue vero, vt Mitzlaum ipſius ciuitatis Principem, quem pridem in Pentecoſte cum aliis Primatibus Vznoimiæ baptizauerat, & in eo cæteros erudiret, de omnibus his alloquitur; ſacramentum dedicationis ad animam cuiuſq; fidelis pertinere, ſufficienti ſermone demonſtrans, quæ ſancti Spiritus templũ efficit, vel in cuius corde Chriſtus per fidem inhabitat. Deinde ſermonẽ ad ipſum Principem ex toto conuertens. Tu es, inquit, fili chariſſime, vera domus Dei, tu ipſe hodie dicandus & dedicandus es, omnipotenti Deo, creatori tuo, vt emunis ab omni alieno poſſeſſore, ipſius tantum manſio fias, atq; poſſeſſio. Non ergo impedias dedicationem tuã, fili chariſſime. Nihil enim prodeſt iſtam, quam cernis, domum foris dedicari, niſi etiam dedicatio ipſa ad cordis tui ſanctificationem proficiat. Ille verò exhortatione compunctus, ait; Et quid eſt, Pater ſancte, quod me iubes facere, vt dedicatio iſta in me compleatur? Epiſcopus autem intelligens adeſſe ſpiritum. Ex parte, inquit, fili, Domus Dei eſſe cœpiſti: fac, vt ex toto ſis. Iam enim idolatriam fide commutaſti, baptiſmi gratiam conſecutus. Nunc ſequitur, vt fidem operibus exornes, impietates, oppreſſiones, rapinas, homicidia & fraudes penitus deuita. Poſtremò, quidquid tibi fieri ab alio non vis, alii ne feceris. Captiuitates, quas habes, abſolue omnes, quod ſi non omnes, vel eos certè, qui Chriſtiani ſunt, tuæ fidei conſortes. Tum ille [a] parum hæſitans: Durum, inquit, mihi eſt, Pater, dimittere omnes, quia magnis rationibus ac debitis quidam ex eis mihi detinentur. Tunc Epiſcopus; debita, inquit, pro debitis dimitti & ſermo Euangelicus, & Dominica ſuadet oratio. Sic enim [b] omnium debitorum tuorum apud Deum certam remiſſionem conſequeris, ſi omnes debitores tuos in ei⁹ nomine abſoluis. At ille altius ingemiſcẽs. En, inquit, in nomine Domini Ieſu omnes abſoluo, & ſecundum verbum tuum dimiſſis peccatis meis, dedicatio iſta hodie in me compleatur. Et vocans miniſtrũ, qui ſuper captiuos erat, omnes dimitti præcepit. Erat autem inter eos adoleſcens nobilis filius cuiuſdam potentis de * Datia. Iſte, abſolutis aliis, in cauea quadã ſubterranea vinctus [c] cippo & catenis tenebatur, eo quod Pater eius quingentarum librarum debitor hunc vadem poſuiſſet. Cumque de abſolutione captiuitatum, de obedientia & religione Mitzlai Principis multa eſſet tam populo, quam Epiſcopo, & omnibus, qui aderant, in Domino exultatio, & ad conſummationem dedicationis miniſtri ac ſacerdotes alacriter feſtinarent, & neceſſaria præpararent, habitis omnibus, vas cum cineribus, quod ad aram poſitum erat, inueniri non potuit: cumq; miniſtri commiſtionem ſalis & vini & cinerum facturi, de non inuentis cineribus turbarentur; Vdalricus ſacerdos correpta concha vicinas domos vnã vel duas ſerutatus, in eis cinerem non inuenit. Deinde ad tertiam currens, cryptam quandam ſubterraneam, in qua prædictus adoleſcens in abditiore parte claudebatur, intrauit. Sed captiuus per feneſtram manu porrecta, & ſonitu facto, currentem ſacerdotem ad ſe vocat, rogans, vt pro ſui liberatione, Epiſcopo ſignificet. Sacerdos verò correptis cineribus properanter ad Eccleſiam rediit, & opperienti Epiſcopo, aliiſque fratribus, de illo captiuo inſinuat. Epiſcopus verò, quamuis miſericordia moueretur; tanta, inquit, præſtitit nobis, vt amplius eum grauare rogando non audeam: tamen, ne gaudium feſti huius aliqua ex parte claudicet, ſuper huius quoque miſeria Dei miſericordiam inuocemus: & conuerſus ad Orientem cum miniſtris, quaſi hora vna preces fudit ad Dominum. Deinde ſacerdotibus ait: ſeorſum accipite Mitzlaum, & quam modeſtius poteſtis, ſuper hoc verbo exhortamini. Quod cum facerent; Mitzlaus ait; In hoc vno homine parcat mihi velim prudentia veſtra. Nam pater eius maioribus mihi debitis adſtrictus eſt, quam vt gratis abſolui poſſit. Sufficiat vobis, quod tantos abſolui. Tunc illi, re vera, inquiunt, multum eſti XI.

tum eſt,quod feciſti.Miratur hoc Dominus Epiſcopus: miramur & nos. Nec in longo tēpore à Chriſtianis tale quid in terra noſtra cōperimus,vnde & Dominus noſter Epiſcopus, & omnes fratres gratias tibi referunt, & honori te habent,& ſemper habebunt,Deoq; omnipotenti,cuius te ſeruum exhibuiſti,quò de omnibus vicem tibi rependat,deuotè ſupplicabunt. Nam & Dominus Epiſcopus tam magni pendit,quod feciſti,vt vltrà quidquam rogare te,iniuriam putet. Vnde,quaſi parce dilectioni tuę,ore proprio rogare te verecundatus eſt.Sed noueris in veritate,quoniam, ſi quo pacto te ipſum vincens, hoc bonum cæteris tuis meritis ſuperaddere poſſes,magna tibi gratia, magnaq; recōpenſatio apud Deum cumularetur. Magnus etenim Dominus Deus noſter,& magna virtus eius:moriſq; illi cum ſit, pro paruis magna reſtituere,quantò magis pro magnis maxima: Quod ſi hoc magnum& difficile tibi pro ipſo feceris, non ſine mercede maxima ab eo indonatus remanebis. Sed quid multis? Ingemit homo, tactusque ab intus ſpiritu pietatis,totus ſoluitur in lacrymas. Deinde cum ipſis Clericis ad Epiſcopum tendens: En,ait, Pater ſanctiſſime,in iſta quoq; petitione Deum meum & te ſeruū eius,Dominoſq; meos ſacerdotes miniſtros tuos honorabo, quin imò pro nomine Domini mei Ieſu corpus meum & omnia mea,ſi ratio poſtulauerit,deuotus impendā Et iubens adduci vinctum ferro & catenis oneratū, flentibus omnibus,qui aderant, in hoſtiam & oblationem Deo aræ impoſuit, petens ſibi remiſſionem peccatorum, à Domino pro ipſo recōpenſari. Ita ergo in plenitudine gaudij ſpiritualis tota illa Eccleſia feruente & laudes Deo ſuper vniuerſis bonis ac donis eius concinente, dedicatio conſummatur; omneſq; alij, exemplo Mitzlai Principis, vias ſuas correxerunt vnuſquiſq; ab iniuſtitiis & violentiis ſeu oppreſſionibus ſuis temperando, & vi ablata proximis ſuis reſtituendo.

Pſalm 146.

Benignitas Mitzlai.

XII. Ecclesia igitur proficiebat & creſcebat, &, licet inuidente diabolo, ambulans in timore Domini Spiritu S. replebatur. Sed hoſtis antiquus damna ſua non ferens, opera Dei turbare molitus, validis terroribus vniuerſam prouinciam concuſſit. Nā a Bolezlaus Dux Polonorum inuictiſſimus, in multa fortitudine & copioſo militum apparatu, de terra ſua veniens, iam in ipſis terræ Pomeraniæ terminis caſtra metatus ferebatur, in furore graui terram ipſam ingreſſurus. Audierat enim, quod poſt priorem B. Ottonis prædicationem, nec pacti ſecum fœderis, nec ſuſceptæ religionis iura, ſeruare curarent. Inſuper compertum habebat, quod eæ ciuitates, quæ pridem conuerſæ fuerant, cum his, quæ conuerſæ nondum fuerant, remiſſi tributi veniam aſpernati, ſuiq; mediatoris obliti, viribus ſuis ſe deinceps tutos fore confiderent, munitionibus & caſtris, quæ bellica vi complanata fuerant, ex magna parte hoc interuallo reparatis. Vnde, quaſi iuſtam commotionem habens Dux, iterùm eos conterere veniebat, ſuæq; ditioni ſubiugare. Quod illi audientes, miſſiſq; ſæpiùs atq; remiſſis exploratoribus, exercitum iam in proximo cognoſcentes, multum vbiq; trepidare cœperunt, partimq; fugere, ac res ſuas ad loca munita deferre, partim etiam arma contrà mouere, fineſq; ſuos defendere meditabantur. In ipſo tamē articulo, vtpote à Deo inſpirati, omnes quaſi oues ad paſtorem, ſic ad Epiſcopum confugientes, quid facto opus eſſet, conſilium quærebant. At ille pietatis viſceribus affluens Eccleſiā rudem ac neophytam bellico tumultu vexari pernicioſum ſciens, de diuina miſericordia, ſimul ēt de Boletzlai Ducis amicitia non vanè præſumens, bellum ſimul & cauſam belli, ſi modò cōſilijs eius parere velint, diſſoluere pollicetur. Quo audito, illi prudentiam & ſanctitatem Doctoris ſui attendentes, nec ſiniſtrè caſurum arbitrati negotium, quod ille in timore Domini ſuſcepiſſet, communi decreto ſemetipſos & omnia ſua conſilia eius ſapientiæ commiſerunt. Aſſumptis igitur Clericis Pater venerabilis, ſarcinas quidem & omnem ſupellectilem ſuam ibi relinquens, obuiam ſe parat exercitui, iunctis ſibi viris honorabilibus de terra, qui à Duce obiectis reſpondere, & omnibus controuerſiis decidendis hinc inde exortis poſſent ſufficere. Vbi ergò ad caſtra venit, à Duce honorabiliter ſuſceptus eſt, mirumq; dictu, quàm facilè diuinis eloquijs, eius feritate delinitâ, ad omne, quod volebat, Principem inclinauerit. Ille namq; multum proteſtabatur, non alia ex cauſa hoc tempore bellum contra eos ſuſcepiſſe, quàm ob iniuriæ Dei omnipotētis vltionem; & mutui fœderis ruptionē: quia & Chriſtianiſmi iura, pleriſq; in locis, rediuiua paganitate, violaſſent. Epiſcopus ergò hæc omnia emendatione digniſſima faſſus, legatoſq; aliquantulùm pro his obiurgans, ad priſtinæ compoſitionis pactum, partem reuocat vtramq;, ſeſe tunc temporis, quemadmodùm & nunc, pacis mediatorem extitiſſe commemorans. Placabat autem maximè Ducem Poloniæ Wratizlai Ducis fides & deuotio ab Epiſcopo laudata: quia in priori & ſecunda prædicatione æquè fidelis inuentus, multa bona prædicatoribus oſtendiſſet. Stetinenſibus verò, quòd aliqui ex eis ad errores priſtinos reuoluti eſſent, diuinæ indignationis ac ſuæ, illis mandat non defore vindictam, niſi quātociùs apoſtaſiæ immunditias congrua diluant ſatisfactione, indulgentiā petitā Doctoris. Dux itaq; talibus modis à B. viro mitigatus, licet nimis murmurantem exercitum, vtpote prædæ auidum, verſis aquilis, ad ſua redire præcepit. Porrò Epiſcopus voti compos, cum legatis rediens, attonitis gregibus ſuis, optatę pacis & ſecuritatis nuncium reportauit: & quantum illi pridem de metu belli mœſtificati fuerant, & concuſſi, in tantum alacres facti ſunt, & in fide Chriſtiana fundati; ſanè Doctori ſuo adſcribentes patriæ liberationem: ſeruusq; Dei magnificatus eſt vehementer, in terra Pomeranorum. Ille verò nihil meritis ſuis tribuens, tanto ſe humiliorem apud Deum & homines exhibuit, quantò ſine illius auxilio ſe nil poſſe ſciebat: dimittenſq; nuncios, de quibus ſupra dictum eſt, Marchioni & Saxonibus gratias egit pro bona voluntate, de Dei operibus & de ſuo ſtatu, mandans quæ audiſſent, & vidiſſent, ad Dei gloriam domi narrare.

Sefridus. Edit. Can. lib. 3. c. 9.

a Rumor de appetente bello Pomeranos percellit.

Expeditio Boleslai Ducis Polonorum in Pomeranos.

Pomerani confugiunt ad S. Othonem.

S. Otho it obuiam Duci Boleslao.

Excipitur S. Otho à Duce.

Fides Ducis VVratislai placat Ducē Poloniæ.

Dux Poloniæ domū reuertitur cū exercitu.

S. Otho trepidis Pomeranis pacis nuncium adfert.

XIII. Erat autem Vznoimiæ illis diebus Dux pariter & Epiſcopus. Eſt autem inſula quædam non longè à ciuitate illa, habens mare interiectum, quaſi itinere vnius diei, Vetania nomine. Sed loci huius incolæ duri erant & barbari, ſingulari feritate crudeles. Hi prædicatione B. viri dudum compertâ, omnia, quæ de illo dicebantur, aſpernati, mortem ei, ſi ad eos veniret, minabantur. Sed quò ampliùs duras eorum minas audierat, eò ampliùs in animo ſuo fixum habebat, illo ire, ſperans ibi martyrij coronam ſe adepturum. De hoc verò cum Duce & alijs familiaribus ſuis, dum conſilium tractaret, propter immanitatem periculi ab omnibus diſſuaſus eſt: quod ægerrimè ferens, ingenioſiùs agere cœpit, quomodo ſe, neſcientibus eis, illo proriperet. Hoc ſentientes illi, cautiùs eum obſeruabant, nullamq; ſecreti opportunitatem, quò id aggredi poſſet, ei concedebant: ſalutem illius, vitamq; longiorem multis vtilem ac neceſſariam memorantes. Verùm deſiderij magnitudine nihil huiuſmodi rationum audire potuit, illos modicæ potiùs fidei arguens, ac puſillanimitatem eorum increpitans, fidem Chriſtianā factis magis firmandam aiebat, quàm verbis, ſatiſq; inertes æternæ vitę Prædicatores, qui pro illa vitam præſentem expendere formidarent. Et quid, inquit, fieret, ſi in his barbaris nationib. euangelizantes pro Chriſti nomine oēs occumberemus? Nimirùm glorioſior eſſet prædicatio, quæ Martyrum ſanguine firmaretur. Sed, ô dolor, de tanto fratrum numero, nec vnus, puto, dignus habebitur, morte ſua de vita, quam ſperamus, perhibere teſtimonium. Atqui verbis talibus verecundia nata eſt trepidantibus.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap 10.

Feritas incolarum Veraniæ Inſulæ.

S. Otho cogitat clam petere Veraniam.

XIV. Vdalricus autem venerabilis ſacerdos conſtantior effectus, ſciens hoc etiam ſeni placere, huic ſe periculo intrepidus offerebat. Comitem tantum & viæ ducem poſtulans. Accepta igitur benedictione paraturam ſacerdotalē, calicem quoq; & librum, & cętera, quæ faciendæ Miſſę ratio poſtulat, aſſumens, nauem conſcendit. Sed nos videntes fratrem noſtrum vnicè charum ſolum ad martyrij palmam properantem, cùm dehortari eum non auderemus, viam eius lachrymis vberioribus proſecuti ſumus; qui horis quaſi tribus proſperis flatibus nauigans, ferè iam ab oculis noſtris ablatus fuerat. Et ecce tempeſtas oritur, ventiſq; contrariis ratem huc, illucq; pellentibus, viam tenere nō potuit: ſed ad littus vnde exierat, poſt multam fatigationem appulſus eſt. Ille verò tametſi tempeſtatis iniuria, & imbrib.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap 10.

Vdalric⁹ offert ſuam operā p Verania inſula.

Reijcitur Vdalric⁹ ad littus, vnde ſoluerat

Nauem nõ exiit, exſpe-ctans maris trãquillitatem. a Iterũ fortunam tentat. b Quin & tertiò c Semper fruſtra. d In Vdalrici nauigationem ioci quorundam e Quid S. Otho? * Daminã.

deſuper irruentibus, & procellis nauẽ deorſum implentibus, totus eſſet madidus, vixq; ſpirare videretur, à cœpto deſiſtere noluit, neq; ad terrã exiuit; ſed, ſedens in nauicula, tranquillitatem maris exſpectabat. Interim aquã de naui vaſculo ꝓijciens. Ventis itaq; paululũ ſedatis, iterùm a nauigare cœperunt, iterumq; ſimili modo impeditus eſt. Tertia quoq; b vice ire tentãs, ſed nihilo minus nocte ac tẽpeſtate ingruente, ponti ſæuitiam vix, & quaſi per miraculũ euaſit. Tẽpeſtas verò intra ſeptẽ dies nõ ceſſauit. Intellexit c ergò vir Dei Veranos Euangelicæ gratiæ indignos, currensq; cũ clericis diſcipulũ, quaſi de palæſtra coronarũ, de litore ducit ad tectũ, ſuper ipſius cõſtantia, fideiq; magnitudine Dominum benedicens. At vbi cœnatum fuit, fratres de d nauigatione Vdalrici iocari cœperunt: Et quis, inquiunt, ſi perijſſet homo, reus homicidij teneretur? Adalbertus aũt interpres, cui maximè factum diſplicuerat, quis iuſtius, inquit, homicidium lueret, quã is, qui hunc ad tale periculũ direxit? Verùm Eps, quamuis ab eodem fratre de hoc verbo ante pulſatus fuerit, nihil motus, ad e Euangeliũ ſe conuertit, & exemplo Dñi Ieſu diſcipulos, quaſi oues inter lupos mittentis, factum ſuum defendit. Quis n. ait, homicidij reus tenebatur, diſcipulis, qui à Dño mittebãtur, interfectis? qui oues ad lupos miſit, profectò à lupis oues deuorandas ſciuit. Deuoratæ ſunt oues à lupis, interfecti ſunt Apoſtoli à Tyrannis. Dein parabolã hanc facto ſuo coaptans, plena rationis doctrina diſcipulos animauit, dignisq; exhortationib. in gaudio ſpirituali maximã partem noctis expendit. Et manè facto, quidnam agerent, vel quò diuerterent, inter ſe tractabant. Verùm haud diù nutabundi, quod ſuperfuit de opere in agro Domini, coloni fideles inter ſe diſtribuunt: aliis retro ad *Timinam; aliis autem ad alia loca euangelizandi gratia diuertentibus.

Sefridus. Clerici obſtant, ne Epiſcop⁹ Stetinã abeat. f Quib⁹ obſiſtit S. Otto

EPISCOPVS verò ad Stetinã iter propoſuit cũ miniſtris ſuis de Apoſtaſiæ nequitia in ſpiritu vehementi arguere ſuperbos: Sed Clerici, qui cum ipſo ituri erant, Stetinenſes barbaros, & crudeles agnoſcentes, ſuæ pariter & illius ſaluti metuebãt. Vnde, ne illuc veniat, adhortantur ſtudioſius: cumq; illi moleſti eſſent: Video, f ait, tantum ad delicias venimus: quidquid aſperum vel difficile occurrit, totum declinandum iudicamus. Sed, eſto, nã ad gloriam martyrij ſicut nullum cogere volo, ita, ſi poſſet fieri, oẽs vos hortari vellem. Rogo aũt, ſi iuuari non vultis, ſaltem ne me impediatis, ſuæ vitæ poteſtatem habet vnuſquiſq;. Liberi eſtis vos, liber & ego. Dimittite me mihi obſecro. Et eiectis omnib. ſeſe in cubili ſuo vſq; ad Veſperã in orationẽ dedit. Deinde vocat puerum familiarẽ, præcipiens, vt clauſis vndiq; oſtiis, à ſe oẽs dimoueat, nullumq; admittat ſine ipſius conſcientia. Quo facto ſecreti ſui compos fugam meditatur: itineralia induitur; ſuccingitur; indumenta ſua ſacerdotalia cum libro, calice, aliisq; vtenſilibus in mantica ponẽs, oĩa in humeros leuat, tectusq; vmbra noctis, clam neſcientib. cunctis, incomitatus vrbẽ egreditur, viam carpẽs, quæ vergit Stetinã. Cumq; adſpexiſſet huc atq; illuc, & nullũ ſe comitari videret, lætus & alacer de proſperitate furti, Deum benedicens, matutinale inchoat officium, gliſcens & proſperans totum iter nocte illa cõplere; cumq; nocturnus viator viam ardenter carperet, hora noctis decima iam inſtabat; Clerici aũt è diuerſis ſtratis conſurgentes, cùm ad dicẽdas matutinas ſe colligerent, quidã ex eis, ſuſpenſo gradu, ad cubiculum pergunt Epi, vtrum dormiat, an inuigilet, vel quid agat, explorare cupientes. Verùm vbi propius propiusq; admoti Epm non inueniunt, conſternati ſunt animo, & diligenter oĩa ſcrutantes, cubicularium ipſum & alios, qui iuxta erant, crebrò ſciſcitantes, ꝙ factum fuerat, tandem ediſcunt. Quid multis? Turbantur oẽs, alijq; pedibus, alij verò adſcenſis equis huc illucq; Pontificẽ quæſituri diſcurrunt; factoq; mane, hi qui in equis fuerant, directo colle ac concito gradu, verſus mare, viam g inſequuntur abeuntis, & abeuntem conſequuntur. At ille, vbi eminus venientes iam intraturus naues agnouit, turbatus eſt valdè, & altius ingemiſcens, heu, inquit, Dñe Ieſu, vnice Dei, vnice Virginis, dulce nomen ſpei meę, nunquid me fraudabis à deſiderio meo? fac oro, vt hi, qui veniunt, aut mecum eant, aut me à propoſito meo nõ impediant. His dictis, illi accurrebãt, moxq; ab equis deſilientes, pedib. illius ꝓſternuntur. Sed q d? ꝓſternitur & ipſe: leuãt illi, leuat & ipſe: flebãt; flebat & ipſe; vocemq; mœror & triſtitia, & his & huic diutiſſimè interclusit. Tandem poſt multas lacrymas in hanc vocem ſenior mœſtus erupit: ad quid veniſtis? redite, quæſo, ad hoſpitium: & ego pergã viam, quã cœpi. At illi: abſit, inquiunt, ſufficit nobis hæc tam grandis confuſio, amodò te nequaquam deſeremus: Si redire vis, læti redibimus tecum: ſin autem progredi mâuis, tecum progrediemur. Sed placeat ſanctitati tuæ conſilium noſtrum. Redeamus pariter ad fratres, & ad pueros noſtros hodie: cras, ecce, coram Deo loquimur, ſiue in vitam, ſiue in mortem tecum veniemus.

S. Otho clã ſe ſubducit, vt Stetinam abeat. Clerici clandeſtinũ abitum S. Otonis deprehẽdunt. g Inſequuntur clerici fugientem Epiſcopum Aſſequuntur.

Sefridus. Edit Caniſ. cap 12. h S. Otho Stetinam reuertitur. Diuerſi affectus ob aduentum Epiſcopi. i Arma S. Otonis crux, reliquiæ, hymni, pſalmi k Stetinenſes miteſcunt nonnihil.

TALI ergò pacto Epiſcopus cum eis reuerſus, craſtina die, omnibus ſe comitantibus, eandem viam ingreditur, adſcenſaq; naui, proſperis flatib h Stetinam vecti ſumus. Homines de ciuitate inter ſe diuiſi erãt, aliis adhuc in fide manentibus, aliis autẽ ex maiori parte ad paganiſmum reuerſis. Fuit aũt Baſilica ante introitum ciuitatis in area ſpacioſa, quam ipſe in priori profectione dedicauerat: quã ingreſſi, hoſpitari cœperunt. Fideles igitur de aduentu Epi gaudebant: infideles aũt turbabantur, præ omnibus autẽ nefandi ſacerdotes furere, & furorem in turba excitare feſtinant: adeò, vt collectã manu armatorum, Eccleſiam vndiq; cingerent, & inſanis tumultibus debacchantes, ædem ipſam conuellendam, & oẽs, qui ibi erant, cum magiſtro interficiendos clamarent. Epiſcopus verò martyrij auidus, Pontificalibus ſe induens, arma i ſua, crucem tollit & reliquias: Pſalmosq; ac hymnos cum Clericis perſonans, agonẽ ſuum Dño commendabat. Barbari verò, audito cantu, mirati ſunt valdè, ꝙ quaſi in articulo mortis poſiti cantare potuiſſent, & auſcultantes, mutuoq; ſe inuicem reſpicientes, virtute, vt puto, Verborum incantati, clementius ſe habere cęperunt, & k iam non viribus, ſed ratione magis opus eſſe dicebant ad talia recipienda, vel etiam propulſanda. Dein ſapientiores quiq; ſuper his reb. ipſos ſacerdotes ſecretius conueniunt, ipſorum eſſe dicentes, congruis rationib. religionem ſuam defendere. Talia inter ſe muſſitantes, paulatim ſinguli ad ſua digrediuntur. Erat aũt ſexta feria. Et Eps cũ ſuis illa die ſabbatoq; ieiuniis & orationibus, ſacriſq; meditationibus vſq; in Dominicam intenſius operam dabat. XVI.

Sefridus Edit Caniſ. cap 16. * Baculum ſeu pedum. Seditioſa concio cuiuſdam Ethnici ſacrificuli. Miraculum Obrigeſcũt infideles. Oratio S. Othonis ad Stetinenſes

CVMQVE omnes conticuiſſent, & verbum exhortationis pars maxima libenter audiret: ecce vnus ſacerdotum vir Belial, plenus furore, pinguis & procerus, in medium turbæ ſeſe fortiter intrudens, * combuccam ſuam manu geſtabat, ſpiransq; & anhelans vſq; ad ipſos gradus acceſſit, leuataq; manu ſemel & bis columnam graduum vehementiſſime percuſſit. Dein clamore magno, & verbis, neſcio quibus, contumelioſè prolatis, ſilentium mandat loquenti, ſuæq; vocis groſſitudine magnum tonans, ſermonem interpretis & Epiſcopi pariter oppreſſit, populoq; ait: Sic, ô inſenſati, ſtulti & inertes, quare decepti & incãtati eſtis? Ecce hoſtis veſter, & hoſtis Deorum veſtrorum, quid expectatis? Ferentne impunè contemptum & iniuriam? Omnes autem incedebant haſtati. Ait ergò: hæc dies omnibus erroribus finem imponet: omnesq; adhortans, ſigillatim quoſq;, de quorum malignitati certus erat, propriis nominibus compellabat: Et quicunq; ſpiritu veſano agitabantur: quibuſq; familiare fuit, audacter magis, quàm conſultè rẽ agere: ad dicentis vocẽ inflãmati, haſtas leuant: quas, dum ad iaciendum vibrant actu rigent in ipſo, mirumq; dictu: nec haſtas iacere, nec dimittere dextras, vel de loco moueri poterant. Stabant igitur, vt ſimulacra, immobiles, fidelibus & religioſis facti ſpectaculũ. Quotquot n. erant infideles & maligni, qui à fide Chriſtianiſmi defecerant, & in infidelitate ſua pertinaci dementia ſtantes, impias manus contra ſeruum Dei leuauerunt, hac pœna tamdiù mulctati ſtabant, quouſque in ſua fide boni firmarentur, & illi à prauitate cordis per pœnam corporis corrigerentur. Nam & Epiſcopus, arrepta miraculi occaſione: Cernitis, inquit, Fratres: quanta ſit potentia Domini. Certè, vt video, diuinitùs ligati eſtis. Quare non demittitis dextras? Quamdiù in hoc niſu apparebitis. Illi autem, neſcio, an præ confuſione, aut præ ſtupore, nihil reſpondebant. Tunc ille; En, inquit, Dij veſtri, pro quorum religione certatis, ſi quid poſſunt, auxilientur vobis. Sed & iſte veſter tumultuoſus ſacerdos inuocet nunc Deos ſuos,

ſuper

ſuper vos, det cōſilium, det auxilium: ſi quid nouit, ſi quid poteſt; iam tempus eſt. Ille vero iam dudum euentu rerum ſtabat attonitus, iam vlterius nec mutire præſumens, cumque ingenti pauore omnes ſilerent, Epiſcopus miſeratione tactus; Gratias, inquit, tibi Domine Ieſu Chriſte, qui potentiam fortitudinis tuæ, cum tempus eſt, ad terrendos aduerſarios, & ad protegendos ſeruos tuos, exercere ſoles: Sed, quia pius & miſericors es, ignoſce, rogamus, ignorantiæ ſiue temeritati populi huius, & vſum corporum ſuorum, quo, te ligante, priuati ſunt, ſolita illis miſeratione reſtitue. Quo dicto, crucisq; [a] ſigno ad eos facto, effectus orationem mox inſecutus eſt; & ſubiūgens; En, inquit Epiſcopus, ſi audire hactenus noluiſtis, tangite ſaltem, & ſenſu ipſo probate, quanta ſit miſericordia Dei noſtri, quanta ſit Veritas fidei, quam prædicamus vobis: Et longius de iudicio & miſericordia Dei, & de præſentis vitæ incerto & perſeuerantia æternorum profunde diſputans, conterritos in Sion peccatores erudiuit, tandemq; medicamine ſalutaris eloquij, aliquantulum manſuefactos benedixit & cœtum dimiſit. Deſcendens vero de gradibus Eccleſiam S. Adalberti [b] cum fidelib. zelo zelatis pro domo Dei viſitauit, ac præmiſſa inibi orationis ſolennitate, altare abominationis fregit, comminuit & eiecit, factaq; reconciliationis emundatione fracturas Baſilicæ ſuis impenſis emendari fecit.

Gratiarum actio.
Et precatio pro aduerſariis.
[a] Signo Crucis liberat diuinitus punitos.
[b] Adit Eccleſiam S. Adalberti.

XVIII. Cumque ſæpius eandem frequentaret Eccleſiam, quodam tempore pueros in platea ludentes inuenit; quos dum lingua barbara ſalutaſſet veluti coniocando illis, etiam Crucis ſigno in nomine [c] Domini eos benedixit, & paululum procedens animaduertit, quod vniuerſi, relictis luſibus ſuis, viſendi ſtudio, collecti à tergo ſequuntur Epiſcopum, hominum ignotorum, vt eſt mos illi ætati, aſpectum, habitumque admiranti. Subſtitit homo [d] Dei, & circumfuſos blande alloquens, ſciſcitatur; ſi aliqui ex eis baptiſma percepiſſent. Illi, ſeſe mutuo reſpicientes, cœperunt inuicem prodere, qui fuerant ex eis baptizati: quos Epiſcopus ſeorſum vocans, quærit ab eis, ſi voluntatis eorum ſit, tenere fidem, quæ ad baptiſmum ſpectat, vel non? Illis autem, ſe tenere velle, conſtanter affirmantibus: Epiſcopus; Si, inquit, Chriſtiani eſſe vultis, & fidem ſeruare baptiſmi, iſtos nō baptizatos & infideles [e] pueros, ad ludum veſtrum admittere non debetis. Qui ſtatim, iuxta Verbum Epiſcopi, ſimiles cum ſimilibus congregati pueri baptizati, non baptizatos à ſe abiecêre, & abominari cœperunt, nulla eis ludi ſocietate communicantes. Itaque videre pulchrum erat, quomodo hi de profeſſione Chriſtiani nominis gloriantes, familiarius agere, & auidius intueri, & audire Doctorem etiam inter ludos ſuos; illi autem, quaſi de infidelitate confuſi & exterriti longius ſtare ſolerent. Sed Pater optimus, & credentes miti ſermone ad fidem plenius pro ipſorum capacitate inſtruxit; non credentes vero ad credendum tam diu exhortabatur, quo vſq; ſe baptizari, & Chriſtianos fieri omnes flagitarent.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 17.
[c] S. Otho pueros ſigno S. Crucis munit.
[d] Colloquium Epiſcopi cum pueris.
[e] Pueri baptizati ſegregant ſe à non baptizatis.

XIX. Interim vero maiores natu & ſapientiores quique de rebus iſtis altius inter ſe tractaturi conſederant, & à mane vſque ad medium noctis huic deliberationi vacantes de ſalute propria & totius populi, de ſtatu ciuitatis & conſeruatione patriæ, ſecundum prudentiam ſæculi diligenter diſputabant: præcipue autem vniuerſa, quæ Ottonis erant dicta vel facta, diligenter trutinabant, & mediante Spiritu ſancto, in hanc ſententiam omnes communiter cedunt, vt funditus exſtirpata idolorum cultura, ex integro ſe religioni Chriſtianæ ſubmittant; atque in hoc verbo conſilium ſoluunt. Witſchacus [f] autem, qui omnibus his intererat, nocte ipſa cum paucis ad Epiſcopum veniens, optatum nuncium affert, omne conſilium ei breuiter inſinuans. Dein etiam collectis ad Epiſcopum Clericis & aliis familiaribus, omnia, quæ audierat, quæque in concilio de ipſo dicta fuerant, ſcilicet ordinem liberationem ipſius, qui loquebatur, & de miraculo, quod haſtas vibrantes contra Epiſcopum, pridie obriguerant; &, quod adhuc latebat Epiſcopum, *quando* ad Eccleſiam cum miniſtris per plateam præparatus incedebat, tantus ſplendor veſtium apparuit, vt *maligni homines*, qui ad eum necandum ex inſidiis veniebant, nimiæ claritatis aſpectu in fugam, territi ac turbati, *verſi fuerint*; denique virum illum, virum Belial ſacerdotem, qui ei concionanti ad populum, impedimento fuerat, ab ipſis ciuibus eiectum nunciat. Porro apud eos eius liberalitatis & eleemoſynarū inæſtimatæ largitiones, & captiuorum redemptiones, quodq; ſine magna recompenſatione nullius eorum opes vel ſubſtantiam oblatam contigerit, ſuis impenſis ſeſe atq; ſuos tranſigens, etiam Baſilicas exſtrueret, deſtructasq; reædificaret, omnia hæc quantæ venerationis, quantæue admirationis habita ſint, cum gaudio referebat. Igitur de mane conſurgens Epiſcopus, & cū gratiarum actione Miſſas celebrans, conuenientes ciues iterum alloquitur, & pronos atq; obedientes ad omnia inuenit. Quicunq; enim apoſtaſiæ ſeſe vitio inquinauerant, Spiritus ſancti virtute faciente, compuncti per manus impoſitionem in fonte lacrymarum ſuarum loti, Eccleſiæ ſuæ reformantur. Pueri vero, & quicunq; Sacramentum Baptiſmi nondum erant conſecuti, baptizantur, fana deſtruuntur, Eccleſiarum fracturæ ſolidantur, & ſi quæ deſtructæ fuerant, reparantur. Omnis ergo populus, iam quaſi vir vnus, id ipſum ſapiebat in Domino; gaudet Epiſcopus, lætantur Sacerdotes, magnificata ſunt in conſilio iuſtorum opera Domini.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 18.
Stetinenſes redeunt ad ſanam mentem.
[f] VVitſchachus, de quo ſupra, cap. 2.
Apoſtatæ reconciliantur Eccleſiæ.
Reuiteſcit Chriſtianiſmus.

XX. Præter hanc autem ſpiritualis lætitiæ occaſionem, diuina bonitas illi ciuitati etiam de inopinato corporale commodum exhibuit. Nam immenſæ molis ac magnitudinis rombonem circa portus & naues ſe oſtentantem, piſcatorum manus ad littus eiecit in menſe Auguſto, cum tamen in locis illis, captura talis non niſi vernali tempore occurrat; ex cuius carnibus ac pinguedine omnes ciues capiunt, & Epiſcopo, cuius meritis hoc munus adſcribebant, plus quam abſumere cum omnibus ſuis poſſent, apportant.

Edit. Caniſ. cap. 19.

XXI. Veruntamen lætis euentibus tentatio non defuit. Nam cum delendis & exſtirpandis fanis idolorum & ſacris diligentius inſiſteret Epiſcopus, etiam arborem Nucis mirandæ [g] pulchritudinis idolo dicatam ne ſcandalo eſſet rudibus, volebat incidere. Vicini autem, qui vmbra eius & amœnitate ſæpius delectati fuerant, ne incideret eam, rogabant. Porro agri [h] poſſeſſor vehementius iraſci atque indignari cœpit, aliisque modeſte agentibus, hic minis & clamoribus longius aſſiſtens furorem euomuit. Itaque quaſi paululum furore ſopito, ſilenter à tergo accedit, nulloque ſperante, ſecurim bellicam vtriſq; manibus leuans, caput Epiſcopi ferire niſus eſt. Sed illo præſentiente, atque in partem ſe rapiente, bipennis, caſſo vulnere, in trabem pontis, iuxta quem ſtabant, perlata eſt tam fortiter, vt à feriente reduci non poſſet. Accurrunt omnes, comprehendunt, trahunt, tradunt infelicem illum, &; niſi per interuentum Epiſcopi, eadem ſecuri trucidaſſent. Tiemo. Hic forte, hic aliquis gruñiet maleuolus auditor. Nam & ego quoq; miror, ſi ita eſt, vt aſſeris; qui alias ad martyrij palmam vltro ſe ingerere paratus fuit, quod hunc tam validum ictum non ſuſcepit. Qui enim toties mortem appetiit, dicet aliquis, quare nunc venientem non ſuſtinuit? Sefridus. An neſcis, aliud eſſe ex conſilio & fortitudine mentis corpus morti obiicere, digna exiſtente aliqua neceſſitate; atque aliud ex infirmitate carnis eandem pertimeſcere? Sed hoc etiam conſiderare potes: quod non de agone paſſionis tunc temporis cogitabat, ſed magis de arbore nucis, de cuius inciſione cum ciuibus tractabat; &, ſi altius rem contemplari volueris; animalis ſpiritus naturaliter exterioris ſubſtantiæ ſalutem, quantum in ipſo eſt, tueri ſolet, appetit conducibilia, fugit contraria; quem tamen interea mentis ratio ſaniori conſilio à conducibilibus interdum abſtrahit, & contrariis paſſionibus affligit. Nihil ergo mirum, ſi ratione aliis intentus, teneritudine oculorum faciente, venientem ictum expauit. Deniq; diuino etiam nutu hoc factum eſſe arbitror, ſcilicet ne multis aliis adhuc profuturus ibi occumberet, neue à Chriſtianis, qui nuper fidem ſuſceperant, vel etiam amiſſam receperant, & in nouitate reconciliationis & gratiæ diuinæ, doctor ipſe interfectus prædicaretur.

Sefridus Edit. Caniſ. cap. 20
[g] Læta miſcentur aduerſis.
[h] Obſtant ne nux incidatur.
Obiectio Tiemonis.
Reſponſio Sefridi.
Cur S. Otho ictum lethalem declinauerit.

XXII. Ottone ſic à periculo liberato, & percuſſore ſuo de manibus percutientium ſaluato, inter adſtantes Adalbertus presbyter ad Teutonicas partes ſe vertens, profundus inclinat Deo, & S. Michaeli in Babenberg, & fratrum

Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 21.

Nux non ſuccidiiur. Simile quid de quercu lib. 2. ca. 31.

frattrum orationibus gratias agit pro ſalute. Et conuerſus ad Epiſcopum; En, inquit, ſcutum orationis fratrum & protectio S. Michaëlis Archangeli. De arbore vero, ne incideretur, tandem ciues multis precibus obtinuerunt, iureiurādo firmantes, nihil vnquam diuinitatis arbori ſe ſe adſcripturos; neq; numinis, vel idoli alicuius vice ſe illam habituros, ſed magis pro vtilitate fructuum & amœnitate vmbrarum.

Amor S. Othonis in Monachos.

XXIII. Illo etenim tempore preces & ſupplicationes magnæ, ſicut & ſemper, apud nos fiebant pro dilectiſſimo Patre Ottone, qui nos pro aliis mirum in modum materno potius quam paterno affectu iugiter fouere non deſiit; adeo, vt quadam vice, cum ad Curiale colloquium à ſereniſſimo Rege Lothario euocatus, apud Magdeburgenſem vrbem grauiter ægrotaret accito diuæ memoriæ Hermanno Abbate noſtro, per quem tunc etiam, præter alia dona, trecentas nobis marcas tranſmiſit, in hanc lugubriter erumperet vocem: O quam incomparabilis me detinet gemitus, quod in hac ęgritudine tam longe remotus ſum à dulciſſimo requietionis meæ loco, Monte videlicet Domini & Patroni mei beati Michaëlis Archangeli, vbi corde & animo ita fixus inhęreo, vt reſte Domino, ſi in hac hora illic poſitus eſſem, mille marcas huic beneficio non præponerem. Quia ergo charitas exigit charitatem, ſpeciali eius amori, de cuius capite, vt ſcriptura loquitur, oleum non defecit, id eſt, meriti eius charitas nunquam excidit, ſpecialem orationis intimæ deuotionem rependere curauimus. Nam vt de cęteris ſileam; Ellenhardus ſenior noſter, vir totius prudentiæ, & pietatis, ac ſingulari compunctionis & humilitatis dulcedine amabilis, nocturnas Fratrum vigilias orando præuenire ſolitus, pro ſalute pij Ottonis placidas diuinæ clementiæ aures lacrymoſis ſingultibus eo vſq; pulſare non ceſſabat, donec deſideratum eius reditum cœleſti reſponſo audire mereretur. Cum enim nocturno tempore, more ſuo, in tenebroſis gradibus Capellæ ad ſanctas Virgines intimis pro dilecto Patre inſiſteret precibus, ſubito clara luce, in eodem loco, emicante, audiuit dicentem ſibi; Exauditus es pro pio Ottone; ſaluum eum reperies.

Gratitudo Monachorum S. Michaelis erga S. Othonem.
Preces pro S. Othonis reditu.

Sefridus. Edit Caniſ. cap. 21
S. Otho placat Stetinēſibus Ducē VVratislaum.

XXIV. Omnibus ergo, quæ ad cultum fidei ſpectant, rite illic ordinatis, dum ad alia loca ire pararet, ab vniuerſis natu maiorib. & prudentiorib. ciuitatis, rogatus eſt, vt quia Deus cum illo erat, & multa bona eis oſtenderat, Ducē Vratizlaum, cuius offenſam grauibus culpis incurrerant, eis placare ſtuderet: atq; hoc facto, cuncta circa ſe ſtudia deauraret: añuit; elegit viros honorabiles, aptos ad reſponſa reddenda, vel accipienda: Ducē adit, preces fundit; accuſat populū & excuſat: Dein, potenti ſuadela mitigat indignantē, iubet, obſecrat, facit compoſitionem: pacatisq; ad perfectum omnibus, legatus cum legatis pacem affert ciuitati. Hinc toti Eccleſiæ valefaciens, miris affectionibus Iulinam ire dimittitur. Maligni vero ſacerdotes, pleni dæmonibus, cum iam aperte non poſſent, vel per inſidias ſeruo Dei nocere moliti ſunt. Conducta etenim magna ſicariorum multitudine, viam abeuntis in arctioribus nauigij locis obſederunt, ſuis amicis, iſtarum rerum neſciis, mortem Epiſcopi quaſi per diuinationem prænunciantes. At vbi ad inſidias ventum eſt, hoſtes arma arripiunt, funambulos tenent, nauigantes inuadunt, ſanguinem Epiſcopi ſuper omnia ſitientes. At vero Stetinenſes, & [a] noſtri, qui cum Epiſcopo erant, arma capiunt, ex rate proſiliunt, partim terra, partim aqua conſiſtunt, vim viribus audacter arcentes. Cumque aliquandiu pugnatum eſſet; hi, qui de inſidiis erant, à Stetinenſibus cœperunt agnoſci, & confuſi de malefacto, fugerunt. At ſacerdos, qui hæc machinatus fuerat, eadem hora domi cum amicis ſuis reſidens, paralyſi, & vehementiſſimo languore vexari cœpit, ſuis, vt arbitror Diis eum laniantibus: cumque ore, oculis ac tota facie diſtortam frontem ad ſcapulas verteret, & miſerabili corporis agitatione in mortem ſolueretur, exclamauit: hæc patior, propter inſidias & mala quæ contra Ottonem feci. In hac voce vitam finiuit. Tantus autem fœtor ſecutus eſt, vt Pluto ipſe infernalis, vel quiſquis illic maximus eſt, ab huius faucibus ſpirare putaretur. Item alius quidam de ſacerdotibus Ottoni contrarius, cum ad negotia ſua cum inſtitoribus forte nauigaret, & in Inſula quadam nautæ, vt aſſolent, ad ſuas commoditates applicuiſſent, iſte alienata mente, nec vultu nec voce ſanum quid agens, à comitibus notatus eſt. cumque ſeorſim ab aliis in ſylua, veluti per amentiam, vagatur, iuuenes quidam, quaſi per laſciuiam, ſecuti delirum, fune per guttur ad arborem ligant & diſcedunt. Ille vero incautis nexibus, vinculorum impatiens, ſe ſoluere luctabatur: ſed diuino iudicio conſtrictus per funem, qui collo iniectus erat, intercluſo anhelitu, mortuus eſt.

Sacrificuli Ethnici ſtruunt S. Othoni inſidias.
[a] Stetinēſes & alij pro Epiſcopo arma capiunt.
Miſerabilis interitus ſacrificuli.
Alius eiuſdem ſortis ſtrangulatur.

Sefridus.
Iulinenſes agnoſcunt peccata ſua
[b] Quos Eccleſiæ S. Otho reconciliat

XXV. Episcopus autem, Dei protectus auxilio, cum Iulinam veniſſet, nihil ibi aduerſitatis inuenit. Omnes, eius redargutiones de apoſtaſia, ſeu de aliis exceſſibus, patienter ferebant; indigna & mala opera ſua dignis emendationibus ad eius doctrinam expurgare & corrigere parati. Ille vero per manus impoſitionem, & ſacri verbi exhortationem ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ [b] omnes reformauit, baptizatis pueris, & quoſcunque ſacramenti huius expertes inuenit. Sicut enim exemplo Stetinenſium pridem à fide receſſerant, ita denuo conuerſis illis facile conuertebantur. Illos enim per omnia imitari quaſi pro ſententia eis fuit.

[c] Sefridus. Edit Caniſ cap 23.
[d] Nota mirabilem morem.
[e] Mulier cęca viſum recepit.
[f] S. Otho amouet abs ſe gloriam patrati miraculi.

XXVI. Cum autem ſacris operibus illic inſtaret [c] Epiſcopus, mulier quædam in rure poſita, neſcio, quo euentu, ſubita cæcitate percuſſa eſt. Audiens autem Antiſtitem adhuc eſſe in ciuitate, duci ſe illo iubet, & veniens corruit ante pedes eius, auxilium petens ſuper clade ſua. Signum autem [d] æris ante fores pendebat Eccleſiæ, quod ſimplices, cum intrabant oraturi, quaſi ad excitandum ſanctos, pulſare conſueuerant. Epiſcopus ergo dum ad ſuccurrendum, à muliere crebro inuocaretur; Vade, ait, mater, vade ad Eccleſiam, quaſſa campanam, excita S. Adalbertum, vt te adiuuet. Abiit illa, Deum & S. Adalbertum inuocans, arreptoque fune, non prius à pulſatione ſigni ceſſauit, quam lumen oculorum [e] reciperet. Vidētes autem ciues, gratias agunt Domino ſuper gratia huiuſcemodi, & magis in fide Catholica roborati ſunt. Sed dum hoc factum Epiſcopi meritis adſcribere vellent, prohibuit eos dicens: non me miraculorum factorem, ſed peccatorē ſciatis, potius hoc [f] beati Martyris Adalberti meritis adſcribēdum certiſſime noueritis. Num obliti eſtis, quomodo priori anno, cum tota ciuitas iſta incendio vaſtaretur, hanc ædiculam ſuam beatus Martyr in mediis flammis poſitam liberauit? Sed moneo, vt illius calamitatis memores, nec Iulium ipſum, nec Iulij haſtā, nec ſtatunculos idolorum vel ſimulacra vllo modo colatis, denuo priſtina mala iterantes, ne mortem, peſtilentiam, incendia, diuina vltione, incurratis. Hæc & his ſimilia ſeruus Dei ad eruditionē populi, blanda oratione loquebatur.

Sefridus. Edit Caniſ. cap 24
Thecę reliquiarum in tentorio S. Othonis

XXVII. Die vero quadam miles habens filium lunaticum, benedicendum eum obtulit Epiſcopo, adductis cum eo quatuor bubus paſcualibus, donarium & gratiam pro benedictione. Sed doctor bonus, manus ſuas excutere ſuetus ab omni munere, benedictionem quidem puero tribuit; ipſum autem puerum cum patre ac donariis ad papilionem ſuum, vbi capſæ ac reliquiæ ſanctorum erant, deduci iubet, vt ibi, ſi vellent, facta oratione & oblatione, Dei miſericordiam inuocarent. Vadunt: ſanatur puer: gratias agunt.

[g] Sefridus. Edit Caniſ cap. 25.

XXVIII. Miles quidam [g] phreneſi ac dementia, interdum capitis languore vexatus, in loco, vbi adorandum ſteterant pedes eius, ſeſe proiiciens, ſanitatem recepit.

[h] Idem. Edit Caniſ cap. 26.
[i] Violatores feſti obiurgat Bocceus Presbyter.

XXIX. In [h] die S. Laurentij Bocceus presbyter beati viri ad villam pergebat: homines autē terræ illius nondum conſueuerant dies feriatos agere. In ipſa ergo die, tranſeunte presbytero, ruſtici ſegetem metebant. Ille autem de obſeruantia feſti alloquens, merita Martyris prædicabat, atque vt ab opere ceſſarent, ſub [i] conteſtatione ac reuerentia beati Laurentij admonebat. Sed ſcriptum eſt; Stultus verbis non corrigitur. Vnde homo, qui magiſter operis erat, ſpreta ſacerdotis admonitione, operarios ſuos magis & magis [k] vrgebat. Contriſtatus ergo ſuper illorum temeritate presbyter, cum abiret, imprecatus eſt Dominum, vt digna vltione contemptum Martyris ſui vindicaret. Nec mora; ex [l] improuiſo ignis venit, & ſtantem ſegetem, & eam, quæ iam meſſa fuerat, vndique afflauit, tantaque vis ardentis ſtipulæ fuit,

[k] Sed fruſtra, quia eo magis operi inſtant. [l] Miraculum.

Digitized by Google

fuit, vt ipſi ruſtici de campo fugerent. Factumq́; eſt, vt qui ſaluis frugibus ab opere ſponte ceſſare noluerant, perditis omnibus, ceſſarent inuiti. Simile quiddam, eodem presbytero per viam pergente, in Aſſumptione Beatæ ſemperq́; Virginis Mariæ factũ comperimus, duobus, ruſtico videlicet, & eius vxore in agro metentibus. Zelo etenim religionis presbyter eos prohibebat dicens: huic diei propter aſſumptionem Dei genitricis Mariæ honorem deberi. Erat autem ſecunda feria. Dicebat ergo ruſticus: heri, propter Dominicam operari non licuit, & iterum hodie vacare iubemur. Quæ eſt hæc doctrina, quæ homines à rebus neceſſariis & bonis iubet ceſſare? Quando ergo collectas videbim' fruges noſtras? puto vos inuidere vtilitatibus noſtris. Cumq́; iam ad blaſphemandum os aperire vellet, & falcẽ crebris tractibus meſſor vehemens in calamos vibraret, mirũ dictu, ſubitò exſtinctus in ſulcos cecidit, falcemq́; in dextra, ſegetem autem in ſiniſtra, vt abſecta erat, tam fortiter etiam mortuus tenebat, vt à nullo auferri poſſet. Mulier autem infelix, ſocia operis, morte quidem mulctata non eſt; puto, quia ſub viri obedientia poſita fuit. Sed tamen ſine pœna & confuſione non euaſit. Nam corpus exanimi viri ad Eccleſiam ſecuta, falcem & ſegetem de manibus ſuis, & ipſa excutere non potuit, quouſque coram populo & clero argumentum hoc illicitæ operationis probaretur. Sepulto ergo viro & abeunte cum timore populo, mulier ſoluta eſt. Ex hoc autem facto populus maiorem Dei Genitricis reuerentiam, maioremque aliis feſtis celebritatem doctus eſt exhibere.

Aliud exẽplũ de violatorib Feſti Virginis Aſſumptæ.

Corruit exanimis.

Pœna vxoris.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 28.

XXX. INTEREA * Rutheni comperta fide & conuerſione Stetinenſium: & quia in Chriſtianitate penitus roborati ſunt, à ſocietate illorum ſe auertunt, commercia omnia mutuaq́; negocia inſtitorum ex indignatione abrumpentes, quaſi a alterius iam fidei populo communicare in talibus non deberẽt. Iſti autem ſæpe numero à multis prædicatoribus ad fidem vocati, de integro nunquam venire voluerunt: Sed aliis interdum credentibus, alii non credebãt, atq́; ex maiore parte paganicis ritibus degẽtes, ſemina fidei veluti ſpinæ, ſuffocando, illic conualeſcere non ſinebant. Ruthenia vero Danos adiunctos habet. Porro Archiepiſcopo Danorum etiam * Ruthenia ſubiecta eſſe debuit: Sed populo fidem Catholicam propulſante, ſuperfluum eſt, Sacerdotes de parochiæ terminis litigare. Rutheni ergò, paulatim creſcente odio, Stetinenſibus publice aduerſari cœperunt: & primo, quod naues illorum à littoribus ſuis arcerent: poſt etiam ex communi decreto, hoſtes eorum haberi ſtatuunt, Ottoni Epiſcopo b mandantes (audierant enim, quod illò ad prædicandum venire vellet) ne vnquam fines eorum attingeret. Dicebant enim nihil eum apud ſe inuentutũ, niſi acerbas pœnas & mortem certiſſimam. Ille c autem, accepta legatione tali, tacite apud ſe exultat, animum parat ad Martyrium, cogitat & diſponit omnia, tractat anxie apud ſe, an melius ſit ſolum ſe ad tale conuiuium ire, an cũ multis? Stetinenſes autem quidam viri boni & prudentes, in comitatu Epiſcopi erant Iulinæ, gnari locorum, prouinciarum & morum cuiuſq́; gentis. Hos ergo Epiſcopus paulatim interrogationibus prætentabat, ſcire volẽs, ſi quo modo eum illuc perducere velint. At illi de origine * Ruthenæ gentis, de feritate animorum, & de inſtabilitate fidei & beſtiali eorum conuerſatione multa ei narrantes; etiam hoc, quod Archiepiſcopo Danorum ſubiecti eſſe debuerint, non tacebant. Sperans ergo Epiſcopus, gratum fore illi, ſi conuerti poſſint, ſimulq́; attendens congruum eſſe, quod per eius licentiam, ac permiſſionem ad prædicandum in eius parochia, veniret, Iuuanum venerabilem Presbyterum de latere ſuo, & alios nuncios nauigio cum literis & muneribus illò pro licentia direxit. Archiepiſcopus verò in maximo gaudio & honore legatos accepit, habitosq́; apud ſe multa humanitate, plurima de ſtatu, de doctrina & operibus beati Ottonis percontatur. Erat autem vir bonus & ſimplex, bonarum rerum cupidus auditor, non mediocris ſcientiæ ac religionis, in exterioribus tamen Sclauicæ ruſticitatis. Nam & homines terræ illius tales ſunt, vt in maxima vbertate atq́; diuitiis, generali quadam duritia omnes inculti videantur, & agreſtes. Vrbes ibi & caſtra ſine muro & turribus, ligno tantùm ac foſſatis muniuntur; Eccleſiæ ac domus nobilium humiles & vili ſchemate. Studia hominum aut venatio aut piſcatio eſt, vel pecorum paſtura. In his etenim omnes diuitiæ illorum conſiſtunt. Siquidem agrorum cultus rarus ibi eſt. Porro in victu vel in habitu veſtium parum lauti habent aut pulchritudinis noſtræ. Noſtri ergò mediocres, in comparatione illorum glorioſi erant. Iuuanus verò Presbyter Archiepiſcopo ipſo maior eſſe videbatur. Cumq́; eſſet boni oris, ad omnia compoſite reſpondens, illum valde oblectabat nihilque ſatis ei eſſe potuit, quidquid de Ottone audiebat. Fama etenim ante annos plures hunc notum habuit. Et nunc gloriari atq́; lætari abundantius cœpit, quod eius dignos & præclaros nuncios præſentes haberet, cuius tanta, ac tam præclara facta vulgari fama paſſim prædicari prius audiſſet. De Legatione autem eius ad præſens nihil ſe reſpondere poſſe dicebat, niſi antè Princeps Danorum atq́; magnãtes per aliquas inducias conſuluiſſet. Iuuanus autem & legati hoc longum ſibi iudicantes, dimitti ſe rogant, ne ſuper eorum mora contriſtaretur Epiſcopus. Annuit ille cum benignitate, ac literas donaria, nauemq́; grandiuſculam butyro plenam, ſignum dilectionis & amicitiæ mittens Epiſcopo, dicebat; quanto citius ex conſilio Principum per ſuos legatos de verbo prædicationis ſe reſponſurum; quod vtrum perperam an ſimpliciter dixerit, parum nobis compertum eſt. Nam dum per aliquos dies eius nuncios exſpectaremus, de partibus Alemanniæ, & de domo Babebergenſi plures nuncij venerunt, magnis & neceſſariis cauſis Epiſcopum reuocantes.

* Nomine Ruthenorũ hic intelligendi ſunt hic Rugiani, ſeu Rugiani ab inſula Rugia.

a Rugiani rũpũt fœd' cum Stetinenſibus.

* Rugia.

b Rugiani mouent S. Othonem, ne Rugiam petat.

c S. Othoni hilominus Rugianos adire cogitat.

* Rugianæ.

Antiqui mores Danorum, nã hodierni longe alii.

Archiepiſc. Daniæ colloquio Iuuani Presbyteri mire oblectatur.

Quale reſpõſum legatis dederit.

Qualia munera ad S. Othonem miſerit.

XXXI. RVTHENI autem crebris inſultibus Pomeranos laceſſunt, & Stetinenſium fines armatis nauibus perturbant. Cumque ſemel ac bis repercuſſi à bello ceſſare noluiſſent, Stetinenſes ex conſilio communi arma tractare cœperunt, atque iterum venientibus, coadunatis viribus, occurrere. Sed quid plura? Tanta d ſtrage Rutheni fuſi ſunt, & tanti ex eis in captiuitatem redacti, vt, qui euadere potuerunt, nullum vltra victoribus bellum intulerint. Stetinenſes igitur hac victoria glorioſi Domino Ieſu Chriſto, & ſeruo eius Ottoni honorem adſcribebant Ruthenos vltra iam non timentes, ſed ex captiuitatibus etiam ad humiles, & ſatis indignas compoſitiones eos adſtringentes.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 29

d Victoria Stetinẽſiũ de Rugianis

XXXII. INTEREA glorioſiſſimus Rex Lotharius cæteriq́; Principes diuturnam eius abſentiam ægre ferentes, vtpote, qui conſiliis & piis artibus, præ ceteris, tunc temporis regnũ nobilitare conſueuerat, auctoritate ſua ei, vt celerius redeat, præcipiendo ſimul & petendo mandauit; adeo, vt ipſe Rex, qui arctius eum diligebat, iure iurando affirmaret, ſe res Eccleſiaſticas in ſuum redigere velle dominiũ, niſi quantocius ſponſam ſuã Eccleſiã Babebergenſem diu viduatã paſtor pius deſiderato reditu, conſolando recrearet. Apoſtolus itaq́; Pomeranorum his legationibus contraire non valens, antequã reſponſum Archiepiſcopi Danorũ reciperet, ad ſedem ſuam redire cõpulſus eſt. Viſitatis e ergo circum circa fidelibus, & in fide confirmatis, Chriſto, cui crediderant, eos cõmendans, iter cũ ſuis aggreſſus eſt. Cumq́; emẽſo itinere Poloniã veniſſet, Dux f Bolezlaus, antiquus ſuæ familiaritatis cuſtos, debiti honoris reuerentia eũ excipiẽs in Metropolitana Gnezenſi Eccleſia ſecum detinuit, tantaq́; melliſluæ eius doctrinæ intendebat auiditate, vt euolutis octo diebus, vix dilecto Patri licentiam abeundi indulgeret. Tandẽ g lõga peregrinationis huius angaria, Chriſto fauẽte, peracta, in vigilia S. Thomæ Apoſtoli nouus noſtri tẽporis Apoſtolus, Eccleſiã ſuã deſiderabili aduẽtu lætificans, omni vtriuſq́; profeſſionis, & ſexus plebe in vnũ cõcurrente, velut angelus Dei ſuſceptus eſt. O quam inæſtimabili ſpiritualis lætitiæ tripudio fideles Chriſti, quorũ ſpecialis Pater, & nutritor piiſſimus hic erat, poſt tãti tẽporis peregrinationẽ, poſt acquiſitũ ſummo Patri familias nouum gregem, quaſi de morte redditũ Paſtorẽ ſuum exceperunt. O h quã deſiderabile fuit videre & audire tantã exercitus Chriſti multitudinẽ non ſolũ Canonicis, ſed & monachis, nobiliter refertam, vno deuotionis ardore cum lacrymis ſpirituali gaudio plenis in occurſu eius dulciſono pſallẽtẽ: Domine ſuſcipe me, vt cum fratribus meis ſim, cum quibus veniens, viuificaſti me. Et congrue ſatis hæc ſuauiſſima.

Ioannis

Ebbo.

Lotharius Rex minatur S. Othoni, niſi reuertatur domum.

e S. Otho reditum in Patriam parat.

f Amanter excipitur à Duce Poloniæ Bolezlao.

g Venit Bambergam in Vigilia S. Thomæ.

h Gaudium ex aduentu

Digitized by Google

Ioannis Apoſtoli verba, quem ſingulari affectu patronum ſibi elegerat, ita vt quotidie ſe obitumque ſuum intimis ei precibus commendaret, pio Ottoni poſt ſecundum iam Apoſtolatum triumphanti ab omnibus filiis ſuis iubilo cordis & oris concinebant, quia, beatus hic, memor verbi Domini per Prophetam dicentis; Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt inglorij; omne ſtudium, quod alij Pontifices & Principes mundanis lucris & caſtellis, atque Vrbibus ædificandis inſumebant: hic Deo tantum & ſanctis eius honorabiliter, & officioſiſſime exhibebat; ſcilicet Eccleſias Chriſti, cellasq; fidelium, nunc quidem à fundamentis conſtruendo, nunc vero ab aliis conſtructas donis optimis illuſtrando, ne ſuper arenam, quantocius caſura, ſed potius ſupra firmam petram in æternum manſura conderet habitacula.

SICVT priorum, qui vitas, vel etiam miracula ſanctorum Patrum ſcriptis ſuis fidelium commendauerunt memo- Lib.
riæ, diligentiam laudamus: ita in nobis ipſis, qui ea, quæ quotidie per frequentiam ſignorum fieri videmus, per IV.
torporem ac deſidiam tranſimus, negligentiam damnamus. Quia igitur vita Sancti ac ſingularis patroni noſtri, pij ac I.
Deo digni Confeſſoris Ottonis in libello, quem dramatico carmine, vel etiam proſa decurrente, Scholaſticus noſter Herbordus luculentiſſime perſudauit, plenius conſcripta cognoſcitur; in quo etiam aliqua miraculorum eius, quæ viuens geſſit continentur inſignia, nos quaſi inertes ac rudes alumni laudabilem Præceptoris noſtri deuotionem, longe quidem impari ſcientia proſequentes, ſigna, quæ poſt mortem ipſius, Deo cooperante, viuere illum loquuntur; tam à nobis perſpecta, quam fidelium relatione collecta, minus inuidiæ, plurimum autem charitati, quæ hunc laborem nobis iniunxit, intendentes, in vnum compilare, ac poſteris commendare aggreſſi ſumus. Cum enim præcipuorum fundatorum noſtrorum, videlicet Henrici Imperatoris, ac ſanctiſſimæ Kunegundis Virginis, eiuſdem regni & meriti conſortis, miracula clariſſimis Eccleſiæ Dei ſcriptis pompoſe ſatis declarata videamus, veremur, ne ipſorum conſcriptoribus pro geminato cenſu intromiſſis, nos quaſi deſides pro non reportato lucro à gaudiis Domini excludamur, ſi eius, quem familiæ ſuæ diuina prædeſtinatione tam fidelem, quam prudentem conſtituit diſpenſatorem meritorum ſigna ſub ſilentio tranſeamus.

Herbordus Scholaſticus ſcripſit vitam S. Othonis.

QVIDAM ex fratribus noſtris religioſus Presbyter Lippoldus nomine, ante quinquennium, dormitionem bea- II.
tiſſimi huius Patris in viſione tali, Domino reuelante, meruit contemplari. Montem quendam præcelſum, & omni amœnitate iocundum contra Orientem oculos dirigens aſpexit: cuius quidem ſpecioſum cacumen aſcendere non potuit, ſed deorſum ſtans, vidit multitudinem copioſam plebis vtriuſque ſexus & ætatis, ingentia lapidum precioſorum onera ſuper verticem montis magna cum exultatione attrahere, ac ſuauiſſimum quoddam melos, quod intelligere non potuit, dulci modulatione concinere. Tunc accedens, vacillante licet greſſu, quendam ex eis canicie veneranda conſpicuum vocauit; & quæ hæc eſſet multitudo, vel cur lapides illos in cacumen montis attraherent, inquiſiuit. At ille; nos, inquit, ſumus, qui eleemoſynas & beneficia plurima à pio Ottone percepimus, ideoque domum precioſam ei in ſupercilio montis huius ædificamus. Cui Lippoldus: & quando ait, domus hæc conſummabitur? Ille vero, poſt quinquennium, inquit, perfecta domo, cum lætitia & exultatione eum huc introducemus. Sed tu caue, ne cuiquam hæc ante quinquennij tempus expletum manifeſtare præſumas. Et his dictis, ſublata eſt viſio, quam tempore dormitionis beatiſſimi Patris noſtri, ex ore eiuſdem ſenioris Lippoldi audiuimus, qui & ipſe tunc graui & longiturna decumbebat ægritudine, nobisque cum lacrymis hæc referebat: & morbo confectus VII. Idus Auguſti beato fine requieuit in Domino.

Viſio Lippoldi Preſbyteri.

Obitus Lippoldi.

SED vt ad priora redeam, pius Pater noſter Otto poſt longam reuerſus peregrinationem, more ſuo nos viſitãs, III.
vtpote cum quibus cor vnum & animam habebat, requiſiuit; qui nam ex nobis, eo abſente, viam vniuerſæ carnis ingreſſi eſſent? Hoc enim ſemper de qualibet profectione rediens affectu paterno ſolebat inquirere. Tunc autem ſanctæ recordationis Adalbertus eleemoſynarius, verus Dei ſeruus, & ſibi familiariſſimus, ad Chriſtum, cui mẽte & corpore indefeſſam exhibuit ſeruitutem, migrauerat: cuius tranſitu vir beatus audito, totus in lacrymas [a] reſolutus, ſe infelicem clamitabat, quod tam beatæ animæ ad patriam claritatis æternæ migranti, ſolenne funeris obſequium exhibere non meruiſſet. erat namque idem frater noſter Adalbertus, tanto diuini amoris igne ſuccenſus, vt quotidianis atque vberrimis lacrymarum fontibus gaudia cœleſtis Patriæ anhelaret, corpus etiam vigiliis ac ieiuniis conuenienter attenuaret. Huic ſeruo Dei [b] pauperum cura erat delegata, quam tanta humilitatis deuotione agebat, vt ad exemplum Martyrij monachi, de quo beatus Gregorius refert, propriis humeris leproſos baiularet, & tam eos, quam & alios diuerſis morborum generibus preſſos, quos videre horrori erat, ſuis manibus alacriter balneis & lauacris vnguẽtisq; foueret, cuius feruori pius Otto congratulatus, omnia alendis inopum turbis, opportuna liberalitate ſubminiſtrabat. Nec his contentus, etiam per ſemetipſum, famis tempore, pauperibus ſeruiebat, vt non tam oblatione munerum, quam etiam proprij corporis ſudore gratum Deo eleemoſynæ ſacrificium celebraret. Multitudine autem innumerabili, præ famis magnitudine, ex omni regione confluente, erant quidam inter eos fortiores, qui debilioribus alimenta violenter manibus extorquentes ſurripiebant. Quorum clamorem ac ploratum vir beatus non ſuſtinens, prudenter huic negotio occurrit, ſuisq; imperat, vt primum conuenientibus eis, quoslibet corpore valẽtiores ſegregatos vno omnes in cœnaculo concluderet, donec infirmis ac debilibus victum congruẽtem ſuis manibus miniſtraret: quos ſtatim abire, longiusq; de loco ſecedere iubet, ne ſociis de cœnaculo emiſſis, iterum prædæ fiant: tuncque domum ingreſſus, pauperibus incluſis, largam alimoniæ opem exhibebat, præcipiens ne amplius violentiã hanc fratribus ſuis inferre præſumerent. Hæc apud ſuos agebat; extraneis autem, & trans mare poſitis Chriſti pauperibus, per fideles nuncios apparabat. Nam per clariſſimum fratrem noſtrum Eberhardum, adhuc in ordine Canonicorũ Chriſto militantem, xenia ſua Hieroſolymam tranſmiſit, ſicut & ſpecialiter cum religioſis quibusq; ſepulchrum Domini viſitantibus agere ſolebat: ſed & pecuniæ maximam quantitatem [c] Hirſangenſibus, aliisq; monaſteriis longius remotis per fratrem noſtrum Swiggerum famis tempore, dirigebat; ideoq; Chriſti bonus odor in omni loco erat.

Adalbertus eleemoſynarius.

[a] S. Otho mortem Adalberti lacrymis proſequitur.

[b] Charitas Adalberti in egenos, & leproſos.

S. Greg Homil. 39 in Euang.

Adelbertus Hieroſolymã quoque eleemoſynas mittebat.

[c] Eiuſdem benignitas in diuerſa monaſteria.

IGITVR completo curſu præſentis vitæ, in ſenectute bona, cum iam tempus adeſſet, vt fidelis diſpenſator ſum- IV.
mi Patrisfamilias, in gaudium Domini ſui intraret, pius Otto dolore corporis, id eſt, fluxu ſanguinis vehementiſſimo tactus eſt, vt velut aurum in camino ægritudinis purgatus, introire mereretur aulam quæ nullam recipit maculam; ſed ipſe memor ſcripturę dicentis quem diligit Dominus, corripit; & in alio loco ipſum Dominum loquentem audiens: Ego quos amo arguo & caſtigo; gratias agebat in infirmitatibus ſuis, regemq; gloriæ in decore tuo videre deſiderans, exitum ſuum Deo ac beato Michaëli, ſanctoq; Ioañi Apoſtolo, quos ſpeciales ſibi patronos elegerat, quotidianis ſuſpiriis attentius commendabat. Tantum vero lumen Eccleſię dum infirmando obſcurari cœpiſſet, Chriſti fidelibus, omni tempore dulciſſimo eius affectu & prouiſione enutritis inæſtimabilem mœroris fletusq; caliginem obduxit. Sed pius Pater filiorum lacrymas, quantum poterat, conſolando regebat, tantaq; virtute artus morbo fatiſcẽtes ſpiritui ſeruire cogebat, vt excepta dormitionis ſuæ die, non lecto decumberet, ſed quotidie in ſede ſua reſidens, interdum quoque baculo ſuſtentante procedens, pſalmis & orationibus vacaret, quodque rarum eſt, etiam oleo infirmorum non iacendo, ſed ſedendo perungeretur. Adueniente igitur feſtiuitate ſacratiſſima Apoſtolorum Petri & Pauli,

S. Otho incidit in morbum.

S. Otho extrema vnctione inunctus.

Vocat ad ſe Decanum maioris Eccleſiæ.

Commendat ei montem S. Michaelis.

Pauli, cernens diem vocationis inſtare, Egilbertum Maioris Eccleſiæ Decanum, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſit, euocat, cui, adſtantibus religioſis Abbatibus & Presbyteris, omnia ſua commendauit, dicens: hodie natalitius dies eſt Domini mei Principis Apoſtolorum Petri; cui, quæſo, res à Deo mihi donatas, offerte, vt ipſe mihi ianuam regni cœleſtis aperire, & cum Collega ſuo magiſtro gentium Paulo, me illuc quantocyus dignetur introducere: locum requietionis meæ, Montem videlicet patroni mei B. Michaelis Archangeli, quaſi viſcera mea fouere, & tam in ſpiritualibus, quam etiam temporalibus profectui eius in conſolationem animæ meæ, omnimodis inuigilate. Scitis.n. quam tenuis & exiguus, omniq; monaſticæ religionis vigore deſtitutus hic locus à me inuentus; & quomodo, cooperante Deo, per miniſterium meum, ad tantum ſpiritualis vitæ cultum profecerit, vt ſpeculum & gemma omnium in hac regione monaſteriorum à cunctis cenſeatur. Præſtet Deus, vt nomen hoc inuiolabile vſque ad finẽ obtineat, cunctiſque fidem ei, & reuerentiam ſeruantibus, pax & benedictio hic & in æternũ à Deo recompenſetur. De cætero dilectionẽ veſtram cum vniuerſo ouili meo, ſummo paſtori, qui vos mihi aſſignare dignatus eſt, cõmendo; ipſi vos integros mihi recõſignet in requie claritatis æternæ: Et data ſuper eos benedictione, non ſine lacrymis paternum amorem teſtantibus emiſit, ſumptoq; myſterij ſalutaris viatico, peruigil in orationibus excubabat, vt pulſanti & vocanti Domino cum exultatione aperiret. Nocte ergo, qua feſtiuitas S. Pauli Apoſtoli agebatur, in ſupremo ſpiritu conſtitutus, & iam carne præmortuus, corde tamen & flagrantiſſima voluntate diuinis intendebat laudibus, ita vt Clericis matutinale coram eo officium perſonãtibus, ille eleuatis manibus, ſurſumque oculis deſideranter erectis, ad ſingulas lectiones, voce, qua poterat, Deo gratias, reſponderet: ſicq; pius Otto feria ſexta, hora diei prima ſpiritum Deo reddens, beatis ſedibus & ſemper chariſſimo tandem perfruitur Chriſto.

Obitus S. Ottonis.

Pſal. 59.

Threm. 3.

2. Co. int. 11.

Etiam fama volans tanti prænuncia luctus non ſolum vicina, ſed & remotiora quæq; monaſteria iugiter ab eo neceſſarijs vitæ adminiculis ſuſtentata, inæſtimabili perculit mœſtitia. Nec immerito. Oſtendit.n. Dominus populo ſuo dura, potauit eum vino cõpunctionis, & inebriauit abſinthio, cum patrẽ deſiderantiſſimũ ſuſtulit, cuius defenſione & eleemoſynarũ virtute Pax Eccleſiæ, tanto tempore, nobiliter florebat, ſub quo monaſticæ religionis perfectio noua de die in diem incrementa capiebat. In quo deinceps patrono tam ſolidum erit pauperum Chriſti ſolarium? Qui iure cum Apoſtolo aiebat: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Quis ad eum triſtis venit, & non gaudens abſceſſit? Quis opem eius in tribulatione ſua experijt, & non impetrauit? Merito itaq; tranſitũ eius Eccleſia flebat, cuius vita tantopere gaudebat; ſed fides reſurrectionis flere prohibet, gemitum vero affectus extorquet. Etenim tam ſancta eſt de illius gloria exultatio, quam pius de tranſitu luctus. Ignoſcendum eſt flentibus, gratulandum gaudentibus, quia pium eſt gaudere Ottonem: & pium eſt, flere Ottonem, dum vnuſquiſq; & ſibi præſtat, vt doleat; & illi debet vt gaudeat.

Exequiæ pro S. Ottone.

Concurſus ad exequias

Venerabile corpus eius à religioſis viris curatum, & aromatibus conditum per ſingula monaſteria eſt deportatum, illicq; vigiliarũ excubiis ac Miſſarum ſolenniis honoratum: ad extremũ in montem S. Michaelis Archangeli, ſpecialis patroni ſui, defertur; ibiq; in Eccleſia, quam ipſe vetuſtate collapſam in maiorem ſtatum à fundamẽtis reædificauerat, debito cum honore excipitur. Illic vero, in obſequium funeris, credi non poteſt, quanta hominum multitudo confluxerit. Tota obuiam corpori ciuitas fuit; cuncti ex agris atque vicis, multiq; ex aliis vrbibus & regionibus affuerunt. O quantus luctus omnium, quanta præcipue mœrentium lamenta monachorum & pauperum Chriſti; qui velut pulli ſub alis piiſſimi Patris ſecuri tanto tempore quieuerant, ſeque tam deſiderabili nutritoris ſui præſentia fraudari, ac defenſione nudari cernebant; quodque ſine gemitu referre non poſſumus; cum ſacerdotes religioſi corpus ſacrum, choro S. Michaëlis inferrent humandum, vbi ad limen interius ventum eſt, præcentor antiphonam, *Domine ſuſcipe me*, impoſuit; tantus ſubito ploratus omnium exortus eſt, vt ipſi etiam funeris baiuli nimio fletu concuſſi cum *pheretro* ſubſiderent, ac penè terræ procumberent.

Corpus S. Ottonis per omnes Eccleſias circumlatum.

Sermo funebris B. Imbriconis Epiſcopi Herbipolenſ. Extat in edit. Caniſ. lib. 5. ca. 47.

V. Superuenit quoque ſacræ ſemper memoriæ Imbrico Herbipolenſis Epiſcopus, vir clarus & prudens tam eloquij venuſtate, quam ingenio & ſapientia præpollens. Superuenit, inquã, amicus ad amici exequias inuitus, & dolenti & ardentiſſime flenti Eccleſiæ lugendo ipſe ac dolendo luctum auxit & dolorem. Iam enim per totum triduum dormitionis eius dilecti corporis gleba per omnes Eccleſias circumlata, iugi ſacrificio, indeſeſſiſque orationibus, & multis eleemoſynarum largitionibus beata eius anima Deo dicata & commendata fuerat ab omnibus. Quarta igitur die, vbi ad locum ventum eſt tumuli, Epiſcopus commendationem celebrauit, atque inter Miſſarum ſolennia, quę pro dilecti Patris & amici anima multa intẽtione deuotus agebat, ad mœrentem & lugentem cõuerſus multitudinem, breuem quidem, ſed gratiæ ac dulcedinis plenum intulit ſermonem, ita dicens: Et quid fiet? quid erit conſilij? Mortua eſt Martha; ecce vbi iacet. Quis, rogo, veniẽtem Dominũ Ieſum in hoc caſtello amodo ſuſcipiet? Equidẽ defuncta eſt Martha, quæ illum ſuſcipere conſueuit, defuncta eſt hoſpita Domini Ieſu Chriſti, quæ venienti hoſpitiũ præbuit, ſedem poſuit, menſam aptauit, neceſſaria omnia benigne ac liberaliter miniſtrauit. Defuncta eſt, inq̃. non ſolum miniſtra & hoſpita Chriſti, ſed miniſter & hoſpes, ſed ſuſceptor omnium Chriſtianorum. Et quis ſtabit in loco ſancto eius? quis nobis vicẽ miniſterij huius implebit? quis, rogo, aget pro eo, quæ iſte agere conſueuit? Omnibus gradibus, omnibus ordinibus, omnibus perſonis Eccleſiæ, vita eius vtilis fuit. Ecce defunctus eſt vt vere dicã ſeru⁹ ſeruorũ Dei. Quid facietis monachi? quid facietis Clerici? Quid facietis pauperes & mendici? Quis vobis reſtituet matrem veſtrã? Vbi amodo illa materna vbera, vbi maternos affectus quæretis? ſed quærere vbiq; poteſtis; vobis denuncio, nuſq̃ inuenietis. Sui temporis ſæcula cõfidenter dico, hunc ſolũ, hunc vnũ tantæ miſericordiæ virũ habuerunt.

Virtutes S. Ottonis.

Vt.n. de alijs virtutibus eius taceam, quæ plurimæ fuerunt, & claræ; in miſericordia & miſericordiæ operibus tantus erat, vt nullũ penitus ex omnibus mihi notis ei auſim adæquare. Sed quid? Doleo vicẽ miſerorum, doleo vicẽ eorum, qui in ſuis miſeriis ad hunc miſericordẽ fugere conſueuerant. Doleo, vt verũ fatear, vicẽ meimetipſius: vt.n. ita dicam, me miſeret mei, meritoq; mœrore conturbor. Multum enim præſidij, multũ conſolationis in hoc amico perdidi. Hic.n. in ciuitate ipſa cõmodus, ſocietate & amicitia opportunus, magnũ mihi præſidiũ fuit. Cum hoc fiducialiter oẽs curas meas, omnia negotia mea, ſeu cõſilia penitiora cõmunicare ſolebã. Hic mihi, vt breuiter dixerim, in omnibus opportunitatibus meis maxim⁹ ſubleuator fuit. ſed de me quid dico? Nam mei nominis Ordo vniuerſus, videl. Ordo Pontificalis, hoc adempto, cõpar merito lugebit. Hic nobis gẽma, hic decus, hic ſplendor fuit. Conuẽtus noſtros in Conciliis ſiue Curiis virtutũ ſuarum radiis colluſtrauit. In hoc, vt ita dicam, quaſi viuenti libro, quomodo nobis viuendum; vel, quid agendum eſſet conſpicere potuimus. Sancta enim exempla, ſanctæ actiones magis erudiũt, quam verba. Sed doctrina hæc, ô dolor, modo iam eſt in terris. Omnes enim penè, quotquot ſumus, eloquio magis, quam opere proximos ædificare ſtudemus, ſed iſte, docuit verbo, docuit exemplo: dixit & fecit. Talem ergo lucernam de medio noſtri ablatam, æqua mente ferre poterimus? Sed vado ad altiores. Huius enim interitum & tu, ô Romane Pontifex ſanctæ matris Eccleſiæ ſenties: & tu regnator Orbis rex Alemaniæ Imperator Romanorum Auguſte; caſum quoque huius experieris. Ambo permaximi, magna clade mulctati eſtis. Magnus enim Ahod ille ambidexter vobis occubuit; occubuit ille, qui vtraque manu pro dextera vtebatur Iſraeliticæ gẽtis doctor egregius. Occubuit, inq̃ ille, qui potens erat & induſtrius, & prona voluntate reddere Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ Dei. Non tibi, ô Imperialis majeſtas, nõ tibi cito cõſurget alia columna, cui iã fiducialiter inniti queas. Hic te quidẽ nõ ſolũ diuitiis, & prudẽtia ſæculari, ſed ꝙ maius eſt, meritis ac ſanctitate ſuffulſit, ſanctitate, inq̃, & virtutũ meritis, Imperatorẽ pariter & Imperiũ ſubleuauit. Iuſtitia.n. & ſanctitas in dextra ei⁹. Nõ parua res acta eſt: nõ parua hęc mutatio in Eccleſia Dei: nõ ergo leuiter ferẽda eſt talis viri oblatio. Vbi amodo tale ingeniũ, talẽ prudẽtiã, talẽ inueniem⁹ bonitatẽ?

Matth. 22.

Sed

Sed redeamus ad monachos, redeamus ad populum ſpiritualem; detrimenta illorum, lamenta nobis facient. Quid fiet de illis? Quid fiet de monachis & pauperibus, qui ad has manus ſpectare cõſueuerant? Lugetis video, & fletis Ottonem veſtrum & certè non immeritò. Vobis enim ille occubuit, vobis ablatus eſt. Vos enim, ô monachi, ſpecialiter populus paſcuæ eius, & oues manus eius. Hic profectò erat, qui de abundantia diuitum huius mundi veſtram inopiam ſupplere ſolicitus fuit. Hic magno auctoritatis exẽplo gloriari ſolebat dicens: ſpoliauit Ægyptios, ditauit Hebræos. Nam re verâ ſanctè & religioſè multa à ſecularibus extorſit: ſancta & religioſa fraude, vt ita dicam; diuites circumueniebat, vt eleemoſynas facerent quandoq; non cogitatas; argumẽtoſus enim erat in lucris diuinis. Nam & manus Domini cũ eo erat. *Luc 1.* O quàm multos diuites cum omnibus diuitijs ſuis ad ſpiritualem vitam traiecit? Quidquid perſonarum, quidquid rerum vel opum ſæculo auferre potuit, Deo coaptauit, pietatis ac miſericordiæ obtẽtu. Sed, quid multis? Miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Miſericordia Dei ante oculos eius ſemper fuit. Orate ergò dilectiſſimi fratres, orate attentius, vt & ipſe hodie miſericordiam conſequatur. Orate, vt illa beatiſſima anima, quam credidit, quam ſperauit, quam dilexit, teipſa Dei miſericordiam hodie percipiat. *Matth 5. Luc 6.* Equidẽ non ſurdis auribus illud Euangeliũ accepit: beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et; eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Nullus autem miſericors eſſe poteſt qui humilis non fuerit. Omnis ergò miſericors, etiam humilis eſt. Vnde, bene inferre poſſumus, quod veram & coram Deo probatam humilitatem habuit ſpiritus eius, qui tantæ miſericordiæ fuit. Interuentu ergò Dei genitricis Mariæ, cui ſemper deuotus exiſtit; interuentu B. Michaëlis Archangeli, cuius Eccleſiæ reparator & ſublimator hodie conſpicitur, quem patronum & ſeruatorem, & corpori & animæ ſuæ delegit; interuentu omnium beatorũ ſpirituum ſpiritus eius diuinam miſericordiam cõſequatur: ipſorum, inquam, atq; omnium Sanctorum ſuorum, ſi vſpiam, ſicut eſt humanæ fragilitatis, tãta eius opera, tantæ ipſius miſerationes & benefacta, humana laude, vel humanæ laudis intentione titillata ſunt, vel maculata; (*Nihil enim ſatis purum coram ſummo iudice:*) Rogate, quæſo, rogate attẽtius; oremus omnes pariter, vt hoc abolere, hoc tollere dignetur ipſe, qui tollit peccata mundi Agnus Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit in ſæcula ſæculorum.

Quis motus concionem Imbriconis cõſecutus fuerit. QVANTA verò vociferatione, quanto mugitu, quantis affectibus & lacrymis omnes Amen reſponderũt, dici non poteſt. Sic ergò finita Miſſa in loco, vbi cernitur, in Eccleſia B. Michaëlis, Comitibus, Marchionibus, ſeu alijs quibuslibet nobilibus pheretrum eius certatim geſtantibus, Sarcophagũ leuantibus, ſeu alia, quæ ibi neceſſaria erant, more operariorum, ſuis manibus deuotiſſimè peragentibus, corpus eius tumulatum eſt anno Dominicæ incarnationis Milleſimo, centeſimo, triceſimo nono, tertio Cal. Iulij feliciter. ** Anno ætatis ſuæ 70. Epiſcopatus 37. vt ait Hoffmannus in Annal. Bamberg.* * Et ne quid de exuuijs vigilantiſſimi Paſtoris deuoto gregi deeſſet, etiam inteſtina eius, dum aromatibus condirentur, exciſa, & in vrnam miſſa, in medio Capellæ Dei genitricis Mariæ, terræ mandata, & rotundo lapide ſignata ſunt: vt, dum fratres ad celebranda diuinæ ſeruitutis munia illuc nocte dieq; accurrunt, dilecti Patris memoriam præ oculis habeant, & beatiſſimam eius animam aſſiduis precibus in alta cœlorum ſuſtollant. Imbrico autẽ beatæ memoriæ Antiſtes poſt depoſitionẽ pij Ottonis, miro affectu Montẽ S. Michaëlis excolere non deſijt: qui etiam cum ſuſpirijs intimæ compunctionis atteſtari ſolebat, nunquam ſe tantam exequiarum gloriam vidiſſe, beatumq; populum Babebergenſem prædicabat, qui reuera euidentibus rerum indicijs in tranſitu paſtoris ſui approbaſſent, quam flagrantiſſimo amore viuenti iugiter inhæſiſſent.

EO tempore puer quidam decennis, nomine Otto, in loco Babebergenſi, dudum à parentibus ſtudijs liberalibus traditus, graui ægritudine preſſus decumbebat: iamq; per triduum morienti ſimillimus: abſq; motu & voce remanſerat: Sed & religioſi fratres noſtri Burkardus, Godeſcalcus, & Alberto à matre eius euocati deſcenderant, vt debitum funeris officium puero migranti peragerent. Mater autem, Oſterhildis nomine, quæ iam vnici filij cruciatum videre non poterat, fide ardentiſſima Montem S. Michaëlis adſcendens: Sepulchrum pij Ottonis adijt; ibiq; lacrymis vbertim profuſis huiuſmodi precem emiſit: O ſerue Dei viui, ô Pater piiſſime pauperum Chriſti, ſuccurre infelicitati meæ, quæ iam per triduum vnico orbata ſum filio; & ſi vnquã viſcera compaſſionis habuiſti, nunc quoq; miſerere calamitati meæ, tuo quoq; interuentu obtine, vt puer, aut vitæ quantocyus reſtituatur, aut celeri fine, ſi ita neceſſe eſt, ſubtrahatur: ne tam diutino cruciatu dolorem nõ ferendum viſceribus meis ingerat; vt per hoc accepta Deo pietatis tuæ opera cognoſcam. Nec mora, vbi domum rediit, filium, quem in ſupremo ſpiritu reliquerat, ſanum & loquentem, cunctoſq; præ gaudio flentes inuenit. Et cadens in faciem ex omnibus cordis medullis gratias agebat dicens: Nunc cognoſco, ſerue Dei fideliſſime qualem inueneris gratiam in cõſpectu eius; quem ſemper miſericordiæ operibus honorare ſolebas: quia vnicum filium ab ipſis faucibus mortis erutum pia interceſſione mihi reddidiſti ſanum. Quod factum memorabile, dum bono paſtori Egilberto, ſucceſſori Patris noſtri, relatum fuiſſet, nõ modico exhilaratus eſt gaudio; poſitiſq; genibus, Deo gratias agens, felicem S. Michaëlis montem pronunciauit, qui tam precioſum in ſinu ſuo meruit collocare theſaurum. Mater verò pueri tirocinio Chriſti eum delegauit, & pro amore pij Ottonis, nõ alijs, quam fratribus ad memoriam eius diu noctuq; excubantibus illum ſociari paſſa eſt: qui etiam in ſchola Chriſti educatus, ſtrenuæ nobilitatis adoleſcẽs probitate morum, Deo & hominibus acceptabilis factus eſt. VI.

Precatio matris ad S. Ottonem pro ſalute filij.

Exauditur oratio matris.

Egilbertus ſucceſſor S. Ottonis.

Oetting im Rieß. QVIDAM mutus de Ottinga, Rhætienſi vico, Henricus: (Nam id nomen in baptiſmo ſibi fuiſſe impoſitum, ſcripto monſtrabat) dum loca diuerſa & Memorias ſanctorum peterraret, Auguſtam, vbi nouum ſignum Dominus in re ſui Sacramenti mundo declarauit, inter globos concurrentium venit, vbi, vt ad ciuitatem Babebergenſium pergere deberet, ad ſepulchrum S. Ottonis, per viſionem, admonitus eſt. *Miraculum in Eucharistia Auguſtæ Vindelicorum.* Die igitur tertio, hora diei nona, cum multis alijs, qui non illum iuiſſe, ſed quaſi peruolaſſe tanti itineris dimenſionem conteſtabantur, aduenit. Cùm verò dextro brachio ipſius confeſſoris Chriſti, os eius tactum eſt, ſubito ſudore faciem totus perfuſus, in tantum, vt etiam capillos defluere videres: primam vocem, balbutientis more, formare, & Domini ac Sancti nomen Confeſſoris, extenſis ad cœlum manibus, inuocare cœpit. Deinde aqua refocillatus (nam & laſſitudine & multitudine compreſſus erat) cunctis adſtantibus, ſolutionis ſuæ cauſam clare expoſuit, quibuſdam etiam fratribus, à quibus aliquando apud nos integumenta acceperat, quos illic adſtantes videbat, gratias egit. Quis ſe à diuinis laudibus, quis à lacrymis contineret? Facta ergo votiua ſignorum compulſatione, fit communis diuerſi ſexus innumerabilis concurſus, vna vox omnium, laudabilem virum concinentium, cuius meritis ab omni clade liberantur, qui ex toto corde quærunt illum. VII.

DE regali pago, qui Vlma nuncupatur, cæcus quidam inter manus ſuorum, ſanitatis gratia, ad memoriam pij VIII.
Confeſſoris adductus eſt; vbi, dum non ſemel neque bis ſed ſæpenumero pro ſui illuminatione precibus inſtaret, de die in diem, caligine oculorum recedente, lumen, quod à Domino poſtulabat, fidelis adſtipulatione ſuffragatoris, quod longa ſibi ætas ſubtraxerat, recepit: & qui alieno ductu aduenerat, proprio inuiſus greſſu, aliorum ſeductorem, ad eum, qui fecit miſericordiam in illum, conſtanter fore promittebat.

Cæcus Vlmenſis viſum recipit.

PVER quidam de villa Olocniza Wezzelinus, lethali morbo inualeſcente, omni membrorum officio deſtitutus fuit; ita vt & viſu, & vſu linguæ quoque priuaretur. Quem Pater ipſius Lipoldus & mater, *parentibus & amicis, quos idem tenebat affectus, diuino inuocato nomine, beato Ottoni, ſi per eius ſancta merita ſibi incolumis redderetur, offerendum cum oblationibus deuotauerunt. Mirum dictu, ad obligationem voti, nulla cœleſtis medicinæ mora fuit. Nam paruus incipiens riſu cognoſcere matrem, patrem aſpiciens, quod vouiſtis, ait, pro me, reddite, & me ad ſepulcrum S. Ottonis, qui mihi ſalutem obtinuit, citius perducite. Qui tam ſubitæ ſanitati congaudentes, abſque omni IX.

**Parentes & amici.*

tera-

retractatione puerum in humeris leuantes, & vt deuouerant, ad memoriam ſancti Patris illæſum offerentes, omnibus, quanta ſibi Dominus per ſuum ſanctum Confeſſorem feciſſet, fideliter expoſuerunt.

X. VNVM in duobus miraculum per omnipotentis Dei famulum laudabile factum in puella duodenni, quæ prior matrem comitata ad nos vſque peruenit; & in puero, vt computabatur ſeptenni, qui paternis humeris allatus, ſequens, è diuerſo venit, operæ precium * inſerendum videtur, ſed non ſine ſcrupulo, dum quoſdam ſanctis per * Inſerere.
quos Deus noſtris temporibus, quæ & in antiquis quoque operatur, detrahere confundimur, quaſi & ipſi infirmiores fuerint in hac parte. Vna enim voce ſub terribili maieſtatis diuinæ conteſtatione, & ſanctorum inuocatione mater ſibi filiam, Pater vnicum, mortis dolore ſubtractum fuiſſe; illa, tactis reliquiis beati Ottonis; ille verò pro puero cenſum in quinque denariis offerens, ſuper ſepulchrum, nulla ſpe, vt à quibuſdam imponitur, oberrationis, mortuos ſuos de reſurrectione, ſe, fideli ſuorum teſtimonio confirmabant accepiſſe. Nos autem non derogationi, ſed diuinæ operationi locum dantes, diuino iudicio iſtud relinquimus. Siue enim ſemiuiuis vitam reparare, ſiue defunctis animas reddere, diuinæ Virtutis eſt.

XI. CASV accidit, vt quidam conciuem ſuum ferro in gutture ſauciaret, ac, defluente ſanguine, per totam noctem & diem ſemiuiuum relinqueret: cumque cibum, vel potum ſibi infuſum per ipſum meatum vulneris eiiceret, & iam deſperaretur, mater dolore filij intrinſecus tacta: Hunc tibi miſeratori omnium benigniſſimo, beate, ait, Otto, oblaturum deuoueo, ſi eum ſanum & incolumem per tua ſancta merita recipere meruero; mox mirum in modum ſanguinis ille riuus ſtetit; vulnus conſtrictum, cicatrice obductum eſt; puer conualuit; viam ad ſancti ſepulchrum cum matre aggreſſus eſt. Vbi vero ſilua, quæ terminum Thuringiæ facit, emenſa eſt, ille laboris & doloris (nam exſanguis erat) magnitudine, terræ affuſus deficere cœpit. Tunc mater, amicis illum ad propria reuocare ſuadentibus, mœrore confecta; hinc non regrediar: Sed quo propoſui etiam exanime corpus, ait, proſequar. Ad hanc vocem, veluti inuiſibili quadam ſubleuaretur dextera, homo ſurrexit, & iter, quod cœperat, non ſine admiratione multorum, incunctanter perfecit, veniensque coram ſepulchro viri Dei, omnibus curationis illius teſtis ſui ipſa cicatrix fuit.

XII. APVD Thuringiæ caſtrum tam antiquitate, quam munitione famoſiſſimum: cui Erphurda nomen eſt: quidam ex equeſtri ordine paterfamilias tanto coxarum dolore torquebatur, vt vim interni doloris magnitudine vix explicare poſſet continui laboris: cumque remotioris ſecreta cubiculi, quietis gratia, expeteret, vocem cuiuſdam audiuit, quæ eum cum voto ab tumbam viri Dei venire admonuit. Ille, vbi vouit, cœleſtis votum medicina ſecuta eſt. nam omnis, quo vexabatur, dolor receſſit: & eos, quos prius cruciatibus ſuis triſtes reliquerat, verſa vice, de recepta ſoſpitate ſecum gaudere, & ipſe gaudebat. Mox itinere arrepto, ad ſepulchrum ſui curatoris peruenit: vbi multos curationis ſuæ teſtes, qui iam illum, fama volante, præuenerant, inuenit.

PVER quidam de vicina parochia Etzelkirchen ita longa ægritudinis moleſtia contractus erat, vt genibus, neruorum contractione, pectuſculo concretis, neq; à lecto ſurgere, neque ad aliquod opus naturæ ſine alterius auxilio ſe poſſet erigere. Hic ad memoriam beati Viri à parentibus circa feſtum Sancti Michaëlis delatus, inter Miſſarum ſolennia, multis, ex more, feſtiuitatis gratia, confluentibus, vbi tumbam tetigit, cum ſubito fragore membrorum, omni compage artuum, qua ligabatur ſolutus eſt: ita in ceſſum, & aliorum officia membrorum ex integro recipiens, in Abbatis *obſequio*, in monumentum ſuæ curationis in popinarum ad vſque deſeruit officio.

NEQVE hoc prætereundum puto, quod in eadem ciuitate celebre factum multorum memoria habetur. Paupercula quædam, dum media hyeme, circa noctem, hoſpitium paſſim quæreret, & nullus petenti pateret introitus: iuxta Eccleſiam ſancti Martini, ſub pheretro, cum infante maſculo ſe proiecit: vbi vi algoris exſtincta eſt. Diuina autem prouidentia, ciuis quidam, cuius vxor eadem nocte defuncta eſt, dum ad exequias pararet pheretrum, leuauit, mortuam reperit, ſed infantem ad vbera materna miſerabiliter pendentem ſemiuiuum inuenit. Ille, humanum caſum miſeratus, cadauer loculo imponens cum vxore ſua ſepeliuit, & paruulum ipſum, quaſi adoptiuum pro remedio defunctæ coniugis educauit: Piæ autem voluntati diuinæ pietas cooperata eſt. Nam idem puer ætate accreſcens, maturitate ſenſus pueriles annos exceſſit: vt quamuis claudus, & penè omni membrorum ordine diſtortus, ita prouidus eſſet & circumſpectus, vt Dominus domus vbicunque negotia acturus exiſſet, de prouidentia ipſius ac fide, maneret indubius. Dominica igitur Paſſionis, dum omnes, vt obſeruantia dierum illorum expoſcit, ad Miſſarum ſolennia effluxiſſent: focaria, quæ præparandis cibis ſola domi remanſerat, inſultare ſeruulo cœpit. Quid, inquit, miſelle, acturus eris, ſi dominus tuus exceſſerit, de te, quid putas, erit? Ille ex alto ſuſpiria trahens, neſcio, ait: ſed Deus ſancti Ottonis adiuuet me. Mirum dictu: adhuc nomen Ottonis erat in ore, cum ſubito, toto corpore proſtratus, quaſi manu quadam inuiſibili * perlibutus, naturalem formam quam ortus negauerat, accepit, ſeipſum miratus, greſſum attentauit, brachia & manus extendit, & cum in nullo ſe impeditum ſentiret, ad Eccleſiam beati Martini peruolat, Domino * Delibutus.
ſuo ſe oſtentat: omnes clamorem cum laudibus pro miraculo in ſe facto ad cœlum leuare excitat. Sequenti die, exhortatione ac præcepto ſacerdotum, ab vtroque ſexu diuerſæ ætatis Cruces leuantur, Mons ſancti Michaëlis, Mons ille Deo placitus aſcenditur, vbi, præcedente ipſo curato, ſumma cum gratulatione laus & gloria Deo reſultat.

RES, quam dicturus ſum, apud nobiliſſimum caſtrum Duringiæ glorioſè celebrata, fama vbique percurrente, penè vt facta, ad nos delata fuit. Materfamilias eiuſdem caſtri tam virtute, quam nobilitate famoſiſſima filium ſororis ſuæ, qui matri ita vt vnicus, ita & amantiſſimus erat, vnicè nutriebat: quam tota familia vti ſolam ſpem poſteritatis & hæredem omnium affectuoſiſſimè diligebat. Clypeus auratis laminis & clauis affixus parieti fuit. Paruulus autem iuxta morem ſuæ ætatis, vni clauorum, qui ſibi fulgentior videbatur, totis alludendo manibus, euellere attentauit: quem, vbi à ſeruulo, à quo in vlnis portabatur, flendo, vt pueri omnia extorquere ſolent, accipit, diu in eo ludens, ori immiſit. Qui ita fortiter gutturi eius infixus eſt, vt nulla arte vel ingenio extrahi poſſet. Infantem palleſcere, oculos miſerabiliter torquere, manibus & pedibus palpitare, dolor videre fuit. Concurrit familia: domus tota in fletum ducitur, clamor luctuoſus attollitur, paruulus iam deſperatus ſuper limen Eccleſiæ ſolus componitur. Inter hos luctus Marchio, qui tunc forte aderat, anhelus accurrens, omnes ad inuocationem ſanctiſſimi Ottonis fideliter exhortari cœpit. Incredibilia forte, ſed Deo non impoſſibilia dicturus ſum. Ad nomen beati viri clauus ille cum multo ſanguine de hiante ore pueri prolapſus eſt: & omnium vna vox ante triſtis, nunc in gaudium mutata, & lætitiam, Saluatoris laudabat clementiam. Hoc ab ipſa matrona, dum ad nos cum multa turba veniſſet, ita factum eſſe, cognouimus. In huius comitatu ille puer cum patre aduenit, in quo triduani fluxus ſanguinis per inuocationem S. Ottonis, vt præfatum eſt, conſtrictus fuit.

IN monaſterio virorum Dei Lanckhemenſi contractus quidam de menſa Abbatis ſtipendia accipiebat. Iſte fama beati Ottonis vbique peruolante, ad ciuitatem Babebergenſem reptando non ſine graui labore, magno tamen deſiderio & ſpe ſanitatis peruenit: Vbi ab honeſtioribus Eccleſiæ illius Canonicis collectus, aliquandiu demoratus eſt. Quadam autem die, cum alijs multis, quos eadem opinio ſanctitatis & gratia ſanitatum è diuerſo cōtraxerat, Mon-

tem beati Archangeli aſcendens, ad ſepulchrum viri Dei ſuffragia ipſius, vocibus, quibus poterat, cum lacrymis prolixius poſtulabat. Vbi vero ad Miſſarum ſolennia ventum eſt, dextera ſancti viri contacta ſibi membra perliniri fiducialiter experijt: qua tactus, mutatione dexteræ excelſi: ſolo proſtratus, terribili fragore, vinculis neruorum ſolutis, cum magno ſtupore & admiratione omnium erectus ſuper pedes ſuos ſtetit erectus.

Conclvsio.

Svnt & alia multa beati Præſulis geſta, quæ ſcripto comprehendi non poſſunt: ſed ab illo comprehenſa & dinumerata ſunt, qui & hic bonorum eius operum aſpirator, & illic fidelis dignoſcitur remunerator: qui etiam non ſine cauſa glorioſiſſimum eius tranſitum in feſtiuitate S. Pauli Apoſtoli diſpoſuit, ſed, vt cunctorum ſapientum iudicio definitum eſt: quia beatus ille ſenectutem ſuam in Apoſtulatu remotiſſimarum gentium pro amore Dei fatigare non dubitauit, etiam laboris ſui præmium in eius ſolenni natalitio, qui proprie Magiſter & Prædicator eſt gentium, percipere meruit. Dignum enim erat, vt, ſicut Doctorem gentium ſpecialius præ cæteris imitari ſtuduit, ita etiam vnum & parem cum eo habeat natalem. Gaudeat ergo Babebergenſis Eccleſia tanti paſtoris auctoritate illuſtrata: lætentur monachorum cateruæ ſingularis huius patroni vigilantia, ad tantum religionis culmen prouectæ. Exultet præcipue mons Archangeli Michaëlis tam precioſi corporis ſepultura dedicatus, & ex membris eius, tanquam margaritis ornatus. Iubilet etiam in lætitia cantans canticum nouum Apoſtolo ſuo omnis Pomerania: quia, ipſius gratiæ adſcribitur, quod illorum Eccleſia noua ſemper ſobole fœcundatur. Impletum eſt in eo, quod electis Veritas repromittit dicens: Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis: & quod propter hoc, in terra ſua duplicia poſſidebunt: lætitia ſempiterna erit eis. Terra enim electorum eſt proprie terra viuentium: vbi beatus ille duplicia poſſidebit. quia non ſolum pro commiſſo ſibi talento in Babebergenſi Eccleſia duplicato, ſed etiam pro alia, quam de gentibus Chriſto acquiſiuit ſponſa, repoſita eſt ei corona iuſtitiæ. Nam cum Petrus Iudæam, Paulus Græciam, Andreas Achaiam, Ioannes Aſiam, Thomas Indiam, Gregorius Angliam, cæterique Dominici gregis arietes ſinguli ſuos æterno iudici reportabũt manipulos, Otto etiam inter eos Pomeraniam gaudens adducet, & cum Præpoſito Paradiſi Michaële, cui viuens ſpecialius ſeruire non deſiit, & corpore etiam moriens adhærere maluit, in tabernaculo Dei iugiter habitabit. Sciens enim, quia paradiſum intrare non poterit, qui Præpoſitum eius Michaëlem placatum non habuerit, tanta ſe ei deuotione, & corpore & animo per omnia ſtuduit applicare, vt literis etiam ad Apoſtolicum Innocentium miſſis, locum ſepulturæ ſuæ in Baſilica S. Michaelis auctoritate eius firmaret: ne ſcilicet Canonici Maioris Eccleſiæ tam precioſum huic Monti violenter abriperent theſaurum. Ecce quod concupiuit, iam videt: quod ſperauit, tenet: illi eſt iunctus in cœlis, quem tota mente dilexit in terris: cum quo aſſidua interceſſione alumnis ſuis patrocinari dignetur, vt eum ſubſequi ad patriã claritatis æternæ valeamus, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Apoſtrophe ad Eccleſiam Bambergenſem. Iſaie 61.

BVLLA CANONIZATIONIS S. OTHONIS.

Hanc Bullam inuenies quoque apud Bar. Tom. 12. Anno 1189.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus E. Merſeburgenſi, & O. Eiſtetenſi Epiſcopis, & dilectis filijs S. Emmerammi Ratiſponenſi & Schuuartzenſi Abbatibus, Decano & Scholaſtico Wirtziburgenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad audientiam Apoſtolatus noſtri ex quarundam ſerie literarum & relatione multorum peruenit, quod diuina potentia per merita & interuentum Beati Ottonis, qui Babebergenſis fuit Epiſcopus, multam eſt operata ſalutẽ, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apoſtolica ſede tranſmiſſus; & in ea compluribus miraculis donauit illi Dominus corruſcare. Quoniam igitur iuxta diuinæ ſcripturæ teſtimonium lucerna non ſub modio, ſed ſupra candelabrum eſt ponenda; diſtrictioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus de vita ipſius & miraculis diligentius inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata. Etſi non inueneritis aliquid, quod obſiſtat, ipſum canonizatum, auctoritate freti Apoſtolica, ſolenniter & publice nuncietis; anniuerſarium diem ſui tranſitus facientes, & publice nunciantes, ad honorem Dei, & ipſius beati viri memoriam ſolennem haberi. Datum Laterani III. Kal. Maij, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Matth. 5.

Altera Bulla eiuſdem argumenti.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Ottoni Epiſcopo, & dilectis filijs Canonicis & vniuerſo Clero & populo Babenbergenſi Montis S. Michaelis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cvm ſedi Apoſtolicæ referuntur ea, quæ ad ſalutem pertinent animarum, & deuotionem Cleri & populi, manifeſtis indicijs reſpicere comprobantur, ea, ſicut conuenit, libenter audiuimus, & vt debeant in Domino promoueri, fauorem, vt expedit, impertimur Apoſtolicum & aſſenſum. Hinc eſt, quod cum ad audientiam Apoſtolatus noſtri quarundam ſerie literarum, & multorum relatione peruenerit; quod diuina potentia per miracula & interuentum B. Ottonis, qui Babebergenſis fuit Epiſcopus, ſit multorum operata ſalutem, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apoſtolica ſede tranſmiſſus: in qua donauit illi Dominus Deus compluribus miraculis corruſcare. His gratanter auditis, & pro tantis beneficijs omnipotenti Domino gratiarum actionibus exſolutis, veſtris piis deſideriis ad laudem Dei ſatisfacere cupientes, Venerabilibus fratribus noſtris Merſeburgenſi & Eiſtettenſi Epiſcopis, & dilectis filiis S. Emmerami Ratiſponenſi & Schwartzenſi Abbatibus, Decano & Scholaſtico Wirtzeburgenſi dedimus in mandatis; quatenus de vita ipſius & miraculis diligenter inquirãt, quæ nobis fuerunt per multorum literas indicata. Et ſi non fuerit inuentum aliquid, quod obſiſtat, ipſum canonizatum prædictæ magnæ perſonæ debeant ſolenniter & publice auctoritate freti Apoſtolica nunciare, anniuerſarium diem ſui tranſitus facientes, & publicè nunciantes ad honorem Dei & ipſius Beati viri memoriam ſolennem haberi. Datum Laterani Kalendas Maij, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Tranſlatio S. Ottonis.

Anno igitur Domini M. C. LXXXIX. II. Kalend. Octob. in die Sancti Hieronymi tranſlatus eſt Sanctus Otto Deo dignus Epiſcopus Babenbergenſis & Pomeranorum Apoſtolus; præſidente adhuc in ſede Babebergenſi Ottone Largo XI.

MARTY-

Digitized by Google

MARTYRIVM FELICIS PRESBYTERI, IRENÆI DIACONI, MVSTIOLÆ NOBILISSIMÆ MATRONÆ ET ALIORVM: VT HABETVR IN EGREGIIS MS. LIBRIS: SED in gratiam Lectoris F. Laur. Surius mutauit ſtylum.

An. 250.

I. TEMPORIBVS Aureliani Imperatoris ſæua extitit perſecutio Chriſtianorum: cumque ei nunciatum eſſet, in ciuitate Tuſciæ, quæ poſt ethnicismum illuſtris, fuit, Chriſtiana religione initiatos florere, adeo incenſus eſt, vt Turgium vicarium, præfectoria ornatum dignitate, eo miſerit ad Chriſtianos diſcutiendos. Veniens igitur Turgius ad Faliſcos, iuſſit accurate inquiri, num quis poſſet reperiri Chriſtianus, repertumq; ſine dilatione corã ſe ſiſti, capitalem ſententiam excepturum. Itaque facta inquiſitione, repertus eſt Felix Chriſtianus. Is vt audiuit veniſſe eo manum perſecutorum, conuocauit Chriſtianos ad ſe, eoſque omnes confirmans, ait: Patres, fratres & filij mei, non vos perturbet iſta caligo, quæ ſane exigua eſt: porro ſempiternæ illæ inferorum tenebræ cauendæ ſunt. State ergo viriliter & pugnate: quia melior eſt dies vna in atrijs Domini ſuper millia. Erat tum aulicus quidam, qui Beati Felicis nomen detulit ad Turgium, dicens, in agro Faliſcorum eſſe presbyterum quendam bene diuitem, qui populum doceat, relictis templis Deorum, accedere ad Chriſtum, & baptizari. Id vt audiuit Turgius, miſit milites: qui comprehenſum Felicem, illo iubente, in publicam cuſtodiam coniecerunt.

3. Iulii. — Felix confirmat Chriſtianos aduerſum perſecutionẽ. — Pſal. 83.

II. ALTERA die præcepit ſibi in Faliſcorum ciuitate tribunal parari, beatumque Felicem adduci. Eum autem ſic interrogauit: Quod tibi nomen eſt? Ille reſpondit: Felix vocor. Dicit ei Turgius: Quem militiæ vel honoris locum obtines? Reſpondit Felix: Tametſi peccator ſum, at Chriſti tamen presbyter ſum. Turgius dixit: Cur diuerſis in locis cogis conuenticula, doceſque populum contẽnere deos, nec immolare illis, vt habet antiqua conſuetudo, & Principes imperant? Felix reſpondit: Quæ verò eſt vita noſtra, niſi vt prædicemus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & abſtrahamus populum à ſpurcitie idolorum, vt poſſint vita frui ſempiterna? Turgius dixit: Et quæ eſt vita æterna? Felix presbyter reſpondit: Vt timeatur & colatur Deus pater, & Dominus Ieſus Chriſtus, & ſpiritus ſanctus. Turgius dixit: Recede ab infelici Deo tuo, & pare præceptis dominorum Auguſtorum. Felix reſpondit: Quantum quidem ad nos attinet, vtinam mereamur parẽre Chriſto, & eius nomen inuocare. Tum iratus Turgius, iuſſit os eius lapide contundi, dicens miniſtris: Os iſtud conterite, quo populos ſeducit. Diu autem illis cædentibus emiſit ſpiritum: corpus verò eius Turgius voluit in plateam proijci, quod collegit Irenæus diaconus, & ſepeliuit iuxta muros Sutrij (*Author habet Sutrinæ ciuitatis*) nono Calendas Iulij.

Os eius lapide cæditur. — Reddit ſpiritum.

III. QVOD vbi reſciuit Turgius, iuſſit teneri Irenæum diaconum, profectuſque * Cluſium Tuſciæ ciuitatem, vinctum catenis ferreis ante rhedam ſuam nudis eum pedibus ire compulit. Poſtquam autem venit Cluſium, multos dies *illic hæſit*, Irenæum vero diaconum in carcerem coniecit, cœpitque inquirere in Chriſtianos. Ea re diu agitata, *Muſtiola* matrona Chriſtianiſſima, vt audiuit Chriſtianos multos carceribus teneri, noctibus veniebat, & dans pecuniam cuſtodibus, intro admiſſa, conſolabatur eos, lauabatque pedes eorum: eos vero, quos vincula ſauciârant, vngebat, cunctiſque alimenta & veſtes ſuppeditabat. Sed quia in tenebris lumen abſcondi non poteſt, Torquatus quidam ad Turgium veniens, ita dixit: Matrona nobiliſſima, Claudij Imperatoris conſobrina, Muſtiola nomine, non ceſſat in cuſtodia diu noctuque reos ſuis ſermonibus confirmare. Furore igitur percitus Turgius, cum audiſſet eam cognatam eſſe Claudij Imperatoris, miſit homines ſuos, qui eam ipſi præſentarent. Viſa autem ea, mirabatur eius pulchritudinem, præcepitque ſine iniuria, immo etiam admodum honorifice reduci eam in domum ſuam. Deinde ad illam veniens, de eius genere ſciſcitabatur. Reſpondit ei Muſtiola, ſpiritu feruens: Noſtra nobilitas non multa generis claritudine, ſed ſanctorum Chriſtianorum humilitate, æſtimatur. Dicit ei Turgius: Cur aliter reſpondes, quam maiores tui conſueuêre? S. Muſtiola reſpondit: Illi ignorantes verum Deum, ſuadente diabolo, perierunt: me vero humilem dignatus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad cœleſtia regna vocare: neque me ſolam, ſed & omnes, qui ſpem ſuam in illo reponunt. Turgius dixit: Vtere conſilio meo, & noli perdere nobiliſſimos natales tuos. S. Muſtiola reſpondit: Si ſcires donum Domini noſtri Ieſu Chriſti, non te ſineres priuari lumine æterno. Turgius ait: Ecquodnam eſt lumen æternum? Muſtiola reſpondit: Spiritus & virtus. Turgius dixit: Quænam tua hæc amentia eſt, vt ad vinctos crebro ingrediaris, eorumque cupide fruaris amicitia? S. Muſtiola reſpondit: Id equidem facio propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro cuius amore etiam illi carceris vincula perferunt. Turgius ait: Depone hanc amentiam, & audi me, nec velis præcepta principum aut negligere, aut irridere. Beata Muſtiola dixit: Quæ ſunt præcepta principum? Turgius ait: Vt ſacrifices dijs, & viuas, fruariſque opibus tuis. S. Muſtiola reſpondit: Plane ſtulte blaſphemaſti. Commotus Turgius, iuſſit ſanctos omnes, qui in carcere erant, capite truncari: beatum autem Irenæum diaconum in conſpectu Muſtiolæ in eculeo ſuſpendi, ſub præconis voce dicens ei: Sacrifica dijs. Irenæus ait: Vt video, mente captus es, vt dicas ea, quæ non conueniant. Turgius furore inflammatus, iuſſit vnguibus radi latera eius, & flammas admoueri. Irenæus clamans dixit: Gratias ago tibi Ieſu Chriſte, quod merear admitti in conſpectum tuum. Atque hæc dicens, cernente beata Muſtiola, expirauit.

** MS. habet Cluſinam ciuitatem. — Muſtiola conſolatur captiuos. — Muſtiola Claudij Imperatoris cõſobrina. — Reducitur à tribunali domum ſuam. — Irenæi cruciatus. — Obitus eius.*

IV. TVM vero beata Muſtiola dixit ad Turgium: Miſer, quid ita trucidas homines innocentes? ſed illi quidem proficiſcuntur ad gloriam ſempiternam, tu vero ſedem habebis in igne æterno. Audiens hoc Turgius, ſcripto eam condemnauit, præcepitque coram ſe plumbatis eam cædi: quod eouſque continuatum eſt, donec deficeret. Itaque migrauit ad Dominum quinto Nonas Iulij, corpuſque eius collegit ſeruus Dei Marcus, & apud Cluſinæ vrbis muros cõdidit: vbi vigent orationes eius vſque in hodiernum diem.

Item S. Muſtiolæ.

DE S. ANATOLIO EPISCOPO LAODICENSI, EX HISTORIA ECCLESIASTICA EVSEBII CÆSAREENSIS LIB. 7. CAP. 26. INTERPRETE IOANNE Chriſtophorſono Anglo.

An. 250.

I. LAODICENSIS Eccleſiæ gubernationem poſt Socratem Euſebius obtinuit, ex vrbe Alexandria oriundus. Cauſa autem eius à patria profectionis, erat controuerſia, de Paulo Samoſateno ſuſcepta: cuiꝰ gratia in Syriam profectus, ab illis, qui ad religionem Chriſti propagandam omne ſuum ſtudium conferebant, ne domum reuerteretur, prohibitus fuit, qui quidem præ cæteris præſtantibus noſtri temporis viris, tanquam precioſus quidam pietatis theſaurus extitit.

3. Iulii. — Euſebius Epiſcopus Laodicen.

[margin: Anatolij multa doctrina.]

ANATOLIVS, genere etiam Alexandrinus, poſt illum creatur Epiſcopus, bonus, vt aiunt, boni viri ſucceſſor. Qui cum ob eloquentiam, tum ob doctrinam humaniorem & cognitionem Philoſophiæ, inter homines noſtri temporis, qui erant ſpectatiſſimi, facile principem locum obtinuit: quippe in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia & diſſerendi facultate, in contemplatione & perſpicientia naturæ, in oratorium quoque diſciplinis venerat ad ſummum, quarum rerum gratia, fama eſt, ciues Alexandriæ eum illi ludo, in quo Ariſtotelis doctrina docebatur, magiſtrum præfeciſſe. Acta mereſi in obſidione Alexandriæ, cum ibi magna eſſet frumenti inopia, alias præclare ab eo res geſtas pene infinitas commemorare, vtpote qui ſingularem dignitatis prærogatiuam præ cæteris magiſtratibus ab omnibus ciuibus adeptus fuiſſet, tamen exempli cauſa, hanc vnam ſolum hoc loco citabo.

[margin: Alexandriæ obſidio.]

FERTVR, cum frumentum illis diu obſeſſis deeſſet, ita vt fames, quæ in vrbe graſſabatur, multo magis intolerabilis, quam hoſtium impetus, qui iam extrinſecus premebat, exiſteret: hunc, quem dico, cum huic intereſſet calamitati, tale quoddam remedium illis proinde inueniſſe. Cum altera pars ciuitatis cum exercitu Romano ſocietatem belli gerendi coiuiſſet, & propterea obſidione non vexaretur, Euſebium forte inter eos, qui minime erant obſeſſi, verſantem (adhuc enim ibi habitabat, inque Syriam minime demigrauerat) & magnum decus nomenque celebre etiam à Duce Romani exercitus conſecutum, de his qui fame illius obſidionis tempore interierunt, per internuncium Anatolius certiorem facit, Euſebium autem, cum hoc intelligeret, à Duce maximi beneficij loco poſtulaſſe, vt illis, qui vellent ſe ab hoſtibus ex vrbe ad eum ſua ſponte recipere, vitam ac ſalutem daret. Quem quidem, petitione, vt voluit impetrata Anatolio ſignificaſſe: hunc autem, nuncio ab Euſebio accepto, Senatum Alexandrinorum coegiſſe, ac primum popoſciſſe ab illis, vt cum Romanis amicitiam iungerent. Quo quidem ſermone vbi illos grauiter commotos videbat, dixiſſe: At huic, quod iam dicam, vos neutiquam refragaturos arbitror: illis, qui in hac dimicatione videntur minime eſſe neceſſarij, minimeque vobis vtiles, (vt anus, infantes & ſenes) liberam è portis egrediendi poteſtatem, quo velint, faciatis, conſilium eſt. Quid enim illos tam iam prope morituros, apud nos ipſos continemus? Quid modo mancos & corporibus mutilatos, peneque exhauſtos fame opprimimus? Viros ſolos & iuuenes viribus valentes alere oportet, & frumentum quod neceſſarium eſt his, qui ad ciuitatis propugnationem accommodati ſunt, congerere. II.

[margin: S. Anatolij conſilio Alexandrini Chriſtiani ſeruantur.]

QVIBVS rationibus cum Senatum in ſuam ſententiam adduxiſſet, ipſum primũ aſſurgentem ſuffragiũ tuliſſe, vt omnis multitudo, ſiue virorum, ſiue mulierum, quæ ad rem militarem parum eſſet idonea, à ciuitate libere excederet: quoniam ſi manerent, ibique cum magno ciuitatis moraturi nunt incommodo, nullam ſalutis ſpem illis (quippe fame viderentur perituri) eſſe omnino relictam. Cui ſententiæ cum à cæteris omnibus, qui aderant in Senatu, eſſet aſſenſum, parum aberat, quin omnes, qui obſidione cingebantur, ſeruaſſet incolumes: atque inprimis vt qui erant Chriſtiani, deinde vt alij cuiuſque ætatis, qui ciuitatem incolebant, ſalui aufugerent, diligenter prouidit: vnde non hi ſolum, quibus Senatus decreto poteſtas facta erat ex vrbe exeundi, verumetiam ſub eorum nomine alii fere infiniti, veſtitu muliebri clanculum induti, noctu illius prouiſione è portis egreſſi ſunt, & ad Romanorum exercitum confugerunt: vbi illos omnes Euſebius benigne excipiens, more patris aut medici, longa obſidione debilitatos, omni prouidentia & curatione in integrum reſtituit. III.

[margin: Alexandrinis fame laborātibus, ſubuenit Euſebius.]

[margin: De Euſebio & Anatolio loquitur.]

DVOBVS eiuſmodi paſtoribus Eccleſia Laodicenſis (quorum alter alteri deinceps ordine proxime ſucceſſit) diuina prouidentia potita eſt, qui poſt bellum à nobis iam demonſtratum, ab vrbe Alexandrina eo demigrarunt. Quanquam vero non multi libri ab Anatolio erant elaborati, totidem tamen ad nos peruenerunt, vnde cum eius eloquentiam, tum multiplicem cognitionem licet animaduertere: idque in illis potiſſimum, in quibus ea, quæ de Paſchate ab aliis ante decreta fuiſſent, explicauit. *Deinde, quibuſdam interiectis, ita pergit Euſebius:* Anatolius porro Inſtitutiones in Arithmeticam, decem libris explicatas, reliquit. Alia item extant eius opera, quæ exempla ocii, præclare in ſacris literis ab eo collocati, & multæ in eiſdem exercitationis perſpicua argumenta dant. Hunc Theotecnus, Cæſareæ Palæſtinarum Epiſcopus, per manus impoſitionem primus Epiſcopum ordinauit: qui eum ſucceſſorem ſibi poſt mortem ad Eccleſiæ ſuæ procurationem deligendum prouidit, vnaque cum illo ad aliquod temporis ſpatium eccleſiæ Cæſareenſi præfuit. Verum Anatolius, cum Concilium Antiochiæ de Paulo Samoſetano connocatum, eum accerſeret, ad Laodicenſium vrbem aduentans, ibi Euſebio mortuo commorari à fratribus coactus eſt. Anatolio exeunte è vita, poſtremus ante perſecutionem illi eccleſiæ præficitur Stephanus. *Hactenus Euſebius Cæſareenſis. Habet vero etiam hunc Anatolium Beatus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum.* IV.

[margin: Creatur Laodicenſis antiſtes.]

AN. 920.

VITA S. VDALRICI AVGVSTANI EPISCOPI, AVCTORE INCERTO, QVI EI TVM ÆQVALIS TVM FAMILIARIS FVIT. EX CODICIBVS MS. per M. VVelſerum eruta.

[margin: 4. IVLII. Quæ ſcilicet princeps patrona Auguſtanæ diœceſis.]

AVres plurimorum eum fama miraculorum Chriſti, quæ per ſeruum ſuum ſanctum Vdalricum in honorem ſuæ ſanctiſſimæ genitricis Mariæ fieri cōceſſit, frequentiſſime pulſaret, & adhuc mentes eorum dubitatio occuparet, miſſis ad me legatis rerum veritates ex meis reſponſionibus cognoſcere cupiebat, rogantes me vt ea quæ ego in veritate ſcire potuiſſem, lucida deſcriptione eis manifeſtarem. Cumque interrogantium tanta pluritas me vndique interrogationibus cinxiſſet, vt omnibus ſingulariter reſponſa ſcriptis dare me non poſſe æſtimarem, cogitare tacitus cepi intra memetipſum, vt cum tacita experientia experiri ſtuduiſſem Originem ortus eius, vt deſcripto eius ortu, vitam ſubſequentem & obitum veraci relatu interrogantibus & legere volentibus omnibus in commune notum facere potuiſſem, non meis antecedentibus meritis confidens, nec ſagacitati mentis meæ, ſed in Dei miſericordiam omnipotentis ſperans qui dixit, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud, vt per merita præfati epiſcopi irrigatione Spiritus ſancti & diuini ignis feruore ſenſum meum dirigere dignetur, vt id quod ad excogitandum mihi inſpirauit, ad perficiendum vires non ſubtrahat, niſi prædeſtinata animo idonea taxatione edere concedat, vt diligentibus Deum exempla ædificationis anteponant, & Dei præcepta ſpernentibus conuerſionis emolumentum, vel damnationis interminationem adaugeant. Iſta pro certo in amore Chriſti legentibus, auxilium Dei omnipotentis adeſſe confidimus, vt per ſeruum ſuum ſint in iſto ſæculo freti, & eo iuuante fiant ad æterna gaudia perducti. PROLOG.

[margin: Interpretatio nominis Vdalrici.]

OPORTET inprimis ne reticeamus tanti taliſque viri Spiritu ſancto iuuante nominis interpretationem. Theutica itaque lingua hæreditas à proauis derelicta Altuodal dicitur, Ric diuitias ſonat, ideo non incongrue Vodalricus à paterna hæreditate diues interpretari poteſt, nam æterni patris hæreditate ditatus floret, de quo patre quotidie

Digitized by Google

quotidie in oratione noſtra dicimus, Pater noſter qui es in cœlis, & reliqua. Ad cuius hæreditatis ſanctus Paulus poſſeſſionem in Dei voluntate perſeuerantes conſolatur dicens, Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, de qua etiam hæreditate ſcriptum eſt quod oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe: cuius compendio non ſolum ſibimet fruitur, verum etiam plurimos multimodis beneficiorum conſolationibus in hac peregrinatione viuens traxit, & nunc melius viuens, multimodis iuuaminibus & continuis miraculis ad hanc introducet, ſicut in ſequentibus reperitur.

I. BEATÆ igitur memoriæ [a] ſanctus Vdalricus excelſa proſapia Alamannorum ex religioſis & nobilibus parentibus ortus, patre ſcilicet * Hupaldo & matre † Thetpirga nuncupata: qui ſolito more lactatus, & ſummo ſtudio nutritus, quamuis ſtatura corpuſculi elegans; tali tamen macilentia confectus erat, vt nutritoribus verecundia eſſet ſi aliquis ignotorum faciem eius inſpexiſſet. Mirantibus vero patre & matre quare tanta tenuitate & informitate corporis occuparetur, & ſæpe inde cogitantibus; hebdomada interim duodecima eius natiuitatis quidam ignotus clericus caſu adueniens, ſupplicabat vt ab eis aliquantos dies in hoſpitium reciperetur: qui benigne ſuſceptus, & cum eis in atrio domus ſuæ hora refectionis ſedens, audiebat in cubiculo infantulum vagientem, ſciſcitabatur quis aut cuius eſſet, præ pudore vero maciei illis nolentibus indicare, dixit, Si ſaluum illum eſſe cupiatis, celeriter ablactetur. Qui paruipendentes eius locutionem, eum lacti non ſubduxerunt. Altera vero die iterum audiens eum dixit, quare non feciſtis ſecundum conſilium meum, qui adhuc contemnentes eius conſilium non crediderunt ei. Tertia autem die audiens vagitum eius infirmiorem quam antea, dicebat ad eos, pro incuria veſtra perditioni traditur [c] infantulus iſte, pro certo ſciatis quia ſi vberibus non ſubtrahitur in iſta nocte morietur: ſi autem ſubtractus ſaluabitur, in poſterum à domino aliquid magnum in eo manifeſtabitur. Tunc demum ei obtemperantes alijs eum eſcis ſuſtentare cœperunt: qui ſtatim recreatus de die in diem proficiens, talem corpus formoſitatem accepit, vt ipſi ſui parentes gratantes eum intuerentur & alijs oſtenderent. Qui laudantes dominum die noctuque pro ſoſpitate pueri, & pro eo quod talem ad eos direxit hoſpitem, qui iſtius rei diſcretionem cognoſcebat, & illis innoteſcebat. De præteritis ergo futura credentes, tractauerunt vbi vitam religioſiſſimam & docendi ſtudioſiſſimam inuenire potuiſſent, acceptoque conſilio commendauerunt eum ad [d] ſancti Galli monaſterium, quia ibi nobilium Dei ſeruorum multitudo, & religioſitas diſcendi docendique ſtudium tunc temporis habebatur. Commendatus vero cuidam religioſo viro grammaticæ artis edocto Waning nuncupato, à quo bene procuratus quotidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit, & in intimis ſui cordis inſeruit, adeo vt paulatim fratres in eo doctrinæ fructificationem nimis proficere ſentirent, & ob hoc eum in ſuæ fraternitatis conſortium flagitando aſſumere conarentur. Horum itaque petitionibus ſæpe commonitus, inducias reſpondendi poſtulauit. Tunc itaque ad quandam ibi commorantem incluſam * Wiberat nominatam conſilium quærendo acceſſit: quæ reſpondens dixit ei, Poſt triduum ad me veniens ſi Deo placet meum poteris animaduertere conſilium. Inde illo recedente ipſa deuotæ orationis ſtudio dominum flagitabat, vt ſtatuto die certi veraciſque conſilij indicium ſibi manifeſtare potuiſſet. Cumque ille reſponſum accepturus aduenisſet, dixit illi, vltra hæſitatio tuam non occupet mentem, quia iſtius cœnobij ſpiritualis pater à Deo decretus ad regendum nullo modo conſtitueris: Sed in orientali parte, vbi quidam † fluuius duas diuidit regiones, in futurum epiſcopali miniſterio Deo militare debebis, & in eodem loco multa talia perpeſſurus es laborioſa, qualia nunquam anteceſſores tui ſuſtinuerunt à paganis & malis Chriſtianis, quæ tamen omnia Deo iuuante in vltimis decentiſſimè ſuperabis. Hæc audita ſecretiſſimis fratribus intimauit, & eorum ſuaſionem ſuaui colloquio mitigauit, totamque ſpem priſtinæ deſtinationis in ſua mente depoſuit, & ob hoc tamen diſcendi ſtudium non omiſit, ſed inibi cum omnibus charitatiuè verſabatur; donec congruo tempore duplici ſagina ſcientiæ, ac religionis repletus; communi omnium oratione conſolatus, & fraternitatis amore fretus, parentes ſuos amatinè dimiſſus reuiſitauit. Qui tunc ſapienti capto conſilio, cum præſulis Augustenſis Eccleſiæ † Adalberonis dominio ſubdiderunt, quem multa tunc temporis ſapientia repletum, muſicaque arte præ cæteris præditum, gubernaculaque regni pene omnia cum * Rege diſponentem agnouerunt. Ipſe vero propter nobilitatem parentum, & bonam eius indolem & formoſitatem, læto animo ſuſcipiens, miniſterium † camerarij ſibi commendauit. Quo ſuſcepto, & alijs ſecundum ſuam dignitatem beneficijs, ſicuti præcoquus erat in omnibus, proſpere agens de die in diem proficiebat. Interim vero libuit eum limina [e] viſitare beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Cumque illuc peruenisſet, à venerando Papa * Marino bene ſuſceptus eſt, & ab eo interrogatus, de qua prouincia vel ciuitate eſſet natiuus. Qui reſpondens dixit, De prouincia Alamannia, & de ciuitate Auguſta ortundus ſum, verſorque in ſeruitio Adalberonis eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Ne turberis inquit animo, ô † frater, ille de quo mihi dixiſti, ſenior tuus Adalbero migrauit à ſæculo, & Deo iubente te eiuſdem * matriculæ decet eſſe paſtorem. Eo quidem [f] renuente, inſit, Cur recuſas deſtinationem Dei? Si nunc inconcuſſam & indeſolatam accipere & gubernare refragaris in tranquillitate, in antea vero deſtructam & deprædatam in perturbatione accipies, & cum labore gubernabis & reædificabis. Altera vero die ſine licentia Papæ, propter triſtitiam defuncti domini ſui, & ne ab eo plus verbis conſtringeretur, exiuit è Roma Auguſtamque reuiſitauit, & inuenit ita ſicut præfatus Papa prædixit. Tunc * Hiltine ſucceſſor Adalberonis effectus eſt, qui tamen tantæ non fuit celſitudinis vt ſuo ſe vellet applicare ſeruitio. Interim vero patre eius defuncto, rediens ſuſcepit procurationem matris ſuæ, recordans præcepti domini dicentis, honora patrem tuum & matrem, & cæt. Tanta itaque eam diligentia & omnia ſua cuſtodiuit ac diſpoſuit, prout ei vires à domino conceſſæ ſuppetebant. Poſt quindecim annos defuncto Hiltine Epiſcopo, machinatione nepotis ſui, Burchardi Ducis, & aliorum propinquorum ſuorum, [g] Heinrico Regi præſentatus eiuſque ſublimitati nota facta eſt deceſſio Epiſcopi, ſupplicatumque eſt vt præfato domino Vdalrico epiſcopalis poteſtas ab eo concederetur. [h] Rex vero intuens herilitatem ſtaturæ illius, & comperiens doctrinæ ſuæ ſcientiam, petitioni eorum aſſenſum præbens, regio more in manus eum accepit, munereque pontificatus honorauit. His vero ita peractis hilari animo de Rege reuertentes, & ad Auguſtam peruenientes, ſecundum Regis edictum poteſtatiua manu inueſtitarum [i] epiſcopatus ſibi perſecerunt. Succedente vero tempore Natiuitatis Domini in die * ſolennitatis Innocentum conſuetudinario ritu ordinatio eius peracta eſt. Inde vero proſpero reditu domum veniens, conſpiciensque muros eccleſiæ vndique depoſitos, omniaque ædificia nimis dilapſa, ſicut ſub priori antiſtite igne ſunt conſummata: nimia tunc mentis anxietate fluctuans, cogitabat qualiter conuenientiſſimè tam penitus deſtructa reædificare potuiſſet, quia maxima pars familiæ à paganis fuerat occiſa, & oppida exuſta & deprædata, pars autem familiæ quæ remanſerat in magno egeſtatis labore erat afflicta. Acquiſitis tamen architectis & multitudine congregata familiæ, cœpit ſagaciter diruta reſtaurare, ſatiſque ſentibiliter ordinare, magnoque animi feruore ſtudens vt cœpta perficere non deſiſteret. Cum vero vir magnæ ſuauitatis inchoatum opus, quamuis preſſa ſupellectile, diuino tamen fretus adminiculo ardenter impleuit: omniaque ipſius templi interiora omnigeno quantum valuit decoramine ornare contendit: Nec non etiam frequenter ſagaci oculorum acie intus & forinſecus poſitiones Eccleſiæ caute perluſtrans, paruitatem non lucidæ cryptæ vilitatemque ſibi nimis

Ad Rom. 8.
1. ad Cor. 2.
a S. Vdalrici parentes.
* al. Hucpaldo.
† Diepirch.
Natus eſt anno 890.
c Clerici vaticinium de infante Vdalrico.
d Traditur fratribus monaſterij S Galli inſtituendus.
* Wiberata incluſa.
† Lycus Sueuiam & Bauariam diſcriminat
† Commendatur Adelberoni Epiſcopo Auguſtano.
* Rege Ludouico IV.
† Onuph. de vocib. Eccleſ. obſcuris, Camerarium interpretatur qui pecuniarum curā gerit, Welſerus vero hic cubicularium intelligit.
e Romam petit
* welſerus putat Martinum Papam per anticipationē vocari. idem ſentit Baronius anno 924.
† Marinus ſi Pontifex fuiſſet S. Vdalricum tunc temporis filiū non fratrem appellaſſet.
* Eccleſiæ cathedralis
f Fugit Epiſcopatum.
* Hiltinius, Hiltenius.
Exod. 20.
g Henrico Aucupi.
h Herliche Preſenß.
i Fit Epiſcopus Auguſtanus.
* Anno nimirum 24. ineunte.
Reſtaurat Eccleſiā & ædificia dilapſa

 diſplicere

Videtur hic legendum. Herouito. Ruſtici partim fugiũt, partim obrigeſcunt. S. Otho monet ſuos, vt caute agãt. Conuertũtur Holgaſtenſes.

ſuo moueri deberet. Nam vt poſtea comperimus, Deo ſuo * Gerouito, qui lingua Latina Mars dicitur, erat conſecratus, & in omni prælio victores ſeſe, hoc præuio, confidebant. Clericus autem vir acris ingenij, dũ metu mortis in templo huc illucq; diffugeret, telum aliquod vel latibulum quæritans, clypeum corripuit, & amẽto collo iniecto, leuaq; loris inſerta, in medium turbæ furentis è ianua proſiliit. Ruſtici verò prodigialem armaturam videntes, partim in fugam conuerſi, partim etiam quaſi exanimes facti in terram cadunt. Ille autem proiecto clypeo verſus hoſpitium ad ſocios currere cœpit, & pedibus timor addidit alas. Cumq; anhelans & pauidus ad ſuos perueniſſet, de ipſa huius trepidatione, & eorum, qui præmiſſi fuerant, triduana occultatione, apud omnes, præcipue vero apud Epiſcopum & Ducem, tota nocte illa, iucunda erat narratio. Monuit tamen pius Pater filios ſuos, & diſcipulos, propter inſidias latentes inimici, vt ſe circumſpecte agerent. Tam diu ergo manſit in illo loco diſputans ac ſuadens de regno Dei, quouſque omnis populus fidei Sacramenta ſuſcipiens, fana ſua deſtrueret, & Eccleſiæ ſanctuarium cum altari prępararet. Quod Epiſcopus conſecrans Ioannem Presbyterum eis ordinauit, & vt reliquam Baſilicæ fabricam poſt ſuum diſceſſum promouerent, admonuit.

Sefridus. Edit. Can. lib. 3. cap. 8. Cura Marchionis Adelberti pro S. Othone.

IX. CVM ea gerebantur, legati Marchionis Adalberti de Saxonia ſuperuenere opera & ſtatũ Epiſcopi ſtudioſe inquirentes. Marchio enim cum eſſet amicus valde & familiaris Epiſcopo, in gẽte barbara hũc periclitari metuebat. Vnde, ſi opus haberet, præſidium & opẽ ferre cupiebat. Affuere ſimul ipſius Epiſcopi Oeconomi, & procuratorũ nuncij, aurum, argentum, veſtes quoq; & alia neceſſaria ei deferentes. Vt enim ſupra dictum eſt, licet Euangeliũ annuncians de Euangelio viuere deberet, ipſe nihil horũ vti volens, ſuis ſe tantũ vſibus tranſigebat. Igitur legatos omnes apud ſe ibi tamdiu detinuit, quouſq; videndo & audiendo diſcerent, quid de ipſius operibus aut ſtatu referre deberent. Porro baptizatis omnibus tam viris quam mulieribus totius ciuitatis, ad dedicationem altaris ac ſanctuarij iam ſurgentis Baſilicæ, multa exultatione populi, deuotus Præſul accingitur, omni ſtudio & diligentia ipſi facto decorem, & reuerentiam procurans, quatenus de amiſſione prioris fani, vel celebritatis minime dolerent melioris ſolennitatis tripudio, & melioris fabricæ ornamento conſolati.

Ebbo. Ingens magnitudo idolorum. Cremantur idola.

X. ET re vera iucundum erat ſpectaculum, cũ ſimulacra miræ magnitudinis, & ſculptoria arte incredibili pulchritudine cælata, quæ multa boum paria vix mouere poterãt, abſciſſis manibus & pedibus, effoſſis oculis, ac truncatis naribus, per deſcenſum cuiuſdam pontis igni cremanda trahebantur, adſtantibus idolorum fautoribus, & magno eiulatu, vt Diis ſuis ſuccurreretur, ac iniqui patriæ ſubuerſores per pontẽ demergerẽtur, acclamantibus: aliis vero ſanioris conſilij è contra proteſtantibus: quia ſi Dij eſſent, ſemetipſos defendere poſſent; ſed cum ipſi taceãt, nec de loco, ne fracti moueantur, omni ſenſu ac vitali ſpiritu penitus carere probentur. Sacerdotes verò idolorum ſeditionẽ conflare moliebantur, quæſtus ſui gratia. Nam, vt in Daniele Propheta legimus, quotidie fercula & pocula diuerſi generis copioſo apparatu ſimulacris illis vaſta mole prominentibus exhibebantur, quæ omnia ſacerdotes cum amicis ſuis clanculo ingreſſi abſumebant. Sed non prætereundum videtur quid miraculi in deſtructione fanorũ ipſorum apparuerit. Subito enim adſtante populi frequentia, inſolitæ magnitudinis muſcæ, quæ nunquam in terra illa viſæ ſunt, magno impetu ex delubris idolorum proruperunt, & tanta denſitate omnem ciuitatis ambitum operiebant, vt pene lucem diei tetra caligine obducere viderentur: ſed & oculos & labia vniuerſorum nimia importunitate vexantes, non paruum horrorem adſpicientibus ingerebant. Sed cum violentis manuum percuſſionibus abigerentur, nihilominus tamen diutius inſiſtebant: donec fidelibus laudes Dei concrepantibus, crucicq; vexillum circumferentibus, inuiſum monſtrum portis apertis euolans, terram Barbarorum, qui Rutheni dicuntur, pernici velocitate petiit. Vnde, cunctorum ſapientium iudicio definitum eſt, non aliud hoc portenti genus, niſi dæmonum expulſionem præſagire, qui Chriſtianiſmi coruſcantem per nouos Doctores gratiam non ferentes, negata ſibi in his regionibus manſione, Ruthenos, pagano adhuc errore irretitos, adiere.

Dan. 14. Muſcæ nũquã antea viſæ ex fanis euolãt. Fugantur circumlato crucis vexillo.

Sefridus. Edit. Can. lib. 3. cap. 9. S. Otho ceremonias dedicationis populo explicat. Mitzlaus ab Epiſcopo cupit inſtrui. Quid S. Otho a Mitzlao poſtulauerit.

XI. INTER agendum vero, quid ipſa dedicatio, vel quid ſingula opera dedicationis ſignificare haberent, rudi populo Antiſtes expoſuit, præcipue vero, vt Mitzlaum ipſius ciuitatis Principem, quem pridem in Pentecoſte cum aliis Primatibus Vznoimiæ baptizauerat, & in eo cæteros erudiret, de omnibus his alloquitur; ſacramentum dedicationis ad animam cuiuſq; fidelis pertinere, ſufficienti ſermone demonſtrans, quæ ſancti Spiritus templũ efficit, vel in cuius corde Chriſtus per fidem inhabitat. Deinde ſermonẽ ad ipſum Principem ex toto conuertens. Tu es, inquit, fili chariſſime, vera domus Dei, tu ipſe hodie dicandus & dedicandus es, omnipotenti Deo, creatori tuo, vt emundis ab omni alieno poſſeſſore, ipſius tantum manſio fias, atq; poſſeſſio. Non ergo impedias dedicationem tuã, fili chariſſime. Nihil enim prodeſt iſtam, quam cernis, domum foris dedicari, niſi etiam dedicatio ipſa ad cordis tui ſanctificationem proficiat. Ille verò exhortatione compunctus, ait; Et quid eſt, Pater ſancte, quod me iubes facere, vt dedicatio iſta in me compleatur? Epiſcopus autem intelligens adeſſe ſpiritum. Ex parte, inquit, fili, Domus Dei eſſe cœpiſti: fac, vt ex toto ſis. Iam enim idolatriam fide commutaſti, baptiſmi gratiam conſecutus. Nunc ſequitur, vt fidem operibus exornes, impietates, oppreſſiones, rapinas, homicidia & fraudes penitus deuita. Poſtremò, quidquid tibi fieri ab alio non vis, alii ne feceris. Captiuitates, quas habes, abſolue omnes, quod ſi non omnes, vel eos certè, qui Chriſtiani ſunt, tuæ fidei conſortes. Tum ille [a] parum hæſitans: Durum, inquit, mihi eſt, Pater, dimittere omnes, quia magnis rationibus ac debitis quidam ex eis mihi detinentur. Tunc Epiſcopus, debita, inquit, pro debitis dimitti & ſermo Euangelicus, & Dominica ſuadet oratio. Sic enim [b] omnium debitorum tuorum apud Deum certam remiſſionem conſequeris, ſi omnes debitores tuos in ei⁹ nomine abſoluis. At ille altius ingemiſcẽs. En, inquit, in nomine Domini Ieſu omnes abſoluo, & ſecundum verbum tuum dimiſſis peccatis meis, dedicatio iſta hodie in me compleatur. Et vocans miniſtrũ, qui ſuper captiuos erat, omnes dimitti præcepit. Erat autem inter eos adoleſcens nobilis filius cuiuſdam potentis de * Datia. Iſte, abſolutis aliis, in cauea quadã ſubterranea vinctus [c] cippo & catenis tenebatur, eo quod Pater eius quingentarum librarum debitor hunc vadem poſuiſſet. Cumque de abſolutione captiuitatum, de obedientia & religione Mitzlai Principis multa eſſet tam populo, quam Epiſcopo, & omnibus, qui aderant, in Domino exultatio, & ad conſummationem dedicationis miniſtri ac ſacerdotes alacriter feſtinarent, & neceſſaria præpararent, habitis omnibus, vas cum cineribus, quod ad aram poſitum erat, inueniri non potuit: cumq; miniſtri commiſtionem ſalis & vini & cinerum facturi, de non inuentis cineribus turbarentur; Vdalricus ſacerdos correpta concha vicinas domos vnã vel duas ſcrutatus, in eis cinerem non inuenit. Deinde ad tertiam currens, cryptam quandam ſubterraneam, in qua prædictus adoleſcens in abditiore parte claudebatur, intrauit. Sed captiuus per feneſtram manu porrecta, & ſonitu facto, currentem ſacerdotem ad ſe vocat, rogans, vt pro ſui liberatione, Epiſcopo ſignificet. Sacerdos verò correptis cineribus properanter ad Eccleſiam rediit, & opperienti Epiſcopo, aliiſque fratribus, de illo captiuo inſinuat. Epiſcopus verò, quamuis miſericordia moueretur; tanta, inquit, præſtitit nobis, vt amplius eum grauare rogando non audeam: tamen, ne gaudium feſti huius aliqua ex parte claudicet, ſuper huius quoque miſeria Dei miſericordiam inuocemus: & conuerſus ad Orientem cum miniſtris, quaſi hora vna preces fudit ad Dominum. Deinde ſacerdotibus ait: ſeorſum accipite Mitzlaum, & quam modeſtius poteſtis, ſuper hoc verbo exhortamini. Quod cum facerent; Mitzlaus ait; In hoc vno homine parcat mihi velim prudentia veſtra. Nam pater eius maioribus mihi debitis adſtrictus eſt, quam vt gratis abſolui poſſit. Sufficiat vobis, quod tantos abſolui. Tunc illi, re vera, inquiunt, multum eſti

[a] Tergiuerſatur Mitzlaus de captiuorum dimiſſione. [b] Inſtat Epiſcopus. * Daniæ. [c] Adoleſcẽs Danus captus

Supplicat Vdalrico ſacerdoti pro liberatione. Vdalricus refert ad Epiſcopum. Epiſcopus ſuos Sacerdotes ad Mitzlaum.

tum eſt, quod feciſti. Miratur hoc Dominus Epiſcopus: miramur & nos. Nec in longo tẽpore à Chriſtianis tale quid in terra noſtra cõperimus, vnde & Dominus noſter Epiſcopus, & omnes fratres gratias tibi referunt, & honori te habent, & ſemper habebunt, Deoq́; omnipotenti, cuius te ſeruum exhibuiſti, quò de omnibus vicem tibi rependat, deuotè ſupplicabunt. Nam & Dominus Epiſcopus tam magni pendit, quod feciſti, vt vltrà quidquam rogare te, iniuriam putet. Vnde, quaſi parce dilectioni tuę, ore proprio rogare te verecundatus eſt. Sed noueris in veritate, quoniam, ſi quo pacto te ipſum vincens, hoc bonum cæteris tuis meritis ſuperaddere poſſes, magna tibi gratia, magnaq́; recõpenſatio apud Deum cumularetur. Magnus etenim Dominus Deus noſter, & magna virtus eius: moriſq́; illi cum ſit, pro paruis magna reſtituere, quantò magis pro magnis maxima: Quod ſi hoc magnum & difficile tibi pro ipſo feceris; non ſine mercede maxima ab eo indonatus remanebis. Sed quid multis? Ingemit homo, tactuſque ab intus ſpiritu pietatis, totus ſoluitur in lacrymas. Deinde cum ipſis Clericis ad Epiſcopum rendens: En, ait, Pater ſanctiſſime, in iſta quoq; petitione Deum meum & te ſeruũ eius, Dominoſq́; meos ſacerdotes miniſtros tuos honorabo, quin imò pro nomine Domini mei Ieſu corpus meum & omnia mea, ſi ratio poſtulauerit, deuotus impendã Et iubens adduci vinctum ferro & catenis oneratũ, flentibus omnibus, qui aderant, in hoſtiam & oblationem Deo aræ impoſuit, petens ſibi remiſſionem peccatorum, à Domino pro ipſo recõpenſari. Ita ergo in plenitudine gaudij ſpiritualis tota illa Eccleſia feruente & laudes Deo ſuper vniuerſis bonis ac donis eius concinente, dedicatio conſummatur; omneſq́; alij, exemplo Mitzlai Principis, vias ſuas correxerunt vnuſquiſq; ab iniuſtitiis & violentiis ſeu oppreſſionibus ſuis temperando, & vi ablata proximis ſuis reſtituendo.

Pſalm 146.

Benignitas Mitzlai.

XII. Ecclesia igitur proficiebat & creſcebat, &, licet inuidente diabolo, ambulans in timore Domini Spiritu S. replebatur. Sed hoſtis antiquus damna ſua non ferens, opera Dei turbare molitus, validis terroribus vniuerſam prouinciam concuſſit. Nã a Bolezlaus Dux Polonorum inuictiſſimus, in multa fortitudine & copioſo militum apparatu, de terra ſua veniens, iam in ipſis terræ Pomeraniæ terminis caſtra metatus ferebatur, in furore graui terram ipſam ingreſſurus. Audierat enim, quod poſt priorem B. Ottonis prædicationem, nec pacti ſecum fœderis, nec ſuſceptæ religionis iura, ſeruare curarent. Inſuper compertum habebat, quod eæ ciuitates, quæ pridem conuerſæ fuerant, cum his, quæ conuerſæ nondum fuerant, remiſſi tributi veniam aſpernati, ſuiq́; mediatoris obliti, viribus ſuis ſe deinceps tutos fore confiderent, munitionibus & caſtris, quæ bellica vi complanata fuerant, ex magna parte hoc interuallo reparatis. Vnde, quaſi iuſtam commotionem habens Dux, iterùm eos conterere veniebat, ſuæq; ditioni ſubiugare. Quod illi audientes, miſſiſq́; ſæpiùs atq; remiſſis exploratoribus, exercitum iam in proximo cognoſcentes, multum vbiq; trepidare cœperunt, partimq́; fugere, ac res ſuas ad loca munita deferre, partim etiam arma contrà mouere, fineſq́; ſuos defendere meditabantur. In ipſo tamẽ articulo, vtpote à Deo inſpirati, omnes quaſi oues ad paſtorem, ſic ad Epiſcopum confugientes, quid facto opus eſſet, conſilium quærebant. At ille pietatis viſceribus affluens Eccleſiã rudem ac neophytam bellico tumultu vexari pernicioſum ſciens, de diuina miſericordia, ſimul ẽt de Bolezlai Ducis amicitia non vanè præſumens, bellum ſimul & cauſam belli, ſi modò cõſiliis eius parere velint, diſſoluere pollicetur. Quo audito, illi prudentiam & ſanctitatem Doctoris ſui attendentes, nec ſiniſtrè caſurum arbitrati negotium, quod ille in timore Domini ſuſcepiſſet, communi decreto ſemetipſos & omnia ſua conſilia eius ſapientiæ commiſerunt. Aſſumptis igitur Clericis Pater venerabilis, ſarcinas quidem & omnem ſupellectilem ſuam ibi relinquens, obuiam ſe parat exercitui, *iunctis* ſibi viris honorabilibus de terra, qui à Duce obiectis reſpondere, & omnibus controuerſiis *decidendis hinc* inde exortis poſſent ſufficere. Vbi ergò ad caſtra venit, à Duce honorabiliter ſuſceptus eſt, mirumq́; dictu, quàm facilè diuinis eloquijs, eius feritate delinitâ, ad omne, quod volebat, Principem inclinauerit. Ille namq; *multum* proteſtabatur, non alia ex cauſa hoc tempore bellum contra eos ſuſcepiſſe, quàm ob iniuriæ Dei omnipotẽ*tis* vltionem; & mutui fœderis ruptionẽ: quia & Chriſtianiſmi iura, pleriſq́; in locis, rediuiua paganitate, violaſſent. Epiſcopus ergò hæc omnia emendatione digniſſima faſſus, legatoſq; aliquantulùm pro his obiurgans, ad priſtinæ compoſitionis pactum, partem reuocat vtramq;, ſeſe tunc temporis, quemadmodùm & nunc, pacis mediatorem extitiſſe commemorans. Placabat autem maximè Ducem Poloniæ Wratizlai Ducis fides & deuotio ab Epiſcopo laudata: quia in priori & ſecunda prædicatione æquè fidelis inuentus, multa bona prædicatoribus oſtendiſſet. Stetinenſibus verò, quòd aliqui ex eis ad errores priſtinos reuoluti eſſent, diuinæ indignationis ac ſuæ, illis mandat non defore vindictam, niſi quãtociùs apoſtaſiæ immunditias congrua diluant ſatisfactione, indulgentiâ petitâ Doctoris. Dux itaq; talibus modis à B. viro mitigatus, licet nimis murmurantem exercitum, vtpote prædæ auidum, verſis aquilis, ad ſua redire præcepit. Porrò Epiſcopus voti compos, cum legatis rediens, attonitis gregibus ſuis, optatę pacis & ſecuritatis nuncium reportauit: & quantum illi pridem de metu belli mœſtificati fuerant, & concuſſi, in tantum alacres facti ſunt, & in fide Chriſtiana fundati; ſanè Doctori ſuo adſcribentes patriæ liberationem: ſeruuſq; Dei magnificatus eſt vehementer, in terra Pomeranorum. Ille verò nihil meritis ſuis tribuens, tanto ſe humiliorem apud Deum & homines exhibuit, quantò ſine illius auxilio ſe nil poſſe ſciebat: dimittenſq; nuncios, de quibus ſupra dictum eſt, Marchioni & Saxonibus gratias egit pro bona voluntate, de Dei operibus & de ſuo ſtatu, mandans quæ audiſſent, & vidiſſent, ad Dei gloriam domi narrare.

Sefridus. Edit. Can. lib. 3. c. 9.

a Rumor de appetente bello Pomeranos percellit

Expeditio Boleslai Ducis Polonorum in Pomeranos.

Pomerani confugiunt ad S. Othonem.

S. Otho it obuiam Duci Boleslao.

Excipitur S. Otho à Duce.

Fides Ducis VVratislai placat Ducẽ Poloniæ.

Dux Poloniæ domũ reuertitur cũ exercitu.

S Otho redit Pomeranis pacis nuncium adfert.

XIII. Erat autem Vznoimiæ illis diebus Dux pariter & Epiſcopus. Eſt autem inſula quædam non longè à ciuitate illa, habens mare interiectum, quaſi itinere vnius diei, Verania nomine. Sed loci huius incolæ duri erant & barbari, ſingulari feritate crudeles. Hi prædicatione B. viri dudum compertâ, omnia, quæ de illo dicebantur, aſpernari, mortem ei, ſi ad eos veniret, minabantur. Sed quò ampliùs duras eorum minas audierat, eò ampliùs in animo ſuo fixum habebat, illo ire, ſperans ibi martyrij coronam ſe adepturum. De hoc verò cum Duce & aliis familiaribus ſuis, dum conſilium tractaret, propter immanitatem periculi ab omnibus diſſuaſus eſt: quod ægerrimè ferens, ingenioſiùs agere cœpit, quomodo ſe, neſcientibus eis, illo proriperet. Hoc ſentientes illi, cautiùs eum obſeruabant, nullamq; ſecreti opportunitatem, quò id aggredi poſſet, ei concedebant: ſalutem illius, vitamq; longiorem multis vtilem ac neceſſariam memorantes. Verùm deſiderij magnitudine nihil huiuſmodi rationum audire potuit, illos modicæ potiùs fidei arguens, ac puſillanimitatem eorum increpitans, fidem Chriſtianã factis magis firmandam aiebat, quàm verbis, ſatiſq; inertes æternæ vitę Prædicatores, qui pro illa vitam præſentem expendere formidarent. Et quid, inquit, fieret, ſi in his barbaris nationib. euangelizantes pro Chriſti nomine oẽs occumberemus? Nimirùm glorioſior eſſet prædicatio, quæ Martyrum ſanguine firmaretur. Sed, ô dolor, de tanto fratrum numero, nec vnus, puto, dignus habebitur, morte ſua de vita, quam ſperamus, perhibere teſtimonium. Atqui verbis talibus verecundia nata eſt trepidantibus.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap 10.

Feritas incolarum Veraniæ Inſulæ.

S. Otho cogitat clam petere Veraniam.

XIV. Vdalricus autem venerabilis ſacerdos conſtantior effectus, ſciens hoc etiam ſeni placere, huic ſe periculo intrepidus offerebat. Comitem tantum & viæ ducem poſtulans. Accepta igitur benedictione paraturam ſacerdotalẽ, calicem quoq; & librum, & cętera, quæ faciendæ Miſſę ratio poſtular, aſſumens, nauem conſcendit. Sed nos videntes fratrem noſtrum vnicè charum ſolum ad martyrij palmam properantem, cùm dehortari eum non auderemus, viam eius lachrymis vberioribus proſecuti ſumus; qui horis quaſi tribus proſperis flatibus nauigans, ferè iam ab oculis noſtris ablatus fuerat. Et ecce tempeſtas oritur, ventiſq; contrariis ratem huc, illucq; pellentibus, viam tenere nõ potuit: ſed ad littus vnde exierat, poſt multam fatigationem appulſus eſt. Ille verò tametſi tempeſtatis iniuria, & imbrib.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap 10.

Vdalricus offert ſuam operã p Verania inſula.

Reijcitur Vdalricus ad littus, vnde ſoluerat

Digitized by Google

Nauem nō exiit, exſpectans maris trāquillitatem.
a Iterū fortunam tentat.
b Quin & tertiò
c Semper fruſtra.
d In Vdalrici nauigationem ioci quorundam
e Quid S. Otho?
* Daminā.

deſuper irruentibus, & procellis nauē deorſum implentibus, totus eſſet madidus, vixq; ſpirare videretur, à cœpto deſiſtere noluit, neq; ad terrā exiuit; ſed, ſedens in nauicula, tranquillitatem maris exſpectabat. Interim aquā de naui vaſculo ꝓijciens. Ventis itaq; paululū ſedatis, iterùm a nauigare cœperunt, iterumq; ſimili modo impeditus eſt. Tertia quoq; b vice ire tentās, ſed nihilo minus nocte ac tēpeſtate ingruente, ponti ſæuitiam vix, & quaſi per miraculū euaſit. Tēpeſtas verò intra ſeptē dies nō ceſſauit. Intellexit c ergò vir Dei Veranos Euangelicæ gratiæ indignos, currensq; cū clericis diſcipulū, quaſi de palæſtra coronatū, de litore ducit ad tectū, ſuper ipſius cōſtantia, fideiq; magnitudine Dominum benedicens. At vbi cœnatum fuit, fratres de d nauigatione Vdalrici iocari cœperunt: Et quis, inquiunt, ſi perijſſet homo, reus homicidij teneretur? Adalbertus aūt interpres, cui maximè factum diſplicuerat, quis iuſtius, inquit, homicidium lueret, quā is, qui hunc ad tale periculū direxit? Verùm Eps, quamuis ab eodem fratre de hoc verbo antè pulſatus fuerit, nihil motus, ad e Euangeliū ſe conuertit, & exemplo Dñi Ieſu diſcipulos, quaſi oues inter lupos mittentis, factum ſuum defendit. Quis n. ait, homicidij reus tenebatur, diſcipulis, qui à Dño mittebātur, interfectis? qui oues ad lupos miſit, profectò à lupis oues deuorandas ſciuit. Deuoratæ ſunt oues à lupis, interfecti ſunt Apoſtoli à Tyrannis. Dein parabolā hanc facto ſuo coaptans, plena rationis doctrina diſcipulos animauit, dignisq; exhortationib. in gaudio ſpirituali maximā partem noctis expendit. Et manè facto, quidnam agerent, vel quò diuerterent, inter ſe tractabant. Verùm haud diù nutabundi, quod ſuperfuit de opere in agro Domini, coloni fideles inter ſe diſtribuunt: aliis retro ad *Timinam; aliis autem ad alia loca euangelizandi gratia diuertentibus.

Sefridus.
Clerici obſtant, ne Epiſcop^9 Stetinā abeat.
f Quib^9 obſiſtit S. Otto

Episcopvs verò ad Stetinā iter propoſuit cū miniſtris ſuis de Apoſtaſiæ nequitia in ſpiritu vehementi arguere ſu- XV.
perbos: Sed Clerici, qui cum ipſo ituri erant, Stetinenſes barbaros, & crudeles agnoſcentes, ſuæ pariter & illius ſaluti metuebāt. Vnde, ne illuc veniat, adhortantur ſtudioſius: cumq; illi moleſti eſſent: Video, f ait, tantum ad delicias venimus: quidquid aſperum vel difficile occurrit, totum declinandum iudicamus. Sed, eſto, nā ad gloriam martyrij ſicut nullum cogere volo, ita, ſi poſſet fieri, oēs vos hortari vellem. Rogo aūt, ſi iuuari non vultis, ſaltem ne me impediatis, ſuæ vitæ poteſtatem habet vnuſquiſq;. Liberi eſtis vos, liber & ego. Dimittite me mihi obſecro. Et eiectis omnib. ſeſe in cubili ſuo vſq; ad Veſperā in orationē dedit. Deinde vocat puerum familiarē, præcipiens, vt clauſis vndiq; oſtiis, à ſe oēs dimoueat, nullumq; admittat ſine ipſius conſcientia. Quo facto ſecreti ſui compos fugam meditatur: itineralia induitur; ſuccingitur; indumenta ſua ſacerdotalia cum libro, calice, aliiſq; vtenſilibus in mantica ponēs, oīa in humeros leuat, tectusq; vmbra noctis, clam neſcientib. cunctis, incomitatus vrbē egreditur, viam carpēs, quæ vergit Stetinā. Cumq; adſpexiſſet huc atq; illuc, & nullū ſe comitari videret, lætus & alacer de proſperitate furti, Deum benedicens, matutinale inchoat officium, gliſcens & proſperans totum iter nocte illa cōplere; cumq; nocturnus viator viam ardenter carperet, hora noctis decima iam inſtabat; Clerici aūt è diuerſis ſtratis conſurgentes, cùm ad dicēdas matutinas ſe colligerent, quidā ex eis, ſuſpenſo gradu, ad cubiculum pergunt Epi, vtrum dormiat, an inuigilet, vel quid agat, explorare cupientes. Verùm vbi propius propiusq; admoti Epm non inueniunt, conſternati ſunt animo, & diligenter oīa ſcrutantes, cubicularium ipſum & alios, qui iuxta erant, crebrò ſciſcitantes, ꝙ factum fuerat, tandem ediſcunt. Quid multis? Turbantur oēs, alijq; pedibus, alij verò adſcenſis equis huc illucq; Pontificē quæſituri diſcurrunt; factoq; mane, hi qui in equis fuerant, directo colle ac concito gradu, verſus mare, viam g inſequuntur abeuntis, & abeuntem conſequuntur. At ille, vbi eminus venientes iam intraturus naues agnouit, turbatus eſt valdè, & altius ingemiſcens, heu, inquit, Dñe Ieſu, vnice Dei, vnice Virginis, dulce nomen ſpei meę, nunquid me fraudabis à deſiderio meo? fac oro, vt hi, qui veniunt, aut mecum eant, aut me à propoſito meo nō impediant. His dictis, illi accurrebāt, moxq; ab equis deſilientes, pedib. illius ꝓſternuntur. Sed qd? ꝓſternitur & ipſe: leuāt illi, leuat & ipſe: flebāt; flebat & ipſe; vocemq; mœror & triſtitia, & his & huic diutiſſimè intercluſit. Tandem poſt multas lacrymas in hanc vocem ſenior mœſtus erupit: ad quid veniſtis? redite, quæſo, ad hoſpitium: & ego pergā viam, quā cœpi. At illi: abſit, inquiunt, ſufficit nobis hæc tam grandis confuſio, amodò te nequaquam deſeremus: Si redire vis, læti redibimus tecum: ſin autem progredi māuis, tecum progrediemur. Sed placeat ſanctitati tuæ conſilium noſtrum. Redeamus pariter ad fratres, & ad pueros noſtros hodie: cras, ecce, coram Deo loquimur, ſiue in vitam, ſiue in mortem tecum veniemus.

S. Otho clā ſe ſubducit, vt Stetinam abeat.
Clerici clandeſtinū abitum S. Otonis deprehēdunt.
g Inſequuntur clerici fugientem Epiſcopum
Aſſequuntur.

Sefridus.
Edit Caniſ. cap 12.
h S. Otho Stetinam reuertitur.
Diuerſi affectus ob aduentum Epiſcopi.
i Arma S. Otonis crux, reliquiæ, hymni, pſalmi
k Stetinenſes miteſcunt nonnihil.

Tali ergò pacto Epiſcopus cum eis reuerſus, craſtina die, omnibus ſe comitantibus, eandem viam ingreditur, ad- XVI.
ſcenſaq; naui, proſperis flatib h Stetinam vecti ſumus. Homines de ciuitate inter ſe diuiſi erāt, aliis adhuc in fide manentibus, aliis autē ex maiori parte ad paganiſmum reuerſis. Fuit aūt Baſilica ante introitum ciuitatis in area ſpacioſa, quam ipſe in priori profectione dedicauerat: quā ingreſſi, hoſpitari cœperunt. Fideles igitur de aduentu Epi gaudebant: infideles aūt turbabantur, præ omnibus autē nefandi ſacerdotes furere, & furorem in turba excitare feſtinant: adeò, vt collectâ manu armatorum, Eccleſiam vndiq; cingerent, & inſanis tumultibus debacchantes, ædem ipſam conuellendam, & oēs, qui ibi erant, cum magiſtro interficiendos clamarent. Epiſcopus verò martyrij auidus, Pontificalibus ſe induens, arma i ſua, crucem tollit & reliquias: Pſalmosq; ac hymnos cum Clericis perſonans, agonē ſuum Dño commendabat. Barbari verò, audito cantu, mirati ſunt valdè, ꝙ quaſi in articulo mortis poſiti cantare potuiſſent, & auſcultantes, mutuoq; ſe inuicem reſpicientes, virtute, vt puto, Verborum incantati, clementius ſe habere cęperunt, & k iam non viribus, ſed ratione magis opus eſſe dicebant ad talia recipienda, vel etiam propulſanda. Dein ſapientiores quiq; ſuper his reb. ipſos ſacerdotes ſecretius conueniunt, ipſorum eſſe dicentes, congruis rationib. religionem ſuam defendere. Talia inter ſe muſſitantes, paulatim ſinguli ad ſua digrediuntur. Erat aūt ſexta feria. Et Eps cū ſuis illa die ſabbatoq; ieiuniis & orationibus, ſacrisq; meditationibus vſq; in Dominicam intenſius operam dabat.

Sefridus
Edit Caniſ. cap 16.
* Baculum ſeu pedum.
Seditioſa concio cuiuſdam Ethnici ſacrificuli.
Miraculum
Obrigeſcūt infideles.
Oratio S. Othonis ad Stetinenſes

Cvmqve omnes conticuiſſent, & verbum exhortationis pars maxima libenter audiret: ecce vnus ſacerdotum vir Belial, plenus furore, pinguis & procerus, in medium turbæ ſeſe fortiter intrudens, * combuccam ſuam manu geſtabat, ſpiransq; & anhelans vſq; ad ipſos gradus acceſſit, leuataq; manu ſemel & bis columnam graduum vehementiſſime percuſſit. Dein clamore magno, & verbis, neſcio quibus, contumelioſè prolatis, ſilentium mandat loquenti, ſuæq; vocis groſſitudine magnum tonans, ſermonem interpretis & Epiſcopi pariter oppreſſit, populoq; ait: Sic, ô inſenſati, ſtulti & inertes, quare decepti & incātati eſtis? Ecce hoſtis veſter, & hoſtis Deorum veſtrorum, quid expectatis? Ferentne impunè contemptum & iniuriam? Omnes autem incedebant haſtati. Ait ergò: hæc dies omnibus erroribus finem imponet: omnesq; adhortans, ſigillatim quoſq;, de quorum malignitati certus erat, propriis nominibus compellabat: Et quicunq; ſpiritu veſano agitabantur: quibuſq; familiare fuit, audacter magis, quàm conſultè rē agere: ad dicentis vocē inflāmati, haſtas leuant: quas, dum ad iaciendum vibrant actu rigent in ipſo, mirumq; dictu: nec haſtas iacere, nec dimittere dextras, vel de loco moueri poterant. Stabant igitur, vt ſimulacra, immobiles, fidelibus & religioſis facti ſpectaculū. Quotquot n. erant infideles & maligni, qui à fide Chriſtianiſmi defecerant, & in infidelitate ſua pertinaci dementia ſtantes, impias manus contra ſeruum Dei leuauerunt, hac pœna tamdiù mulctati ſtabant, quouſque in ſua fide boni firmarentur, & illi à prauitate cordis per pœnam corporis corrigerentur. Nam & Epiſcopus, arrepta miraculi occaſione: Cernitis, inquit, Fratres: quanta ſit potentia Domini. Certè, vt video, diuinitùs ligati eſtis. Quare non demittitis dextras? Quamdiù in hoc niſu apparebitis. Illi autem, neſcio, an præ confuſione, aut præ ſtupore, nihil reſpondebant. Tunc ille; En, inquit, Dij veſtri, pro quorum religione certatis, ſi quid poſſunt, auxilientur vobis. Sed & iſte veſter tumultuoſus ſacęrdos inuocet nunc Deos ſuos,

ſuper

Digitized by Google

ſuper vos,det cõſilium, det auxilium:ſi quid nouit,ſi quid poteſt;iam tempus eſt. Ille vero iam dudum euentu rerum ſtabat attonitus, iam vlterius nec mutire præſumens, cumque ingenti pauore omnes ſilerent, Epiſcopus miſeratione tactus; Gratias, inquit, tibi Domine Ieſu Chriſte, qui potentiam fortitudinis tuæ, cum tempus eſt, ad terrendos aduerſarios,& ad protegendos ſeruos tuos,exercere ſoles:Sed,quia pius & miſericors es,ignoſce, rogamus,ignorantiæ ſiue temeritati populi huius, & vſum corporum ſuorum, quo, te ligante, priuati ſunt, ſolita illis miſeratione reſtitue. Quo dicto,crucisq; [a] ſigno ad eos facto,effectus orationem mox inſecutus eſt;& ſubiũgens; En,inquit Epiſcopus, ſi audire hactenus noluiſtis, tangite ſaltem, & ſenſu ipſo probate, quanta ſit miſericordia Dei noſtri, quanta ſit Veritas fidei,quam prædicamus vobis:Et longius de iudicio & miſericordia Dei, & de præſentis vitæ incerto & perſeuerantia æternorum profunde diſputans, conterritos in Sion peccatores erudiuit, tandemq; medicamine ſalutaris eloquij, aliquantulum manſuefactos benedixit & cœtum dimiſit. Deſcendens vero de gradibus Eccleſiam S. Adalberti [b] cum fidelib. zelo zelatis pro domo Dei viſitauit,ac præmiſſa inibi orationis ſolennitate,altare abominationis fregit,comminuit & eiecit,factaq; reconciliationis emundatione fracturas Baſilicæ ſuis impenſis emendari fecit.

Gratiarum actio. Et precatio pro aduerſariis. [a] Signo Crucis liberat diuinitus punitos [b] Adit Eccleſiam S. Adalberti.

XVIII. Cvmqve ſæpius eandem frequentaret Eccleſiam, quodam tempore pueros in platea ludentes inuenit; quos dum lingua barbara ſalutaſſet veluti coniocando illis,etiam Crucis ſigno in nomine [c] Domini eos benedixit,& paululum procedens animaduertit, quod vniuerſi, relictis luſibus ſuis, viſendi ſtudio,collecti à tergo ſequuntur Epiſcopum,hominum ignotorum,vt eſt moſilli ætati,aſpectum,habitumque admiranti.Subſtitit homo [d] Dei,& circumfuſos blande alloquens,ſciſcitatur; ſi aliqui ex eis baptiſma percepiſſent. Illi, ſeſe mutuo reſpicientes, cœperunt inuicem prodere, qui fuerant ex eis baptizati:quos Epiſcopus ſeorſum vocans, quærit ab eis, ſi voluntatis eorum ſit, tenere fidem,quæ ad baptiſmum ſpectat,vel non? Illis autem, ſe tenere velle, conſtanter affirmantibus: Epiſcopus; Si,inquit,Chriſtiani eſſe vultis,& fidem ſeruare baptiſmi, iſtos nõ baptizatos & infideles [e] pueros, ad ludum veſtrum admittere non debetis.Qui ſtatim,iuxta Verbum Epiſcopi;ſimiles cum ſimilibus congregati pueri baptizati,non baptizatos à ſe abiecêre,& abominari cœperunt,nulla eis ludi ſocietate communicantes.Itaque videre pulchrum erat, quomodo hi de profeſſione Chriſtiani nominis gloriantes,familiarius agere,& auidius intueri, & audire Doctorem etiam inter ludos ſuos;illi autem,quaſi de infidelitate confuſi & exterriti longius ſtare ſolerent. Sed Pater optimus, & credentes miti ſermone ad fidem plenius pro ipſorum capacitate inſtruxit;non credentes vero ad credendum tam diu exhortabatur,quo vſq; ſe baptizari,& Chriſtianos fieri omnes flagitarent.

Sefridus. Edit.Caniſ.cap.17. [c] S. Otho pueros ſigno S. Crucis munit. [d] Colloquium Epiſcopi cum pueris. [e] Pueri baptizati ſegregant ſe à non baptizatis.

XIX. Interim vero maiores natu & ſapientiores quique de rebus iſtis altius inter ſe tractaturi conſederant, & à mane vſque ad medium noctis huic deliberationi vacantes de ſalute propria & totius populi, de ſtatu ciuitatis & conſeruatione patriæ, ſecundum prudentiam ſæculi diligenter diſputabant: præcipue autem vniuerſa, quæ Ottonis erant dicta vel facta, diligenter trutinabant, & mediante Spiritu ſancto, in hanc ſententiam omnes communiter cedunt, vt funditus exſtirpata idolorum cultura, ex integro ſe religioni Chriſtianæ ſubmittant; atque in hoc verbo conſilium ſoluunt. Witſchacus [f] autem,qui omnibus his intererat,nocte ipſa cum paucis ad Epiſcopum veniens, optatum nuncium affert,omne conſilium ei breuiter inſinuans.Dein etiam collectis ad Epiſcopum Clericis & aliis familiaribus,omnia,quæ audierat,quæque in concilio de ipſo dicta fuerant, ſcilicet ordinem liberationem ipſius, qui loquebatur,& de miraculo,quod haſtas vibrantes contra Epiſcopum,pridie obriguerant;&,quod adhuc latebat Epiſcopum,*quando* ad Eccleſiam cum miniſtris per plateam præparatus incedebat,tantus ſplendor veſtium apparuit, vt *maligni* homines, qui ad eum necandum ex inſidiis veniebant, nimiæ claritatis aſpectu in fugam, territi ac turbati, verſi fuerint; denique virum illum, virum Belial ſacerdotem, qui ei concionanti ad populum, impedimento fuerat,ab ipſis ciuibus eiectum nunciat. Porro apud eos eius liberalitatis & eleemoſynarũ inæſtimatæ largitiones, & captiuorum redemptiones, quodq; ſine magna recompenſatione nullius eorum opes vel ſubſtantiam oblatam contigerit,ſuis impenſis ſeſe atq; ſuos tranſigens, etiam Baſilicas exſtrueret, deſtructasq; reædificaret, omnia hæc quantæ venerationis,quantæue admirationis habita ſint,cum gaudio referebat.Igitur de mane conſurgens Epiſcopus, & cũ gratiarum actione Miſſas celebrans, conuenientes ciues iterum alloquitur, & pronos atq; obedientes ad omnia inuenit.Quicunq; enim apoſtaſiæ ſeſe vitio inquinauerant, Spiritus ſancti virtute faciente, compuncti per manus impoſitionem in fonte lacrymarum ſuarum loti, Eccleſiæ ſuæ reformantur. Pueri vero, & quicunq; Sacramentum Baptiſmi nondum erant conſecuti,baptizantur,fana deſtruuntur,Eccleſiarum fracturæ ſolidantur, & ſi quæ deſtructæ fuerant,reparantur.Omnis ergo populus,iam quaſi vir vnus,id ipſum ſapiebat in Domino;gaudet Epiſcopus,lætantur Sacerdotes,magnificata ſunt in conſilio iuſtorum opera Domini.

Sefridus. Edit.Caniſ. cap.18. Stetinenſes cedeunt ad ſanam mentem. [f] VVitſchachus,de quo ſupra, cap.2. Apoſtatæ reconciliantur Eccleſiæ. Reuireſcit Chriſtianiſmus

XX. Præter hanc autem ſpiritualis lætitiæ occaſionem, diuina bonitas illi ciuitati etiam de inopinato corporale commodum exhibuit. Nam immenſæ molis ac magnitudinis rombonem circa portus & naues ſe oſtentantem, piſcatorum manus ad littus eiecit in menſe Auguſto, cum tamen in locis illis, captura talis non niſi vernali tempore occurrat;ex cuius carnibus ac pinguedine omnes ciues capiunt,& Epiſcopo,cuius meritis hoc munus adſcribebant, plus quam abſumere cum omnibus ſuis poſſent,apportant.

Edit.Caniſ. cap.19.

XXI Veruntamen lætis euentibus tentatio non defuit. Nam cum delendis & exſtirpandis fanis idolorum & ſacris diligentius inſiſteret Epiſcopus,etiam arborem Nucis mirandæ [g] pulchritudinis idolo dicatam ne ſcandalo eſſet rudibus,volebat incidere. Vicini autem, qui vmbra eius & amœnitate ſæpius delectati fuerant, ne incideret eam, rogabant.Porro agri [h] poſſeſſor vehementius iraſci atque indignari cœpit.aliiſque modeſte agentibus,hic minis & clamoribus longius aſſiſtens furorem euomuit.Itaque quaſi paululum furore ſopito,ſilenter à tergo accedit,nulloque ſperante,ſecurim bellicam vtriſq; manibus leuans,caput Epiſcopi ferire niſus eſt.Sed illo præſentiente,atque in partem ſe rapiente,bipennis,caſſo vulnere,in trabem pontis,iuxta quem ſtabant,perlata eſt tam fortiter,vt à feriente reduci non poſſet.Accurrunt omnes,comprehendunt,trahunt,tradunt infelicem illum, &; niſi per interuentum Epiſcopi,eadem ſecuri trucidaſſent. Tiemo Hic forte, hic aliquis grũniet maleuolus auditor. Nam & ego quoq; miror, ſi ita eſt,vt aſſeris;qui alias ad martyrij palmam vltro ſe ingerere paratus fuit,quod hunc tam validum ictum non ſuſcepit.Qui enim toties mortem appetiit,dicet aliquis,quare nunc venientem non ſuſtinuit?Sefridus.An neſcis,aliud eſſe ex conſilio & fortitudine mentis corpus morti obiicere, digna exiſtente aliqua neceſſitate; atque aliud ex infirmitate carnis eandem pertimeſcere? Sed hoc etiam conſiderare potes: quod non de agone paſſionis tunc temporis cogitabat,ſed magis de arbore nucis,de cuius inciſione cum ciuibus tractabat;&,ſi altius rem contemplari volueris; animalis ſpiritus naturaliter exterioris ſubſtantiæ ſalutem,quantum in ipſo eſt, tueri ſolet, appetit conducibilia, fugit contraria; quem tamen interea mentis ratio ſaniori conſilio à conducibilibus interdum abſtrahit, & contrariis paſſionibus affligit. Nihil ergo mirum, ſi ratione aliis intentus, teneritudine oculorum faciente, venientem ictum expauit. Deniq; diuino etiam nutu hoc factum eſſe arbitror, ſcilicet ne multis aliis adhuc profuturus ibi occumberet,ne ue à Chriſtianis,qui nuper fidem ſuſceperant,vel etiam amiſſam receperant, & in nouitate reconciliationis & gratiæ diuinæ,doctor ipſe interfectus prædicaretur.

Sefridus Edit Caniſ. cap.20 [g] Læta miſcentur aduerſis. [h] Obſtant ne nux incidatur. Obiectio Tiemonis. Reſponſio Sefridi. Cur S. Otho ictum lethalem declinauerit.

XXII. Ottone ſic à periculo liberato, & percuſſore ſuo de manibus percutientium ſaluato, inter adſtantes Adalbertus presbyter ad Teutonicas partes ſe vertens, profundus inclinat Deo, & S. Michaëli in Babenberg, &

Sefridus. Edit.Caniſ. cap 21.

Nux non ſuccidiṫur. Simile quid de quercu lib. 2. ca. 31.

fratrum orationibus gratias agit pro ſalute. Et conuerſus ad Epiſcopum; En, inquit, ſcutum orationis fratrum & protectio S. Michaëlis Archangeli. De arbore vero, ne incideretur, tandem ciues multis precibus obtinuerunt, iureiurãdo firmantes, nihil vnquam diuinitatis arbori ſe ſe adſcripturos; neq; numinis, vel idoli alicuius vice ſe illam habituros, ſed magis pro vtilitate fructuum & amœnitate vmbrarum.

Amor S. Othonis in Monachos. *Gratitudo Monachorum S. Michaelis erga S. Othonem.* *Preces pro S. Othonis reditu.*

Illo etenim tempore preces & ſupplicationes magnæ, ſicut & ſemper, apud nos fiebant pro dilectiſſimo Patre Ottone, qui nos pro aliis mirum in modum materno potius quam paterno affectu iugiter fouere non deſiit; adeo, vt quadam vice, cum ad Curiale colloquium à ſereniſſimo Rege Lothario euocatus, apud Magdeburgenſem vrbem grauiter ægrotaret accito diuæ memoriæ Hermanno Abbate noſtro, per quem tunc etiam, præter alia dona, trecentas nobis marcas tranſmiſit, in hanc lugubriter erumperet vocem: O quam incomparabilis me detinet gemitus, quod in hac ęgritudine tam longe remotus ſum à dulciſſimo requietionis meæ loco, Monte videlicet Domini & Patroni mei beati Michaëlis Archangeli, vbi corde & animo ita fixus inhęreo, vt teſte Domino, ſi in hac hora illic poſitus eſſem, mille marcas huic beneficio non præponerem. Quia ergo charitas exigit charitatem, ſpeciali eius amori, de cuius capite, vt ſcriptura loquitur, oleum non defecit, id eſt, meriti eius charitas nunquam excidit, ſpecialem orationis intimæ deuotionem rependere curauimus. Nam vt de cęteris ſileam; Ellenhardus ſenior noſter, vir totius prudentiæ, & pietatis, ac ſingulari compunctionis & humilitatis dulcedine amabilis, nocturnas Fratrum vigilias orando præuenire ſolitus, pro ſalute pij Ottonis placidas diuinæ clementiæ aures lacrymoſis ſingultibus eo vſq; pulſare non ceſſabat, donec deſideratum eius reditum cœleſti reſponſo audire mereretur. Cum enim nocturno tempore, more ſuo, in tenebroſis gradibus Capellæ ad ſanctas Virgines intimis pro dilecto Patre inſiſteret precibus, ſubito clara luce, in eodem loco, emicante, audiuit dicentem ſibi; Exauditus es pro pio Ottone; ſaluum eum reperies. XXIII.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 21 *S. Otho placat Stetinẽſibus Ducẽ VVratislaum.* *Sacrificuli Ethnici ſtruunt S. Othoni inſidias.* *ᵃ Stetinẽſes & alij pro Epiſcopo arma capiunt.* *Miſerabilis interitus ſacrificuli.* *Alius eiuſdem ſortis ſtrangulatur.*

Omnibvs ergo, quæ ad cultum fidei ſpectant, rite illic ordinatis, dum ad alia loca ire pararet, ab vniuerſis natu maiorib. & prudentiorib. ciuitatis, rogatus eſt, vt quia Deus cum illo erat, & multa bona eis oſtenderat, Ducẽ Vratizlaum, cuius offenſam grauibus culpis incurrerant, eis placare ſtuderet: atq; hoc facto, cuncta circa ſe ſtudia deauraret: añuit; elegit viros honorabiles, aptos ad reſponſa reddenda, vel accipienda: Ducẽ adit, preces fundit; accuſat populũ & excuſat: Dein, potenti ſuadela mitigat indignantẽ, iubet, obſecrat, facit compoſitionem: pacatiſq; ad perfectum omnibus, legatus cum legatis pacem affert ciuitati. Hinc toti Eccleſiæ valefaciens, miris affectionibus Iulinam ire dimittitur. Maligni vero ſacerdotes, pleni dæmonibus, cum iam aperte non poſſent, vel per inſidias ſeruo Dei nocere moliti ſunt. Conducta etenim magna ſicariorum multitudine, viam abeuntis in arctioribus nauigij locis obſederunt, ſuis amicis, iſtarum rerum neſciis, mortem Epiſcopi quaſi per diuinationem prænunciantes. At vbi ad inſidias ventum eſt, hoſtes arma arripiunt, funambulos tenent, nauigantes inuadunt, ſanguinem Epiſcopi ſuper omnia ſitientes. At vero Stetinenſes, & ᵃ noſtri, qui eum Epiſcopo erant, arma capiunt, ex rate proſiliunt, partim terra, partim aqua conſiſtunt, vim viribus audacter arcentes. Cumque aliquandiu pugnatum eſſet; hi, qui de inſidiis erant, à Stetinenſibus cœperunt agnoſci, & confuſi de malefacto, fugerunt. At ſacerdos, qui hæc machinatus fuerat, eadem hora domi cum amicis ſuis reſidens, paralyſi, & vehementiſſimo languore vexari cœpit, ſuis, vt arbitror Diis eum laniantibus: cumque ore, oculis ac tota facie diſtortam frontem ad ſcapulas verteret, & miſerabili corporis agitatione in mortem ſolueretur, exclamauit: hæc patior, propter inſidias & mala quæ contra Ottonem feci. In hac voce vitam finiuit. Tantus autem fœtor ſecutus eſt, vt Pluto ipſe infernalis, vel quiſquis illic maximus eſt, ab huius faucibus ſpirare putaretur. Item alius quidam de ſacerdotibus Ottoni contrarius, cum ad negotia ſua cum inſtitoribus forte nauigaret, & in Inſula quadam nautæ, vt aſſolent, ad ſuas commoditates applicuiſſent, iſte alienata mente, nec vultu nec voce ſanum quid agens, à comitibus notatus eſt. cumque ſeorſim ab aliis in ſylua, veluti per amentiam, vagatur, iuuenes quidam, quaſi per laſciuiam, ſecuti delirum, fune per guttur ad arborem ligant & diſcedunt. Ille vero incautis nexibus, vinculorum impatiens, ſe ſoluere luctabatur: ſed diuino iudicio conſtrictus per funem, qui collo iniectus erat, intercluſo anhelitu, mortuus eſt. XXIV.

Sefridus. Iulinenſes agnoſcunt peccata ſua *ᵇ Quos Eccleſiæ S. Otho reconciliat.*

Episcopvs autem, Dei protectus auxilio, cum Iulinam veniſſet, nihil ibi aduerſitatis inuenit. Omnes, eius redargutiones de apoſtaſia, ſeu de aliis exceſſibus, patienter ferebant; indigna & mala opera ſua dignis emendationibus ad eius doctrinam expurgare & corrigere parati. Ille vero per manus impoſitionem, & ſacri verbi exhortationem ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ᵇ omnes reformauit, baptizatis pueris, & quoſcunque ſacramenti huius expertes inuenit. Sicut enim exemplo Stetinenſium pridem à fide receſſerant, ita denuo conuerſis illis facile conuertebantur. Illos enim per omnia imitari quaſi pro ſententia eis fuit. XXV.

ᶜ Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 23. *ᵈ Nota mirabilem morem.* *ᵉ Mulier cęca viſum recepit.* *ᶠ S. Otho amouet abs ſe gloriam patrati miraculi.*

Cvm autem ſacris operibus illic inſtaret ᶜ Epiſcopus, mulier quædam in rure poſita, neſcio, quo euentu, ſubita cæcitate percuſſa eſt. Audiens autem Antiſtitem adhuc eſſe in ciuitate, duci ſe illo iubet, & veniens corruit ante pedes eius, auxilium petens ſuper clade ſua. Signum autem ᵈ æris ante fores pendebat Eccleſiæ, quod ſimplices, cum intrabant oraturi, quaſi ad excitandum ſanctos, pulſare conſueuerant. Epiſcopus ergo dum ad ſuccurrendum, à muliere crebro inuocaretur; Vade, ait, mater, vade ad Eccleſiam, quaſſa campanam, excita S. Adalbertum, vt te adiuuet. Abiit illa, Deum & S. Adalbertum inuocans, arreptoque fune, non prius à pulſatione ſigni ceſſauit, quam lumen oculorum ᵉ reciperet. Vidẽtes autem ciues, gratias agunt Domino ſuper gratia huiuſcemodi, & magis in fide Catholica roborari ſunt. Sed dum hoc factum Epiſcopi meritis adſcribere vellent, prohibuit eos dicens: non me miraculorum factorem, ſed peccatorẽ ſciatis, potius hoc ᶠ beati Martyris Adalberti meritis adſcribẽdum certiſſime noueritis. Num obliti eſtis, quomodo priori anño, cum tota ciuitas iſta incendio vaſtaretur, hanc ædiculam ſuam beatus Martyr in mediis flammis poſitam liberauit? Sed moneo, vt illius calamitatis memores, nec Iulium ipſum, nec Iulij haſtã, nec ſtatunculos idolorum vel ſimulacra vllo modo colatis, denuo priſtina mala iterantes, ne mortem, peſtilentiam, incendia, diuina vltione, incurratis. Hæc & his ſimilia ſeruus Dei ad eruditionẽ populi, blanda oratione loquebatur. XXVI.

Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 24 *Thecę reliquiarum in tẽtorio S. Othonis*

Die vero quadam miles habens filium lunaticum, benedicendum eum obtulit Epiſcopo, adductis eum eo quatuor bubus paſcualibus, donarium & gratiam pro benedictione. Sed doctor bonus, manus ſuas excutere ſuetus ab omni munere, benedictionem quidem puero tribuit; ipſum autem puerum cum patre ac donariis ad papilionem ſuum, vbi capſæ ac reliquiæ ſanctorum erant, deduci iubet, vt ibi, ſi vellent, facta oratione & oblatione, Dei miſericordiam inuocarent. Vadunt: ſanatur puer: gratias agunt. XXVII.

ᵍ Sefridus. Edit. Caniſ. cap. 25.

Miles quidam ᵍ phreneſi ac dementia, interdum capitis languore vexatus, in loco, vbi adorandum ſteterant pedes eius, ſeſe proiiciens, ſanitatem recepit. XXVIII.

ʰ Idem. Edit. Caniſ. cap. 26. *ⁱ Violatores feſti obiurgat Bocceus Presbyter.*

In ʰ die S. Laurentij Bocceus presbyter beati viri ad villam pergebat: homines autẽ terræ illius nondum conſueuerant dies feriatos agere. In ipſa ergo die, tranſeunte presbytero, ruſtici ſegetem metebant. Ille autem de obſeruantia feſti alloquens, merita Martyris prædicabat, atque vt ab opere ceſſarent, ſub ⁱ conteſtatione ac reuerentia beati Laurentij admonebat. Sed ſcriptum eſt; Stultus verbis non corrigitur. Vnde homo, qui magiſter operis erat, ſpreta ſacerdotis admonitione, operarios ſuos magis & magis ᵏ vrgebat. Contriſtatus ergo ſuper illorum temeritate presbyter, cum abiret, imprecatus eſt Dominum, vt digna vltione contemptum Martyris ſui vindicaret. Nec mora; ex ˡ improuiſo ignis venit, & ſtantem ſegetem, & eam, quæ iam meſſa fuerat, vndique afflauit, tantaque vis ardentis ſtipulæ XXIX.

ᵏ Sed fruſtra, quia eo magis operi inſtant. ˡ Miraculum.

fuit,

Digitized by Google

ſuit, vt ipſi ruſtici de campo fugerent. Factumq́; eſt, vt qui ſaluis frugibus ab opere ſponte ceſſare noluerant, perditis omnibus, ceſſarent inuiti. Simile quiddam, eodem presbytero per viam pergente, in Aſſumptione Beatæ ſemperq́; Virginis Mariæ factũ comperimus, duobus, ruſtico videlicet, & eius vxore in agro metentibus. Zelo etenim religionis presbyter eos prohibebat dicens: huic diei propter aſſumptionem Dei genitricis Mariæ honorem deberi. Erat autem ſecunda feria. Dicebat ergo ruſticus: heri, propter Dominicam operari non licuit, & iterum hodie vacare iubemur. Quæ eſt hæc doctrina, quæ homines à rebus neceſſariis & bonis iubet ceſſare? Quando ergo collectas videbim⁹ fruges noſtras? puto vos inuidere vtilitatibus noſtris. Cumq́; iam ad blaſphemandum os aperire vellet, & falcẽ crebris tractibus meſſor vehemens in calamos vibraret, mirũ dictu, ſubitò exſtinctus in ſulcos cecidit, falcemq́; in dextra, ſegetem autem in ſiniſtra, vt abſecta erat, tam fortiter etiam mortuus tenebat, vt à nullo auferri poſſet. Mulier autem infelix, ſocia operis, morte quidem mulctata non eſt; puto, quia ſub viri obedientia poſita fuit. Sed tamen ſine pœna & confuſione non euaſit. Nam corpus exanimi viri ad Eccleſiam ſecuta, falcem & ſegetem de manibus ſuis, & ipſa excutere non potuit, quouſque coram populo & clero argumentum hoc illicitæ operationis probaretur. Sepulto ergo viro & abeunte cum timore populo, mulier ſoluta eſt. Ex hoc autem facto populus maiorem Dei Genitricis reuerentiam, maioremque aliis feſtis celebritatem doctus eſt exhibere.

Aliud exẽplũ de violatorib. feſti Virginis Aſſumptæ.
Corruit exanimis.
Pœna vxoris.

XXX. INTEREA * Rutheni comperta fide & conuerſione Stetinenſium: & quia in Chriſtianitate penitus roborati ſunt, à ſocietate illorum ſe auertunt, commercia omnia mutaq́; negocia inſtitorum ex indignatione abrumpentes, quaſi ª alterius iam fidei populo communicare in talibus non deberẽt. Iſti autem ſæpe numero à multis prædicatoribus ad fidem vocati, de integro nunquam venire voluerunt: Sed aliis interdum credentibus, alii non credebãt, atq́; ex maiore parte paganicis ritibus degẽtes, ſemina fidei veluti ſpinæ, ſuffocando, illic conualeſcere non ſinebant. Rethenia vero Danos adiunctos habet. Porro Archiepiſcopo Danorum etiam * Ruthenia ſubiecta eſſe debuit: Sed populo fidem Catholicam propulſante, ſuperfluum eſt, Sacerdotes de parochiæ terminis litigare. Rutheni ergò, paulatim creſcẽte odio, Stetinenſibus publice aduerſari cœperunt: & primo, quod naues illorum à littoribus ſuis arcerent: poſt etiam ex communi decreto, hoſtes eorum haberi ſtatuunt, Ottoni Epiſcopo ᵇ mandantes (audierant enim, quod illò ad prædicandum venire vellet) ne vnquam fines eorum attingeret. Dicebant enim nihil eum apud ſe inuenturũ, niſi acerbas pœnas & mortem certiſſimam. Ille ᶜ autem, accepta legatione tali, tacite apud ſe exultat, animum parat ad Martyrium, cogitat & diſponit omnia, tractat anxie apud ſe, an melius ſit ſolum ſe ad tale conuiuium ire, an cũ multis? Stetinenſes autem quidam viri boni & prudentes, in comitatu Epiſcopi erant Iulinæ, gnari locorum, prouinciarum & morum cuiusq́; gentis. Hos ergo Epiſcopus paulatim interrogationibus prætentabat, ſcire volẽs, ſi quo modo eum illuc perducere velint. At illi de origine * Ruthenæ gentis, de feritate animorum, & de inſtabilitate fidei & beſtiali eorum conuerſatione multa ei narrantes; etiam hoc, quod Archiepiſcopo Danorum ſubiecti eſſe debuerint, non tacebant. Sperans ergo Epiſcopus, gratum fore illi, ſi conuerti poſſint, ſimulq́; attendens congruum eſſe, quod per eius licentiam, ac permiſſionem ad prædicandum in eius parochia, veniret, Iuuanum venerabilem Presbyterum de latere ſuo, & alios nuncios nauigio cum literis & muneribus illò pro licentia direxit. Archiepiſcopus verò in maximo gaudio & honore legatos accepit, habitosq́; apud ſe multa humanitate, plurima de ſtatu, de doctrina & operibus beati Ottonis percontatur. Erat autem vir bonus & ſimplex, bonarum rerum cupidus auditor, non mediocris ſcientiæ ac religionis, in exterioribus tamen Sclauicæ ruſticitatis. Nam & homines terræ illius tales ſunt, vt in maxima vbertate atq; diuitiis, generali quadam duritia omnes inculti videantur, & agreſtes. Vrbes ibi & caſtra ſine muro & turribus, ligno tantùm ac foſſatis muniuntur; Eccleſiæ ac domus nobilium humiles & vili ſchemate. Studia hominum aut venatio aut piſcatio eſt, vel pecorum paſtura. In his etenim omnes diuitiæ illorum conſiſtunt. Siquidem agrorum cultus rarus ibi eſt. Porro in victu vel in habitu veſtium parum lauti habent aut pulchritudinis noſtræ. Noſtri ergò mediocres, in comparatione illorum glorioſi erant. Iuuanus verò Presbyter Archiepiſcopo ipſo maior eſſe videbatur. Cumq; eſſet boni oris, ad omnia compoſite reſpondens, illum valde oblectabat nihilque ſatis ei eſſe potuit, quidquid de Ottone audiebat. Fama etenim ante annos plures hunc notum habuit. Et nunc gloriari atq; lætari abundantius cœpit, quod eius dignos & præclaros nuncios præſentes haberet, cuius tanta, ac tã præclara facta vulgati fama paſſim prædicari prius audiſſet. De Legatione autem eius ad præſens nihil ſe reſpondere poſſe dicebat, niſi antè Princeps Danorum atq; magnâtes per aliquas inducias conſuluiſſet. Iuuanus autem & legati hoc longum ſibi iudicantes, dimitti ſe rogant, ne ſuper eorum mora contriſtaretur Epiſcopus. Annuit ille cum benignitate, ac literas donaria, nauemq; grandiuſculam butyro plenam, ſignum dilectionis & amicitiæ mittens Epiſcopo, dicebat; quanto citius ex conſilio Principum per ſuos legatos de verbo prædicationis ſe reſponſurum; quod vtrum perperam an ſimpliciter dixerit, parum nobis compertum eſt. Nam dum per aliquos dies eius nuncios exſpectaremus, de partibus Alemanniæ, & de domo Babebergenſi plures nuncij venerunt, magnis & neceſſariis cauſis Epiſcopum reuocantes.

Seffridus. Edit. Caniſ. cap. 28.
* Nomine Ruthenorũ intelligendi ſunt hic Rugi, ſeu Rugiani ab inſula Rugia.
ª Rugiani rũpũt fœd⁹ cum Stetinenſibus.
* Rugia:
ᵇ Rugiani monent S. Othonem, ne Rugiam petat
ᶜ S. Othoni hilominus Rugianos adire cogitat.
* Rugianæ:
Antiqui mores Danorum, nã hodierni longe alii.
Archiepiſc. Daniæ colloquio Iuuani Presbyteri mire oblectatur.
Quale reſpõſum legatis dederit.
Qualia munera ad S. Othonem miſerit.

XXXI. RVTHENI autem crebris inſultibus Pomeranos laceſſunt, & Stetinenſium fines armatis nauibus perturbant. Cumque ſemel ac bis repercuſſi à bello ceſſare noluiſſent, Stetinenſes ex conſilio communi arma tractare cœperunt, atque iterum venientibus, coadunatis viribus, occurrere. Sed quid plura? Tanta ᵈ ſtrage Rutheni fuſi ſunt, & tanti ex eis in captiuitatem redacti, vt, qui euadere potuerunt, nullum vltra victoribus bellum intulerint. Stetinenſes igitur hac victoria glorioſi Domino Ieſu Chriſto, & ſeruo eius Ottoni honorem adſcribebant. Ruthenos vltra iam non timentes, ſed ex captiuitatibus etiam ad humiles, & ſatis indignas compoſitiones eos adſtringentes.

Seffridus. Edit. Can. cap. 29
ᵈ Victoria Stetinẽſiũ de Rugianis

XXXII. INTEREA glorioſiſſimus Rex Lotharius cæteriq; Principes diuturnam eius abſentiam ægre ferentes, vtpote, qui conſiliis & piis artibus, præ ceteris, tunc temporis regnũ nobilitare conſueuerat, auctoritate ſua ei, vt celerius redeat, præcipiendo ſimul & petendo mandauit; adeo, vt ipſe Rex, qui arctius eum diligebat, iure iurando affirmaret, ſe res Eccleſiaſticas in ſuum redigere velle dominiũ, niſi quantocius ſponſam ſuã Eccleſiã Babebergenſem diu viduatã paſtor pius deſiderato reditu, conſolando recrearet. Apoſtolus itaq; Pomeranorum his legationibus contraire non valens, antequã reſponſum Archiepiſcopi Danorũ reciperet, ad ſedem ſuam redire cõpulſus eſt. Viſitatis ᵉ ergo circum circa fidelibus, & in fide confirmatis, Chriſto, cui crediderant, eos cõmendans, iter cũ ſuis aggreſſus eſt. Cumq; emẽſo itinere Poloniã veniſſet, Dux ᶠ Bolezlaus, antiquus ſuæ familiaritatis cuſtos, debiti honoris reuerentia eũ excipiẽs in Metropolitana Gnezenſi Eccleſia ſecum detinuit, tantaq; melliſluæ eius doctrinæ intendebat auiditate, vt euolutis octo diebus, vix dilecto Patri licentiam abeundi indulgeret. Tandẽ ᵍ lõga peregrinationis huius angaria, Chriſto fauẽte, peracta, in vigilia S. Thomæ Apoſtoli nouus noſtri tẽporis Apoſtolus, Eccleſiã ſuã deſiderabili aduẽtu lætificans, omni vtriuſq; profeſſionis, & ſexus plebe in vnũ cõcurrente, velut angelus Dei ſuſceptus eſt. O quam inæſtimabili ſpiritualis lætitiæ tripudio fideles Chriſti, quorũ ſpecialis Pater, & nutritor piiſſimus hic erat, poſt tãti tẽporis peregrinationẽ, poſt acquiſitũ ſummo Patri familias nouum gregem, quaſi de morte redditũ Paſtorẽ ſuum exceperunt. O ʰ quã deſiderabile fuit videre & audire tantã exercitus Chriſti multitudinẽ non ſolũ Canonicis, ſed & monachis, nobiliter refertam, vno deuotionis ardore cum lacrymis ſpirituali gaudio plenis in occurſu eius dulciſono pſallẽtẽ: Domine ſuſcipe me, vt cum fratribus meis ſim, cum quibus veniens, viuificaſti me. Et congrue ſatis hæc ſuauiſſima.

Ebbo.
Lotharius Rex minatur Othoni, niſi reuertatur domum.
ᵉ S. Otho reditum in Patriam parat.
ᶠ Amanter excipitur à Duce Poloniæ Boleslao.
ᵍ Venit Bambergam in Vigilia S. Thomæ.
ʰ Gaudium ex aduentu.

Ioannis

Digitized by Google

Ioannis Apoſtoli verba, quem ſingulari affectu patronum ſibi elegerat, ita vt quotidie ſe obitumque ſuum intimis et precibus commendaret, pio Ottoni poſt ſecundum iam Apoſtolatum triumphanti ab omnibus filiis ſuis iubilo cordis & oris concinebant, quia, beatus hic, memor verbi Domini per Prophetam dicentis; Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt inglorij; omne ſtudium, quod alij Pontifices & Principes mundanis lucris & caſtellis, atque Vrbibus ædificandis inſumebant: hic Deo tantum & ſanctis eius honorabiliter, & officioſiſſime exhibebat; ſcilicet Eccleſias Chriſti, cellasq; fidelium, nunc quidem à fundamentis conſtruendo, nunc vero ab aliis conſtructas donis optimis illuſtrando, ne ſuper arenam, quantocius caſura, ſed potius ſupra firmam petram in æternum manſura conderet habitacula.

SICVT priorum, qui vitas, vel etiam miracula ſanctorum Patrum ſcriptis ſuis fidelium commendauerunt memoriæ, diligentiam laudamus: ita in nobis ipſis, qui ea, quæ quotidie per frequentiam ſignorum fieri videmus, per torporem ac deſidiam tranſimus, negligentiam damnamus. Quia igitur vita Sancti ac ſingularis patroni noſtri, pij ac Deo digni Confeſſoris Ottonis in libello, quem dramatico carmine, vel etiam proſa decurrente, Scholaſticus noſter Herbordus luculentiſſime perſudauit, plenius conſcripta cognoſcitur; in quo etiam aliqua miraculorum eius, quæ viuens geſſit continentur inſignia, nos quaſi inertes ac rudes alumni laudabilem Præceptoris noſtri deuotionem, longe quidem impari ſcientia proſequentes, ſigna, quæ poſt mortem ipſius, Deo cooperante, viuere illum loquuntur; tam à nobis perſpecta, quam fidelium relatione collecta, minus inuidiæ, plurimum autem charitati, quæ hunc laborem nobis iniunxit, intendentes, in vnum compilare, ac poſteris commendare aggreſſi ſumus. Cum enim præcipuorum fundatorum noſtrorum, videlicet Henrici Imperatoris, ac ſanctiſſimæ Kunegundis Virginis, eiuſdem regni & meriti conſortis, miracula clariſſimis Eccleſiæ Dei ſcriptis pompoſe ſatis declarata videamus, veremur, ne ipſorum conſcriptoribus pro geminato cenſu intromiſſis, nos quaſi deſides pro non reportato lucro à gaudiis Domini excludamur, ſi eius, quem familiæ ſuæ diuina prædeſtinatione tam fidelem, quam prudentem conſtituit diſpenſatorem meritorum ſigna ſub ſilentio tranſeamus. Lib. IV. I.

Herbordus Scholaſticus ſcripſit vitam S. Othonis.

QVIDAM ex fratribus noſtris religioſus Presbyter Lippoldus nomine, ante quinquennium, dormitionem beatiſſimi huius Patris in viſione tali, Domino reuelante, meruit contemplari. Montem quendam præcelſum, & omni amœnitate iocundum contra Orientem oculos dirigens aſpexit: cuius quidem ſpecioſum cacumen aſcendere non potuit, ſed deorſum ſtans, vidit multitudinem copioſam plebis vtriuſque ſexus & ætatis, ingentia lapidum precioſorum onera ſuper verticem montis magna cum exultatione attrahere, ac ſuauiſſimum quoddam melos, quod intelligere non potuit, dulci modulatione concinere. Tunc accedens, vacillante licet greſſu, quendam ex eis canicie veneranda conſpicuum vocauit; & quæ hæc eſſet multitudo, vel cur lapides illos in cacumen montis attraherent, inquiſiuit. At ille; nos, inquit, ſumus, qui eleemoſynas & beneficia plurima à pio Ottone percepimus, ideoque domum precioſam ei in ſupercilio montis huius ædificamus. Cui Lippoldus: & quando ait, domus hæc conſummabitur? Ille vero, poſt quinquennium, inquit, perfecta domo, cum lætitia & exultatione eum huc introducemus. Sed tu caue, ne cuiquam hæc ante quinquennij tempus expletum manifeſtare præſumas. Et his dictis, ſublata eſt viſio, quam tempore dormitionis beatiſſimi Patris noſtri, ex ore eiuſdem ſenioris Lippoldi audiuimus, qui & ipſe tunc graui & longiturna decumbebat ægritudine, nobisque cum lacrymis hæc referebat: & morbo confectus VII. Idus Auguſti beato fine requieuit in Domino. II.

Viſio Lippoldi Presbyteri.

Obitus Lippoldi.

SED vt ad priora redeam, pius Pater noſter Otto poſt longam reuerſus peregrinationem, more ſuo nos viſitãs, vtpote cum quibus cor vnum & animam habebat, requiſiuit; qui nam ex nobis, eo abſente, viam vniuerſæ carnis ingreſſi eſſent? Hoc enim ſemper de qualibet profectione rediens affectu paterno ſolebat inquirere. Tunc autem ſanctæ recordationis Adalbertus eleemoſynarius, verus Dei ſeruus, & ſibi familiariſſimus, ad Chriſtum, cui mẽte & corpore indefeſſam exhibuit ſeruitutem, migrauerat: cuius tranſitu vir beatus audito, totus in lacrymas [a] reſolutus, ſe infelicem clamitabat, quod tam beatæ animæ ad patriam claritatis æternæ migranti, ſolenne funeris obſequium exhibere non meruiſſet. erat namque idem frater noſter Adalbertus, tanto diuini amoris igne ſuccenſus, vt quotidianis atque vbertimis lacrymarum fontibus gaudia cœleſtis Patriæ anhelaret, corpus etiam vigiliis ac ieiuniis conuenienter attenuaret. Huic ſeruo Dei [b] pauperum cura erat delegata, quam tanta humilitatis deuotione agebat, vt ad exemplum Martyrij monachi, de quo beatus Gregorius refert, propriis humeris leproſos baiularet, & tam eos, quam & alios diuerſis morborum generibus preſſos, quos videre horrori erat, ſuis manibus alacriter balneis & lauacris vnguẽtisq; foueret, cuius feruori pius Otto congratulatus, omnia alendis inopum turbis, opportuna liberalitate ſubminiſtrabat. Nec his contentus, etiam per ſemetipſum, famis tempore, pauperibus ſeruiebat, vt non tam oblatione munerum, quam etiam proprij corporis ſudore gratum Deo eleemoſynæ ſacrificium celebraret. Multitudine autem innumerabili, præ famis magnitudine, ex omni regione confluente, erant quidam inter eos fortiores, qui debilioribus alimenta violenter manibus extorquentes ſurripiebant. Quorum clamorem ac ploratum vir beatus non ſuſtinens, prudenter huic negotio occurrit, ſuisq; imperat, vt primum conuenientibus eis, quoslibet corpore valẽtiores ſegregatos vno omnes in cœnaculo concluderet, donec infirmis ac debilibus victum congruẽtem ſuis manibus miniſtraret: quos ſtatim abire, longiusq; de loco ſecedere iubet, ne ſociis de cœnaculo emiſſis, iterum prædæ fiant: tuncque domum ingreſſus, pauperibus incluſis, largam alimoniæ opem exhibebat, præcipiens ne amplius violentiã hanc fratribus ſuis inferre præſumerent. Hæc apud ſuos agebat; extraneis autem, & trans mare poſitis Chriſti pauperibus, per fideles nuncios apparabat. Nam per clariſſimum fratrem noſtrum Eberhardum, adhuc in ordine Canonicorũ Chriſto militantem, xenia ſua Hieroſolymam tranſmiſit, ſicut & ſpecialiter cum religioſis quibusq; ſepulchrum Domini viſitantibus agere ſolebat: ſed & pecuniæ maximam quantitatem [c] Hirſaugenſibus, aliisq; monaſteriis longius remotis per fratrem noſtrum Swiggerum famis tempore, dirigebat; ideoq; Chriſti bonus odor in omni loco erat. III.

[c] Eiuſdem benignitas in diuerſa monaſteria.

Adalbertus eleemoſynarius.

[a] S. Otho mortem Adalberti lacrymis proſequitur.

[b] Charitas Adalberti in egenos, & leproſos.

S. Greg Homil. 39 in Euang.

Adelbertus Hieroſolymã quoque eleemoſynas mittebat.

IGITVR completo curſu præſentis vitæ, in ſenectute bona, cum iam tempus adeſſet, vt fidelis diſpenſator ſummi Patrisfamilias, in gaudium Domini ſui intraret, pius Otto dolore corporis, id eſt, fluxu ſanguinis vehementiſſimo tactus eſt, vt velut aurum in camino ægritudinis purgatus, introire mereretur aulam quæ nullam recipit maculam; ſed ipſe memor ſcripturę dicentis quem diligit Dominus, corripit; & in alio loco ipſum Dominum loquentem audiens: Ego quos amo arguo & caſtigo; gratias agebat in infirmitatibus ſuis, regemq; gloriæ in decore ſuo videre deſiderans, exitum ſuum Deo ac beato Michaëli, ſanctoq; Ioañi Apoſtolo, quos ſpeciales ſibi patronos elegerat, quotidianis ſuſpiriis attentius commendabat. Tantum vero lumen Eccleſię dum infirmando obſcurari cœpiſſet, Chriſti fidelibus, omni tempore dulciſſimo eius affectu & prouiſione enutritis inæſtimabilem mœroris fletusq; caliginem obduxit. Sed pius Pater filiorum lacrymas, quantum poterat, conſolando tergebat, tantaq; virtute artus morbo fatiſcẽtes ſpiritui ſeruire cogebat, vt excepta dormitionis ſuæ die, non lecto decumberet, ſed quotidie in ſede ſua reſidens, interdum quoque baculo ſuſtentante procedens, pſalmis & orationibus vacaret, quodque rarum eſt, etiam oleo infirmorum non iacendo, ſed ſedendo perungeretur. Adueniente igitur feſtiuitate ſacratiſſima Apoſtolorum Petri & IV.

S. Otho incidit in morbum.

S. Otho extrema vnctione inunctus.

Pauli.

Digitized by Google

Pauli, cernens diem vocationis inſtare, Egilbertum Maioris Eccleſiæ Decanum, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſit, euocat, cui, adſtantibus religioſis Abbatibus & Presbyteris, omnia ſua commendauit, dicens: hodie natalitius dies eſt Domini mei Principis Apoſtolorum Petri; cui, quæſo, res à Deo mihi donatas, offerte, vt ipſe mihi ianuam regni cœleſtis aperire, & cum Collega ſuo magiſtro gentium Paulo, me illuc quantocyus dignetur introducere: locum requietionis meæ, Montem videlicet patroni mei B. Michaelis Archangeli, quaſi viſcera mea fouete, & tam in ſpiritualibus, quam etiam temporalibus profectui eius in conſolationem animæ meæ, omnimodis inuigilate. Scitis.n. quam tenuis & exiguus, omniq; monaſticæ religionis vigore deſtitutus hic locus à me inuentus; & quomodo, cooperante Deo, per miniſterium meum, ad tantum ſpiritualis vitæ cultum profecerit, vt ſpeculum & gemma omnium in hac regione monaſteriorum à cunctis cenſeatur. Præſtet Deus, vt nomen hoc inuiolabile vſque ad finē obtineat, cunctiſque fidem ei, & reuerentiam ſeruantibus, pax & benedictio hic & in æternū à Deo recompenſetur. De cætero dilectionē veſtram cum vniuerſo ouili meo, ſummo paſtori, qui vos mihi aſſignare dignatus eſt, cōmendo; ipſi vos integros mihi recōſignet in requie claritatis æternæ: Et data ſuper eos benedictione, non ſine lacrymis paternum amorem teſtantibus emiſit, ſumptoq; myſterij ſalutaris viatico, peruigil in orationibus excubabat, vt pulſanti & vocāti Domino cum exultatione aperiret. Nocte ergo, qua feſtiuitas S. Pauli Apoſtoli agebatur, in ſupremo ſpiritu conſtitutus, & iam carne præmortuus, corde tamen & flagrantiſſima voluntate diuinis intendebat laudibus, ita vt Clericis matutinale coram eo officium perſonātibus, ille eleuatis manibus, ſurſumque oculis deſideranter erectis, ad ſingulas lectiones, voce, qua poterat, Deo gratias, reſponderet: ſicq; pius Otto feria ſexta, hora diei prima ſpiritum Deo reddens, beatis ſedibus & ſemper chariſſimo tandem perfruitur Chriſto. Et iam fama volans tanti prænuncia luctus non ſolum vicina, ſed & remotiora quæq; monaſteria iugiter ab eo neceſſarijs vitæ adminiculis ſuſtentata, inæſtimabili perculit mœſtitia. Nec immerito. Oſtendit.n. Dominus populo ſuo dura, potauit eum vino cōpunctionis, & inebriauit abſinthio, eum patrē deſiderantiſſimū ſuſtulit, cuius defenſione & eleemoſynarū virtute Pax Eccleſiæ, tanto tempore, nobiliter florebat, ſub quo monaſticæ religionis perfectio noua de die in diem incrementa capiebat. In quo deinceps patrono tam ſolidum erit pauperum Chriſti ſolatium? Qui iure cum Apoſtolo aiebat: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Quis ad eum triſtis venit, & non gaudens abſceſſit? Quis opem eius in tribulatione ſua experijt, & non impetrauit? Merito itaq; tranſitū eius Eccleſia flebat, cuius vita tantopere gaudebat; ſed fides reſurrectionis flere prohibet, gemitum vero affectus extorquet. Etenim tam ſancta eſt de illius gloria exultatio, quam pius de tranſitu luctus. Ignoſcendum eſt flentibus, gratulandum gaudentibus, quia pium eſt gaudere Ottonem: & pium eſt, flere Ottonem, dum vnuſquiſq; & ſibi præſtat, vt doleat; & illi debet vt gaudeat. Venerabile corpus eius à religioſis viris curatum, & aromatibus conditum per ſingula monaſteria eſt deportatum, illicq; vigiliarū excubiis ac Miſſarum ſolenniis honoratum: ad extremū in montem S. Michaelis Archangeli, ſpecialis patroni ſui, defertur; ibiq; in Eccleſia, quam ipſe vetuſtate collapſam in maiorem ſtatum à fundamētis reædificauerat, debito cum honore excipitur. Illic vero, in obſequium funeris, credi non poteſt, quanta hominum multitudo confluxerit. Tota obuiam corpori ciuitas fuit; cuncti ex agris atque vicis, multiq; ex aliis vrbibus & regionibus affuerunt. O quantus luctus omnium, quanta præcipue mœrentium lamenta monachorum & pauperum Chriſti; qui velut pulli ſub alis piiſſimi Patris ſecuri tanto tempore quieuerant, ſeque tam deſiderabili nutritoris ſui præſentia fraudari, ac defenſione nudari cernebant; quodque ſine gemitu referre non poſſumus; cum ſacerdotes religioſi corpus ſacrum, choro S. Michaëlis inferrent humandum, vbi ad limen interius ventum eſt, præcentor antiphonam, *Domine ſuſcipe me*, impoſuit; tantus ſubito ploratus omnium exortus eſt, vt ipſi etiam funeris baiuli nimio fletu concuſſi cum *pheretro* ſubſiderent, ac penè terræ procumberent.

Vocat ad ſe Decanum maioris Eccleſiæ.
Commendat ei montem S. Michaëlis.
Obitus S. Ottonis.
Pſal. 59.
Thren. 3.
2. *Co. int.* 11.
Exequiæ pro S. Ottone.
Concurſus ad exequias

V. Superuenit quoque ſacræ ſemper memoriæ Imbrico Herbipolenſis Epiſcopus, vir clarus & prudens tam eloquij venuſtate, quam ingenio & ſapientia præpollens. Superuenit, inquā, amicus ad amici exequias inuitas, & dolenti & ardentiſſime flenti Eccleſiæ lugendo ipſe ac dolendo luctum auxit & dolorem. Iam enim per totum triduum dormitionis eius dilecti corporis gleba per omnes Eccleſias circumlata, iugi ſacrificio, indefeſſiſque orationibus, & multis eleemoſynarum largitionibus beata eius anima Deo dicata & commendata fuerat ab omnibus. Quarta igitur die, vbi ad locum ventum eſt tumuli, Epiſcopus commendationem celebrauit, atque inter Miſſarum ſolennia, quę pro dilecti Patris & amici anima multa intētione deuotus agebat, ad mœrentem & lugentem cōuerſus multitudinem, breuem quidem, ſed gratia ac dulcedinis plenum intulit ſermonem, ita dicens: Et quid fiet? quid erit conſilij? Mortua eſt Martha; ecce vbi iacet. Quis, rogo, veniētem Dominū Ieſum in hoc caſtello amodo ſuſcipiet? Equidē defuncta eſt Martha, quæ illum ſuſcipere conſueuit, defuncta eſt hoſpita Domini Ieſu Chriſti, quæ venienti hoſpitiū præbuit, ſedem poſuit, menſam aptauit, neceſſaria omnia benigne ac liberaliter miniſtrauit. Defuncta eſt, inq̄. non ſolum miniſtra & hoſpita Chriſti, ſed miniſter & hoſpes, ſed ſuſceptor omnium Chriſtianorum. Et quis ſtabit in loco ſancto eius? quis nobis vicē miniſterij huius implebit? quis, rogo, aget pro eo, quæ iſte agere conſueuit? Omnibus gradibus, omnibus ordinibus, omnibus perſonis Eccleſiæ, vita eius vtilis fuit. Ecce defunctus eſt vt vere dicā ſeruꝰ ſeruorū Dei. Quid facietis monachi? quid facietis Clerici? Quid facietis pauperes & mendici? Quis vobis reſtituet matrem veſtrā? Vbi amodo illa materna vbera, vbi maternos affectus quæretis? ſed quærere vbiq; poteſtis; vobis denuncio, nuſq̄ inuenietis. Sui temporis ſæcula cōfidenter dico, hunc ſolū, hunc vnū tantæ miſericordiæ virū habuerunt. Vt.n. de alijs virtutibus eius taceam, quæ plurimæ fuerunt, & claræ; in miſericordia & miſericordiæ operibus tantus erat, vt nullū penitus ex omnibus mihi notis ei auſim adæquare. Sed quid? Doleo vicē miſerorum, doleo vicē eorum, qui in ſuis miſeriis ad hunc miſericordē fugere conſueuerant. Doleo, vt verū fatear, vicē meimetipſius: vt.n. ita dicam, me miſeret mei, meritoq; mœrore conturbor. Multum enim præſidij, multū conſolationis in hoc amico perdidi. Hic.n. in ciuitate ipſa cōmodus, ſocietate & amicitia opportunus, magnū mihi præſidiū fuit. Cum hoc fiducialiter oēs curas meas, omnia negotia mea, ſeu cōſilia penitiora cōmunicare ſolebā. Hic mihi, vt breuiter dixerim, in omnibus opportunitatibus meis maximꝰ ſubleuator fuit. ſed de me quid dico? Nam mei nominis Ordo vniuerſus, videl. Ordo Pontificalis, hoc adempto, cōpar merito lugebit. Hic nobis gēma, hic decus, hic ſplendor fuit. Conuētus noſtros in Conciliis ſiue Curiis virtutū ſuarum radiis colluſtrauit. In hoc, vt ita dicam, quaſi viuenti libro, quomodo nobis viuendum; vel, quid agendum eſſet conſpicere potuimus. Sancta enim exempla, ſanctæ actiones magis erudiūt, quam verba. Sed doctrina hæc, ô dolor, modo rara eſt in terris. Omnes enim penè, quotquot ſumus, eloquio magis, quam opere proximos ædificare ſtudemus, ſed iſte, docuit verbo, docuit exemplo: dixit & fecit. Talem ergo lucernam de medio noſtri ablatam, æqua mente ferre poterimus? Sed vado ad altiores. Huius enim interitum & tu, ô Romane Pontifex ſanctæ matris Eccleſiæ ſenties: & tu regnator Orbis rex Alemaniæ Imperator Romanorum Auguſte; caſum quoque huius experieris. Ambo permaximi, magna clade mulctari eſtis. Magnus enim Ahod ille ambidexter vobis occubuit; occubuit ille, qui vtraque manu pro dextera vtebatur Iſraeliticæ gētis doctor egregius: Occubuit, inq̄ ille, qui potens erat & induſtrius, & prona voluntate reddere Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ Dei. Non tibi, ô Imperialis majeſtas, nō tibi cito cōſurget alia columna, cui tā fiducialiter inniti queas. Hic te quidē nō ſolū diuitiis, & prudētia ſæculari, ſed ꝙ maius eſt, meritis ac ſanctitate ſuffulſit, ſanctitate, inq̄, & virtutū meritis, Imperatorē pariter & Imperiū ſubleuauit. Iuſtitia.n. & ſanctitas in dextra eiꝰ. Nō parua res acta eſt: nō parua hęc mutatio in Eccleſia Dei: nō ergo leuiter ferēda eſt talis viri oblatio. Vbi amodo tale ingeniū, talē prudētiā, talē inueniemꝰ bonitatē?

Corpus S. Ottonis per omnes Eccleſias circumlatum.
Sermo funebris B. Imbriconis Epiſcopi Herbipolenſ.
Extat in edit. Caniſ. lib. 3. ca. 47.
Virtutes S. Ottonis.
Matth 22.

Sed

Digitized by Google

Sed redeamus ad monachos, redeamus ad populum ſpiritualem; detrimenta illorum, lamenta nobis facient. Quid fiet de illis? Quid fiet de monachis & pauperibus, qui ad has manus ſpectare cõſueuerant? Lugetis video, & fletis Ottonem veſtrum & certè non immeritò. Vobis enim ille occubuit, vobis ablatus eſt. Vos enim, ô monachi, ſpecialiter populus paſcuæ eius, & oues manus eius. Hic profectò erat, qui de abundantia diuitum huius mundi veſtram inopiam ſupplere ſolicitus fuit. Hic magno auctoritatis exẽplo gloriari ſolebat dicens: ſpoliauit Ægyptios, ditauit Hebræos. Nam re verâ ſanctè & religiosè multa à ſecularibus extorſit: ſancta & religioſa fraude, vt ita dicam; diuites circumueniebat, vt eleemoſynas facerent quandoq; non cogitatas; argumẽtoſus enim erat in lucris diuinis. Nam & manus Domini cũ eo erat.

Luc. 1.

O quàm multos diuites cum omnibus diuitijs ſuis ad ſpiritualem vitam traiecit? Quidquid perſonarum, qdq d rerum vel opum ſæculo auferre potuit, Deo coaptauit, pietatis ac miſericordiæ obtẽtu. Sed, quid multis? Miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Miſericordia Dei ante oculos eius ſemper fuit. Orate ergò dilectiſſimi fratres, orate attentius, vt & ipſe hodie miſericordiam conſequatur. Orate, vt illa beatiſſima anima, quam credidit, quam ſperauit, quam dilexit, reipſa Dei miſericordiam hodie percipiat. Equidẽ non ſurdis auribus illud Euangeliũ accepit: beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et; eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Nullus autem miſericors eſſe poteſt qui humilis non fuerit. Omnis ergò miſericors, etiam humilis eſt. Vnde, bene inferre poſſumus, quod veram & coram Deo probatam humilitatem habuit ſpiritus eius, qui tantæ miſericordiæ fuit. Interuentu ergò Dei genitricis Mariæ, cui ſemper deuotus extitit; interuentu B. Michaëlis Archangeli, cuius Eccleſiæ reparator & ſublimator hodie conſpicitur, quem patronum & ſeruatorem, & corpori & animæ ſuæ delegit; interuentu omnium beatorũ ſpirituum ſpiritus eius diuinam miſericordiam cõſequatur: ipſorum, inquam, atq; omnium Sanctorum ſuorum, ſi vſpiam, ſicut eſt humanæ fragilitatis, tãta eius opera, tantæ ipſius miſerationes & benefacta, humana laude, vel humanæ laudis intentione titillata ſunt, vel maculata; (*Nihil enim ſatis purum coram ſummo Iudice:*) Rogate, quæſo, rogate attẽtius; oremus omnes pariter, vt hoc abolere, hoc tollere dignetur ipſe, qui tollit peccata mundi Agnus Dei, Dominus noſter Ieſus Christus: qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit in ſæcula ſæculorum.

Matth. 5.
Luc. 6.

Quis motus concionem Imbriconis cõſecutus fuerit.

* Anno ætatis ſuæ 70. Epiſcopatus 37. vt ait Hoffmannus in Annal. Bamberg.

QVANTA verò vociferatione, quanto mugitu, quantis affectibus & lacrymis omnes Amen reſponderũt, dici non poteſt. Sic ergò finita Miſſa in loco, vbi cernitur, in Eccleſia B. Michaëlis, Comitibus, Marchionibus, ſeu alijs quibuslibet nobilibus pheretrum eius certatim geſtantibus, Sarcophagũ leuantibus, ſeu alia, quæ ibi neceſſaria erant, more operariorum, ſuis manibus deuotiſſimè peragentibus, corpus eius tumulatum eſt anno Dominicæ incarnationis Milleſimo, centeſimo, triceſimo nono, tertio Cal. Iulij feliciter. * Et ne quid de exuuijs vigilantiſſimi Paſtoris deuoto gregi deeſſet, etiam inteſtina eius, dum aromatibus condirentur, exciſa, & in vrnam miſſa, in medio Capellæ Dei genitricis Mariæ, terræ mandata, & rotundo lapide ſignata ſunt: vt, dum fratres ad celebranda diuinæ ſeruitutis munia illuc noctedieq; accurrunt, dilecti Patris memoriam præ oculis habeant, & beatiſſimam eius animam aſſiduis precibus in alta cœlorum ſuſtollant. Imbrico autẽ beatæ memoriæ Antiſtes poſt depoſitionẽ pij Ottonis, miro affectu Montẽ S. Michaëlis excolere non deſijt: qui etiam cum ſuſpirijs intimæ compunctionis atteſtari ſolebat, nunq̃ ſe tantam exequiarum gloriam vidiſſe, beatumq; populum Babebergenſem prædicabat, qui reuera euidentibus rerum indicijs in tranſitu paſtoris ſui approbaſſent, quam flagrantiſſimo amore viuenti iugiter inhæſiſſent.

EO tempore puer quidam decennis, nomine Otto, in loco Babebergenſi, dudum à parentibus ſtudijs liberali VI.
bus traditus, graui ægritudine preſſus decumbebat: iamq; per triduum morienti ſimillimus: abſq; motu & voce tenẽ-
ſerat: Sed & religioſi fratres noſtri Burkardus, Godeſcalcus, & Albero à matre eius euocati deſcenderant, vt debitum funeris officium puero migranti peragerent. Mater autem, Oſterhildis nomine, quæ iam vnici filij cruciatum videre non poterat, fide ardentiſſima Montem S. Michaëlis adſcendens Sepulchrum pij Ottonis adijt; ibiq; lacrymis vbertim profuſis huiuſmodi precem emiſit: O ſerue Dei viui, ô Pater piiſſime pauperum Christi, ſuccurre infelicitati meæ, quæ iam per triduum vnico orbata ſum filio; & ſi vnquã viſcera compaſſionis habuiſti, nunc quoq; miſerere calamitati meæ, tuo quoq; interuentu obtine, vt puer, aut vitæ quantocyus reſtituatur, aut celeri fine, ſi ita neceſſe eſt, ſubtrahatur: ne tam diutino cruciatu dolorem nõ ferendum viſceribus meis ingerat; vt per hoc accepta Deo pietatis tuæ opera cognoſcam. Nec mora, vbi domum rediit, filium, quem in ſupremo ſpiritu reliquerat, ſanum & loquentem, cunctosq; præ gaudio flentes inuenit. Et cadens in faciem ex omnibus cordis medullis gratias agebat dicens: Nunc cognoſco, ſerue Dei fideliſſime qualem inueneris gratiam in cõſpectu eius; quem ſemper miſericordiæ operibus honorare ſolebas: quia vnicum filium ab ipſis faucibus mortis erutum pia interceſſione mihi reddidiſti ſanum. Quod factum memorabile, dum bono paſtori Egilberto; ſucceſſori Patris noſtri, relatum fuiſſet, nõ modico exhilaratus eſt gaudio; poſitisq; genibus, Deo gratias agens, felicem S. Michaëlis montem pronunciauit, qui tam precioſum in ſinu ſuo meruit collocare theſaurum. Mater verò pueri tirocinio Christi eum delegauit, & pro amore pij Ottonis, nõ alijs, quam fratribus ad memoriam eius diu noctuq; excubantibus illum ſociari paſſa eſt: qui etiam in ſchola Christi educatus, ſtrenuæ nobilitatis adoleſcẽs probitate morum, Deo & hominibus acceptabilis factus eſt.

Precatio matris ad S. Ottonem pro ſalute filij.
Exauditur oratio matris.
Egilbertus ſucceſſor S. Ottonis.

Oetting im Rieß.
Miraculum in Euchariſtia Auguſtæ Vindelicorum.

QVIDAM mutus de Ottinga, Rhætienſi vico, Henricus: (Nam id nomen in baptiſmo ſibi fuiſſe impoſitum, ſcri- VII.
pto monſtrabat) dum loca diuerſa & Memorias ſanctorum peragraret, Auguſtam, vbi nouum ſignum Dominus in re ſui Sacramenti mundo declarauit, inter globos concurrentium venit, vbi, vt ad ciuitatem Babebergenſium pergere deberet, ad ſepulchrum S. Ottonis, per viſionem, admonitus eſt. Die igitur tertio, hora diei nona, cum multis alijs, qui non illum iuiſſe, ſed quaſi peruolaſſe tanti itineris dimenſionem conteſtabantur, aduenit. Cùm verò dextro brachio ipſius confeſſoris Christi, os eius tactum eſt, ſubito ſudore faciem totus perfuſus, in tantum, vt etiam capillos defluere videres: primam vocem, balbutientis more, formare, & Domini ac Sancti nomen Confeſſoris, extenſis ad cœlum manibus, inuocare cœpit. Deinde aqua refocillatus (nam & laſſitudine & multitudine compreſſus erat) cunctis adſtantibus, ſolutionis ſuæ cauſam clare expoſuit, quibuſdam etiam fratribus, à quibus aliquando apud nos integumenta acceperat, quos illic adſtantes videbat, gratias egit. Quis ſe à diuinis laudibus, quis à lacrymis contineret? Facta ergo votiua ſignorum compulſatione, fit communis diuerſi ſexus innumerabilis concurſus, vna vox omnium, laudabilem virum concinentium, cuius meritis ab omni clade liberantur, qui ex toto corde quærunt illum.

DE regali pago, qui Vlma nuncupatur, cæcus quidam inter manus ſuorum, ſanitatis gratia, ad memoriam pij VIII.
Confeſſoris adductus eſt; vbi, dum non ſemel neque bis ſed ſæpenumero pro ſui illuminatione precibus inſtaret, de die in diem, caligine oculorum recedente, lumen, quod à Domino poſtulabat, fidelis adſtipulatione ſuffragatoris, quod longa ſibi ætas ſubtraxerat, recepit: & qui alieno ductu aduenerat, proprio inuiſus greſſu, aliorum ſeductorem, ad eum, qui fecit miſericordiam in illum, conſtanter fore promittebat.

Cæcus Vlmenſis viſum recipit.

*Parentes & amici.

PVER quidam de villa Olocniza Wezzelinus, lethali morbo inualeſcente, omni membrorum officio deſti- IX.
tutus fuit, ita vt & viſu, & vſu linguæ quoque priuaretur. Quem Pater ipſius Lipoldus & mater, *parentibus & amicis, quos idem tenebat affectas, diuino inuocato nomine, beato Ottoni, ſi per eius ſancta merita ſibi incolumis redderetur, offerendum cum oblationibus deuotauerunt. Mirum dictu, ad obligationem voti, nulla cœleſtis medicinæ mora fuit. Nam paruus incipiens riſu cognoſcere matrem, patrem aſpiciens, quod vouiſtis, ait, pro me, reddite, & me ad ſepulcrum S. Ottonis, qui mihi ſalutem obtinuit, citius perducite. Qui tam ſubitæ ſanitati congaudentes, abſque omni

retta-

Digitized by Google

tetractatione puerum in humeris leuantes, & vt deuouerant, ad memoriam ſancti Patris illæſum offerentes, omnibus, quanta ſibi Dominus per ſuum ſanctum Confeſſorem feciſſet, fideliter expoſuerunt.

X. Vnvm in duobus miraculum per omnipotentis Dei famulum laudabile factum in puella duodenni, quæ priorem matrem comitata ad nos vſque peruenit; & in puero, vt computabatur ſeptenni, qui paternis humeris allatus, ſequens, è diuerſo venit, operæ precium * inſerendum videtur, ſed non ſine ſcrupulo, dum quoſdam ſanctis per quos Deus noſtris temporibus, quæ & in antiquis quoque operatur, detrahere confundimur, quaſi & ipſi infirmiores fuerint in hac parte. Vna enim voce ſub terribili maieſtatis diuinæ conteſtatione, & ſanctorum inuocatione mater ſibi filiam, Pater vnicum, mortis dolore ſubtractum fuiſſe; illa, tactis reliquiis beati Ottonis; ille verò pro puero cenſum in quinque denariis offerens, ſuper ſepulchrum, nulla ſpe, vt à quibuſdam imponitur, oberrationis, mortuos ſuos de reſurrectione, ſe, fideli ſuorum teſtimonio confirmabant accepiſſe. Nos autem non detogationi, ſed diuinæ operationi locum dantes, diuino iudicio iſtud relinquimus. Siue enim ſemiuiuis vitam reparare, ſiue defunctis animas reddere, diuinæ Virtutis eſt. * *Inſerere.*

XI. Casv accidit, vt quidam conciuem ſuum ferro in guttute ſauciaret, ac, defluente ſanguine, per totam noctem & diem ſeminiuum relinqueret: cumque cibum, vel potum ſibi infuſum per ipſum meatum vulneris eiiceret, & iam deſperaretur, mater dolore filij intrinſecus tacta: Hunc tibi miſeratori omnium benigniſſimo, beate, ait, Otto, oblaturum deuoueo, ſi eum ſanum & incolumem per tua ſancta merita recipere meruero; mox mirum in modum ſanguinis ille riuus ſtetit; vulnus conſtrictum, cicatrice obductum eſt; puer conualuit; viam ad ſancti ſepulchrum eum matre aggreſſus eſt. Vbi vero ſilua, quæ terminum Thuringiæ facit, emenſa eſt, ille laboris & doloris (nam exſanguis erat) magnitudine, terræ affuſus deficere cœpit. Tunc mater, amicis illum ad propria reuocare ſuadentibus, mœrore confecta; hinc non regrediar: Sed quo propoſui etiam exanime corpus, ait, proſequar. Ad hanc vocem, velut inuiſibili quadam ſubleuaretur dextera, homo ſurrexit, & iter, quod cœperat, non ſine admiratione multorum, incunctanter perfecit, venienſque coram ſepulchro viri Dei, omnibus curationis illius teſtis ſui ipſa cicatrix fuit.

XII. Apvd Thuringiæ caſtrum tam antiquitate, quam munitione famoſiſſimum: cui Erphurda nomen eſt: quidam ex equeſtri ordine paterfamilias tanto coxarum dolore torquebatur, vt vim interni doloris magnitudine vix explicare poſſet continui laboris: cumque remotioris ſecreta cubiculi, quietis gratia, expeteret, vocem cuiuſdam audiuit, quæ eum cum voto ad tumbam viri Dei venire admonuit. Ille, vbi vouit, cœleſtis votum medicina ſecuta eſt. nam omnis, quo vexabatur, dolor receſſit: & eos, quos prius cruciatibus ſuis triſtes reliquerat, verſa vice, de recepta ſoſpitate ſecum gaudere, & ipſe gaudebat. Mox itinere arrepto, ad ſepulchrum ſui curatoris peruenit: vbi multos curationis ſuæ teſtes, qui iam illum, fama volante, præuenerant, inuenit.

Pver quidam de vicina parochia Etzelkirchen ita longa ægritudinis moleſtia contractus erat, vt genibus, neruorum contractione, pectuſculo concretis, neq; à lecto ſurgere, neque ad aliquod opus naturæ ſine alterius auxilio ſe poſſet erigere. Hic ad memoriam beati Viri à parentibus circa feſtum Sancti Michaëlis delatus, inter Miſſarum ſolennia, multis, ex more, feſtiuitatis gratia, confluentibus, vbi tumbam tetigit, cum ſubito fragore membrorum, omni compage artuum, qua ligabatur ſolutus eſt: ita inceſſum, & aliorum officia membrorum ex integro recipiens, in Abbatis obſequio, in monumentum ſuæ curationis in popinarum ad vſque deſeruit officio.

Neqve hoc prætereundum puto, quod in eadem ciuitate celebre factum multorum memoria habetur. Paupercula quædam, dum media hyeme, circa noctem, hoſpitium paſſim quæreret, & nullus petenti pateret introitus: iuxta Eccleſiam ſancti Martini, ſub pheretro, cum infante maſculo ſe proiecit: vbi vi algoris exſtincta eſt. Diuina autem prouidentia, ciuis quidam, cuius vxor eadem nocte defuncta eſt, dum ad exequias pararet pheretrum, leuauit, mortuam repetit, ſed infantem ad vbera materna miſerabiliter pendentem ſemiuiuum inuenit. Ille, humanum caſum miſeratus, cadauer loculo imponens cum vxore ſua ſepeliuit, & paruulum ipſum, quaſi adoptiuum pro remedio defunctæ coniugis educauit: Piæ autem voluntati diuinæ pietas cooperata eſt. Nam idem puer ætate accreſcens, maturitate ſenſus pueriles annos exceſſit: vt quamuis claudus, & penè omni membrorum ordine diſtortus, ita prouidus eſſet & circumſpectus, vt Dominus domus vbicunque negotia acturus exiſſet, de prouidentia ipſius ac fide, maneret indubius. Dominica igitur Paſſionis, dum omnes, vt obſeruantia dierum illorum expoſcit, ad Miſſarum ſolennia effluxiſſent: focaria, quæ præparandis cibis ſola domi remanſerat, inſultare ſeruulo cœpit. Quid, inquit, miſelle, acturus eris, ſi dominus tuus exceſſerit, de te, quid putas, erit? Ille ex alto ſuſpiria trahens, neſcio, ait: ſed Deus ſancti Ottonis adiuuet me. Mirum dictu: adhuc nomen Ottonis erat in ore, cum ſubito, toto corpore proſtratus, quaſi manu quadam inuiſibili * perlibutus, naturalem formam quam ortus negauerat, accepit, ſeipſum miratus, greſſum attentauit, brachia & manus extendit, & cum in nullo ſe impeditum ſentiret, ad Eccleſiam beati Martini peruolat, Domino ſuo ſe oſtentat: omnes clamorem cum laudibus pro miraculo in ſe facto ad cœlum leuare excitat. Sequenti die, exhortatione ac præcepto ſacerdotum, ab vtroque ſexu diuerſæ ætatis Cruces leuantur, Mons ſancti Michaëlis, Mons ille Deo placitus aſcenditur, vbi, præcedente ipſo curato, ſumma cum gratulatione laus & gloria Deo reſultat. * *Delibutus.*

Res, quam dicturus ſum, apud nobiliſſimum caſtrum Duringiæ glorioſè celebrata, fama vbique percurrente, penè vt facta, ad nos delata fuit. Materfamilias eiuſdem caſtri tam virtute, quam nobilitate famoſiſſima filium ſororis ſuæ, qui matri ita vt vnicus, ita & amantiſſimus erat, vnicè nutriebat: quam tota familia vti ſolam ſpem poſteritatis & hæredem omnium affectuoſiſſimè diligebat. Clypeus auratis laminis & clauis affixus parieti fuit. Paruulus autem iuxta morem ſuæ ætatis, vni clauorum, qui ſibi fulgentior videbatur, totis alludendo manibus, euellere attentauit: quem, vbi à ſeruulo, à quo in vlnis portabatur, flendo, vt pueri omnia extorquere ſolent, accipit, diu in eo ludens, ori immiſit. Qui ita fortiter gutturi eius infixus eſt, vt nulla arte vel ingenio extrahi poſſet. Infantem palleſcere, oculos miſerabiliter torquere, manibus & pedibus palpitare, dolor videre fuit. Concurrit familia: domus tota in fletum ducitur, clamor luctuoſus attollitur, paruulus iam deſperatus ſuper limen Eccleſiæ ſolus componitur. Inter hos luctus Marchio, qui tunc forte aderat, anhelus accurrens, omnes ad inuocationem ſanctiſſimi Ottonis fideliter exhortari cœpit, Incredibilia forte, ſed Deo non impoſſibilia dicturus ſum. Ad nomen beati viri clauus ille cum multo ſanguine de hiante ore pueri prolapſus eſt: & omnium vna vox ante triſtis, nunc in gaudium mutata, & lætitiam, Saluatoris laudabat clementiam. Hoc ab ipſa matrona, dum ad nos eum multa turba veniſſet, ita factum eſſe, cognouimus. In huius comitatu ille puer cum patre aduenit, in quo triduani fluxus ſanguinis per inuocationem S. Ottonis, vt præfatum eſt, conſtrictus fuit.

In monaſterio virorum Dei Lanckhemenſi contractus quidam de menſa Abbatis ſtipendia accipiebat. Iſte fama beati Ottonis vbique peruolante, ad ciuitatem Babebergenſem reptando non ſine graui labore, magno tamen deſiderio & ſpe ſanitatis peruenit: Vbi ab honeſtioribus Eccleſiæ illius Canonicis collectus, aliquandiu demoratus eſt. Quadam autem die, cum alijs multis, quos eadem opinio ſanctitatis & gratia ſanitatum è diuerſo cõtraxerat, Mon-

tem beati Archangeli aſcendens, ad ſepulchrum viri Dei ſuffragia ipſius, vocibus, quibus poterat, cum lacrymis prolixius poſtulabat. Vbi vero ad Miſſarum ſolennia ventum eſt, dextera ſancti viri contracta ſibi membra perliniri fiducialiter expetijt: qua tactus, mutatione dexteræ excelſi: ſolo proſtratus, terribili fragore, vinculis neruorum ſolutis, cum magno ſtupore & admiratione omnium erectus ſuper pedes ſuos ſtetit erectus.

SVNT & alia multa beati Præſulis geſta, quæ ſcripto comprehendi non poſſunt: ſed ab illo comprehenſa & dinumerata ſunt, qui & hic bonorum eius operum aſpirator, & illic fidelis dignoſcitur remunerator: qui etiam non ſine cauſa glorioſiſſimum eius tranſitum in feſtiuitate S. Pauli Apoſtoli diſpoſuit, ſed, vt cunctorum ſapientum iudicio definitum eſt: quia beatus ille ſenectutem ſuam in Apoſtulatu remotiſſimarum gentium pro amore Dei fatigare non dubitauit, etiam laboris ſui præmium in eius ſolenni natalitio, qui proprie Magiſter & Prædicator eſt gentium, percipere meruit. Dignum enim erat, vt, ſicut Doctorem gentium ſpecialius præ cæteris imitari ſtuduit, ita etiam vnum & parem cum eo habeat natalem. Gaudeat ergo Babebergenſis Eccleſia tanti paſtoris auctoritate illuſtrata: lætentur monachorum catervæ ſingularis huius patroni vigilantia, ad tantum religionis culmen prouectæ. Exultet præcipue mons Archangeli Michaëlis tam precioſi corporis ſepultura dedicatus, & ex membris eius, tanquam margaritis ornatus. Iubilet etiam in lætitia cantans canticum nouum Apoſtolo ſuo omnis Pomerania: quia, ipſius gratiæ adſcribitur, quod illorum Eccleſia noua ſemper ſobole fœcundatur. Impletum eſt in eo, quod electis Veritas repromittit dicens: Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis: & quod propter hoc, in terra ſua duplicia poſſidebunt: lætitia ſempiterna erit eis. Terra enim electorum eſt proprie terra viuentium: vbi beatus ille duplicia poſſidebit. quia non ſolum pro commiſſo ſibi talento in Babebergenſi Eccleſia duplicato, ſed etiam pro alia, quam de gentibus Chriſto acquiſiuit ſponſa, repoſita eſt ei corona iuſtitiæ. Nam cum Petrus Iudæam, Paulus Græciam, Andreas Achaiam, Ioannes Aſiam, Thomas Indiam, Gregorius Angliam, cæterique Dominici gregis arietes ſinguli ſuos æterno iudici reportabūt manipulos, Otto etiam inter eos Pomeraniam gaudens adducet, & cum Præpoſito Paradiſi Michaële, cui viuens ſpecialius ſeruire non deſiit, & corpore etiam moriens adhærere maluit, in tabernaculo Dei iugiter habitabit. Sciens enim, quia paradiſum intrare non poterit, qui Præpoſitum eius Michaëlem placatum non habuerit, tanta ſe ei deuotione, & corpore & animo per omnia ſtuduit applicare, vt literis etiam ad Apoſtolicum Innocentium miſſis, locum ſepulturæ ſuæ in Baſilica S. Michaelis auctoritate eius firmaret: ne ſcilicet Canonici Maioris Eccleſiæ tam precioſum huic Monti violenter abriperent theſaurum. Ecce quod concupiuit, iam videt: quod ſperauit, tenet: illi eſt iunctus in cœlis, quem tota mente dilexit in terris: cum quo aſſidua interceſſione alumnis ſuis patrocinari dignetur, vt eum ſubſequi ad patriā claritatis æternæ valeamus, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

CONCLVSIO.

Apoſtrophe ad Eccleſiam Bambergenſem. Eſa. 61.

BVLLA CANONIZATIONIS S. OTHONIS.

Hanc Bullam inuenies quoque apud Bar. Tom. 12. Anno 1189.

CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus E. Merſeburgenſi, & O. Eiſtetenſi Epiſcopis, & dilectis filijs S. Emmerammi Ratiſponenſi & Schauartzenſi Abbatibus, Decano & Scholaſtico Wirtziburgenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

AD audientiam Apoſtolatus noſtri ex quarundam ſerie literarum & relatione multorum peruenit, quod diuina potentia per merita & interuentum Beati Ottonis, qui Babebergenſis fuit Epiſcopus, multam eſt operata ſalutē, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apoſtolica ſede tranſmiſſus; & in ea compluribus miraculis donauit illi Dominus corruſcare. Quoniam igitur iuxta diuinæ ſcripturæ teſtimonium lucerna non ſub modio, ſed ſupra candelabrum eſt ponenda; diſtrictioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de vita ipſius & miraculis diligentius inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata. Etſi non inueneritis aliquid, quod obſiſtat, ipſum canonizatum, auctoritate freti Apoſtolica, ſolenniter & publice nuncietis; anniuerſarium diem ſui tranſitus facientes, & publice nunciantes, ad honorem Dei, & ipſius beati viri memoriam ſolennem haberi. Datum Laterani III. Kal. Maij, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Matth. 5.

Altera Bulla eiuſdem argumenti.

CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Ottoni Epiſcopo, & dilectis filijs Canonicis & vniuerſo Clero & populo Babenbergenſi Montis S. Michaelis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CVM ſedi Apoſtolicæ referuntur ea, quæ ad ſalutem pertinent animarum, & deuotionem Cleri & populi, manifeſtis indicijs reſpicere comprobantur, ea, ſicut conuenit, libenter audiuimus, & vt debeant in Domino promoueri, fauorem, vt expedit, impertimur Apoſtolicum & aſſenſum. Hinc eſt, quod cum ad audientiam Apoſtolatus noſtri quarundam ſerie literarum, & multorum relatione peruenerit, quod diuina potentia per miracula & interuentum B. Ottonis, qui Babebergenſis fuit Epiſcopus, ſit multorum operata ſalutem, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apoſtolica ſede tranſmiſſus: in qua donauit illi Dominus Deus compluribus miraculis corruſcare. His grataniter auditis, & pro tantis beneficijs omnipotenti Domino gratiarum actionibus exſolutis, veſtris piis deſideriis ad laudem Dei ſatisfacere cupientes, Venerabilibus fratribus noſtris Merſeburgenſi & Eiſtettenſi Epiſcopis, & dilectis filiis S. Emmerami Ratiſponenſi & Schwartzenſi Abbatibus, Decano & Scholaſtico Wirtzeburgenſi dedimus in mandatis, quatenus de vita ipſius & miraculis diligenter inquirerēt, quæ nobis fuerunt per multorum literas indicata. Et ſi non fuerit inuentum aliquid, quod obſiſtat, ipſum canonizatum prædictæ magnæ perſonæ debeant ſolenniter & publice auctoritate freti Apoſtolica nunciare, anniuerſarium diem ſui tranſitus facientes, & publicè nunciantes ad honorem Dei & ipſius Beati viri memoriam ſolennem haberi. Datum Laterani Kalendas Maij, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Tranſlatio S. Ottonis.

ANNO igitur Domini M. C. LXXXIX. II. Kalend. Octob. in die Sancti Hieronymi tranſlatus eſt Sanctus Otto Deo dignus Epiſcopus Babenbergenſis & Pomeranorum Apoſtolus, præſidente adhuc in ſede Babebergenſi Ottone Largo XI.

MARTY-

MARTYRIVM FELICIS PRESBYTERI, IRENÆI DIACONI, MVSTIOLÆ NOBILISSIMÆ MATRONÆ ET ALIORVM: VT HABETVR IN EGREGIIS MS. LIBRIS: SED in gratiam Lectoris F. Laur. Surius mutauit ſtylum.

An. 250.

I. TEMPORIBVS Aureliani Imperatoris ſæua extitit perſecutio Chriſtianorum: cumque ei nunciatum eſſet, in ciuitate Tuſciæ, quæ poſt ethniciſmum illuſtris, fuit, Chriſtiana religione initiatos florere, adeo incenſus eſt, vt Turgium vicarium, præfectoria ornatum dignitate, eo mitteret ad Chriſtianos diſcutiendos. Veniens igitur Turgius ad Faliſcos, iuſſit accurate inquiri, num quis poſſet reperiri Chriſtianus, tepertumq; ſine dilatione corā ſe ſiſti, capitalem ſententiam excepturum. Itaque facta inquiſitione, repertus eſt Felix Chriſtianus. Is vt audiuit veniſſe eo manum perſecutorum, conuocauit Chriſtianos ad ſe, eoſque omnes confirmans, ait: Patres, fratres & filij mei, non vos perturbet iſta caligo, quæ ſane exigua eſt: porro ſempiternæ illæ inferorum tenebræ cauendæ ſunt. State ergo viriliter & pugnate: quia melior eſt dies vna in atrijs Domini ſuper millia. Erat tum aulicus quidam, qui Beati Felicis nomen detulit ad Turgium, dicens, in agro Faliſcorum eſſe presbyterum quendam bene diuitem, qui populum doceat, relictis templis Deorum, accedere ad Chriſtum, & baptizari. Id vt audiuit Turgius, miſit milites: qui comprehenſum Felicem, illo iubente, in publicam cuſtodiam coniecerunt.

3. Iulij. Felix confirmat Chriſtianos aduerſum perſecutionē. Pſal. 83.

II. ALTERA die præcepit ſibi in Faliſcorum ciuitate tribunal parari, beatumque Felicem adduci. Eum autem ſic interrogauit: Quod tibi nomen eſt? Ille reſpondit: Felix vocor. Dicit ei Turgius: Quem militiæ vel honoris locum obtines? Reſpondit Felix: Tametſi peccator ſum, at Chriſti tamen presbyter ſum. Turgius dixit: Cur diuerſis in locis cogis conuenticula, doceſque populum contēnere deos, nec immolare illis, vt habet antiqua conſuetudo, & Principes imperant? Felix reſpondit: Quæ verò eſt vita noſtra, niſi vt prædicemus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & abſtrahamus populum à ſpurcitie idolorum, vt poſſint vita frui ſempiterna? Turgius dixit: Et quæ eſt vita æterna? Felix presbyter reſpondit: Vt timeatur & colatur Deus pater, & Dominus Ieſus Chriſtus, & ſpiritus ſanctus. Turgius dixit: Recede ab infelici Deo tuo, & pare præceptis dominorum Auguſtorum. Felix reſpondit: Quantum quidem ad nos attinet, vtinam mereamur patêre Chriſto, & eius nomen inuocare. Tum iratus Turgius, iuſſit os eius lapide contundi, dicens miniſtris: Os iſtud conterite, quo populos ſeducit. Diu autem illis cædentibus emiſit ſpiritum: corpus verò eius Turgius voluit in plateam proijci, quod collegit Irenæus diaconus, & ſepeliuit iuxta muros Sutrij (*Author habet Sutrinæ ciuitatis*) nono Calendas Iulij.

Os eius lapide cæditur. Reddit ſpiritum.

III. QVOD vbi reſciuit Turgius, iuſſit teneri Irenæum diaconum, profectuſque * Cluſium Tuſciæ ciuitatem, vinctum catenis ferreis ante rhedam ſuam nudis eum pedibus ire compulit. Poſtquam autem venit Cluſium, multos dies illic hæſit, Irenæum vero diaconum in carcerem coniecit, cœpitque inquirere in Chriſtianos. Ea re diu agitata, *Muſtiola* matrona Chriſtianiſſima, vt audiuit Chriſtianos multos carceribus teneri, noctibus veniebat, & dans pecuniam cuſtodibus, intro admiſſa, conſolabatur eos, lauabatque pedes eorum: eos vero, quos vincula ſauciârant, vngebat, cunctiſque alimenta & veſtes ſuppeditabat. Sed quia in tenebris lumen abſcondi non poteſt, Torquatus quidam ad Turgium veniens, ita dixit: Matrona nobiliſſima, Claudij Imperatoris conſobrina, Muſtiola nomine, non ceſſat in cuſtodia diu noctuque reos ſuis ſermonibus confirmare. Furore igitur percitus Turgius, cum audiſſet eam cognatam eſſe Claudij Imperatoris, miſit homines ſuos, qui eam ipſi præſentarent. Viſa autem ea, mirabatur eius pulchritudinem, præcepitque ſine iniuria, immo etiam admodum honorifice reduci eam in domum ſuam. Deinde ad illam veniens, de eius genere ſciſcitabatur. Reſpondit ei Muſtiola, ſpiritu feruens: Noſtra nobilitas non multa generis claritudine, ſed ſanctorum Chriſtianorum humilitate, æſtimatur. Dicit ei Turgius: Cur aliter reſpondes, quam maiores tui conſueuêre? S. Muſtiola reſpondit: Illi ignorantes verum Deum, ſuadente diabolo, perierunt: me vero humilem dignatus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad cœleſtia regna vocare: neque me ſolam, ſed & omnes, qui ſpem ſuam in illo reponunt. Turgius dixit: Vtere conſilio meo, & noli perdere nobiliſſimos natales tuos. S. Muſtiola reſpondit: Si ſcires donum Domini noſtri Ieſu Chriſti, non te ſineres priuari lumine æterno. Turgius ait: Ecquodnam eſt lumen æternum? Muſtiola reſpondit: Spiritus & virtus. Turgius dixit: Quænam tua hæc amentia eſt, vt ad vinctos crebro ingrediaris, eorumque cupide fruaris amicitia? S. Muſtiola reſpondit: Id equidem facio propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro cuius amore etiam illi carceris vincula perferunt. Turgius ait: Depone hanc amentiam, & audi me, nec velis præcepta principum aut negligere, aut irridere. Beata Muſtiola dixit: Quæ ſunt præcepta principum? Turgius ait: Vt ſacrifices dijs, & viuas, fruariſque opibus tuis. S. Muſtiola reſpondit: Plane ſtulte blaſphemaſti. Commotus Turgius, iuſſit ſanctos omnes, qui in carcere erant, capite truncari: beatum autem Irenæum diaconum in conſpectu Muſtiolæ in eculeo ſuſpendi, ſub præconis voce dicens ei: Sacrifica dijs. Irenæus ait: Vt video, mente captus es, vt dicas ea, quæ non conueniant. Turgius furore inflammatus, iuſſit vnguibus radi latera eius, & flammas admoueri. Irenæus clamans dixit: Gratias ago tibi Ieſu Chriſte, quod mereor admitti in conſpectum tuum. Atque hæc dicens, cernente beata Muſtiola, expirauit.

* MS. habet Cluſinam ciuitatem. Muſtiola conſolatur captiuos. Muſtiola Claudij Imperatoris cōſobrina. Reducitur à tribunali domum ſuam. Irenæi cruciatus. Obitus eius.

IV. TVM vero beata Muſtiola dixit ad Turgium: Miſer, quid ita trucidas homines innocentes? ſed illi quidem proficiſcuntur ad gloriam ſempiternam, tu vero ſedem habebis in igne æterno. Audiens hoc Turgius, ſcripto eam condemnauit, præcepitque coram ſe plumbatis eam cædi: quod eouſque continuatum eſt, donec deficeret. Itaque migrauit ad Dominum quinto Nonas Iulij, corpuſque eius collegit ſeruus Dei Marcus, & apud Cluſinæ vrbis muros cōdidit: vbi vigent orationes eius vſque in hodiernum diem.

Item S. Muſtiolæ.

DE S. ANATOLIO EPISCOPO LAODICENSI, EX HISTORIA ECCLESIASTICA EVSEBII CÆSAREENSIS LIB. 7. CAP. 26. INTERPRETE IOANNE Chriſtophorſono Anglo.

An. 250.

I. LAODICENSIS Eccleſiæ gubernationem poſt Socratem Euſebius obtinuit, ex vrbe Alexandria oriundus. Cauſa autem eius à patria profectionis, erat controuerſia, de Paulo Samoſateno ſuſcepta: cui' gratia in Syriam profectus, ab illis, qui ad religionem Chriſti propagandam omne ſuum ſtudium conferebant, ne domum reuerteretur, prohibitus fuit, qui quidem præ cæteris præſtantibus noſtri temporis viris, tanquam precioſus quidam pietatis theſaurus extitit.

3. Iulij. Euſebius Epiſcopus Laodicēſ.

Anatolij multa doctrina.

Alexandriæ obſidio.

ANATOLIVS, genere etiam Alexandrinus, poſt illum creatur Epiſcopus, bonus, vt aiunt, boni viri ſucceſſor. Qui cum ob eloquentiam, tum ob doctrinam humaniorem & cognitionem Philoſophiæ, inter homines noſtri temporis, qui erant ſpectatiſſimi, facile principem locum obtinuit: quippe in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia & diſſerendi facultate, in contemplatione & perſpicientia naturæ, in oratorium quoque diſciplinis venerat ad ſummum, quarum rerum gratia, fama eſt, ciues Alexandriæ eum illi ludo, in quo Ariſtotelis doctrina docebatur, magiſtrum præfeciſſe. Ac tametſi in obſidione Alexandriæ, cum ibi magna eſſet frumenti inopia, alias præclare ab eo res geſtas pene infinitas commemorare, vtpote qui ſingularem dignitatis prærogatiuam præ cæteris magiſtratibus ab omnibus ciuibus adeptus fuiſſet, tamen exempli cauſa, hanc vnam ſolum hoc loco citabo.

FERTVR, cum frumentum illis diu obſeſſis deeſſet, ita vt fames, quæ in vrbe graſſabatur, multo magis intolerabilis, quam hoſtium impetus, qui iam extrinſecus premebat, exiſteret: hunc, quem dico, cum huic intereſſet calamitati, tale quoddam remedium illis proinde inueniſſe. Cum altera pars ciuitatis cum exercitu Romano ſocietatem belli gerendi coiuiſſet, & propterea obſidione non vexaretur, Euſebium forte inter eos, qui minime erant obſeſſi, verſantem (adhuc enim ibi habitabat, inque Syriam minime demigrauerat) & magnum decus nomenque celebre etiam à Duce Romani exercitus conſecutum, de his qui fame illius obſidionis tempore interierunt, per internuncium Anatolius certiorem facit, Euſebium autem, cum hoc intelligeret, à Duce maximi beneficij loco poſtulaſſe, vt illis, qui vellent ſe ab hoſtibus ex vrbe ad eum ſua ſponte recipere, vitam ac ſalutem daret. Quem quidem, petitione, vt voluit impetrata Anatolio ſignificaſſe: hunc autem, nuncio ab Euſebio accepto, Senatum Alexandrinorum coegiſſe, ac primum popoſciſſe ab illis, vt cum Romanis amicitiam iungerent. Quo quidem ſermone vbi illos grauiter commotos videbat, dixiſſe: At huic, quod iam dicam, vos neutiquam reſtragaturos arbitror: illis, qui in hac dimicatione videntur minime eſſe neceſſarij, minimeque vobis vtiles, (vt anus, infantes & ſenes) liberam è portis egrediendi poteſtatem, quo velint, faciatis, conſilium eſt. Quid enim illos iam iam prope morituros, apud nos ipſos continemus? Quid modo mancos & corporibus mutilatos, peneque exhauſtos fame opprimimus? Viros ſolos & iuuenes viribus valentes alere oportet, & frumentum quod neceſſarium eſt his, qui ad ciuitatis propugnationem accommodati ſunt, congerere. II.

S. Anatolij conſilio Alexandrini Chriſtiani ſeruantur.

QVIBVS rationibus cum Senatum in ſuam ſententiam adduxiſſet, ipſum primũ aſſurgentem ſuffragiũ tuliſſe, vt omnis multitudo, ſiue virorum, ſiue mulierum, quæ ad rem militarem parum eſſet idonea, à ciuitate libere excederet: quoniam ſi manerent, ibique cum magno ciuitatis morarentur incommodo, nullam ſalutis ſpem illis (quippe fame viderentur perituri) eſſe omnino relictam. Cui ſententiæ cum à cæteris omnibus, qui aderant in Senatu, eſſet aſſenſum, parum aberat, quin omnes, qui obſidione cingebantur, ſeruaſſet incolumes: atque inprimis vt qui erant Chriſtiani, deinde vt alij cuiuſque ætatis, qui ciuitatem incolebant, ſalui aufugerent, diligenter prouidit: vnde non hi ſolum, quibus Senatus decreto poteſtas facta erat ex vrbe exeundi, verumetiam ſub eorum nomine alii fere infiniti, veſtitu muliebri clanculum induti, noctu illius prouiſione è portis egreſſi ſunt, & ad Romanorum exercitum confugerunt: vbi illos omnes Euſebius benigne excipiens, more patris aut medici, longa obſidione debilitatos, omni prouidentia & curatione in integrum reſtituit. III.

Alexandrinis fame laborãtibus, ſubuenit Euſebius.

De Euſebio & Anatolio loquitur.

DVOBVS eiuſmodi paſtoribus Eccleſia Laodicenſis (quorum alter alteri deinceps ordine proxime ſucceſſit) diuina prouidentia potita eſt, qui poſt bellum à nobis iam demonſtratum, ab vrbe Alexandrina eo demigrarunt. Quanquam vero non multi libri ab Anatolio erant elaborati, totidem tamen ad nos peruenerunt, vnde cum eius eloquentiam, tum multiplicem cognitionem licet animaduertere: idque in illis potiſſimum, in quibus ea, quæ de Paſchate ab aliis ante decreta fuiſſent, explicauit. *Deinde, quibuſdam interiectis, ita pergit Euſebius:* Anatolius porro Inſtitutiones in Arithmeticam, decem libris explicatas, reliquit. Alia item extant eius opera, quæ exempla ocii, præclare in ſacris literis ab eo collocati, & multæ in eiſdem exercitationis perſpicua argumenta dant. Hunc Theotecnus, Cæſareæ Palæſtinarum Epiſcopus, per manus impoſitionem primus Epiſcopum ordinauit: qui eum ſucceſſorem ſibi poſt mortem ad Eccleſiæ ſuæ procurationem deligendum prouidit, vnaque cum illo ad aliquod temporis ſpatium eccleſiæ Cæſareenſi præfuit. Verum Anatolius, cum Concilium Antiochiæ de Paulo Samoſetano conuocatum, eum accerſeret, ad Laodicenſium vrbem aduentans, ibi Euſebio mortuo commorari à fratribus coactus eſt. Anatolio exeunte è vita, poſtremus ante perſecutionem illi eccleſiæ præficitur Stephanus. *Hactenus Euſebius Cæſareenſis. Habet vero etiam hunc Anatolium Beatus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum.* IV.

Creatur Laodicenſis antiſtes.

An. 920. VITA S. VDALRICI AVGVSTANI EPISCOPI, AVCTORE INCERTO, QVI EI TVM ÆQVALIS TVM FAMILIARIS FVIT. Ex Codicibus MS. per M. VVelſerum eruta.

4. Iulii. Quæ ſcilicet princeps patrona Auguſtanæ diœceſis.

AVres plurimorum eum fama miraculorum Chriſti, quæ per ſeruum ſuum ſanctum Vdalricum in honorem ſuæ ſanctiſſimæ genitricis Mariæ fieri cõceſſit, frequentiſſime pulſaret, & adhuc mentes eorum dubitatio occuparet, miſſis ad me legatis rerum veritates ex meis reſponſionibus cognoſcere cupiebat, rogantes me vt ea quæ ego in veritate ſcire potuiſſem, lucida deſcriptione eis manifeſtarem. Cumque interrogantium tanta pluritas me vndique interrogationibus cinxiſſet, vt omnibus ſingulariter reſponſa ſcriptis dare me non poſſe æſtimarem, cogitare tacitus cepi intra memetipſum, vt cum tacita experientia experiri ſtuduiſſem Originem ortus eius, vt deſcripto eius ortu, vitam ſubſequentem & obitum veraci relatu interrogantibus & legere volentibus omnibus in commune notum facere potuiſſem, non meis antecedentibus meritis confidens, nec ſagacitati mentis meæ, ſed in Dei miſericordiam omnipotentis ſperans qui dixit, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud, vt per merita præfati epiſcopi irrigatione Spiritus ſancti & diuini ignis feruore ſenſum meum dirigere dignetur, vt id quod ad excogitandum mihi inſpirauit, ad perficiendum vires non ſubtrahat, niſi prædeſtinata animo idonea taxatione edere concedat, vt diligentibus Deum exempla ædificationis anteponant, & Dei præcepta ſpernentibus conuerſionis emolumentum, vel damnationis interminationem adaugeant. Iſta pro certo in amore Chriſti legentibus, auxilium Dei omnipotentis adeſſe confidimus, vt per ſeruum ſuum ſint in iſto ſæculo freti, & eo iuuante fiant ad æterna gaudia perducti. Præloc.

Interpretatio nominis Vdalrici.

OPORTET inprimis ne reticeamus tanti taliſque viri Spiritu ſancto iuuante nominis interpretationem. Theutica itaque lingua hæreditas à proauis derelicta Altuodal dicitur, Ric diuitias ſonat, ideo non incongrue Vodalricus à paterna hæreditate diues interpretari poteſt, nam æterni patris hæreditate ditatus floret, de quo patre quotidie

Digitized by Google

quotidie in oratione noſtra dicimus, Pater noſter qui es in cœlis, & reliqua. Ad cuius hæreditatis ſanctus Paulus poſſeſſionem in Dei voluntate perſeuerantes conſolatur dicens, Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, de qua etiam hæreditate ſcriptum eſt quod oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe: cuius compendio non ſolum ſibimet fruitur, verum etiam plurimos multimodis beneficiorum conſolationibus in hac peregrinatione viuens traxit, & nunc melius viuens, multimodis iuuaminibus & continuis miraculis ad hanc introducet, ſicut in ſequentibus reperitur.

1. BEATÆ igitur memoriæ [a] ſanctus Vdalricus excelſa proſapia Alamannorum ex religioſis & nobilibus parentibus ortus, patre ſcilicet * Hupaldo & matre † Thietpirga nuncupata: qui ſolito more lactatus, & ſummo ſtudio nutritus, quamuis ſtatura corpuſculi elegans; tali tamen macilentia confectus erat, vt nutritoribus verecundia eſſet ſi aliquis ignotorum faciem eius inſpexiſſet. Mirantibus vero patre & matre quare tanta tenuitate & informitate corporis occuparetur, & ſæpe inde cogitantibus, hebdomada interim duodecima eius natiuitatis quidam ignotus clericus caſu adueniens, ſupplicabat vt ab eis aliquantos dies in hoſpitium reciperetur: qui benigne ſuſceptus, & cum eis in atrio domus ſuæ hora refectionis ſedens, audiebat in cubiculo infantulum vagientem, ſciſcitabatur quis aut cuius eſſet, præ pudore vero maciei illis nolentibus indicare, dixit, Si ſaluum illum eſſe cupiatis, celeriter ablactetur. Qui paruipendentes eius locutionem, eum lacti non ſubduxerunt. Altera vero die iterum audiens eum dixit, quare non feciſtis ſecundum conſilium meum, qui adhuc contemnentes eius conſilium non crediderunt ei. Tertia autem die audiens vagitum eius infirmiorem quam antea, dicebat ad eos, pro incuria veſtra perditioni traditur [c] infantulus iſte, pro certo ſciatis quia ſi vberibus non ſubtrahitur in iſta nocte morietur: ſi autem ſubtractus ſaluabitur, in poſterum à domino aliquid magnum in eo manifeſtabitur. Tunc demum ei obtemperantes alijs eum eſcis ſuſtentare cœperunt: qui ſtatim recreatus de die in diem proficiens, talem corpus formoſitatem accepit, vt ipſi ſui parentes gratantes eum intuerentur & alijs oſtenderent. Qui laudantes dominum die noctuque pro ſoſpitate pueri, & pro eo quod talem ad eos direxit hoſpitem, qui iſtius rei diſcretionem cognoſcebat, & illis innoteſcebat. De præteritis ergo futura credentes, tractauerunt vbi vitam religioſiſſimam & docendi ſtudioſiſſimam inuenire potuiſſent, acceptoque conſilio commendauerunt eum ad [d] ſancti Galli monaſterium, quia ibi nobilium Dei ſeruorum multitudo, & religioſitas diſcendi docendique ſtudium tunc temporis habebatur. Commendatus vero cuidam religioſo viro grammaticæ artis edocto Waning nuncupato, à quo bene procuratus quotidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit, & in intimis ſui cordis inſeruit, adeo vt paulatim fratres in eo doctrinæ fructificationem nimis proficere ſentirent, & ob hoc eum in ſuæ fraternitatis conſortium flagitando aſſumere conarentur. Horum itaque petitionibus ſæpe commonitus, inducias reſpondendi poſtulauit. Tunc itaque ad quandam ibi commorantem incluſam * Wiberat nominatam conſilium quærendo acceſſit: quæ reſpondens dixit ei, Poſt triduum ad me veniens ſi Deo placet meum poteris animaduertere conſilium. Inde illo recedente ipſa deuotæ orationis ſtudio dominum flagitabat, vt ſtatuto die certi veraciſque conſilij indicium ibi manifeſtare potuiſſet. Cumque ille reſponſum accepturus aduenisset, dixit illi, vltra hæſitatio tuam non occupet mentem, quia iſtius cœnobij ſpiritualis pater à Deo decretus ad regendum nullo modo conſtitueris: Sed in orientali parte, vbi quidam † fluuius duas diuidit regiones, in futurum epiſcopali miniſterio Deo militare debebis, & in eodem loco multa talia perpeſſurus es laborioſa, qualia nunquam anteceſſores tui ſuſtinuerunt à paganis & malis Chriſtianis, quæ tamen omnia Deo iuuante in vltimis decentiſſimè ſuperabis. Hæc audita ſecretiſſimis fratribus intimauit, & eorum ſuaſionem ſuaui colloquio mitigauit, totamque ſpem priſtinæ deſtinationis in ſua mente depoſuit, & ob hoc tamen diſcendi ſtudium non omiſit, ſed inibi cum omnibus charitatiuè verſabatur; donec congruo tempore duplici ſagina ſcientiæ, ac religionis repletus; communi omnium oratione conſolatus, & fraternitatis amore fletus, parentes ſuos amatiuè dimiſſus reuiſitauit. Qui tunc ſapienti capto conſilio, eum præſulis Auguſtenſis Eccleſiæ † Adalberonis dominio ſubdiderunt, quem multa tunc temporis ſapientia repletum, muſicaque arte præ cæteris præditum, gubernaculaque regni pene omnia cum * Rege diſponentem agnouerunt. Ipſe vero propter nobilitatem parentum, & bonam eius indolem & formoſitatem, læto animo ſuſcipiens, miniſterium † camerarij ſibi commendauit. Quo ſuſcepto, & alijs ſecundum ſuam dignitatem beneficijs, ſicuti præcoquus erat in omnibus, proſpere agens de die in diem proficiebat. Interim vero libuit eum limina [e] viſitare beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Cumque illuc peruenisset, à venerando Papa * Marino bene ſuſceptus eſt, & ab eo interrogatus, de qua prouincia vel ciuitate eſſet natiuus. Qui reſpondens dixit, De prouincia Alamannia, & de ciuitate Auguſta oriundus ſum, verſorque in ſeruitio Adalberonis eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Ne turberis inquit animo, ô † frater, ille de quo mihi dixiſti, ſenior tuus Adalbero migrauit à ſæculo, & Deo iubente te eiuſdem * matriculæ decet eſſe paſtorem. Eo quidem [f] renuente, inſit. Cur recuſas deſtinationem Dei? Si nunc inconcuſſam & indeſolatam accipere & gubernare refragaris in tranquillitate, in antea vero deſtructam & deprædatam in perturbatione accipies, & cum labore gubernabis & reædificabis. Altera vero die ſine licentia Papæ, propter triſtitiam defuncti domini ſui, & ne ab eo plus verbis conſtringeretur, exiuit è Roma Auguſtamque reuiſitauit, & inuenit ita ſicut præfatus Papa prædixit. Tunc * Hiltine ſucceſſor Adalberonis effectus eſt, qui tamen tantæ non fuit celſitudinis vt ſuo ſe vellet applicare ſeruitio. Interim vero patre eius defuncto, rediens ſuſcepit procurationem matris ſuæ, recordans præcepti domini dicentis, honora patrem tuum & matrem, & cæt. Tanta itaque eam diligentia & omnia ſua cuſtodiuit ac diſpoſuit, prout ei vires à domino conceſſæ ſuppetebant. Poſt quindecim annos defuncto Hiltine Epiſcopo, machinatione nepotis ſui, Burchardi Ducis, & aliorum propinquorum ſuorum, [g] Henrico Regi præſentatus eiuſque ſublimitati nota facta eſt deceſſio Epiſcopi, ſupplicatumque eſt vt præfato domino Vdalrico epiſcopalis poteſtas ab eo concederetur. [h] Rex vero intuens herilitatem ſtaturæ illius, & comperiens doctrinæ ſuæ ſcientiam, petitioni eorum aſſenſum præbens, regio more in manus eum accepit, munereque pontificatus honorauit. His vero ita peractis hilari animo de Rege reuertentes, & ad Auguſtam peruenientes, ſecundum Regis edictum poteſtatiua manu inueſtitarum [i] epiſcopatus ſibi perfecerunt. Succedente vero tempore Natiuitatis Domini in die * ſolennitatis Innocentum conſuetudinario ritu ordinatio eius peracta eſt. Inde vero proſpero reditu domum veniens, conſpiciensque muros eccleſiæ vndique depoſitos, omniaque ædificia nimis dilapſa, ſicut ſub priori antiſtite igne ſunt conſummata: nimia tunc mentis anxietate fluctuans, cogitabat qualiter conuenientiſſimè tam penitus deſtructa reædificare potuiſſet, quia maxima pars familiæ à paganis fuerat occiſa, & oppida exuſta & deprædata, pars autem familiæ quæ remanſerat in magno egeſtatis labore erat afflicta. Acquiſitis tamen architectis & multitudine congregata familiæ, cœpit ſagaciter diruta reſtaurare, ſatiſque ſenſibiliter ordinare, magnoque animi feruore ſtudens vt cœpta perficere non deſiſteret. Cum vero vir magnæ ſuauitatis inchoatum opus, quamuis preſſa ſupellectile, diuino tamen fretus adminiculo ardenter impleuit: omniaque ipſius templi interiora omnigeno quantum valuit decoramine ornare contendit: Nec non etiam frequenter ſagaci oculorum acie intus & forinſecus poſitiones Eccleſiæ caute perluſtrans, paruitatem non lucidæ cryptæ vilitatemque ſibi nimis

G 3 diſplicere

Ad Rom. 8.
1. ad Cor. 2.
a S. Vdalrici parentes.
* al. Hucbaldo.
† Dietpirch.
Natus eſt anno 890.
c Clerici vaticinium de infante Vdalrico.
d Traditur fratribus monaſterij S. Galli inſtruendus.
* Wiberata incluſa.
† Lycus Sueuiam & Bauariam diſcriminat.
† Commendatur Adelberoni Epiſcopo Auguſtano.
* Rege Ludouico IV.
† Onuph. de vocib. Eccleſ. obſcuris, Camerarium interpretatur qui pecuniarum curā gerit, Welſerus vero hic cubicularium intelligit.
e Romam petit.
* Welſerus putat Marinum Papam per anticipationē vocari. idem ſentit Baronius anno 924.
† Marinus ſi Pontifex fuiſſet S. Vdalricum tunc temporis filiū non fratrem appellaſſet.
* Eccleſiæ cathedralis.
f Fugit Epiſcopatum.
* Hiltinus; Hiltenus.
Exod. 20.
g Henrico Aucupi.
h Herliche Preſenß.
i Fit Epiſcopus Auguſtanus.
* Anno nimirum 24. ineunte.
Reſtaurat Eccleſiā & ædificia dilapſa.

Viſio Ramberti.

diſplicere conqueſtus, ſeque profeſſus eſt competentius decentiuſque ſi Deus annuerit poſiturum. Cumque opus cœptum ſatis creſcere videretur, Ramberto cuidam fratri in ecſtaſi mentis videbatur, ſe ſicut ſolebat cum illo pſalmos decantare debuiſſe, & interim Adalberonem epiſcopum in aquilonari parte cryptæ miſſatico apparatu veſtitum, ſibi apparentem annuentemque vt ad ſe veniret, ſed ille ancipiti timore ſeptus viuentis, atque defuncti domini, cœpit oculis pauens in eùm conſpicari: interrogatuſque ab eo, quare ſic oculis in me inflecteris? At ille reſpondens dixit, Ecce video ſeniorem meum Adalberonem epiſcopaliter paratum ad Miſſam, meque vocantem ad ſe. At ille, feſtina inquit iuſſionem ſuam implere. Cui venienti ad ſe dixit ad eum, Ramberte dic domino tuo Epiſcopo, mercedem à domino accepturum pro orationibus & eleemoſynis quas mihi fideliter tranſmiſit, & hoc ſignum dicito illi, quod † Fortunatus & ego in proxima cœna Domini domino concedente cum illo chriſma ſanctificabimus, & quod operatio huius cryptæ eſt ruitura: ob hoc tamen non debet omittere quin ſtudeat in poſterum ſtabiliter perpetrare. Fratres quoque recordari moneto, quod ſine vi & ſua ſponte, ſedula & aſſidua oratione pro me laborare ſpoponderunt, & quod ſic non fecerunt, & ſi hoc emendaturi non fuerint, ſciant ſe eſſe de hoc in conſpectu domini rationem reddituros. Et tu quotidie vnum pro me pſalmum cantabis, ſine cautela, & hoc te emendare monebo. Ipſe vero Epiſcopus interim Regijs occupatus obſequiis curſum direxit ad curtem, ibique apud aulicos digno honore diu retentus, tandemque requiſita ſalubri licentia domum repedauit, opuſque cuius effectum ſeſe cernere ſperauit, totum penitus dilapſum reperit ac ſubuerſum, ſecundum prædictam rationem præfati Ramberti. Tum vero cautioribus fundamentis poſitis, ſtabiliter perfecit.

Merces magna operum bonorum.

† Fortunatum Pictauienſem Epiſcopum intelligit Welſerus.

Alia autem vice cum in oppido Waringa vocitato primo mane conſuetudinario more pſalmodiam cum II.
eodem Ramberto ſtuduiſſet explere, idem frater cœpit reflexis oculis timide moueri. Interrogatuſque ab eo reſpondebat dicens, Ecce video ſeniorem meum Adalberonem eodem modo ſicut antea eum vidi præcipientem mihi vt illi miniſtrem ad Miſſam. Qui ſtatim ſurgens retractis foribus receſſit de Eccleſia donec hæc viſio finiretur. Aliam vero viſionem quam de multis fratribus in veritate dicentibus accidiſſe didicimus, obliuioni nos tradere non oportet. Quia cum religioſus vir die ſancto paſchæ miniſterium ſacramentorum ſtudioſe perficere decertaret, multitudine clericorum adiuuante, & cuidam † Heilrico presbytero cantore exiſtente, apparuit dextera [a] cum dextera epiſcopi ſacramenta ſanctificans. Expleta vero miſſa, ille præfatus Heilricus ſequens eum in cubiculum ſuum cecidit ad pedes eius, & incautius quam debuiſſet in præſentia laicorum hanc viſionem explanauit. Cui ille reſpondens dixit, Vtilius tibi fuiſſet iſta reticere quam loqui.[a] De hac vero reſponſione ſtupefactus receſſit ab eo, & in ſcena quæ ante cubiculum eius eſt ſita conſedit, & ſtatim oculi eius magna nimietate cœperunt lacrymas effundere, & in ea effuſione permanſerunt, vſque dum in totum præſenti lumine priuati ſunt.

† Henrico.

a Viſio dexteræ ſub ſacrificio ſimul cum illius dextera conſecrantis Euchariſtiam.

a Vitæ hominum laudes.

b Nota verba viſionis.

† Hoc verbum late ſumendum videtur, cum nullus Fortunatus Auguſtanus Epiſcopus reperiatur.

Alio tempore in nocte antecedente diem ſanctum cœnæ domini quaſi in ſomnis audiuit vocem ſibi loquen- III.
tem, Vdalrice Epiſcope ſcias te hodie hoſpites eſſe ſuſcepturum. Et expergefactus à voce, qui eſſent illi hoſpites cœpit tractare. Cum autem dormiret, loquentis ſibi verba audiuit, [b] Orationes tuas & eleemoſynas tuas oculi domini conſpexere, & ideo binis † anteceſſoribus tuis Fortunato & Adalberoni es commendatus, vt tibi hodie & poſt hinc in iſtis ſacris ſolennitatibus ſacra myſteria celebranti aſſiſtant, & ea tecum benedicant. Mane autem facto alijs ſicut mos eſt peractis myſterijs, circumſtantibus miniſtrorum ordinibus, cum ſacramenta conſecraret, ipſe & quidam de circumſtantibus deuotiores viderunt dexteram Domini cum eo ſacramenta conſecrare, & ſignum crucis imponere, quibus, quia per ſpiritum eos ſciebat, cum viaticum ab eo acceptum accederent, digitum ori ſuperpoſuit vt de viſione tacerent, quibus etiam poſtea ad ſe vocatis, quæ ei in nocte dicta ſunt ſecreto nunciauit, & præcepit vt eo viuente neque viſa neque ab eo ſecrete audita alicui manifeſtarent, ſi præſentem adhuc vitam habere voluiſſent.

c S. Afra ei apparet.

d Mira eius viſio.

e Sancti vltionem expetunt contra Arnolphum Ducem &c.

* Herlich

† Alij, regem Italiæ vocant.

f Berengarius Rex vna cum filio ſe Ottoni Auguſtæ dedidit an. 951. Contract. witich. Dietmar & alij.

a ad Cor. 12.

† An 936.

Maioris etiam viſionis ſibimetipſi manifeſtata miracula ſub ſilentio recondendum bonum eſſe non æſtimo. Quia quadam nocte cum corpus lectulo ad dormiendum collocaſſet, vidit ſanctam [c] Afram in magna formoſitate, pulchra tunica indutam atque ſuccinctam, ſtantem ante ipſum dicentemque ſibi, Surge & ſequere me. Et hæc dicens eduxit eum in campum qui vulgo dicitur Lechfeld.[d] Ibi enim ſanctum Petrum principem Apoſtolorum inuenit cum multitudine magna epiſcoporum & aliorum ſanctorum, & eorum quos ille ante non videbat, & tum nutu Dei cognoſcebat bene, ſynodale colloquium cum eis facientem, & magna & innumerabilia diſponentem. [e] Arnolphumque ducem Bauariorum adhuc viuentem, de deſtructione multorum monaſteriorum, quæ in beneficia laicorum diuiſit, de multis ſanctis accuſatum legaliter iudicantem, & enſes duos valde * heriles, vnum cum capulo & alterum ſine capulo ſibi oſtendentem, & ſic loquentem. Dic Regi Henrico, ille enſis qui eſt ſine capulo, ſignificat regem quem ſine benedictione pontificali regnum tenebit, capulatus autem qui benedictione diuina regni tenebit gubernacula. Finita itaque ſynodo præfata, Dei martyr monſtrauit illi loca caſtrorum, vbi poſtea Otto rex adhuc manens regalem locutionem cum populis diuerſarum prouinciarum habuit: vbi rex Berengarius † de Longobardia & filius eius Adalbertus cum multis Epiſcopis ſe præſentauerunt, & ſuo domino [f] ſubdiderunt. Indicauitque ei venturam ſupergreſſionem Vngarorum, & loca belli, & quamuis laborioſe, tamen victoriam Chriſtianis conceſſam eſſe nunciauit. Hac viſione peracta, reductum eum in lectulo collocatum dimiſit. Ipſe vero ad ſe reuerſus cogitabat, reuerenter in recordationem ſuam ducens illud illuſtris verbi ſatoris rapti ad ſecreta tertij cœli dicentis, Siue in corpore ſiue extra corpus & reliqua. Hæc vero viſio ab eo paucis prudentibus ac ſibi familiaribus manifeſtata eſt. Poſtea autem curtem regis adiens ſolito more ſeruitio eius ſubdebatur, vſque dum rex Heinricus præſentem vitam † finiret. Ottoni itaque filio eius in regnum ſublimato, eandem quam patri ſedulitatem ſeruitii & fidei firmitatem in cunctis impertiri ſtudebat. Tunc vero temporis habebat Epiſcopus Vdalricus filium ſororis ſuæ Luitgardæ bonæ indolis, Adalberonem nomine, cuidam doctiſſimo magiſtro Benedicto monacho, ad erudiendum ſcientiam grammaticæ artis & aliorum librorum commendatum. Cumque ille ab eo in omnibus profectibus bonæ ſcientiæ & diſciplinæ doctus atque educatus in virile robur deueniſſet, ſtatim de ſchola exemptus, ab auunculo ſuo Epiſcopo Imperatori præſentatus, & in manus eius miſericordiæ commendatus, regali ſeruitio tam ſtudioſe atque decenter inſiſtebat, vſque dum Imperatori eius miniſterium in Eccleſiaſticis & ſæcularibus bene placuiſſet. De hac pro certo ſedulitate eius ſeruitij quotidiani conceſſum eſt eius auunculo ſancto Vdalrico Epiſcopo, vt præfatus Adalbero in eius vice itinera hoſtilia cum militia Epiſcopali in voluntatem imperatoris perageret, & in curte Imperatoris eius vice aſſiduitate ſeruitij moraretur, ea videlicet cauſa vt præfato præſuli Dei ſeruitio, & cuſtodiæ gregis commendati, & vtilitatibus Eccleſiæ, & orationibus, & eleemoſynis ſecundum ſuum deſiderium immorari licuiſſet. Ille vero quantum ſæcularibus curis ſe abſolutiorem eſſe perſenſit, tantum ſeipſum in Dei voluntate facere nitebatur obligatiorem: Curſus ſcilicet quotidianus cum [g] matricularijs in choro eiuſdem matriculæ ab eo cautè obſeruabatur, quandocumque ei domi manendum aliæ occupationes conſenſerunt. Inſuper autem vnum curſum in honore ſanctæ Mariæ genitricis Dei, & alterum de ſancta Cruce, tertium de omnibus ſanctis, & alios pſalmos plurimos, totumque pſalterium omni die explere ſolitus erat, niſi ſi eum impediret aliqua ineuitabilis neceſſitas. Miſſas autem [h] tres vel duas aut vnam, ſecundum ſpatium temporis, cantare quotidie non deſiit, ſi infirmitas corporis aut aliquod ſtudium bonum ei non ſubtraxit.

g Matricularij clerici matricis Eccleſiæ.

h Sublata eſt ea conſuetudo. Vide c. ſufficit. de conſecrat d. 1.

Mvltis

MVLTIS temporibus carne abſtinuit, ſed tamen aliis cum eo manducantibus abundanter donauit. In quotidianis refectionibus quando cum ſuis ad menſam ſedebat, prima appoſitio panum atque ciborum, ex maxima parte per aliquem clericum cui hæc commendata ſunt, pauperibus diuidebatur: exceptis his mancis atque debilibus qui in grabatulis & in lectulis & in ſcamellis ambulantes, & in ſperulatis lectulis, quotidianum victum in eius præſentia acceperunt de optimis eſcis & potibus. Aliorum [a] autem nemo, qui in ſua præſentia, ſiue notus fuiſſet ſiue ignotus, ciborum ſumpſerunt, eſuriens aut ſitiens recedebat, niſi aliquando incuria aut tenacia miniſtrorum contigiſſet contra epiſcopi voluntatem. Hoſpites autem cum ad eum deueniſſent, tripudio & tanta hilaritate vultus & animi ſuſcepti ſunt & in omnibus procurati, veluti eis optimè conueniebat, ſciens in eis Chriſtum ſe ſuſcepiſſe, illo dicente, hoſpes fui & ſuſcepiſtis me. [b] Vaſalli autem Imperatoris ab eo pergentes vel ad eum redeuntes, ſummo honore ſuſcepti & in tantum ſunt opulentati, vt in nullo eos aut iumenta eorum vlla indigentia fatigaret, acceptiſque ſecum ſtipendiis itineris eorum neceſſariis, læti ab eo redirent. Monachos autem atque clericos & ſanctimoniales eum viſitantes more filiorum amauit, & ſpiritualibus eos atque corporalibus eſcis abundanter recreauit, & cum illo manere conceſſit quamdiu eorum voluntati complacuit, & congruo tempore in omnibus hilaratos ire dimiſit. Clericos autem ſuos ex familia, vel liberos mediocres vel nobiliores, ſumma diligentia nutrire & docere præcepit, & quoſcumque inter eos honore dignos cognouit, miniſteriis & congruis beneficiis ditiores fecit. Laici autem ſuæ dominationi ſubiecti, ſemper cum eo omni honore & lætitia commorabantur, nullam deceptionis fraudem ab illo fieri timentes, ſed firmiter credẽtes atq; certe ſcientes quidquid eis promiſerat hoc Domino annuẽte cõpendioſè perfecerat. De familia autem ei cõmiſſa quicumq; ante eum venerat ſe exclamando iniuſtè eſſe oppreſſum vel exſpoliatũ, aut aliquo modo iniuriatũ de domino proprio cui in beneficiũ conceſſus erat, ſiue de conſeruo eius, vel de alio aliquo ad rationẽ eius cautè auſcultauit, & vbi cognouit iniuſtè contra eũ factum fuiſſe, firmiter confeſtim præcepit vt iniquitas ei facta cito emendaretur, & non omiſit donec perficeretur. Legitimum verò ius totius familiæ, quo pro anteceſſoribus ſuis vtebatur, firmiter eam tenere conceſſit, & nullius poteſtatis hominem ſub ſuo regimine degentem hoc ei tollere permiſit; & non niſi rectum cenſum de omnibus locis aliquem ſuorum miniſtrorum ab ea exigere non conſenſit. Otio inani nullo tempore animum ſuum ſubiacere patiebatur, niſi aliquid vtilitatis excogitaret aut perpetraret, ſiue de Eccleſia quam vndique dilapſam inuenit, vel de eius ornatu, vel de paraturis altarium & clericorum, & de diſciplina canonicorum & de ſchola, & de ſuſtentatione & ſaluatione familiæ, & qualiter ciuitatem quam ineptis valliculis & lignis putridis circumdatam inuenit, muris cingere valuiſſet, quia in his temporibus Vngarorum ſæuitia in iſtis prouinciis more dæmoniorum graſſabatur. Hæc vero omnia cum exterius ſuorum fidelium conſultu pertractaret, æſtu tamen interius diuini amoris ſucceuſus, vigiliis & orationibus & ieiuniis & eleemoſynis Deo ſe ſociare ſtudioſiſſimè feſtinabat, ſemper cuti ſuæ laneum apponens veſtimentum, & regulam ſequens monachorum. Poſt completorium nunquam; propter vllius hominis petitionem eſcam vel potum, delectationi corporis ſuæ conſentiens ſumpſit. In mollitia plumarii non dormiuit, sed [c] pſiathio & ſago aut tapetis ſuppoſitis requieuit. In nocte primum ſonante ſigno ſurrexit, & prædictos curſus maxima cautela compleuit.

Non veſcebatur carnibus.
Pauperes ſemper habet conuiuas
a Etiam.
Matth. 25.
b Al lectio habet, Vaſalli autem eius in propria ab eo.
Ius familiæ S. Mariæ.
c Lectus eius qualis.
Ψιάθιον ſtorea teges

IV. TEMPVS verò quadrageſimæ quanta deuotione celebraret ſermo mihi non ſufficit ad narrandum, ſed tamen ea quæ vidimus non decet nobis in totum omittere. Matutinis namque laudibus expletis, aurora diei prima illuceſcente aliis orationibus expletis pſallere pſalterium cœpit, quo expleto & letania expleta, aliis orationibus firmiter inſiſtebat, vſque dum ſignum ad vigilias defunctorum ſonaret, quo audito ſtatim ſurrexit, & cum fratribus vigiliam celebrauit & primam: prima verò expleta fratribus ſolito more crucem portantibus, ipſe remanens in eccleſia codiculum breuiarum ex pſalmis cum aliis orationibus interim decantauit, vſque dum fratres cum cruce redirent, & miſſam ſacrificationis celebrare cœpiſſent, ipſe primum deuotè Deo ſacrificium offerens, manum ſacerdotis humiliter oſculans. Expleta verò miſſa, tertiam cum fratribus expleuit, fratribus verò ad capitulum pergentibus, ipſe ſolito more in eccleſia remanſit, donec ſignum ad ſextam ſonaret. Sexta autem hora expleta altaria circuibat cum venia, cantans Miſerere mei Deus, & De profundis: tunc demum ad cubiculum rediit ad lauandam faciem ſuam & ad miſſam ſe præparandum. Miſſarum autem celebrationibus expletis & veſperis decantatis, ad hoſpitiolum pauperum peruenit, & XII. pauperum pedes lauit, & vnicuique eorum de aceolo pretium vnius denarii donauit. Inde rediens ad menſam pranſurus conſedit, ibi lectio non deſiit, nec prædictorum pauperum multitudo copioſa: appoſita cum gaudio ſumpſit, & cum eo manentibus maxima hilaritate diſtribuit, recordans illud Apoſtoli, Hilarem enim datorem diligit Deus. Vnicuique enim præbebat quod eum libentiſſimè ſumere æſtimabat. Cibo verò conſumpto, & omnibus cum eo commorantibus lætificatis, congruo tempore completorium recitauit, inſuper aliis orationibus peractis ſecreta cubiculi cum ſilentio repetiit, & omne colloquium, niſi cum Deo & ſanctis eius, vſque ad alterius diei primam peractam omnino deuitauit. Hoc modo dies quadrageſimæ expleuit, vſque in diem indulgentiæ quem dicunt Paſcha palmarum, eo die mane diluculo ad ſanctam [d] Afram veniebat, ſi in præterita nocte ibi non manebat, miſſam de ſancta Trinitate cantabat, & ramos palmarum diuerſarumque frondium benedicebat, euangelioque & crucibus & [e] fanonibus, & cum effigie ſedentis domini ſuper aſinum, cum clericis & multitudine populi ramos palmarum in manibus portantis, & cum cantationibus ad honorem einſdem diei compoſitis, & cum magno decore pergebat, vſque ad collem qui dicitur Perleich, ibique obuiam ei veniebat chorus canonicorum cum pulchritudine magna, & cum omnibus qui in ciuitate remanſerant, & qui de oppidis circumiacentibus ipſis ſe iungere voluerunt, ibi ad imitandum humilitatem puerorum, ceterorumque populorum, ramis palmarum & veſtimentis ſuis viam ſternentium. Iis expletis ut ſanctas congruentiſſimam admonitionem de paſſione domini ad omnes fecit, eouſque ſæpe vt ille fleret, fletuque ſuo multos flere feciſſet. Admonitione peracta omnes ſimul Deum laudantes ad eccleſiam matriculam peruenerunt, ibique miſſam cum eo celebrauerunt, & inde omnes in ſua redierunt. Poſtea autem in his tribus diebus congruis ſynodale colloquium habere conſueuit, eo quod [f] canones bis in anno epiſcoporum concilia fieri præcipiunt, vnum XV. Kal. Oct. & aliud quarta hebdomada poſt paſcha, hoc in iſto tempore perficere decreuit, ne in antea ei aliquod obſtaculum in illud perficiendum impedimentum faceret, & vt in cœna domini cum eadem multitudine clericorum & populi plenius & honorificentius chriſma & oleum ſanctificaretur. Eo verò die hora tertia omnes clerici ſolenniſſimis paraturis induti venerunt in eccleſiam, & ipſe ſuo more glorioſiſſimè ad Dei ſeruitium paratus, cum eis ſacrum myſterium agere deuotiſſime cœpit, perlectoque euangelio, & admonitione facta ad populum, & confeſſione populi accepta, indulgentiam humilime eis fecit, & tota ſynodo oblationem offerente ſecundum ordinem, cautiſſime impleuit vſque ad benedictionem chriſmatis & olei, hoc fecit magna reuerentia ſibi apportari, cum crucibus & cum pueris portantibus ſub palliolo occultatis, & cereis, cũ verſibus ad hoc miniſteriũ compoſitis formoſiſſime decantatis, & cũ proceſſione XII. preſbyterorũ, qui cũ eo vſq; in finẽ miſſæ in ſuo miniſterio perſeuerare debuerunt. Rite aũt ſibi allato, humilime ſuſcepit, & totam ſynodum rogauit, vt quando ille crucem benedicendo ſuper illud faceret, & ipſi cum eiſdem preſbyteris

Quomodo quadrageſimam celebrarit.
2. ad Cor 9.
d Eccleſia S Afræ ea quæ nunc vulgo S. Vdalrici, cœnobiis SS. Vdalrici & Afræ dicitur, vrbe tunc non comprehendebatur.
e Fanones vexilla.

f Diſtinct. 18. c. 4 Primũ poſt tertiam hebdomadam Paſchæ, vt in quarta compleatur; Secundum Idibus Octobr Apparet itaque hic 15 K. octob ſcriptum pro 15. die Octobr quam phraſim etiam alias in ſcriptoribus parum latinis eſt obſeruare.

byteris qui in proceſſione erant & ſibi aſſiſtebant, benedicere non deſiſterent, ceterumq́ue populum Pater noſter cum magna humilitate decantare rogauit. Quo benedicto, & populo ſacro viatico recreato, veſpéraque expleta, ad ſacrarium venit chriſma & oleum clericis diſpenſandum. His diſpenſatis, ad hoſpitium pauperum venit, & eis ſolito more miniſtrauit. Inde autem in eccleſiam ambulauit, & ante ſacrarium venit, ibique à camerario allatis veſtibus nouis, XII. pauperes veſtiuit, & aceruulum aceoli aliis diſpenſauit, & eo die nullum ab eo vacuum abire dimiſit, quamuis eorum multitudo magna adeſſet. Poſtea ad cibum venit, cibatiſq́ue omnibus cum eo manentibus, exemplo domini pedes diſcipulorum ſuorum lauare cœpit. Lauationeque cum antiphonis congruentibus & verſibus & lectionibus decentiſſimè peracta, pocula optima in ſuis cellariis recondita cum magna charitate & humilitate ſufficienter porrexit, & completorio expleto, membra in Dei ſeruitio fatigata quieti lectuli commendauit. Die autem paraſceue horis ſecundum ordinem cautè expletis, omiſſis aliis curſibus ſicuti in cœna Domini, niſi ad eundem diem pertinentibus, mane diluculo pſalterium explere feſtinauit, & ſacro Dei myſterio perpetrato, populoq́ue ſacro Chriſti corpore ſaginato, & conſuetudinario more quód remanſerat ſepulto, iterum inter eccleſias ambulando pſalterium expleuit decantando, & veſpertina hora ſine menſâ atque menſalibus in cubiculo ſuo pane & ceruiſia ſe recreare cœpit, & vnicuique qui ſecum erant panem & ceruiſiam iuxta eorum voluntatem exhibere præcepit. Sanctiſſimo autem ſabbati die expletis nocturnis officiis & amando pſalterio perlecto, præparatum ſibi balneum intrauit, quo nunquam vti ſolebat eo tempore niſi in ſabbato ante quadrageſimam, & in media quadrageſima, & eo die. Lauatione autem corporis peracta, & præparatione veſtimentorum induta, ad ſacrum officium ſollenniter ſe præparauit, & totum clerum hora diei nona cum eo paratum eſſe deſtinauit, ſtatimq́ue perlecta trina letania, cereoq́ue ſanctificato, lectionibusq́ue & tractis conſummatis, cum quina letania & cum omni honore ad baptiſmum conſecrandum ad eccleſiam ſancti Ioannis baptiſtæ perrexit, baptizatiſque ibi ab eo tribus pueris cum ſeptena letania regreſſus eſt in ſacrarium ad Miſſam ſe præparandum, clero interim pſallente in choro. Miſſarum verò ſollenniis ſollenniter cum veſpera peractis, corporeq́ue Chriſti diſpenſato, & ſacris veſtibus depoſitis, eo die menſa appoſita ad refectionem cum magna multitudine conſedit, & omnibus abundanter refectis cum gaudio ad manſiunculas redire permiſit. Deſiderantiſſimo atque ſanctiſſimo Paſchali die adueniente, poſt primam intrauit eccleſiam ſancti [a] Ambroſii, vbi die paraſceue corpus Chriſti ſuperpoſito lapide collocauit, ibiq; cum paucis clericis miſſam de ſancta trinitate expleuit: expleta autem Miſſa clerum interim congregatum in [b] ſcena iuxta eandem eccleſiam ſitam ſolenniſſimis veſtibus indutum anteceſſit, ſecum portato corpore Chriſti & euangelio & cereis & incenſo, & cum congrua ſalutatione verſuum à pueris decantata per atrium perrexit ad eccleſiam ſancti Ioannis baptiſtæ, ibique tertiam decantauit, indeque cum antiphonis ad honorem huius diei congruentiſſimè compoſitis, ad [c] tuomum formoſiſſima proceſſione, binis & binis ſecundum ordinem ſimul ambulantibus Miſſam celebraturus peruenerat, Miſſa itaque deuotiſſimè religioſiſſimeque decantata, cunctiſque ſacramenta Chriſti accipientibus & in ſua reuertentibus, ille ad cibum acceſſit, ibi menſas tres omni decore præparatas inuenit, vnam cui ille cum quibus volebat adſedere ſolebat, & aliam [d] matricularis, [e] tertiam congregationi ſanctæ Afræ. Sanctificato itaque cibo, carnes agni & particulas lardi inter miſſarum ſollennia benedicti omnibus diſpenſauit, & tunc demum cibum cum eis omni gaudio ſumpſit. Tempore enim ſtatuto ſymphoniaci venerunt, quorum tam copioſa multitudo fuit vt pene intercapedinem aulæ ſecundum ordinem ſtando impleuiſſent, & tres modos ſymphonizando perfecerunt. His ita gaudiis multiplicatis, canonici præcipiente epiſcopo charitatem accipientes & rogantes, vnum reſponſorium de reſurrectione Domini interim decantauerunt. Et hac charitate expleta, ad alteram menſam congregatio ſanctæ Afræ ſimiliter fecit. Appropinquante vero veſpera, ille ſibi & ſecum ſedentibus lætanter pocula porrigere præcepit, & tertiam charitatem omnes charitatiuè bibere rogauit, acceptaq; ea charitate, tertium reſponſorium omnis clerus ſimul cum lætitia decantauit. Quo decantato, hymnum decantando canonici ſurrexerunt vt aptè præparati ad veſperam deuenire potuiſſent. Veſpera autem peracta, epiſcopus cum hoſpitibus & militibus ad ſuam ædem omnes exhilarandos reuertebatur. Mane verò quod eſt die lunæ, clerus totus ad ſanctam Afram congregabatur, vt epiſcopum venientem formoſiſſimis paraturis indutus honorificè ſuſcepiſſet, quia eius conſuetudo erat vt eo die ibi ſacratum ſolenniis Miſſarum Deo militaret, & poſt peracta ſacratam Miſſarum ſollennia multitudinem populi illuc congregati, ſacro chriſmate confirmaret, Et his ita peractis ad ciuitatem rediit, & ibi totam paſchalem hebdomadam deuotiſſimè celebrauit.

FINITA paſchali ſollennitate, cum alicuius rei neceſſitas popoſciſſet, vt ad alia loca vel ad monaſteria V.
pertinentia ad epiſcopatum legitimè pergere debuiſſet, [f] Vuthinuuanc, Staphenſe, Fauces, VViſſinteſteiga, Heuuibach, quæ nunquam in beneficium laicorum conceſſit, niſi de exterioribus locis ad eadem monaſteria pertinentibus alicui de iſto pago in quo monaſterium ſitum eſt conceſſiſſet, vt ibi aduocatum monaſterii habere potuiſſet, vt eccleſiaſticæ ab eo res defenderentur, ſed ad ſuam poteſtatem optima quæque detinuit, ea videlicet cauſſa, vt facultatem ea viſitandi & ibi manendi, & quæ neceſſaria erant corrigendi in ſtipendiis habuiſſet. Sedebat itaque in ſolio ſuper carpentum compoſito de humerulis plauſtri in ferro pendente, & cum eo vnus clericus de capellanis eius, qui cum eo totos dies pſalmos decantaſſet. Non ideo quando inprimis tali modo pergere cœpit, [g] niſi adhuc caballicare potuiſſet, ſed vt à populis ſequeſtraretur, ne à cantatione pſalmorum eorum colloquiis ineptis impediretur. Comitari verò ſemper cum illo aliquos ſuos preſbyteros prudentiſſimos, & de capellanis tantum vt quotidie ſeruitium Dei decorè perficere potuiſſet præcepit. Similiter & de vaſallis ſuis ſemper ſecum aliquos ſapientiſſimos habere voluit, ſi ei aliquod negocium de Eccleſiaſticis rebus vel ſæcularibus ad tractandum deueniſſet, vt eorum conſilio cautè tractare & regere ſemper paratus eſſet. Fuerunt etiam electi de familia ſemper qui trahentibus bubus ductores fuiſſent, & eum ante & retro ad dexteram & ad læuam cautè obſeruaſſent, quibus ille quotidie tantam annonæ copiam per ſe ipſum & per miniſtros eius dari fecit in præſentia eius, vt triplici numero virorum ſufficere potuiſſet. Amantiſſimus quoque comitatus pauperum ſemper cum eo inter ſua loca ibat, qui virtutem caballicandi habebant in cautiſſimis ambulatoribus pergebant, alii autem his vehiculis in quibus ſoliti erant pergere, cum carpentis epiſcopalia miniſteria portantibus perrexerunt, quorum [h] verò manſiunculas & totas procurationes ipſe per aliquem ſuorum fidelium quotidiè cautè diſpoſuit. Nunquam verò in aliquo prædictorum monaſteriorum otioſus manebat, niſi in ædificiis eccleſiæ, vel clauſtrorum, vel aliorum ædificiorum, vel murorum antea præparatis & collectis ſupellectilibus laboraſſet: vitam verò in eodem monaſterio Deo militantium monachorum ſiue canonicorum & ſtipendia eorum omnino regere & componere ſtuduit, & ius familiæ diſſoluere omnimodo non conceſſit. Dona etiam ſancti ſpiritus tradere, vbi neceſſitas fuit cum confirmatione chriſmatis non omiſit.

[a] Huius eccleſię nullam memoriam ſupereſſe ſed ſtetiſſe prope cathedralem, notat Welſerus.

[b] Porticu ſuperſcriptum erat, ad ſummũ, Germanicum ſcilicet cathedralis eccleſiæ nomen reſpexit, thuom.

[d] Hoc eſt, Clero eccleſię cathedralis.

[e] Clerici regulares id temporis eccleſiam S. Afræ, quę nunc S. Vdalrici eſt obtinebãt.

[f] Al. Staphẽſe, Wiſſinteſſteigia, Houmbach, Fauces. Suchuuãc, vel Fuichwanc Al. Staphenſe, Vuiſſinteſſbela. Houiubach, Fauces, Sinchuuãc.

[g] niſi, pro, quod non.

[h] abundat.

GRATVM

VI. Gratvm autem & neceſſarium iter populis, cum [a] quarto anno ſecundum conſtitutionem canonum miniſterium ſuum adimplendum, cauſſa regendi & prædicandi atque confirmandi diœceſim ſibi commiſſam viſitare decreuiſſet, eodem modo ſicut ſuperius diximus in ſolio carpenti ſuperpoſito ſedebat, pſalmoſque ſolito more decantabat, eunuchum illum imitans, qui legens Eſaiam prophetam ſuper currum ſuum ſedens per viam pergebat, cui præcipiente ſpiritu ſancto Philippus adiunctus eſt, qui ab eo prædicatus & baptiſatus fidem ſanctæ Trinitatis accepit, æſtimans pro certo quantum ſe colloquiis humanis ſubtraxiſſet, vt tantum ſe diuinis propinquiorem facere potuiſſet. Ad loca autem illa cum perueniſſet vbi concilia ſua denunciata fuerant, cum euangelio & aqua benedicta & ſonantibus campanis & tanta honorificentia ſuſceptus eſt, quantum illis qui ibi congregati ſunt viribus ſuppetebat. Statim verò miſſa celebrata in [b] concilio conſidens populum ante ſe vocari fecit, prudentioreſque & veraciores ſacramento interrogare præcepit, quæ in illa parochia emendatione digna fuiſſent, & contra iura Chriſtianitatis perpetrata peccata, vt ei veraci relatu nota fierent facta. Vt autem ab eis aliqua normam rectitudinis ſupergredientia cognita audiuit, ſine perceptione perſonarum, ſecundum iudicium clericorum ad tramitem rectitudinis, quantum omnipotente Deo iuuante potuit, retrahere feſtinauit, & male pullulata ſurcula vitiorum falcaſtro verbi Dei ſtudioſiſſimè reſecare, ne virgulta malorum germinum ſegetem Chriſti ſibi commiſſam ſuffocare licentiam habuiſſent, & morbis vitiorum aptiſſima fomenta emendationum oppoſuit, ſed tamen ſecundum verbum Dei dicentis, Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Ea verò quæ difficilia & inſuperabilia miniſtris ſuis eſſe ab eis comperit, in præſentia ſui omnium cum eo manentium adiutorio, percauta directione finiri contendit. Quæ autem ab eis ſine obtrectatione aliorum in ſtatum rectitudinis conuerti perſenſit, eorũ regimini perficiendum firmiter commendauit. Ille autem ſequens regulam ſui miniſterii, Spiritus ſancti donum populo ad hoc illuc congregato, ſacræ vnctionis confirmationem ſtuduit imponere. Si autem hi adhuc imperfectis nox ſolito more ſubrepens aduenit, ne aliqua pars omnium ſibi commiſſarum detrimento priuationis cœleſtis doni grauaretur, incenſis luminaribus in nomine Domini cœpta perficere decertauit. Interdum autem cum de refragatoribus iuſtitiæ tanta contentio excreuiſſet, vt decedente die tenebræ noctis funderentur in mundo, ne pro eo concilia inibi ventilata remanerent incorrecta, luminibus incenſis regulas canonicas legere præcepit, vt ſeris iuſtitiæ ora refragatorum oppilarentur, & iuſtis iudiciis omnia in Dei voluntate conſummarentur. Cum autem completo concilio vel confirmatione ad manſiunculas rediit, corpus reficiendum non prius prandium guſtauit, quam pauperibus eleemoſynæ ab eo clerico cui illa obedientia erat commendata erogabantur. Debilibus autem cum eo aduenientibus in ſua præſentia collocatis, abundantem refectionem apponi præcepit. In quibuſdam autem diebus capitula cum clericis habere diſpoſuit, in his locis vbi hæc aptiſſimè fieri archipreſbyteri putauerunt, & vbi eum ab aliis mundanis conciliis abſolutiorem eſſe arbitrabantur. Congregatis ante ſe clericis, archipreſbyteros & decanos, & optimos quos inter eos inuenire potuit, cautè interrogauit qualiter quotidianum Dei ſeruitium ab eis impleretur, & qualiter illis populus ſubiectus ex eis regeretur in ſtudio prædicandi docendique, quantaque cautela infantes baptizarentur, infirmi viſitarentur & vngerentur, defunctorum etiam corpora quanta compaſſione ſepulturis traderentur, qualiter de decimis & oblationibus fidelium pauperes & debiles recrearentur, viduis & orphanis in vniuerſis neceſſitatibus ſubuenirent, quantoque ſtudio in hoſpitibus & aduenis Chriſto miniſtrarent: Si ſubintroductas mulieres ſecum habuiſſent & inde crimen ſuſpicionis inciderent, ſi cum canibus vel accipitribus venationes ſequerentur, ſi tabernas cauſa edendi vel bibendi ingrederentur, ſi turpes iocos in vſu haberent, ſi ebrietates & commeſſationes ſupra modum amarent, ſi rixis & contentionibus & æmulationibus deſeruirent, ſi nuptiis ſæcularibus intereſſent, vel ſi aliqui eorum miniſteria indecentia in conſuetudine haberent, ſi per Kalendas more anteceſſorum ſuorum ad loca ſtatuta conuenirent, ibique ſolitas orationes explerent, ſuaſque eccleſias ad tempus reuiſerent, ſi obedientiam eorum magiſtris præbuiſſent, & in toto ſuo miniſterio deuoti & apti manere ſtuduiſſent. Reſponſione autem de interrogatis facta, & ratione veritatis percepta, ſtantibus in rectitudine dulciſſimæ conſolationis gratia gratificauit, & vt deinceps à normula iuſtitiæ ne deuiarent ſuaui colloquio admonuit. Errones autem per deuia incedentes fratres, dignis terruit correptionibus, & vt poſtea conſueta vitia omitterent præcepit.

Crebro viſitat diœceſin.

a Fort. pro vnoquoq; : Canones enim diœceſes annuè ab Epiſcopis viſitari volunt. 10.q. 1.c. 9. & 10. Capitula etiam Caroli M. & Ludou. Pii conſentiunt lib. 7. cap. 360.

Act. 8.

b Nota formam viſitationis.

2. ad Tim. 4

VII. Horvm autem qui in ſuo epiſcopatu proprietates habebant, quiſquis religioſorum propter amorem Chriſti eccleſiam componere cupiebat, & cum conceſſa licentia ab eodem ſancto epiſcopo eam ædificauerat, conſecrationemque habili tempore ab eo fieri flagitauit, aptiſſimè vnius cuiuſque petitioni præbuit aſſenſum, ſi confeſtim ille conſecratæ eccleſiæ legitimam dotem in terris & mancipiis in manum eius celſitudinis dare non differret, in conſpectu ciuium ſuorum & teſtium veridicorum, ne poſtea geſtæ rei veritas offuſcaretur, ea etiam ratione vt aliis circumiacentibus eccleſiis iura earum in nullis rebus propter illam nouam minuerentur. Conſecrationeque peracta, doteque contradicta, comprobato illic preſbytero altaris procurationem commendauit, & eccleſiæ aduocationem firmiter legitimo heredi [c] panno impoſito commendauit. Alicuius oblationem muneris non expoſcebat, niſi preſbyter eiuſdem eccleſiæ aliquid propter honorem ſuum, & bonam voluntatem ſuam ſponte eum accipere impetraret.

c Obſerua ritũ tradendæ aduocationis eccleſiæ

VIII. Issu verò quodam tempore præceptis obediendo, cum in pago [d] Albegouue nominatum miniſterii ſui officium implere decreuiſſet, venerunt quidam homines de eodem pago ad eum lamentando dicentes, Patres noſtri in ſua proprietate quam nobis reliquêre, de lapidibus & cæmento & lignis ædiculam conſtruxerunt, quam Deo & ſanctis eius dedicari voluerunt, & vt ipſi ibi ſacrorum officiorum celebrationem audire meruiſſent, quia locus iſte in magna vaſtitate eremi eſt ſitus, ſed propter difficultatem viæ & pauperiem ſubſtantiæ eorum, nunquam epiſcopum ad conſecrandam præfatam ædiculam introducere potuerunt. His auditis Dei ſeruus hilari vultu dicebat, Poteſtis nunc ad tempus quæ conſecrationi eccleſiæ ſunt neceſſaria acquirere? Qui amicorum conſolationibus freti reſponderunt, poſſumus. Quibus ille infit, Cautum mihi viæ ductorem dimittendo antecedite, & quæ ſunt ordinanda ordinate, ecce veſtræ ſubueniendum neceſſitati illic perueniam, & Deo iuuante eccleſiam conſecrabo. Die verò altera conſecratione peracta, ciues ipſi ſecundum ſuam facultatem munera offerentes ante eum veniebant, quæ videns ſubridens dicebat, non propter amorem alicuius muneris, ſed vt veſtræ neceſſitati conſulerem, & ſeruitium Dei in hoc loco multiplicaretur huc veni, hæc nobis oblata veſtræ vtilitati ſeruantes & in Dei ſeruitio creſcentes, manete in pace. Hæc dicens receſſit, & de ſcrupulo viæ nullam niſi quaſi lætando querimoniam fecit.

d Vulgo Alagua Algarei

IX. His verò bonorum operum ſtudiis inſiſtens, omnes apud eum commanentes exhortatione benigniſſima ſpiritualiter recreauit, docens non ſolum in verbis ſed etiam in operationibus, vt vnuſquiſque dominum ex omnibus viribus perfectè diligeret, & eius amori nihil præferret, & proximum tanquam ſeipſum, patrem & matrem honoraret, inſuper omnes bonæ voluntatis homines, de quibus angelica canit multitudo dicens, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; malignis autem in omnibus eorum malis actibus reſiſtere ſecundum ſanctum prophetam

Luc. 2.

Pſalm. 14. phetam Dauid dicentem, Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius maglignus, timentes autem dominum glorificat.
Quod quiſque ſibi noluiſſet, alteri non faceret, eccleſias Dei cum deuotione mentis & humilitate, & cum oblatio-
nibus crebrò viſitaret, ibique cum effuſione lacrymarum & pro remiſſione peccatorum ſuorum, & pro omnibus
iuſtis ſuis neceſſitatibus Deum flagitare ſatageret, inimicis inſuper indulgentiam poſtulare monebat, ſecundum o-
Matth. 6. rationem dominicam dicentem, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ſe-
cundum euangelium, ſic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus
Matth. 18. veſtris: Et iterum, dimittite & dimittemini. Decimas omnium laborum ſuorum Domino & ſanctis eius, eccleſiiſque
Luc. 6. quibus ſunt terminatæ, ne reatum Cain fratricidæ inciderent, cum magna cautela præſentare feſtinarent, domi-
nicas etiam dies & ceteras ſolennitates in anno, non ſolum in abſtinentia ſeruilium operum, ſed & omnium vitio-
rum deuotiſſimè venerari monuit; Euchariſtiam quemque aſſidue accipere, atque ante acceptionem purgatum ſe ex-
hibere, & poſt acceptionem mundum ſe cuſtodire certaret. Dies quadrageſimæ ceteraque ieiunia antiquitus con-
ſtituta, & nouiter cum conſenſu inuenta, omni monuit deuotione ab omnibus cuſtodiri, abnegationem ſui fa-
cere & Chriſti veſtigia ſequi, corpus caſtigare, delitias non amare, eſurientes & ſitientes eſcis & poculis recreare,
nudis veſtimenta præbere, infirmos & in anguſtiis conſtitutos viſitare, egenis & vagis manſiunculas concedere, &
quæ ſunt neceſſaria propter amorem Chriſti præbere, pupillos & viduas in tribulationibus viſitare, atque in cun-
ctis eorum neceſſitatibus ſubuenire, malitias in corde non retinere, & verbis aliquem ad iracundiam non prouoca-
re, iram deponere, vindictamque domino concedere, nulli malum pro malo reddere, nec aliqua læſione exacer-
bare, maledicentes ſe non remaledicere ſed magis benedicere, & perſequutionem pro iuſtitia ſuſtinere, diſcor-
dantes & inimicitias inter ſe habentes ad vnanimitatis concordiam reuocare, Deo reſiſtentibus reſiſtere, & ſibi cum
fide militantibus iuuamina præbere, nullo octo vitiorum principalium quæ omne genus hominum infeſtant ſcan-
dalo laqueari. Quærentibus autem quæ eſſent octo vitia principalia, reſpondit, non ſolum illis, ſed & his qui ad-
huc in hæſitatione manent, quæ ſint octo vitia, dicens, * Primum eſt gaſtrimargia, hoc eſt, ventris inglu-
uies, cum ſua prole commeſſatione & ebrietate: Secundum eſt fornicatio, cum ſua prole turpiloquio, ſcurrili-
tate, ludicris, quæ etiam ſunt ſtultiloquia: Tertium eſt philargyria, hoc eſt, auaritia ſiue amor pecuniæ cum ſua pro-
le, mendacio, fraudatione, furto, periurio, turpis lucri appetitu, falſo teſtimonio, violentia, inhumanitate,
voracitate ac rapacitate: Quintum ira cum ſua prole, rancore, puſillanimitate, amaritudine, deſperatione: Sextum
accidia cum ſua prole, otioſitate, ſomnolentia, importunitate, inquietudine, peruagatione, inſtabilitate mentis &
corporis, verboſitate & curioſitate: Septimum cenodoxia, hoc eſt, vana gloria cum ſua prole, contentione, hære-
ſi, iactantia ac præſumptione nouitatum: Octauum ſuperbia cum ſua prole, contemptu, inuidia, inobedientia,
Matth. 5. blaſphemia, murmuratione, detractione, inimicitia. Beatum verò dicebat, qui in iſtis vitiorum pedicis non of-
fendebat. Octo verò notiſſimas beatitudines à Deo in Euangelio enumeratas, auribus cordis cautè percipere, &
intimis cogitationibus firmiter inſerere, vt in tempore tentationis malignis ſpiritibus eas euellere virtus non conce-
datur, ſed vnuſquiſque ad ſpem cœleſtium deſideriorum eorum conſolationibus ſubleuetur, agno verò omnipo-
tentis Dei Chriſto tollenti crimina mundi ſemper die noctuque multiplices laudes & gratias totis deſideriis & omni-
Apoc. 5. bus viribus referre, quia dignus eſt ſua incarnatione & natiuitate, & baptiſmo, & crucifixione, & ſepultura, &
reſurrectione, & aſcenſione ſoluere ſignacula ſeptem libri ſignati, in viſione ſancto Ioanni Apoſtolo in Pathmos in-
ſula oſtenſi. Intentè autem & ſubnixè omnium in commune beneuolentiam poſtulauit: Si qui eſſent qui in ſemet-
ipſis ſegetem aliquarum virtutum excreuiſſe ſentirent, non ſuis meritis, ſed omnipotentis Dei miſericordiæ applica-
rent, ne ſubitò iactantiæ grandine in eis necaretur, ſed tempeſtiua maturitate, protegente ſpiritu ſancto, in horreis
Chriſti collocaretur. Os à malo vel prauo eloquio cuſtodire, lectiones ſanctas libenter audire, mala ſua præterita
cum gemitu & lacrymis quotidie in oratione Deo confiteri & deinceps emendare, deſideria carnis non perficere, vo-
Matth. 23. luntatem propriam frangere, ſacerdotum præceptis obedire, etiamſi ipſi quod abſit aliter agant, eos imitantes de
quibus Dominus dicit, Dicunt enim & non faciunt. Caſtitatem amare monuit, nullum odire, inuidiam & zelum
non habere, contentiones non colere, elationem odire, venerari ſeniores, diligere iuniores, timorem domini
Pſalm. 33. in corde & animo ſine intermiſſione habere, credere oculos domini omnia videre, & aures eius omnia audire, pſal-
miſta dicente, Ecce oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum, vultus autem domini ſuper facientes
mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Diem verò obitus ſui & diem extremi iudicii, in quo dicturus eſt
Matth. 25. dominus his qui eum recreare & veſtire & viſitare in ſuis pauperibus quotidie feſtinant, qui ab auditione mala non
timebunt, illud, Venite benedicti patris mei, &c. Illis autem hæc negligentibus, & Deo in ſuis membris non mini-
ſtrantibus, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius, ante oculos ſem-
per ſuſpectam & timidam habere, & pœnas maledictis præparatas oculis mentis ſæpiſſime intueri, & locum peſ-
ſimum, qui ſemper eſt ſine refrigerio, & ſine ſplendore, & ſine dulcedine, & erit ſine fine, vbi vermis eorum
non moritur, & ignis non extinguitur, vbi fletus & ſtridor dentium ſine intermiſſione ſemper auditur, vbi v-
rens flamma machinationibus diaboli ſemper renouabitur, vbi conſolationis ſpes omnino non habetur, ſed de ho-
ra in horam triſtitia augetur, quia finem manendi inuenire non poſſunt, ſed cum his quibus in hoc ſæculo mi-
1. ad Cor. 2. niſtrauere, in anguſtiis ſine fine perſeuerant. Dei autem benedictis & in eius dextera collocatis quanta gaudia
atque tripudia maneant, ſemper quantum humanis mentibus poſſibile eſt cogitare oportet, de quibus ſcri-
ptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audiuit: nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus dili-
gentibus ſe, Vbi hymnidici angelorum chori inenarrabili claritate fulgebunt, vbi celſitudo patriarcharum di-
gno honore remunerata gaudebit, vbi verax prophetarum ordo, prophetiis ſuis in toto expletis, Deo gratias a-
gere non ceſſat, vbi iudex Apoſtolorum chorus acceptà ante promiſſa mercede perenniter exultabit, vbi mar-
tyres palma martyrii eorum coronati, conſolatione perfruuntur æterna, vbi confeſſores præmiis ſuis multiplica-
tis in Dei laudibus perſeuerant, vbi virgines centeſimi fructus retributione abundant, & viduæ ſexageſimi fru-
ctus reſtitutione honorantur, vbi monachi ex reſignatione ſæcularium omnium, cum eſurientibus & ſitientibus
iuſtitiam Dei, expletis eorum deſideriis ſatiati, Dei laudibus inſiſtere non ceſſabunt, vbi pœnitentes depoſitis
delictorum ſuorum oneribus ſine fine Deum laudantes congaudent, vbi pueri agnum in albis ſequentes ſub thro-
no Angelis concordantes Deum laudare cantando non ceſſant, vbi glorioſiſſima virgo Dei genitrix Maria, ſu-
per choros Angelorum exaltata, inæſtimabili claritate & formoſitate omnes hilarans conſpicitur, vbi iuſti ſicut
ſol fulgebunt, & omnes ſancti creatorem ſuum & omnium creaturarum, in ſua claritate facie ad fa-
ciem gaudendo videbunt, ab eis auferentem omnem metum & omnem mœrorem & triſtitiam atque
omnem aduerſitatem: In illo regno lux ſolis & Lunæ & Stellarum non eſt neceſſaria, fames & ſitis nulli
nocebunt, frigus vel æſtus nullum fatigabunt, infirmitas & dolor nulli aduenient, venturæ ſenectu-
tis miſeria non timebitur, ſed ſicut in Die iudicii corpora mortuorum in menſura ætatis plenitudi-
nis Chriſti reſurgent, in ea etiam poſſibilitate & pulchritudine permanebunt. Nuptiæ ibi non cele-
brabuntur,

*Hæc principalium vitiorum diuiſio etiã Caſſiano & quibuſdam aliis placuit.

brabuntur,& progenies hominũ poſtea nõ multiplicabitur, ſed completus numerus iuſtorum non minuitur, ſed ſi-
ne fine in gaudio ſeruabitur, inſidias diaboli vltra non timet, indulgentia peccatorum vltra non indigebit,
ſicut Angeli in primæ conditionis poſſibilitate permanebunt, ſic & homines poſt reſurrectionem æquales angelis,
in ſobrietate & incommutabilitate perſeuerant in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius ædificata, quæ dicitur XII.
lapidibus pretioſis eſſe ornata atque fundata, quorum nomina & ordinem ſanctus Ioannes Apoſtolus & euangeli-
ſta in Apocalypſi enumerat, vbi iaſpidem in primo fundamento poſitum dicit, quem dicunt omnia phantaſmata *Apoc. 21.*
fugare, in quo fidei viriditas deſignatur: Sapphirum in ſecundo, qui ſpem cœleſtis beatitudinis deſignat; Calce-
donem in tertio, qui flammam internæ charitatis figurat: in quarto ſmaragdum, qui eiuſdem fidei fortem inter ad-
uerſa confeſſionem figurat: in quinto ſardonichum, ſanctorum inter virtutes humilitatem ſignificantem: in ſex-
to ſardium, in quo ſanctorum martyrum cruor exprimitur: in ſeptimo chryſolitum, in quo ſpiritualis inter mira-
cula prædicatio figuratur: in octauo beryllum, in quo prædicantium perfecta operatio ſignificatur: in nono topa-
zion, in quo eorundem ardens contemplatio monſtratur: in decimo chryſopaſum, qui beatorum martyrum opus
pariter & præmium ſignificat: in vndecimo hyacinthum, qui cœleſtem ad alta ſubleuationem, & propter humi-
lem ad humana deſcenſionem figurat: in duodecimo amethyſtum, qui cœleſtis ſemper regni in humilium animo
memoriam deſignat. Hæc poſitio XII. lapidum figurat firmitatem Apoſtolorum, qui in fundamento eccleſiæ ſunt
poſiti, ſicut Saluator mundi beato dixit Petro, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Hæc *Matth. 16.*
dicendo ad Petrum omnibus notum fecit Apoſtolis, quod ſuper eos eſſet eccleſia ſua ædificanda, quorum ſonus in o-
mnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum. Si Apoſtoli fundamentum domus Dei ſunt, & omnis Chri-
ſtianitas ædificatio eiuſdem templi manere debet dicente Apoſtolo, Templum Domini ſanctum eſt, quod eſtis vos, *1. ad Cor. 3.*
& Dei ædificatio eſtis, & reliqua. Studeamus omnes totis viribus nos ædificatori & inhabitatori coniungere, vt docto-
ribus noſtris in fundamentum poſitis, eo donante ſuperædificari mereamur, vt inter electos lapides poſiti, & præfatis
ordinibus iuncti videamur, vt creatorem & redemptorem noſtrum iudicem viuorum & mortuorum facie ad faciem
videntes, cum eis laudare mereamur per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

X. LONGE lateque cùm fama eius bonitatis dilataretur, & diabolus eum in hoc culmine virtutum ſtantem vide-
ret, omnigenis malitiæ ſuæ aſtutiis nitebatur in aliquam difficultatis voraginem immergere, & ab inceptis bonis im-
pedire. His verò temporibus Luitolfus filius Ottonis glorioſi regis Dux erat Alamannorum, cui pater eius antea *Diſcordia*
gentes omnes regionum ſuæ ditioni ſubiectarum ſacramento poſt finem vitæ ſuæ ſubiugauerat: Patruus autem eiuſ- *inter Lui-*
dem Luitolfi Heinricus frater regis, Dux exiſtit Noricorum, qui[a] verò inter ſe propter confinia regionum ex ſuaſione *to'fum &*
malignorum hominum rixas & contentiones exercere cœperunt. Cumque eos rex nullatenus ad concordiam & pa- *Henricum*
cem reuocare potuiſſet, obiecit ſe filio & in adiutorium fratris conuertitur. Cum autem filius eius cum vniuerſis *Principes*
quos congregare potuerat ei reſiſtere niteretur, atque extorrem regalis potentiæ agere moliretur, Heinricus præfa- *a Abundat.*
tus dux, commendata ciuitate Ratiſpona totaque regione Noricorum [b] Arnolfo Palatino comiti, & ceteris inſu-
per ſuis fidelibus, perrexit ad regem. Moram autem illo ibi faciente, præfatus Arnolfus cum multitudine populi *b Filius Ar-*
fraudulenter Ratiſponam cum ceteris vrbibus, & cum frequentia populorum, & cum omnibus quibus potuit Lui- *nolfi ducis*
tolfi poteſtate ſubegit. Quibus compertis rex cum fratre ſuo Heinrico Baioariam hoſtiliter inuaſit, ad reſtituendum *Bauariæ.*
eum in honorem prioris poteſtatis. Præfatus autem antiſtes Vdalricus, cuius fidelitatis firma ſtabilitas nunquam ab *Arnoldum*
adiutorio regis ſeparata eſt, hæc comperiens, dimiſſa parte in Auguſta ciuitate vaſallorum ſuorum, ceteriſque rebus *vocat Regé*
collocatis, cum quibus potuit, omiſſo vehiculo carpenti, equitando in ſeruitium regis in regionem Noricorum ſa- *An. 913.*
gaciter venit, cumulaque prolongata, poſſibilitatem redeundi aptè non potuit habere. Arnolfus autem prædi-
ctus interim accepta multitudine [c] Auguſtam adiit, & deſpoliauit rebus omnibus quas ſecum abducere potuit, com- *c Augu[illegible]*
prehenſoſque quoſdam milites epiſcopi ſecum Baioariam reuexit. Rex autem cum de regione Baioariorum reuer- *annales [illegible]*
tiſſet, & Epiſcopus in ſua redire voluiſſet, non confidebat ſe in Auguſta ciuitate poſſe cum multitudine parua defen- *[illegible]*
dere, quia totum pene epiſcopatum in beneficium extraneorum diuidebatur à Luitolfo & ſequacibus eius, milites *capiã pro-*
autem epiſcopi quidam comprehenſi, quidam verò ſollicitatione iniqua diuiſi ab eo, quidam deprædationibus in *dunc.*
pauperiem deducti, ita vt ei ſecundum ſuam voluntatem in adiutorio eſſe non potuiſſent. Hi autem qui cum illo
remanſerunt, ſuis colloquiis roborati ſalubre conſilium inierunt, vt relicta Auguſta ciuitate caſtellum quod dicitur
[d] Menichingen ædificare, & ab aduerſariis eorum ibi ſe defendere ſtuduiſſent. Tum verò vna tantummodo nocte
in Auguſta ciuitate manebat incluſus, altera die ſtatim perrexit ad prædictum caſtellum, quod erat in toto interius *d Mett-*
exteriuſque ſine ædificiis deſertum. Quamuis certè hyems dura fuiſſet, tamen in illo loco in tabernaculis & in tu- *tingen.*
guriis feſtinanter compoſitis, expectauere donec congregata familia caſtellum ligno circumcinxere, & intus ſe-
cundum poſſibilitatem eorum ædificia apta compoſuere. Arnolfus itaque & omnes qui cum eo erant, regiæ po-
teſtati vndique contradicentes, hæc comperientes legationes miſerunt, ſi ſoſpitatem ſui ſuorumque habere voluiſſet,
poteſtati Luitolfi ſe ſine dubio ſubdere non diſtuliſſet, & vt prædictum caſtellum cum ſuis componere deſeruiſſet;
quia eo tempore in tota regione Suenorum nullus in regis adiutorio remanebat, niſi Adalpertus comes cum ſibi ſub-
ditis, & [e] Theodpaldus frater religioſi epiſcopi, & ideo æſtimabant vt eorum decreto virtutem reſiſtendi nullo mo-
do adquirere potuiſſet. Qui ſapienti cum ſuis vtens conſilio, diuerſis promiſſionibus & humilimis reſponſioni- *e Al. Diet-*
bus, & interdum obſidibus datis iterumque receptis ad ſe, eorum iras & obſidiones omnimodo mitigauit, do- *paldus.*
nec ædificato caſtello vallibuſque renouatis, in munitione eiuſdem loci ab eorum cum ſuis ſæuitia ſe poſſe defende-
re æſtimaret. Cum verò induciæ rationibus reſpondendi vltra prolongari non potuiſſent, tunc manifeſtè con-
feſſus eſt, ſe ſicut cœpit in voluntate regis velle perdurare. Tunc præfatus Arnolfus filius Arnolfi ducis, congre- *Obſidetur*
gata multitudine eorum infauſtorum, qui antea Auguſtam ciuitatem deprædati ſunt, & aliorum in quorum tunc *vir Sanctus*
confidebat adiutorium, voluit obſeſſo caſtello venerandum epiſcopum vi coactum cum ſuis ditioni ſubdere Luitol- *in caſtro.*
fi. Hac re comperta, epiſcopus econtra legatis miſſis, multa pecunia promiſſa, flagitabat vt reuertentibus eis
illi licuiſſet in pace ſubſiſtere, ſin autem pace contradicta redire noluiſſent, præcepit eiſdem legatis ſuos parochia-
nos banno Chriſtianitatis conſtringere, ne loca ſanctæ Mariæ in ſuo epiſcopatu ſita vllo modo inuadere præſume-
rent. Qui verò pecunia contradicta bannoque Chriſtianitatis poſtpoſito, male incepta omittere noluerunt,
ſed ad internecionem eorum ea [f] dominica in qua mos eſt clericorum ante quadrageſimam carnes manducare,
& deinceps vſque ad ſanctum tempus Paſchæ deuitare, hoſtiliter inuaſerunt prædium ſanctæ Mariæ, & epiſ- *f Vulgo*
copum obſiderunt. Qui verò die noctuque in Dei ſeruitio ſtudioſè permanens, timore abiecto in Deum con- *Quinquã-*
fidens, obſeſſiones eorum pro nihilo ducens, in prædeſtinatione inita firmiter perſeuerauerat. Hæc verò ob- *geſima.*
ſeſſio vt comperta fuiſſet Adalperto comiti & Theodpaldo fratri epiſcopi, congregata phalange populi, prima
die quadrageſimalis temporis, quod eſt dies lunæ, mane diluculo caſtra inimicorum inuaſerunt. Sed illi hæc
antea poſſe fieri non putantes, imparati ad bellum inuenti ſunt, & repentino timore perculſi, relictis ſpo-

liis fuga

liis fuga inimicos euadere ſtuduerunt. Illi autem eos ſequentes, Hermannum fratrem Arnolfi apprehenderunt, quoſdam in caſtris cæciderunt, quoſdam verò vlterius ſubſequentes interfecerunt. Maxima autem parte eorum interfecta ceteriſque fugatis, nullus eorum ad ſe defendendum fiduciam accepit, niſi vnus nomine Egilolfus, fugiendo brachio Adalperti comitis modicum vulnus infecit, de quo etiam vulnere mortuus eſt: vulnerator etiam eius ſtatim occiſus eſt ab Luitperto vaſallo eiuſdem Adalperti. Pauciſſimi autem eorum ictibus contuſi ac diuerſis modis vulnerati, periculum tamen mortis equis eorum eos aſportantibus, eo die vix euaſerunt, quidam verò eorum gelu miſerabiliter aſtringente, nudi in deſperatione vitæ proprias manſiunculas repetierunt. Corpus verò Adalperti in Dei voluntate occiſi, reuerendus epiſcopus ad Auguſtam ciuitatem vexit, & animam honorificè Deo commendans, in eccleſia ſanctę Mariæ ſepeliuit. Nullus* enim eorum, qui antea ſibi ſpolia Auguſtæ ciuitatis in contrarietatem ſanctæ Dei genitricis Mariæ vendicauerunt, impunitus euaſit, niſi qui ſe ſuis propriis rebus cum indulgentia reuerendi epiſcopi redimere non diſtulerunt.

* Enim pro autem. Nemo impune quicquã rapuit de rebus Eccleſiæ S. Mariæ.

MANVS a propria vnus ex his lacerando, vicinis ſuis in veritate dicentibus, perdito ſenſu ſpiritum exhalauit. Alius autem cum ablato de Auguſta ciuitate libro caballum ſibi bene placentem comparauit, & ſecum adduxit in domum ſuam, vxorique ſuæ monſtrauit & dixit, Melius mihi placet iſtum formoſum caballum habere, quam librum cum quo hunc comparaui in Auguſta relinquere: Cuius verbis reſpondit vxor eius dicens, Vtile tibi fortè fuiſſet ſi manus tua hunc librum iniuſtè non tetigiſſet, interim verò ille leuigando manu in poſteriora tangebat caballum, & ſtatim ab eo percuſſus mortuus eſt. Nouis & improuiſis his cladibus, & aliis multis formidoloſis rebus in reis peractis à multitudine populi compertis, timor magnus inuaſit eos qui ſe eſſe reos cognouerunt de prædicta prædatione Auguſtæ ciuitatis, non ſolum in eos qui illuc peruenerunt, ſed & qui aliquid de iniuſtè adquiſitis ab eis acceperunt, & ideo ad pœnitentiã & lamentationem conuerſi, digna emendatione & reſtitutione abſtractarum rerum, & cũ efflagitatione indulgentiæ epiſcopi, ſtuduerunt ſe cum Chriſto & cum ſancta Maria matre eius pacificare. Non poſt multum verò temporis præfatus Arnolfus qui ſe præſumpſit res ſanctæ Mariæ hoſtiliter inuadere, & incorrigibilis ſine pœnitentia perdurauit, obſeſſa Ratiſpona ciuitate paratus ad prælium exiuit, & ſtatim in articulo tumultus occiſus eſt. Quidã etiã homo de epiſcopatu qui dicitur b Eihſtetten, partem viliſſimi menſalis inde ad ſuam proprietatem portauit, & ſtatim à dæmonio occupatus, nullum abſcondendi locum ab eo inuenire potuit, neque in eccleſia neque extra eccleſiam, neque aſperſus aqua benedicta, quin iuxta eum ſemper videretur manere, donec Auguſtam regrediens, iniuſtè inde rapta reportauit, & epiſcopum cum ſcopis ei flagella imponere pro Chriſti nomine poſtulauit, & inſuper indulgentiam præfati delicti condonare, ſicq; liberatus à dæmonio ſaluatus receſſit. XL

a Exempla vlti ſacrilegii.

Arnolfi Principis interitus.

b Al. Eichſtetten.

NE diu me ab incepta taxatione ſubtraham, libet ſtylum retrahere ab enumeratione ex vtraque parte obſeſſarum vrbium & bellorum vndique furentium, & viciſſitudine c ſtromatum diuerſorum, ſed potius quomodo Dominus omnipotens per merita ſeruorum ſuorum, ſuum dignaretur populum liberare libet recenſere, ne diaboli machinationibus ad ſuum perueniret exitium. Cum rex Otto in Alamannia, propter eos qui cum Luitolfo filio eius ditioni ſuæ regalis poteſtatis contradicere voluerunt, cum exercitu conuerſaretur iuxta flumen quod Hilara vocatur, in campo oppidi quod dicitur d Tuſſa, & ibi ſæpedictus filius eius Luitolfus cum alio exercitu obuius ad pugnandum contra eum deuenitet, & cum tanta vicinitate coniuncti eſſent, vt nulla ambiguitatis ſpe detenti manerent in vtrarumque partium multitudine, ni bellum ab eis committeretur, tunc amabilis Deo Vdalricus epiſcopus in Deum tota fiducia confidens, aſſumpto Curienſis eccleſiæ Hariberto religioſo epiſcopo, legationes inter eos facere cœpit, & ad pacis concordiam exorare, & ne populus qui à Deo illis commendatus eſt ad regendum, pro eorum reatu duceretur ad perditionẽ. Deo autem annuente duæ amborum mentes, patris ſcilicet Ottonis & filij eius Luitolfi, de proficua admonitione & doctrina venerandorum epiſcoporum in mollitiam verſæ, pactum pacis inter ſe placitauerunt, & turbine belli mitigato, in ſua cum pace redierunt. Tantis autem tunc præfatis tumultuum fatigationibus ſuperatis, æſtimauerunt ſe aliquod ſpatium temporis in pace poſſe quieſcere. Altero pro certo ſtatim anno, quod eſt anno incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCLV. tanta multitudo * Vngrorum erupit, quanta tunc temporis viuentium hominum nemo ſe antea vidiſſe in vlla regione profitebatur, & e Noricorum regionem à Danubio flumine vſque ad nigram ſiluam, quæ pertinet ad montana, ſimul deuaſtando occupauit, & cum Licum tranſcenderet, & Alemanniam occuparet, eccleſiam ſanctæ Afræ concremauit, & totam prouinciam à Danubio vſque ad ſiluam deprædauit, & maximam partem vſque ad Hilaram fluuium igne comburſit, Auguſtam autem ciuitatem obſedit, quæ tunc f imis ſine turribus circumdata muris, firma ex ſemetipſa non fuit. Sanctus autem antiſtes magnam valde multitudinem optimorum militum ſecum intra ſepta ciuitatis collocatam habebat; ex quorum agilitate & audacia ciuitas fortiter firmata Deo iuuante conſiſtebat: qui vt exercitium Vngrorum ad expugnandam ciuitatem circumdare viderunt, eis obuiam exire voluerunt, ſed hoc epiſcopus eis non conſentiens, portam vbi maximus aditus intrandi manebat firmiter occludere præcepit. Porta g autem orientalis plagæ vnde itur ad aquam, ſic à denſitate Vngrorum bello occupata eſt, vt ipſi æſtimarent ſe ſtatim poſſe intrare, milites enim epiſcopi ante portam viriliter pugnantes eis reſiſtebant, vſque dum vnus Vngrorum qui ceteros pugnando antecedebat, & ex cuius ductu & anteceſſione maximam præliandi in illa hora confidentiam habebant, occiſus occubuit ceteri denique cum eum terra tenus mortuum cadere viderunt, magno clamore & lamentatione eum rapientes ad caſtra reuerſi ſunt. Hora verò belli epiſcopus ſuper caballum ſuum ſedens ſtola indutus, non clypeo aut lorica aut galea munitus, iaculis & lapidibus vndique circa eum diſcurrentibus intactus & illæſus ſubſiſtebat. Bello verò finito regrediens circuiuit ciuitatem, & domos belli in circuitu ciuitatis congruenter ponere, & in tota nocte eas ædificare, & vallos quantum tempus ſuppetebat renouare præcepit. Ille autem totum ſpatium noctis in oratione pernoctans, religioſas mulieres in ciuitate congregatas concitabat, vt vna pars earum cum crucibus ad dominum deuotè clamando intra circumirent, & altera pars clementiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ pro defenſione populi, & pro liberatione ciuitatis, ſtudioſiſſimè pauimento proſtrata flagitaret. Ipſe autem minimam particulam noctis ante matutinam horam corpus requiei ſoporis indulſit, vt matutinis laudibus expletis, aurora primum irrumpente ſalutaris ſacrificii hoſtiam Deo libare licuiſſet. Miniſterio ſacro peracto, viatico ſacro omnes recreauit, humilique admonitione perſuaſit, vt in fide recta perſiſtentes, ſpem ſuam in Dominum componere non dubitarent, indicens eis omnigenam ſponſionem conſolationis, & annuncians pſalmigraphi Dauid verba dicentis, Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Salutari autem admonitione epiſcopi peracta, cum iubar radiantis ſolis primum latitudinem telluris irradiaret, exercitus Vngrorum inenarrabili pluralitate ex omni parte ad expugnandam ciuitatem circumcinxit, diuerſa ferens inſtrumenta ad depoſitionem murorum. Cumque vndique parati eſſent ad bellum, & cuncta propugnacula ciuitatis repugnantium plena fuiſſent, quidam Vngrorum flagellis alios minantes ad pugnandum coegerunt, & illi tantam multitudinem in propugnaculis reſiſtentium eis videntes, muris ſe coniungere adeo perterriti non audebant. Interim cum interius exteriuſque parati eſſent ad bellum, Perchtolfus filius Arnolfi de caſtello Riſinelpurch vocitato, venit ad regem Vngrorum, adnuncians ei aduentum Ottonis glorioſi regis. Qui vt hoc audiuit, ſuam claſſicum omni exercitui notum clangere XLI

c Pro ſtratagematũ. Mira dexteritate, imo Chriſti gratia, auertit prælium cruentum, & conciliat imperatorẽ filio A. 954.

d Tüſſen / cis Hilarã, prope Dietenheim / quod vltra eſt.

Hungari in Germaniã irrumpunt.

*al. Vngarorum.

e Bauariam intelligit.

Auguſtam obſident.

f Humilibus.

g Porta quã Iacobæam dicimus.

Pſalm. 22.

Al. Reſinelpurch.

Digitized by Google

clangere præcepit, de cuius ſonitu exercitus totus pugnam ciuitatis omiſit, & ad colloquium eorum regis ſe coniungere feſtinauit, qui cum eis autumatione facta Deo donante à pugna ciuitatis ceſſabat, & in occurſum glorioſi regis ire cœpit, ea ratione, vt illo cum ſuis ſuperato, victor rediens ciuitatem & totum regnum liberè habere potuiſſet. Regi Ottoni venienti Dietpaldus comes frater epiſcopi, cum ceteris qui in ciuitate erant nocte exiens in occurſum venit. Rex igitur cum tantum exercitum Vngrorum perſpexiſſet, æſtimauit non poſſe ab hominibus ſuperari, ni Deus omnipotens eos occidere dignaretur, in cuius adiutorium confidens, ſuorumq; conſolationibus principum roboratus, bellum viriliter cum eis agere cœpit, & cum mutua cæde vtrobique cecidiſſent, & his interfectis qui ad occiſionem à Deo prædeſtinati erant, glorioſa victoria Ottoni regi à Deo, cui nihil impoſſibile eſt, data eſt, ita vt exercitus Vngrorum in fugam verſus virtutem præliandi vltra non haberet, & quamuis incredibilis numerus illorum occiſus fuiſſet, tantus tamen adhuc exercitus eorum remanebat, vt hi qui de propugnaculis Auguſtæ ciuitatis eos venire conſpexerunt, non pugna laceſſitos eos redire æſtimauerunt, donec prætereuntes ciuitatem vlteriora Lici fluminis littora feſtinando repetere cognouerunt. Rex autem cum ſuis eos ſequens, & quibus ſe cõiungere potuit occidens, veſpertina horà diei ad Auguſtam peruenit, ibiq; cum epiſcopo illam noctem ducens, eiq; magnam conſolationis reuelationem faciens, de Dietpaldo fratre eius qui in bello occiſus eſt, & de alijs eius propinquis ibidem interfectis, * Rihguuinum filium Dietpaldi comitatibus patris honorauit, epiſcopiq; fido adiutorio, in quibuſcunq; eius deſiderium cognouit, dignam mercedem reſtituit. Mane autem facto fugitiuas barbarorum acies ſequendo, regionem † Baioariorum reuiſit, feſtiniſq; legatis miſſis, tota remigia & vada fluminum obſeruare præcepit ad occiſionem eorum, quod & ita factum eſt. Illi autem nocte illuc venientes, quidam eorum ab his qui in nauibus erant fluminibus immerſi ſunt, quidam occiſi ſunt, qui autem ad littus peruenerunt, ab his qui littora obſeruabant interfecti ſunt, nulla eis via, & nullum deuium ab eis inueniri potuit, quin in omni loco vindicta Domini ſuper eos manifeſtè maneret, ita etiam vt non poſt multos dies reges eorum & principes comprehenſi & ad Ratiſponam perducti, in ignominiam gentis eorum, cum alijs multis eorum comprouincialibus, eculeo ſuſpenderunt.

Multa Vngarorum millia cædit Otto Imperator.

* Al. Richuuinus.

† Al. Bauariorum.

XIII. Rex autem Otto potentiam in Deo tenens, Heinricum fratrem ſuum poteſtatiua manu in regnum confirmauit, & ipſe in Saxoniam victor ſicut ſolebat reuertebatur. Venerandus autem epiſcopus Vdalricus cum rex ab Auguſta diſcederet, abijt ad loca vbi bellum peractum eſt, quærens prædictum Dietpaldum fratrem ſuum, & nobilem Reginboldum filium * ſororis ſuæ, & inueniens eos ad Auguſtam perduxit, & in Eccleſia ſanctæ Mariæ ante altare ſanctæ Waldpurgæ virginis in ſede vnius † taphi ambos fideliter ſepeliuit. His ita ſicut prælibatum eſt peractis, epiſcopus quamuis multis aduerſis fatigatus fuiſſet, ſicut optimè omni ſperanti in Deo decet, bonæ conſolationis effectum aſſumens, cum ſuis pertractare cœpit qualiter imminentia damna aptiſſimè ſuperare potuiſſet. Inprimis qualiter deprædatam congregationem clericorum ſuſtentaret, adimplendum quotidianum miniſterium ſeruitij Dei in Eccleſia, ſciebat enim eos cibaria non habere, & ideo cum his quæ ipſe ſic deprædatus habere potuit, & quæ à beneuolis populis ei tranſmiſſa ſunt & oblata aſſiduè in ſua præſentia eos ſecundum ſuam facultatem mandere & bibere fecit, & omnimodis adiutorijs ſtabiliuit, eo vſque dum ex ſemetipſis deprædationis miſeriam temperauerunt, & loca eorum ex iterata laboratione ſuſtentationis ſubſidium attulerunt; ſua autem loca ignibus exuſta & conſumptis frugibus in deſolationem redacta, ſtudioſis laboribus in agris & in ædificijs renouare præcepit, ſtrenuitas autem familiæ iuſſioni eius parendo ſic inchoabat, & congruo tempore vtilitatis vſu quantum poſſibilitas ſufficiebat reſtituit. Eccleſiam autem ſanctæ Afræ quæ à paganis fuerat cremata, adhuc reædificata non erat, ſed tugurium * gloſſibus tectum altaria ab imbribus & intemperiebus defendebat: ſepulchrum Simperti epiſcopi in choro iuxta gradus ſitum, adhuc ſine tecto remanebat, de cuius operimento in viſione admonitus, lignis more operculi arte coniunctis regebat. Non poſt multum verò temporis decurſum, iterum admonitus vt domum ſanctæ Afræ reædificare non tardaret. De cuius inſtauratione cum ſæpiſſimè tractaret, qualiter congruentiſſimè fieri potuiſſet, & qualiter ſub poſitione cryptæ orientalem plagam eccleſiæ conuenientiſſimè decoraret, & nullus certitudinis effectus ei animo inſpiraſſet, continuis orationibus & ieiunijs cum domeſticis & religioſis presbyteris, deuotiſſimè miſericordiam Dei ſecretò deprecari cœpit, vt ei monſtraretur locus in quo corpus ſanctæ Afræ collocatum fuiſſet, & ſi cryptam in eo loco vbi voluntas eius complacuit fas componere maneret. Vt orationem eius & ieiunium ad aures domini peruenire dubium non eſſet, ſecundum cantationem ſancti Dauid prophetæ, Ecce oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum, quadam nocte in viſu ei ſancta Afra apparuit, & locum collocationis corporis eius, ſicut in ſcriptura paſſionis eius eſt ſcriptum, ab Auguſta ciuitate, in ſecundo milliario in eccleſia monſtrauit. Cryptam autem in prædeſtinato loco fieri prohibuit, propter ſanctorum reliquias quæ in illo loco in requie diem expectare debent iudicij. Hac reuelatione perdoctus quid ſibi eſſet faciendum, muros ex maxima parte ab ignibus depoſitos cum magna feſtinatione reædificare fecit, & priori altitudini menſuram vnius cubiti ſuperpoſuit, cryptaq; congruenti occidentalem partem eccleſiæ decorauit, ſuper ædificia in ſua præſentia cautè menſurata, ſummo ſtudio incidere & adducere præcepit, & non tardauit donec imbricibus eam ex toto cooperuit, & interius ædem eccleſiæ laquearijs veſtiuit, & lucida pictura decorauit, & ornamenta eccleſiæ, quæ propter barbaros in ciuitatem fuerunt deportata, & in matrici eccleſia ſeruata, reſtitui fecit.

*Luitgarda

† ſepulchri.

* ſ. proſcandulis

Simpertus Epiſcopus Auguſtanus.

Pſalm. 33.

S. Afra indicat ei ſepulcrum ſuum.

XIV. QVAM in magna obſeruatione Dei ille locus orientalis partis eccleſiæ ſemper maneat certis ſit indicijs manifeſtatum, hic mihi congruum videtur innectere. Quidam hortulanus nomine Adelpoldus ibi deambulando inter gramina ſpeluncam inuenit, in quam intrans formoſam ædiculam ſub terra muratam conſpexit, & veniens nunciauit epiſcopo dicens, In hoc loco poſſum olera mea & alia neceſſaria reponere. Cui ille reſpondit denunciando dicens, Si hoc facis, ſenſum & ſoſpitatem membrorum tuorum te perdere dubium non eſt. Hortulanus autem verbis epiſcopi non credens, ſine eius ſcientia præfatas res in eandem ſpeluncam congregare cœpit; hoc faciendo ſenſum cum auditu & viſu perdidit. Hoc autem cum epiſcopo nunciatum fuiſſet, iuſſit adduci ſibi hortulanum & dixit ei, Quare occupare voluiſti illum ſanctum locum ſpernendo meum præceptum? Cui ille quamuis ſenſu careret, non inficior ait, ſcio enim quod pro illo reatu quod mandatis tuis non obediui, iſtam tribulationem incurri. Cuius tribulationibus beneuolus epiſcopus condolens, indulgentiam ei cum benedictione donans, Deo concedente ſanitati reſtituit. Mirabile dictu, ille hortulanus poſtea illam ſpeluncam nullo modo inuenire potuit. Poſtea autem epiſcopus pollinctoribus accerſitis, in auſtrali parte exterioris muri eccleſiæ ſepulchrum ſibi fodere, & exterius muro cingere, & perrupto muro eccleſiæ arcum muratum deſuper curuare præcepit, & arcam aptam componere ad cooperiendum corpus in ſepulcro, & inſuper tabulatum denſum longo tempore imputribile cauta coniunctione vinctum ſuperponi decreuit. His præparationibus exequiarum ſuarum perpetratis, omni hebdomada dehinc ipſum locum die Veneris viſitare, & ibi hoſtias immolare conſuetus erat, ſi alia aliqua ei occupatio vel abſentia impedimentum non fecit. Interea verò Dei donante clementia iſtas regiones concordia pacis illuſtrabat, & beneuolas mentes turbo perſequutionum à ſeruitio domini non prohibebat, ideo ipſe Romam pergere decreuit, & illuc feliciter peruenit, liminaq; beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli deuotionis ſtudio humiliter viſitauit, ibiq; precibus profuſis, eleemoſynarumq; largitate pauperibus diſpenſata, ab Alberico principe Romanorum honorificè ſuſceptus eſt, frequentiq; miniſte-

Ædicula murata ſub terra.

Pœna temerarij hortulani.

Res mira ſane.

Romã proficiſcitur orationis ergo.

miniſterio & oblatione cumulatus, aliquantos dies ibi perdurauit. Cumq; ibi morando reliquias ſanctorum ſe velle compatare indicaſſet, quidam clericus ad eum veniens, perduxit eum in ſilentio noctis vbi caput ſancti Abundi martyris in quadam eccleſia altari incluſum ſeruabatur, cuius paſſionem ei oſtendens & caput præſentans, ſacramento firmatatem fecit ſuper reliquias, quas epiſcopus ſecum attulerat, eiuſdem Abundi caput eſſe cuius paſſio præſentialiter fuit perlecta. Cum autem ſacramentum peractum audiſſet epiſcopus, placitam mercedem clerico donauit, caputq; ſancti Abundi accipiens, ad Auguſtam ſecum reportauit, ibiq; ad conſolationem multorum glorioſè incluſit. Monaſterium verò ſancti Galli vbi ille ſcientias litterarum fuerat perdoctus aſſidue viſitauit, ibiq; Deo militantibus cœnobitis cõuiuium fecit, & inde ad cellam ſancti Meginardi perrexit, ad videndum ſeruum Dei ſanctum Eberhardum, eiuſq; neceſſitatibus ſibiq; ſubiectis monachis ſubueniendum, in quibuſcumq; potuit eorum cognoſcere voluntatem. Vltima verò vice Eberhardo viuẽte, cum inde recedere debuiſſet, expleta multimoda amabilitatis loquutione, acceptoq; cum orationibus in Eccleſia * permiſſo, ad vehiculum ſuæ reportationis egreſſus eſt, cumque paratus eſſet ad pergendum, & eo die ſanctum Eberhardum amplius videre non putaret, ſubito poſt eum quaſi feſtinando veniebat, & oſcula charitatis iterans cum flebilibus oculis aiebat, [a] Ex hac hora vltra me non videbis, donec exempti corporibus in præſentia Dei nos videre merebimur. Cuius verbis reſpondens epiſcopus dixit, Dulciſſime pater, nunc ſcis me certè cito de hoc ſæculo eſſe migraturum, cui ille reſpondit, finis adhuc vitæ tuæ tibi non imminet, verba autem quæ tibi nunc dixi vera eſſe non dubites. His verbis expletis epiſcopus remeauit, & antequam iterum eandem cellam reuiſitaret, Eberhardus feliciter migrauit à ſæculo.

Eberhardus ex Decano Argentinẽſi eremita

* *Accipere permiſſum, vetus membr.*

[a] Eberhardi ſerui Dei prophetia

Regionem quoq; Burgundionum tempore alio adijt, & ad Agaunenſium locum, vbi ſanctus Mauritius cũ ſuis ſequacibus propter nomen Domini martyrium ſumpſit, magnæ humilitatis ſtudio viſitauit, quia antea à Rege Burgundionum promiſſionem accepit, vt vnum de ſanctis martyribus ex eius datione & adiutorio inde ad Auguſtam referre mereretur. Et cum illuc die ſabbathi perueniret, monaſterium nouiter à Sarracenis exuſtũ inuenit, & nullum de habitatoribus ibi conſpexit, niſi vnum ædis * ædilem combuſtum monaſterium cuſtodientem. Cumq; ille ſeram noctem in Dei laudibus ibi permaneret, & mane cum radius ſolis primum latitudini terræ lucem diffunderet, miſſam de ſancta trinitate celebrauit, qua expleta, cum alteram ſtatim venerationi diei dominici congruentem celebrare cœpiſſet, duodecim clerici cum multitudine populi aduenientes miniſterij ſui celebrationem audientes perſiſterunt. Quo peracto, ſanctus epiſcopus eoſdem fratres ſalutauit & muneribus honorauit, & ob quam rem illuc deueniret notum fecit. Qui hilaritatis eius dulcedinem & ſanctitatis religionem perſentientes, ne delectabili deſiderio priuatus abiret, aperta collocationis ſanctorum ſpelunca in ſcopulo exciſo, plurima parte ſanctarum reliquiarum donatum lætificauerunt. Cum verò optabili licentia clericorum, & amantiſſima dimiſſione populi inde rediret, Conſtantiam ciuitatem cauſa orationis viſitauit, & inde ad Augiam inſulam venit, & ab Aleuuico abbate charitatiuè ſuſceptus & omnimodis commodis bene procuratus eſt. Cumq; amabili colloquio inter ſe ſermocinarentur, omnia quæ ei in itinere acciderunt nota fecit. Beneuolentia autem abbatis, cum audiret eum pro amore ſanctarum reliquiarum exire, deſiderio eius ſatisfaciens, non modicam partem de corpore ſancti Mauritij & de aliorum multorum ſanctorum reliquijs ei donans, lætum abire permiſit. Auguſtæ verò ciuitati cum appropinquaret, præmiſſis nuncijs demãdauit vt ad * optiuum donum ſanctarum reliquiarum, quod ſecum attulerat, honorificè clerici cum populo, & eum crucibus & incenſo pigmentorum, aquaq; benedicta occurrerent, & ſuſcipiendo glorioſè, eum laudibus & melodijs congruis perducerent honorificè cum illo in eccleſiam in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ conſecratam. Illuc cum perductum eſſet, ab epiſcopo cautè collocatum eſt in arcam auro & argento coopertam, ad laudem Dei omnipotentis & in auxilium populi aduenientis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. Talibus & his ſimilibus ſtudijs ſemper in Dei voluntate ſeruiens, decertauit qualiter epiſcopatum, quem ad regendum ſuſcepit, omnigenis honoribus ſublimare potuiſſet, & ſeruitium Dei & ſanctæ Mariæ Dei genitricis amplificare indefeſſus laborabat, & ideo vbique gratia Dei præuentus, ſicut in pſalmis ſcriptum inuenitur, Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos: Et ſecundum Apoſtolum dicentem, Scimus quomodo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & reliqua. Multiplicibus enim Dei magnificentijs honoratus, & firma fide confortatus, deſideria voluntatis eius percipiens, multis in ſuis neceſſitatibus profuit, & poſſibilitatis ſuæ potentiam quantum potuit humiliter celauit, quia multi qui caduco morbo vexabantur, ſanctitatis eius benedictione percepta, ſoſpitati reſtituebantur, ſi pro qua re benedictionem experiuere, non indicauere, qui autem neceſſitatis eorum afflictionem manifeſtè nunciauerunt, benedictione ſubtracta, cauſa humilitatis abire permiſit, dicens, Ego non ſum dignus de hac infirmitate vos poſſe liberare. XV.

** Al. Senilẽ.*

Vide notata de pluribus vna die miſſis ſupra ad cap. 3.

En quanti facit vir ſanctiſſimus ſanctorum reliquias

** pro exoptatum.*

Pſalm 144

ad Rom 8

Morbidi multi præſertim epileptici ab eo curantur.

Nota vim olei conſecrati.

Sanctificatvm verò oleum in die cœnæ Domini ab eo tam ſalubre effectum eſt, vt multi in infirmitate XVI.
poſiti, ab eo vncti celeriter ſanitati reſtituerentur, & multi caliginem oculorum habentes, & præſentis luminis ſe in hoc ſæculo manere carentes putauere, à tactu huius olei ſerenitati oculorum iterum vti meruerunt. Hæc verò nemine dicente comperiebam, ſed proprijs oculis in quamplurimis peracta conſpiciebam. De ipſius autem epiſcopi * recuperatione non oportet reticere, quia cum quodam tempore de monaſterio ſancti Galli redire ad Auguſtam [b] ciuitatem decreuiſſet, Campidonam veniens tam graui infirmitate detentus eſt, vt ex ſe ſine adiutorio aliorum ambulare non potuiſſet, & cibum ad recreationem corporis ſumere, vires non ſufficerent; miſſis nuncijs celeriter ad Auguſtam ciuitatem, oleum ab eo conſecratum ſibi inde reportare præcepit, cumque in vigilia Pentecoſten nuncijs reuertentibus hora diei nona, cum adhuc congregatio monachorum ſollenni officio miſſæ interfuiſſet, & ipſe intra cubiculum ſacrum myſterium auditum habuiſſet, oleum ei repræſentaretur, peracto ſacro myſterio monachi ad eum introducti ſunt, præſentibus clericis qui cum eo illuc deuenerunt, & cantatis pro eius infirmitate ſeptem pſalmis, letaniaque deuotè expleta, quendam ſanctum monachum Hiltine nominatum, ad clauſtrum reuertentes fratres ad vngendum eum oleo ſancto cum ſuis duobus presbyteris dimiſerunt. Vnctione verò peracta ſecundum doctrinam Iacobi Apoſtoli, Infirmatur quis in vobis, inducat presbyterum eccleſiæ, & rel. dixit epiſcopus præpoſit●, Iſtis vnctoribus meis cum cæteris meis comitibus, in mea vice ſeruitium congruenter exhibete, cum his bonis quæ nobis hodie conceſſit Deus. Cum verò ad menſam prandendum conſediſſent, & adhuc prandium peractum nõ fuiſſet, nuncius de epiſcopo venit dicens, Læto animo eſtote & recreamini cum gaudio, quia Dominus noſter Epiſcopus, quamuis hebdomada præterita vel buccellam panis ad refectionem accipere non potuiſſet, nunc Deo donante ſe reficit, & reducta ſanitate eſt melioratus. Qui audito delectabili nuncio, omnes ſimul Deum laudantes & Deo gratias dicentes hilares effecti ſunt. Veſpertina autem hora adueniente, & ſigno veſpertinali in primis ſonante, ſtatim ſurrexit & ad Eccleſiam ambulauit, & ibi in Dei laudibus infatigatus permanſit, donec veſpertinalis laus à fratribus ſecundum curſum monachorum prolixè perficiebatur, & poſtea de die in diem confortatus, ex integro priſtinæ ſanitati citò reſtitutus eſt. O quam magna multitudo dulcedinis Dei, qui illi hoc tanta velocitate ad remedium conceſſit, quod ille alijs ad medicinam & ad indulgentiam peccatorum præparauit, vt cum eius fide perfecta ceteris plurimis fides confirmaretur.

** Recuperatio* erholung von der Kranckheit.

[b] Eodẽ oleo ipſe quoq; curatur

Iacob 5.

Tradere.

XVII. Tradere huic quoque me aliam rationem in hoc loco oportet, quam Heteuuigo Capellano eius dicente comperi. Quadam die cum pro aliqua vtilitatis cauſa ſuper fluuium * Vindicem nominatum caballicare debuiſſet, & ipſe ab illo ictu eleuatus fuiſſet, & comites epiſcopi vniuerſi vadum rectitudinis deuitarent, & alia vada aptiora quærerent, & idem ipſe prænominatus Heteuuigus ª ſolus cum eo remaneret, ipſe vadum quod alij omiſerunt ſine trepidatione tranſcendit, ſoccis de ſago factis indutus propter frigus, quia hyems erat. Præfatus verò Heteuuigus flumine tranſgreſſo, ex cingulo deorſum, quamuis ſuper altiorem caballum ſederet quam epiſcopus, vdus effectus eſt, & proſpiciens in veſtimenta epiſcopi ſi aqua infunderentur, ſed nec in ſoccis vnum pilum humidum conſpexit, & ad epiſcopum dixit, ego vditate perfuſus ſum, & tuæ celſitudini pilus in ſoccis non eſt madefactus: Cui dixit epiſcopus, hæc quæ vidiſti me viuente nemini dicere præſumas. Alio verò tempore, cum ad colloquium Ottonis Imperatoris ad Ratiſponam ciuitatem nauigando per Danubium venire decreuiſſet, quodam die nautis incautè ante ſe conſpicientibus, nauis cuidam ligno importunè coniuncta, aquis repleta immerſionem omnibus minabatur. Perturbati verò omnes & timore perculſi, ad littus magno ſtudio nauem perducere feſtinarunt. Naui verò andæ adducta, quæ intra erant ad littus portauerunt, illius verò epiſcopi in poſteriori roſtro nauis ſedentis obliti ſunt. Vnus verò clericorum Meſi nominatus, magno ſtupore attonitus dixit, Heu nobis miſeris, quia ſeniori noſtro in iſto periculo adiutores non fuimus, & his dictis currens per profunditatem aquæ quæ in naui fuerat congregata, aſſumptis brachijs epiſcopi ſuper humeros eius, euexit eum extra nauem, omnibus itaq; expoſitis & illo nouiſſimè egreſſo, nauis in poſteriori parte profunditati demerſa eſt. Quid mirum ſi nauis onuſta eo inſedente mergi non potuit, ſed eo iubente ſuper aquam ſtetit, qui beato Petro Apoſtolo vndas maris ad ſuperambulandum propria voluntate firmauit? ſic non ex ſua conditione, ſed ex meritis in ea ſedentis nauis interim ſuper aquas natare cogebatur, donec cunctis ſtipendijs & oneribus releuaretur, poſtea verò immerſa nunciabatur.

* Al. Vindonem, al. Virdonem, vulgò VVerten.
ª Tranſmittit flumen inundans nihil madefactus.
Miraculum inſigne.
Matth. 14.

XIIX. Romam viſitare itaq; cum quodam tempore æſtuanti animo deſideraret, & ad fluuium nomine * Tarcum perueniret, tam periculoſum ex inũdatione aquarum factum inuenit, vt nullus ex vtraq; parte aduenientium eo die vel alio ſe poſſe ᵇ venire ſuper eum ſperaret: Sanctus epiſcopus in Deum confidens, paratura miſſatica ſe indui feſtinauit, & in littore fluminis cum ſuis comitibus miſſam deuotè celebrauit, & poſt miſſam præfatum fluuium tanta commoditate tranſiuit, vt nulli eius comitum aliquid aduerſitatis eueniret, ſed omnes ſalui & incolumes Deum laudantes gaudendo ibant per viam.

* Tarus Plinio fluuius Italiæ Ciſpadanæ.
ᵇ Venire ſuper eum ibat in ſecunda.

XIX. Multimodis Chriſti ſeruitijs cum feruentiſſimè inſiſteret, & vndiq; amplificare ſtuduiſſet, Deo donante excogitauit, propter cuiuſdam ſanctimonialis religionem Emoza nominatæ, ad eccleſiam ſancti Stephani protomartyris ſanctimonialium congregationem componere, & regulæ ſanctitatis ſubdere, & ſancto velamine Chriſto Deo deſponſatas coniungere. Quod cum factum fuiſſet, quædam mulier cum conſenſu connubia mariti deſpiciens, eidem congregationi ob futuræ beatitudinis mercedem obedientiam profeſſa ſe admiſcuit, litterarum verò ſcientia ad perfectionem docta non manebat, ad exteriora autem neceſſitatis opera ſtrenuitatem magnam habebat, & ideo aliæ ſanctimoniales eam Cellerariam facere voluerunt, qua renuente, epiſcopo nunciatum eſt, & ſupplicatum eſt vt cum ſua poteſtate miniſterium cellarij commendaretur. Epiſcopus verò ſupplicationi aſſenſum præbens, præfatã ſanctimonialem cellerariam eſſe præcepit: Illa autem præcepto epiſcopi non obediuit, ſed in priſtina refragatione conata eſt perſiſtere: Sequenti verò nocte in ſomnis audiuit vocem dicentem ſibi. Quia non obediſti præceptis epiſcopi, ideo vſu ambulandi priuaris tamdiu donec ab eo abſolueris. Expergefacta autem diſſolutam membris ita ſe eſſe perſenſit, vt nullum ambulandi effectum habere potuiſſet. Hac infirmitate ligata, laborioſè expectabat aduentum epiſcopi. Interim verò appropinquabat tempus ſynodalis colloquij, & epiſcopus ad Auguſtam reuertebatur; hoc cum infirma ſanctimonialis audiret, rogauit ſe portari in eccleſiam ſanctæ Mariæ & obtutibus eius repræſentari, Cumq; ad eius præſentiam veniret eius miſericordiam deprecari cœpit, vt ab affligentibus alligationibus infirmitatis ab eo abſolui mereretur. Audita eius deprecatione epiſcopus, de inobedientia eam increpauit, & munere benedictionis ſimul & indulgentiæ donatam dimiſit. Cumque ab ea reuerteretur epiſcopus, ſtatim ſanitati reſtituta currendo præceſſit epiſcopum, antequam ille perambularet eccleſiam, & ante celſitudinis eius præſentiam proſtrata, Deum pro reddita ſanitate laudando, promiſit de inobedientia vltra ſeſe fore emendaturam, & ad proprias manſiunculas læta redijt.

Al. Hicila, vel Lucila.
ᶜ Monaſterium S. Stephani.
Caſtigatur inobediens.
Claudam ſanat vir ſanctus.

XX. Hymnizans ſanctus dominum epiſcopus, habili tempore poſtea eccleſiam in cœmeterio ſanctæ Mariæ in modum crucis ædificare cœpit, & ædificatione peracta, altaribusq; quinq; in ea compoſitis, in honore ſancti Ioannis baptiſtæ dedicauit, & dolium baptizandi de petra exciſum in ea conſtitui fecit, & dote legitimatam, presbytero ad procurandum in diuinis officijs commendauit, & præcepit vt matricularij in omni hebdomada die ſabbathi, & in alijs ſollemnibus feſtiuitatibus, cum euangelio & crucibus & cereis cum Dei laudibus reuerenter viſitarent, & in paſchali hebdomada, quam dicunt infra albas, quia tunc conſuetudo eſt tres cantare pſalmos ad veſperam, remanentes duos illuc deambulando cum antiphona & tono formoſa modulatione perpſallere, & ipſe perſæpe ibi ſalutares hoſtias Deo immolare conſueuit.

XXI. Zoam in vltimis temporibus ſuam ſaluare cupiendo, animo decreuit, quamuis vires corporis de die in diem decreſcere ſentiret, vt limina Apoſtolorum Petri & Pauli deuota intentione laboraſſet viſitare. Cumq; aliquantulum itineris peregiſſet in carpento, & ad difficiliores vias perueniret, non potuit vlterius peragere, antequam in lecto collocatus equis ſuperpoſitus pergere cœpit: ſicq; pergendo, quamuis comitibus eius vbique periculoſum videretur, Deo iuuante & ſancto Petro Apoſtolo, ſine periculo peruenit ad Romam, votorumq; ibi antea diſpoſitorum & promiſſionibus deuotiſſimè expletis, & gratiſſimorum emolumentorum & indulgentiarum donis acceptis, † permiſſoq; ſalubri à ſancto Petro & vicario eius Pontifice, ceteriſq; Deo ibi ſancto Petro militantibus honorabiliter accepto, felicem reditum inijt, & Rauennam viſitare diſpoſuit. Illucq; cum appropinquaret, Imperatorem glorioſum Ottonem cum Imperatrice Adalhaida ibi manere comperit, & ante ſe miſſo nuncio aduentum eius illi indicauit, & ille ſtatim nuncium ſequendo ad oſtium cubiculi Imperatoris peruenit. Imperator verò cum eum in tanta vicinitate manere agnouiſſet, vno pede calceato & alio adhuc incalceato, cauſa humilitatis & flagrantia diuini amoris, eum ad ſuſcipiendum amabiliter feſtinauit. Cumq; in cubiculo acceſſita Imperatrice ſuam colloquio fruerentur, & alternis locutionibus diuerſarum rerum prouentus terminarent, vir ſanctus Imperatorem cum auxilio Imperatricis flagitare cœpit, vt filio ſororis ſuæ Adalberoni procurationem ſui epiſcopatus, regimenq; ſuper familiam & omnia negocia ſæcularia ad eum pertinentia, fideliter firmiterq; commendaret, & vt à celſitudine eius Imperialis potentiæ promiſſum conſolationis accipere mereretur, vt poſt eius diſceſſum cathedram epiſcopalis poteſtatis ei donaret, vt ſibi maioris otij ad ſtudium orationis & eccleſiaſtici regiminis & Chriſtianitatis ſtabilitatem facultas concederetur. Cuius petitioni glorioſus & beneuolus Imperator aſſenſum præbens, ſæcularium negociorum commercia Adalberoni commendauit, & epiſcopalis honorem cathedræ poſt vitam epiſcopi, ſi Deus vellet, ei donare permiſit, & inſuper multis libris auri epiſcopum donatum, amabiliter abire permiſit, & eius manſiones cum alio ſeruitio neceſſario, cum ſuis fidelibus vſq; ad finem illius prouinciæ cautè diſpoſuit.

* Zoam pro vita, vitam pro anima vſurpauit.
Romam adit an. 971.
† permiſſu vitiaub.
Nepotem ſuum curat ſibi ſubſtitui in adminiſtratione.

EPISCOPVS autem & præfatus Adalbero, cùm lætabundi ad Auguſtam reuerterentur ciuitatem, honorifi- XXII.
cè ſicut decuit ſuſcepti ſunt, & omnes qui ibi inuenti ſunt, comperta eorum proſpera reuerſione, & honorificationē ab Imperatore eis facta, valde lætificati ſunt. Tunc verò præfatus Adalbero congregatis militibus epiſcopi, deſiderauit vt ei ſacramenta fidelitatis iurarent, quod & fecerunt in præſentia epiſcopi, ſimiliter & familia per totum epiſcopatum fecit. Epiſcopus autem indumento more monachorum formato induebatur, quorum antea regulam multimodis virtutibus ſequi conſueuerat. Cumq; hæc ita agerentur, propter quorundam clericorum æmulationem, qui ſe æſtimabant poſt obitum ſancti epiſcopi, Imperiali celſitudine concedente, epiſcopatum poſſe acquirere, ferulam epiſcopalem publicè portare præſumpſit, vt eis tota ſpes acquirendi epiſcopatus adimeretur.

Synodus Ingelheimenſis in cauſa Adalberonis An. 972.

* Ingelheim

POSTEA verò reuertentibus de Italia Imperatoribus, patre ſcilicet & ipſius prole ad Franciam, facta eſt ſy- XXIII
nodus in loco qui dicitur * Ingilunheim, ad quam archiepiſcopi cum ceteris ſuis ſuffraganeis ſanctum Vdalricum cū ſuis legatis honorificè inuitauerunt, Adalberonemq; eius nepotem cum eo venire decreuerunt. Illuc verò cum peruenirent, & antiſtites ibidem congregati Adalberonem baculum epiſcopalem publicè portare cognouiſſent, irati ſunt contra eum, & dicebant, vt contra canonicæ rectitudinis regulam in hæreſim lapſus fuiſſet, & quod Pontificalis honorem ſublimitatis viuente epiſcopo ſibi plus iuſto vindicaret, & ideo vltra eum Epiſcopum ordinari non deceret. Quibus ille auditis, prima die ſynodale colloquium intrare deuitauit, & in alia domo cum ceteris clericis epiſcopi remanebat: Antiſtes autem cum paucis ſuis capellanis ſynodum intrauit. Cumq; inter ſe Pontifices colloquia habere cœpiſſent, vniuſcuiuſq; rationem per latinitatis locutionem voluerunt terminari: Cumq; cauſa ſancti Vdalrici fuiſſet ventilanda, & ille pro * infirmitate, tam ſonora voce vt tota ſynodus audire potuiſſet, rationem proferre nō poſſet, aduocabatur vnus ſuus clericus nomine Gerhardus, qui extra ſynodum cum Adalberone remanebat, vt pro eo deſiderij ſui rationem per latinitatis locutionem manifeſtaret. Cumq; vix pro denſitate multitudinis, in præſentia Imperatorū & Epiſcoporum præſens ſtetiſſet, interrogabatur quid deſideraret dominus ſuus. Quibus interrogationibus multiplicatis, dixit, non debeo interrogationibus veſtris reſpondere pro Domino meo, niſi illo præcipiente. Cui dixit epiſcopus, frater, bene tibi notum eſt deſiderium meum, enarra hoc, & obſecra vt eorum conſilijs & permiſſionibus Deo iuuante expletum fiat. Tūc præfatus clericus Gerhardus in præſentia omnium dixit, Excellentiſſimi Imperatores & religioſiſſimi antiſtites, deſiderium Domini mei eſt relinquere ſæculum, & ſecūdum regulam ſancti Benedicti ſanctam inire vitam, & in contemplatiua vita diem expectare obitus ſui, in indumento pro certo habitus exterioris, poteſtis cognoſcere voluntatem animi interioris. Iſtis & alijs rationibus in voluntate domini ſui in finem deductis, terra tenus cecidit ante pedes Imperatorum & Antiſtitum, obſecrans vt petitionem domini ſui ſecundum Dei voluntatem implere non dedignarentur. Qui ſimul reſpondendi inducias vſq; in craſtinum diem poſtulauerunt, & poſtea inter ſe æſtimauerunt, qualiter cauſa Adalberonis terminaretur. Quidam verò epiſcoporum adiutores Adalberonis fuerunt, ne prorſus à ſe epiſcopalis ordinationis, poſt vitam auunculi ſui excluderetur. Hæc cum inter ſe prolixè ſermocinarentur, vltima in vnum ratione coadunati, omnes ſimul firmauerunt, niſi Adalbero ſe ſacramento excuſaret, quod non ſciret hæreſim manere, quia epiſcopalem potentiam cum baculo arripuit, nullo modo vlterius legaliter epiſcopus fieri potuiſſet. Altera verò die cum epiſcopo etiam Adalbero ſynodali interfuit colloquio, & cum ei prædictum crimen imputaretur, multis obiectionibus diuerſorum colloquiorum cum ſuis adiutoribus à prædicto crimine ſe defendere ſtatuit. Hoc cum ei adunatio omnium epiſcoporum non conſentiret, ſecūdū prædictam deſtinationem epiſcoporum ſacramentum perfecit, per nomen patris & filij & ſpiritus ſancti ſuper quatuor euangelia. Tunc iterum epiſcopus Vdalricus petitionis ſuæ reſponſa, quæ pridie procraſtinata fuerūt, per prædictum ſuum clericum expetiuit, quia deſiderauit vt prædictus ſuus nepos epiſcopus ordinaretur, & ille ſecundum regulam ſancti Benedicti, in monaſterio cum eorum conſenſu deſeruire mereretur. Epiſcopi autem, quamuis eis ex toto non placeret, apertè ei in ſynodo contradicere noluere petitionem ſuam, ſed ſapientiſſimi ex ipſis, cum conſilio aliorum, * extra ſynodum cum ambulare cum illis poſtulauerunt, ibiq; cum eo & cum ſuis clericis ſapientiſſimis ſecretam locutionem habuere, dicentes, Reuerēde pater, cui nota eſt omnium eccleſiaſticorum librorum normula, qui ſemper callem rectitudinis ambulaſti non deuiando, non decet vt nunc iſtam viam quam ſemper tenuiſti omittens, ſeminarium ex te ſumat talis error, vt alius in loco tuo te viuente ordinetur, quia ſi ex te talis conſuetudo incipit perpetrari, in poſterum multis reuerendis & bonis epiſcopis, ab eorum nepotibus & clericis talia deſiderantibus, multa concreſcunt aduerſa; melius tibi eſt vt in eo miniſterio, in quo cœpiſti, Deo ſeruire permaneas, quam tuam voluntatē ſequēs alijs plurimis ſcandalum facias, qui ex te canonici & monachi & ſanctimoniales & ceteri Chriſtiani ad rectitudinis ſtatum debent conſtringi, qui ex ſemetipſis per climata cadere feſtinant, qui autem incautè ambulando ceciderunt, ex te Deo iuuante erigi poſſe ſperandi ſunt. De nepote autem tuo Adalberone tuæ voluntati ſatisfaciendo, in commune firmamus, vt nullus alius à nobis poſt tuum diſceſſum, ad illum locum in quo tu paſtor exiſtis, eo viuente ordinetur niſi ipſe. His conſilijs conſentiens ſanctus epiſcopus Vdalricus, cum eis in ſynodum regrediebatur, & tunc cum conſenſu aliorum antiſtitum, fecit ab Imperatore Adalberoni commendari in eorum præſentia, procurationem ſui habere, & ſub ipſo totius epiſcopatus cautam diſpoſitionem in omnibus adimplere. Taliter verò iſtis terminatis, finita ſynodo epiſcopus & Adalbero cum ſuis ad Auguſtam reuertebantur.

*Agebat n. annum octuageſimū ſecundum. Codex mſ. hic alia manu ad oram habet, Iſte Gerhardus ſcripſit legendam, quod VVelſero neutiquam probatur, hic enim matricularius, vti auctor huius vitæ appellat, videtur, cū clericus S. Vdalrici vocetur, vitæ verò auctor ex congregatione S. Afræ fuit, vt ipſemet in epilogo indicat.

* *extra ambulare* auſtretten.

Miraculum quoddā in altero exemplo hic ſequebatur, quod quoniam infra iterum repetitur, viſum omittere

PRÆDICTA verò ſynodus in autumnali tempore peracta eſt; & in antea Paſchali tempore adueniente & XIV.
ſancta hebdomada finita, epiſcopus & Adalbero, amabiliter vocante * Riuuuino comite Dierpoldi fratris epiſcopi filio, ad caſtellum Dilinga nominatum venerunt, vt ibi aliquantos dies charitatiuè cum eo, & cum † femina eius Hiltegart nominata manerent. Paucis itaq; diebus tranſactis, Adalbero ibi cum phlebotemo ſibi phlebotemando ſanguinem minui fecit, & poſtea cum epiſcopo ad cænam conſedit, & de cæna ſurgens in lectum ſe ad requieſcendū depoſuit. cumq; vnuſquiſq; ad ſuas diuertiſſet manſiones, eadem nocte ſubitanea morte Adalbero [a] defunctus eſt. * Hereuuingus eius presbyter, cum ad nunciandum hoc epiſcopo cubiculum eius intraret, epiſcopus ſermonem eius præueniens, dixit illi, Ecce Adalbero defunctus eſt: Cui ille reſpondit, Ideo ego huc intraui vt tibi hoc nunciarem, nullus alius me præibat ad te, & quomodo hoc ſcire potuiſti? Cui ille reſpondit, Vade & ſuſcita Riuuinum & omnes qui nobiſcum ſunt, vt cito præparent vehiculum, vt corpus eius ad Auguſtam ducamus ciuitatem. Epiſcopus autem miſſis ad Auguſtam legatis, præcepit vt in eccleſia ſanctæ Afræ ſepulchrū eius iuxta ipſius ſepulchrum præpararetur; quod & ſic factum eſt. Ille autem cum his qui cum ipſo erant impoſuit corpus carpento, & antepoſitis equis vexit ad Auguſtam cum frequentia populi. Matricularij autem, cum crucibus & aqua benedicta & cereis & incenſo, & cum magna multitudine familiæ ceteriq; populi, appropinquanti occurrerunt, & honorificè ſuſcipientes, cum congruis orationibus & modulationibus perduxerunt ad locum ſepulchri, & ibi expletis vigilijs, & ſalutaribus pro eius anima Deo oblatis hoſtijs, epiſcopo animam omnipotenti Deo commendante, corpus deuotiſſimè ſepelierunt. Cōmendatione a. corporis peracta, & epiſcopo cum triſtitia redeunte, vniuerſi fletu & lamentatione & magna mœſtitia in ſuas reuerſi ſunt māſiones, pro eo quod ex nobili genere ortū, & formoſum, & grāmaticæ artis bene doctum, & in Dei ſeruitio ſtudioſum, & in bonis operibus ſtrenuum, & in eloquentia dulciſona cautum, in donando largum, in aduerſis aliorum

* *Al. Ribuuino.*

Dilinga caſtellum.

† *femina* Weib/ *id eſt vxor.*

[a] An 973. Adalbero nepos viri Dei moritur.

* *Al. Peretuuicus.*

Digitized by Google

aliorum triſtem, multarum virtutum opulentia cumulatum, in adiutorio miſerorum feſtinum, multimoda beneuolentia ornatum virum, tam citò depoſitum omiſerunt.

XXIV. Religiosvs autem antiſtes, miſſo legato nunciauit Imperatori obitum prædicti nepotis ſui, & Abbatiam Vtenburanominatam, quæ ipſi à ſua imperiali potentia conceſſa erat, poſtulauit ſibi donari, non cauſa auaritiæ, ſed ea intentione, vt cœnobiis ibidem Deo ſeruientibus deliberationem quam ille eis antea conſcriptam & ſigillatam ab eodem Imperatore donari impetrauit, reſtituere potuiſſet. Imperator autem per eundem nuncium abbatiam conceſſit, & conſolationem magnam, & multimodam ſalutē remandauit. Nuncius a. cum reuerteretur, inuenit Epiſcopum in loco qui dicitur Staphenſe, & hæc prædicta narrauit. Paucis verò diebus poſtea reuolutis, adhuc ipſi in eodem loco manenti, per nuncium quendam, orationis ſuffragia pro anima Imperatoris poſcentem, obitus eius illi annunciabatur. Inde verò cum ad Auguſtum rediret, venerunt nepotes ſui, Riuuinus comes filius fratris ſui Diethpaldi, & Hupaldus comes filius fratris ſui Manegoldi, & rogauerunt illum vt pergeret ad oppidum quod nominatur * Witeſelinga, & illis monſtraret eccleſiam ibi ſitam, vbi corpora ſuorum ᵃ parentum terræ commendata fuerant, de qua ipſe ſæpe eos antea præmonuit vt eam meliorarent, & eadem corpora in illum concluderent, ne vltra à pluuijs * domatum infunderentur, ordinare, & quantæ magnitudinis eam facere debuiſſent. Sanctus verò epiſcopus, quamuis certiſſimè ſciret in proximo manere ſequeſtrationem corporis & animæ ſuæ, tamen pro diutno amore, & pro eorum amabilitate illuc perrexit, & prouida ordinatione eandem eccleſiam ſuper præfata corpora amplificari perdocuit, ibique cum nepotibus ſuis aliquantis diebus moratus eſt, & inde ad caſtellum * Sunnemotinga nominatum, propter petitionem Manegoldi fratris prædicti Adalberonis peruenit. Cumque in itinere, antequam illuc peruenirent, in campo propter herbam iuxta villam quæ dicitur † Gerilehoua caſtrametati fuiſſent, cum ſol occaſui radios ſuæ lucis inſerere cœpiſſet, venit quidam homo qui dixit Chunradum epiſcopum certiſſimè defunctum fuiſſe, & nominauit diem obitus ſui, & diem collocationis corporis eius in ſepulchrum. Hac fama audita, clerici & alij comites eius ſtupefacti effecti ſunt, & ſtatim æſtimauerunt nuncium ad Auguſtam mittere, vt pro eius anima ſolitæ orationes explerentur: quibus ſanctus ᵇ epiſcopus blando ſermone infit, certiſſimè rei veritatem ſciens, deſiſtite adhuc nuncium mittere, mane diluculo comperietis qualiter circa epiſcopum maneat. Craſtina vero die diluculo quidam de Conſtantia venit, & de obitu epiſcopi veraciter contradixit, & eius poſſibilitatem ſecundum ſuam conſuetudinem eſſe nunciauit. Sanctus autem epiſcopus Vdalricus cœptum iter peregit, & ibi quaſi ad conuiuium vocatus, poſt expletionem ſalutaris hoſtiæ, quam quotidie per ᶜ ſe quamuis viribus corporis valde eſſet deſtitutus, Deo perſoluere ſatagebat, cum conuiuantibus quotidie ad menſam ſedebat, & nullum corpori cibum exhibuit, niſi micas panis aquæ infuſas in os miſit, quas etiā ſæpiſſime aquis exſpoliatas de ore reiecit, hauſtibus verò aquæ interdum corpus cum adhuc ad menſam ſederet reficiebat. Conſummatiſq; ibi rebus pro quibus illuc vocatus eſt, abire cœpit, altera die ad locum qui dicitur * Vtinniga peruenit, & ibi ad ſe conuocatis monachis de monaſterio Vtenbura nominato, autumare cum eis & cum ſuis fidelibus prouidè cœpit, quomodo deliberationem, quam eis antea ſicut prædixi ab Imperatore impetrauerat, reſtituere potuiſſet, & dixit eis, Eligite ex vobis vnum ad Abbatem, qui in Dei ſeruitio vtilis, & veſtris neceſſitatibus poſſit cautus inueniri. Si illum eligitis qui mihi ad hoc placet, commendabo illi Abbatiam vſq; in præſentiam domini mei Imperatoris: ſin autem alium niſi mihi placentem eligitis, non illi commendabo. Qui reſpondentes dixerunt, Nominet nobis ſanctitas tua, hunc qui tuæ dominationi placitus ſit ad electionem noſtræ vnitatis, Tunc dixit eis, † Ruduugum fratrem veſtrum ad hoc nominabo miniſterium. Quibus auditis fratres inducias poſtulauerunt, donec omnes ſimul loquerentur, ſi hæc electio cum omnium fratrū conſenſu fieri potuiſſet. Cumq; in loco deſtinato collecti fratres colloquia inter ſe habere cœpiſſent de præfata electione, quibuſdam fratribus placuit quibuſdam diſplicuit, ſed tamen cum conſilio amicorum roborati, epiſcopi voluntati parentes, in vnum coadunati Ruduugum ad Abbatem elegerunt, & cum eo ad epiſcopum regredientes, vnitatis eorum electionem ei nunciauerunt. His auditis epiſcopus, aſſumpto baculo commendauit abbatiam præfato Ruduugo vſq; in præſentiam Imperatoris, qui tūc in Imperio patri ſuo æquiuoco ſucceſſerat, & illum commendauit ſuis nepotibus & alijs ſuis fidelibus, vt eum celſitudini Imperatoris præſentarent, & illis cum fide ei iuuantibus, ab eo hæc confirmarentur. His ita expletis propriam ſui epiſcopatus reuiſitauit ſedem.

Otto magnus Imp. ob an 973. Non. Maij

Contractus

* Al. VVitegislinga.

ᵃ Parentes generatim videtur pro consanguineis capere. Ceterum Dietpaldus Riuuini pater Augustæ sepultus est, supra cap 13

* Al. Sunnēmotinga,

† Al. Gerilinoua.

ᵇ Falsum de obitu Constantiensis Episcopi rumorem coarguit.

ᶜ Quotidie grandæuus offert sacrificium.

* Al. Ottinga.

† Al. Ruodungum.

Al. Ruperti.

Ottonis secundi qui inijt An. 793.

XXVI. Moenia autem Auguſtæ ciuitatis ingreſſus, magna triſtitia ſeptus eſt pro morte Adalberonis ſui nepotis, & pro obitu Imperatoris, cui ſemper fidem in omnibus ſeruauit, cuius etiam amor pectori eius firmiter conglutinatus eſt. Pro requie verò animarum amborum multas eleemoſynas largitus eſt pauperibus, & multas orationes & preces ad dominum quotidie effudit vt eis miſereri dignaretur: miſſarum verò officia quotidie celebrare nō deſiſtebat, quoad vſq; vires corporis ſic ſubtrahebantur, vt nullo modo vltra per ſe ſtare potuiſſet. Ad menſam verò ſedebat, & ſedentibus cum eo conuiuium faciebat, & ille quaſi ieiunus abſiſtebat, & poſtea in eccleſia, vel in cubiculo ſuo dulci cantatione pſalmorum, vel auditione lectionum ſacrarum recreatus eſt. Vires verò corporis cum ei ita defeciſſent, vt per ſe miſſam cantare non potuiſſet, quotidie in Eccleſiam introductus deuotiſſimè eam audiuit, & interim orationibus intentis inſiſtere non deſiſtebat. Pro certo poſt miſſam expletam cum cubiculum intraret, repauſationi lectuli ſe non commendauit ante horam veſpertinam, ſed ſuper ſedile ſuum calceatus ſedit, & interdum ſe ſuper puluillum in dexteram partem reclinauit, interdum ad ſiniſtram, & interdum ſedens ad dorſum ſuper poſteriora ſedilis in quo ſedebat reclinauit. Et poſt expletionem curſus & totius pſalterij, legente Gerhardo * Præpoſito ſacrorum lectiones librorum audiuit, & interdum cum eo inde dulci eloquio fruebatur. Quodam vero eloquio inter ipſos finito, præfatus clericus interrogauit eum dicens. Habes ſpem pro iſta infirmitate domine obitum tuum tibi imminere? Cui ille quaſi eum increpando reſpondit, Quare ſic dixiſti? non ſpero, ſed certiſſimè cognoſco diem obitus mei non poſt multos dies mihi euenire. De qua re presbyter contriſtatus, indulgentiam poſtulauit & dixit illi, Domine quem epiſcoporum præcipis vocare ad commendationem corporis tui? Cui ille reſpondit, Eo tempore quando anima mea dereliɛta eſt hoc corpus, non poteſtis vllum eorum huc aduocare, quia ᵈ comprouincialis meus Chunradus Epiſcopus tanta infirmitate detentus eſt, vt huc venire non poſſit, epiſcopi verò * Banuuariorum ad regale colloquium ad Franciam ſunt congregati. At ille inquit, Domine quid tunc facere debemus? Cui ſanctus Epiſcopus dixit, Noſtis corpus hominis terræ commendare? At ille ait, Si talis perſona eſſet ſuper quam commendatio noſtra fieri debuiſſet, timorem inde non haberemus. Cui epiſcopus dixit, Facite de hac re cum tempus aduenerit ſicut optimè poteſtis, dominus commendatorem corporis mei prouidebit. Et his dictis præfatus presbyter iterum lectionis vſum aſſumpſit, & in ea ſicut ſolitus erat, vſque dum ſonante ſigno veſpertinalis laudis hora annunciabatur. Lectiones verò fuerunt Vitas patrum ſanctorum, & liber ſancti Gregorij quem dialogorum vocant, cuius vltimus liber diſputat multum de his qui de corpore rapti in ſpiritu multa viderunt, & iterum ad corpus redierunt. Taliter verò conuerſando formoſiſſimè exſpectabat diem obitus ſui, & interdum in ſpiritu plurima videbat, de quibus pauca his qui cum eo erant narrauit. Interea verò Werinhario Abbati de monaſterio * Vulta nominato, cauſa viſitationis ad eum venienti, inter alia dixit. Tu poſt me hic deberes epiſcopus fieri, omnes te elegerunt niſi duo, hi verò duo ſi alijs concordarent, electio tua

* Fortè, eccleſiæ cathedralis.

ᵈ Auguſta enim & Conſtantia in eadem prouincia Moguntina.

* Bauarorum.

Delectatur lectione librorum Dialogorū S Gregorij, quos lectarij modo contemnunt.

* Fulda.

* Vincẽtius Borg.de Eccle.Florent obſeruauit Vicedominos ante an.milleſimum fere ex clero fuiſſe,eam dignitatem poſt ad laicos tranſijſſe, Onuph de votibus Eccleſiaſticis obſcuris,ait etiam Maiores domus appellatos. Verum Diſtinct. 89 capitul Volumus Gregor. Vicedominum à Maiore domo diſtinguit, ibi gloſſa œconomum interpretatur.

tua ſine dubio perfecta fuiſſet.Et his dictis manus Atrelini tunc * Vicedomini, & manus Hiltini camerarij comprehendens ſuæ fidelitati commendauit,& cum charitate eum abire permiſit.

Nullum etiam veniale peccatum manet impunitum

Altera verò vice quadam die quaſi de graui ſomno expergefactus,ei aſſidentibus & hæc audientib.ait,Heu heu quod illum nepotem meum Adalberonem vnquã vidi,quia pro eo,quod ei ſecundũ ſuum deſiderium cõſentiebam, nolũt me impunitũ in ſuum recipere cõſortium,& his dictis ſtatim tacuit. Virtus verò corporis de die in diem decreſcẽs,in tantum deficiebat vt eccleſiam intrare niſi à duobus ſuſtentatus non potuiſſet. Cũ verò in die natali ſanctorũ Marci & Marcelliani,quod eſt XIV.K.Iulij,eccleſiam introduceretur vt miſſam audiret,peracta miſſa,ad ſanctã crucem tapetium ſibi deponi præcepit,& ſe ſuper illo proſternebat.Ibi verò cum quaſi dimidiam horam iacuiſſet,ſurrexit,& camerarium Luitpaldum presbyterum ad ſe venire fecit, & cunctas ſuas res quas ille in miniſterio habebat in præſentiam ſui portare præcepit,& ponere ante altare,niſi vnam paraturam domus & menſarum, & vnum coopertorium mardrinum ad ſeruitium ſui ſucceſſoris dimiſit.Cum verò ante eum poſita fuiſſent, & ille ea conſpexiſſet, dixit,Quid mihi hæc omnia nunc debuerunt? Quamuis verò illi plurima viderentur, numerus eorum maior non fuit niſi pauca camiſalia,& VII.vel octo menſalia, & duo ſarcilia, & X. ſolidi argenti,quos in manum Gerhardi Præpoſiti cõmendauit ſtatim ad erogandum pauperibus.Cetera verò omnia diſpoſuit diuidi inter clericos eiuſdẽ loci. De veſtimentis ſuis miſit * Antonio venerando viro,quem ille antea ad Vtenburam in Dei nomine incluſit. Cuidam etiam Ruozoni,mobilitate membrorũ carenti niſi de brachijs ſurſum,cui domicilium in cœmeterio [a] Kampidonenſis monaſterij more lectuli à terra ſubleuatum ædificatum erat, vt ea quæ ab eo digeſta fuerant terratenus cadendo à domicilio ſepararentur,veſtimenta tranſmiſit; quia antea cum epiſcopus in eodem monaſterio moraretur prædictũ pauperẽ per ſe ipſum ſæpe viſitauit,& eius locutionis dulcedinẽ libenter audiuit,quia idem ipſe prædictus pauper clauſo oſtiolo ſemper in Dei laudib.& orationibus die ac nocte morabatur. O quæ lingua virũ tantæ benignitatis enarrare poteſt,qui in vltimis poſitus tanto ſpacio interpoſito Chriſtum veſtire nõ omiſit, pro eo certè quia ei ſemper aderat qui ab eo ſua mẽbra veſtiri volebat.His verò prædictis diſpenſatis,præcepit Vicedomino ceteriſq; quibus voluit ſuis fidelib. ac miniſtris,vt in cunctis locis ad ſuum ſeruitium pertinentibus,cuncta quæ in eis inuenta fuiſſent in tres partes diuiderentur,& tertia pars presbyteris pauperibuſq; prouida diſpenſatione ſtatim eo viuente donarẽtur,quod & factum eſt.Pro certo quamuis corpus graui infirmitate detentum fuiſſet, ſenſus & animus & voluntas occupari non potuerunt,* niſi pijs inſiſterent intentionibus.

Omnia ſua ſub mortẽ diſtribuit.

* Al. Hattoni, quod probat VVelſerus

† Al. Ruzoni

[a] Campidonenſis.

* pro,vt non

Die itaq; ſancto natiuitatis ſancti Ioannis baptiſtæ hora diei prima,quaſi repente de ſomno beatus Vdalricus XXVII
ſuſcitatus,dixit camerarijs ſuis, Induite me veſtimenta mea & calceamenta: qui hæſitantes propter magnam eius infirmitatem,ſi hæc in ecſtaſi mentis vel incapacitate ſenſus eis præciperet,implendo tamen præceptum eius,induerunt eum veſtimẽta eius & calceos: ſtatim autẽ paratura ſe miſſatica indui præcepit,cumq; paratus fuiſſet,perambulauit matricẽ eccleſiam,& ad eccleſiam ſancti Ioannis baptiſtæ,quã ipſe antea ædificauerat, & in honore eius conſecrauerat,peruenit,ibiq; * miſſam quã anniuerſarijs ſollennitatibus mane diluculo conſueuerat cantare, potenter & cantè expleuit,illaq; finita ſtatim publicã miſſam injit,& deuotiſſimè Deo iuuante in finem ſtando glorioſe peregit: ambas miſſas cũ ſtando ſine adiutorio aliorum cum benedictionib.decenter ad finem perduceret,conſedebat, & aſtantib.ſibi clericis dicebat,Hæc miniſteria quæ nunc Deo donante peregi,ex poſſibilitate corporis mei non aſſumpſi,ſed ex præcepto: hodie enim cũ in lecto quaſi ſopitus ſomno iacerẽ,ſteterũt coram lectulo meo duo viri iuuenes formoſiſſimi aſpectu,è quibus mihi vnus dicebat, Quare nõ ſurgis,debes enim hodie ad ſanctum Ioannem Baptiſtã miſſam celebrare: Cui alter reſpondit,Quomodo poteſt hoc fieri,quia pro impoſſibilitate corporis † primam adhuc non expleuit? At ille qui antea locutus eſt ad me dixit, Surge,& ſecundum meum ſermonem Dei miniſterium in præfata eccleſia implere feſtina, quia hodie præter te nullus alius ibi miſſam cãtabit,his verò dictis ad cubiculũ regreſſus eſt.Cumq; diem obitus ſui deuota mente & læto animo,& ſecundũ verba pſalmographi Dauid dicentis, Quemadmodum deſiderat [b] ceruus ad fontes aquarum,ita deſiderat anima mea ad te Deus,expectaret, quamuis verbis non dixiſſet,factis tamẽ manifeſtauit quod de hoc ſæculo ſe migraturum eſſe in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli putauit. Eadem die antequam veſpertinalis laus inciperet,& cũ à cuſtodibus omnes ſimul campanæ ad ſonandum mouerentur,balneatus & paratura quam ad obitum ſuum conſeruatam habuit indutus,ſe quaſi defuncturum depoſuit. Finita autem veſpertinali laude alijs iuuantib.ſe à terra leuauit,& quaſi ſecretò dixit, O ſancte Petre,nunc non feciſti ſicut ego æſtimaui,Et quaſi animo aliquantum de hac re mente conſternatus manebat. Præfatus autem presbyter Gerhardus dixit ad eum,Domine noli cõtriſtari, ſed recordare quia alijs ſanctis epiſcopis ſimiliter contigit, vni enim dictum eſt, Circa natale Apoſtolorũ de hoc ſæculo ad requiem es perducturus, is cum ſperaret ſe in natale Apoſtolorũ obiiſſe,induciæ ei prolongabantur vſq; in octauum diem,& tunc defunctus eſt. Caſſio Narnienſi epiſcopo per quendam presbyterum ab angelo flagellatum dictum eſt,Non ceſſet manus tua,non ceſſet pes tuus,age quod agis,operare quod operatis,natali Apoſtolorum venies ad me.Epiſcopus autem æſtimans in ſolennitate Apoſtolorum quæ tũc proxima erat ſibi obitum ſuum imminere,in quibuſcumq; potuit ad depoſitionem corporis ſui præparare ſe ſtuduit: Sollennitate itaq; adueniente ſanus permanebat,& incolumis, & ſic manſit donec curricula ſeptem annorum præterirent, & tunc in eodem die ſicut ei dictũ eſt,multis bonis præmiſſis,& ſacro miniſterio expleto,feliciter migrauit à ſæculo. His auditis ſanctus epiſcopus vera eſſe recordatus eſt, & reſpondit ei dicens,Bene dixiſti frater, & releuatus mente bono animo manebat,& cum eo manentibus dulcem & commodum ſe exhibebat, nullum obiurgans, nullũ increpans,nulli iratus,nulli moleſtus,nulli aduerſus,nullum verbũ alicuius lamentationis ab eo audiebatur,ſed bona omnia quæ tunc potuit præſentib.& abſentibus fecit.Nemini indulgentiam negauit, gratia ſuæ benedictionis omnes conſignauit Prædictus verò Richuuinus comes nepos eius,adhuc de regali locutione nõ reuertebatur, de quo interdũ dicebat,O Richuuine utinam me viuente venires vt te viderem. Eo anno ſollennitas Apoſtolorum Petri & Pauli dominica die eueniebat,de qua optimis moribus ſicut prædixi exſpectabat,donec diès quintæ feriæ pertranſiſſet; in illa nocte,antea quam aurora VI.feriæ bene cognoſci potuiſſet,aſperſo cinere in modum crucis,& aqua benedicta aſperſa, ſe deponi fecit, & ſic iacebat vſq; dum aurora cunctam latitudinem orbis illuminaret. Tunc Richuuinus de palatio rediens intrauit, & legationem Imperatoris eo audiente recitauit. Eo ſcilicet viſo legationeq; audita, oculos leuans ſecundũ ſuam poſſibilitatem gratias agebat Deo omnipotenti, qui ſecundum dicta Dauid prophetæ, voluntatẽ timentium ſe faciet,&c. Richuuino autẽ exeunte,ſtatim eadem hora clericis letaniam deuotè canentibus animam Deo commendans, Anno incarnationis domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCLXXIII.ætatis LXXXIII.ordinationis a.L.quarto die Iulij IV.Non.eiuſdem mẽſis,die veneris, felici obitu quaſi ſomno ſuaui ſoporatus,ergaſtulo corporis exemptus migrauit ad requiem.Pro certo ſanctũ corpus cũ ad lauandũ more ſoliro denudatũ [c] fuiſſet, ſuaui odoris fragrantia nares omnium ibi manentium repleuit,& tam diu permanſit quoad uſq; corpus leuatum, prædeſtinatiſque veſtibus indutum, & feretro impoſitum, in eccleſiam portaretur. Clerus nempe cum audiret quod epiſcopi * Bauuuariorum de prædicto colloquio redirent ad ſuam prouinciam, miſſo legato voluerunt Archiepiſcopum

* Antiquitus tres miſſæ celebrabantur in feſtiuitate S. Ioan bapt. vna ſcilicet in vigilia, reliquæ duæ in die Vide Albinum & Amalarium lib 3 c 38

† id eſt, Primæ horæ preces Canonicas.

Pſalm. 41.

[b] Cupit diſſolui & eſſe cum Chriſto.

Pſalm 144.

Grandæuus obdormit feliciter in Domino Anno 971.

[c] Suauiſſimus odor è corpore diffunditur.

* Al. Bauarorum.

Frideri-

Digitized by Google

* Fridericum ad commendationem ſacri corporis vocare. Cumque ad illum nuncius perueniret, inuenit eum tanta infirmitate febrium detentum vt nullo modo aduenire potuiſſet. Miſſo autem cum triſtitia inde reuertente, audiuit quod venerandus epiſcopus † Wolfgangus ad locum qui dicitur Nordilingga venire voluiſſet, in occurſum eius feſtinauit. Ad eum certè cum perueniret, ſalutatus ab eo audiuit quod Auguſtam ciuitatem pergere voluiſſet, viſitare ſanctum dei ſeruum Vdalricum in infirmitate detentum. Cui ille reſpondit, Dominus ſanctitati tuæ præcepit viſitare eum, & ego ad hoc veni vt nunciarem tibi quia defunctus eſt, & de omni congregatione ibi Deo militante te flagitare, vt feſtinè venires & ſanctum corpus Deo commendares. Quo audito ſanctus epiſcopus magna mœſtitia ſeptus eſt, in eadem nocte diluculo ſurrexit & ad Auguſtam pergere cœpit. In itinere vero cum cognouiſſet quod ad congruum tempus illuc peruenire non valeret, præmiſſo eodem legato nunciauit aduentum eius. Interim verò corpus in eccleſia ſanctæ Mariæ à congregatione die noctuque, cum orationibus & miſſarum celebrationibus, cautè & deuotè cuſtodiebatur vſq; in diem dominicam. Die verò dominica poſt primam miſſam pro eius anima celebrata, congregato clero & ſanctimonialium congregatione adueniente, & magna de prouincijs multitudine populi, presbyteri leuauerunt corpus, & ad ſanctam Afram vbi antea ſepulchrum eius præparatum fuerat, portare cœperunt. Cumq; venirent ad collem qui dicitur * Pereleich, præfatus nuncius venit, & aduentum Wolfgangi epiſcopi nunciauit. Illi autem perducentes corpus in eccleſiam ſanctæ Afræ, & item miſſam ſacrificalem cum omni deuotione pro requie eius animæ celebrauere. Epiſcopus verò cum adhuc non veniret, & hora diei non tardaret, niſi tempus celebrationis publici Dei miniſterij immineret, & hoc cum omni deuotione à congregatione clericorum perficeretur, venit præfatus epiſcopus, qui cum honorificè ſuſceptus fuiſſet, & orationi finem impoſuiſſet, ſalutatis à ſe fratribus dixit, Quid vobis videtur, an hodie ſacrum corpus commendamus, vel ad alterum diem procraſtinemus? Cui fratres reſpondentes dixerunt, Si tuæ ſanctitati placet, nobis bonum videtur ſi omnibus qui nunc hîc in præſentia ſunt annunciatur, vt mane congrua hora huc ad commendationem ſacri corporis conueniant, & à te ſalutaris hoſtiæ munus nobis ſacrificantibus pro requie eius animæ Deo offeratur, quia congrua hora prætérita eſt, & tu es magna laſſitudine ſeptus. Quibus auditis epiſcopus conſilio eorum libentiſſimè aſſenſum præbens, alterum diem exſpectauit. Ea verò nocte Hiltegart vxor præfati Richuuini comitis, quamuis nupta tamen ſatis religioſa, venit, camiſaleque cera perfuſum attulit, & ſublimiſſimos clericos petijt vt ſacro corpori cautè ſecretò circumdaretur, ne ſacerdotalis paratura qua indutus erat citò à terra conſummaretur, quia ipſe adhuc viuens præcepit ne tabulatum lignum corpori eius ſuppoſuiſſent, ſed puræ terræ imponerent, & ligneo operculo cooperirent: qui ſecundum eius petitionem camiſale corpori ſacro circumdederunt. Mane autem facto magna multitudine populi adueniente, & clericis ſanctimonialibuſque ibidem deo militantibus congregatis, ſed & de prouincijs multis ſacris officijs vtentibus adiunctis, Antiſtes, cunctis pro eius anima ſacrificantibus, magna contritione cordis & humiliatione ſalutarem obtulit hoſtiam Deo, inſuper etiam [illegible] ca miſſa expleta, omnes in commune ſobrio & cauto ſermone admonuit, vt pro illa ſancta anima intima inten[illegible]one cordis deuotè exorent, vt ab omni vinculo delictorum abſoluta, deo donante perenni gaudio in æuum cum ſanctis & electis dei perfrui mereretur. Oratione autem ſecundum verbum eius ab omnibus peracta, Epiſcopus corpus ſepeliuit, & animam omnipotenti Deo deuotiſſimè cum lacrymis commendauit. Miniſtri autem ſicut prædictum eſt operculo ligneo corpus cooperuerunt, & ſuper hoc gradibus murati ſepulchri denſum lignum tabulatum ſuperpoſuerunt, in ſuperficie autem terræ cum lapidibus coniunctis firmiter clauſerunt. His ita peractis, epiſcopus ad Auguſtam cauſa orationis perrexit. Orationibus multipliciter conſumatis, à fratribus per charitatem rogatus, paraturam miſſaticam quæ fuit ſancti Vdalrici, quarum opulentia ille viuens abundabat, propter eius ſanctitatem ſuſcepit, & honorificè ſicut optimè dignus erat dimiſſus, Deo comite ad propria reuerſus eſt.

* Al. Fridericum. Archiepiſcopum Salisburgenſem.
† S. Wolfgangus epiſc. Ratiſbonenſ.
* Al. Pereluch.

XXVII. POST obitum ſancti Vdalrici epiſcopi, Heinricus filius * Purchardi comitis ſucceſſor eius effectus eſt, non prouidè in ouile ouium intrando, ſed aliunde aſcendendo, quia Purchardo duce Alamannorum, qui filiam materteræ eius habuit vxorem, & alijs plurimis, ſed & quibuſdam militibus, qui ab eo beneficia ſua augeri aſtuta arte cupiebant, conſiliantibus, ſubtili cœpit conſilio æſtimare qualiter prædictum locum ſibi potuiſſet vſurpare; quamuis in eius ſcientiam deueniret, quod Werinharius * abbas in quadam inuiſibili carnalibus oculis congregatione, vbi ſanctus Vdalricus in ecſtaſi mentis adiunctus, audiuit, Si duo alijs concordarent, ab omni illa congregatione ad hoc miniſterium fuiſſet deſtinatus vt eius ſucceſſor efficeretur, ſicuti antea † prædixi. Quidam clerici, Aduocato & alijs quibuſdam militibus de eodem epiſcopatu ſecum comitantibus, ad curtem Imperatoris baculum epiſcopalem ferendo iter agere cœperunt. Cumque ad Wormacenſem ciuitatem ad monaſterium ſancti Cyriaci venirent, inuenerunt ibi Purchardum ducem cum vxore ſua in infirmitate occupatum. Cumq; ei indicarent ſtudium itineris ſui quibuſdam machinationibus callida ratione ab eo illuſi ſunt, quia dixit eis Imperatorem his diebus prope in vltimis finibus regni eius morari, & in ea via quam pergere debuerunt omnia ſupra modum chara, & herbam vndique in defenſione manere, & ideo ſemetipſos & eorum caballos nulla commoditate poſſe ſuſtentari: non poſt multos dies Imperator noſter vult regale colloquium habere ad locum qui dicitur * Ernſtein, illuc facile poteſtis ire, ideo reuertimini nunc, & quando meus certus nuncius vobis prædictæ locutionis diem nunciaturus aduenerit, illuc venire ne dubitetis, ibi enim me inuenietis firmum vobis fore adiutorem, & in electione epiſcopali ſine ambiguitate me ſciatis vobis concordari. His verbis auditis, vera eſſe æſtimantes, & conſilijs eius conſentientes reuerſi ſunt. Non poſt multum verò temporis nuncius ducis venit & regale colloquium in prædicto loco manere indicauit, eoſque illuc venire admonuit. Qui ſtatim alijs fratribus ſecum ſumptis, ad præfatum locum pergere feſtinauerunt. Cumque appropinquaſſent ad locum qui ad balneos nominatur, quidam nuncius eis obuius dixit, Hainricus filius Purchardi, quem Imperator cum ſuis fidelibus, & dux Purchardus ad Auguſtam antiſtitem eſſe decreuerunt, nunc citò occurret vobis. Hac ratione audita contriſtati fratres, eo quod de prædicta electione epiſcopi priuari debuerunt, vltra non ſunt progreſſi, ſed reuertentes in loco oportuno exſpectauerunt, vſque dum præfatum Heinricum inde comitarentur. Eo ſtatim die, cum ad ca[illegible] venirent milites qui de duce Purchardo cum Hainrico venerunt, adiunctos ſibi clericos rogare cœperunt, vt Hainricum in commune epiſcopum eſſe comprobarent in eodem loco. Qui inducias petierunt, vſq; in communi [illegible] domi cuncti fratres in vnum ſe coadunarent. Cũq; milites hoc refutarent, & longa inter ſe locutione contenderent, reuerſi ad Hainricum cum quibuſdã clericis, elegerunt eum ſuper ſe eſſe epiſcopum, quidam verò eum non eligentes ad Auguſtam peruenerunt ad ceteros fratres. Cumque ad Auguſtam peruenirent ſic ſequeſtrati in electione [illegible], venit quidam comes Wolueradus nomine cum alijs quibuſdam hominibus, quaſi legationem ab Imperatore ferendo ad congregationem, dicens, Imperator demandauit vobis gratiam & miſericordiam & omnia bona, & poſtulauit vt iſtum dominum Hainricum, quem ille cum ſuis fidelibus decreuit in iſto loco eſſe paſtorem, vt & vos ob amorem ſui Antiſtitem vobis eligere vnanimiter non tentatis. Legatio autem hæc fraudulenti conſilio compoſita erat. Cui reſpondentes dixerunt, Veniat ille cum vobis ad capitulum noſtrum ad audiendum reſponſa noſtra. Cumq; vix obtinuiſſent vt in capitulum intrarent, legebant lectiones canonicas de electione antiſtitum. Præfatus Hainricus cum audiſſet de lectionibus in præſentia recitatis, quod

* Al. Burchardi.
* Abbas Fuldenſis.
† Sup. c. 26.
* Eriſtein.

Henricus ſuccedit Vdalrico: Huc vſque hanc vitam in elegantiorem ſtylum conuertit Berno Abbas Augienſis, quod ante illum quoque inceperat, ſed non abſoluit, Gebhardus Auguſtan. Epiſcopus Sed, quia in illis multa memoria digna prætermittuntur: maluimus hanc à coætaneo ſcriptam collocare, a quo etiam ſequentia vſq; ad Canonizationem miracula annotata ſunt.

quod in poteſtate eſſet canonicorum eum eligere vel refutare, cum venia humiliter poſtulauit eum vt epiſcopum eligere non dedignarentur, promittens eis ſi eius poſtulationi conſentirent, in poſterum omnigenæ commoditatis impenſionem. Qui eius promiſſionibus credentes, quidam verò ſponte, quidam verò diſſenſiones vitando, omnes tamen in commune decreuerunt eum eſſe epiſcopum. Hæc verò electio cum in eccleſia militibus & familiæ nota facta fuiſſet, ſonantibus campanis ab omnibus confirmabatur. Tunc demum præfatus Heinricus aſſumptis quibuſdam canonicis perrexit ad Imperatorem, & in præſentia eius aliorum teſtimonio roboratus, de electione eius nunciauit, humiliter flagitans vt à celſitudine eius Imperialis poteſtatis Pontificium prænominatum ei cōcederetur. Imperator autem eius petitioni non contradixit, neque continuo adimpleuit, ſed promiſit vt poſt quinque dies in ſolennitate ſancti Mauritij eius petitioni aſſenſum præberet, ſicut & fecit. Poſtea vero ſtatuto tempore ad Maguntiam venit, & à Rudperto Archiepiſcopo & ſuis ſuffraganeis benedictionem Epiſcopalem accepit. His verò temporibus Otto filius Luitolfi filij Ottonis Imperatoris, Dux fuit Alamannorum, & Heinricus filius Heinrici fratris eiuſdem Imperatoris Dux Bauuariorum erat, qui quamuis ex vicina propinquitate charitate coniuncti fore debuiſſent, ex machinatione male ſuadentis Satanæ inuidias & [a] diſſenſiones inter ſe exercere cœperunt. Heinricus itaque Epiſcopus æquiuoco ſuo Duci aptior manſit in omnibus, & ipſius conſilijs plus conſentiens quam Ottoni Duci, quamuis ciuitas Auguſta in ſuo Ducatu ſita maneret. Pro hac verò re Otto Dux contra eum iratus eſſe cœpit, & cum fidelibus ſuis conſiliari, vt ei in quibuſcumque potuiſſet aduerſaretur, quod & fecit. Inſuper Epiſcopus quibuſdam militibus nepotibus ſancti Epiſcopi Vdalrici, Manegoldo & [b] Hulpaldo voluit beneficia abſtrahere, propter quorundam conſilia, ſine illorum reatu. Ipſi autem quia epiſcopo ſancto Vdalrico adhuc viuente ab eo miſſi ſæpe in auxilio Imperatoris cum herili multitudine militum venerunt, & in eius ſeruitio voluntatem eius ſtrenuè in omnibus adimplentes, tam diu permanſerunt vſque cum illius gratia muneribus honorati redire dimiſſi ſunt, Regina etiam profitebatur eorum ſe eſſe propinquam, ideo beneficia accepta, epiſcopo contradixerunt, & in eorum poteſtate eo nolente tenuerunt. Epiſcopus itaq; his & alijs multis aduerſis fatigatus, triſtis effectus eſt. Quodam tempore cum Imperator Otto gentem [d] Sclauorum cum exercitu inuadere voluiſſet, & Otto qui tunc dux erat Alamannorum & Bauuariorum, Heinrico depoſito, in adiutorium eius venire cum Alamannis & Noricis paratus eſſet, Hainricuſq; epiſcopus ire ſe cum illo promitteret, expectauit cum ſuis militibus donec recederet exercitus, & ſicut antea conſiliati ſunt, occupauit cum militibus ſuis ciuitates quas potuit, & ipſe in [e] Nuwingburg intrauit. Heinricus autem qui antea Dux fuit, [f] Pazouam ciuitatem introiuit, ea ratione vt Ottone cum exercitu recedente prouinciam ſibi adiutorio nepotis ſui Epiſcopi ſubiugaret. Hoc itaq; conſilium cum Ottoni duci notum factum fuiſſet, reuerſus eſt cum exercitu ambarum prouinciarum, & obſedit eum in præfata ciuitate Pazouua. Imperator autem Otto cum Dei clementia liberatus à Sclauis, venit poſt eum ad eandem ciuitatem in obſedionem eius. Cumque obſidione finita & caritiuula mitigata, Imperator ad Saxoniam reuerteretur, poſtea ſtatuto tempore Heinricus filius Hainrici, & æquiuocus eius filius [g] Pethtolfi ad colloquium Imperatoris vocati ſunt, cum quibus etiam Heinricus epiſcopus ad Imperatorem, ſe ad excuſandum de prædicto reatu venit, vt reſtitutus gratiæ eius ad propria redire mereretur. Peracto itaque colloquio [h] Heinricus & æquiuocus eius in exilium miſſi ſunt: Heinricus autem Epiſcopus ad [i] Vuirdinam vbi ſanctus requieſcit Luitgerus, Abbati ad cuſtodiendum commendatus eſt. Cumque ibi de Paſcha vſque poſt natiuitatem ſancti Iohannis Baptiſtæ cum magna cautela cuſtodiretur, factum eſt imperiale colloquium in oppido quod dicitur Trutmanna, illuc venerunt duo presbyteri Gerhardus & Anamotus de Auguſta, & cum interuentu Ottonis Ducis & Epiſcoporum ibi inuentorum, ſupplicauerunt non ſolum de ſemetipſis, ſed de omnibus clericis & laicis in eodem epiſcopatu habitantibus, ne diu Epiſcopali cuſtodia priuarentur. Imperator autem petitioni Ottonis ducis & aliorum ſuorum fidelium præfatorumque clericorum ſatisfaciens, Epiſcopum de exilio reduci præcepit, & in præſentia ſua iterato fidelitatis ſuæ ſacramento, cum gratia ſua ad Epiſcopatum ſuum redire conceſſit. Reſtitutus autem in ſuum locum Epiſcopus, tractare in animo ſuo cœpit pro quibus reatibus ei tam diuerſa aduerſa ſic frequenter accidiſſent, qui à Duce multipliciter plus quam anteceſſores ſui iniuriabatur, & quia principes militum beneficia ſua contra voluntatem eius habere præſumebant, & electiſſimi de paterna ſua familia miniſtratores diuerſo modo repente interierunt, ſecreto à familiaribus clericis interrogauit, ſi ſanctus Vdalricus de Werenhario Abbate diceret vt ſucceſſor eius fieri deberet, ſicuti ei antea dictum eſt. Cumq; in veritate verum eſſe cognouiſſet, quod antea credere noluit, expauit ſe vehemēter, ſed publicè nō manifeſtauit, pro eo plus expauit, quia tunc frequenter ſigna magna & mirabilia ad ſepulchrum ſancti Vdalrici Epiſcopi Deo concedente fiebant. Tunc demum in meliora multipliciter mutatus, cum Deo ſe pacificare conatus eſt, & matricem eccleſiam nouo tecto cooperire præcepit, & ſuper Licum fluuium ad ſanctam Afram pontem compoſuit, & vt nullus ex familia de ponte teloneum aut vllam redhibitionem acciperet præcepit, ſed in eleemoſynam eius quicumque voluiſſent ſine contradictione & occupatione pergerent. Poſtea autem Romam & limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli pro remiſſione delictorum ſuorum viſitauit. Et antea quam illuc pergere cœpiſſet, proprietatem quam pater ſuus [k] Purchardus in Geiſinhauſa habere viſus eſt, & quam * Erichoni fideli ſuo ſub teſtimonio contradidit, ea videlicet ratione vt eam illuc firmiter transfunderet, vbi eum filius eius Heinricus Epiſcopus rogaret, tunc pro certo [l] Etih, poſtulante Epiſcopo tradidit cum manu eius præfatam proprietatem legitimè ſecundum legem Noricorum, ſanctæ Mariæ ſuper altare eius in Auguſta ciuitate ſitum, & ſuper capſam deauratam lapidibuſque incluſis decoratam, cum eccleſia & totis ædificijs, cum agris, pratis, paſcuis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, vijs & inuijs, ciuitatibus, ſyluis, tonſis & intonſis, quæſitis & adhuc inquirendis, & cum familia, & cum omnibus ad eandem proprietatem iure pertinentibus, niſi xx. hubas extra traditionem dimiſit, & eas ſeruituti ſancti Magni ad Fauces decreuit, Canonicisque placitauit vt poteſtatem haberent ſi vellent eaſdem hubas xx. cum x. in iſta prouincia in bono loco ſitis hubis concambire, in manum Werinharij aduocati, & in manum Gerhardi præpoſiti, pro remedio animæ ſuæ, & patris matriſque ſuæ, & materteræ ſuæ, ceterorumq; propinquorum & parentum ſuorum, in eam placitationem, vt in iure & poteſtate Canonicorum perpetualiter in oblatione permaneat, ſaluo in omnibus eorum quotidiano ſtipendio, & vt ipſi pro requie eius animæ annis ſingulis ante anniuerſarium diem ad horam veſpertinam vigiliam plenam de voce celebrent, & in anniuerſario die iterum vigiliam expleant, & celebrata miſſa altaris, hoſtiæ oblationem omnes in commune Deo offerant, & inſuper centum pauperes ſufficienti ſtipendio edendi & bibendi procurent, & ex eis xii. veſtiant, in vno anno laneis veſtimentis, & in altero anno laneis induant, & caligas calceamentaque præbeant. Si autem aliquis ſucceſſor * eius antiſtes hanc placitationem irrumpere tentauerit, & prædictam proprietatem Canonicis auferendo in ſuam vtilitatem aliquo modo redigere conatus fuerit; & ita ratione ei comperta ſtatim non reſtituerit, hæredes eius legitimi liberam habeant poteſtatem, tres ponere ſuper altare denarios, & eandem proprietatem inde redimere & in ius proprium poſſidere, omnibus in futurum generationibus. Actum in Auguſta, in eccleſia ſanctæ dei genitricis Mariæ ante altare, Epiſcopo Hainrico perpetrante, in præſentia Canonicorum, coram frequentia populi, & coram teſtibus ſubnotatis. Signum * Etih, qui hanc traditionem fecit.

[a] Diſcordia inter Ottonem ducem Sueuiæ & Henricum ducem Baioariæ commota eſt.

[b] *Al. Hucpaldo.*

[c] Herliche anzal.

[d] Otto Imp. contra Sclauos proficiſcitur.

[e] *Al. Nuunburch* Newburg.

[f] Quæ vulgò Paßauia, antiquis Batauis.

[g] *Al. Pertolfi.*

[h] Henrici duces & Henricus epiſcopus miſſi in exilium.

[i] *Al. Wirdiam.*

Multa miracula ad S. Vdalrici monumentum.

[k] Burchardus in Giſenhauſen, de comitibus in Geiſenhauſen conſule Hund. I geneal. Bauar.

[l] *Al. Ethich.*

* *Al. meus, & ſic poſtea.*

* Aliud exēpl. hæc no-

Digitized by Google

fecit. Signum Adalbero. Signum Iagob. S. Marahuurat. S. Willehalm. S. Hunurid. S. Engilmar. S. Wezzi. S. Pilgrim. S. Gundachar. S. Cadolt. Iſti de prouincia Noricorum.

Iacob, Marahuuart, Willehalm, Hunfrid, Engilmar, VVezſi, Pilegrim, Gundechar, Cadolt, VVeinhere, Gerhardi, Hiltebold, Gotepold, Reginhar, Suidger, Arebo, Vrolf. Dies & annus non eſt aſcriptus ſed & hæ appellationes inuerſæ ſunt, Iſti de prouincia Alamannorum, iſti autem de prouincia Noricorum.

mina habet, Erich, Adalbero, Reginhar, prouincia

ISTI autem de prouincia Alamannorum. Signum Werenhere aduocatus qui hanc traditionem cum manu Kerhardi Præpoſiti accepit. S. Hiltipold. S. Gotebold. S. Reginhar. S. Suidger. S. Aribo. S. Vrolf. Anno incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti nongenteſimo octuageſimo, indictione VIII. IV. Nonas Octob. [a] & XX. die Iouis. Ego igitur Gerhardus indignus presbyter [b] notaui diem & annum. His ita ſicut prædixi expletis ad Romam perrexit, & votis ſuis peractis ſanus ad propria venit. Adhuc autem intus magna anguſtia mentis angebat, pro eo, quod à Duce Ottone, quamuis exterius pacificati eſſent, plus cogebatur quam anteceſſores ſui eis ſeruitium facere de rebus ſanctæ Mariæ; & pro eo, quod quidam milites beneficia eccleſiaſtica ad illius poteſtatem iure pertinentia contra eius voluntatem poſſidebant. Quia ille ex nobilibus parentibus ortus eſt, & Grammaticæ artis aliarum librorum magnam ſcientiam habebat, ſuauique colloquio & bene ſonante loquela valde congruè exuberabat, in ſanctis ſolennitatibus in Dei ſeruitio & in prædicatione ſtudioſus fuit. Henli ſeruitio ad menſam ſuam vtebatur, & cum eo manentibus copiam manducandi atque bibendi hilari vultu & placida mente porrexit. Familiæ autem plus iuſto ſæuior extitit, eorum ius tollendo, & in quibuſdam locis nouum cenſum creando. Tunc demum cognoſcebat quod prælibata aduerſa niſi Deo adiuuante, & Imperialis celſitudinis gratia machinante ſuperare non potuit, & toto niſu ſeruitio Imperatoris ſe innectere ſtuduit, vt acquiſitione eius gratiæ omnes contrarietates ei ab aliis vndiq; imminentes, cum eius clementia & cum eius præceptis mitigarentur. Ideo igitur ſæpius cum Imperialibus muneribus eum viſitauit, & [c] drudes ſuos donis congruis ſibi complacare ſatagebat, & inſuper hoſtilia itinera cum eo pergebat, taliter ſicuti ei optimè æſtimabat placere. Anno itaq; incarnationis domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCLXXXIII. Imperator cum exercitu Calabriam prouinciam adiit, illuc etiam Epiſcopus Hainricus cum eo peruenit: Cumque ibi pugna cum Sarracenis ageretur, plurimis ibi ex vtraque parte occiſis, heu dolor, ſiue captus, ſiue occiſus, etiam ibi remanſit. Supra [d] modum eſt lamentandum perditio eius, quia locus eius à clericis ſuis, & propinquis & cognatis & amicis inueniri & viſitari non poteſt. Periculoſum eſt valde, decretum Dei per ſuos ſanctos reuelatum tranſgredi, & prophetias ſpernere, dicente ſcriptura, Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere. Werrenharius autem poſtea ab imperatore interrogatus ſi Epiſcopatum accipere vellet, ſicut ſanctus Vdalricus antea decreuit, qui cum adhuc eſſet ſanus & incolumis reſpondit, ſe [f] vltra hunc Epiſcopatum non velle accipere. Poſt contradictionem autem epiſcopatus, vt à miniſtris eius comperi, paucis horis interpoſitis infirmari cœpit, & ad [g] Luggam vitam finiuit, & corpus eius portatum eſt vſque ad ſanctum Dominum, & ibi honorificè eſt ſepultum. Otto autem dux etiam ad Luggam defunctus eſt, & à ſuis * ſuper montana portatus, & vſque ad Aſchaffenburg perductus, cum magno honore & nimia lamentatione ibi terræ commendatus eſt.

1 Theſ. 5 (margin)

a Et xx. videtur delend. *b Hinc quidam credunt Gerhardum huius vitæ auctorem eſſe: Ineptè, eſt enim iſta inſtrumenti ſubſcriptio.* *c In vno exempl. ſuprascriptis erat gratos, in alio, conſiliarios, in tertio drudes ſeu conſiliarios; videtur eſſe à Germanico drautt antique drut quod fidem ſignificat.*

d Hainricus Epiſcopus petit. *e* VVerenharius Epiſcopatum recuſat, & moritur. *f* fort. Lucam Hetruriæ. * Super montana, hoc eſt, trans Alpes, ex Italia nimirum in Germaniam.

MIRACVLA S. VDALRICI EPISCOPI AVGVSTANI.

I. POST commendationem pretioſi theſauri ſacri corporis Vdalrici, tapetium ſepulchro ſuperponebatur & aſſiduum lumen appoſitum ſine intermiſſione ardebat. Quidam autem cuſtodum ardentem cereum incautè poſuit iuxta ſepulchrum, quo recedente cereus cecidit in tranſuerſum ſuper tapetium ſepulchri, & ardens permanſit donec illa pars cerei, quæ ſuper tapetium iacebat ab igne conſummebatur, & cum anteriori parte tapetii quæ ſepulchro eminebat coniunctus arderet, & flammam ſurſum per tapetium emitteret, cuſtos aduenit, & hoc videns tremefactus obſtupuit, & quod adhuc remanebat de cereo timens abſtulit, tapetiumque ſolicitè inſpexit ſi ab igne aliquid læderetur, veſtigium ignis de minimis micis cerei inuenit, vnum verò pilum in ſuperficie & in latere ſepulchri in tapetio exuſtum inuenire non potuit. Hoc miraculum cum magiſtro ſuo & fratribus nunciaret, & veſtigium cerei monſtraret, & tamen tapetium illæſum oſtenderet, admiratione & gaudio repleti Deum omnes glorificauerunt & ſanctum Vdalricum.

Tapetium ſepulchro impoſitum non comburitur.

II. QVAMVIS adhuc nullum inibi aperte fieri miraculum comperiretur, vtriuſque ſexus familiæ multitudo iugiter pauimento proſtrata, poſitioni ſancti corporis adiuncta, neceſſitatis ſuæ ſuffragia precabatur, deprehendenſque ei multa omnigenæ commoditatis auxilia inde euenire, frequentius eundem cœpit viſitare locum. Itaque cum ab aſſiduitate viſitantium, domino concedente, plurimis ille commendaretur locus, venit quidam homo de prouincia Noricorum nomine Reginwalech, qui integro anno febre fatigatus ad nimiam infirmitatem deductus, ad Wicfredum Præpoſitum eiuſdem loci venit, interrogans eum ſi aliquod liberationis ſuæ medicamentum ei indicare potuiſſet. Qui reſpondens dixit, Vade & acquire tibi baculum, & porta eum ad ſepulchrum domini mei ſancti Vdalrici pro ſoſpitate tua. Qui ambulans inde concidit ſibi baculum de ligno bidullaneo, & portauit eum ad præfatum præpoſitum, qui ambulans cum eo duxit eum ad ſanctum ſepulchrum, & monſtrauit ei baculum ponere ſuper illud, oratione etiam clericorum fretus, & doctrina eorum in fide confortatus, eadem hora à febre liberatus ſanitati manifeſtè redditus eſt.

Febricitans ſanatur.

III. EODEM verò tempore in iſtis regionibus incredibilis multitudo populorum febribus fatigabatur: qui cum audirent præfatum hominem ad ſanctum ſepulchrum ſicut prædixi fore liberatum, quidam cum baculis, quidam etiam additis aliis oblationibus, feſtinauerunt pro ſanitate ſua ſanctum viſitare ſepulchrum, qui omnes vndecunq; venirent celeriter ſanitati reſtituebantur.

Item alii.

IV. QVIDAM de familia ſanctæ Mariæ [h] Hiſenhart nomine, vnum de baculis qui ad ſepulchrum de infirmis portabantur, tulit, & eum in manu portando inde ambulare cœpit: cumque ad collem qui dicitur [i] Perileich veniret, à febre acriter fatigari cœpit. Tunc * perſentiens pro quo reatu infirmitati concederetur, regreſſus ad ſepulchrum baculum reſtituit in locum vbi eum tulit, votumq; fecit vt vltra nullum inde auferre præſumeret, † votoque peracto à febre dimiſſus eſt.

h al. Iſenhart. *i Al. Perleich. al. berleich.*

V. DE congregatione ſanctæ Aſtæ presbyter vnus [k] Adelger nominatus, tulit de ſepulchro duos bacellos ſpecioſos ad videndum, & aptos in manibus ad portandum, & ſui obliuiſcens portauit eos in domum ſuam, ibique cum ſediſſet, inuaſit eum oſcitatio crebra & obripilatio cutis maxima, & omnia membra tædio occupata, ſunt ita vt virtutem ſedendi, neque ambulandi, nec ſaltem iacendi aptè non potuiſſet habere: qui intra ſemetipſum æſtimare cœpit pro qua re tam ſubita ſolutione membrorum grauaretur, & ſurgens venit ad Wicfredum præpoſitum, & nunciauit illi euentum rei, cui ille dixit, Tu ne iſtos bacellos de ſancto ſepulchro tuliſti? Qui dixit, Ita feci. Feſtina inquit ille, reponere eos in locum ſuum. Hoc cum factum fuiſſet, omni incommoditate corporis fugata, presbyter confeſtim ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt.

** Auferens baculum è ſepulchro S. Vdalrici febricitat.* *† Iterum ſanatur.* *k Al. Aldiger.*

QVI

Digitized by Google

VI. QVICVMQVE etiam de multitudine vulgi de apportatis baculis in manus ſuas acceperunt, vt inter ſacra myſteria ſe ſuper eos inclinarent, vt facilius finem myſterij expectarent, repentina inuaſione febris quaſſati ſunt, compertaq; cauſa euentus, reiectis baculis eadem hora liberati ſunt.

** deeſt, ad.*

HIS caſibus diuulgatis, & in notitiam vndique omnium deductis, nullus præſumebat vel minimum bacellum ſine licentia inde auferre, & ideo tanta multitudo baculorum excreuit, vt facile dinumerari non potuiſſet, nec ſine impedimento in angulis eccleſiæ collocari. Vnde factum eſt vt ſuper trabes eiuſdem ædis vbi ſepulchrum ſitum eſt, ponerentur. Manſionarij itaq; præcipiente eorum magiſtro frequenter eos ad focum portant, & eis ardentibus ceram in mollitiem redigunt, * candelas multiplicandas ad ſeruitium Dei, ſuper trabes tamen plurimi ſemper remanebunt, & hi qui eos conſpiciunt non putant numerum eorum in aliquo minorari. Suſtentacula eorum qui gratia Dei concedente per merita ſancti Vdalrici à diuerſis infirmitatibus ibi ſunt liberati plurima pendent, & aliorum analogiæ ſecundum membra diuerſa infirmantium figuratæ etiam plurimæ ibi videri poſſunt. Vehicula etiam eorum qui carris ſuperpoſiti multimoda debilitate membrorum manci illuc veniebant, & in omnibus membris perfecta ſanitate donabantur, relictis ibi carris cum tugurijs, pedeſtri itinere læti redierunt, ante fores eccleſiæ conſpici poſſunt.

** Al. Geltenſten.*

VII. CVIVSDAM verò mulieris filia in brachio in totum debilis facta in pago * Geltenſtein, cui quadam nocte in ſomnis dictum eſt, Quare filiam tuam cum lucerna non producis ad ſepulchrum ſancti Vdalrici pro ſanitate ſua? Quæ expergefacta ſomnium nunciauit filiæ ſuæ, & vt celerius potuit eam illuc cum candela perduxit, & perfecta ſanitate recepta, eam inde lætam ad propriam poſſeſſionem reuexit.

** Al. Tunningeuue.*

VIII. DE eodem vero pago de oppidulo * Toningeuue vocato, quidam homo cui aures clauſæ ſunt vt nihil audire potuiſſet, & lingua ligata ita vt nunquam vllum verbum proferre potuiſſet, ad ſepulchrum ſancti Vdalrici à fratribus ſuis deductus eſt, & ibi proſtratus diu iacuit lachrymas fundendo, eleuatus autem à fratribus per altaria deductus eſt. Cumq; ambulare cœpiſſet & perueniret ante altare ſancti Donati, quod eſt ſitum ad occidentalem partem eccleſiæ, audiuit ſonitum canentium in choro clericorum, & infirma adhuc voce dixit fratribus ſuis, Ecce audio & loqui poſſum. Qui cum peracto Dei miniſterio hæc clericis annunciarent, & ipſi veraciter hæc ita eſſe cognoſcerent, campanas ſonare fecerunt, & ipſi in commune Deum laudare cœperunt, laudationeq; finita cum perfecta loquela & integro auditu donatus, præfatus infirmus abire promeruit.

Surdus & mutus curatur.

** piſtor panis primarij,* Semelbek.

Piſtor ſolitus bibere pro charitate S. Vdalrici.

IX. Ex familia epiſcopi Haintici * ſimilarius quidam Luitnot nominatus, reatu proprio gratiam domini ſui perdidit, pro eo quia farra per loca epiſcopi ſibi commendata, magna incautela diſſipauit. Qui cum à miniſtris epiſcopi vehementer territus maximum timorem incideret, ad ſepulchrum ſancti Vdalrici pro liberatione imminentis anguſtiæ nudis pedibus acceſſit, & ibi diu cum lachrymis adiutorium eius poſtulauit. Inde autem cum reuerteretur, paucis diebus interpoſitis, facilius quam credere potuiſſet, gratiam ſui domini recipit. Deinde in auxilium eius firmiter vbique confidens, in recreatione ſua pro amore eius frequenter bibebat, & alios bibere poſtulare conſueuit.

** Al. Raſonis. † Al. Propinga.*

X. IDEM Luitnotus quadam die ad domum * Razonis, qui tunc potens miniſter epiſcopi fuit, in oppido † Pobinga venit, & ibi cum eo prandium ſumpſit. Qui cum ſaturatus abire voluiſſet, præfatus Razo cogebat eum plus ad bibendum. Cuius petitioni ille contradicere non audebat, ſed vas quod illi porrigebatur accepit, dicendo, iſtam ſiceram bibere pro charitate ſancti Vdalrici, per cuius adiutorium de maximis anguſtijs liberatus ſum volo. Cumq; poculum hauſiſſet, & vas cum manu deorſum verteret, dixit, Cum iſta charitate ſignatus, certus ſum quia nullius aduerſitatis prauitas mihi hodie poterit nocere, ſed neque gladius corpus meum vulnerare. Cui Razo dixit, da mihi digitum tuum vt videam ſi cultellus meus tuum poſſit vulnerare membrum: Qui ſtatim magna fide digitum ſuum ei porrigebat, ipſe autem apprehenſo eius digito, alia manu cultellum de vagina extrahere conabatur, ad vulnerandum digitum prænominati piſtoris, propriæque ſuæ manui cum eodem cultello grande vulnus infecit, digitumque apprehenſum ſimul & cultellum feſtinè dereliquit, & ſuam manum vulneratam lamentari cœpit, piſtor autem in fide confortatus ſanus receſſit.

** Al. Adalbardus. † Al. Eitinga, al. Ettinga.*

XI. ALIVS autem ex familia nomine * Adelhardus, cum de Auguſta ciuitate ad ſuam manſionem quæ eſt ſita in oppido † Eitingen nominato, pergere voluiſſet, ante portam ciuitatis quidam homo eum cum alijs bibere rogauit, cumque bibere cœpiſſent, quidam ibi manentium pro charitate ſancti Vdalrici poſtulauit eos potum accipere, præfatus autem Adelhardus ſordidum verbum ex ore ſuo emiſit, & poculum rogatæ charitatis accipere renuit. Cumque paululum inde recederet, in planitie vix equo ſuo cadente crus eius fractum eſt, & ita ad ſuam domum cum labore deductus longo tempore debilis permanſit. Poſtea verò votum ad ſepulchrum ſancti Vdalrici vouit, & Deo donante ſanitati eſt redditus, & deinde charitatem quam antea ſpreuit, alios frequenter bibere poſtulauit.

** Al VValterich.*

XII. IN præfata villa Eitinga quadam die cum multi ex familia ſimul ad bibendum in vnum congregati fuiſſent, fuit inter eos vnus nomine * Walterih diſcipulus Wicfredi Præpoſiti de ſancta Afra, qui cum audiret ibi poſtulare ſancti epiſcopi Vdalrici charitatem, profano ore quaſi inſaniendo ſtultiſſimè locutus eſt, Quid mihi prodeſt charitas illius epiſcopi, quia ille ſigna facere non poteſt pluſquam vnus canis. Illo verbo emiſſo, diabolo conceſſus loquelam hominis amiſit, & more canis furendo ſonare cœpit, & ganniendo atque latrando paruo tempore euoluto heu miſerabiliter vitam finiuit.

** Al. Hereuunſus. Al. Hartvvein.*

XIII. IN ciuitate Auguſta quidam faber * Hereuuns vocatus, longo tempore magna infirmitate totius corporis detentus, ita vt ambulare non poſſet niſi alijs adiuuantibus, & interdum cum duobus ſuſtentaculis ſuſtentatus, prope terrâ tenus inclinato capite ad neceſſaria corporis vix perueniit. Qui cum audiſſet multos infirmos ad ſepulchrum ſanctum ſæpe ſanari, cœpit illuc vltra vires repere, & mane diluculo de manſione ſua exire, & illuc ante horam diei tertiam vix peruenire. Cumq; hoc frequenter feciſſet, quodã tempore in quadrageſima die Veneris, cum ad portam cui capella ſancti Michaelis eſt ſuperpoſita veniret, vltra modum laſſus & vniuerſis viribus deſtitutus ſubſiſtit dicens, Domine Deus pater omnipotens, cognoſcere dignare quanta difficultate nunc iſtum adij locum, & per merita ſancti confeſſoris tui Vdalrici miſerere mihi, & aliquantulum pauſatus repſit vſque ad ſepulchrum, finita ibi oratione, dum acceptis ſuſtentaculis adiuuante comite ſuo ſurgere voluiſſet, vnum ſuſtentaculum in pauimento lapſum eſt, & ipſe ad terram iterum deiectus eſt, & in deiectione genua eius retrò in contractione neruorum more fractorum malleorum ſonitum fecerunt, & crura per pauimentum extenſa ſunt. Comes autem illius cum ſolito more eum leuare voluiſſet dixit illi, Exſpecta pauliſper, vt mihi videtur ex me ipſo ſurgere poſſum & ambulare. His dictis, dimiſſis in pauimento ſuſtentaculis ſurrexit & ambulauit. Qui ſtatim ibi accepta cruce, clericis ciuibuſq; cæteris eum eo comitantibus, ſine baculo potenter ad ſanctam Mariam in Auguſtam ciuitatem perambulauit, ibique Dei laudibus in commune peractis, eadem hora ad ſanctam Afram crucem portando regreſſus eſt.

Contractus ſanatur.

** Al Meſſinga. † Al. Hildibaldus.*

XIV. NATIVVS quidam pauper de oppido quod dicitur * Meſſlinga † Hiltibaldus nomine, cæcitate perculſus eſt,

& in illa

Digitized by Google

& in illa cæcitate duos annos perdurauit: tertio autem anno quidam homines de eodem pago, pergere decreuerunt ad Auguſtam ciuitatem cauſa orationis, qui inuenerunt eum in eodem itinere cum duce ſuo victum per oppida quęrentem, & dixerunt ei, Perge nobiſcum ad Auguſtam ciuitatem & ad ſepulchrum ſancti Vdalrici, forſitan ibi miſericordiam conſequi poteris. Quibus ille reſpondit, Stipendia mihi & ductori meo, & oblationes ad illa ſancta loca deferendum nõ habeo. Qui reſpondentes dixerunt, Si nobiſcum ieris, quantũ poſſumus auxiliatores tui ſumus. Quorum conſentiens ſuaſionibus cum eis perrexit ad Auguſtam, & eadem nocte iuxta ſanctum ſepulchrum foris eccleſiam diem expectauit futurum. Mane autem facto, infra eccleſiam ad ſepulchrum deductus deuotè orauit, & antea amiſſum lumen oculorum Dei gratia donante recepit, lauataq; cruce comitante eum eo magna multitudine populi, ad ſanctam Mariam peruenit, & qualiter ſit illuminatus, ciuibus ſuis ei teſtimonium dantibus recitauit.

Cæcus videt.

XVI. QVODAM [a] tempore cum ſanctus epiſcopus ad ſynodum Ottonis Imperatoris in Ingilunheim congregatam pergeret, quidam pauper de oppido Affelterbach [b] Rudpret vocatus iuxta viam ei coniunctus eſt, ilia ſua de ventre prolapſa in loco vmbilici portans in ſinu ſuo: cumque ea aperto ſinu epiſcopo oſtenderet, præcepit ei denarium dari & dixit illi, In pace Dei perge, qui non multo poſt tempore meliorari de die in diem cœpit, & ſanato ventre de prædicta infirmitate liberatus eſt. Poſtea [c] autẽ idem ipſe claudus factus eſt, ita vt niſi ſcamellis ſuſtentatus ambulare potuiſſet, vtilitate etiam dextræ manus in lineamentis totus priuatus eſt. Hac infirmitate cum quatuor annis detentus manſiſſet, deſiderauit venire ad ſepulchrum ſancti Vdalrici, & comparauit ceram quam ſecum ad ſepulchrum deferret, comparata autem cera virtus ei in ſuſtentaculis baculorum, dimiſſis ſcamellis, ambulandi conceſſa eſt. Illuc [d] autem taliter cũ perueniret, manus eius & genua ſanitati reſtituta munia ſua receperunt, ita vt idem homo ſine ſuſtentaculis erectus gradiens tripudiando rediret.

a Hoc miraculum in vno exẽpl etiam ſub finem cap 23. vitę S. Vdalrici relatũ ſ otto mini mum duabus Ingilheimẽſ ſynodis S. Vdalricus interfuit; Poſterioris, quæ acta an 972. mẽtio fit in vita c 23 Prioris meminit an 948. 7 Id. Iun Fredoardus in chron. b Al. Rupertus, al. Rupertus. c Hermoſum curat S. Vdalricus. d Idem poſtea claudus & contractus curatur ad ſepulchrum

XVII. DE regno etiam [e] Lottharij quidam [f] Lutericus qui multo tempore luce oculorum caruit, ad [g] ſanctum ſepulchrum venit, & orationibus peractis clarum viſum recepit.

e Al. Luttharii. f Al. Luitarius. g Cæcus illuminatur.

XVIII. CLERICVS quidam, qui in Auguſta ciuitate ſtudio diſcendi ſæpe inter ſcholares morabatur, cum ad propinquos ſuos reuerteretur mutus effectus eſt, cumq; ab eis ad ſepulchrum ſanctum deductus fuiſſet, emiſſis de ore ſuo duobus denarijs ſuper ſepulchrum, [h] loquelam quam amiſit recepit.

h Mutus loquelam recipit.

XIX. CÆCVS quidam cum valde paruulo ductore ad ſanctum locum hyemali tempore ſtuduit pergere, qui cum [i] Smutturã fluuium tranſgrederetur, & ad longum riuulum de fonticulis congregatum ſuper viam decurrentem veniret, ductor eius ei auxilium præbere non potuit, ſed de frigore & laſſitudine defectis viribus cecidit. Cæcus autem ductore cadente, magna cura & triſtitia per decurſum riuuli cum baculo vndiq; palpando ambulauit, & magna voce clamando ad ſanctam Mariam & ſanctam Afram, & ad ſanctum ſeruum Dei Vdalricum, adiutorium & miſericordiam ſibi dari intenta mente flagitauit, cumq; ſic palpando & clamando pene vſq; ad finem riuuli perueniret. Dei donante clementia ſubito apertis oculis lumen aſpexit, [k] & regrediens ductorem ſuum leuauit, & vſq; ad ſanctum ſepulchrum, omnipotentem Deum & ſanctos eius laudando, portauit, ibiq; manifeſtè clericis & omnibus præſentibus quæ ei in via acciderant recitauit.

i Al. Smuturam. al. Schmuturam. k Cæcus viſum recipit.

XX. FVIT quædam matrona in Francorum prouincia prædiues & nobilis, quæ arrepta à diabolo nimiè laborabat. Ad cuius ereptionem quinque epiſcopi cum alijs plurimis conuenerunt, qui cum diabolum orationibus & coniurationibus arctarent vt obſeſſum corpus dimitteret, clamans & eiulans dixit, niſi aliquid de rebus epiſcopi Vdalrici huc veniret, propter veſtrum præceptum poſſeſſum vas non dimitto. Cumque iterum atque iterum eadem reſponſa iteraret, æſtimare cœperunt vt legatos ad Auguſtam mitterent, vt aliquid acquirerent de rebus epiſcopi. Interim verò cum hæc inter ſe arbitrarentur, clamauit diabolus per os matronæ, Væ mihi, Væ mihi, hic in vicinitate eſt presbyter vnus qui habet humerale quod fuit præfati epiſcopi: quamuis non ſponte, ſed Deo iubente nominauit presbyterum & locum vbi habitauit. Cumque accerſitus presbyter cum humerali veniret, antequam domum intraret dæmon dixit, Væ væ nunc venit humerale epiſcopi. His [l] dictis, clamando & dolendo corpus matronæ valde fatigatum reliquit. Interrogatus autem presbyter vnde ei humerale veniret, reſpondens dixit, Epiſcopus aliquando ad regale colloquium pergendo, ad noſtram eccleſiam venit, & nos ſibi miſſam cantare rogauit, cumque alba nos indui ſine humerale velle videret dixit, Vbi eſt veſtrum humerale, Cui ego reſpondi, non habeo humerale, tunc ille iſtud humerale iuſſit mihi donari. Matrona autem à dæmonio liberata, & ſenſui ſanitatique reſtituta, tota veſtimenta ſua, quibus eo die induebatur, cum caligis & calceamentis ad ſepulchrum ſancti Vdalrici per nuncios miſit, quibus etiam præcepit vt ibi nunciarent qualiter domino concedente per eius merita eſt liberata, Wicfredus eiuſdem loci præpoſitus, qui etiam & cuſtos eccleſiæ eo tempore manſit, de ſtoco eiuſdem matronæ dalmaticam fieri fecit, & alia eius veſtimenta ſicut congruum fuit ad Dei ſeruitium compoſuit, vt hoc ſignum miſericordiæ Dei frequentius poſteris in recordatione maneret.

l Dæmoniaca liberatur, aliquo humerali S. Vdalrici.

XXI. IN regione [m] Sclauorum, filius * [n] Wolezlauui ducis in valetudinem incidit, & in tantam infirmitatem deductus eſt, vt pater eius & mater ceterique præſentes amici, præſentem vitam eum vlterius habere poſſe deſperarent. Cumque pater in his anguſtijs verſaretur, admonitus eſt de [o] matre pueri & de alijs quibus notum fuit, quam multipliciter multi per merita ſancti Vdalrici de diuerſis anguſtijs liberati eſſent, continuò votum vouit, ſi filius eius ad vitam rediret, vt miſſis legatis ſepulchrum ſancti Vdalrici cum oblationibus viſitaret. Eodem [p] verò die filius ducis conuerſus ad vitam, conſolationem patri non minimam obtulit. Qui cognoſcens miſericordiam Dei in Filio, nuncios ſtatim mittere & votum eius implere ſtuduit. Qui venientes ad ſepulchrum [q] obtulerunt v. libras argenti, & aureos quam plurimos, & de cera quantum vnus fortis ſaumarius portare potuit: mater etiam pueri ſeorſum aureorum denariorum bonam partem pro filio miſit. Legati etiam altare ſanctæ Mariæ cum auro & alijs oblationibus, ſicut eis præceptũ eſt, deuotè viſitauerunt, ſimiliter & altare ſanctæ Afræ, & narrauerunt pro qua re miſſi ſunt, dicentes, antequam ipſi exirent de ſua prouincia, vt filium domini ſui ambulantem & ſanum dimitterent.

m Boiemiæ ſcilicet. * Al. VVeſlai. n Boleslaũ interpretatur Welſetus, Pium cognomine, Boiemię principem, cui Boleslaus cæcus filius fuit Vixit au ſub Ottonibus. Vide Dubrauiũ l b 6. o Hemma ex Saxoniæ principibus vxor Boleslai p Filius ducis Sclauorũ ſanatur. q Boleslaus

XXII. ALIO quoq; tempore quidã dux [r] Wandalorum * [ſ] Miſicho nomine, cum ſagitta toxicata in brachio vulneratus eſt. Qui cum ſentiret ſeſe veneno nociuo eſſe percuſſum, & ſibi imminere mortis interitum eadem hora putaret, cum magna fide & conſtantia votum vouit, vt brachium argenteum cum manu quantocius potuiſſet ad ſanctum Vdalricum mittere non differret Qui ſtatim poſt votum releuatus à periculo ad domum ſuam redijt, & brachium ſecundum ſuum votum componere præcepit. Cumque [t] fabri brachium fabricare cœpiſſent, & manum in eo fingerent, dux continuo de imminenti periculo liberatus ſurrexit, Deum laudans, qui eum per merita ſui ſancti epiſcopi de mortis periculo liberauit, votum ſuum perficiens, mittendo brachium cum manu ad viri ſancti ſepulchrum.

* Al. Michon.

XXIII QVÆDAM mulier de Curienſi Retia, relicto proprio marito cuidam viro de pago Albegeuue * Durinc vocato in matrimonium iuncta eſt Cumque cum illo aliquantulum temporis maneret, à dæmonio obſeſſa eſt, & ab eo nimiè vexabatur. Quæ cum in multis ſanctis locis liberationis ſuæ adiutorium quæreret & non inueniret, conſilium accepit vt ad ſepulchrum ſancti epiſcopi Vdalrici veniret, quod & fecit. Cumque appropinquaret Auguſtæ ciuitati, &

* Al. Durinch. al. During.

valde munificus in ſacra loca fuit r Polonos ſignificat. ſ Polonicis ſcriptoribus Mieſka, Meſco & Mietislaus, vltimus Ducum eius gentis. primus Chriſt. religionem in eam intulit, perſuaſus ab vxore Dobraua, quæ Boleslai Boiemi ſoror fuit, t Dux Polonorũ ſagitta venenata vulneratus curatur.

Digitized by Google

tati, & eccleſiam ſanctæ Afræ bene aſpicere potuiſſet, clamans & fremens cecidit in terram, & facta eſt quaſi mortua. Præfatus autem Durinc cum comitantibus ſibi, ſtuduit leuare eam, leuata autem, reddito ſenſu à dæmonio eſt liberata.

Dæmoniaca liberatur.

ELEEMOSYNARIA quædam Abrahami Friſingenſis epiſcopi ciuitatis, de villa quæ dicitur Camera, cui maxilla XXIV.
pectori fuit inſerta, & loquela in toto negata, cui etiam manus brachijs replicatæ & conglutinatæ erant, vt figuræ digitorum vix cognoſci potuiſſent, cum veniret ad ſanctum ſepulchrum, & inde reuertendo ſuper pontem Lici fluminis ambularet, quidam homo ei obuius venit, & interrogauit eam vnde pergeret, cui illa reſpondere non potuit, ſed vertebat ſe inclinando ad eccleſiam ſanctæ Afræ vt ei monſtraret vnde pergeret: cum autem ſe ad illum verteret, maxilla de pectore ſoluebatur, & loquela ei ad reſpondendum conceſſa eſt.

QVIDAM cæcus cum perueniret cum ductore ſuo ad fluuium qui dicitur Vindex, interrogauit eum ſi adhuc XXV.
videre potuiſſet ciuitatem & monaſterium. Cumque audiret in proximo fuiſſe ſanctum locum, abſtrahere ſibi fecit caligas & calceamenta, vt nudis illuc perueniret pedibus, ductor autem eius raptis calceamentis & alijs rebus eius, furtiuè receſſit ab eo; qui æſtimans vt pro aliqua neceſſitatis cauſa oppidum iuxta ſitum intraret, & ſtatim ſibi in adiutorium rediret, cumque diu expectaret, vociferando eum nominare cœpit vt veniret. Interim etiam quæſiuit zabernas & calceamenta & non inuenit, tunc perſenſit à ductore ſuo ſe eſſe deſpoliatum, flendo & orando clamare cœpit ad ſanctam Mariam matrem Domini, & ad ſanctam Afram, & ad ſanctum Vdalricum, vt ſibi aliquod conſolationis ſupplementum eueniret. In hac cum prolixè afflictionis tribulatione laboraret, ſubito ignotum conſpexit oculis lumen, & ſtatim crucicula de viminibus facta eundem denotauit locum, & tunc lætus deſtinata viſitauit loca, gratias omnipotenti Deo & ſanctis eius agens pro perceptione luminis, ciues autem de [a] Houarehuſa in eodem loco vbi cruciculam monſtratam inuenerunt, maiorem crucem pro ſigno poſuerunt.

Cæcus illuminatur.

[a] *Al. Houarahuſa nũc eſt Oberhauſen.*

QVODAM tempore cum populus vndique concurreret ad Auguſtam in vigilia natiuitatis ſanctæ Mariæ, XXVI.
vt ſanctum diem ibi ſolenniter celebrarent, quædam mulier inter alios cum puerulo ſuo paruulo ſtuduit & illuc venire, vt illum ad ſepulchrum ſancti Vdalrici [b] cum oblationibus ibi præponderaret pro ſua ſoſpitate. Cumque ſuper pontem Vindicis carpento ſuperpoſitum puerulum cum alijs rebus ducere voluiſſet, pro inæqualitate pontis carpento inclinato, puerulus cecidit in amnem, qui pro nimia illuuie vehementer eleuatus, vniuerſis ſuper eum meantibus exitium minitauit. Cumque mater triſtiſſima in perniciem ſui in amnem poſt partum cadere voluiſſet, & vix à circumſtantibus comprehenſa teneretur, populi in vtraque parte fluminis in ripa feſtinauerunt in adiutorium infantis. Qui cum à nemine eorum adiuuari potuiſſet, flumine ſubmerſus ob oculis omnium occultabatur. Mater autem ab amne vi abducta. & quantum poſſibile fuit conſolatione recepta, flendo & lamentando adiutorium ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ inprimis quæſiuit, & poſtea ad ſepulchrum ſancti Vdalrici cum oblationibus quas antea pro ſoſpitate filij ſui illuc referre decreuit, & eas pro requie animæ pueruli cum bona fide donauit. Sequenti verò nocte cum triſte corpus mulieris ſopor occuparet, quidam valde venerabilis ſenex in veſtitu epiſcopali apparuit ei dicens, Pœnitet ne te mulier valde infantulus tuus? Quæ reſpondit, Etiam Domine. Cui ille, Mane diluculo inquit vade ad fluuium, & vbi vltima vice in amne videretur, quære eum in ripa fluminis inter frutices. Quæ expergefacta venturum cras vix expectans, cum adiuuantibus ſibi ripam fluminis adijt, & ſecundum verbum ſancti viri infantem ſuum ſanum & incolumem inuenit. Tunc læta Deum laudans redijt, & rem geſtam in ciuitate & vbique publicè recitauit.

[b] Cum oblationibus præponderare, eſt certam offerre eiuſdem cũ puero ponderis.

Submerſus reſtituitur.

QVIDAM verò homo iuxta Danubium, cum cunctus populus ſua ſponte natalitium ſancti Vdalrici ſolenniter XXVII.
celebraret, fœnum cum raſtellis congregauit in cumulos, diem ſanctum ſpernendo. Qui cum altera die cum plauſtris veniret vt hoc in fœnarium ſuum duceret, exterius formoſum inuenit, cum autem bibenti ligno interius tangeret, totum in fauillas immutatum inuenit, & diem ſanctum quem antea celebrare non voluit, poſtea præ timore contemnere non audebat.

Non celebrans feſtũ S. Vdalrici punitur.

EODEM verò tempore ancilla cuiuſdam matronæ [c] Gerbirc nuncupatæ, telum ſuum dum in texendo labo- XXVIII.
raret, ſubitus dolor cœpit contrahere manus eius, quod cum lamentando alijs diceret, reſponderunt ei, depone textile ferrum, quia pro reatu hodierni operis hic labor tibi accidit, quæ vix manibus de ferro abſolutis lecti m:ntrauit. Cumque ibi requiem non haberet præ contradictione manuum, conſeruæ eius nunciauerunt dominæ ſuæ: illa verò præcepit vt mane diluculo duceretur pro liberatione ſua ad ſepulchrum ſancti Vdalrici. Cumque in itinere laſſæ circa horam nonam in planicie Lechfeldici campi ad reficienda corpora conſediſſent, dolor cœpit minui in manibus laborantis, ita vt antequam de ipſo loco ſurgerent, vſui prioris rectitudinis redderentur. Quæ tunc lætæ peruenerunt ad prædeſtinatum locum: & inde in ciuitatem ad eccleſiam ſanctæ Mariæ genitricis Dei poſt veſperam venientes, hæc ſicuti geſta ſunt nobis annunciauerunt, & lætæ ad propria redierunt.

[c] *Al. Gerbirch. al. Gerbirga.*

NOBILIS [d] quædam matrona de Burgundionum prouincia, dum decreuiſſet pergere ad Auguſtam ciuitatem XXIX.
cauſa orationis, quendam claudum eleemoſynarium præcepit comitari ſecum, cuius caballum duobus miniſtris ſuis commendauit, vt pedes eius, ſicuti mos eſt pergentibus, ferro munirent. Qui fraudulenter pedes caballi cum clauis vulnerauerunt, ne delator eorum in itinere actuum ſuorum pro fidelitate dominæ ſuæ, ſicut ſolitus erat, maneret. Dixeruntque claudo, caballus tuus claudicat, & ideo hic te neceſſe eſt remanere. Quibus claudus reſpondens dixit, quamuis caballus claudicet, tamen non conſentio hic me remanere, qui omnia poteſt Deus omnipotens, etiam me valet ſicut ſibi placet ad loca perducere deſtinata. Cumque cum alijs pergere cœpiſſet, ſano & apto caballo ad Auguſtam peruenit. Cumque ibi ad ſepulchrum ſancti Vdalrici deuotam orationem prolongaret, & firmâ fide pro ſoſpitate ſua clementiam Dei imploraret, in præſentia multorum ſanitate redditus eſt. Hoc videntes præfati homines qui impedire iter eius in caballo voluerunt, ceciderunt terra tenus, confitentes clericis ceteriſque qui in præſentia aderant delicta ſua, veniam poſtulantes, quod eum claudum impedi:e voluerunt, ne perueniret ad locum, vbi dominus per merita ſancti Vdalrici eum ſanare dignatus eſt. Et accep:a pœnitentia ſequuti ſunt claudum ſanatum crucem portantem, vterque ſaxum tantæ magnitudinis portans quantum leuare potuit, vſque in eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ quæ eſt ſita in ciuitate, ibique peccata ſua lamentabantur multum cum lacrymis veniam poſtulantes. Cumque hoc ſignum in præſentia omnium recitatum fuiſſet, clerici te Deum laudamus, & populi Kyrie eleiſon cantantes, gratias & laudes Deo referebant.

[d] Quæ ſequuntur in duobus exempl. nõ habentur

Claudus ſanatur.

QVIDAM homo iuuenis cuiuſdam filius Comitis, tanta infirmitate eſt detentus, vt nec in lecto niſi ab alijs ad- XXX.
miniculatus in aliud ſe vertere potuiſſet latus, nec cibum multo tempore valeret accipere, niſi paucis oblatis refocillaretur. Cum verò immani labore fatigaretur, à fidelibus ſuis in lecto ad ſepulchrum ſancti Vdalrici deductus eſt, oblationibus oblatis lacrymabiliter ibi miſericordiam deprecatus eſt. Cumque eum in lecto ad ſanctam Mariam portare cœpiſſent, in medietate viæ cœpit rogare portantes vt deponeretur ad ambulandum. Qui nõ credentes eum poſſe

Digitized by Google

poſſe ambulare, noluerunt deponere. Ad portam verò ciuitatis iterum rogauit vt deponeretur dicens ſe poſſe ambulare, qui iterum ei non conſenſerunt. Ad gradus verò atrij eccleſiæ cum perueniret, in nomine Dei omnipotentis omnes in commune flagitauit vt depoſito lecto cum ambulare dimitterent. Ipſi verò in fide hæſitantes petitioni eius aſſenſum non dederunt. Ille autem cognouit infirmitatem ab eo eſſe ſeparatam, & virtutem nutu Dei conceſſam, exiliuit de lectulo, & inde ſtrenuo greſſu ad eccleſiam peruenit, & ſoſpes ad propria redijt.

Epilogus. HÆC pauca prælibata miracula ſufficiant ſtudioſis ad bona exempla lectoribus, ita vt etiam tardis & ſegnibus nimij * nauſij faſtidium non inculcent. Quomodo ſi cœpero cuncta beneficia adeuntibus ad ſepulchrum ſanct. Vdalrici & inde reuertentibus, vel iuxta ſepulchrum infirmis atque debilibus à Deo conceſſa ſigillatim enumerare, nullius adiutorio niſi ſolius Dei qui omnia poteſt poſſum perficere. Ita tantum namq; multiplicia ſunt, vt ſenſibilitas humanæ agilitatis dinumerare ea non poſſit. Quia quibuſdam poſt vota deuotè peracta illuc cum oblationibus veniendi, ſtatim in laribus ſuis donata ſunt, quibuſdam in itinere adhuc longè poſitis, quibuſdam illuc appropinquantibus, quibuſdam illuc peruenientibus, quibuſdam inde redeuntibus compendioſè adimpleta ſunt. Quorum auditus bono rumore non ſolum propinquas, verum etiam longè ſitas regiones aduolauit, quod frequens frequentia aduentantium vndique populorum ſæpiſſime manifeſtat, indicans in iſtis locis in ſuis regionibus multa magnalia Dei per merita ſancti Vdalrici facta, quorum vera cognitio nos propter noſtras neceſſitates ad iſta loca veniendum incitauit. His auditis, eia nos qui inquilini huius eccleſiæ ſumus, & tanti patroni faciem ſæpiſſimè vidimus, & eius doctrinam benedictionemque ſæpiſſimè accepimus, & in eo optima exempla conſpeximus, & nunc in retributionem eius bonorum operum aſſidua miracula & diuerſa ſigna in liberatione multorum videmus & audimus, cur non expergiſcimur, & tedium noſtri deſidij non deponimus? Eum vero de quo loquimur quantum Deo donante poſſumus imitantes, eius adiutorio iter rectitudinis ineamus, per quod peruenire mereamur ad eum qui in tribus perſonis in diuinitatis æqualitate vnus incommutabilis omnipotens Deus permanet ſine fine in ſæcula ſæculorum, Amen.

* proſecæ.

BVLLA CANONISATIONIS S. VDALRICI EPISCOPI, AD FIDEM MANVSCRIPTI EXEMPLI reſtituta.

IOANNES * epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Archiepiſcopis, epiſcopis & abbatibus in Gallià & Germania commorantibus ſalutem in domino, ac Apoſtolicam benedictionem. Cum conuentus eſſet factus in palatio Lateranenſi pridie Calendas Februarias, reſidente Ioanne ſanctiſſimo Papa cum epiſcopis & presbyteris, aſtantibus diaconibus & cuncto clero, ſurgens reuerendiſſimus Luitolfus Auguſtæ epiſcopus inquit, Domine ſanctiſſime præſul, ſi vobis placet, & omnibus epiſcopis & presbyteris hic reſidentibus, libellus quem præ manibus habeo coram vobis legatur, de vita & miraculis venerabilis Vdalrici ſanctæ Auguſtanæ eccleſiæ dudum epiſcopi, & quid libitum vobis fuerit decernatur, quia ſpiritus ſancti teſtatur præſentia & congregatio ſacerdotum, certum eſſe quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cuius in euangelio iſta ſententia eſt, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. Quod cum ita ſit, nam nec huic tam breui numero ſpiritus ſanctus deeſt, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in vnum conuenit turba ſanctorum, ſanctum namque eſt pro debita veneratione collegium. Cumque perlecta eſſet vita prædicti ſanctiſſimi epiſcopi, ventum eſt ad miracula, quæ ſiue in corpore ſiue extra corpus geſta ſunt, videlicet cæcos illuminaſſe, dæmones ab obſeſſis corporibus effugaſſe, paraliticos curaſſe, & quamplurima alia ſigna geſſiſſe, quæ nequaquam calamo & atramento illuſtrata ſunt. Quæ omnia lepida ſatis vrbanitate expolita recepimus, & communi conſilio decreuimus memoriam illius, id eſt, ſancti Vdalrici epiſcopi, affectu piiſſimo & deuotione fideliſſima venerandam, quoniam ſic adoramus & colimus reliquias martyrum & confeſſorum, vt eum cuius martyres & confeſſores ſunt adoremus, honoramus ſeruos, vt honor redundet in Dominum qui dixit, Qui vos recipit me recipit, ac proinde nos, qui fiduciam noſtræ iuſtitiæ non habemus, illorum precibus & meritis apud clementiſſimum Deum iugiter adiuuemur. Quia diuina ſaluberrima præcepta, & ſanctorum canonum ac venerabilium patrum inſtabant efficaciter documenta, omnium eccleſiarum Dei pio conſiderationis intuitu, imo Apoſtolici moderaminis anniſu, vtilitatum commoditatem, atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Vdalrici iam præfati venerabilis epiſcopi diuino cultui dicata exiſtat, & in laudibus Dei deuotiſſimè perſoluendis ſemper valeat proficere. Si quis interea, quod nō credimus, temerario auſu contra ea quæ ab hac noſtra autoritate piè ac firmiter per hoc priuilegium conſtituta ſunt contraire tentauerit, vel hæc quæ à nobis ad laudem Dei, pro reuerentia iam dicti epiſcopi, ſtatuta ſunt refragari, aut in quoquam tranſgredi, ſciat ſe autoritate beati Petri principis Apoſtolorum, cuius vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At verò qui pio intuitu obſeruator extiterit, benedictionis gratiam à miſericordiſſimo Domino Deo noſtro multipliciter conſequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. Scriptum eſt per manum Stephani notarij regionarij & ſcriniarij ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe Februario, indictione ſexta, Anno nongenteſimo nonageſimo tertio.

* Decimus quintus huius nominis, Platinæ XVI.

Matth. 18.

Matth. 10.

Ego Iohannes ſanctæ Romanæ catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ epiſcopus, huic decreto à nobis promulgato conſenſi & ſubſcripſi.
Iohannes Epiſcopus ſanctæ Anagninæ eccleſiæ conſenſi.
Benedictus Epiſcopus ſanctæ Pipernienſis eccleſiæ conſenſi.
Dominicus Epiſcopus ſanctæ Ferentinæ eccleſiæ conſenſi.
Creſcentius epiſcopus ſanctæ ſiluæ candidæ eccleſiæ conſenſi.
Anniſo epiſcopus ſanctæ Cerenſis eccleſiæ conſenſi.
Bonnizo Archipresbyter & Cardinalis ſanctæ Luciæ conſenſi.
Benedictus Presbyter & Cardinalis ſancti Stephani conſenſi.
Leo Presbyter & Cardinalis ſancti Nerei conſenſi.
Ioannes Presbyter & Cardinalis ſancti Damaſi conſenſi.
Leo Presbyter & Cardinalis ſancti Sixti conſenſi.
Ioannes Presbyter & Cardinalis ſanctorum Apoſtolorum conſenſi.
Ioannes Presbyter & Cardinalis ſanctorum quatuor coronatorum conſenſi.
Ioannes Presbyter & Cardinalis ſancti Clementis conſenſi.
Creſcentius Presbyter & Cardinalis ſancti Calixti conſenſi.
Benedictus Archidiaconus,
Ioannes Diaconus & oblationarius,

Digitized by Google

Benedictus Diaconus,
Ioannes Diaconus, Hi omnes conſenſerunt & ſubſcripſerunt. Data tertio* Kalendas Februarij, per manum Ioannis epiſcopi ſanctæ Nepeſinæ eccleſiæ, & bibliothecarij ſanctæ ſedis Apoſtolicæ. Anno Pontificatus domini noſtri Ioannis ſanctiſſimi XV. Papæ octauo, menſe dicto, & indictone ſexta.

* Legerim nonas, nam in principió dictum conuentum Pr. K. Febr. factum, & ſub finem, has litteras menſe Febr. ſcriptas.

INVENTIO ET TRANSLATIO CORPORIS S. VDALRICI; EDITO CVM MANVSCRIPTO *codice collato.*

Monaſterium & Eccleſia S. Vdalrici conflagrat.

Sepulchrũ S. Vdalrici vacuum.

I. ANNO dominicæ incarnationis MCLXXXIII. Indictione prima, XVI. K. Iulij circa horam nonam, cum nimius eſſet æſtus, fabrica quædam in valle poſita vicinas domos, & inde omnes officinas, tandem clauſtrum & eccleſiam ſancti Vdalrici & ſanctæ Afræ mira celeritate in fauillas redegit, ita vt proxima cæna nec panis ad victum ſupereſſet, nec tugurium in quo proxima nocte fratres quieſcerent. Diſperſi ergo per ciuitatem fratres, præ nimia afflictione ſpiritus tædebat eos viuere, donec reſumptis viribus, domicilia cœperunt edificare, in quibus ad diuinum ſeruitium & ad cultum religionis peragendum ſe pro poſſe receperunt. Sepulchrum etiam beati Vdalrici trabibus deſuper cadentibus confractum, & à ſanctiſſimo ipſius corpore vacuum inuentum eſt, niſi quod quatuor tabulæ, ſicut ſolent fieri in loculis mortuorum, aromaticũm habentes odorem ibidem repertæ ſunt. Vnde opinamur, quod in illis reconditum fuiſſet ſacratiſſimum corpus eius quando à ſæculo deceſſit. Pro eo igitur quod non eſt inuentum corpus eius in ſepulchro, dubietas magna cœpi toriri, & mœror maximus tenuit animos omnium. Ex præcepto autem & conſilio Hartuigi epiſcopi, quæſitum eſt corpus beati Vdalrici pene per duas ſeptimanas, & inuenta eſt ſpecus murata quadris lapidibus, & ſub illa alia ſpecus murata, minor tamen ſuperiore, & vtraque tamen erat vacua, quæ res auxit dubietatem & mœrorem, adeo vt plerique dicerent corpus beati Vdalrici in illo loco non haberi. Tandem quando placuit ſancto confeſſori, in anniuerſaria nocte ſancti patris ſui Hupaldi voluit reuelari, in tertia videlicet ſpecu murata, quæ & minima & ſub duabus ſuperioribus erat. Ceſſatum eſt igitur vſque ad diem S. Laurentij, in quo ad præceptum memorati epiſcopi vocato Præpoſito S.* Georgij & alijs religioſis, & clauſis eccleſiæ ianuis inducti ſunt biblij & cæmentarij † confeſſione & flagellis curati: per totum igitur diem laborauerunt vt locum mundarent, & lapides quadros admodum magnos de illa magna profunditate eijcerent, & vix imminente nocte opus compleuerunt. Quid ibi miraculi dominus per merita ſui confeſſoris oſtenderit, operæ pretium ſcribere eſt. Cum lapidem quadrum miræ magnitudinis cæmentarij ad ſuperiora funibus traxiſſent, funibus ruptis lapis ipſe ruit ſuper quendam bonæ indolis adoleſcentem nomine Cunradum in inferioribus ſtantem, & eum ita proſtrauit, vt iam non ſolum mortuum, ſed etiam per membra & per articulos totum diſſipatum & confractum crederes. Heinricus qui tunc prior cœnobij erat, & alij religioſi ad pedes ſancti Vdalrici in fouea ſtantes & pſalmis operam dantes, mente conſternati ſunt, & omne conſilium penitus ab eis receſſit. Porro viri qui in ſuperioribus ſtabant præcipites ſaltus in foueam dederunt, vt iam non viuo corpori vt ſperabant, ſed exanimi & colliſo per membra ſubuenirent. Mira dicturus ſum, auulſo lapide adoleſcens quaſi in extaſi viuus inuenitur, ac de terra ſublatus ſanus & incolumis, cum pauſare aliquantulum iuberetur, ipſe indefeſſus ad opus redijt, & mœrorem gaudio commutauit. Benedictus Deus qui eſt in ſæcula. Ipſa die epiſcopus ſolo pane & aqua contentus rei expectabat euentum. Imminente autem nocte purgatis omnibus, & aditu patefacto ad ſepulchrum, vocatus venit cum paucis in eccleſiam. Epiſcopus ſacris veſtibus indutus, cum magna reuerentia nudis pedibus dimiſſus eſt in foueam, & ibi ſtans ſuper ſanctum ſepulchrum, oratu Prioris cœnobij ſub anathemate interdixit, ne quis furtim de tantis quippiam ſubtraheret reliquijs. Inuentum eſt igitur corpus ſanctiſſimi confeſſoris ſuper aurum & topazion pretioſum, cum quibuſdam particulis pontificalium induuiarum necdum vetuſtate conſumptarum, & in dextro latere ad caput pixis argentea admodum nitens in ſacello holoſerico, & in pixide (vt quidam dicebant) ſanguis domini & alia ſancta continebantur. Inuenta eſt etiam ciſtella ſerata admodum magna, quæ omnia plena erant & referta reliquijs ſanctorum. Corpus igitur beati Vdalrici cum vniuerſis reliquijs oſtro inuolutum, in geſtatorio ligneo recluſum eſt, donec aliud geſtatorium cupreum ex toto firmum factum eſt, in quo ſanctiſſimum corpus diligenter eſt reconditum, pixide argentea ad caput poſita cum ceteris reliquijs. In ipſo ſepulchro epiſcopus os quoddam de coſta ſancti Confeſſoris temerè ſurripuit, & in fruſta comminutum indecenter pro reliquijs marſupio impoſuit. Per omnia etiam animo immutatus, valde infeſtus loco extitit, & quod reliquiarum ſancti Vdalrici pro ſua voluntate compos exiſtere non potuit, congregatione ſanctæ Afræ vehementer renitente, perſecutionem magnam aduerſus locum mouit, vnde & dominus eum eodem* anno vita priuauit, ſicut in conſequentibus parebit. Quidã † Vdalſcalci famulus Præpoſiti maioris eccleſiæ, qui poſtmodum Epiſcopus factus eſt, à quo & hoc ipſum quod narramus audiuimus, vidit beatum Vdalricum in viſu, quaſi turbatum & ita cõmotum: Cui inquit, O ſancte Vdalrice quid cauſę extitit quod ſic in mœrore & non in vultus tui hilaritate videris? Ad hæc beatus Vdalricus, Super epiſcopo illo qui os de coſta mea arrogãter cõminuit, & cum alijs reliquijs corporis mei temerè & indignè egit moueor, & mouebor & tamdiu diuinitati cõquerar donec ipſe pœnas exſoluet. Nõ multo poſt, cũ ſanus & incolumis eſſet, ſubito arreptus febribus infra paucos dies defunctus eſt: & poſt mortem viris religioſis ſæpius apparuit, exponens quali iudicio ſubderetur, & quibus tormentis afficeretur, pro eo quo in ſanctum Vdalricum peccauit, & locum ipſius ac fratres ſæpius infeſtauit, frequenter monens & rogans vt ab ipſis indulgentiam conſequi poſſet. Qui fratres, intuitu miſericordiæ, ſicut pro inimicis iubemur orare, ſæpius veniam optant & pro ipſo preces fundunt. Libet etiam inſerere quod Præpoſito ſancti * Georgij in ipſa inuentione corporis ſanctiſſimi, vt ipſe nobis teſtatus eſt, accidit. Dum ſibi innotum foret in adiutorio & teſtimonio eſſe prædictæ inuentioni ſancti confeſſoris, omni deſiderio æſtuabat vt maiorem digitum pedis pio quodam ſubtraheret furto, & fratres ſui eodem deſiderio laborantes, ſacculum holoſericum in quo reconderet eaſdem reliquias ſibi præſtabant. Igitur dimiſſus in foueam & ruinam paſſus, ſuum articulum in pollice pedis, ſecundum quod ipſe ſancto Vdalrico voluit furto ſubtrahere, magnum paſſus dolorem confregit, vnde ipſe hodie ſicut aſſerit debilitatus eſt. Marſupium etiam quod habuit clam collo dependens, palam amiſit, vnde adeo verecundatus eſt, quod pene doloris oblitus eſt. Non ſunt tamen fraudati à deſiderio ſuo idem Præpoſitus & venerabiles ſui fratres, quia de ſacroſanctis cineribus, & dentem vnum fratres cœnobij ſancti Vdalrici pro reliquijs contulerunt. Interim longè lateq; fama percrebuit corpus ſancti Vdalrici inuentum, & cœperunt exſtruere & dedicare eccleſias & altaria in honore ipſius, quibus etiam de ſacroſanctis reliquijs, quantum auſi ſunt prædicti fratres cœnobij intuitu charitatis diſpertiri ſunt. Concurſus etiam tam de longinquis quam de vicinis locis tantus factus eſt, vt dictu ſit incredibile.ª Præter illa etiam quæ in occulto facta ſunt miracula per merita ſanctiſſimi confeſſoris, quorum non eſt æſtimatio, plurima ſunt quæ in publico ſunt celebrata, quorum aliqua digna duximus paginæ commendare.

* In mſ. eſt Georij

† Editus habet confeſſione & pœnitentia

Lapis magnus adoleſcentem proſtrauit, non læſit.

Inuenitur corpus S. Vdalrici.

Epiſcopus os quoddã S Vdalrici ſurripit & punitur.

* anno ni mirum vertente.

† Viſio Vdalſcalci.

* Al. Georij.

Præpoſitus S. Georgij cupiẽs ſubtrahere ex reliquijs S. Vdalrici punitur.

ª Hæc ſuſpicor recẽtiora eſſe, odditæ pio ſtudio præteritæ ſcriptioni.

In mſ.

Digitized by Google

In mſ. codice nullum ſequebatur miraculum, in edito autem ſequebantur cum illa quæ nos ſupra poſt vitam incerti auctoris dedimus, tum alia quoque intermixta, quæ huc aſſcripſimus, ea variè hincinde collecta, non eodem tempore ſcripta videntur.

II. IN vigilia Aſſumptionis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, dum diuerſi ſexus ætatis & conditionis homines in eccleſiam ſancti Vdalrici confluerent, mulier quædam ex regione Noricorum, ſacrificium ſancto confeſſori oblatura venit in pontem Lyci, qui tunc temporis adeo ſuccreuerat, & ab alueo ſuo tam valida inundatione ſe diffuderat, vt omnibus ſiue hominibus ſiue iumentis in ipſo venientibus non niſi interitum minaretur. Prædicta ergo mulier à turba concurrente impulſa, cecidit de ponte, eo videlicet loco quo fluuius profundiſſimus & vehementiſſimus erat. Mox omnium clamor tollitur ad ſydera, pedites & equites deſcendunt iuxta alueum rei finem præſtolantes. Sed miro modo & dictu mirabile, ex virtute altiſſimi & meritis ſanctiſſimi confeſſoris, à ſuperiori ponte vſque ad inferiorem (quibus intereſt fere milliarij ſpatium) ipſa mulier deducta, ita ſana & incolumis in arena quieuit, vt nullum corporis vel rerum, ſed & * ſacrificij quod in manibus ferebat, pateretur diſpendium. Teſtata eſt aduenientibus ſibi beatum Vdalricum in aquis viſum, ſe ſuaque vſque ad littus deduxiſſe. Interea tota pene ruit ciuitas ad ſpectaculum, mulieremque primo cum laudibus ad ſanctum deducunt Vdalricum, deinde ad matriceam eccleſiam, benedicentes Deum qui eſt glorioſus in ſanctis ſuis.

Mulier in aquam præcipitata liberatur.

** donarij ſcilicet.*

III. CIRCA tumulũ venerandi patris credi non poteſt quanti infirmi, quanti præcipuè energumeni iacuerint, ita vt aliquod ſuæ miſeriæ remedium conſequi poſſent. Nam ſi vniuerſa velim ſtylo perſtringere quæ per merita beati Vdalrici frequenter dominus operatur, nimietas forte pareret faſtidium, quia nunquam deerit copia narrandi, ſemper enim illius ſepulchrum nouis mirabilibus fœcundatur, nec deeſt gratiæ impertitor, ſi adeſt exquiſitor in veritate. Illa ergo tantum quæ videntur in publico celebrari, poſteritati commendanda ſunt, ne vt diximus offenſam tædij incurramus.

IV. CATERVATIM per ſingulos dies eccleſiam beati Vdalrici populorum turmis adeuntibus, homines varijs languoribus detenti pariter cum illis inferuntur. Ex illis ergo quædam mulier arreptitia, dum prolixæ orationi ferventius intenderet, ſopore deprimitur, cruorque de naribus prorupit. Ille igitur ab initio homicida, oſtendit ſe ipſum eſſe qui primo ſuaſit terram fraterno ſanguine pollui, neque enim hic ſine ſanguinis effuſione à plaſmate Dei receſſit. Euigilans autem mulier clamare nititur, ſed vox eius quodam ſecreto dolore intercipitur. Accurrunt igitur turbæ, iamque morituram æſtimant, ſed ſubito per merita B. Vdalrici ab omni moleſtia corporis & animæ liberatam conſpiciunt. Mirantur itaq; potentiam confeſſoris beatiſſimi, quam ſpecialiter aduerſus immundos ſpiritus exercet, quoniam & ipſi meritis eius ſe vehementer affligi proclamant. Iſtum credimus & ſperamus noſtris ſubuenire animabus contra ſpirituales nequitias, cum corruptibile hoc carnis depoſuerimus indumentum. Verum vt talis noſtra ſpes augeatur, aliquid de huiuſcemodi rebus breuiter intimare curabimus.

Dæmoniaca liberatur.

S. Vdalricus ſpecialiter dæmones affligit.

V. ERAT in pago Vttenbura dicto temporibus felicis memoriæ Ruperti Abbatis quidam dæmoniacus, qui vniuerſa fratrum commiſſa in eodem loco commanentium, quodam occulto Dei iudicio prædicto Abbati reuelabat: ſiquidem & ipſe Abbas quadam potenti virtute imperabat dæmonibus. Quadam ergo die dum prædictus dæmoniacus mitius ſe haberet, & altera die iuxtà ſolitum torqueretur, ille beatus Abbas vbi heri fuerit percunctabatur. At ille, in orientalem inquit regionem properauimus, quendam de corpore exeuntem, & innumeris obrutum flagitijs excipere volentes, ſed Vdalricus Auguſtenſis antiſtes & Vitus Lucanus, qui diſcurrunt per omnem terram, magnum nobis impedimentum in acquirendis animabus facientes, etiam hunc monachali habitu per quendam religioſum inueſtientes, noſtræ ſubtraxerunt poteſtati. Hoc quia piè credenti nihil obeſt, ſed magis fidem & ſpem in Deum & ſanctum eius auget, in fine ſignorum quæ vno & eodem anno dominicæ incarnationis MCXLV. facta ſunt annotauimus, quia & ipſum veraci relatione ab ijs qui audierant & viderant agnouimus: De ijs ergo quæ dicta vel dicenda ſunt, nullus dubietatis anfractus cuiquam in corde reſideat, quoniam auditus & viſus nos minime fefellit.

VI. LIBET etiam huic operi inſerere, quod vno dierum illorum quando tantæ virtutes ad ſepulchrum B. Vdalrici factæ ſunt, duæ mulieres à ſpiritibus immundis afflictæ vltra ſolitum confuſis clamoribus eccleſiam replebant, vnde colligi poterat quod ipſarum redemptio inſtabat. Etenim turbis attentius orationi vacantibus, * ſonitus qualem ſupra deſignauimus duabus vicibus circa laquear templi exoritur, & mulieres à maligno poſſeſſore eripiuntur. Interea talis timor ac tremor omnes in eccleſia conſiſtentes obtinuit, vt dictu ſit incredibile. Porro extra eccleſiam manentibus mirabile viſum eſt prodigium: Cernebant namq; ſupra tumbam confeſſoris Chriſti quaſi circulum apertum, circulum videlicet rubei, & poſtmodum crocei coloris, & de circulo aquilam magnarum alarum in partes orientis properantem. Sed quid hoc fuerit nobis non licet definire: viderint ipſi qui merita B. Vdalrici vilipendunt, quantus apud Deum habeatur, cuius cineribus talis honor cœlitus defertur.

** Multis indiciis fit credibile ordinem in his miraculis eſſe perturbatũ, iſtud crediderim collocandũ infra poſt cap. XVI. in quo fragoris eiuſmodi fit mentio.*

VII. IVDICIA tua abyſſus multa ô clementiſſime Deus, & quis agnoſcet ea? Ibi humana excluditur prudentia

Pſal. 35. vbi diuina ſapientia omnem creaturam ineffabili & incomprehenſibili gubernat prudentia. Sunt enim quædam iudicia ſiue diſpenſationes diuinæ humanis ſenſibus abſconditæ, & quamuis occultæ, tamen nulli dubium quin iuſtæ, vnde magis laudari quam temerè, imo periculosè inueſtigari debent. Hæc autem ideo prælibauimus, quia narraturi ſumus rem mirandam, rem ſtupendam, rem inauditam noſtris temporibus, in qua illud Prophetæ poteſt agnoſci,

Pſal. 65. Terribilis dominus in conſilijs ſuper filios hominum.

VIII. ERAT in pago Riedlingen dicto quædam puella quæ ſub æſtiuo tempore, vt mos eſt ruſticorum, ad colligendam mentam montes ſyluaſque petijt. Habebat autem in comitatu pleroſque ſeruulos & ancillas, prædictæ rei gratiâ ſecum conuiantes. Et ecce vir quidam nudus, ac toto corpore niger horrenduſque aſpectu, vt nihil aliud videretur niſi diabolus, de proxima egrediens ſylua, pileum capite geſtans. Qui ex omnibus arripiens per capillos memoratam puellam, iter vnde venit repedauit. At illa præ magnitudine doloris incurrens obliuionem mentis, dum neſciret quid faceret, tandem miſeratione diuina recordatur quod mancipium eſſet B. Vdalrici, & hac ſolummodo voce proclamat, O ſancte Vdalrice: tum ſeruus ductor, heu me inquit, quoniam ad inuocationem tanti nominis furorem in te meum minimè valeo exercere. Hæc dixit, & relicta puella nuſquam comparuit. O quanta beatiſſimi præſulis Vdalrici ſanctitas, ad cuius inuocationem nominis ita nequitiæ contremiſcunt ſpirituales. Hic eſt tui laboris fructus ô electe Dei palmes Vdalrice, quoniam manſiſti in vite quæ eſt Chriſtus, vnde & opera quæ ipſe fecit & tu facis, & maiora horum facis. Et quia honor tuus redundat ad dominum, quid in prædicto miraculo egeris plenius exequemur. Igitur memorata puella ad domum reuerſa, illo quidem die nil moleſtiæ pertulit, altera verò loquuta eſt aliena, tertia die à dæmone cœpit vexari. Ecce hæc ſunt iudicia quæ ſuperius diximus inſcrutabilia. Quis enim inde audeat diſputare, quod puella pridem erepta, iterato in poteſtatem dæmonis ceſſit? Ad ſepulchrum ergo beati Vdalrici feſtinato deducitur, vt ſubueniat miſeræ quam & antea miſericorditer liberauit. Vbi dum ſero cogeretur templum egredi, illa cum magna animi contritione caput ſub pallium altaris occultans, non egrediar inquit donec miſericordiam B. Vdalrici experiar. Et protinus per auras inſtar cuiuſdam horrendi ſpiraminis egreſſus eſt humani generis inimicus.

Digitized by Google

on es, quod ex occultis talium hominum demeritis, vel ex diuina ſic diſponente prouidentia euenire credendum eſt. Nec mirum, nec ſancto debet eſſe detractiuum, cum non omnes apud aliorum ſepulchra ſanctorum & loca ſanari videmus, nec omnia inde tolli morborum genera, ſed his tantum præſtari incolumitatem, qui bonis operibus ſe dignos reddiderunt. Nulli igitur inde detrahendi ſumenda eſt occaſio, ſi friuolè iudicantis non vult incurrere cenſuram.

Hæc hactenus ex edito codice miracula; quibus tamen pleraque ex prioribus illis, Vita incerti auctoris à nobis ſubiunctis, intermixta erant, ſed peruerſo ordine, nobis ea iterare non placuit.

SANCTI PROCOPII, EX LEGIBVS D. BENEDICTI VIVENTIS, ACTIONVM VITÆ COMPENDIVM, PARTIM EX ANNALIBVS *Bohemorum, partim ex antiquo MS. per Dn. Nicolaum Salium Pragenſem recens deſcriptum.*

AN. 1020

I. PROCOPIVS homo Bohemus, parentibus nec eminentiſſimis, nec obſcuris Chotumæ in Bohemia in lucem effuſus, penè infans ſeueriorem quandam viuẽdi diſciplinam amplectebatur. Sic enim Dei reuerentia, & maiorum intuitu, cor ad honeſtè viuendum firmarat, vt omnes voluptatum fucatarum fibras animo prorſus eradicaret. Quam eius, magnum quid pollicentem, indolem parentes circumſpecti animaduertentes, alendam eam & extendendam rati, Pragam eum admodùm puerum tranſtulerunt, vt Viſſegradi Dalmaticis literis, quæ id temporis ibi florentes erant, expoliretur. In quibus ille tantum deſudauit, vt commilitonibus ſuis doctrina multis gradibus emineret. Viuendi autem eius ratio tam inſigniter pura fuit, vt ea excitati præcipui eius loci ſacerdotes, eum licet renitentem, Collegio ſuo cooptarent. In quo ille ſtatu peruigil in orationibus conſiſtebat, die nihilominùs in diuino officio contrito: tandem Sacerdotij gradum conſcendens, cogitare cœpit parum ſe hactenus in pietatis ſtudio progreſſum, ni maioribus virtutum incrementis exorſus ſatus prouehere eniteretur. Hæc animo agitans, in monachum D. Benedicti inſtituta profeſſum, Deo hoc ita curante, incidit. A quo & vitæ ab humanis negotijs ſeiunctæ normam excepit, & cultu corporis nouo inuolutus eſt, ſicq; parentes inuiſit, non ea mente, tanquàm impotentiori aliquo conſpiciendi eos affectu pungeretur, ſed vt reconditam aliquam & hominibus ignotam ſpecum eligeret, in qua, liber à populari tumultu, liberiùs Deo officij ſui penſum exoluere poſſet. Quod cum ageret, & anxius per inuios ſaltus, atq; inacceſſos montes ſingula luſtrans oberraret: deuenit tandem in antrum quoddam duobus circiter miliaribus à caſtro Curimæ diremptum, qui locus à fluuio præterlabente Saſſauæ appellatione percrebuit. Quod quidem antrum mille propemodùm dæmonia inſederant, quæ non leues illi moleſtias creabant. Ille tamen, vt athleta Chriſti impauidus, cum ijs orationum & ieiuniorum telis acriter depugnans, palmam certaminis referebat.

4. Iulij feſtum eius celebrant Bohemi.

S. Procopij patria.

Pragam literis imbuendus mittitur

Initiatur ſacerdotio.

Aſſumit monaſticæ vitæ viuendi normam

In ſpecu habitat.

Oratione dæmones fugat.

II. CVIVS tam grandes ſpiritus, & maſculos labores, admirationis & imitationis ergo volens Deus orbi palàm facere, Vdalricum Principem Bohemiæ occaſione venationis, præconem virtutis eius & teſtem inculpatæ actionis produxit. Hic enim Princeps cùm comites, & moloſſos ſuos, volucri curſu prætervectus, nec aſſequi, nec ablatos oculis reuocare poſſet, colligendarum virium cauſa, quas in ea ferarum inſectatione exhauſerat, ſub opaca quadam eius ſiluæ arbore reſedit. cum inſperatè ceruus ramoſis cornubus mirandus maturo greſſu eum quieſcentem prætervolans, ſecretiora luſtra inire tentabat. Princeps aũt, quanquàm defectis viribus grauiſſimam corpori feſſo medelam ea mora afferret, videns tamen feram, qualem ea die nullam inueſtigâſſet, cupienſq; laudis aliquid ex ea cõfecta ſibi decerpere, impotentiũ & effœtorum pedũ, & damnati curſus oblitus, e veſtigio è terra ſe corripit, & contento arcu ceruum, veſtigijs eius inſiſtens, premit. Ille aũt tandiù ante inſequentem ſe fugam capeſſit, quouſq; ad notam ſibi ſpecũ patris Procopij decurriſſet. Truncabat tunc vir Dei, poſt fuſas preces, quercum quendam vſui ſuo ſeruituram, poſt cuius tergum, tanquàm poſt firmiſſimum vitæ ſuæ propugnaculum, ſe recipiens ceruus, compoſitis cruribus humi ſubſedit. Sanctus autem, incitatiori curſu eius & pauore excitatus, cauſam nouitatis huius aſſequi volens, caput ſuſtulit, & eminùs proſpiciens hominem lauta facie, & amictu corporis minimè agreſti conſpicatus, neruo obuerſum ex aduerſo vultum in ſe direxiſſe videt. Steterunt aliquantum ambo mutua admiratione defixi: tùm Princeps percontari, quid hominis eſſet, cui ille, ſe magnis facinoribus obſtrictum, Chriſti tamen ſeruum dicere. Hoc reſponſo excepto, concuſſus religione Princeps, laxato arcu cernuus ad pedes Sancti ruit, & ad arbitrium eius nutumque ſe componens, ſalutares pœnas ex præſcripto illius ſibi decretas penſurum ſe offert.

Vdalricus Bohemiæ Dux ad ſpecũ viri Dei, diuinitus ducitur.

Vdalricus ad pedes Sancti prouoluitur.

III. BEATVS verò Procopius, ductum in penetrale ſuum viuo ſaxo eraſum, quia eum anhelanti ore loqui videbat, quieſcendo aliquid laxamenti proſtratis viribus corporis dare hortatur. Morem gerit Dux, & ſuccedens antro, locato corpore, primò orat hoſpitem ſuum, vt ſuæ torrenti ſiti remedium aliquo potu adhibeat. Nihil differt ſanctus: aquam qua guttur ſuum proluere aſſueuerat, Crucis ſigno perſtrictam ei propinat, quæ ſubitò in talem molliſſimi vini ſaporem, diuina operatione tranſijt, qualem Vdalricus Princeps, nec in genialibus Cæſareæ menſæ epulis, (inter quas olim alitus fuerat) vnquàm ſe libâſſe aſſeuerare non dubitaret. Diuinam ergò vim hîc ſe exerere cognoſcens pius Princeps, flagitare quaſi importuniùs à ſancto patre cœpit, vt leuandorum criminum ſuorum ſpe certiori, mulctam in ſe iudicio ſuo pater decernere non grauaretur. Admiſit preces tam iuſtas ſanctus Dei homo, & vt templum Deo ſub nomine D. Ioannis Baptiſtæ à fundamentis erigeret, idque celebre religioſis viris eò contractis, & copioſis prouentibus dotatis efficeret, in mandatis illi dedit. Quæ omnia Dux, vt animosè & alacriter expetiuit, ita exauditus, ſtrenuè extremam manum operi adiecit. Id autem ab eo perfectum eſt anno milleſimo nono, quo tempore Henricus ſecundus faſces Imperij poſt Othonem tertium poſſedit, & in Pannonia beatus Stephanus Rex diuinorum operum effector magnificus florebat. Vbi dum cæleſtibus negocijs vacans ageret Procopius, ſtipatus choro purgatioris ſenſus hominum, quos ſibi delectu acri habito collegerat, mirum dictu quantis vndique egenorum & morbis tentatorum examinibus, præcipuè autem eorum, qui comitiali morbo vexabantur, crebrò circunfundebatur. Quibus * omnibus Apoſtolica pietate ita ſe commodum impartiebatur, vt nemo ab eo triſtis, omnes lætabundi redirent. Ante omnia autem eò animum cogitationemque intentam veluti arcum tenebat, ne quid domeſtici eius, qui eodem cultu & ſacramento obſtricti, Deo ſecum militarent, importuniori aliqua ſpiritus tempeſtate iactarentur. atque hæc Procopij apud ſe geſta prædicatione & memoria digna.

S. Procopius ei aquam in vinum mutatam propinat.

Dux ad votũ viri Dei templũ extruit, & S. Iohanni Baptiſtæ dedicat

Hic fuit S. Henricus dict⁹ Claudus, qui Italus primus vocatus.

* Pietas S. Procopij in pauperes & ægros.

IV. QVÆ verò ab eo in luce & in propatulo patrata fuère, talia ac tanta memorantur. Principio quidẽ Mennonem virum pium cùm illis diebus, quibus inter Paſcha & aſcenſum Chriſti Domini, viri Chriſtiani ſupplicationes ſtatas prælata Cruce obeunt, flumen, ne Procopij choro copulari poſſet, arceret, videretque; in vltrà poſita ripa ſcapham cõto hærentem, orauit Deum eius ſibi copiam intuitu meritorum D. Procopij fieri. Orationi euentus felix reſpondit. Mox enim ſcapha reuulſo conto à ripa reſilijt, criſpantes vndas ſecare, & ancillanti ſimilis, genibus oratoris ſe applicare. Qua ille conſcenſa, & conto quem ponè cymba attraxerat nauiculam ſubigens, optatis ſe tandem aruis expoſuit, & religione exolutus, cùm rem miraculo dignam Procopio aperiret, eamque bonitati eius imputaret, ille à ſe declinare, & in dicentis fidem retorquere atque congerere perſeuerauit.

Miraculum S. viri meritis.

Dæmonem eijcit ab obſeſſo.

ALIVD deindè tale ab eo tantumq; patratum eſt opus, quod viri ſancti ſolidam virtutem arguit. Namque vir quidam aſperrimo mali genij furore percitus, cùm ab eo inedia ſe caſtigare iuſſus paruiſſet, illeq; potẽtibus verbis in exturbandũ diabolum prolatis incubuiſſet, repentè dæmon hominis illius incola, ſpeciem teterrimæ volucris exhibens, ex ore illius, tanquàm ex nido prouolauit, & in culmine tecti conſiſtens, ita orationibus eius ibidem appetitus eſt, vt deorſum corruerit, lapſuq; illo tria ampliùs in fruſta diſſipatus ſit. Hanc tantam eius in affligendis gregalibus inuiſam habentes dæmones poteſtatem, dira & contumelioſa voce queſti ſunt, ſe ſuis ſedibus euolui, & exhortantiũ more ad emigrandum in Lobec (loci cuiuſdam nomen eſt) cum Milobuſenſibus inuitare. Quos Deo charus homo, ne ſibi moleſtias commendationi dedito crearent, potenter, immanem ſtrepitum cientes, profligauit.

Dæmones fugat.

Vdalrici Ducis obitus.

Beretislaus filius eius monaſterium S. Procopij multis donat diuitiis cũque præfectum creat.

V. INTEREA Vdalricus Dux laxata ægritudinis vi membrorum compage, vita defungitur, hærede Bohemiæ Beretislao filio ſcripto. Qui non leuibus hominum narrationibus excitus, quæ Procopij & quanta eſſet viuendi innocentia, & nobilium factorum claritas, ad eum pergere, & coram illum alloqui deſtinauit. Quod dum perhumanè & demiſſe facit, ſuggeritur ei à proceribus ſuis, Patrem eius mortis præcipitis interuentu, non cumulatè monaſterio illi cenſibus pollicitis ſatisfeciſſe. Quibus auditis Dux, nihil protelandum cum hoc opere ratus, ſubitò in multis ſatisfecit, in paucis ſe ſatisfacturum propediem & hilariter recepit, Procopiumque deſignatum cœnobij eius Præfectum, obfirmatè id munus defugientem, inextricabilibus rationum laqueis ita circuncinxit, vt enodare ſe minimè poſſet. Quod quidem munus ita geſſit vt omnibus magnoperè eius gubernandi ratio accepta eſſet. Sic namq; benignè ius ſuum in eos exercebat, vt nunquàm aliquem ſubiectorum duriori ore percelluerit, omnes verò mirificè colloquijs ſuis, quibus frequenter eos ad officij initi perfectionem cohortabatur, permulſerit. Hinc * factum, vt neque ille, in quem ſanctus Dei, quòd molliori & fractiori vocis ſono quàm par erat inter ſacrificandum modulabatur, virgis animaduertere iuſſerat, quicquàm ea punitione irritaretur.

* Attendant hęc deſides monachi, qui voci ſuę in choro parcunt.

† Mortem ſuam & ventura mala ſuis filius prædicit.

a Gen. 50.

Felix obitus eius.

VI. COGNITO † tandem vitæ ſuę occaſu, palam Emerano & Vito amantiſſimis iuxta ac fidiſſimis ſecundum Deum filijs, quòd ſibi intra triduum mortis agon impenderet, denunciare non deſtitit, atq; epilentico, ſtipem tunc à ſe exigenti, vt tantiſper præſtolaretur monuit, quo ſibi vita functo, tunicam eleemoſynæ loco aſportare liceret. Mox conuerſus ad ſuos, præſcio futurorum caſuum ſpiritu, quæ tempeſtas incommodorum eos quaſſatura ſe ablato eſſet, inſtar a Patriarchæ Ioſeph apertè illis vaticinatus eſt. Aiebat namque, Beretislao Bohemiæ domino ſoſpite, ſecunda omnia illis: erepto eo, ſiniſtra quæuis eos occupatura. Spitigneum Principem pater Procopius hac in futurum porrecta oratione deſignabat, qui adeò crudeli odio in eos deflagrabat, vt vertere ſolum, importunitati eius cedentes, cogerentur. Verum nè infauſtorum tantum commemoratione admodum concuterentur, commutatione feſtina proſperorum euentuum, quam ſub Vratislao ſucceſſore Spitignei experturi erant, eos mirificè permulſit. Tali ſermone ad eos habito conquieuit, & breui poſt vitam reliquit, idque circa annum 1053. Cal. Aprilis.

Vitus ei ſuccedit.

Monachi tyrannidẽ Spitignei nõ ferentes in Pannoniam migrant.

Ab Vratislao principe reuocantur.

VII. POST eius obitum diſcipulorum eius religioſum agmen, veritum ne exultantes res eorum prouido gubernatore caſſæ breui defluerent, coeuntibus ſuffragijs Vitum amantiſſimum patri Procopio, maturum & ſerium piumq; virum, omnibus rationibus id onus excutere conantem, Pręfectum ſibi conſtituunt. Cuius adminiſtratio tamdiu integra florenſq; extitit, quandiu Beretislaus beneuolus Princeps in humanis agebat. Eo enim exanimi facto, derepentè Spitigneus turbo, beati illius præſaga voce denuntiatus, in eos erupit. Cui colluctatus aliquantiſper Vitus, cùm ſe imbecillum tanto furori reprimendo ſentiret, cedendo atq; in Pannoniam demigrando, victor euaſit. Vixit eouſq; in exilio Pannonico, quouſque Spitigneus viuere ceſſaſſet. Intereà Abbas quidam Germanus homo aſper loco illi præficitur. Qui ad nocturnos concentus vadens, cùm ter à B. Procopio, ſibi in limine templi apparente, iuſſus cœnobium illud deſerere, minimè paruiſſet, tandem baculo paſtorali ab eodem incuſſus ſapuit, & verbere protetuorum pædagogo eruditus, pegaſo volucrior indè exilijt, Principiq; Spitigneo, qui eum monaſterio præpoſuerat, duros caſus ſuos anhelans commemorauit. Quæ cùm crebris hominum ſermonibus vſurpata Vratislao, qui habenas regendæ Bohemiæ poſt Spitigneum ſuſcepit, inclaruiſſent: ita auditione eorum refectus eſt, vt è Pannonia Vitum Abbatem, reliquoſque B. Patris diſcipulos reuocârit, eoſque loco ordinique priſtino in Bohemia reddiderit.

Quidã ab hoſtibus beati Procopij meritis miraculoſe liberatur.

VIII. TVM quoque vir quidam Labeſſa nomine, aulæ Principis aſſectator, maleuolorum iniquis accuſationibus appetitus, cum vitæ fortunarumq; ſuarum ruinam certò prędidiciſſet, fugam eques ad Sazauam flumen arripuit. Quod cùm tranſuadere non poſſet, & infenſos hoſtes circumuolitare eminus conſpicaretur, fuſa ad Procopium, cuius ædem vltrà intuebatur, prece, ſubitò amnem fluidam glacie rigere videt, quam patientem ſuî inuadens, iumento manum ducentis ſequente, lento greſſu ſuparauit. Quæ non mora liqueſcens, atque in currentes vndas reuoluta, illi tutelam, inimicis verò eius obſtaculum comparauit. Factum id Auguſti menſe, quo ſole Leonem ingreſſo, ferentiori calore Bohemia huic ſigno ſubdita, torreri ſolet.

Mulier ægra ſanatur.

Vinctus cippo liberatur.

IX. MVLIER diuturno languore detenta, iuſſa eſt à Procopio ſibi apparente, vnum ex diſcipulis illius Vitum, aut Emeranum aduocare: quorum cùm Emeranus eam acceſſiſſet, & Deo illius iacentem valetudinem oratione commendâſſet, protinùs ex integro conualuit. Vpilio Sazauienſis amictus veſte, quam ſublegerat, à domino rei comprehenditur, & cippo, fruſtrà pro eo interueniente Vito Abbate, inſeritur. Hic inclamato nomine Procopij, vidit hominem canitie venerandum, infula redimitum facie eleganti, ſibi adeſſe, & vt morum commutationem faciat præcipere. Tum canna, quam manu geſtabat, robora arctantia contingere, quæ ad tactum illum tanto impetu diſſilierunt, vt ianuam eius loci deturbarint, illeq; retinaculis expeditus, liber euolarit. Martino cuidam, in ſacro viuendi genere tyroni, fures ſupellectilẽ, dum in ſupplicationibus nocturnis excubaret, depeculati ſunt. Ille ad ſepulchrum P. Procopij, velut ad tribunal iudicis cauſam ferens, locum ſe mutaturũ aſſeruit, ni Procopius illos rerum ſuarũ euerſores coërceret. Audit voces queruli alumni ſanctus, coegitq; fures illos ablatũ eius peculium quàm primum referre. Virginibus b ſacris tenues eorum fortunas tenebrio quidam furtim aſportârat, quas mœrentes noctu leniens verbis, P. Procopius benè ſperare iuſſit: Moxq; furem illum, hominum quorundam opera captum, & pro ademptis omnibus ſatisfacientem, eis ſtitit. Oblatus c iterum alteri mulieri Procopius iniunxit, vt cognatam ſuam, ni perire morbò, quo conflictabatur, mallet, Sazauæ, monaſterium adiret, & orationis ſacrificium ab aliquo ex incolis eius poſtulare iuberet. Audit hæc, paruit illa, & curata eſt. Mulier alia alieno viro adhæreſcens, raptis bonis proprij mariti, fugam conſciuit: Hæc retracta ex ignobili illa profectione, verberibus liuida, cippo committitur: Sed Procopij admonitu, iuſſa vitioſos amores ab animo profligare, elequeatur. eum enim illa importuno clamore plangoreq; cælo ſibi euocârat. Quatuor annorum ſpatio alia mulier & viſus & membrorum vſu defecta, die Natalis Chriſti, dum ſacrificaretur, Procopij nomine ingeminato, ſibi reſtituitur, hunc ſuarum precum & inediarum ad ſepulcrum eius ſuſceptarum fructum capiens. Quæ ſæpienti ſe populo aſſeuerabat, Procopium, oculis ipſius ſacrum ſignum Crucis efformantem, ſe vidiſſe, moxque inualetudinem amiſiſſe, idcircoque in nomen Procopij exaltata voce efferbuiſſe.

Sanctus cogit fures ablata reſtituere.

b Item furem.

c Ægra curatur.

Vincta cippo abſoluitur.

Cæca & contracta ſanatur.

Apparet S. Procopius cœnobij ſui Præpoſito.

X. BLASIO cœnobij ſui Præpoſito, ter mandârat Procopius, vt Romano Pontifice adito, eum, quo ſe albo diuorum, relatis non vulgaribus ſuis operibus adſcriberet, excitaret. Paruit iuſſus, diſtulit rogatus, expoſuit iuſſa legatus, neglexit exequi ea prælatus. Egit quod debuit petitor ſupplex, non conſummauit requiſita, quæ potuit Pontifex. Sic ergo attenuato annuo ſumptu, ſalutatis liminibus Apoſtolorum Petri & Pauli nocte abibat Blaſius. Cùm

Proco-

Digitized by Google

Procopius indignanti ſimilis, Pontificem ſopitum corripere, quòd ſegnius honori ſuo ſtudens, preces ſacerdotis ſui ita repuliſſet, vt adſpectum hominum non ferens, ieiunis loculis excedere Vrbe cogeretur: adiecitque, ni hominem via D. Laurentij ſuburbani gradientem reuocaret, tum verò ſe illum (pedum in ſublime tollens) perfoſſurum: Pontifex horribilis oſtenti facie ſomno reſolutus, ſemiſopita voce, quis eſſet percontatur: [a] Procopius, ait ille; & euanuit. Procopij ſacerdotem Pontifex Blaſium per ſagaces & expeditos curſores reductum, cùm auidè, præſentibus 13. purpuratis patribus de Procopij geſtionibus audiſſet, diuina re facta, Sanctorum numero illum aſſerit: miſſoque in Bohemiam Guidone S. Mariæ trans Tyberim S. Calixti presbytero Cardinali (Legato à latere vulgò dicto) Procopium ſanctum, beatum, feliceméque credendum, vocandum, colendum pronunciat, eique tanti nominis & tituli apud omnes ferendi author eſt, idq; anno Domini noſtri 1204. quarto nonas Iunij.

Item ſummo Pontifici, mandás vt catalogo Sanctorum adſcribatur.
[a] S Procopius Sáctorũ catalogo adſcribitur.

XII. Neqve verò Deus Legatum illum, tantùm confirmatorem nobilium facinorum Procopij, ſed etiam teſtem atque præconem virtutum illius, apud ſuos Romæ effecit. Nam & monumentum, quod ille diſtringebat, odorem gratiſſimum ipſi inhalauit, & complures cæci, ſurdi, muti, dæmonibus occupati, complures etiam inſanabili morborum genere labefactati, ſpectante ipſo, commodam valetudinem aſſecuti ſunt. Quibus ille viſis, tanti Procopium habuit, vt munificis largitionibus eos ſecundum animam cumulàrit, qui Procopium ſalutaturi accederent, & ditiſſimos illos pararus, quibus ſacrificio deditus fulgebat, ei templo in honorem Procopij, tanquam obſides ſui erga eum amoris donarit, præſentibusque Epiſcopis tutelam eius loci commendarit.

Multi ægri ad ſepulcrum eius curantur.

XIII. Alio tempore, cùm feſto D. Ioannis (cui hoc templum attributum eſt) egrediente pompa tam myſtarum, prophanorum hominum, Abbas quidam, ignotus omnibus, virga paſtorali quoſdam in eo agmine contingerer, viſus eſt canentes eos prægredi, & cœnobio eorum ſuccedere, & illi quidem ianuam, quam diſcedentes clauſerant, patentem offenderunt, & valentes, quos virga permulſerat, notantes, Procopium fuiſſe nõ vanè crediderũt. Eodem die, non eodem anno, in eodem templo ægri cauſam ſtrepitûs rogati, nubem ab altari proferri, duosque viros eam conſequi, eosque ſibi & bene precari, & attactu virgæ ſe peſtringere vidiſſe, indeque morbum conclamatis depulſum, affirmabant. Æditus templi D. Iohannis, quo recubat Procopius, vidit in ſomnis ſanctum cæci oculos Cruce notantem, & plauſu hominum vigil factus, curatum adſpexit. Eundem æditum, ſomno grauiori profligatum, ſanctus Dei ſignum dare iuſſit, quo ſuæ familiæ homines ſtrato euocati pſalmodiæ inſiſterent. [b] Parricidæ cuidam non ſemel S. Procopij ædem viſenti, catena aſperrima, quæ ei impacta carnes eius eradebat, tanta vehementia in templo D. Petri ab eo reſilijt, vt ſtrepitu homines ad miraculum contemplandum exciret. Fabianus [c] vir ſacer, inſtitutum P. Procopij in eius cœnobio moribus exprimens, dum parietem templi ædificator attollit, vnà cum ponte & aceruo ſaxorum deorſum ruit, ex ijs erutus, amiſſa iam voce lectulo reponitur, noctu ſuſpirat, ſurgit, opus proſequitur, narratq; virum quendam formoſum, habitu ſuo agmen ruentium lapidum excepiſſe, eosque ſinu ſuo, ne affligerent, condidiſſe.

Apparet ſuis S. Procopius.
Iterum apparet quibuſdam ægris, eos ſanans.
Item alium curans cæcum.
[b] Catenarũ parricidam à vinculis ſoluit.
[c] Cõſeruat ruentem in præceps à læſione.

XIV. Cliens cuiuſdam aſperrimo dæmonio agitatus, omniſque quietis impatiens, in templum cœnobio Procopij adiunctum inducitur, ibi cùm in morem volantis protenſis latè manibus, & dirum vociferans ſecundum occiput procurſaret: die natalis S. Procopij inter ſacrificandum, dum tranquillior ad ſepulcrum eius precaretur, turbulento illo hoſpite liberatus eſt. Adoleſcens ſpretis parentum monitis, poſthabitaque Miſſa & templo, die Dominico aliorſum ludicer declinauit. Quem dæmon ligatum in piſcinam contrulit, vt eum præfocaret. Sed parentes à ſeruulo *inquiſitore* eius, quo in ſtatu res eius verſaretur, certiores redditi, confeſtim aduolantes fluitantem illum *morti eripiunt*, & ſenſu excuſſum Procopij oſſibus applicant, ſanumque beneficio eorum reducunt. Adoleſcens alius tetro facinore delibutus, noctem vnam dum compotaret, ita ſeipſum amiſit, vt ad tactum omnem ſtuperet. *Eum* ſepulcro S. Procopij admotum, atque ex cyatho eiuſdem ſancti refectum, perfectum amici domum proſecuti ſunt. Puellæ cuidam diabolus moleſtias frequentes creabat, illa eas parentibus tamdiu aperire differebat, quouſque ab eo in lecto comprehenſa, eminùs à domo eiiceretur. Quam mater angulis omnibus domus non inuentam tandem didicit penes fontis cuiuſdam crepidinem apertis oculis cæcam, ſupplius ignaram, rigentemque deſidere. Ergò feſtinè inſtat Chananææ ad proximum templum eam adducit, & triduo ieiunio, multiſque orationibus, cum ea ex conſilio ſacerdotis eius loci ſuſceptis, cùm nihil ſe proficere notaret, Procopio eam reſtituendam offert, & reſtituta eſt ab eo firmæ & plenæ ſanitati, nec in caſſum obſecrationibus ſuis eum fatigauit. Et me toties toties vocantem te audi, Procopi Pater, & hanc quam à te poſtulo, quamque præſtare potes, non alieno ſed tuo ſacer ab ſacro, gratiam mihi benignus impertire.

Dæmoniacus curatur.
Adoleſcens quidam à mortis periculo liberatur.
Item alius.
Matth. 15.
Vexata à dæmonio liberatur.

Martyrium S. Zoe quod quinto die Iuly celebratur, deſcribitur in vita S. Sebaſtiani martyris 20. Ianuarij, ad quam lectorem remittimus.

MARTYRIVM S. CYRILLÆ MARTYRIS, EX MENOLOGIOGRÆCORVM.

An. 280.

Sancta martyr Cyrilla ſub Diocletiano, & Maximo Imperatoribus ex vrbe Cyrenæ, quæ eſt in Libya, cùm accuſata eſſet apud Dignianum Præſidem, aſtitit cum Lucia, & Roa, deuotis mulieribus, cumque perſuaderi non poſſet, vt Idolis immolaret, in eius ipſius manus iniectis carbonibus, & thure, cogebatur ſacrificare, illa vero clamans, Non eſt, inquit, hoc inuoluntariè factum ſacrificium offerre. Combuſtis autem digitis ſuſpenſa, laniata eſt, mox de ligno detracta, ex plagis quidem ſanguis, ex mammis vero lac inſtar torrentis defluebat, & ſic beata martyr ſpiritum Deo tradidit.

Ivl. V.

MARTYRIVM S. ATHANASII DIACONI ET MARTYRIS, EX NICEPHORI CALLISTI HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ *libro 15. capite 9.*

An. 440.

Monachi quidam, qui Synodo *Chalcedonenſi* interfuerant, & diuerſa à decretis eius ſentiebant, cùm Hieroſolyma veniſſent, proditam eſſe fidem clamitarunt, lamentantes, & monaſticum ordinem concitare, atque impellere ſatagentes, vt quæ in Synodo ritè acta erant, reſcinderent. Vbi autem Iuuenalis ſedem ſuam recepit, atq; illi eum, vt ſynodi acta aboleret, & anathemati ſubijceret, cogere voluère, in Imperatoris vrbem conceſſit. [d] Turbæ totius Dux Theodoſius monachus quidã erat. Hic Eudocia Auguſta (adhuc n. in vita erat) in partes ſuas rapta, & Sodalitate monachorũ omni ſibi cõciliata, prædonis & ſanguinarij hominis more,

Ivl. V.
Monachi Eutychiani in Palæſtina contra ſynodum Chalcedonenſem furiunt.

[d] Theodoſius monachus ſedem Hieroſolymitanam fraudulenter, Iuuenale abſente, occupat.

Digitized by Google

quod Iuuenalis (ſicuti diximus) Conſtantinopolim petierat, Hieroſolymorum thronum occupauit, adiutoribus ea in re vſus, qui Synodi conſtitutionibus aduerſabantur, & Eudociæ gratificabantur. Et quum Epiſcopi nondum à Synodo reuerſi fuiſſent, alios ipſe delectos, in vrbes quoſque miſit. Seuerianum [a] autem Scytopolis Epiſcopum, quod maleuolentiæ illius ſuffragari nollet, oppido exactum interemit. Magnam quoque mouit perſequutionem in ciuitate ſancta, aduerſus eos qui communicare cum eo nolebant: Quoſdam namque tormentis excruciauit, aliquibus ſubſtantiam ademit, aliorum ædibus ignem iniecit. Adeo, vt Athanaſius quidam in Diaconorum ordinem cooptatus, in media Eccleſia Hieroſolymis cum multa dicendi libertate, iniquitatis abominatione throno ſanctiſſimo inſidente, vocem illam præclaram emiſerit: Deſine Theodoſi [b] tantam cædem committere, deſine Chriſto bellum inferre, & gregem eius in prædonum morem è diuino ouili eijcere, & aliquando tandem beneuolentiam erga verum germanumq; paſtorem noſtrum cognoſce. Hæc cum diceret, à Satellitibus [c] Theodoſij arreptus, & ex Eccleſia tractus eſt. Atq; inſolentis petulantiæ & cruciatuum genus omne propter Chriſtum perpeſſus, & flagris multis conciſus, poſtremò etiam ferro vitam amiſit. Cadauer eius ex pedibus per vrbem omnem raptum, canibus tandem eſca proiectum eſt.

In alias quoq; Eccleſias Epiſcopos illegitimos mittit.
[a] Seuerianū Scytopolis Epiſcopum necat.
[b] Athanaſij Diaconi Hieroſolymitani libera ad Theodoſium vox.
[c] Athanaſij martyrium.

VITA ET MORS ESAIÆ PROPHETÆ, PER D. EPIPHANIVM CONSTANTIÆ CYPRI EPISCOPVM DESCRIPTA.

Habetur in libro eius de vitis prophetarum.

IVL. VI.

ESAIAS Propheta quidam in Hieruſalem de tribu Iuda ortus eſt: ſub Manaſſe verò Rege Iuda ſectus in duas partes, occubuit. Tumulatus eſt ſub quercu Rogel iuxta tranſitum aquarum, quas olim Ezechias Rex obſtruxerat, cum eas vndas peruias efficeret. Fontem quippe Deus Seloam cauſa prophetæ effecit, quoniam priuſquàm moreretur, puſillùm precatus eſt, vti vndas illic effingere dignaretur. Et cõfeſtim demiſit illi cœlitus aquam viuentem, vndè ſortitus eſt locus ille appellationem Siloam, quod ſi quis interpreretur, ſonat demiſſum. Sub Ezechia quoq; Rege, antequàm ſtagnum piſcinaſq; fabricâſſet, precibus Eſaiæ effectum, vt exigua lympha ſcaturiret, quòd populus in obſidione hoſtium teneretur, & nè ipſa periret vndis deſtituta ciuitas. Milites igitur perſcrutabantur vndiquè, vbinàm ſedate ſitim daretur: ignorabant etenim. Vrbe quippe iam potiti, obſidebant Seloam. Quandocunq; itaq; Iudæi aquatum venerant, ſcaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum verò nationum homines reperire neſciebant, latex namque aufugiebat. Eoq; ad hodiernum vſque diem eructatur clanculùm, quò ſignificet myſterium. Cæterùm quandoquidem Eſaiæ prophetæ iſtuc acceptum referunt, in perennẽ eius rei memoriam, populus accuratè prophetam iſtic ſolo reddidit cum gloria, & honorificè, vt per eiuſdem interceſſiones in conſummationem vſq; ſæculi, aquæ eiuſmodi fructus impertretur, cui ſcilicet vſum referebant acceptũ. Extat autem monumentum Eſaiæ finitimum ſepulturæ principum poſt ſepulchra ſacerdotum, versùs Notum partemq; meridionalem. Salomon enim Hieroſolymam conſtituens, Regum excitauit Mauſolea, prout illa Dauid deſcripſerat. Exiſtit autem Orientem versùs Sion, quæ introitum à Gabaoth poſſidet, quæque ab oppido viginti diſtat ſtadijs. Foueam præterea fecit illic incomprehenſibilem, magnæ etiam dùm parti mortalium incompertam.

Vide efficaciam orationis Eſaiæ.

Sancti poſt mortem orant pro nobis & impetrant exhiberi nobis à Deo beneficia.

ITEM VITA ESAIÆ PER D. ISIDORVM EPISCOPVM ISPALENSEM SCRIPTA. HABETVR IN LIBRO EIVS DE

patribus veteris teſtamenti.

ESAIAS filius Amos, non illius prophetæ, ſed alterius, qui ſimili nuncupatus eſt nomine. Ille ex genere paſtorum fuit, oppido Thecue: hic autem genere nobili ortus in Hieruſalem. Quem etiam aiunt Hebræi ſocerum fuiſſe Manaſſe. In quo tanta fuit ſanctitas & vitæ excellentia, vt vnam tantùm dicatur habuiſſe tunicam cilicinam. Quanquàm etiam poſtmodùm pro delictis populi abijt, & ſacco membra cooperuit: ſed & hoc extremum depoſito, iuxta imperium Domini, nudo corpore, nudoq; veſtigio in conuentu populorum verſatus eſt. Sicq; æſtiuum feruorem, hyemiſq; pruinas, atq; imbrium tempeſtates ſuſtinuit, vt Dei præceptis obediret, & deploraret populi delicta. Hic quindecim gradibus recedentem vmbram retrò aſcendere iuſſit. Cuius oraculo Rex Ezechias mortis dilationem promeruit. Quem Manaſſes extenſum à vertice per medium ſerra ſecuit, atrociq; ſupplicio & cruciatu extinxit. Tradunt autem Hebræi duabus de cauſis occiſum fuiſſe Eſaiam: Vnam, quòd eos appellauerit principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ: Alteram, quòd teſtante Domino ad Moyſen, Nemo poteſt videre faciem, & viuet: iſte auſus eſt exclamare, Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatum: Non arbitrantes cæcati mente Iudæi, quòd in ſequentibus faciem & pedes Dei Seraphin texiſſe nouerat, ac mediam tantùm eius vidiſſe ſpeciem. Sub quercu Rogel requieſcit iuxta decurſus aquarum, quas Ezechias Rex Iuda molem conſtruendo terræ expoſuerat.

Attende veſtium vilitatem in propheta, ſimiliter & vitæ auſteritatē.

Exod 33.

Reliquias eiuſdem prophetæ anno 35. Theodoſii Iunioris Imperatoris Paneade aduectas eſſe, & in D. Laurentij templo repoſitas, ſcribit Cedrenus in Compen. eod. anno.

AN. 580.

VITA S. GOARIS PRESBYTERI, AVTHORE VVANDELBERTO DIACONO ET MONACHO PRVNIENSI,

qui claruit Anno Chriſti 810.

IVL. VI.
Tob. 12.
Res geſtæ Sanctorum cur minùs notæ.

PROLOG. ad Marcuardū Abbatem.

MIRACVLA diuinorum operum humano generi fide ſemper integra eſſe ſuſcipienda, & deuota glorificatione narranda, ſcriptura ſancta commonente, & Angelo hoc ipſum Tobiæ ſancto præcipiente didicimus. Plurima tamen eorum, quæ aut per ſemetipſam Chriſti potentia effecit, aut per ſanctos viros, mundo in exemplum propoſitos, operatur, propterea noſtro tempore minùs interdùm nota & clara habentur, quòd aut caducis rebus intenti, partim hæc & leuiter contemnunt: aut ea etiam, quæ in admirationem ſui nos magnitudine permouēt, non tam rerum ignorantia, quàm animi deſidia, futuræ poſt nos ætati ſcribendo tranſmittere diſſimulamus. Qua in re longè eſt noſtra, quàm Maiorum noſtrorum, cùm manifeſtior, tũ inexcuſabilior culpa. Quippe apud Gallias multos annos literarũ ſtudia iacuère, nec facile plures per tranſacta retrò ſpacia liberalium artium munere functi eſſe reperiuntur, quoàd noſtra ætate, principum liberalitate & optimorum virorum ſolertia, ad diſciplinarum ſtudia profecerũt: vt inuidiam criminis meritò nunc ſuſtinere cogamur, ſi geſta ſan-

ctorum

Digitized by Google

ctorum virorum, quæ quidem ad noſtram potuerint peruenire notitiam, poſterorum ſcientiæ deperire ſinamus. Neque verò audiendi ſunt, qui tantum ætati præteritæ tribuunt, vt nunc quoquè fieri, quæ digna literis æſtimentur, abſoluto præiudicio negent: cùm diuina prouidentia ſingulis mundi temporibus ità ſemper, quæ humano generi pro modo & ratione congruant, ordinet, vt neque nos priſcorum hominum felicitatem deſiderare conueniat, neque illos noſtrorum temporum ſtatum, ſi qualis nunc agitur, præſcire potuiſſent, damnaturos fuiſſe credibile ſit. Quippe nunc quoquè ſunt in Eccleſia multi virtute vitæ clariſſimi, & ad merita declaranda Sanctorum, in ſacratis eccleſiarum domibus ſtupenda ſæpenumerò miracula fiunt: quæ propterea pauci aut propè nulli mirantur, quoniam ſuî frequentia duris iam hominum cordibus viluerunt. Quoniam itaque me ſancte & amantiſſime Pater Marcuarde, nouo operi manum imponere compellitis, vt actus ſancti Confeſſoris Chriſti Goaris, qui hactenùs vili admodùm ſtylo & ſermone, multorum auditus offendente, conſtiterunt, accuratiùs debeam explanare, additis ex nouo miraculis, quæ apud eius memoriam à pluribus geſta fideliter referuntur: breuiter eis, quos hæc fortaſſis mea ſcripta mouere poterunt, ſatisfacio, me neque præſumptiuè corrigendi eius operis, cui Maiorum ſtudia ceſſerint, autoritatem aſſumere, neque arroganter nouæ condendæ ſcripturæ literariam operam adhibere: ſed vt ſimpliciter obedientiæ debitum ſeruem, quod in principio poſui, perpéndere quòd opera Dei, ſecundùm ſcripturam, glorioſum ſit enarrare, & Sanctorum geſta ætati poſt nos hominum profutura mandare. Quippe ego in hoc opere ſuſcipiendo, cùm ſancti viri meritis plurimùm confido, tum veſtro imperio, cui totum quod poſſim debeo, non leuiter moueor. Neque rumuſculos vel præiudicia quorumlibet mihi fore magnipendenda exiſtimo, habituro apud beneuolos, ſi res benè ceſſerit, abſolutum veritatis & fidei teſtimonium.

In eccleſia etiam nunc multi ſancti virtute clarent.

Tob. 12.

Lib. I. I. GOAR igitur Aquitaniæ prouinciæ, quæ eſt totius propemodùm Galliæ pars tertia, indigena fuit, genere à Maioribus clarus, patre Georgio, matre verò Valeria. Fuit autem diebus Childeberti Francorum regis, qui ortus eſt ex proſapia regis famoſiſſimi Ludouici, (qui etiam Clodoueus dicitur) manſitq; vſque ad Sigebertum regem, qui vrbem Mediomatricum regni ſedem habuit, omni vita probus & nobilis, actu inſignis, vultu digniſſimus, adſpectuque iucundus, mente humilis, corpore caſtus, fide integer, opere conſpicuus. Qui ab ineunte ætate religioſis pijsque actibus vitæ optimæ deditus, breui ad id vſque culmen ſanctitatis euaſit, vt & mirabilium operum patrator, & ſecretorum cœleſtium cognitor fieret. Et cùm in eo quotidiè amor & deſiderium patriæ cœleſtis excreſceret, & bonorum operum fructus ſubindè exuberaret, cœpit eius vita etiam alijs exemplum ad ſalutem exiſtere: vt multi eius non ſolùm prædicatione, ſed & exemplo commoniti, ad meliorem vitam & correctiores actus à prauitate conuerterentur: & qui diabolo priùs ſeruierant, inciperent Chriſto deincèps militare. At quoniam non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, ſancti viri eò fama ac vita profecit, vt ſacerdotij gradu & honore presbyteratûs accepto, diſpenſator myſteriorum Chriſti, & diuini verbi in populum fieret erogator. Dehinc cùm in ampliorem ſupernorum bonorum concupiſcentiam mens eius excreſceret, & viſibilia cuncta deſpiciens, in inuiſibilium appetitum ſe omni ex parte transfunderet, patriam parenteſque deſeruit, & in vltimos Galliæ fines, peregrinus ſæculo, & cœleſtis patriæ ciuis, exceſſit. Veniens ergò in prouinciam, quæ ripis Rheni fluminis contigua, Trigoria nũcupatur, atq; ad diœceſin pertinet Treuirorum intrà terminos Veſalienſes, ibi Deo liberè ſeruire delegit. Ibi in quodam loco ſuper riuulum, qui nunc Wochara dicitur, cum permiſſu & voluntate Epiſcopi, qui tum vrbi & populo Treuirorum præerat, Felicis nomine, eccleſiam pro ſuis viribus conſtituens, ſanctorum in ea plurima pignora collocauit: videlicet ſanctæ Dei genitricis & beati Baptiſtæ Iohannis, aliorumque ſanctorum, quos recenſere neceſſarium non putaui. In hoc itaque loco annis multis Deo ſeruiuit, vacans die noctúq; vigilijs, orationibus & ieiunijs, ſtudens patientiæ, & præcipuè hoſpitalitati: quam ità omni tempore ſecundùm vires ſuas exercuit, vt cùm virtutibus animi cunctis polleret, hanc vt propriam & ſingularem habere putaretur.

Genus & patria & parentes S. Goaris.

Matth 5.

Fit presbyter.

Relicta patria, migrat in diœceſim Treuirenſem

Studet hoſpitalitati.

II. COEPIT intereà gentilibus, per circumitum ſimulacrorum cultui deditis, & vana idolorum ſuperſtitione deceptis, verbum ſalutis annunciare: vt tanquàm bonus Euangeliſta, qui pro Chriſto ſua omnia dimiſerat, multorum ad cognitionem vitæ perpetuæ doctor exiſteret. Sic factum eſt, vt plures eiuſmodi pagani, qui ad ea vſq; tempora in errore durauerant, eius & verbo commoniti, & prouocati exemplo, errorem ſpernerent, & ad viræ vitam Chriſtũ conuerterentur. Ac nè prædicationi eius ſignorum quoquè deeſſet authoritas, vt incredulæ mentes, qua ratione nõ poterant, ad credendum miraculis mouerentur, cœpit in virtute nominis Chriſti ſanitatum beneficia circa infirmos & membrorum debilitate mulctatos, aliquotiès operari. Quod hodieq; merita eius multipliciter petentibus præſtare conſpicimus, cùm ad eius memoriam cœcos viſum, claudos greſſum, energumenos mentis ſanitatem, alijsq; preſſos languoribus incolumitatem recipere cernimus, vt illud in ſancto viro Pſalmographi conſtet impletum: Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis conforratus eſt principatus eorum.

Multos gentiles conuertit.

Claret miraculis

Pſalm. 138.

III. ERAT eius ſolennis conſuetudo, vt omni die Miſſarum ſolennia celebrans, ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti pro ſtatu Eccleſiæ offerret, Pſalteriumque ex integro, orando intentè, compleret. Tum deindè cum peregrinis & pauperibus, ſine quibus penè nunquàm erat, cibum officio charitatis acciperet, quos oratione Deo commẽdabat, corporeo nihilominùs alimento reficiens, vt ab eo peregrinus, qui caſu adueniſſet, cum verbo ſalutis & ope interceſſionis, cibum quoquè perciperet carnis. Hæc autem agebat, Apoſtolicæ ſententiæ memor, Quoniam hilarem datorem diligit Deus: & Chriſtum in pauperibus & peregrinis ſuſcipere cupiens, vt ab eo mereretur audire: Quod vni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti. Sed quia antiquus hoſtis electorum ſemper profectibus inuidens, eorum ſtudijs multipliciter nititur occurſare, & omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur: hæc à viro ſancto charitatis & prædicationis opera fieri diabolus acriter doluit, cœpitque illi nunc occultè, nunc etiam manifeſtè tentationum fraudes intendere, eiuſque propoſitum vt auerteret, modis varijs laborare. Quæ tamen ille cuncta æquanimiter tolerabat, qui nôſſet, per multas tribulationes oportere ingredi in regnum Dei. Qua in re neque à prædicatione potuit cohiberi, quin lucrandis Deo animabus operam ſemper impénderet: neque ab operibus charitatis, quæ permaximè Deo accepta nouerat, vllatenùs valuit impediri: ità vt quotidiè concurſus ad illum multorum fieret, qui aut à gentili vanitate ad fidei ſynceritatem confugerent, aut eius exemplo cuperent voluntariam Chriſto depéndere ſeruitutem.

Quotidiè ſacrificat & legit Pſalterium.

2. Cor. 9.

Matth 25.

2. Tim. 3.

Actor 14.

IV. SED ſicut bonorum hominum eſt, aliorum actibus, quos laude dignos adſpexerint, gratulari, & eis ad ſuum vti profectum: ità contrà reproborum mentes conantur ſemper recta electorum opera effuſcare, & quæ imitari nolunt, aut etiam nequeunt, maleuolo detractionis ore & ſtudio carpere. Vndè accidit, vt quodam tempore ad beatum Goarem duo ſub falſa ſpecie pietatis, clientes Epiſcopi, qui tunc Treuirorum præſidebat eccleſiæ, Ruſtici nomine venirent: quorum alter Albinuinus, alter vocabatur Adaluuinus, dicentes ea, quæ ad luminaria eccleſiæ beati Petri vrbis iam dictæ neceſſaria eſſent, ſe quæſitum veniſſe. Qui dum corporei luminis fomenta requirunt, vel magis ſe quærere mentiuntur, quibus maleuolentiæ tenebris cæcati eſſent, celare minimè potuerunt. Nam hi videntes, quæ ſeruus Chriſti ageret, quòd ſcilicet Dei verbum ad ſe venientibus continuè prædicaret, quòd quotidiè ab ortu lucis Pſalmodiæ laudes Chriſto perſoluens, & Miſſas deindè celebrans, poſteà cum peregrinis & pauperibus,

Æmuli ſancti viri.

qui

qui ad ſe veniſſent, pranderet: quæ certè ille ſtudio charitatis & indefeſſo vſu beneuolentiæ, non alicuius intemperātiæ vitio, faciebat: vt malis ſemper eſt vita bonorum grauis, arbitrati ſunt ſe aliquā nactos occaſionem, qua ſeruum Dei accuſare, vitamque illius poſſent aliquatenùs infamare. Itá ad patronum redeuntes, cœperunt alia pro alijs mentientes dicere, vidiſſe ſe in illo, quæ ad reprehenſionem, & aliorum deſtructionem valerent plurimùm, ipſum Goarem eſſe magis edacem viniq; potatorem, quàm Dei, quod putetur ab imprudentibus, ſacerdotem: quippe qui manè comedat ac bibat, nec poſſit conſuetum alijs legitimumque cibi ſumendi tempus & modum ſeruare: & qui proptereà prædicet, vt obtentu verborum, vitia morum celet: aliaque perplura gerat, quæ niſi fuerint authoritate pontificali cohibita, ipſi Epiſcopo ſint contumeliæ & vituperationis maculam illatura, tanquàm qui hæc in ſua diœceſi ab homine alienigena & mente capto fieri ſinat: debere Goarem publicis Eccleſiæ ſiſti iudicijs, ſuorumque actuum reddere rationem, nè inſolentia vni conceſſa, creſcat in alios: & quo pluribus itá licuerit agere, hoc Pontificalis authoritas ampliùs infirmetur. Hæc ab eis dicebantur, qui dum ſeruo Chriſti calumniam ſtruunt, diuino iudicio & ſancti viri clariorem reliquis hominibus vitam fecerunt, & ipſi, quàm eſſent damnabiles innotuerunt.

Traducitur apud Epiſcopum Treuiren.

V. ITAQVE Epiſcopus Treuirorum hæc à ſuis ſuper viro Dei audiens, vt eſt interdùm animus Prælatorum; maximeq; carnalium, diuerſis occupationibus ſeruiens, quóve circa multa diuiditur, eo fit minor ad ſingula, nec diſcernere facilè valet, quid qua ex cauſa à pleriſq; dicatur: motus ſuorum ſermonibus, eoſdem ad beatum Goarem cum feſtinatione redire præcepit, mandans, vti eum ſibi quantociùs exhiberent, habituro ſuper eius actibus quæſtionem. Illi celeriter ad ſanctum virum, vt præceptum erat, reuerſi, volenteſque ſimulatione callida dolos ſuos & accuſationem celare, cùm tamen hæc eum minimè laterent, ſalutant eum ex nomine ſui Pontificis, petere illum atque mandare; vt ad ſe debeat ſub celeritate venire. Quo audito, vir ſimplici animo circa omnes agens, magna exultatione repletus, gratias egit Deo, & quòd viſitationem ſui Pontificis, mandatumque ad eum properandi meruiſſet accipere, gratulatus eſt, dicens: Faciat Dominus, faciat vt poſſim, quia obedientia ſine mora exhibenda eſt. Etſi enim ſuſpectam habere poterat Epiſcopi iuſſionem, nec facilè eum, quam ob cauſam acceſſiretur, poſſet latere, conſiderabat tamen Domini ad Apoſtolos dicentis authoritatem: Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui vos audit, me audit, & illud Apoſtoli Petri: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Quoniam tamen terminus diei imminebat, nec iter ſtatim arripere poterat, * executores ſuos ea nocte detinuit, & qua circa omnes ſolitus erat, vſus humanitate, cœnam ſecundùm vires ſuas inſtruens, pro labore illos viæ refecit: ipſe, vt conſueuerat, in Dei laudibus hymniſque pernoctans, orta prima luce, quod ſingulis diebus agebat, pſalmodiæ & orationum vota Deo perſoluere cœpit: tum demùm vbi id peregit, Miſſarum ſolennia exorſus impleuit. Præcepit deindè diſcipulo, vt executoribus ſuis ſibique prandium, ſicut poſſet, inſtrueret: Fili, inquiens, para nobis de ſubſtantia noſtra conuiuium, vt nobiſcum legati noſtri Pontificis epulentur. Forſitan addet Deus aliquem pauperem, qui poſſit in Chriſti charitate cibum vnà potumque percipere.

Non latuerunt virum Dei doli æmulorum ſuorum.

Luc 10.
1. Pet 2.

** forte accuſatores.*

VI. ID vt homines maleuolæ mentis, & iamdudùm animo corrupti, mandari audièrunt, vltrà non valentes peſtē malitiæ internæ diſſimulare, quid mente gerant, oſtendunt, & tanquàm qui peruersè viuentem iuſtè reprehenderēt, aiunt: Neq; tu benè agis, qui legitimum tempus & canonicum ſumendi cibi contemnis, neq; nos tibi hac in re conſentimus, quin maturas diei horas in percipiendis eſcis ſuſtineamus. Quaſi verò regnum Dei ſit eſca & potus, & non iuſtitia & pax & charitas: vel in cibo ſumendo tarditas magis, quàm modus & temperantia, valeat: aut ſanctus vir hæc cauſa ventris, & non beneuolentiæ, ageret: qui proptereà vtique cibum apparari præceperat, vt quos maturiùs proficiſci velle putaret, propter itineris laborem manè reficeret, & nè ieiunos abire hoſpites ſineret, in quibus, licèt indignis, Chriſtum ſe ſuſcepiſſe gauderet. Vt ergò illos obſtinatè ſibi reſiſtere vidit, modeſtè, vt erat ſemper trāquillo animo, dixit: Mala domus eſt, in qua Dominus non timetur. Vos autem ſi verè Deum timeretis, charitatem vtiquè non recuſaretis. Dum hæc loquitur, venit eius puer, & indicat peregrinum ſtare præ foribus. Quo audito, gauiſus eſt, & recepto in domum peregrino, ait: Eccè quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Appoſitaque menſa, cibum vnà cum peregrino & ipſe cepit. Executores hæc videntes, cum ingenti feſtinatione & alacritate ſuos equos ſtrauerunt, dicentes tum ſe pro certo cauſam inueniſſe, qua Goarem accuſare & manifeſti criminis apud eum, à quo miſſi fuerant, inſimulare valerent. Rogauerunt tamen, vti pro labore viæ & itineris neceſſitate aliquid eis cibi & potûs, quod in via percipere poſſent, tribueret. Id ille, qui plenus ſemper charitatis eſſet; & omnibus etiam ingratis benefacere paratus, iucundè accepit, eiſdemque ſuis executoribus quæ periērant, in via poni præcepit.

Charitatis officia æmuli eius ſiniſtrè interpretantur & carpunt.
Rom 14.

Hoſpitalitas eius quanta.
Pſalm. 132.

Item eius in æmulos benignitas.

VII. SIC accito in comitatum viæ, quo vtebatur ſemper, miniſtro, vnà iter ad vrbem Treuirorum aggreſſus eſt. Iam aduenerat diei medium tempus, & illis euntibus, Sol ſui curſûs axem conſcenderat, cùm eccè in vindictam ſui ſerui adeſt vltio diuina: & qui paulò antè oblatam ſibi pro charitate cibi potuſque reſpuērant copiam, eſurire vehementer ac ſitire cœperunt, tum etiam tanta laſſitudine affici, quantam eſſent experti nunquàm. Inter hæc vir ſanctus in laude diuina & pſalmis meditabatur, illud Apoſtoli exequens: Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. Cumque iam ſextum viæ milliarium complèſſent, & in eum locum veniſſent, qui Pauli campus dicitur, Albiuuinus collegæ Adaluuino dixit: Fames me ingens & ſitis habet. Cui ille: At ego, niſi celeriùs bibero, eueſtigiò moriar. Conſtituerunt itaque ad quendam riuulum, quem in vicino nouerant, deſcendere, vt ex eo bibere, & circa ripas eius cibum ſumere deberent. Sed vbi eò ventum eſt, nihil aquæ penitùs inuenerunt: quippe eis, in quibus malitiæ vis exarſerat, aqua riuuli nutu creatoris aruērat. Miſerunt deindè manus, vt ex ſacculis eſcas, quas à viro ſancto datas meminerant, ſumerent: ſed & ipſi vacui ſunt reperti. Et rectè qui charitate, quæ bonorum omnium eſt plenitudo, vacui erant, vacua inuenerunt vaſa, in quibus alimenta à viro charitate pleno perceperant. His perturbati, cùm nec culpam ſuam plenè cognoſcerent, & quid circa ſe ageretur mirantes, iter in equis agerent, eouſquè excreuit laſſitudo eorum, vt Albiuuinus de equo velut exanimis caderet, & Adaluuinus ad virum Dei ſe conferens, magnis precibus, vt ſui & collegæ miſereretur, expoſceret.

Vltio cœleſtis eos perſequitur.

1. Theſſ 5.

IIX. TVM ille, qui legiſſet, Si eſurièrit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius: & Dominum præcipientem attenderet, Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: ei, qui ſe rogabat, reſpondit. Fili, recordari oportet, quia Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Proindè hodiè cùm me vobis pro amore Chriſti cibum offerentem, & ipſum percipientem vidiſtis, non debueratis charitatis officium recuſare. Nunc autem ad correctionem veſtram operatur hæc Deus, vt eius admonitione correcti, diſcatis charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, amplecti. Dum hæc loquerentur, conſpicit eminùs tres ceruas ingentis formæ, tanquàm ſuo numero Trinitatis myſterium præſignantes. Inuocata mox Trinitatis virtute, ceruas conſiſtere, quoad vellet ipſe, præcepit. Illis confeſtim obedientibus, & bruto licèt ſenſu nomini diuino cedentibus, ac tacitè hominum duritiam & inobedientiam accuſantibus, vaſculum accepit, & ad ceruas perueniens, earum vbera mulſit. Tum eas abire permittens, lacte quod mulſerat, illorum, qui vt exanimes iacebant, membra pertractauit, ſtatimque eos priſtinæ virtuti & incolumitati reſtituit. Præcepit deindè, vt ad riuulum reuerſi aquam haurirent, ac de ſacculis cibos accipientes, ieiuna corpora releuarent. Sic factum eſt, vt qui priùs propter offenſam viri ſancti vacua vaſa & arentem riuum inuenerant, eius poſtmodùm venia impetrata,

Prouerb. 25.
Rom. 12.
Matth 5.
1. Iohan 3.

Coloſſ. 3.

Ceruas iubet ſtare, & earum lacte moribundos ſanat.

Digitized by Google

impetrata, & in riuo aquam ſufficientem, & in vaſculis ſuis eſcas, quas poſuerant, reperirent. Eis ergò manducantibus, & quæ erga ſeipſos geſta viderant, mirantibus atque ſtupentibus, cœpit beatus Goar exquirere, quid cauſæ eſſet, quòd eum ad ſe Epiſcopus euocandum putâſſet: ſibi mirum videri, quid negocij ſecum pontifex habere velit: Nam nos inquiens, obedientiam prælatis exhibere debemus: nec ſine cauſa eſt, quod diuina circa nos potentia per feras hodiè monſtrare dignata eſt: ſed vt oſtenderet, quam gereret ſeruorum ſuorum curam, & quàm non deſerat in ſe ſperantes: quoniam potens eſt Dominus parare menſam in deſerto: & quàm magnificata ſunt opera tua Domine?

Obedientia prælatis exhibenda.

Pſal. 103.

IX. Hic illi timore & metu depreſſi, nihil reſpondere, ſed putare repentè ſe interituros, quòd in ſeruo Chriſti tantam cernerent virtutis efficaciam, quem eſſent auſi aliquatenùs contriſtare. Iter poſt hæc agentes, multa die Treuiros peruenerunt. Quò vt ventum eſt, vir ſanctus, vt illi perpetui moris erat, eccleſiam eſt ingreſſus, vti ſe & cauſam ſuam Domino commendaret. Qui autem illum deduxerant ad Epiſcopum, quantocyùs venientes, cuncta, quæ in itinere contigiſſent, quæque in Dei homine conſpexiſſent, ex ordine retulerunt. Ille cùm debuerit in admirationem diuinorum operum conuerti, & Deum in ſancto eius laudare, in furorem accenſus, cœpit ſibi adſtantibus dicere, ea quæ Goar egerit, non tam ope diuina, quàm magica arte & maleficijs ab eo eſſe patrata: nec in illo aliquod veræ virtutis indicium poſſe exiſtere, qui carni & ventri ſubditus, manè comedat ac bibat, & ieiunij inediæque ſit impatiens, cùm antiqui ſancti & iuſti per ieiunium & abſtinentiam & eleemoſynas Deo placuerint. Hæc ità iactabantur, tanquàm ſola abſtinentia quis aliquandò, & non charitate, ſynceroque in Deum amore, ſanctus extiterit. Dum hæc apud Epiſcopum geruntur, præſente Clero eccleſiæ, venerabilis ſacerdos domum, in qua cum ſuis Ruſticus Epiſcopus conſederat, ingreſſus eſt, cœpitque proſpicere, quam in partem vel diſcipulus, quo comite venerat, conſedere, vel ipſe cucullam ſuam poſſet appendere: cùm ecce videt in angulo domùs tanquàm vectem ligneum parieti hærentem. Erat autem Solis radius, per modicam feneſtram ingrediens: ad quem accedens, quoniam, vt dictum eſt, vectem putabat, in eo cappam ſuam appendit, iuxtaq; diſcipulum ſtare præcepit. Neque mirandum eſt, Solis radium, ad obſequium viri ſancti, ligni duritiam præbuiſſe, cùm qui creatori deuotè famulatur, ei ſit etiam creatura ex creatoris voluntate ſubiecta.

Calumnia Epiſcopi in ſanctum virum.

Ad Solis radium ſuſpendit cucullã ſuam.

X. Hoc dum Epiſcopus cerneret, quærere cœpit quid ſibi vellet, quòd ad Solis radium veſtem ſuam Goar appenderet: non eſſe id diuini miraculi, quòd homo infirmus tanta præſumat: magis illum hæc iactantia & præſtigijs artis magicæ, quàm virtutis merito facere. Proindè accederet propiùs, & rationem ſuorum operum redderet: ſibi mirum videri, quòd in quo nulla ſit excellentia ſanctitatis, feras mulgeat, & Solis radio pro ligno vtatur. Hæc dum ex viro ſancto quæruntur, & in ſimplicem puramque hominis Dei conſcientiam calumniæ inſtruuntur, ſanctus, qui ſibi benè eſſet conſcius, nihil vnquàm ſe malarum artium didiciſſe, ſimpliciter reſpondit, dicens: Deus iudex iuſtus, fortis, longanimis, ſcrutator cordium & ſecretorum inſpector nouit, me nihil prorſùs artis magicæ aut ſciſſe aliquandò, aut ſcire, neque parti aduerſæ in aliquo velle præbere conſenſum. Feras autem mulſi, non vllis incantationibus, quarum nullam omninò ſcio: ſed quod ad ſalutem eorum, qui me comitabantur, pietas mihi diuina conceſſit & ordinauit, impleui. Neque veſtem meam de Solis, vt dicitur, radio pendére ſcio, ſed de fuſte roboreo. Quòd autem manè comedere dicor & bibere, videat qui inſpicit omnia, & iudicet, gulæ vitio aliquandò, an charitatis officio id egerim.

Vir ſanctus inſpectorẽ ſecretorum teſtẽ inuocat Deum.

XI. Hæc illo dicente, ſuperuenit puer quidam ex Clericis Eccleſiæ, nomine Leobigius, in vlnis infantulum geſtans, qui ab hora natiuitatis tres tantum noctes implêſſe putabatur, & cuius qui eſſent parentes, ignorabatur. Moris quippe tunc Treuirorum erat, vt cùm caſu quælibet fœmina infantem peperiſſet, cuius nollet ſciri parentes, aut certè quem præ inopia rei familiaris nequaquàm nutrire ſufficeret, ortum paruulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipſum ſtatuta erat, exponeret. Quæ etiam concha, in monaſterio Prumia dono Pipini clariſſimi regis aquæductui mancipata, fratribus aquam coram refectorio multo tempore præbuit: ſed nunc in veſtiario poſita habetur, in qua ſoli presbyteri ac diaconi ante & poſt Miſſas tantùm manus lauare præſumunt. Hæc igitur, vt dictum eſt, ad hoc poſita erat, vt in ea cùm expoſitus infans reperiretur, exiſteret aliquis, qui eum prouocatus miſeratione ſuſciperet & enutriret. Quandò igitur id contigiſſet, cuſtodes vel matricularij Eccleſiæ puerum accipientes, quærebant in populo, ſi quis fortè eum ſuſcipere nutriendum, & pro ſuo deinceps habere vellet. Vbi verò ad eam rem offerret ſe aliquis, infans, qui eſſet expoſitus, Epiſcopo deferebatur, & eius priuilegio authoritas nutriendi habendiq; paruuli ei, qui à matricularijs ſuſceperat, firmabatur. Id igitur tunc accidit, & infans in concha repertus, à clerico ſupraſcripto in præſentiam eſt Epiſcopi Eccleſiæque delatus. Quo viſo, Epiſcopus ad ſuos conuerſus, Nunc, inquit, probare facilè poterimus, Goaris opera ex Deo ſint, an ex aduerſario. Manifeſtet nunc nobis, qui ſint huius, qui allatus eſt, pueri parentes, & ſi diuina virtute nititur, vt contra naturæ vſum infans trium dierum loquatur, ſuorumq; parentum nomina indicet, faciat.

Expoſititij infantes à olim apud Treuiros vt tractati.

XII. Arctatur hac vir Domini conditione, imperatur ei ab Epiſcopo, vt ad demonſtrandam ſuorum actuum innocentiam & ſimplicis animi ſanctitatem, hoc miraculi opus exhibeat: debere illum tale aliquid agere, quo ad audiendum illum imitandumque, dubitantium animus roboretur. Qui ſi hoc agere vel nolit, vel minimè poſſit, futurum continuò, vt neque præteritis eius actibus, neque ei, quam de ſe ferat, innocentiæ puritatique credatur, & quæ egiſſet eatenùs, eſſent maleficijs penitùs adſcribenda: quarè & in eum capitalis animaduerſio, vt in magum & maleficum, fieret. Tunc vir beatiſſimus contriſtari vehementer & affligi cœpit, quòd talia ei à ſuo pontifice mandarentur, in quibus & attentandis videretur eſſe nonnulla præſumptio, & recuſandis difficilima neceſſitudo: ſibi ſemper conſcientiam propriam & superni iudicij teſtimonium ſuffeciſſe. non oportere talia imperari: non hæc ſua, qui ſe ſciret peccatorem, ſed ſanctorum eſſe miracula. Quoniam tamen Epiſcopi præceptis reſiſtere non valebat, ſimul & nè eorum, qui ſe audire ſoliti eſſent, conſcientia infirma in ſuî æſtimatione falleretur, metuere potuerat, ad preces conuerſus, & Deo ſuppliciter manus extendens, ait: Chriſte, qui temetipſum pro redemptione hominum exinanîſti, & formam es ſerui dignatus accipere: fac mecum quamuis indigno, tamen clientulo tuo miſericordiam, & virtutis tuæ in hac neceſſitate potentiam oſtende, vt cognoſcat præſens Epiſcopus & plebs eius, quia te diligo, te adoro, tibi non fictè ſeruire deſidero, creator omnium & redemptor.

Iniuſta Epiſcopi in virũ Dei lata ſententia.

XIII His dictis, ad baiulum infantis acceſſit, quæſiuitque quot noctes infans idem ab ortu implêſſet. Cùm tres illum iam à natiuitate noctes habere dixiſſet, vir Domini ſubiunxit: Trinitas ſancta, te inuoco, atque te infans in nomine Trinitatis adiuro, vt genitores tuos nominatim & clarè deſignes. Tunc infans protenta manu ad Epiſcopum, abſolutiſſimo ſermone reſpondit: Iſte eſt pater meus Ruſticus Epiſcopus, & mater mea Flauia nuncupatur. Sic iuſtiſſimo Dei iudicio, dum in ſeruum Domini idem Epiſcopus calumnias molitur, & opera, quæ debuerat admirari, maligno fraudis commento nititur obfuſcare, quæ eſſent eius facta, qualiſque in ſecretis ſuis exiſteret, qui palàm de alijs iudicaret, manifeſtè innotuit cunctis. Itaque vbi proditum ſe vidit Epiſcopus, & quæ celari poſſe crediderat, omnibus reuelata conſpexit, confuſus ad beati viri pedes procidit, indubitanter tum ſe agnoſcere dicens, ſanctum & Deo acceptum eſſe Goarem, cuius virtute, immò diuina pro eo vltione, crimen, quod nullum

Iuſto Dei iudicio Epiſcopus oſtenditur parens infantis expoſititij.

præter

præter ſe & eam, cui illicitè fuiſſet admixtus, vnumque puerulum ſuum ſcire aut ſcituꝛum aliquandò putauerat, per
innocentem tunc & necdùm ex vſu loquentem infantulum cerneret patefactum. Vir autem ſanctus rem geſtam
perpendens, ſtabat ſtupefactus & hærens, atque ex imo cordis ſuſpiria grauiſſima ducens: & verſus ad Epiſco-
pum, plangere cœpit, quòd per ſe videretur pontifex publicatus fuiſſe, dicens meliorem ſpontaneam ſecre-
tamque confeſſionem: oportuiſſe eum, antequàm publicè notaretur, conſcientiæ reatum emendatione volun-
Matth 10. taria & ſatisfactione congrua tergere, & veram fixamque eſſe ſententiam, Nihil opertum, quod non reueletur,
& occultum, quod non ſciatur. Proindè ſuadere ſe, vti conſilijs ſalubribus acquieſcens ſuſcipiat pro reatu pro-
Pœnitentia qualis ſuſcipienda pro peccatis. prio duram prolixamque pœnitentiam ex iudicio ſacerdotum, & talem, quæ non verbis ſolummodò conſtet, ſed
ex mentis ſecreto procedat, veriſque lachrymarum gemitibus atque contritione ſpiritûs Deo, qui vitam cun-
ctorum deſideret, ſatisfaciat, laboretque intentè, quemadmodum diabolo, cui, commiſſo tanto ſcelere, lu-
crum de ſe & lætitiam fecerit, triſtitiam & confuſionem acta condignè pœnitentia faciat: non eſſe cuiquam,
Ezech 18. nedùm ipſi, de venia deſperandum, quandò ipſe Dominus per prophetam clamet: Nolo mortem peccatoris, ſed
vt conuertatur & viuat. &, In quacunque die peccator conuerſus fuerit, omnium iniquitatum eius obliuiſcar, &
Matth 9. per ſe in Euangelio dicat: Non véni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Cumque ad dimittendum
ſuperna clementia ſit parata, oportere homines eſſe ad pœitendum promptiſſimos. Se verò eo in illum eſſe animo,
vt iuxta vitium mediocritatem, pro peccato eius ſeptem annis pœnitentiam ſuſcipere & conſummare velit, aſſiduiſ-
que precibus lamentis Deum pro illo cupiat exorare: quanquàm non ignoret futuros plures bonos & meliores vi-
Iacob. 5. ros, qui eius lapſum plangere, & ſuis orationibus ſtudeant ſubleuare, iuxta illud Apoſtoli Iacobi: Orate pro inuicèm,
Ibidèm: vt ſaluemini. His verbis & ſimilibus ad pœnitentiam & ſatisfactionem Epiſcopum exhortatus eſt, & charitate, qua
erga cunctos feruebat, illius caſui compatiens, veniam ei à Domino poſtulabat, memor ſententiæ Apoſtolicæ, Quo-
niam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte.

Hæc poſteaquàm ità geſta ſunt, fama horum ad regem Sigebertum velociſſimè peruenit, ſtatimque ſuos ad XIV.
beatum Goarem dirigens legatos, eum ad ſe accerſiendum curauit. moxquo vt apud ſe eſſe cognouit, accitum in-
Non vult prodere ſuas virtutes coram rege. terrogat ſuper his, quorum ad ſe eſſet fama delata, de legatis ſcilicet Epiſcopi, & feris, quas mulſerat, Epiſcopo
quoquè ipſo & infante, qui præter tempus eſſet locutus ætatis. Ad hæc cùm ille nihil omninò reſponderet, nè
quid de ſe paſſim iactare videretur, commotus rex, per obedientiam, quam ipſe vir Dei regibus principibuſque &
ſacerdotibus debeat, præcipit, vt ſuper quibus interrogaretur, per ordinem aperiret. Tum demùm neceſſitate com-
pulſus, ex percontante rege quærit, quæ ſint, quæ à ſe velit audire. Cùm ille de legatis & feris atque Epiſcopo ſe
quærere reſpondiſſet, ſanctus vir petijt, vt ipſe rex, quemadmodùm res geſtas audiſſet, ediceret. Et vt hoc à rege fa-
ctum eſt, & per ordinem, vt rerum geſtarum fides ad ſe peruenilſet, explicitum, beatus Goar ſubiunxit: Obedien-
tiam negligere non debeo, nihil tamen aliud ex me audies, quàm quod ipſe dixiſti. Nam alijs ſic videtur factum,
quemadmodùm tibi relatum eſt. Tum eſt rex admiratione repletus, cœpit palàm omnibus enarrare, quæ ipſe de viri
ſancti actibus agnouiſſet. Cumque hæc proſequeretur, vniuerſi cœperunt acclamare, dignum eſſe Goarem, qui,
Sigebertus Rex ei Epiſcopatum offert Treuerenſem. expulſo Ruſtico, Treuirorum Epiſcopus fieret: non id actum ſine ordinatione diuina: debere præeſſe Eccleſiæ
eum, qui ſignis & virtutibus vitæque meritis paſtoralis officij dignitatem poſſet in omnibus adornare. Rex etiam
læto & alacri animo acclamantium voces cupiebat implere. Itaque cum fauore eorum, qui aderant, ſacerdo-
tum & primorum palatij præcepit, vti epiſcopatum iam dictæ Eccleſiæ Goar acciperet. Ille verò, qui non ſua
Eccleſ 3 quæreret, ſed quæ aliorum, & qui illud viri ſapientis ſeruare ſciret, Quanto magnus es, humilia te in omnibus,
Luc. 17. & illud Dominicum: Cùm omnia feceritis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus: mœre-
Recuſat Epiſcopatũ re & contriſtari, regiſque imperium grauiter ferre, meliuſque dicere ſibi eſſe mori, quàm Epiſcopi viuentis ſedem ar-
Matth. 10. tipere: debere regem in ſacerdote diuinam conſiderare ſententiam, qua dicitur: Non eſt diſcipulus ſupra magi-
ſtrum, neque ſeruus maior domino ſuo. Et ſi patremfamiliâs Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos e-
ius? Non eſſe Epiſcopo negandum pœnitentiæ locum: omnium in cœlis regem eſſe, qui de ſingulis iudicet, à quo
vt velit ipſe rex ſibi peccata dimitti, ſic debeat Ruſticum permittere, vt ex illo ſuorum actuum veniam ſedulus ex-
petat: non tam eſſe facilè deijciendum officio ſacerdotem, quandò omnes mortales fragiles ſimus, & ad peccan-
dum ex carnis infirmitate proclines. Ad hæc quæ viſa ſunt, rex reſpondit: exitus tamen orationis fuit, ſe neque
Epiſcopo denegare pœnitentiam, & conſilijs eius, per quèm talia ſint patrata miracula, velle in omnibus obedire:
neque tamen poſſe ſacerdotum ſententiæ & iudicio populi contraire, quin ipſum, vt petatur, ad epiſcopatum faciat
promoueri.

Tvnc vir ſanctiſſimus vbi obſtinatè ſibi regem vidit obſiſtere, humiliter eum & cum lachrymis petijt, vt co- XV.
piam ſibi eundi ad cellulam propriam faceret, vti ſecum aliquandiù liberiùs tractare, & ſic demùm illi, quod vide-
retur congruum, reſpondere valeret. Id continuò rege permittente, & vt poſt viginti dies ad ſe Mediomatricum
vrbem, quæ nunc Metis vocatur, rediret, præcipiente, receſſit ad cellulam, aliud ſine dubio interim agere diſpo-
nens, quò poſſet regis declinare propoſitum. Vt ergò peruenit ad cellam, ſeſe in orationem proſternens, Domi-
num cœpit intentè & cum gemitu deprecari, vt ſe à tanto onere curæ paſtoralis miſericorditer dignaretur eripe-
Obtinet à Deo, nè poſſit creari Epiſcopus. re: ſufficere ſibi, vt ſecretò & in abditis conſcientiæ ipſi diebus vitæ ſuæ ſeruiret, nec ſe poſſe onus, quod rex vellet
imponere, ſuſtinere. Cùmque in his precibus perſiſtens, ſemetipſum affligeret, ex voluntate Dei febre valida corre-
ptus, ægrotare cœpit, & longo corporis incommodo fatigari. Quid plura? Sic res accidit, & eum habuit exitum, vt
quem poſt viginti dierum excurſum viſurum ſe rex æſtimauerat, nec in ſeptem annorum ſpacio videret: atque eo
modo circa famulum ſuum diuina prouidentia egit, vt & inſtantiam regis ad epiſcopatum ſe cupientis promouere
declinaret, & quod Epiſcopo pollicitus fuerat, ſeptem ſcilicet annorum pro eo ſupplicationem, licèt in infirmitate
poſitus, adimpleret. Nam cùm omni vitæ ſuæ tempore, tum maximè illis ſeptem annis orationi vacauit, orans, ſicut
1. Tim. 2. Apoſtolus præcipit, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in ſublimitate erant, vt quietem & tran-
quillam vitam agerent, in omni pietate & caſtitate.

Pſalm. 125. Iisdem autem annis ſeptem exactis, ſine ceſſatione lachrymas fundebat, & aſſiduè Dominum precabatur, XVI.
memor eius ſententiæ, quoniam qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metent: & ſciens finem vitæ ſuæ non multùm
abeſſe, cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto. Itaque poſtquàm annorum ſeptem ſpacium euolutum erat, Sigeber-
to regi in mentem venit, quid ſuper ſancto Goare tam ſibi, quàm populo & proceribus palatij placuiſſet, atque e-
ueſtigiò legatis ad illum miſſis orat, vti ad ſe venire debeat. Sed vir Dei ſpiritu plenus, qui ſciret diſſolutionem ſibi
corporis imminere, legatis prophetica voce reſpondit: Dicite, ô filioli, domino veſtro, quoniam faciem meam non
eſt in præſenti vita viſurus, niſi fortè velit ad cellulam noſtram ipſe venire: quoniam infirmitate grauiſſima
comprehenſus, nuſquam progredi valeo: quanquàm hæc diuinæ pietatis flagella longè ſunt meis meritis leuio-
ra. Hæc cùm legati ad regem reſponſa pertuliſſent, contriſtatus ille dicere cœpit, non eſſe ſe dignum talem habere
doctorem, neq; plebem, quæ tantum mereretur poſſidere pontificem. Miſit tamen adhuc alios, per quos petijt obni-
xè, vt neque ad præſentiam ſuam vir ſanctus fatigari dignaretur, neque ſe deſideranti magnoperè principi denegaret.

Qui

Digitized by Google

Qui vt venerunt, ſeruum Chriſti multo validius febrè laborantem & prolixius ægrotantem, atque in Dei laudibus iugiter perſiſtentem inuenerunt. Quibus apud ſe poſitis vir ſanctiſſimus ait: Nolite, ô filioli, aut voſipſos, aut regem veſtrum vlterius fatigare: quoniam certum habeo, & ita ex pietate ſuperna confido, me neque extra ſpatium loci iſtius amplius egreſſurum, neque vllam euectionem aliam, quam ad ſepulturam propriam ſubiturum. Ita in propoſito permanens fixus, in Dei laudibus & oratione durabat. Tum illi, qui miſſi ad eum venerant, quid ſibi per ipſos ab rege vellet impetrari, percontabantur: quibus ille reſpondit: Petitio mea ſola hæc eſt, vt ſi ei placet, de hoc loco amplificationem meritorum & cauſam retributionis æternæ ſibi in regno cælorum acquirat, & cum extremus mihi in hac vita dies & debitus finis aduenerit, authoritate ſua & imperio ad me Agrippinum & Euſebium ſacerdotes venire faciat, qui meum corpuſculum debeant ſepulturæ mandare.

XVII. Hoc accepto reſponſo, ad regem, qui miſſi fuerant, reuertuntur, verba ſacerdotis & preces ex ordine referentes. Ea rex vt cognouit, grauiter commotus ingemuit, facieſque eius immutata eſt, quoniam tantum virum citò amiſſurum ſe videbat: moxque ſupraſcriptos ad ſe ſacerdotes accerſiens, pro voluntate viri ſancti eos proficiſci ad cellam illius iubet, mandans vt quæ ille præciperet, cum omni diligentia & ſtudio adimplerent. Itaque poſt illos, quos memorauimus ſupra, ſeptem annos trieннio & tribus menſibus in infirmitate & Dei laudibus exactis, vir beatiſſimus plenus dierum & operibus bonis actibuſque iuſtitiæ conſummatus, poſitis coram ſupradictis ſacerdotibus, & compluribus aliis bonis & honeſtis hominibus, in cellula ſua, in qua multos annos Deo ſeruiens egerat, deceſſit pridie Nonas Iulij, relinquens corpore ſæculum, cuius voluptates & deſideria olim pro amore patriæ ſupernæ reliquerat, & ad eum, quem inceſſanter concupierat, regem Chriſtum, felicitatemque cæleſtis vitæ perueniens, futurus ibi ſine fine poſſeſſor æternorum bonorum, qui hic bona, quæ putantur, præſentis temporis, cum potuerit, noluit poſſidere: & habiturus cum Chriſto domum non manufactam, æternam in cælis, cui in ſuis membris domum ſuam pauperem & terrenam fecerat frequenter hoſpitium. Eius iam exanime corpus Agrippinus & Euſebius aliique, qui aderant, ſacerdotes & nobiles viri, cum ſummo honore & reuerentia curauerunt, atque in eodem loco & Eccleſia, quam ipſe conſtruxerat, ſepulturæ mandarunt.

Sigeberti regis ergo illū amor.

Decedit è vita.

Authoris concluſio. Hæc habui de vita ſancti viri Goaris, quæ ſcripturæ mandarem, accepta ex vetuſtis & perantiquis exemplaribus. Quorum in rerum geſtarum narratione veritatem fide integra ſubſequens, ſolam ſermonis, quæ eruditos non parum offendere poterat, ſimplicitatem pro veſtra voluntate, vir clariſſime paterque venerande, corrigere ſtudui: optans & meipſum & omnes, qui hæc lecturi ſunt, tanti viri interceſſione & meritis apud diuinam ſemper adiuuari clementiam: vt qui ex infirmitate carnis humanæ & conditione mortalis vitæ multa quotidie contra leges diuinas agimus, eius, qui quoad vixit, integre legi Chriſti ſeruiuit, interuentu & peccatorum pondere ſubleuari, & ad bene viuendum merear adiuuari, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

LIB. II.

I. EXPLICATIS iam, quæ de vita & actibus beati Goaris ſcripturæ à Maioribus vtcunque mandata reperi, quæque hortatu veſtro, Pater in omnibus amplectande, vt potui, corrigere ſtudui, aggrediendum mihi nouum opus video: vt quemadmodum in prioris libelli Præfatione promiſi, ea quæ de miraculis, apud ſacratiſſimam memoriam ſupradicti Confeſſoris diuinitus geſtis, à fidelibus didici, memoriæ poſterorum ſcribendo proponere debeam: quippe qui tam clara ea eſſe peruideam, vt quod hactenus præter pauciſſimos, quos eis intereſſe, vel ab his, qui interfuerint, audiſſe contigit, reliquos omnino latuerit, non leui culpæ deputandum crederem, niſi hanc ſcriptorum excuſaret inopia & vſus ille, qui quorundam deſidia & torpore ſubrepſit, quo negligentius diuina opera ſuſcipere, & beneficia noſtris conceſſa temporibus, vt leuia paruipendere conſueuimus. Ego vero in his deſcribendis fidem eorum, qui hæc mihi retulere, pleniſſime ſubſequens, ea tantummodo comprehendam, quæ vel præſentes ſe ipſi vidiſſe, vel ab eis, qui viderint, accepiſſe confirmant: quanquam ea quoque tot ſint ac tanta, vt ſi omnia literis tradere cupiam, modum me videam iuſti voluminis exceſſurum. Vnde æſtimare facile poſſumus, quanta illa fuerint, quæ per longa retro temporum ſpatia geri meritis eius viri & virtute potuerint, cum in tantam excreuerint quantitatem, quæ ab annis plus minus ſex & ſeptuaginta geſta, & ad noſtram notitiam perlata noſcuntur. Neque enim credibile eſt, ſancti viri merita in exhibitione miraculorum noſtris primum diebus cœpiſſe clareſcere, & non etiam priori tempore eadem, quæ nunc conferuntur credentibus & deuotis, per illum beneficia eſſe collata, tametſi qui ea poſteris ſcripto traderent, defuere. Id etiam cunctos, in quorum hæc manus venient, ſcire velim, me in horum aſſertione non quibuslibet fidem accommodaſſe, ſed viris fide dignis, & de quorum veraci relatione voſipſi, venerabilis pater, arbiter fueritis, præcipueque Herrado, veſtræ congregationis monacho atque presbytero, & Theodado Cellæ S. Goaris clerico, qui & æuo maturiores eſſent, & à puero circa locum ipſum diuerſati fuiſſent.

Plurima eius poſt obitum miracula.

II. SED vt ad narrationem veniam, Cella S. Goaris poſt multos, quam ipſe deceſſerat, annos, cum in ea iam & Clerici, qui diuina officia agerent, alendi ſtipendiis eccleſiæ haberentur, & populi frequentia maior in dies excreſceret, religioſo Francorum Principe Pipino, patre auguſtæ memoriæ Imperatoris Caroli, venerabili Aſſuero, qui tum monaſterio Prumiæ, quod tertius nunc ab illo pater optime regitis, primus præerat, eſt commiſſa: vt eius ſtudio & locus melioraretur, & qui in ipſo degerent Clerici, in religionis cultu & ſtudio docerentur. Quam ille ſuſceptam omni niſu excolere ac nobilitare deſiderans, baſilicam ſupra corpus viri ſancti ædificare cœpit, quæ & amplitudine ſui populo reficiendo ſufficeret, & decore congruentior meritis beati Confeſſoris exiſteret. Quippe prius ibi duæ eccleſiæ, non multo à ſe ſpatio diſtantes, erant: quarum quæ ſitu minor erat, corpus venerabile in terræ ſinu continere credebatur: ſed locus ipſe ſepulcri incertus hominibus erat. Ea in ſui integritate relicta, fundamentis per circuitum iactis, hanc, quæ nunc vſque manet, ſupraſcriptus Abbas conſtruxit: nec prior eſt ante diruta, quam omne præſentis ædificium completetur. Quo in tempore rem miram, qui bene nouerint, proueniſſe teſtantur, quod donec eſt ædificata baſilica omnis, nihil aquæ penitus ex imbribus, tametſi copioſiſſimis, in omne loci ſpatium ſit delapſum: ſed cum forte pluuiæ fierent, ad medium Rheni ſpatium & cacumen montis per circuitum pluuia decidens, reliquum, quod interierat, intactum penitus relinquebat. Ita diuino miraculo palam fiebat, quam gratum illud ædificij opus ſuperno reſpectui foret, cuius inſtantiam imbres aliquatenus impedire prohibebantur. Perfecta baſilica, vbi iam tempus, quo diuino nomini eſſet conſecranda, ſucceſſit, miſſi ſunt ab excellentiſſimo Principe Carolo Lullus, Moguntiæ Archiepiſcopus, vir Anglorum gente, moribus & vita laudabilis: Baſilius Nemeti, quæ ciuitas nunc Spira vocatur: & Mehingodus vrbis, quæ trans Rhenum ſita, ſermone barbaro Vvirziburg appellatur, Epiſcopi, qui omnes à beato Bonifacio pontifice & martyre fuerant ordinati: vt per eos & eccleſia conſecrari, & corpus beatiſſimi viri in eum, quo nunc ſitum eſt, locum transferri deberet. Ventum erat ad locum, & conſecrata domo, translatio corporis parabatur, aderatque Aſſuerus Abbas cum monachis nonnullis, & infinitum vulgus vndecunque confluxerat. Viſum eſt Epiſcopis triduano prius ieiunio Domini voluntatem quærendam, & ſic ad leuandas reliquias corporis accedendum.

Aſſuerus, primus Abbas Prumienſis.

Inſigne miraculum.

Lullus Archiepiſcop. Moguntinus.

III. Eo igitur ab omnibus deuote peracto, Lullus Archiepiſcopus in antiqua æde ſuos fodere præcepit, vti repertæ reliquiæ venerabiles, leuari tranſportarique deberent. Sed cum omne ſolum eius defoſſum pertentatumque

eſſet, nec tamen eius, qui quærebatur, theſauri aliquod repertum indicium, turbatus Epiſcopus, ex Abbate quærit, ſi in loco aliqui, qui Deo ſeruirent, Clerici haberentur. Cum ille ſex eſſe tantummodo reſpondiſſet, eos ad ſe pontifex accitos hortatur, vti pro inueniendo patroni ſui corpore diuinæ miſericordiæ ſupplicarent, alios, qui aderant, in ſua propter tempus ſe recipere mandans, ipſe cum Abbate & coepiſcopis ad conuiuandum abſceſſit. Tum qui remanſerant Clerici, ſolicite Chriſtum rogare cœperunt, vt vbinam venerandæ reliquiæ conditæ laterent, reperire valerent. Erat inter alios quidam Madalbertus nomine clericus, manu dextra greſſuque debilis. Is correpto ligone ſimpliciter: Nunc, inquit, ſi Deus volet, vbi dominus meus ſitus ſit, palam erit. Confeſtimque extra ſpatium illius antiquæ ædis progreſſus, & non longe ab orientali eius pariete terram ligone percutiens, laterem ictu leuauit. Quo leuato, & modico foramine patefacto, manum debilem adhibuit, & holoſericam veſtem, qua infra ſeptum, latericio pariete ſtructum, ſarcophagus corporis tegebatur, comprehenſam traxit, moxque manus ante hac debilis, ſanitati eſt reſtituta.

Orationis merito ſanctæ reliquię reperiuntur.

Nota vim ſanctarum reliquiarũ.

ITAQVE feſtine detecto ſarcophago, & ad rem nouam ſignorum commotione Epiſcopis & populo conuocatis, omnibusque, qui aderant, Deo laudes & gratias referentibus, corpus viri ſancti intra ſarcophagum in locello plumbeo repertum eſt: quod ilico leuatum, atque in feretro compoſitum, ex eo loco ad oratorium beatæ Mariæ, quod ex antiquo in vicino ſitum erat, ſublatum eſt, referendum paulo poſt, ſpectante populo, in ædis nouæ locum, ei recipiendo paratum. Viſum deinde Epiſcopis eſt, vt quoniam propter anguſtias loci (nam ex altera parte Rheno flumine, ex altera monte altiſſimo cingitur) vulgus omne in vnum coire non poterat, in longum circa radices montis diffunderetur, & ita reliquiæ venerandæ, propter frequentiam & deſiderium multitudinis paulo longius exportatæ, per ſuperiorem viam, quæ circa radices montis deducitur, in eccleſiam nouam reuocarentur. Hoc probato conſilio, cum leuare feretrum Epiſcopi voluiſſent, ita eſt prægrauatum, vt moueri omnino non poſſet. Hinc omnibus ſuſpenſis diutiſſime & hærentibus, Archiepiſcopus Deo, vt poſt claruit, inſpiratus, alloquitur plebem, beatum Goarem quoad vixerit, inanem gloriam mundi plauſuſque hominum & fauores, vt rem fragilem & caducam, amore bonorum perennium contempſiſſe, eaque nihilo minus eum poſt obitum quoque contemnere. Proinde oportere corpus ſimpliciter & cum humili deuotione leuatum, ab ipſa eccleſia in nouam domum per illud, quod interierat, ſpatij reportari, neque ad vulgi fauorem longius, vt ſtatuerant, circunduci. Vix pontifex verba finierat, & motum continuo feretrum tanta facilitate leuatum eſt, ac ſi oneris aliquid habuiſſet nunquam, relatæque in ædem nouam per Epiſcopos & Abbatem reliquiæ venerabiles, in eo, quo nunc coluntur, loco cum ſummo honore & reuerentia ſunt conditæ. Denique pallium, quod ſuper ſarcophagum repertum ſupra diximus, hodieque ſupra altare eccleſiæ incorruptum perſeuerat: ſic per longioris æui tempora veſtis illa integra manet, cuius apud Deum merita ſemper indefeſſa perdurant. Conſummato in omni opere ſuo baſilica, cœperunt miracula ibi beneficiaque diuina ſubinde cumulari: de quibus hinc aliqua, ſi poſſim, tentabo perſtringere, quid ſub quo geſtum fuerit Abbate, ordine ſeruato, commemorans. V.

Feretrum moueri non poteſt.

Miraculum de pallio.

ASSVERI, qui primus cœnobio Prumiæ præfuit, tempore accidit, vt aſſolet, ex terræ ſterilitate minorem in Gallicis regionibus vini copiam prouenisse. Iamque nouæ vindemiæ tempora propinquabant, & Clericis in Cella viri Dei degentibus vna ſolummodo vini cupa ſupererat. Ea cum cœpiſſet expendi, & quotidie cum iiſdem Clericis, tum hoſpitibus, quorum ibi frequentia non minima ſemper exiſtit, ex ea pocula præberentur, ſpatio nouem ſiue octo dierum tranſacto, cum vix media eius parte vel tertia vinum contineri putaretur, repente in ea ad ſummum vſque repertum eſt excreuiſſe, vt ſubiacens quoque pauimentum vino excreſcente fuerit madefactum, & merito, quoniam vir beatus hoſpitalitatem proprie & ſyncere, quoad vixit, exercuit, actum eſt, ne vel ipſi ſeruientibus, vel hoſpitibus, qui ſuperuenirent, vnde vinum miniſtraretur, deeſſet. Et vt miraculum ſimile ſubdam, quodam tempore cum cellerarius loci, nomine Horduuinus, imminente iam noctis quiete, vinum de cupa quadam hauſiſſet, caſu contigit, vt cupæ cuniculum, aliud forte meditans, infirme clauderet, & abiret. Dumque ſequenti die regreſſus, ad eandem cupam veniſſet, cuniculum quidem apertum inuenit, & ante illum ductam aranei telam: ſed ita vinum in cupa ſteterat, vt ne vnius quidem guttæ de ea lapſæ indicium in pauimento reperiri valeret. Per idem tempus cum ad locum, Vuidonis cuiuſdam de nobilibus ſeruus claudicans aduenisset, meritis ſancti viri ſanatus, Eccleſiaſtico ſe ſeruitio, permittente ſuo domino, mancipauit, ac non poſt multum temporis presbyter factus, adhuc, cum hæc ſcribebantur, in vita ſupererat. Sub eodem Aſſuero quidam maior regiæ villæ, quæ non longe poſita * Vuaſalia dicitur, Frecholſus nomine, mente captus cum eſſet, à ſuis ad venerandam memoriam deductus, mentis ſanitatem recepit. VI.

Vinum in vaſe diuinitus augetur.

Cuniculũ, pro epiſtomio.

Sanatur claudicans.

** VVeſalia.*
Itẽ amens.

VVALTHARIVS quidam, homo ſecundum ſæculum nobilis, qui nuncuſque ſupereſt, cum vexationem grauiſſimam pateretur, & indubie ſpiritu dæmonico ageretur, inſutus corio, ad venerabilem tumulum eſt deportatus. Vbi cum aliquandiu iacuiſſet, protenſis manibus ſeipſum ſuaque omnia ſancto Goari magnæ vocis profeſſione ſubiecit, & optimam inſuper vineam dedit, quæ nuncuſque in eiuſdem Cellæ poſſeſſione perdurat, continuoque ea, quam diutiſſime paſſus fuerat, amentia caruit. Is hodieque, licet in libertate propria maneat, & interdum auaritiæ æſtu ſuccenſus, vt à multis incuſatur, aliena quoque diripiat: ſeruum ſe tamen S. Goaris, ab eo ſanatum eſſe, voce libertima proteſtatur. Eiuſdem Vualtharij patruus, nomine Reginarius, homo licet nobilis, moribus tamen & actu crudelitati atque auaritiæ ſubditus, cum locum ſanctum ſperneret, & omnes Romanæ nationis ac linguæ homines ita quodam gentilitio odio execraretur, vt ne videre quidem eorum aliquem æquanimiter vellet, ac ſi quos forte ex eadem familia comprehendere potuiſſet, crudeliter nonnunquam afficeret: cumque eodem ſtulto odio & animo barbaro venerabilem Aſſuerum, eiusque nonnullos monachos deteſtaretur, caſu ipſo Abbate in Cella degente, per locum coactus eſt itineris neceſſitate tranſire: & cum iam eccleſiæ propinquaſſet, rogat ſeruum, qui comitabatur, vt ſi poſſet, ea ſe via ducat, qua conſpectum baſilicæ Goaris, Romanorumque hominum, Aſſueri ſcilicet Abbatis & eius comitum, præſentiam valeat declinare. Tanta enim eius animum innata ex feritate barbarica ſtoliditas comprehenderat, vt ne in tranſitu quidem Romanæ linguæ vel gentis homines, & ipſos quoque bonos viros ac nobiles, libenter adſpicere poſſet. Promittit ſeruus ſe poſſe, quod petebatur, implere. Vt igitur itineris aliquantulum confecerunt, & ad ipſum monaſterij baſilicæque locum peruentum eſt, monet ſeruus dominum, ſi conſpectus eorum, quos horreat, vitare velit, breuiſſimo tempore pallio caput operiat. Ille cum e veſtigio quod monebatur impleſſet, & extra loci ſpatium proceſſiſſet: Modò, inquit ſeruus, retro caue ne reſpicias, nam non aliter eorum, quos vt poſſes declinare petiſti, conſpicies neminem. Vix ea ſeruus impleuerat, confeſtimque & ſub eodem penè momento prædictum Reginarium ventris apprehendit effuſio: nec magna mora ſecuta, poſt pauciſſimos dies vitam finiuit. Ita qui ſtultiſſimo, immo ſuperbiſſimo animo, loci venerandi virorumque bonorum conſpectus horruerat, iuſto Dei iudicio, & luce mortalibus communiter attributa, & vita caruit. VII.

Item alius.

Miſer interitus Reginarij, S. Goaris ædem contemnentis.

CVM ad feſtiuitatem beati Goaris quodam anno ex monaſterio Prumia Aſſuerus Abbas veniſſet, vnaque ex monachis nonnulli, accidit vt propter Rheni fluminis inundationem piſces, qui Abbati & fratribus poſſent miniſtrari, deeſſent. Cumque iam ipſe ſolennitatis dies illuxiſſet, & ante eccleſiam mane pauci de fratribus reſiderent, VIII.

Anſe-

Digitized by Google

Anſegilus quidam bonæ vitæ, per iocum ait: O beate Goar, ecce quam bonus es mercedis recompenſator. Nos tibi ſeruimus, & in vigiliis atque pſalmodia, tuæ feſtiuitatis gratia, laboramus: hodiè ne vnum quidem nobis, quo reficiamur, piſciculum præbes. Vix hæc ille verba finierat, & non poſt longum temporis interuallum in vaſis ex vimine ſalicum ad piſcandum paratis, quæ nuper à piſcatore de quadam arbore in * præripio fluminis ſuſpenſa, excreſcente poſtea flumine, in aqua remanſerant, duo non modici piſces, quos vulgo ſeluros dicimus, reperti ſunt, atque in præſentia fratrum eo, quo conſederant, loco delati. Hoc autem piſce cauſa infirmitatis Abbas non vtebatur. Tum ille, qui & prius: Pro nobis, inquit, nunc bene egiſti, piſces noſtræ refectioni prouidens: ſed illum ſenem Abbatem tum negligere non debebis. Non enim his ille poterit vti. Hæc monachus, & modico tempore lapſo, cum à molendino farinam nanicula piſtor deueheret, piſcis, quem lucium vocamus, nauim ſaltu ingreſſus, comprehenſus eſt à piſtore, & in conſeſſu monachorum (necdum quippe de loco ſurrexerant) expoſitus. Nunc, inquit monachus, munus beate Goar impleſti, cum & nobis, & ſeni tuo alimenta congrua prouidiſti. Res mira: ludentis potius, quam rogantis, voces tam facile exauditas. Sed hæc meritis beati confeſſoris non ſunt diſſimilia, quoniam qui in carne viuens, indigentibus ſua pro Chriſto tribuerat, & hoſpitum refectionem gratam ſemper habuerat, meritò poſt obitum quoque potuit ſibi ſeruientibus talia procurare. Nam quantum apud diuina iudicia meritum habeat virtus hoſpitalitatis, quam vir beatus ſingulariter dum vixit excoluit, quantumque reuerentiæ loco illi, in quo beata eius membra quieſcunt, ſit omni tempore dependendum, teſtantur ea, quæ vel frequentantes illum diuino beneficio conſequuntur, vel negligentes & aliqua diſſimulatione prætereuntes, diuino nihilominus iudicio patiuntur. Quod ipſum manifeſtius exempla ſubiecta monſtrabunt. Comes quidam, nomine Heriuuinus, cum per locum tranſiens declinaſſet, & licet à ſuis vt oraret admonitus, pro feſtinantia itineris diſtuliſſet, non longe profectus, de equo cecidit, grauiſſimoque lapſu contritus, ad eccleſiam ſuorum manibus reportatur: ibi decumbens, apud memoriam venerandam ſanitatis eſt beneficium aſſecutus. Eodem modo Abbatiſſa nobilis ex vrbe Mediomatricorum Euphemia, cum iter agens, illuc deueniſſet, nec oratum, vt omnes conſueuerant, deſcendiſſet, paulò pòſt de equo cecidit, & fracto crure, quæ ſponte noluerat, ad eccleſiam portatur inuita, & ſanitatem, quam ſuo perdiderat, merito beati viri recepit.

Piſces duo per miraculum fratribus exhibentur.

Item lucius.

Virtus hoſpitalitatis quanti ſit meriti.

Pœna S. Goaris ædem negligenter tráſeuntiū.

VIII. Neqve diſſimilis meritorum eius potentia in puniendis monendiſque etiam regibus extitit. Nam Carolus excellentiſſimæ memoriæ Imperator Auguſtus, à palatio ſuo, quod in * præripiis Rheni fluminis ab ipſo conſtructum, Ingelheim dicitur, quodam tempore nauigebat, in caſtellum, quod ſitum eſt ſuper confluentem Moſellæ & Rheni, deſcendere, ibique diſponens nocte manere, ſequentibus eum in ſingulis nauibus filiis Carolo atque Pipino. Cumque ad monaſterium ſancti confeſſoris Imperator nauigio perueniſſet, obuius illi factus Abbas Aſſuerus, rogat vt ad beatum Goarem exire, & in Cella eius charitatem, vt verbo vſitato loquar, facere debeat. Negat ſuam præſentiam Imperator, & poſt ſe conuerſus, manu cognomini filio annuit, vt nauim ad eccleſiam oraturus egrediatur, ipſe propoſito tetendit itinere. Egreſſo ad terram Auguſti filio, alter eius filius Pipinus, qui poſt fratrem naui veniebat, putans patris eſſe nauim, quam litori videret appulſam, egreſſus & ipſe eſt, fratrique neſciens in eccleſia ſociatus. Ibi quod inter eos graues aliquandiu ſimultates & inimicitiæ fuerant, inſpirante ſuperna clementia, & opitulante confeſſoris ſanctiſſimi merito, in fraternam concordiam & fœdus amicitiæ coierunt. Cibo deinde potuque ſumpto, alacres & læti ad locum ſupra nominatum, quem cum patre petere cœperant, omnibus ſuis incolumibus peruenerunt. Imperator verò, qui filiis egreſſis, ſolus cum ſuis in naui remanſerat, cum ad prædictum locum tendere vellet, coorta repente denſiſſima nube, & nebulis tenebroſiſſimis ſubſecutis, ita in flumine deerrauit, vt neque ipſe, neque comitum eius quiſpiam, ſed neque nauis gubernator, quo tenderent, quoue nauium agerent, vllatenus ſcire vel videre valerent. Sic per reliquum, quod ſupererat, diei in pelago fatigati, vix poſtquam ſuam culpam Imperator agnoſcere, & beato Goari ſupplicare cœpit, multa iam die, & ingruente nocte in continentem egreſſi ſunt, tribus tamen aut paulò amplius à loco, in quem propoſuerat egredi, millibus, vbi & ea manere nocte non ſine rerum neceſſariarum inopia compulſus eſt Imperator: factoque die, publice teſtatus eſt ſui eſſe peccati & meriti, quòd periclitatus in flumine, quod à commoditate itineris & apparatu regiæ manſionis ſit longiſſimè diſparatus: nec fruſtra ſibi hæc accidiſſe, ſed beatum Goarem pœnas pro contemptu meritas repetiſſe, ſeque ſupplicia expendiſſe merentem: vouere ſe & firmiſſime polliceri, nunquam locum viri ſanctiſſimi vlla, quanuis magna, itineris feſtinantia, ſi ad eum in vicino veniat, declinaturum, quem tali incommodo ſit expertus poſſe de ijs, qui ſe negligendum putauerint, expetere quam voluerit vltionem. His votis, ad Cellam viginti libras argenti & pallia holoſerica duo miſit: nec deinceps omni vita ſua, quod vouerat, aliqua ex cauſa neglexit. Denique is, qui tum regiæ nauis gubernator fuit, nunc uſque ſupereſt, reique geſtæ indubitabile teſtimonium perhibet. Nec immeritò regnum illi fides & deuotio ſubiacet, qui pro Chriſto non ſolum magnos & appetibiles, ſed omnes penitus mundi honores & caducas dignitates contempſit, & cum poſſet Epiſcopus fieri, noluit, potiuſque in humili ſtatu manere delegit, quam honorum faſcibus prægrauari: quanquam in Chriſtianis principibus hæc circa ſeruos Dei affectio tam ſit ſpontanea & deuota, quam ſe nouerunt tanto magis Deo gratos fore, quanto qui ad tempus eleuari per tumorem maieſtatis regiæ poterant, eligunt ſeruis Chriſti humili ſe mente ſubmittere. Eiuſdem principis coniunx Faſtrada cum vehementiſſimo dentium dolore torqueretur, & ad locum ob remedium eius doloris oratum veniſſet, continuo vt ſupplex facta eſt, incommodo caruit. Ob quam rem data eſt ab Imperatore villa, quæ Naſonia nuncupatur, & in iure loci hactenus retinetur.

Nota quid acciderit Carolo Magno Imperatoris puſſimo.

Cella S. Goaris, diſcordiarum interemptrix.

Pelagus, pro flumine.

Nota votū religioſi & ſancti Imperatoris.

Imperatrix dolore dentium liberatur.

IX. Per idem tempus accidit Rheni fluminis aquam nimio frigore congelaſcere, ita vt inceſſus quoque quorumlibet animalium & vehiculorum ferre valeret: eratque quidam regiæ villæ colonus, quam ſuprà Vuaſaliam diximus appellari, cuius vinea haud procul à monaſterio vineis beati Goaris cohærebat, quod & * nunquam euenit. Hac ille occaſione ſolebat interdum particulas aliquas earundem præripere vinearum, & ſuæ fraude humani ingenij ſociare. Is cum die quadam ſuper glaciem fluminis ambularet, & ad eius medium prope veniſſet, repente in multiplices partes per latiſſimum fluminis ſpatium glacies eſt reſoluta, atque ille glaciei fractæ superincumbens, ſecundum flumen ferri tremens & anxius cœpit. Erat res ſummi periculi & deſperationis extremæ, hominem vi fluminis rapidiſſimi ac latiſſimi fragmento glaciei tenuiſſimæ ferri, nec eſſe remedij quicquam, quoniam illi quemadmodum humano auxilio ſubueniri poſſet, erat omnino nihil. Tum ille, cui euadendi periculum nec ſpes vlla, nec aliquod conſilium ſupereſſet, diuinæ ſolummodo miſericordiæ ſupplicari, & beati cœpit Goaris merita in ſui liberationem expoſcere, magniſque vocibus veniam & auxilium flagitare. Ad vltimum cum ſalutem penitus deſperaſſet, eductam manicam de manu proiecit, reſpiciensq; baſilicam, vineam ſuam ſancti viri dominio tradidit. Nec mora, acta virtute diuina glacies, inſtar nauiculæ ad litus euexit hominum, & incolumem expoſuit: qui mox vineam, de qua diximus ſupra, eccleſiæ mancipauit, in cuius nunc etiam iure perſeuerat. Sic beati Confeſſoris meritum hominem & pro culpa, quemadmodum oportuit, caſtigauit, & anxium de periculo mirabiliter eripuit.

* for. nunc uſque

Nota pœnā ſacrilegi.

Manica pro chirotheca.

Inſigne miraculum.

X. Isnardvs fiſci regij procurator, cum inique multa contra familiam beati Goaris ageret, viſitatus ab illo per ſomnium eſt, & poſt increpationem ſeueriſſime cæſus, ita vt die poſtero greſſu nō valens incedere, naui ad eccleſiam duce-

Digitized by Google

duceretur. Vbi aliqnandin decubans,integram ſanitatem, excepto genitalium pondere, meruit: quæ etiam infirmitas indubitanter cauſa ſalutis illi relicta cognoſcitur. Hæc inter alia, quæ compendij canſa ſuppreſſi, temporibus Aſſueri Abbatis diuina in loco virtute & confeſſoris beati merito prouenerunt.

Tancradus 2. Abbas Prumien.

DIEBVS verò Tancradi, qui Aſſuero feliciter ex hac vita ſubtracto in regimine monaſterii Prumiæ, ſimulque Cellæ S. Goaris ſucceſſit, hæc, quæ ſuperna miſericordia tribuente ſubiicere cupio, contigerunt: quæ & illi, quibus referenribus horum notitiam attigi, maxima ex parte coram poſiti adſpexerunt. Accidit aliquando ex pluuiarum copia ſubitò riuulum, quem Vuocaram nominari in libello priori diximus, adeò exundâſſe, vt in magnā molem exurgens, obuia quæq; non ſine periculo & damno multorum eruerit: quippe cnm exundare primo cœpiſſet, incertū quo obſtaculo à curſu ſuo prohibitus, deſcendentibus ex concauitate montium aquis, intantum excreuit, vt ad vltimum ruptis obicibus profluens, etiam grandes & firmiſſimas domos à fundamentis erutas, in Rhenum vi ſua deiecerit.

Signa, pro campanis.

Quo in tempore res miraculo digna prouenit. Nam in quadam earum, quæ erutæ ſunt, domorum turricula, de qua ſigna penderent, ſtabat extructa, quæ nuncuſq; tecto eccleſiæ ſuperpoſita manet: quæ cùm multo infirmioris eſſet ſtructuræ, quam domus ipſa, in qua parabatur, & aquis ſuperuenientibus ad medium ferme curſus impetum eſſet obuia facta, penitus tamen illæſa durauit.

Magnum miraculum

Quodq; maioris miraculi fuit, dom᷒, in qua ſtabat, integris cōpactiſq; inter ſe parietibus eruta, neq; ſecum illam trahere potuit, & qua eam ſui apertura & ſolutione tranſierit, nullus hominum deinceps ſcire vel deprehendere valuit. Deniq; poſtquàm agmen illud aquarum præteriit, in imo eius turriculæ duæ cum oleo ampullæ repertæ ſunt, quas quis hominum poſuerit, vel vnde prouiſæ ſint, nuncuſq; neſcitur.

XI.

MVLIER quædam de natione Scotorum, nomine Brigida, debilis greſſu, à parentibus ſuis & ciuibus, ab Vrbe redeuntibus, ægra ibi relicta eſt: & cum aliquantulum ibi tempus tranſegiſſet, ſub die ſolennitatis annuæ, adſtante plebis multitudine, ſanata eſt & erecta.

Cæcę & mutæ ſanatio.

Item Hadelbodi cuiuſdam noti hominis ancilla, quæ & cæca eſſet & muta, ad memoriam venerandam, populo teſte, ſanata eſt. Sed cum his agnitis dominus, qui infirmam miſerat, ad ſuum ſeruitium iam incolumem reuocaſſet, mox in illam prior debilitas rediit. Coactus itaque euidenti miraculo eius dominus, manumiſſam ad locum reuerti fecit. Nec multo pòſt ſanitas, quæ collata antè fuerat, ſed temeritate hominis præpedita, correcto domino, ancillæ eſt reſtitura, quæ & reliqnum vitæ ſuæ in eodem loco peregit. Deniq; adhuc ibi ſoror eius degit, & certiſſima rei geſtæ teſtis aſſiſtit.

Item alterius cæcæ.

Per idem tempus & alia mulier cæca ſub Abbatis Tancradi præſentia viſum recepit, pluresq; ibi poſteà vixit annos.

Cæcus & mutus puer curatur.

Quodam itèm tempore, præſente eodem Abbate cum populo, quædam ex ancillis monaſterij filium paruulum, qui ab ortu cæcus manebat & mutus, ad eccleſiam deportauit. Quā vt eſt puer ingreſſus, continuò cum matre loqui, & baſilicæ picturas ei digito cœpit oſtendere. Mirata mater rem, ſed propter repentinum euentum inſperati miraculi non eſt auſa publicè, quod viderat, confiteri. Quæ mox vt eſt domum regreſſa cum paruulo, confeſtim in illum debilitas priſtina rediit, vt palam fieret, non debuiſſe matrem, quod diuino ſibi beneficio collatum eſſet, ſilentio premere. Itaq; cauſam illam pertractans, culpamq; intelligens, arreptum feſtinè filium ad eccleſiam retulit, & rem omnem, vt ſe haberet, Abbati & populo patefecit. Nec dilatum eſt diu beneficium, cui ad horam fuerat impedimento timiditas matris: ſed vt illa finem narrandi fecit, incolumitatem ilico puer obtinuit.

Itèm claudæ.

Ex vrbe Moguntiaca ad feſtiuitatem beati Goaris mulier clauda, poſito coram Abbate Tancrado, venit, & cum in vigiliarum die veſpertini pſalmi à Clero complerentur, ſanata eſt.

XII.

SED vt ea nunc quoq; commemorem, quibus palā fiat, qui beati viri meritū & reuerentiam contemnere aliquatenus præſumpſerunt, quemadmodū vel emendati ſint, vel puniti, quodā tempore cum per Rhenū flumen quidā figuli ollas precio diſtrahendas in nauicula veherent, accidit vna cū illis fœminā quandā fidelē cum paruulo filio aduerſo flumine nauigare. Cumq; ad monaſteriū ventū eſſet, rogat mulier comites, vti aut omnes oratū in eccleſiā pergāt, aut ſi id nolint, appulſa litori nauicula, ſe in continentem exponant, paulumq; in loco certo ſuſtineant, donec poſſit ipſa ab oratione reuerti. Egreſſa igitur ſola, pergit oratum, relicto in naui cū comitibus filio admodū paruulo. Illi deducta in locū ſuperiorē naui, cū eam aliquandiù ſuſtinuiſſent, moras eius non ferentes, abducta naui, iter propoſitū perſequuntur. Sed vltio diuina mox conſecuta eſt, qua manifeſtū fieret, non debuiſſe illos vel abeūte illa opportunitatē orādi negligere, vel fidē ſuſtinēdi moras eius præſertim breues contemnere.

Vorago Rheni apud S. Goarem.

Nam cū aduerſo flumine nauim agētes, contra eum locum veniſſent, vbi ex latentium ſub aqua ſaxorum voragine & vndarū colliſione rapidiſſima, grauia ſæpè nauigantes diſcrimina patiuntur, qui locus in flumine ab eccleſia beati Goaris paſſibus ferè centum, aut paulo longius abeſt, rapta ſubmerſaq; nauicula periērunt. Sed inutilis eſſe non potuit deuotæ mulieris oratio, cuius etſi comites aqua ſubmerſit, filium tamen diuina virtute ſaluatum, & merito ſancti protectum nequaquam perdere valuit.

En quid poſſint Sanctorum patrocinia.

Quippe illa vt ab oratione rediens ollas ſuper aquam ferri conſpexit, intellexit quod erat, ſociosq; nauimq; periſſe, ſollicitaq; pro filio, quem vnà perditum ſuſpicabatur, oculus cum fletu maximo hac illacque circumtulit: ſed repente videt vndarum dorſo ſublatum paruulum, ripæ fluminis propinquare. Tantaque fuit miraculi claritas, vt infantem mater excipiens, inuenerit eum à medio corpuſculi aquæ ſuperextantem litora attigiſſe: quod nec virorum quidem vllus aliquando natandi peritia & viribus corporis potuit obtinere.

XIII.

IN diſſimili cauſa non diſſimile miraculum ſub eodem tempore extitit, quod propter ſimilitudinem rei geſtæ, præcedenti ſubiunxi. Mater cuiuſdam infantis ferè quinquennis cum eo, qui ipſum infantem de ſacro fonte ſuſceperat, naui circa ripas tracta, per fluuium aſcendebat, puerumq; equo ſuperpoſitum (id enim ex matre & patrino puer ipſe petierat) iuxta in litore parens vterque fecerat ambulare. Tum equus vt ſine rectore liber, nauigantes præteriēs,

Præclarum ſane miraculum.

ſponte ſe in flumen dedit cum puero, nec reuocari ab aliquo potuit. Cumq; ſaluti infantis omnes timerent, quippe quem in rapidiſſimum altiſſimumq; fluuium ac latiſſimum equo, quem retinere nequiret, ferri conſpicerent, & S. Goaris ſuffragium magnis precibus poſtularent, equus cum incolumi puero tranato flumine, in vlteriorem ripam exiuit. Quæ res vtique magno miraculo prouenit, vt & equus ſine rectore tantum flumen, loco præſertim propter ſaxa difficilimo & periculoſo tranſiret, & infans, qui nec in arido quidem equo ſedere noſſet, ſine periculo vllo euaderet.

Pœna ſacrilegi.

Sed vt propoſitum perſequar, Vuilligeldus quidam, qui nuncuſque ſupereſt, cum vineam à matre datam, de iure & poſſeſſione eccleſiæ S. Goaris ſubtraxiſſet, ſæuo dæmoni eſt mancipatus, diuque vexatus ab eo, vineam reddidit, & curari continuo meruit: vt hoc exemplo cæteri monerentur, voto parentum res iuri eccleſiæ mancipatas, ſubtrahi ab hæredibus filiis non oportere. Vuoluo quidam, ab ineunte ætate ibi à matre nutritus, cum poſtea presbyter eſſet, Decimas, quæ ex multo iam tempore eccleſiæ beati Goaris agrorum iure competerent, ſuis vſibus

Emendatur VVoluo presbyter.

dolo malo conduxit. Nec magna ſubſequente mora, cæcus & mutus effectus, ad baſilicam viri ſanctiſſimi à ſuis perducitur: ibi res patrimonij ſui cum reſtitutis Decimis tradidit, & ſanitatem placato eo, quem offenderat, meruit. Negociator quidam, Badoart dictus, cum Rhenum naui aſcenderet, vnus ſeruorum, qui illum forte offenderat, ſupplicium metuens, de naui proſiliit, & concitus ad eccleſiam fugit. Tum ille fugitiuum ſecutus, ab eccleſia trahere cœpit, prohibente fieri & nomine beati Goaris rogante ſimul & comminante monachi Heri-

Caſtigatur domin᷒ immiſericors

rardo, qui præſens fortè reſidebat, quo hæc ipſa referente cognoui. Sed negociator furore ſuccenſus, cum monachum rogantem æque minantemque contemneret, pro foribus eccleſiæ ad contemptus augmentum, tractum ab altari ſeruum cecidit. Nec multum ſpatij interceſſit, & vt cuius arbitrio paruiſſet, quemve contempſiſſet agnoſceret,

immun-

immundo ſpiritui traditus, breui vitam nimiis cruciatibus exortam finiuit. Item Humfridi cuiuſdam clerici eccleſiæ ſeruus, cum pro culpa in dominum commiſſa, à tergo vinctus brachia traheretur, & ſupplicia, quæ ſibi inferenda ſciret, animo perhorreſceret, quoniam aliter domini præſentiam ſubterfugere non valebat, eccleſiam reſpexit, & ad eam ſe cum prece tacitus inclinauit. Res digna miraculo: confeſtim vincula, quibus ligatus ducebatur, dicto citius laxata ſunt & ſoluta, exutusq; vinculis ſeruus, ad eccleſiam ſeſe proripuit, nec repetitus à domino, offenſam ſuppliciumque vitauit. Tantum apud omnipotentem Deum ſupplicatio, tacite viro ſancto fuſa, conualuit, nec paſſus eſt Chriſtus eum manere ligatum, qui in neceſſitate animo ad ſancti altaris auxilium confugiſſet, vt hinc quoque daretur intelligi, quantum interceſſio illius ad animarum ſoluenda vincula præualeret, cuius inuocatio tanta facilitate ligamenta corporis diſſoluiſſet.

Miraculum ingens.

XIV. QVODAM tempore Abbate Tancrado in Cella poſito, Maximinus monaſterij S. Gereonis, quod apud vrbem Agrippinam, quæ nunc Colonia dicitur, ſitum eſt, Abbas à prouincia Vangionum ex vindemiis cum onuſta vino naui & non paucis comitibus deſcendebat. Qui cum iam S. Goaris monaſterio propinquaſſet, ſuadetur à ſociis, vt appulſa in continentem naui, oratum ad S. Goarem aſcendat. Ille moras ſibi non neceſſarias hac in re fieri dicere, fore opportuniorem tempore alio orandi occaſionem: ſic dehortatis comitibus, propoſitum iter perſequitur: ſed non impunè illum vltio diuina tranſire permiſit. Quippe vt in conſpectum Cellæ nauis acta peruenit, repente ex maxima ſui parte demerſa, lapſisque in aquam quæ geſtauerat vaſis, præſentis iacturæ & periculi metum cunctis incuſſit. Clamare omnes & auxilium lachrymabiliter implorare: cœpitque culpam Abbas confiteri, & S. Goaris meritum exorare. Rem Abbas Tancradus ex loco ſuperiori conſpiciens, & quanto in periculo verſarentur cuncti, conſiderans, ſuos è veſtigio mittit, mandat ſubſidium laborantibus ferri. Deducuntur continuo naues, & ſubſidium modis, quibus erat poſſibile, miniſtratur. Ita cum Abbatis auxilio & ſudore multorum, tum maximè beati Goaris opitulatione recuperata naui, vaſisque receptis & opibus, incolumis ad litus Abbas progreditur. Egreſſi naui, oratum feſtinant, perſuaſum ſibi perenniter affirmant, ne locum, tanti viri meritis inſignem, facile vnquam ſine ſupplicationis munere tranſeundum exiſtiment. Conſimili prope euentu cum quidam ex Friſonum gente negociator nauim circa ripam vlteriorem ageret, neque litori, in quo monaſterium ſitum eſt, propinquare diſponeret, vbi ad ſcopulos illos, de quibus ſupra diximus, nauis acta peruenit, ſubito rapta & in gurgitem vndarum violentia tracta, præſenti cunctos diſcrimine perculit. Sed cum dominus nauis, S. Goaris ſæpe nomen & meritum iterans, ſubſidium expetiſſet, in portum continuo nauis illæſa deuehitur. Ille vt continentem attigit, oratum perrexit, ac pro ſalutis munere veſtem holoſericam venerandæ memoriæ tribuit. Quæ etiam veſtis poſtea ab eo, qui hæc mihi retulit, Theodrado clerico ad Prumiam monaſterium eſt delata.

Monaſteriũ S. Gereonis Coloniæ iã inſigne collegium Canonicorũ.

Pœna Abbatis Maximini.

Mercator præſentiſſimo periculo liberatur

XV. REM illaturus ſum, præcedentibus quidem non omnino diſſimilem, ſed quæ miraculi aliquid amplius habeat, & cuius tot ſunt penè fideliſſimi teſtes, quot loci ipſius habitatores tempore, quo geſta eſt, eſſe potuerunt. Negociator ex ſupradicta Friſonum gente nauim per Rhenum flumen agebat, & vt moris eſt, quia aduerſo flumine nauigabat, fune à ſuis nauim circa litus trahendam curauerat. Cumq; iam Cellæ vicina attigiſſet, monetur à ſuis aliisque in fluminis præcipitio conſiſtentibus, vt ad orandum nauim egredi debeat. Ille ſibi eius tunc rei copiam non eſſe dicere, impediri mora propoſitum, nec ſe poſſe niſi continuato nauigio quietis congruum locum attingere. Ita animo fixo nauim agit, & ipſe & in ea clauum regens, cum vno ſeruorum reſidet: reliqui fune nauim per litora trahunt. Erat inter eos vnus, qui cunctos antecedens, extrema funis dorſo & ventri circumuoluta teneret. Ventum erat ad fluminis illam, de qua in ſuperioribus egimus, rapiditatem horribilem, cum repente nauim vndæ violentiſſimæ rapiunt, nec gubernatore vllo præſidio valente reſiſtere, longiſſime à litore ſubtrahunt. Ea rapta, cum vim ferre non poſſent, funem qui per ripas trahebant, victi relinquunt: ſed is, qui cunctos præceſſerat, tam cito explicare ſe fune non valens, nauim ſecutus, in gurgitem trahitur. Neque id dominus nauis, qui in puppi reſidens laborabat, animaduertere potuit. Reliqui, qui à fune refugerant, magnis vocibus naui & ſocio, qui ſub aqua trahebatur, opem diuinam & beati Goaris merita ſuccurrere poſtulabant. Tantaque tum aquæ vis & vndarum vorago fuit, vt non ante nauis in curſum dirigi poſſet, quam longiſſime pulſa, in vlteriorem ripam non ſine magno plurimorum metu atque horrore exportaretur. Negociator verò vt terram attigit, funem, qui naui cohærens, per aquam fuerat tractus, à ſeruo colligi mandat. Quo collecto, in extrema eius parte ſeruus, ſicut implicitus fuerat, inuenitur. Qui diligentiſſime contrectatus, & modis variis pertentatus, non aliud potuit deprehendi, quam mortuus. Denique adhibito plurimo ſtramine, & igne circuncirca ſuccenſo, nihil caloris penitus perſentire, vel aliquod vitæ indicium potuit edere. Quid plura? Deuehitur rurſus in citeriorem ripam, ac de ſola ſepultura dominus eius & comites agunt. Rogatur cuſtos eccleſiæ, vt ad ſepeliendum mortuum loci alicuius copiam faciat. Eo obtento, dum ad ſepulturam aperiunt, interim cadauer, vt vere putabatur, exanime in cuſtodis ad horam manſione deponitur. Cum non poſt longum temporis interuallum incipit recaleſcere, & paulatim os aperire, ac ſpiritum ducere. Dehinc totum ſe eleuans, parum ſanguinis ore reiecit, & confeſtim ſurrexit incolumis, ita vt oratione facta, & gratiarum actione ab omnibus reddita, ad ducendam, ſicut prius, nauim cum ſociis feſtinaret: Ea negociator vt vidit, emendatum ſe & pro culpa caſtigatum magnopere gratulans, argenti libram altari ſacro perſoluit, & cœpto dehinc itinere, ſuis omnibus incolumibus, abiit. Viderint quid de re huiuſmodi cæteri ſentiant: ego confidentiſſime dixerim, beati viri merita tanto eſſe poſt obitum clariora, quanto ſolicitius, dum viueret, humanas laudes & iactantiam fugerit: Neque in huiuſmodi ſignis & miraculis exhibendis cuiuſquam ſanctorum (Apoſtolis & clariſſimis Eccleſiæ martyribus duntaxat exceptis) illum inferiorem videri: quippe qui in diligendo Deum & proximum non facile quoque illis iudicetur inferior: quique tametſi in vita non multis, quæ homines nouerint, miraculis claruit, ſed ea, quæ miraculis omnibus potior eſt, charitate clariſſimus extitit: ideoque poſt obitum quotidie in viuentium fide tot tantiſque virtutibus claret.

Grauis vindicta Dei in mercatorẽ temerariũ.

Mortuus reuiuiſcit magno miraculo.

XVI. PRÆTEREA Heitardus monachus, qui, vt ſæpe dictum eſt, horum mihi miraculorum certiſſimus relator extitit & veriſſimus, bis, affirmat, nullo admouente extrinſecus ignem, lampadem, quæ coram memoria veneranda dependet, infuſo diuinitus lumine ſplenduiſſe. Quod ipſum præſenti anno, quo iſta deſcripſimus, & ſuperiori contigiſſe, qui interfuerunt, affirmant: ſed id ſuo loco erit dicendum. Hactenus ea deſcripſerim, quæ Abbate Tancrado in hac vita ſuperſtite, facta inter alia referuntur.

Lampas bis diuinitus accenſa.

NVNC adiutore Chriſto, ad clariſſimi patris Marcuardi tempora, qui hoc ipſum opus mihi impoſuit, ſeruato, vt propoſui, ordine veniam. Et vt hæc ipſa, rerum geſtarum ordine aliquantulum poſtpoſito, exordio clariori incipiam, excellentiſſimæ pietatis ſingulariſque clementiæ, & erga Chriſtianam religionem omnium Imperatorum ſtudioſiſſimus Ludouicus, qui adhuc ſuperna miſericordia prouidente, rerum ſumma potitur, cum dolore pedum vehementiſſimo (qua olim infirmitate vir ille, etſi non continuè, frequenter tamen affligitur) laboraret, atq; ex palatio ſuo, quod in litore fluminis Rheni ſitum Ingelheim ſupra diximus, appellari, euectione nauali deſcenderet, oratum ad S. Goarem exiit, vix in terram pedem præ dolore nimio ponere valens, & ſuſtentantium magis, quam ſuis greſſibus nitens. Cumque in eccleſiam perueniſſet, ante memoriam venerandam humillime ſe ac deuotè depoſuit, & in terra

Marcuardus tertius Abbas

Ludouici Pii encomium.

Nota tanti Imperatoris deuotionem

ſtratus,

Imperator liberatur à dolore pedum.

Item alia mulier.

ſtratus, diutius perorauit. Vbi verò ſurrexit, ad Abbatem & clariſſimum virum Gerungum, olim palatij ædilem, nunc monachum, conuerſus: Deo, inquit, gratias: nunc meritis S. Goaris leuamen mihi datum perſentio, neque eo iam, cum quo huc veni, dolore laboro. Sic à memoria regreſſus, lætus & alacer diem totum duxit. Hæc ipſo Abbate, qui coram adfuit, referente cognoui: quanquam nec egoipſe multum abſuerim, qui pridiè eius diei Imperatorem prædicto dolore grauiſſimè laborantem, in palatio viderim. Sed huic rei geſtæ aliam, tempore paulò ſuperiorem, ſubiiciam: Mulierem Scoticæ nationis ciues, ab Vrbe redeuntes, ægram & greſſu debilem ibi reliquerunt. Ea poſtquam ſex in loco menſes egit, ſub die ſolennitatis annuæ, quæ agitur pridiè Nonas Iulij, inter veſpertinos Pſalmos egreſſus ſanitatem recepit.

Dæmoniacus puer liberatur.

Lampas ardet cælitus.

SVPERIORI anno poſt ea, quæ de Imperatore retulimus, accidit vt quidam ex ruſticis filium paruulum dæmo- XVII
ne plenum, ad eccleſiam cum fletu & ſupplicatione deferret. Quem cum ante memoriam flens & eiulans multis præſentibus expoſuiſſet, Sancte Goar, inquit, redde mihi nunc filium meum, & pulſo, qui vexat eum, dæmone, ſana: egoque tibi pro munere apim vnam (ſic enim vocare ruſtici examen apum conſueuerunt) huc protinus adferam. Non inanis fuit ſimplex hæc hominis ruſtici poſtulatio, ſed continuò ſanatum integerrimè paruulum lætus & gaudens pater domum reuexit. Deniquè examen apum, vt pollicitus fuerat, obtulit, hodieque in hortis eccleſiæ permanet. Hæc cum ſæpedicto Theodrado, tum Heckeboldo, ipſius loci Præpoſito, viro ſanè docto atque veraci, narrante cognoui. Et vt illud inferam, quod ſuprà leuiter tetigi, anno præterito in die ſanctiſſimo Paſchæ, cum Præpoſitus Heckeboldus ſub ipſo lucis exortu Miſſas agere vellet, itemq; hoc eodem anno, quo iſta conſcripſimus, cum idem in Quadrageſima Miſſas ageret, & lumen eccleſiæ deeſſe quereretur, cuſtosq; depoſita lampade ac ſine igne reperta, pro eo deferendo feſtinaret, ſubitò, cernentibus multis, ſponte in lampade lumen accenſum enituit. Quod ibi crebrò factum, plures viri fideles, qui interfuere, teſtantur. Sed vt hæc miracula rerum nuperrimè geſtarum narratione depræſenti concludam, ſub idem tempus, quo his deſcribendis manum impoſui, necdum libello edito, cum ad annuam beatæ depoſitionis ſolennitatem magna vndecunque, ità vti ſolet, hominum multitudo conflueret, nota ex vicino mulier aduenit cum filio ferè ſeptenni, qui ab ortu ipſo claudus, mutus, ſurduſque permanens, infelici genitrici nouos quotidiè luctus & dolores adferret. Hunc mater, deuota fide cum inter nocturnas vigilias coram ſepulcro venerabili expoſuiſſet, circa finem Pſalmorum Matutinorum cum Canticum Euangelij clerus eccleſiæ caneret, infantulus lento anniſu repente ſurrexit, ac pedibus, quos vſque ad id temporis nunquam terræ fixerat, adſtans, matrem clamore iterato vocauit. Flens præ gaudio continuo mater accurrit, & filium, quem tot preſſum incommodis depoſuerat, ambulantem ſimul & loquentem audientemque recepit. Neq; fuit Chriſto difficile, pro ſui merito confeſſoris, vno eodemq; tempore & poſſibilitatem loquendi puero & ſcientiam, quam maiores audiendo nunquã didicerat, dare: cum ſit ipſe ſapientia Dei, quæ aperit ora mutorum, & linguas infantium diſertas facit. Tum verò omnium, qui aderant, mentes tanti replet ſtupor miraculi. tota in laudem Chriſti conclamat eccleſia, & vnius infantuli ſalus miraculi, multorum ad fidem corda ſuccendit. Eodemq; die, cum Miſſarum ſolennia populus ſpectaret, & diuina à ſacerdote myſteria agerentur, puella eadem propè, qua prædictus infans, ætate, diù cæca, quæ tum à parentibus fideliter fuiſſet illata, amiſſum lumen recepit. Ita gemino miraculo ſub vno die & ſancti viri meritum palam cunctis enituit, & præſentium fides, Chriſti clementia quam non deſit inuocantibus vbique præſens, agnouit.

Infantulus claudus, mutus & ſurdꝰ, curatur.

Sap. 10.

Cæca puella videt.

DECVRSIS iam, quæ de miraculis viri ſancti ſcribenda ſuſceperam, videtur mihi neceſſariò paucis eſſe mon- XVIII
ſtrandum, & poſt editos libellos duos quodam extraliminio memorandum, quemadmodum & qua ex cauſa Cella beati Goaris monaſterio Prumiæ fuerit ſociata, vt omni tempore ſub regimine & poteſtate Abbatis, qui ei monaſterio authore Deo præfuerit, ipſa quoq; eſſe deberet. Excellentiſſimæ memoriæ rex Francorum Pipinus, pater Imperatoris famoſiſſimi Caroli, poſtquam, vt omnibus propè notum eſt, amore Chriſti & vxoris ſuæ ſanctæ recordationis Berthradæ rogatu prouocatus, monaſterium ſuprascriptum conſtruxit, conſtitutis in eo monachis, qui Deo ſub regulari ordine militarent, venerabilem virum Aſſuerum regiminis præfecit officio: qui etiam eidem loco annis quadragintaquinque feliciſſime præfuit: Hunc cum pro ſuæ vitæ merito plurimum coleret, eiuſmodi conſtitutionis ei authoritatem dedit, vt cum iter agens, ad aliquem iuris regij locum veniſſet, licenter quæ itineri eſſent neceſſaria, ſumeret. Cum ergo quodam tempore iter à monaſterio in Vangionum prouinciam ageret, & occaſione viæ ad S. Goarem declinaſſet, vbi tum rectoris nomine præerat quidam, Herpingus nomine, neque commoditatem aliquam rerum neceſſariarum nanciſci potuiſſet, rem vt erat geſta, paulò pòſt Principi retulit, peſſimum eſſe dicens, eo loco humanitatem hoſpitalitatis omnis negari, vbi quondam ſub beato viro ſingulariter virtus eadem viguiſſet. Pollicetur rex hæc fore emendanda, cum temporis opportunitas arriſiſſet. Itaque non multò pòſt poſitus in palatio, quod Atiniacum vocatur, cum ad generalem populi conuentum ſimul Abbas Aſſuerus veniſſet, euocatum ad ſe princeps ſuper his, quæ de Cella beati viri dicta ab eo fuerant, commonefacit, eique regendam committit hortatus, vt eam congrue diſponere, atque hoſpitalitati, quam in ea non ſit expertus, competentem efficere debeat. Hæc prima fuit Cellæ iam dictæ cum monaſterio Prumia, facta ex regis Pipini mandato & voluntate, coniunctio, quando non ipſi monaſterio & monachis ſubiecta, ſed Abbati tantum eſt beneficij ad regendum iure commiſſa. Regnante verò poſt patris obitum Magno Carolo, orta eſt inter Treuirorum pontificem tunc Vueomadum, & Abbatem Aſſuerum pro eadem Cella contentio, aſſerente Epiſcopo ad ſuæ eam eccleſiæ ius pertinere, Abbate contra dicente, eſſe illam Regis lege hæreditaria poſſeſſionem, neque in ea poſſe ſibi aliquid eccleſiam vendicare, quæ & ſibi eſſet à Rege Pipino commiſſa, & in dominium clariſſimi Caroli ſucceſſionis iure tranſmiſſa. Ità eis diù multumque certantibus, & re ad controuerſiam ſæpè deducta, directi ſunt ex latere Regis & ſemel & iterum ac tertio legati fidiſſimi & veraces, qui cauſam diligenter inquirerent, litemque congruè terminarent: quique rem examinantes, non aliud, quam quod Abbas proteſtatus fuerat, inuenerunt, regij ſcilicet *, quam eccleſiaſtici iuris poſſeſſionem loci ſæpedicti exiſtere. Sed cum hæc Epiſcopo nequaquam ſufficerent, famoſiſſimus princeps habito in Saxonia ſuper * fontem, qui Lupia dicitur, generali conuentu, ſub præſentia totius regni propè Primatum, & vtriuſque ordinis clariſſimorum virorum, rem per ſe examinandam ſuſcepit, omniumque, qui tum adfuêre, iudicio, iuriſiurandi conditio cauſidico monaſterij, tunc Ratberto nomine, eſt conſtituta, qua ille poſteà cum aliis duodecim firmauit, poſſeſſionem ſæpedictam non eccleſiæ Treuirorum, ſed dominio regio tantum competere. Hoc ergo modo re definita, & Epiſcopo tandem acquieſcente, famoſiſſimus Rex cum ſuorum conſenſu, Cellam ſancti viri monaſterio Prumiæ tradidit, edito traditionis eiuſdem priuilegio, quo firmauit teſtatuſque eſt, ſe pro amore Chriſti & eleemoſyna parentum ſuorum, Pipini videlicet regis & reginæ Berthradæ, Cellam ipſam hac lege iam dicto monaſterio ſubdere, vt omni deinceps tempore Rectores monaſterij eiuſdem eam tenere, & rebus eius libera conditione in vſus ſuorum Deoque ſeruientium fratrum neceſſarios vti, ac ſine vlla cuiuſquam contradictione, quæ vtilitati communi competerent, de ea facere & ordinare deberent. Neque rebus ſolummodo, quas tempore eodem Cellæ dominium retineret, ſed & illis, quæ futuris ſucceſſionibus acquiſiſſet, iure firmiſſimo vterentur. Hæc quemadmodum ſint geſta atque ſtatuta, poterit qui volet, relecto eodem, quod hodieque in archiuis ipſius monaſterij integerrimum manet, priuilegio ſcire. Nobis rem breuiter commemoraſſe ſuffecerit, nè id quod eſſet vtile cognitione, penitus

Pipinus pater Caroli Magni fundator monaſterij Prumienſis.

Cella S. Goaris traditur Abbati Prumienſi.

*deeſt, * potius, aut aliquid tale. for. * fluuiũ.*

Carolus Magnus Cellam S. Goaris ſubdit Abbatiæ Prumienſi.

ritus ſiluiſſe,& in hac parte circa beatum Goarem officio defuiſſe meritò redargueremur. Denique cum hæc ſcriberemus, ſicut in regimine monaſterij Prumiæ, ſic etiam in poſſeſſione Cellæ S. Goaris Aſſueto Tancardus,& ei Marcuardus vicaria mutatione ſucceſſerunt. De Abbate porrò Aſſuero & Cella ſancti viri ea, quæ primò retulimus, ità eſſe geſta, quidam ex ſenioribus fratribus, non indignus fide, ab eodem Abbate ſe audiſſe eſt proteſtatus.

VITA ET MARTYRIUM S. GODOLEVÆ, AVTHORE DROGONE MONACHO ET SACERDOTE GESTELLENSI: SED dictionem F. Laur. Surius ferè totam mutauit.

An. 1070.

PROLOG.

DOMINO Ratbodoni, Dei gratia Nouiomenſi Epiſcopo, Drogo monachus & indignus ſacerdos, bonum, quod præſtat omni * bono. Multorum fatigatus precibus & crebra exhortatione, præſul ſanctiſſime, tametſi id vires excedit meas, coactus ſum literis mandare martyrium ſanctæ Godoleuæ. Quæ itaq; digna relatu fuêre, ea conſcripſi, tibique mittenda iudicaui, vt tua authoritate, ſi ita cenſuerit, roborata, firma rataque permaneant. Quæ verò ſcripſimus, ea pro certo ſic ſe habere, ab illis accepimus, qui hodicque ſuperſunt, & ſuis ea oculis conſpexere: quæ tamen, ſi fortè quiſpiam carpenda ſibi ſumere voluerit, tuo ſapientumque iudicio permiſſa ſunto: ego pro viribus ad narrationem me accingo.

IVLII 6.
* Codex MS. habet, loco.

I. BEATA Godoleua in Bolonienſi territorio, pago, qui Londefort dicitur, patre Vuifrido, matre Ogina, honeſtis & honoratis parentibus orta eſt: quam tamen generis nobilitatem moribus & vitæ ſanctimonia præclare ipſa illuſtrauit. In ipſis enim primæ ætatis florentibus annis iam maturos præ ſe mores tulit, adeò vt omni honeſtate & ſanctitate prædita videretur. Porrò verò præter egregias animi dotes, fuit etiam inſigni formæ elegantia & corporis pulchritudine: niſi quòd fortaſſis maligni homines in ea vituperare potuerint nigros capillos, & eiuſdem coloris ſupercilia. Neq; verò abſque diuinæ prouidentiæ moderamine id eueniſſe putandum eſt, quod Godoleuæ nomen accepit. Godoleua enim Latinè redditur, Deo chara. Cum iam autem pueritiæ metas exceſſiſſet, & iuſtum attigiſſet ætatis robur, à multis cupidè expetita eſt in coniugem. In iis erat Flander quidam, Bertulphus nomine, qui eius incenſus amore, parentibus eius animi ſui æſtus exponit, eamque ſibi deſpondere ſummoperè orat. Erat verò is genere inſignis & opibus pollens. Itaque Godoleua illi deſponſata eſt. Etſi verò nobiliſſimis ille eſſet natalibus conſpicuus, at moribus tamen, quemadmodùm infrà dicturi ſumus, Godoleuæ minimè congruebat. Permiſit autem, vt equidem reor, præpotens Deus dilectam ſuam homini tam impio ſociari, vt & in illo admirandæ patientiæ ſuæ ederet certiſſima documenta, & innocentis Godoleuæ probaretur ſimplicitas: quandoquidem diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Patria & parentes S. Godoleuæ.
Godoleua, Theophila ſiue Deo chara interpretatur.
Deſpõdetur Bertulpho nobiliſſimo iuueni.
Rom. 8.

II. CVM igitur eam Bertulphus ad ſuas traduxiſſet ædes, fraude maligni hoſtis id agente, cœpit duci pœnitentia, quod eam ſibi ſponſam optâſſet. Acerrimo igitur odio illam proſecutus eſt, ità vt odium vinceret amorem, quo prius arſerat. Ei verò odio etiam fomenta ſuggerebat mater, dicens ei: Cur voluiſti cornicem ex aliena regione huc adducere? Non erant in patrio ſolo permultæ, quas expeteres? His nimirùm exercebatur Chriſti ancilla: ſed rectiſſime ab Apoſtolo dictum eſt, Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem paſſuros: & vt alius habet ſcripturæ locus, *Aurum probat ignis, & homines iuſtos caminus tribulationis.* Celebrabantur triduo nuptiæ, ſed iis ſponſus noluit intereſſe, nè, quam habebat exoſam, adſpicere cogeretur. Mater interim cum amicis curabat ea, quæ nuptiarum ſolennitas poſcere videbatur, intus ſæuiens, foris blandiens. Et autem propter conuiuas maleuolentiæ virus tegere nitebatur, at tamen vultus ipſe, qui eſt animi imago & tacitus quidam ſermo mentis, pectoris arcana prodebat. Poſt triduum Bertulphus domum redit: moxque ſpreta coniuge, relicta familia & ædibus ſuis, in paternam commigrauit domum. Sponſa igitur Godoleua inuiſa ſponſo, ſed Chriſto chara, domi reſidet, gubernat familiam, ſeipſam irreprehenſibilem exhibet, ſemper pudicitiæ ità ſtudioſa, vt etiam maledici homines nihil de ea ſiniſtrum vel confingere poſſent. Ea ne torperet ocio, deſidiaque & ſegnitie marceret, iam ducebat fila, iam texebat, tum verò etiam in preces incumbebat. Vt autem compleretur, quod ſcriptura ait, Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: Bertulphus malitiæ ſuæ finem non imponens, vt durus & ſceleſtus, atque ex marito ſæuus latro futurus, in dies in Chriſti ancillam atroci odio inflammabatur: communicatoq; cum matre ſua conſilio, vernam quendam ei præfecit, qui ei malignè inſeruiret, paruumq; panis, ſtatuta hora, ei præberet. Cui etiam ſeueriter interdixit, nè quid præterea cibi potuſve ei imperti et, diras alioqui pœnas luiturus.

Odium Bertulphi in eam.
2. Tim. 3.
Prouerb. 17.
Ex hoc loco patet eã manſiſſe virginem.
Deſeritur à ſponſo.
Apoc. 22.
Peſſime habetur à Bertulpho.

III. SVBIICITVR igitur ſeruo ſuo ancilla Chriſti, & parere illi cogitur, cui illam æquum erat imperare. Exagitatur contumeliis, iniuriis, opprobriis, irriſionibus, nec tamen permouetur impatientia, non in querimonias aut murmura prorumpit: ſed corde tranquillo mens, ſibi bene conſcia, fert omnia moderate & placidè, tanquam Chriſtum ſibi audiat dicentem: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Gratias agit Deo pro pane ipſi dato, idque animo exultanti: eiuſq; partẽ dimidiam cũ ſale & aqua ipſa ſumit, reliquã dat pauperibus, pro carpſa parcitate quotidie Domino hymnos offerens & cantica laudis. Maledicenti viro non reddit maledicta, immò etiam benedicit, & orat pro ſe perſequentibus & calumniantibus. At neque ſic quieſcit ſatan. Bertulphus enim ſemper illi pro bonis mala rependens, & pro dilectione odium, vt vidit nec duris & moleſtis rebus eam frangi, nec fame & inedia confici, ſibiipſi factus eſt grauis, cœpitq; de eius nece multa cruento animo agitare. Sed cum non eſſet neſcius nobiliſſima eam familia prognatam, palam ei cædem intentare non erat auſus. Sperans autem fore, vt maioribus affecta moleſtiis pereat, & impatientiæ ſtimulis percita, in murmurationes prorumpat, dimidiam panis hactenus illi attributi portionem iubet ſubtrahi. Illa verò eam annonæ diminutionem ſedato animo ferens, tametſi videret difficilime tantilla panis particula vitam poſſe ſuſtentari ſuam, at nihilo minùs id quod ſemel Deo vouiſſet, ſtatuit hilariter reddere. Itaque mediam dimidij panis partem elargitur pauperibus, de reliqua viuit ipſa more ſuo, orans inſtantius Dominum, atque dicens: O tu Deus creator omnium, ſis quæſo memor fragilitatis meæ, nec me derelinquas in hac afflictione mea. Qui eruis ſuſtinentes te, confirma me in procella tentationis huius: & licet à viro meo detrahatur aliquid de portione quotidiana victûs mei, tu tamen mihi non ſubtrahens affectum beneuolentiæ & benignitatis tuæ, præſta, vt tibi ſemper placeam per obſequium piæ deuotionis.

Luc. 21.
Mira eius patientia & abſtinentia.
Quanta fuerit eius commiſeratio erga pauperes.

IV. NON eſt autem ſilentio premendum, tantam diuinitùs Godoleuæ gratiam eſſe collatam, vt non illi duntaxat, quos affabilitate & familiaritate ſibi deuinxerat, ſed ij etiam, qui ſolo nomine cognitam eam habebant, illam diligerent. Porro in tanta immanitate Bertulpho fauent ſui, incitantque crudelem in humilem, ferum & barbarum, in mitem & innocentem, qui iam ſua ſponte plùs ſatis in Chriſti ancillam ſæuiebat: eamque, quam iurè charitate & beneuolentia complecti deberent, vnà cum Bertulpho ſcelerato & iniquo, odio perſequuntur. Illa igitur tantam mariti & familiæ ſentiens perſecutionem, tantamque animorum erga ſe acerbitatem, fuga tandèm ſibi conſulere compellitur. Nudis igitur pedibus, vna tantùm aſſumpta puella comite, ad natale ſolum reuertitur, parentibuſque ſuis calamitatis ſuæ hiſtoriam cum lachrymis & gemitu recenſet, ordine illis exponens, quid à marito & familia per-

Compulſa fugit ad parentes ſuos, vna puella comite contenta.

peſſa eſſet. Pater verò, auditis filiæ querimoniis, altius ingemiſcit, & communicato cum amicis conſilio, Balduinum comitem Flandriæ adit, quas contumelias & iniurias à viro paſſa eſſet filia ſua, ei indicat: petit opem ab illo, vt quod iuſtum eſt, decernatur. Comes verò remiſit illum ad Epiſcopum, in cuius erat diœceſi gener ipſius. Erat is Nouiomenſis eccleſiæ antiſtes, & per id tempus ſuo officio probè fungebatur. Aiebat enim Comes eam cauſam ad forum eccleſiaſticum pertinere, nec alibi, quam apud iudicem eccleſiaſticum, tractari & expediri debere. Quod ſi verò gener eius nollet obtemperare Epiſcopi admonitioni, ſe ſeuerum vindicem fore promiſit, compulſurumque, vt ſponſam recipiat.

Sponſa vocatur ratione virginitatis, & non vxor.

ITA erga Bertulphus tum antiſtitis authoritate, tum Comitis poteſtate ſponſam ſuam recipere cogitur. Et V.
promiſit ille quidem metu principis, ſe eam comiter & honorificè habituram, ſed, proh dolor, facta ſunt nouiſſima illius peiora prioribus. Non enim inuitus trahitur animus ad amorem. Odit ille Godoleuam æque, vt prius, & nec videre illam ſine moleſtia potuit. Inde iam in eius animo obfirmata ſunt conſilia eam iugulandi, ita tamen, vt modis omnibus in eam curam cogitationemque incumberet, vt ſui voti ea ratione fieret compos, ne tantum ſcelus vel in ipſum, vel quenquam amicorum eius conferri poſſet. Cernens autem Chriſti ſponſa Bertulphum erga ſe nihilo effectum mitiorem, ſed ad priſtinam ferocitatem eius aliquid etiam incrementi acceſſiſſe, toto cordis affectu clamat ad Dominum, vt ipſe, cui obediant venti & mare, tempeſtatem illam in ſerenitatem conuertat. Cumque multi eius miſerati calamitatem, marito Bertulpho dira imprecarentur, optarentque diuinitùs in illum animaduerti, Godoleua eos reprehendebat: Nolite, inquiens, chariſſimi maledicere marito meo, ſed potius benedicite. Sic enim diuino præcepto iubemur, non ſolum maledicentibus non maledicere, ſed etiam benedicere & facere benigne, orare pro perſequentibus & calumniantibus nos, malum non in malo, ſed in bono vincere. Multis quoque humana quadam commiſeratione dicentibus, ipſam ſolam eſſe, quæ neque carnis voluptatibus, neque mundi deliciis eſſet fruitura, magna animi conſtantia illa reſpondit: Ego neque carnis voluptates, neque mundi huius oblectamenta appeto. Ecquid verò vtilitatis habet carnem morituram, breuique in puluerem, vnde facta eſt, & putredinem abituram, luxu & deliciis diffluere? Habebat ſanè à Deo collatum munus doctrinæ, vt poſſet egregiè alios exhortari: cui acceſſit etiam gratia prophetiæ. Cum enim, vt dictum eſt, multi eam præ intima animi commiſeratione infelicem dicerent, illa compeſcebat eos. Nolite, inquit, fruſtrà lachrymas fundere, nec me putetis infelicem. Neque enim, vt vos ſentitis, infelix ego ſum, tametſi in præſentiarum afflictio & anguſtia me obtinent: ſed præ cunctis Flandriæ mulieribus, quæ hodiè ſuperſunt, exaltabor & ſublimabor. Et hoc mihi faciet qui potens eſt, qui erigit eliſos, & ſoluit compeditos: ſanat contritos corde, & mœrore affectos exhilarat. Quidam monachi conſummatæ religionis, cauſa viſitationis ad eam venire, vt piis ſermonibus eam confirmarent, & opportuna conſolatione eius lachrymas abſtergerent. At illi è diuerſo teſtati ſunt, ſe ab eius ore tam ſanæ doctrinæ & melliſluæ exhortationis hauſiſſe ſermones, vt mentem eius diuina perfuſam ſapientia minimè dubitarint.

Math. 5.
Rom. 12.
Habet prophetiæ donum S. Godoleua.
Pſal. 145.
Pſal. 146.

AST Bertulphus vt animaduertit omnes ſuas machinas & artes ad illam perdendam, Deo ordinante, fruſtra VI.
adhiberi, & neque fame, neque re vlla alia quicquam ſe apud ſanctam fœminam poſſe efficere, animo perturbatus, multa ſecum pertractabat: accitiſque ad ſe duobus famulis ſuis Lamberto & Hacca, illis animi ſui propoſitum aperit, petit ab illis conſilium, qua poſſit via tolli è medio Godoleua. Inuenerunt illi modum extinguendi illam, qui nec difficilis videretur, nec facilè ſciri poſſet. Tempus etiam exprimunt, quo occultius & commodius nefarium facinus perpetrari queat. Iam aduenerat dies, quo virgo Deo plena manifeſtaretur, & in cælis coronaretur. Ea ipſa igitur nocte, qua ſæuorum perditorum nebulonum iugulanda erat, ante ſolis occubitum venit ad eam Bertulphus: & primo quidem ſimulato animo oſculatur & amplectitur eam: ore mentitur riſum, qui virus habebat in pectore: aſſidet deinde iuxta illam vultu ad hilaritatem commentitiam compoſito. Sed Godoleua pro mariti, vt arbitror, reuerentia propius illi ſe iungere formidante, manu eam ad ſe trahit, hiſque compellat verbis: Non mediocri id dolore me afficit, quod tam fero & præduro erga te animo eſſe videor, vt neque præſentia mea tibi ſolatio ſit, & neque colloquiis meis, neque mutuo concubitu delecteris. Equidem qui nos aduerſus caſus infeſtarit ignoro, vt & alieno in te animo ſim, nec ſatis mentis meæ compos viderer. Niſi fallor, maligni dæmonis opera id effectum eſt. Sed iam tandem diſſidiis hiſce finem imponere, teque charæ inſtar coniugis colere, ſenſimque profligato odio, mente & corpore tibi coniungi. O hominem, ipſo Iuda proditore nequiorem. Inueni, inquit, fœminam, quæ ſe iactitat poſſe nos mutuo amore & beneuolentia adeo connectere, vt non ſint duo alij ardentiori inter ſe charitate coniuncti. Ego id negocij commiſi Lamberto & Haccæ ſeruis meis, qui fœminam ad te adducent: tu vide fidem vtilitati commodes. Volui autem ea cauſa id tibi ante ſignificare, ne eſſes eius inſcia, illudque reſpueres, aut animo turbateris.

Lambertus & Hacca interfectores S. Virginis Godoleuæ.
Simulator Bertulphus.
Simulat Bertulphus ſe velle mente & corpore ſuæ ſponſæ coniungi.

HÆC cum dixiſſet vir doloſus & iniquus, illa reſpondit: Chriſti ancilla ſum: illi ego mea omnia commendo. VII.
Si tamen abſque ſceleris alicuius commixtione id fieri poteſt, quod dicis, non refragor. Tum Bertulphus à ſcamno exiliens, equum aſcendit Brugas profecturus, vt illic pernoctaret, nunciumque de extincta Godoleua opperiretur, ſimul etiam, vt ipſe cædis eius minime conſcius exiſtimaretur. Deinde nocte cunctis ſopore oppreſſis, Lambertus & Hacca dominam ſuam excitant. Surge, inquiunt, hera: nam tua cauſa ſoliciti huc venimus: fœminam, cuius apud te mentionem fecit herus, adducimus. En ad fores ſuſtinet iam dudum aduentum tuum. Surge ocyus, ne deſis vtilitati tuæ. Illa primum ſe munit ſanctæ Crucis ſigno, deinde totam ſe commendat Deo: cumque veſtibus induere ſe vellet, illi adſtant, ne id faciat: Pedibus, aiunt, nudis, paſſis capillis, in ſola interula venies. Ita enim certum eſt, eam rem tibi profuturam. Iam enim nocte media & ante auroram iſthuc fieri oportet. Mox illa reſpondit: Equidem me omnipotenti Deo committo: videat clementiſſimus ille, quid me futurum ſit: & nunc veſtræ me fidei trado. Ita ſurgens, abit cum illis. Quid verò ſemel atque iterum illi vel dixerint, vel fecerint, relatu indignum arbitramur. Friuolum enim id fuit, vel potius fraus & dolus. Cum autem tertio ei ſimili modo imponerent, in eius collum laqueum iniiciunt, ſimulque manibus tota vi premunt guttur illius, nè quos poſſit edere clamores. Vt verò eam iam exanimem ſenſere, in aquas demergunt, vt ſi quid fortaſſis vitæ aut ſpiritûs ſuperſit, id aquæ præfocent. Actum eſt id mira Dei diſpoſitione, vt ſi qui forte pulueres ex terrena inhabitatione illi inhæſiſſent. eos aquæ abſtergerent & emundarent. Exutum deinde corpus ſceleſti illi homicidæ ad eius lectulum reportarunt, veſtibuſq; opertum reliquerunt. Sole porò altius ſcandente, familia inter ſe muſſitare, quid cauſæ ſit, quod hera non prodeat è cubiculo. Conſueuerat enim illa vel ante auroram, vel in auroræ primo ortu ſurgere, alioſque admonere, vti ad eccleſiam ſe conferrent.

Doloſe euocatur occidenda.
Strangulatur a ſeruis Bertulphi Godoleua.

TANDEM itur ad eius cubiculum, excitatur tanquam adhuc dormiens, ſed mortua non expergiſcitur. Mox VIII
fama volat, accurrunt vicini, contemplantur corpus exanime, nullum vulnus, nullum ferri veſtigium toto corpore reperitur. Ad collum duntaxat viſebatur cruentus circulus, qui relictus erat ex laqueo, quo illam impij homines ſtrangularant. Interim alii affirmant naturali morte eam obiiſſe, alii diuerſum aſſerunt. Quam verò ſui illam charam habuerint, res ipſa declarauit. Eodem enim die eius accelerata ſepultura eſt: & quia panis defuit, qui pro ſalute animæ eius erogaretur, itum eſt pro emendo frumento, quod certè ipſi emptori lucro fuit. Adeo enim excreuit

Attende miraculum

in fari-

in farinam redactum, vt modum menſuramque excederet, & emptor miraculum admiraretur, Deoq́; gratias ageret: Laus, inquiens, tibi Deus. Pro tuo honore larga fuit, pro viribus autem gratificari, dum vixit, ſtuduit pauperi: quod quidem hoc miraculo tu diuinitus demonſtraſti.

IX. PORRO humi pars illa, vbi interempta eſt, in candidos lapides verſa eſt, vt meritum eius Dominus oſtenderet, cunctiſque fidelibus innoteſceret cædes illius. Quinetiam cum ex animi deuotione erga ſanctam fœminam, de terra illa quidam ſecum domum abſportarent, eam poſteà in gemmas mutatam mirati ſunt. Et nè quis fabuloſum id putet, egoipſe, qui hæc ſcribo, oculis meis eas gemmas vidi, & nomen Domini benedixi. Aliud etiam aquæ elementum egregiè illuſtrauit Dominus ad gloriam nominis ſui, vt per illud quoq; declararet merita illic immerſæ Godoleuæ. Quotquot enim vel febribus vexati, vel aliis afflicti morbis, eo accedentes, aquam illam potarunt, repente ſanitatis beneficium illius meritis ſe adeptos lætati ſunt. Eodem modo etiam ſepulcrum, & ſacrum eius corpus, quod illo continebatur, cæleſtibus Dominus miraculis inſigniuit. At nos quidem pauca è multis annotabimus, vt ex illis vtcunque liceat animaduerti, quanta in cælis beatitudine & gloria Chriſti ancilla perfruatur. Pater filium à primis natiuitatis annis contractum, ad monumentum eius attulit, orans vt eius meritis ſanaretur. Non diu poſt erigitur contractus, & ſoſpes cum patre domum abſcedit. Nomen eius pueri Algotus erat. Traditus indè literis, cum ad virilem perueniſſet ætatem, paulatim aſcendendo, Diaconus ordinatus eſt. Humus vbi cæſa eſt, in candidos lapides verſa. Miracula ad aquam, vbi fuit ſubmerſa. Item ad ſepulcrū eius.

X. CONTRACTA quædam, ad fores monaſterij S. Trudonis nouem annis iacuerat, vt poſſet cum cæteris etiam ipſa ſanitati reſtitui. Interim curabantur multi, complures erigebantur: illa ſola manſit debilis, diuina prouidentia id agente, vt S. Godoleuæ merita longè lateq́ue diffunderentur. Audita tandem fama eorum, quæ ad eius ſepulcrum fierent, curat eò ſe deportari, ibiq; orans, Domini miſericordiam opperitur, paulò pòſt contracta membra extenduntur, & ſuis pedibus læta redit domum. Quidam die ſabbati, hora qua minimè liceret, in agro colligebat ſpicas. Inhæſerunt verò ſpicæ manui eius tam tenaciter, vt nulla ratione eas poſſet auellere. Laborabat quidem altera manu, & ſummopere conabatur eas abſtrahere, ſed labor omnis fruſtrà erat: inimò quanto plus in ijs amouendis ponebat operæ, tantò firmius manui adhæreſcebant. Intelligens ergò culpam ſuam, ad ſepulcrum beatæ Godoleuæ venit, humi ſe proſternit. Necdum abſoluerat preces, & digitis ſeſe intendentibus, è manu ſpicæ deciderunt. Pœna laborātis quando non licebat.

XI. DIES quidam ſolennis imminebat, qui populo celebris haberetur. Presbyter peracto ſacrificio, præcepit nè quis operis quippiam exerceret illo die. Fœmina quædam pagi illius præceptum illud parupendens, tincturam in vaſe apparabat, arreptaque virga, eam mouere volebat. Mox vtrique manui virga inhæret: luctatur mulier nunc extendendo, nunc contrahendo brachia: ſed fruſtrà laborat. Res ad aliorum notitiam perducitur, familia aduolat, nec vicini abeſſe volunt, miraculi fama permoti. Et alij quidem dant operam, vt virgam ex eius manibus extorqueant, alij verò vel contingere eam verentur. Tandem pœna illam compellente, ſupplex adit beatæ Godoleuæ monumentum, precibus eius ambit ſuffragia, inter lachrymas & preces digiti & manus virga liberantur, mulier ſana ſe recipit ad ſuos. Item alterius.

XII. ANNO Chriſti milleſimo octogeſimooctauo eleuatum eſt corpus S. Godoleuæ apud Geſtellam à domino Ratbodone Nouiomenſi & Tornacen. Epiſcopo, 3. Calend. Auguſti. Filia verò Bertulphi ex ſecunda vxore, quum eſſet cæca à natiuitate, ex aqua, vbi ſancta Dei fuit ſubmerſa, oculos lauans illuminata eſt, ibidemque cœnobium virginum extruxit, ſub regula S. Benedicti militantium ad honorem Dei & S. Godoleuæ, cuius niueus cruor, qui ex ore & naribus in ſubmerſione emanauit, in eodem monaſterio conſeruatur ad perpetuam rei memoriam & ſignum virginitatis eiuſdem ſanctæ Dei.

VITA SANCTI ILLIDII ARVERNÆ ECCLESIÆ EPISCOPI, AVTHORE GREGORIO TVRONEN. EPISCOPO. An. 380.

Lib. de Vita Patrum, Cap. 2.

I. INTER reliqua vitæ perpetuæ ſemina, quæ iecit cæleſtis ſator, ex illo diuinitatis fonte mentis incultæ aruum irrigans vel inſtitutione, vel dogmate, in Euangelio ait: Omnis, qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. & alibi: Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Sed & ille nihilominus vas electionis beatus Paulus Apoſtolus dicit: Semper mortificationem Chriſti in corpore veſtro circunferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corpore veſtro mortali. Ergo confeſſores Chriſti, quos tempus perſecutionis ad martyrium non laceſſiuit, ipſi ſibi perſecutores effecti, modò vt digni Deo haberentur, & vt mortificatis membris ſoli Chriſto viuerent, diuerſas abſtinentiæ cruces adhibuerunt: de quo idem Apoſtolus dicit: Iam non viuo ego, viuit autem in me Chriſtus. & alibi, allegans illud Pſalmi 43. Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Adſpiciebant enim per illos mentis internæ oculos, Dominum cælorum deſcendiſſe ad terras, non abiectum ad humilitatem, ſed humiliatum miſericorditer ad mundi redemptionem. Adſpiciebant pendentem in patibulo, non Deitatis gloriam, ſed aſſumpti corporis hoſtiam mundam, de qua Iohannes pauloante prædixerat: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata huius mundi. Habebant in ſe & clauorum affixionem, cum à timore eius confixi, atque à iudiciis diuinis exterriti, nihil indignum eius omnipotentiæ in corporis ſui habitatione gerebant, iuxta illud, quod in Pſalmo ſcriptum eſt: Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui. Fulgebat in his & illud reſurrectionis lumen inſigne, quo Angelus refulſit, dum reuoluit lapidem monumenti, de quo dicitur: Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt: quo & Ieſus ſplenduit ſub illa oſtiorum obſeratorum incluſione, cum improuiſus in medio Apoſtolici ſenatus adſtitit comitatu: quos eoſdem idem Dominus verbis vitæ imbuens, cæleſtem eſt euectus in arcem. Inter hos & beatus confeſſor Illidius ità hæc omnia in cordis ſui tabernaculo collocauit, vt & ipſe quoque templum ſancti Spiritûs effici mereretur. De cuius vita aliqua ſcripturus, veniam pero à legentibus, (non enim me artis Grammaticæ ſtudium imbuit, neque authorum ſæcularium polita lectio erudiuit: ſed tantum beati patris Auiti Auerni pontificis ſtudium ad Eccleſiaſtica ſolicitauit ſcripta) ſi mihi ad iudicium contingerent, quæ ipſo prædicante audiui, vel cogente relegi, quia ea nequeo obſeruare: qui me poſt Dauidici carminis cannas, ad illa Euangelicæ prædicationis dicta, atque Apoſtolicæ virtutis hiſtorias epiſtolaſque perduxit: de quo tantùm capere potui, vt cognoſcerem Ieſum Chriſtum filium Dei ad ſalutem mundi veniſſe, atque amicos eius, qui accepta cruce auſteræ obſeruantia ſponſum ſecuti ſunt, dignis obſequiis honorare. Qua de re crudæ ruſticitatis temeritatem oſtendens, quæ de beato cognoui Illidio, illo, quo poſſum, proferam ſtylo. 7. IVLII. Matth 10. Iohan. 12. 2 Cor. 4. Galat. 2. Pſal. 43. Rom. 8. Iohan 1. Pſal. 118. Marc. 16. Luc 24. Marc. 16. Act. 1.

II. SANCTVS igitur Illidius cum perfectæ vitæ ſanctitate polleret, ac diuerſarum in ſe gratiarū chariſmata, largiente Domino, congeſſiſſet, illud, quod adhuc ſanctitatis culmini deerat, Deo inſpirante, ac populo eligente, promeruit, vt ſa-

Creatur Epiſcopus Aruernorũ.

vt ſacerdos Aruernæ Eccleſiæ,& Dominicarum ouium paſtor eligeretur. Cuius ſanctitatis fama, dum per diuerſos gratiarum euehitur aſcenſus, non ſolum ipſos Aruerni territorij terminos, veruntetiam vicinarum vrbium fines adiuit. Vnde factum eſt, vt hæc gloria Treuerici Imperatoris aures attingeret. Nam cum eius filia à ſpiritu immundo correpta grauiter vexaretur,& non inuenirent, à quo poſſet erui, beatum Illidium fama detexit: & dicto citius ab Imperatore directi pueri, ſanctum ſenem in ante dicta repertum vrbe, poteſtati Regiæ celeriter repræſentant. Quo venerabiliter excepto, pater de exitu infelicis conqueritur filiæ.

Expellit dæmonem à filia Imperatoris.

Ille verò confiſus in Domino, in oratione proſternitur noctequc, cum ſacris hymnis canticiſque ſpiritalibus ducta, immiſſis in os puellæ digitis, nequam ſpiritum à corpore abegit obſeſſæ. Quod miraculum Imperator cernens, immenſos auri argentique cumulos ſancto offert ſacerdoti. Quod ille execrans,ac refutans,hoc obtinuit, vt Aruerna ciuitas, quæ tributa in ſpecie triticea ac vinaria dependebat, in auro diſſolueret, quia cum graui labore penu inferebantur Imperiali. Sanctus verò (vt aiunt) impleto vitæ præſentis tempore, in ipſo itineris curriculo migrauit ad Chriſtum, à ſuiſque delatus, in vrbe ſua ſepultus eſt.

Obitus ei⁹.

Sed forſitan (vt plerunque homines murmurare ſoliti ſunt) quiſpiam garrulabit, dicens: Non poteſt hic haberi inter ſanctos pro vnius tantum operatione miraculi: nam ſi perpenditur illud, quod Dominus ait in Euangelio:

Matth. 7.

Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, virtuteſq; multas fecimus? Et reſpondebo eis, dicens: Quia non noui vos: profecto intelligitur, quod magis proficit ad laudem virtus egreſſa de tumulo, quam ea, quæ quiſquam viuens geſſit in mundo: quia illa labem habere potuerunt per aſſidua mundanæ occupationis impedimenta, hæc verò omni labe ad liquidum caruerunt. Ergo quia illa, vt credimus, quæ ſanctus Illidius ante hoc tempus operatus eſt, obliuioni data ſunt, nec ad noſtram notitiam peruenerunt, ea quæ propriis inſpeximus oculis, expertiq; ſumus, vel quæ à fidelibus agnita cognouimus, declaremus.

Tempore, quo Gallus Epiſcopus Aruernam regebat Eccleſiam, horum ſcriptor in adoleſcentia degens, gra- III.
uiter ægrotabat,& hic ab eo plerunq; dilectione vnica viſitabatur, eô quod patruus eius eſſet. Erat autem valetudo cum nimia ſtomachi piruita, ac febre valida. Interea aduenit paruulo deſiderium. & credo inſpirante Deo, vt ad beati Illidij baſilicam deportaretur. Illatuſq; manibus puerorum, ad eius tumulum fuſa oratione cum lachrymis, leuiorem ſe ſenſit eſſe, quam venerat. Sed reuerſus domum, iterum à febre corripitur. Quadam verò die cum grauius agere cœpiſſet, eumq; febris aſperior ſolito aggrauaret,& vtrum euaderet, admodum dubitaretur, accedens genitrix eius, ait ad eum: Mœſtum hodie, dulcis nate, ſum habitura diem, cum te talis detineat febris. Cui ille, Nihil, inquit, prorſus, obſecro, contriſteris, ſed ad ſepulcrum me remitte beati Illidij pontificis: credo enim firmiter, fore vt virtus eius & tibi lætitiam,& mihi tribuat ſoſpitatem.

S Gregori⁹ Turonen. adhuc puer liberatur à febre per S. Illidium.

Tunc ſancti deportatus ad tumulum, orationem fundit, ſpondens proſtratus ſponte, ſi eum Antiſtitis ſui virtus ab hoc contagio liberaret, clericum ſe futurum: nec prorſus moraretur, ſi deprecatio obtineret effectum. Hæc effatus, ſenſit protinus diſcedere febrem: vocatoque puero, domum ſe reportari depoſcit. Cumq; in recubitu, vbi tunc ſui epulabantur, fuiſſet illatus, erumpente è naribus ſanguinis copia, febris ſimul cruorq; defluxit. Quod meritis beati confeſſoris præſtitum, habetur probatum. Sed & nuper Venerandi Comitis ſeruus, cum in diuturna cæcitate reſideret, celebratis vigiliis, ſanus abſceſſit.

De reliquiis verò eius hoc ipſe præfatus ſcriptor, vt actum eſt, propria contemplatione conſpexit. Dedicauerat oratorium intra domum Eccleſiaſticam vrbis Turonicæ in primo ſacerdotij ſui anno, in quo cum reliquorum ſanctorum pignoribus huius Antiſtitis reliquias collocauit. Poſt multos verò dedicationis dies admonitus eſt ab Abbate, vt reliquias, quas in altari ipſo locauerat, viſitaret, nè ab humore noui ædificii humectatis aliquid in his putredinis inſideret.

Res ſanè admiranda.

Quas cum requirens reperiſſet infectas, ablatas ex altari contra ignem ſiccare cœpit. Verum vbi ligaturas illas ſingulatim reſoluit, ventum eſt ad reliquias beati Illidij Epiſcopi. Quæ cum contra ignem tenerentur, filum, quo ligatæ erant, quia erat valde prolixum, ſuper ardentes decidit prunas,& tanquam æneum aut ferreum, ab ardore ignis incanduit. Illo verò paruipendente, quid de filo fieret, dummodo ſanctæ reliquiæ ſiccarentur, æſtimans ipſum iam in fauillam fuiſſe reſolutum, comperit adhuc integrum & incorruptum, quippe quod vinculum & ligamen pauloante fuiſſet huius glorioſi pontificis. Multa quidem & alia de hoc ſancto miracula ſunt relata, quæ ſcribere longum putaui, hæc æſtimans fidei perfectæ ſufficere, quæ dicta ſunt: quia cui pauca non ſufficiunt, plura quoque non proderunt.

Matth. 11.

Nam ad hunc tumulum cæci illuminantur, dæmones effugantur, ſurdi auditum, & claudi recipiunt greſſum, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui credentibus repromiſit à ſe petita ſine ambiguitate largiri.

MARTYRIVM SS. Nicoſtrati & ſociorum habetur in vita S. Sebaſtiani martyris 20. Ianuarij.

An. 660.

** Edilburgæ*

*VITA SANCTARVM EARTONGOTÆ ET PROPINQVÆ EIVS * EDILBERGÆ, SANCTIMONIALIVM REGIONIS ANGLICANÆ, per venerabilem Bedam presbyterum ſcripta. Habetur libro tertio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum Cap. 8.*

Ivlii 7.

** Earconberto.*

Ecce quomodo in principio acceptæ fidei Quadrageſimale ieiunium præcipitur.

ANNO Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo quadrageſimo, Eadbald Rex Cantuariorum tranſiens ab I.
hac vita, * Earcomberechto filio Regni gubernacula reliquit. Quæ ille ſuſcepta vigintiquatuor annis & aliquot menſibus nobiliſſime tenuit. Hic primus Regum Anglorum in toto Regno ſuo idola reliquit, ac deſtruxit: ſimul ac ieiunium quadraginta dierum obſeruari principali authoritate præcepit. Quod ne facile à quopiam poſſet contemni, in tranſgreſſores dignas & competentes punitiones propoſuit.

** Eartongata.*

S Edilberga Abbatiſſa.

Cvivs filia * Eartongota, vt condigna parenti ſoboles magnarum fuit virgo virtutum, ſeruiens Deo in mona- II.
ſterio, quod in regione Francorum conſtructum eſt ab Abbatiſſa nobiliſſima vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore, necdum multis in regione Anglorum monaſteriis conſtructis, multi de Britannia monachicæ conuerſationis gratia Francorum vel Galliarum monaſteria adire ſolebant, ſed & filias ſuas eiſdem erudiendas, ac ſponſo cæleſti copulandas mittebant, maxime in Brige,& in Cale,& in Andilegũ monaſterio. Inter quas erat Sethrit filia vxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum,& filia naturalis eiuſdem Regis, Edilberga. Quæ vtraq; cum eſſet peregrina, præ merito virtutum, eiuſdem monaſterii Brigenſis Abbatiſſa eſt conſtituta. Cuius Regis filia maior Sexburg, vxor Earcomberechti Regis Cantuariorum, habuit filiam Eartongotam, de qua ſumus dicturi. Huius autem virginis Deo dicatæ multa quidem ab incolis loci illius ſolent opera virtutum, & ſigna miraculorum vſque hodie narrari. Verum nos de tranſitu tantum illius, quo cæleſtia regna petiit, aliquid breuiter dicere ſufficiat.

Dies reſolutionis S. Eartongotæ reuelatur

Imminente ergò die ſuæ vocationis, cœpit circumire in monaſterio caſulas infirmarum Chriſti famulatum, III.
earumq; maxime, quæ vel ætate prouecta, vel probitate erant morum inſigniores. quarum ſe omnium precibus humiliter commendans, obitum proxime ſuum, quem reuelatione didicerat, non celabat eſſe futurum. Quam videlicet

delicet reuelatione in huiuſmodi eſſe perhibebat: vidiſſe ſeſe albatorum cateruam hominum idem monaſterium intrare, hoſque à ſe interrogatos quid quærerent, aut quid ibi vellent, reſpondiſſe, quod ob hoc illo fuerint deſtinati, vt aureum illud numiſma, quod eo de Cantua venerat, ſecum aſſumerent. Ipſa autem nocte, in cuius vltima parte, id eſt incipiente aurora, præſentis mundi tenebras illa tranſiens, ſupernam migrauit ad lucem; multi de fratribus eiuſdem monaſterij, qui aliis erant in ædibus, iam manifeſte ſe concentus Angelorum pſallentium audiſſe referebant, ſed & ſonitum quaſi plurimæ multitudinis domum ingredientis. Vnde mox egreſſi dinoſcere quid eſſet, vident lucem cælitus emiſſam fuiſſe permaximam, quæ ſanctam illam animam carnis vinculis abſolutam, ad æterna patriæ cæleſtis gaudia ducebat. Addunt & alia, quæ in ipſa nocte in monaſterio eodem diuinitus fuerint oſtenſa miracula. Sed hæc nos ad alia tendentes ſuis narrare permittimus.

Lux permaxima animam illã ad æterna patriç cœleſtis gaudia ducebat.

IV. Sepultum eſt autem corpus venerabile virginis & ſponſæ Chriſti in eccleſia beati protomartyris Stephani. Placuitque poſt diem tertium, vt lapis, quo monumentum tegebatur, amoueretur, & altius in ipſo loco reponeretur. Quod dum fieret, tantæ fragrantiæ ſuauitas ab imis ebulliuit, vt cunctis qui adſtabant fratribus & ſororibus, quaſi opobalſami cellaria eſſe viderentur aperta.

V. Sed & matertera eius, de qua diximus, Edilberga, & ipſa Deo dilectam perpetuæ virginitatis gloriam in magna corporis continentia ſeruauit: quæ cuius eſſet virtutis, magis poſt mortem claruit. Cum enim eſſet Abbatiſſa, cœpit facere in monaſterio ſuo eccleſiam in honorem omnium Apoſtolorum, in qua ſuum corpus ſepeliri cupiebat. Sed cum opus idem ad medium ferme eſſet perductum, illa ne hoc perficeret, morte prærepta eſt, & in ipſo eccleſiæ loco, vbi deſiderabat, condita. Poſt cuius mortem fratribus alia magis curantibus intermiſſum eſt hoc ædificium annis ſeptem, quibus completis, ſtatuerunt ob nimietatem laboris, huius ſtructuram funditus relinquere, oſſa verò Abbatiſſæ illo de loco eleuata in eccleſiam, quæ eſſet perfecta ac dedicata, transferri. Et aperientes ſepulcrum eius, ita intemeratum corpus inuenere, vt à corruptione concupiſcentiæ carnalis erat immune. Et ita denuo lotum, atque aliis veſtibus indutum, tranſtulerunt illud in eccleſiam beati Stephani martyris. Cuius videlicet natalis ibi ſolet in magna gloria celebrari die Nonarum Iuliarum.

Corpus S. Edilbergæ poſt ſeptennium eleuatũ apparuit incorruptũ

VITA SANCTI VVILLIBALDI PRIMI EPISCOPI, EISTETENSIS, VT HABETVR TOMO QVARTO ANTIQVÆ lectionis Henrici Caniſii. An. 750.

I. Originem egregii confeſſoris Chriſti atque Pontificis VVillibaldi Saxonica tellus excepit, & tanta fœcunda de prole felix feliciter exultauit. Verum poſt eum ſalſiuaga ponti lympha perlambens orientis partibus deſtinauit; vt quem illa meruit per naturam, Boiaria mereretur habere per gratiam. Is igitur cum lepidis in primordio delicaræ teneritudinis educantium foueretur adulationibus, blandoque parentũ præcipue, affectu puerulus nutriretur, proſpero dierũ rotantium curſu triennij peruenit ad calcẽ. Iulii 7.

Patria S. VVillibaldi

Cumque futurus Dei Tyro infantiales adhuc teneri corporis gereret artus, quædam illum repentina in viridi membrorum compagine tetigit ægritudo, tantoque corporis eſt arreptus incommodo, vt moleſtia prægrauante, exigua ſtringerentur membrorum compagia, & vix in eo vitalis permanens flatus, vicinum iam iamque minitaretur exitium. Cumque pater & genitrix anxii cordis ſua ſæpius ſæpiusque protraherent ſuſpiria, & ægrotantis, peneq; ſemineci ſui editi præſtolarentur egreſſum, viſcerali, & inopinata affligi cœpere mœſtitia, quod ſoboli ſibi cœlitus attributæ lues tyrannica, & exitiale diſcrimen ex improuiſo lugubrem minarentur exceſſum. Et quem à primordiali infantia ablactatum atq; confotum vſq; ad triennium educauerant, & vitæ ſuperſtitem relinquere anhelabant, iam extinctum auara tegerent gleba. Miſerator ergo & miſericors Dominus, qui infirmitatem ſæpe ſuis incutit Sanctis, vt inualitudo fortes per ipſum virtutis recipiat vires, noluit beati pueruli VVillibaldi adhuc terræ mandare corpuſculum, eiuſq; mundum cum ſanctis cælo ſuſcipere flatum, verum vt per orbem iam fide firmus lucrator exiſteret animarum, & ſpiritualium paſtor ouium, ipſe qui ei extitit ægro infirmitatis exordium, medelæ contulit incrementum. Salubri namq; parentes ipſius conſilio inito, viuificæ eum ſanctæq; crucis obtulere vexillo, vt ſi per ipſam, per quam ſalus data eſt mundo exitiali vita redderetur puerulo, ſacri ordinis primordio attonſum, monachico donarent cœnobio. Statimq; vt concepti ipſius fœlicis voti, theſaurum triſtia labia pendulis vocibus extulerunt, ipſa quæ dudum in puero graſſabatur morti vicina infirmitas quaſi quadam hoſtili manu repulſa, ceſſit fugiens priſtinæ ſanitati. Læti ſunt de tanto, quod optauerant munere, laudes Chriſto promunt corde & corpore, & votum quod fideliter vouerant, ocius conantur implere.

Puer triennalis grauiter infirmatur.

Parentes vouent eũ monachũ futurum.

II. Ergo cum eum ad quinquennii metã temporis rota deuolueret, & ſpiritalis in eo germen ſapientiæ iam iamq; feliciter pullularet, parentes deſiderabilis voti non immemores ſui, ad ſacræ cœnobialis vitæ rudimenta eum parare feſtinant, vt quem Chriſtus ſalutari reddiderat vitæ per vexillum crucis viuificæ, viuendum eum, & non moriendũ, iam ſpiritaliter in æternum contemplatiuæ traderent vitæ. Affectui deniq; animi prompto comitatur effectus, commendant namq; eum, cui diuina gratia iam fuerat prænia, cuidam nomine Thealoreto ad cœnobiũ deſtinandum, de ſe ſuiſq; omnibus prouide eum diſpenſare, diſponereq; rogantes. Quem cum ad monaſteriũ, quod ab incolis dicitur VValdheim proſpero calle peruehérent, tãtæ indolis puerũ illuc cœleſti munere deſtinatũ venerandi Abbatis Eguualdi vocabulo, ad tyrociniũ ſacræ militiæ, manibus tradunt. Qui protinus ac ſi donum cælitus deſtinatũ cum cõſenſu Sanctorũ inibi demorantiũ fratrum, liberaliter, futurum Chriſti ſacerdotẽ in teneris infantiæ ſuſcipiens artubus, & theſaurum dominicum fideli mente complectens, cœnobialis vitæ eum ſubdidit inſtitutis. Cũq; ſacras Dauidici carminis paginas ſolerti mentis intentione puerulus diſcendi gratia peragraſſet, hagiographorum ſe ſtatim ſedulus ſubdidit inſtrumentis, ſanctiſſimis pridem pſalmorum ablactatus vberibus, ita vt ab eius ore infantis & pene lactẽtis vocem ſibi Chriſto perficeret laudis, ſicq; creſcente in eo membrorum compagine, creuit etiam poſt circulũ dierum cœleſtis obſeruantia diſciplinæ, & totius forma iuſtitiæ. Totus namq; in amore Dei conuerſus, nihil temporale, nil voluit habere carnale, excepto quod natura labilis carnis haud potuit denegare. Sumebat quotidie miles Chriſti fortiſſimus arma cœleſtia, & cuſtato vertice galeam ſalutis æternæ, in ſtadio contra hoſtem antiquum præſentis vitæ acriter pugnaturus, Spiritus ſancti machæra fulgebat accincta. Tum deniq; in abdita mentis eius quiete ſalubris oritur cogitationis effectus, qualiter cuncta quæ ſunt caduca reſpueret, & illa quæ necem & mortuos non ſequuntur ſolicitus declinaret, & non ſolum oblectantes mundi diuitias, mulcenteſq; ſæculi pompas, verum nota linqueret arua, & patrios deſereret fines, peregrinationis anguſtiis pro deliciis vteretur, quod poſteà rei probauit euentus.

Puer quinquennalis traditur monaſterio

Ardet peregrinandi deſiderio.

III. Postqvam igitur ſanctus adoleſcens VVillibaldus in eo, cui ſe totum commiſerat, ſpei & deſiderii ſui anchoram defixerat, conceptum iam dudum & abditum patefecit occultũ; & genitorem in remotioribus ſuper hoc negotio humiliter conſulens monet, vt votiuæ ſuæ volũtatis conſilio & libenter præberet aſſenſum, & filius peregre proficiſcens, patris in eundo frueretur conſortio, ob amorem cœleſtis patriæ, toto poſtulat mentis conamine, aſſerens ei mundi

mundi diuitias falſas, & in perpetuum perituras, & ſimul cum mortis diſpendio relaxandas, male homini in ſæculo viuere, nihil aliud fore, niſi ipſi gehennæ incendia cumulare: ècontra bona cum fide agenti & in ipſis perſeueranti, & poſt corporis diſſolutionem in perpetuum cum ſanctis Angelis viuere, & nihil aliud agere quam Deum in æternum laudare. Tum pater adhuc liberorum & coniugis amore ſollicitus, inhoneſtum & crudele cunctis eſſe teſtatur, vt orbatos patre liberos alienis quaſi prædam relinquens, tellurem per tanta ſali diſcrimina adiret ignotam. At miles Chriſti iam in petra firmiſſima ſolidatus, nec genitoris lenociniis frangitur, nec ſæculi gaudiis reuocatur, quin potius iteratis adhortationum elogiis & precibus indefeſſis, & modo delicias paradiſi, ſpemque ſine fine viuendi illi opponens, modo flammiuoma baratri tormenta obiiciens deſiderabilis vti potitur tandem effectu, & de patris iam lætatur aſſenſu.

Idem patri perſuadet.

Peregrinatur cum patre & fratre VVunibaldo.

V. Itaqve voluente temporum climate, & vergente annorum curriculo, cum æſtatis fornax iam exordium poſceret, commoda itineris ſecum tollentes, cum cœtu commeantium collegarum, iuncto etiam B. VVunibaldi germano fratre, ad loca deſtinata perueniunt, quæ priſco nominantur vocabulo hamelea mittha, ſecus portum, quod dicitur Hamvvich. Ibique caſtra metantes paululum temporis demorarunt, flamina nauigii præſtolantes. Adueniente præterea optati temporis hora, qua ſuis claſſem placidis pontum ſuſcepit vndis, naulo impenſo, pennigerum aſcendere celocem, Circio flante, crepantibus remis, rugoſi inueſtigabiles marmoris venas iam læti ſulcantes. Cumque vaſti æquoris moles cæruleas citato nauium curſu proſpere tranſegiſſent, Chriſtum cum eis in ſanctis ſuis habitantem habentes portum ſalutis inueniunt, ipſique immenſas gratias agunt, ibique figentes tentoria, vrbis proxime Rotumacum vocabulo mœnia adeunt, & multa ſanctorum illic oratoria perluſtrantes, ipſi quem ſponte peregrini ſequebantur, totos ſe cum lachrymis commendarunt. Dein iter arripientes, poſtquam Gorthonicum peruenerunt vrbem, quæ vocatur Lucca, præfati duo cum patre intrauere germani, patris illic ægritudine prægrauati, ruri oſſa auaro mandantes. Inde profecti arduos alpium vertices petierunt, anguſtos itineris calles niuis & glaciei nitore micantes, & mortem quaſi tranſeuntibus minitantes, ſemper oratione vincentes. Poſtquam autem Italicam tranſiere tellurem, egregiis Apoſtolorum Petri ſeſe dedere præſidiis, gratias agentes viuificæ Trinitati, ouium quoque Chriſti paſtori, quod de innumeris terræ & ponti periculis fuerant liberati. Quo etiam aliquandiu commorantes, vitaque ac religione monachica præpollentes, dum febris incendio vrerentur, & eis iam mors ac ſi exitium intrepida minaretur, meritis & precibus ſanitati priſtinæ ſunt ſanctorum reſtituti.

Pater VVillibaldi moritur.

Romæ ægrotât S. VVillibaldus cum fratre.

It Hieroſolymam.

VI. His igitur rite diſpoſitis, pro quibus athleta Dei fortiſſimus VVillibaldus Romam viſitaturus aduenerat, cum ad ſublimioris ac rigidioris vitæ faſtigium ſcandere ſedulus anhelaret, virtutes quotidie in ſe virtutibus cumulans, cœpit iam peregrinus ſæculo, iterum peregrinari velle, & vt Hieroſolymam Chriſto fauente, ipſum ibidem adoraturus pergeret, mente tractare. Cuius ſancta & pia cogitatio, ſicut à Deo initium ſumpſit: ita per ipſum effecti finem accepit. Cœpit itaque ambulare, confidens, diuina protegitur vbique virtute: & quanto in labore extitit promptior, tanto in charitate firmior, & in fide fuit conſtantior. Peragratis ergo haud abſque nimio labore, natiuitatis, educationis, baptiſmi, paſſionis, reſurrectionis, in cælum aſcenſionis Dominicæ, ſed & multis aliis locis, quæ compendij omiſimus gratia, cum iterum ſanctus ſanctam ciuitatem Hieruſalem videre conaretur, Chriſtum natum & paſſum in ea cupiens adorare, B. Matthiæ Apoſtoli Eccleſiam petiit, ibique ſe eius orationibus communiuit. Tum ſubito inter ſacros Miſſarum concentus luminis primarius eſt dignitate, quod beato viro non ad iniuriam ſuperna contulit pietas, verum ad ſolitæ probationis emolumentum, & ad fidei conſtantiſſimæ donum. Memor namque Abraham patriarcham in filio fuiſſe tentatum, & hæreditariam benedictionem in ſæcula meruiſſe. Iob quoque & Tobiam in carnis tentatione fore probatos; quia & ipſe cum ſanctis tentari meruit, totis niſibus exultauit. Sanctorum denique corpore cæcus non mente, loca circuiens, tandem ciuitatis ſanctæ portas vt optauerat introiuit. Mirum dictu, quia mira faciens ipſe eſt Chriſtus. Cumque baſilicam, in qua viuificæ crucis vexillum fuerat inuentum, cæcus intraret, illico lux olim amiſſa, tetras diſcutiens tenebras, micuit in patulo, roſcumque inbat radios à ſe ignicomos nitendo demittens, futuri Pontificis ſoles impleuit, & denſæ noctis horrore fugato, præclari luminis, diem extendit. Crux nempe ſancta, quæ ei dudum ſpacium contulit vitæ, ipſa leuamen, & medela in recuperanda extitit luce. Igitur beatus virtutem ipſe cœleſtem agnoſcens, & quia vt probaretur tentari meruit, ſollicita mente pertractans, vocem extulit laudis, & Chriſtum regnantem adorauit in ſanctis.

Fit cæcus.

Viſus ei reſtituitur.

VII. Hactenvs de origine & labore beatiſſimi VVillibaldi, prout Deus & Dominus omnium contulit legenda in ſæcula pauca perſtrinximus, nunc qualiter ad Pontificii peruenerit dignitatem, compendioſa quoque lectione tractemus. Luſtratis itaque tot ac tantis maris, terræ fluctuumque ſpaciis, quibus in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in corporis crebra infirmitate, in ergaſtuli horrendo ſqualore peregrinus, & exul in peregrinatione ſua Chriſto ſtuduit militare, cum comitibus, quos ſecum in via tulerat, B. Benedicti Abbatis, gratia orationis, adiit monaſterium, decimum iam, quo patria rura reliquerat, tranſiens annum. Vbi haud plures cum Abbate monachici cultus Chriſti reperiens milites, cœpit & ipſe iam Monachus ibidem Domino ſtrenue militare, & ſeipſum bene viuendi formam cunctis oſtendere, & quoſdam monitis à ſæculo reuocans, quoſdam iam reuocatos exemplis imitabilibus animans. velut præclara in domo Domini ardens lucerna, alios ad ardendum, lucendumque accendere, ita vt eos, quos illic inuenerat, iam pietate vinceret, conſtantia ſuperaret, charitate inferiores oſtenderet, patientia impares demonſtraret, humilitate cunctos ante omnia ſuperaret. Nec mirum ergo ſi in eo tantarum virtutum exuberauerit plenitudo, cum fontem virtutum meruerit in ſe habere manentem. Velut enim prudentiſſima apis graminorum diuerſorum floſculos legens, prius fauos, dein natos, poſtea dulcia mella congerminat, ita beatus iam ab Angelis ad Pontificii dignitatem electus, dum paſſim circuiuit innumera loca ſanctorum, quidquid dignum & habile vitæ ſpiritali audiuit & vidit, mente quaſi cruribus inhærendo ſuſpendit. Cumque Euangelii dulcedinem frequentius ſtillantem mentis aure percepit, fauis iam glutino tenaci compoſitis, natiſque in ipſis fide Chriſtiana firmatis, ſtillantia prædicationis mella diffudit, cunctiſque ad percipiendum ferculum obtulit.

Iterum Romam vadit.

Mittitur à Pontifice ad S. Bonifacium.

VIII Intirea cum iterum nutu diuino Romam cum quodam obnixe poſtulante Hiſpanienſi Presbytero fæliciter introiſſet, & cæli ianitoris Petri Apoſtoli ſuffragia imploraſſet, Gregorius tunc Apoſtolicæ ſedis culmine nitens, qui tertius in Epiſcopatu Gregorius appellatus eſt, beati viri aduentum fidelium relatu comperiens, blanda cum voce ad ſe venire præcepit. Qui veniens, & terræ ſe pauimento proſternens, benigna humilitate ſalutantem Apoſtolicum reſalutat, & fletibus ſuſpiria vtrinque miſcentes de ſua inuicem viſitatione laudant Dominum exultantes. Cuius cum Papa benigniſſimus peregrinationis ſeriem, ipſo referente, libenter audiſſet, & de eius virtutis conſtantia attentius miraretur, inter melliflua eorum affamina, vt ſanctæ memoriæ Bonifacii Epiſcopi ſe exhibere deberet obtutibus, ipſo ſcilicet deſtinante, Pontifex intimando narrauit. Quod vir Dei audiens, placidis ac ſale conditis ſe excuſare niſus eſt verbis, non quod tanti viri à ſacra ſeipſum detrahere vellet præſentia, verum vt arciſteriali iam iugo conſtrictus, nunquam ſine Abbatis ſui licentia pergere iudicaret dignum. Tandem precibus & exhortationibus, auctoritate quoque Apoſtolica victus, iturum ſe fore promiſit. Accepta itaque benedictione Pontificis venerandi monita eius pia conatur implere, & ad contemplandam faciem Præſulis Bonifacii iter fæliciter tendere.

Qvo

Digitized by Google

Qvo cum Chriſto ducente curſu proſpero perueniſſet, mutuis ſe ſancti vocibus ſalutarunt, & inuicem amplexantes lachrymis ſe oſculati ſunt protſus. Non poſt multum vero temporis eum ad Pontificii inſulam ſublimare deſiderans, ſuæ quendam diœceſis locum, qui vſque hodie Eiſtadi vocitatur, ei munifica liberalitate contradidit, atque ad ſpeculandum ipſum illo deſtinauit. Quo illum poſtea ad preſbyteratus promouit officium, ſciens iam per omnia eſſe dignisſimum. Deinde vergente vnius temporis luſtro, in pago, qui vocatur Thuringia, iunctis ſibi B. Burchardo, & Vuzone Epiſcopis ad Epiſcopatus eum prouexit honorem, cum eſſet vnius & quadraginta annorum ætatis. Ordinantes ergo de omnibus beati inter ſe Pontifices, prout tempus dictauerat, rebus, nouum Chriſti antiſtitem Willibaldum ad cathedram ſuæ ſedis remittunt. Vbi quanta monaſterio conſtructo, ſeipſum abſtinentia macerauerit, quantoſque vſq; ad vitæ ſuæ terminum, ad amorem cœleſtis patriæ verbis & exemplis accenderit, quove virtutum nitore refulſerit, nullus viuentium enarrare poterit. Quis igitur vnquam peregrinorum ad patronum noſtrum veniens victus aut regiminis petiturus ſolamen, vacuus ad alios pertranſiuit? Quis inopum inediæ ſqualore fœdatus, alimoniam non inuenit? Quis peccatorum pondere prægrauatus, dum ei vulnus inflictum oſtendit, onerosus acceſſit? Huic ergo non fuit de craſtino cogitare, vt auaritia in eo charitatem extingueret, & cupiditas miſericordiam ſuperaret, verum Chriſti Euangelium ſemper in pectore verſans, totum quod habuit, in fratrum & pauperum ſolatio erogauit, & pauper ipſe pauperibus miniſtrauit. Nec enim fauor humanæ laudis quaſi arundinem aura commouit, quin potius in proſperis tutus, in aduerſis ſemper pacificus extitit. Quid plura? dum Spiritus ſancti diuerſorium fore promeruit, totius in ſe virtutis formam oſtendit. O virum prudentem, & per ſecula imitandum, qui domum ſupra petram ædificans, fluminum flaminumque formidines non expauit, in cuius ore dolum veritas non inuenit, & ideo ſibi in ſacerdotem elegit. Hunc ſane beatum ſupra ſuam familiam Dominus ſtatuit, & dapes verbi diuini benignus impendit, & vt eſurientibus in tempore edulium competens miniſtraret edocuit. Ipſe nimirum nunc, & ſemper iam cum Angelis in cœlo tripudians cunctorum ore laudatur, & vt cunctis propitiari clementiſſima pietate dignetur, ab omnibus exoretur. Dicentes cuncti proclament fidelium aſſiſtentium vniuerſi: Willibalde pater & Pontifex, educator & alitor, rector & paſtor noſtri miſerere. Miſerere viduis, miſerere captiuis, auxiliare orphanis atque pupillis, ſubueni precibus deſtitutis, & lapſis præſentibus, atque futuris, opem fer viuentibus, cunctis fidelibus atque defunctis, & præcipue tuis tibi à Chriſto collatis, per eum, qui cum Patre & Spiritu S. ſine fine regnat & permanet in æternum, Amen.

ITINERARIVM S. VVILLIBALDI EPISCOPI EISTETENSIS, A CONSANGVINEA IPSIVS SANCTI, SANCTIMONIALI *Heidenheimenſi ſcriptum.*

Prologus. VENERANDIS, imoque in Chriſto chariſſimis omnibus ſacerdotalis inſulæ honore ditatis Preſbyteris, præclaræque indolis Diaconibus, & nihilominus Abbatibus, ſiue omnibus popularis conditionis proceribus, quos paſtoralis curæ priuilegio pius procerum Pontifex, alios ſancto ordine Preſbyteros, alios ſobriæ pudicitiæ elegantes Diaconos, alios cœnobialis militiæ Monachos, & alios ſub diſcipulari habitu, ſolertibus literarum ſtudiis inhærendo, docendo, ad meliora recti regiminis principatu erudiendo prouexit, & ita vt egregius exercituum alumnus ſua induſtria per diœceſim diligenter quodammodo vt natos proprios mulcendo, fouendo fouere ſolebat: Iſtis omnibus iſtic ſub ſacræ legis moderamine manentibus, ego indigna Saxonica de gente iſtinc venientium nouiſſima, & non ſolum annis, ſed etiam moribus; & de illorum comparatione contribulium meorum, quaſi homuncula, ego quidem vobis religioſis ac Catholicis viris, cœleſtis bibliothecæ miniſtris, ob vtilitatem memoriæ, pauca perſtringendo, paulatim de primordialis vitæ eius venerandi Willibaldi præmio diſputare decreueram. Sed tamen præcipue ego fœmina fragilique ſexus imbecillitate corruptibilis, nulla prærogatiua ſapientiæ ſuffulta, aut magnarum virium induſtria elata, ſed ſpontanea voluntatis meæ violentia coacta, velut quadam ignari parua de pectoris prudentia pauca decerpens, & ex multis frondoſis* frugeriſque arboribus florum varietate miſtorum, exigua qualibet arte, ſaltem extremis in ramis, veſtræ memoriæ ipſa pauca excerpere, compaginare, ediſſereque me libet. Et nunc reciproco ſermone iterando dico, non propriæ præſumptionis primordio, non *temeratis audacia freta inſtanter hoc incipere, niſi vt vix audeo. Sed quia nunc primum Dei gratia, venerandæque viri tanti viſionis magnitudine, veſtræque auctoritatis excellentia, & nihilominus bene valido veſtræ voluntatis auxilio atque conſenſu, aliquatenus me credebam poſſe impetrare, vt tanti operis celſitudine tantaque miraculorum, nec non etiam virtutum ſigna, quæ Dominus pro humani generis ſalute ſe humiliando, deſcendendo, in humani corporis aſſumptione, diuinæ roboratus potentiæ priuilegio, præſtare atque perficere dignatus eſt in hoc mundo, ſuiſque oculis venerandi viri Billibaldi corporaliter cognita, ſuiſque plantis per omnia palpando, penetrandoque viſibiliter comparere; hæc omnia intimando perſtringimus. Et non ſolum ſigna, quæ nobis per Euangelii gratiam certa demonſtrantur, ille videbat, ſed etiam ipſa terrarum loca, vbi Dominus noſter naſcendo, patiendo, ac reſurgendo nobis apparuit; & nihilominus alia prodigiorum virtutumque veſtigia, quæ Dominus in iſto orbe terrarum promere, diffamareque dignatus eſt, ille perſpicax noſtrorum omnium pædagogus, omnia tranſmeando, fide robuſtus, fato fortunatus, procaciter peragrans, omnia viſitando reperiebat atque videbat. Vnde nunc certe, vt ita dicam, mihi videbatur eſſe proteruum, quod iſta omnia muto tenacitatis ſilentio oppilatis labiis humana taceat lingua, quæ Dominus ſuo ſeruo per proprii corporis laborem, per viſionem oculorum oſtendendo, in noſtris temporibus reuelare dignatus eſt. Iſta non Apochrifotum, non erratica diſſertione relata eſſe cognoſcimus, ſed ſicut, ipſo vidente & referente, de oris ſui dictatione audire, & nihilominus ſcribere deſtinauimus, duobus diaconibus teſtibus, mecumque audientibus, nono Calendas Iulii, pridie ante ſolſtitia die. Iſtos certe literarum apices non ideo ego idiota diſputare inchoo, quod de veſtræ ſagacitatis induſtria me aliquid diffidere æſtimetis, ſeu quod bene nō nouerim ego multos virorum, quos Dominus Deus noſterque Antiſtes mihi præſtantiores non ſolum virilis ſexus dignitate, ſed etiam diuinæ conditionis miniſterio præferre dignatus eſt, multo magis diuinæ legis eruditione ei nihilominus indagatione ſollertis curæ procaciores diſponere ediſſereque. Sed quia me, indignam tamen, de illorum genealogiæ ſtirpe, non aliunde propagatam, forte de extremis tamorum cauliculis fore noueram, de tantis talibuſque virorum beatitudinibus venerabiliſque vitæ eorum, non ſolum in actibus, ſed etiam in itineribus variis, multifariiſque miraculorum magnitudinibus, perfecte proficiſcentibus, aliquid memoriæ dignum lectoris legendi manibus imponere me libet. Quorum alter ſummæ ſacerdotaliſque inſulæ, paſtoraliſque curæ prærogatiua prælatus, inclitus crucicola, magnus magiſter Billibaldus; & alter rectæ ſoliditatis iter arripiens, prava dirigens, indirecta aſperaque & ferocia polite planitans, prauorum gentilium, proteruaſque peccatorum ſpurcitias non deſide tepide titubanti mente, ſed felici temeritatis audacia procaciter, ſupernæque ſagacitatis telo rite roboratus, inſtante labore omnia exinaniuit. Qui ſacerdotali quoque prælatus inſula, paſtoralique computatus honore Abbas erat, præclaruſq; Chriſticola Bunebaldus. Iſta omnia per albas camporum, planicies ſulcato tramite nigra peraratа veſtigia ſcripta, veſtra cara coram ſcientia præſentata,

* f. frugiferiſque.
* temeritatis.

L

contra

contra omnes æmulorum vituperationes, Dei gratia, veſtraque per omnia protectionis arma, & nihilominus placidæ veſtræ, commendamus perceptionis, vt in omnibus læti laudemus nos liberantem, dona tribuentem Dominum.

PRIMVM igitur venerabilis, ſummique Dei Sacerdotis, atque Pontificis primordium, vitæq; illius venerandi viri ſan- I.
cti Billibaldi ſublimitatem, qui ſolerter ſub ſacræ legis moderamine almè priorum exempla ſanctorum militando, ſeruiendo, mente & moribus ſectando inhærebat. Huius itaque vitæ exordium & in ante iuuentutis medietatem, ad illius vſque ſenectutem, proceſſum & hactenus vſque decrepitam ætatem intimando, gracilem opuſculi huius coniecturam glomerando ordiri decreueram, ordinandoque texere. Cum ille in proœmio ſuæ infantiæ *cunaculis amabilis, atque delectabilis, blandiſque nutrientium adulationibus, præſertimque parentum circa illum magnæ deuotionis affectu, diutnaque ſollicitudinis prouidentia curam gerentium confortatus atque enutritus, ad triennium vſque peruenit. Tranſactis itaque tunc tribus annorum curriculis, cum paruus ille ſeu delicatus fragili æuo, infantiali ætate, teneri corporis adhuc gereret artus, ſubito euenit, vt illum triennio grauis corporis aggrauaret ægritudo, tantaque eſt arreptus corporis moleſtia, vt exiguæ membrorum ſtringerentur compages, & vix in eo permanens flatus, vicinum minabatur vitæ exitum. Cumque iſtud cernerent pater & mater, editum ſuum ægrotantem, iamque vſque pene ſeminecem; timidi extaſi, nouaque mentis mœſtitia valde retenti, anxiari cœperunt, quod ſobolem ſuam ſibi genitam, recenti lue laſſatam, exitiali ſue diſcrimine ex improuiſa morte irretitam fore viderunt, & illum, quem prius de primordialis infantiæ cunabulis ablactatum atque confotum, vſque ad triennium nutriebant, illiſque ſuperſtitem & hæredem habere optabant, iam exanimem ſeu extinctum, glebaque coopertum, dolore timebant. Sed omnipotens Deus, mundi fabricator, cœli terræque limator, ſeruum ſuum infantem, & adhuc inoletum, exilibuſque membrorum compagibus tenerum, hominibuſque incertum, de corporis ergaſtulo adhuc educere nolebat, ſed vt magis poſtea per orbem ſua norma neophytis patula panderet vitæ præmia. Sed ad priſtinam redeamus iterum præfati viri infantiam. Cumque parentes eius magno mentis exceſſu ſuſpenſi, & de incerta filii ſui euaſione eſſent ambigui, ſumentes filium ſuum, obtulerunt illum coram illa dominica ſanctaque Cruce Saluatoris. Quia ſic mos eſt Saxonicæ gentis, quod in nonnullis nobilium, bonorumque hominumque prædium, non Eccleſiam, ſed ſanctæ Crucis ſignum, Domino dicatum, cum magno honore, almum, in alto erectum, ad commodam diuinæ orationis ſedulitatem, ſolent habere. Illic ponentes illum coram cruce, Dominum Deum, omnium plaſmatorem, illos conſolari, ſoſpitemque ſuum ſeruare natum, ſuis virtutibus, obnixe flagitabant; ſicque intentiſſimis illorum precibus ſe vicem reddere ſpondebant Domino, vt ſi priſtina illius infantis reſtituta foret ſanitas, extemplo illum ſub ſacri ordinis primordio tonſuram accipere, ſub cœnobialis vitæ diſciplina, ſub diuinæ legis moderamine militando Chriſti famulatui ſubiicere promiſerunt. Statimque, priuſquam illi vota vouerunt, verba conſummauerunt, filiumque ſuum cœleſti commendauerunt regi militare, confeſtim gratiam, & præterea à Domino petitionum conſequebantur effectum, priſtinaque puero poſtea reſtituta eſt ſanitas.

*ſ. cunabulis.

Triennis puer ægre laborat.

Parentes vouent eũ monaſterio mancipandum.

CVMQVE illuſter ille puer in infantia ad quinquennium vſque perueniſſet. Aſt in eo iam tunc temporis germina- II.
bat ſapientiæ virgultum, Itaque, parentes votiua deſideriorum implere properabant promiſſa, atque illuſtrem quantocius, cum conſultu amicorum, carnaliumque propinquorum conſilio ad ſacræ cœnobialis vitæ inſtrumenta præparare atque perficere feſtinabant. Confeſtimque illum venerando fideliſſimoque viro Theodorero commendabant, itaque prouidentia eum ad cœnobium ducere, omniaque prudenter de ſua cauſa diſpenſare, diſponereque rogabant. Cumque perrexiſſent, & illum ducerent ad Monaſterium, quod vocatur Walthein, venerando Abbati illius monaſterii, qui vocatur Egbalt, offerebant, & illum ſuæ conditionis iure iuniorem, ſeu obediendo diſcipulum ſuo ſubdiderunt imperio. Statimque ille Abbas monaſterii, ſecundum regularis vitæ diſciplinam, declarabat iſta ſuæ congregationi, ſicq; vt cum eorum conſilio ſiue licentia hoc foret, ille flagitabat. Cui protinus omnis illa conuentio fratrum ſimul reſponſum ſeu licentiam dabant, ſuæque voluntatis arbitrio hæc omnia fas fore dicebant, acceptumque illum ocius inter cœnobiale vitæ eorum conſortium iungendo ſociabant.

Puer quinquennalis traditur monaſterio.

POSTHÆC itaque cum protinus puer iſte pudicus, ſeu perfectus, ſacris litterarum ſtudiis imbutus, atque eruditus, III.
ſacras Dauidici carminis paginas ſolerti mentis intentione peragrans, ſed & etiam alia diuinæ legis agiographorum armariola indagando, ſiue legendo, procaci ſenſu *ſophyrus, mente moderatus, indagabat, & tamen non adhuc plurimorum ætate annorum grandæuus, ſed ſicut diuina ſemper ſupernæ pietatis clementia agere ſolet, ſecundum propheticum prophetiarum vaticinium, ex ore infantium ſeu lactentium, perficere ſibi dignatus eſt laudem. Deinde itaque in eo iam ſimul annorum ætas, mentiſque ſagacitas, diuinæ diſpenſationis moderamine, pullulare cœperat, & multo magis in eo iam tunc diuina Spiritus ſancti gratia, quam corporis magnitudo creuerat, aut membrorum valetudo. Totuſque iam ille in Dei amorem conuerſus, magna mentis diurnaque meditatione tractando monaſterialia moderationis inſtrumenta, monachialiſque vitæ monarchiam in abdita mentis quiete diu noctuque ſollicite volutabat, quomodo illorum ſe copularet caſtæ monachorum clientelæ, aut qualiter illorum fauſtis inter fore poſſit familiaris vitæ diſciplinis. Cumque iſta ſedulo intra mentis volubilitatem reuolueret, tractare cœpit, qualiter hæc cogitatio promereri potuiſſet effectum, vt caduca cuncta *coſmi iſtius contemneret, ſiue derelinquere potuiſſet, & non ſolum temporales terrenarum rerum diuitias, ſed & patriam atque parentes, ac propinquos deſerere, peregrinationiſque temptare tellurem, & ignota externorum requirere rura. Cumque aliquanti temporis intercapedine tranſacta, poſt illa infantialis eius oblectationis ludicra, & pueriles incentiuorum laſciuias, & illecebroſas luxurioſæ ætatis petulantias, per indefeſſam atque ineffabilem diuinæ diſpenſationis gratiam, ad lanuginem, & pubertatis adoleſcentiam perueniſſet, maximam in contubernio fratrum dilectionem, per obedientiæ affectum, per manſuetudinis munificentiam, in ſe prouocabat; ita vt amore & honore inter omnes illos haberetur inſignis. Sicque diutius diurnæ ſollicitudinis cura, & diuinis litterarum ſtudiis inhærendo die noctuque eatenus *ingeret, & rectitudinis rigore mentem edomaret, vt de die in diem ad meliora cœleſtis militiæ inſtrumenta proficeret.

*Sophyrus, pro, ſapiẽs, non ſemel vſurpat.
Pſalm 8.
Matth 21.

*mundi.

**ingereret.*

POSTQVAM ille adoleſcens, Chriſti vernaculus, ſicut ſupra diximus, ignotas peregrinationis ſuæ vias probare vo- IV.
lebat, atque externas terminorum tellures adire, ſpeculari que optaret, necnon *in maniſſana mari diſcriminare decreuiſſet æquora, ſtatim ille iſta cordis ſui clandeſtina, cunctis occulta, carnali ſuo patri reuelauit, atque illum obnixis flagitabat precibus, vt votiuæ ſuæ voluntatis deſiderio pergendi conſilio præberet conſenſum; vt & illi tranſeundi licentiam daret, & ipſe ſecum pergeret, attentius poſcebat. Cumque [a] illum ad tanti operis initium, tantæque vitæ conuerſationem inuitando, à ſeculi voluptatibus, à mundi deliciis, à temporalis vitæ falſis diuitiarum proſperis, ſuggerendo, ſegregare vellet, & illum, opitulante Domino, ad rectæ conſtitutionis formam, & ad cœleſtis militiæ tyrocinium, diuinũ inchoare ſeruitium, propriamque deſerere patriam, & patula ſecum peregrinationis perquirere rura rogaret, & ſic illum demum præmiis, blandis oraculorum ſtudiis alloquendo inuitaret, vt comitatu filiorum fungens, egregia adiret Petri Apoſtolorum Principis limina. Tunc ille primitus, illo poſtulante, petitum negauerat tranſitum, excuſandoque coniugis & liberorum inoletiuorum paruitatem & fragilitatem, illos orbare, & alienis derelinquere, inhoneſtum & crudele eſſe reſpondit. Tunc ille belliger Chriſti miles iteratis hortationum miraculis, magniſque precum perdurationibus, toties per aſperiora rigidioris vitæ documenta metu & minis obiurgabat, & toties blandis vitæ æternæ ſponſionibus,

**in immanis maris diſcrimina ire decreuiſſet.*

[a] Petit à patre vt vna peregrinetur.

amœnitate

amœnitate paradiſi, & amore Chriſti, mulcendo illum inſtigabat, & ita omnibus modis hortando, alloquendo, animum eius ad ſuæ voluntatis aſſenſum prouocare conatus eſt. Sicque tandem omnipotentis Dei auxilio, petentis & prouocantis inualeſcebat voluntas, ita vt ille ſuus pater, & frater Bunebaldus adoptatam & hortatam ſe inchoare iter tam pollicerentur.

V. Postquam itaque cum, temporum interuallo, & annorum vergente curriculo, æſtatis iam immineret tempus, pater ſuus & frater cœlebs prædeſtinatum & adoptatum inchoauerunt iter. Et congruo æſtatis tempore, prompti ac parati, *ſumptibus ſecum vitæ ſtipendiis, cum collegarum cœtu comitantium, ad loca venerunt deſtinata, quæ priſco dicebantur vocabulo, Hamelea multa, iuxta illud mercimonium, quod dicitur *Hambich. Et non multa poſt tranſacta temporis intercapedine, nauigio parato, nauta ille cum claſſibus, ſuoque nauclero, naulo impenſo Circio flante, ponte pollente, remis crepitantibus, claſſibus clamantibus, * velocem aſcenderunt. Cumque tranſmeatis maritimis fluctuum formidinibus, periculoſiſque pelagi preſſuris, vaſtum per æquor citato celocis curſu, proſperis ventis, velata naue, tuti aridam viderunt terrā. Et ſtatim ouantes de naui deſcenderunt, & illic caſtra metati ſunt, & tentoria fixerunt in ripa fluminis, quod nuncupatur Sigona, iuxta vrbem, quæ vocatur Rotum, ibi etiam fuit mercimonium. Et illic aliquantis dierum curriculis requieſcentes, iterum pergere cœperunt, & ſic multa illic Sanctorum oratoria, quæ illis commoda fuerunt, orando petierunt. Et ſic in ante Gorthonicum gradatim ex parte peragrantes superuenerunt. Cumque pergentes veniſſent ad vrbem, quæ vocatur, Lucca, S. Willibaldus & B. Bunebaldus, patrem eorum in comitatu itineris pariter cum illis ducebant. Statimque ibi ſubitanea præuentus eſt corporis infirmitate, vt prætetitis temporum intercapedinibus,* prope ē iam inſtaret exitus ſui dies. Et inualeſcente in eo ægritudinis grauitate, feſſa ac frigida illius iam tabuerunt membra corporis; & ſic vltimum vitæ ſuæ exhalauit ſpiritum. Statimque illi germani filii eius corpus patris eorum exanime paternæ pietatis affectu percipientes venuſte inuoluerunt, & terra tumulauerunt, & in vrbe Lucca ad ſanctum Frigdianum. Ibi requieſcit corpus patris eorum. Confeſtimque illi pergentes, vſque dum per vaſtas Italiæ tellures perniciter, per concaua vallium, per abrupta montium, per plana campeſtrium, ad arduas alpium arces, pedeſtrem ſcandendo greſſum dirigebant in altum. Cumque luſtratis alpium cacuminibus, glacialique niuium nebuloſarum turbine, almi Dei adminiculo, Sanctorumque ſuſtentaculo, cum cunctorum contribulium clientela, omnique collegarum cœtu tuti omnes timidas militum euaſerunt verſutias. * Illuſtria exemplo adierunt limina, & egregia Petri Apoſtolorum [a] principis petierunt præſidia, immenſaſque ibi omnipotenti Deo atque gratas referebant gratias; quod magnis tranſmeatis maris diſcriminibus, variiſque peregrinationis externorum ignominiis per omnia proſpere ſcandere ſcholaſticam meruerunt ſcalam, & præclaram adire ſpeculariqué S. Petri Baſilicam. Tunc illi duo germani ibi manſerunt à natiuitate ſancti Martini, vſque ad aliud ſolemnitatis paſcha. Et interim dum illa frigida, frugaliſque hyems tranſiendo præteriit, vernaleque iam incumbendo inſtaret germen, & paſchale per totum mundum fulgendo irradiaret tempus, ibi duo germani felicem monaſterialis diſciplinæ vitam, ſub ſacræ legis moderamine ducebant. Tum etiam decreſcente dierum calculo, & creſcente æſtatis [b] caumate, quæ ſolet præſaga futuræ eſſe febris, magna corporis illico arrepti ſunt moleſtia, ita vt acriter [c] anhelando, febricitando, & totiens algore frigeſcens, & totiens calore æſtuans, atrox per artus diffuſa eſſet peſtis, & ſic irretiti & tetenti, magnoque mortis prope exitio conſtricti, febre fatigati erant, vt vix iam in illis vitæ halitus per laſſos luentium artus volitando verſaretur. Sed tamen indefeſſa paternæ pietatis prouidentia ſuis conſulere, ſuffragarique dignata eſt, ita vt vnus de duobus vnam ebdomadam, & alter vnam in ſubſidium miniſtrandi illis requiem haberet. Et tamen, prout corporis infirmitas perpetrare poterat à ſacræ inſtitutionis norma non recedebant, ſed propenſius ſacræ lectionis ſtudio perſeuerantes inhærebant, iuxta veritatis vocem dicentis: Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Peregrinatur cum patre & fratre Wunebaldo

* ſumptis.

* Hammaburg. ſ. Hambich.

* celocem.

* prope, ſ. ac timetur &c.

pelitu. Luccæ.

* Illuſtria exemplo, ſed tamen vbiq; illuſtres, pro, illuſtrem, vſurpat.

a Veniunt Romam

b caumate, id eſt, calore.

c SS. Wilibaldus & Wunebaldus corripiuntur febri.

Matth 24.

VI. Postquam ille illuſter claruſq; crucicola, magna mentis intentione, & cordis contemplatione ad ſupernam internæ vitæ ſpeculationem, prouida circumſpectione, properabat, & ad ſublimioris, rigidioriſq; vitæ virtutes anhelando, iam non planam, ſed arctam auſterioris vitæ viam per monachialis vitæ normam inhiando deſiderabat, quam illa fuit, in qua tunc ſtare videbatur. Tunc ille ſtrenuus, conſilio amicorum, contribuliumque licentia flagitata, vt ſuarum opitulationem orationum illum ſequi dignaretur rogabat; vt tutis itineris curſibus, delectabilis atq; optabilis ciuitatis Ieruſalem mœnia peragrare, ſpeculariqué, per illorum pia precum præſidia poſſibiliter potuiſſet.

Ieruſalem cogitat S. Wilibaldus.

VII. Cumque tranſactis Dominicæ Paſchalis ſolemnitatibus, agilis exercitus leuauit ſe cum duobus ſuis ſociis & pergere cœperunt. Cumque pergerent, venerunt vſque ad vrbem † Daterinam in Oriente, & ibi manſerunt duobus diebus. Et inde pergentes venerunt ad vrbem Caietanam, quæ ſtat in littore maris. Et ibi tunc aſcendentes in nauim, transfretauerunt ad Nebulem. Et illic relicta naue, in qua pergebant, ſtabant ibi duabus ebdomadibus. Iſtæ ciuitates ſunt Romanorum. In Beneuentis ſunt, ſed tamen Romanis ſunt ſubditæ. Statimque ſicut diuina ſolet pietas inceſſanter agere, vt votiua vernaculorum deſideria ſuorum implere dignetur, nauim illic de Ægypto inuenerunt, & illic intro aſcendentes, nauigarunt in terram Calabriæ, ad vrbem, quæ dicitur Regia. Et ibi manentes duos dies leuauerunt ſe, & venerunt in Inſulam Siciliam, in qua eſt vrbs * Cathinenſia, vbi requieſcit corpus ſanctæ Agathæ virginis. Et ibi mons eſt Ætna, qui quando euenerit pro aliquibus rebus, vt ignis ille dilatare ſe voluerit ſuper regionem, tunc illi cito ciues ſumunt velum [d] S. Agathæ, & contra ignem ponunt, & ceſſat. Illic fuerunt tres ebdomadas. Et inde nauigantes, venerunt vltra mare Adrium ad vrbem Manafaſiam, in Sclauinica terra. Et inde nauigantes in Inſulam nomine Choo, dimittebant Chorinthios in ſiniſtra parte. Et inde nauigantes in Inſulam Samo. Et inde nauigantes in Aſiam, ad vrbem Epheſum, ſecus mare vnum milliarium. Et inde ambulauerunt in illum locum, vbi ſeptem dormientes requieſcunt. Et inde ambulauerunt ad ſanctum Ioannem Euangeliſtam, in loco ſpecioſo ſecus Epheſum. Et inde ambulauerunt duo milliaria ſecus mare ad villam magnam, quæ vocatur Figila, ibi erant vnum diem. Et petito pane, ibi ibant ad fontem vnum in media villa, & ſedentes ibi ſuper marginem tingebant panem in aquam; & ſic manducabant. Et inde ambulantes ſecus mare venerunt ad vrbem Strobolem, in montem excelſum. Et inde ibant in locum, qui dicitur Patera, & illic morabantur, vſque dum hyemis gelidæ horrendum præteriret frigus. Et poſtea tunc illi nauigantes venerunt ad vrbem, quæ vocatur Militena. Illa fuit quondam de aquis peritura. Ibi ſedebant duo ſolitarii, in ſtulite, id eſt, fabicata atque firmata cum muro magno de lapidibus, valde ſumma, vt aqua illis nocere non poſſit. Et ibi acri famis conſtricti fuerunt aſperitate, ita vt inedia intus lacerati letalem iam diem mortis imminere metuerent. Sed omnipotens populorum paſtor pabulum ſuis præſtare dignatus eſt pauperibus. Et inde nauigantes venerunt in Inſulam Cyprum, quæ eſt inter Græcos & Sarracenos, ad vrbem Papho, & ibi fuerunt ebdomadam poſt anni circulum. Et inde ibant ad vrbem Conſtantiam, vbi requieſcit S. Epiphanius, ibique morati ſunt vſque poſt natiuitatem Iohannis Baptiſtæ. Et inde nauigantes venerunt in regionem Sarracenorum in vrbem Tharratas, ſecus mare. Et inde ambulauerunt ſuper nouem aut duodecim milliaria ad caſtellum, quod dicitur Arthe, vbi fuit Epiſcopus de gente Græcorum, ibique habebant letaniam ſecundum conſuetudinem eorum. Et inde pergentes ambulauerunt ad vrbem, quæ vocatur Emeſſa, duodecim milliaria. Ibi eſt Eccleſia magna, quam fecit S. Helena, in honore S. Iohannis Baptiſtæ, & caput illius fuit ibi diu, hoc eſt in Syrim.

† an Tudernum Tuſciæ?

* Catanam vocat Ptolom. hanc Hiero. appellauit Ætnam, teſte Strab & Diod.

d S. Agathæ velo ſedantur ignes montis Ætnæ

Duos Stylitas deſcribit.

S. VVillibaldus cum ſociis capitur à Sarracenis.

TVNC erant cum S. Willibaldo ſeptem contribules illius, & ipſe fuit octauus. Confeſtimque pagani Sarraceni IIX.
reperientes, quod aduenæ & ignoti homines illuc veniſſent, tulerunt eos, & captiuos habebant, quia neſciebant, de quali fuerant regione, ſed ſpeculatores illos eſſe æſtimabant. Et captiuos eos ducebant ad quendam ſenem diuitem, vt videret & agnoſceret vnde eſſent. At ille ſenex interrogauit eos, vnde eſſent, aut quali fungerentur legatione. Tunc illi reſpondentes ab exordio totam intimauerunt ei itineris ſui cauſam. Et ille ſenex reſpondens, ait, Frequenter huc venientes vidi homines de illis terræ partibus iſtorum contribules: non quærunt mala, ſed legem eorum adimplere cupiunt. Tunc inde illi pergentes venerunt ad palatium, vt rogarent illis viam tranſire ad Hieruſalem. Cumque illi fuiſſent in carcere, confeſtim mira omnipotentis Dei diſpenſatione, qui pius vbique ſuos inter tela & tormenta, inter barbaros & belligeros, inter carceres & contumacium cateruas, ſua protegere parma, tutoſque conſeruare dignatus eſt. Vnus homo fuit ibi negotiator, qui ſibi in eleemoſynam, & animæ ſuæ redemptionem, volebat illos redimere, & de carcere eripere, vt liberi eſſent pergere in ſuam voluntatem, & non poterat. Sed è contra cottidie miſit illis prandium, & cœnam, & in quarta feria, & in ſabbato miſit filium ſuum in carcerem, & eduxit eos ad balneum, & iterum introduxit. Et dominicali die ducebat eos ad Eccleſiam per mercimonium, vt de rebus venalibus viderent, quid eorum mentem delectaret, & ille tunc ſuo precio illis obtineret, quidquid illorum mente captum foret. Illic ciues vrbium curioſi iugiter illuc venire conſueuerant, illos ſpeculari, quia iuuenes, & decori, & veſtium ornatu bene erant induti. Tunc illis in carcere commorantibus, vnus homo de Hiſpania venit, & loquebatur cum illis in carcere, & diligenter ab illis inquiſiuit, qui eſſent, aut vnde eſſent, & illi dixerunt omnia ſecundum ordinem de ſuo itinere. Iſte Hiſpanus homo habebat fratrem in palatio Regis, qui fuit cubicularius Regis Sarracenorum. Cumque ille præſes, qui eos in carcerem mittebat, ad palatium veniſſet, ille Hiſpanus, qui cum illis in carcere loquebatur, & ille nauta, in cuius naui fuerunt, quando pergebant de Cypro, omnes ſimul venerunt coram Rege Sarracenorum, cui nomen Mirmumni. Et cum locutio eueniſſet de illorum cauſa, ille Hiſpanus homo omnia, quæ illi dixerunt in carcere, ſuo intimauit fratri, & illum rogauit, vt Regi indicaret, & præſidio illis foret. Poſthæc itaque cum omnes iſti tres coram Rege ſimul venirent, & omnia iuxta ordinem intimando illi indicarent de eorum cauſa, ille interrogauit, vnde eſſent. Et illi dixerunt, De occidentali plaga, vbi ſol occaſum habet, iſti homines venerunt. Nos autem neſcimus terram vltra illos, & nihil niſi aquam. Et ille Rex reſpondit eis dicens: Quare nos debemus eos punire? non habent peccatum contra nos. Da eis viam, & ſine illos abire. Alii homines, qui in carcere habebantur, debebant cenſum reddere vnam tremiſſem. Illis autem fuit dimiſſum. Illi Cipri ſedebant inter Græcos & Sarracenos, & inermes fuerant; quia pax maxima fuit, & conciliatio inter Sarracenos & Græcos. Magna & lata regio fuit illa, & duodecim Epiſcoporum parochiæ ibi. Confeſtimque illi cum licentia leuantes ſe perrexerunt in Damaſcum, centum milliaria. Sanctus vero ibi requieſcit Ananias. Illud eſt in terra Syrim. Ibi erant vna ebdomada, & inde ſunt 11. milia, ibi fuit Eccleſia; & in illo loco primum conuerſus eſt Paulus, & Dominus dixit ad illum, Saule, Saule, quid me perſequeris? & reliqua. Et illi orantes, ambulabant in Galilæam, in illum locum, vbi Gabriel primum venit ad ſanctam Mariam, Aue gratia plena, & reliqua, ibi eſt nunc Eccleſia. Et ille eſt vicus, in quo eſt Eccleſia, eſt Nazareth. [a] Illam Eccleſiam Chriſtiani homines ſæpe comparabant à paganis, quando illi volebant eam deſtruere. Et ibi Domino ſe commendantes, ambulauerunt inde, & veniebant in villam Chanaan, vbi Dominus aquam in vinum conuertit: Illic eſt [b] Eccleſia magna, & in Eccleſia illa ſtat altare vnum de ſex hydriis, quas Dominus iuſſit implere aqua, & in vinum verſæ ſunt: & de illo communicauerunt vino. Vno die fuerunt illic. Et inde pergentes venerunt ad montem Thabor, vbi Dominus transfiguratus eſt. Ibi eſt nunc Monaſterium Monachorum, & hæc Eccleſia Domino eſt conſecrata, & Moyſi & Heliæ. Et illi ciues nominant illum locum [c] Agemons, Illic autem orantes inde pergebant ad vrbem, quæ dicitur [d] Tiberiadis. Illa ſtat in littore maris, vbi Dominus ſuperambulabat ſiccis pedibus, & Petrus ambulans ſuper vndas dimerſus eſt. Ibi ſunt multæ Eccleſiæ & Synagoga Iudæorum. Sed & magno honore dominica. Ibi fuerunt aliquantos dies, & [e] ibi Iordanis tranſit per medium mare, Et inde ibant circa mare, & pergebant ſecus vicum [f] Magdalene. Et veniebant ad illum vicum [g] Caphatnaum, vbi Dominus principis filiam ſuſcitauit. Ibi fuit domus & murus magnus. Et ſic dixerunt illi homines, quod Zebedæus cum filiis ſuis, Ioanne & Iacobo, ibi fuerint collocati. Et inde pergebant ad Betſaidam, inde erant Petrus & Andreas; ibi eſt nunc Eccleſia, vbi prius erat domus illorum. Et illic manentes vnam noctem, mane pergebant ad Corozaim, vbi Dominus dæmoniacos curauit, & diabolum mittebat in gregem porcorum. Ibi fuit Eccleſia Chriſtianorum. Et ibi orantes, pergebant inde & veniebant ad locum, vbi duo fontes de terra manant, Ior & Dan. & tunc venientes de monte deorſum, & in vnum collecti faciunt Iordanem. Et ibi morabantur vnam noctem inter duos fontes: & paſtores dabant nobis acrum lac bibere, & ibi ſunt armenta mirabilia longo dorſo, breuibus cruribus, magnis cornibus creati; omnes ſunt vnius coloris. [h] Oſtree paludes ſunt profundæ ibi, & quando æſtiuali tempore magna ſolis caumatio de cœlo ad terram venire ſolet, illa armenta tollentia ſe vadunt ad paludem, & dimergunt ſe toto corpore, niſi caput ſolum. Et inde pergentes venerunt ad Cæſaream, vbi fuit Eccleſia & multitudo Chriſtianorum. Iterum pergebant ad [i] monaſterium ſancti Iohannis Baptiſtæ, & ibi erant fere viginti Monachi. Vnam noctem ibi manebant. Et inde ibant ſuper vnum milliarium, ad Iordanem, vbi Dominus fuit baptizatus ibi nunc eſt Eccleſia in columnis lapideis ſurſum eleuata, & ſubtus Eccleſiam eſt nunc arida terra, vbi Dominus Baptizatus fuit in ipſo loco & ibi nunc baptizant. Ibi ſtat crux lignea in medio, & parua deriuatio aquæ ſtat illic, & vnus funiculus extenſus ſuper Iordanem hinc & inde firmatur. Tunc in ſolemnitate Epiphaniæ infirmi & ægroti venientes habebant ſe cum funiculo, & ſic demerguntur in aquam. Sed & mulieres, quæ ſunt ſteriles, venientes ibi gratiam Domini merentur. [k] Epiſcopus noſter Willibaldus balneauit ſe ibi in Iordane, vno die fuerunt illic. Et pergebant inde, & veniebant ad Galgala. Ibi ſunt intus quinque millia, & duodecim lapides illic ſunt in Eccleſia: illa eſt lignea & non magna. Illic ſunt duodecim lapides, quos tulerunt filii Iſrael de Iordane, & portauerunt ad Galgala ſuper vnum miliarium, & poſuerunt ad teſtimonium tranſmigrationis illorum. Et tunc illic orantes perrexerunt ad Iericho, ſuper ſeptem milliaria ab Iordane, ibi erumpebat fons, qui erat ſterilis, in oneo montis, & fuit inutilis hominibus, antequam venit Heliſæus Propheta, & ſuſcitauit illum. Et poſtea emanauit, & omnis ciuitas illa parti a eſt illum in agros, in hortos, & in omnia, vbicunque illis neceſſarium erat, & omne quod humidat ille fons creſcendo proficit ad ſalutem propter ſanctificationem Heliſæi Prophetæ. Et perrexerunt ad monaſterium S. [l] Euſtochii. Illud autem ſtat in medio campo in Hiericho & Hieruſalem. Et inde venit ad Hieruſalem, in illum locum vbi inuenta fuerat ſancta Crux Domini. Ibi nunc eſt Eccleſia in illo loco, qui dicitur Caluariæ locus Et hæc fuit prius extra Hieruſalem. Sed beata Helena quando inuenit, collocauit illum locum intus intra Hieruſalem. Et ibi ſtant tres cruces ligneæ foris in orientali plaga Eccleſiæ ſecus parietem, ad memoriam ſanctæ crucis dominicæ, & aliorum, qui cum eo crucifixi erant. Illæ non ſunt intus in Eccleſia, ſed foris ſtant ſub tecto extra Eccleſiam. Et ibi ſecus eſt ille hortus, in quo fuit ſepulchrum Saluatoris. Illud ſepulchrum fuerat in petra exciſum; & illa petra ſtat ſuper terram, & eſt quadrans in imo, & in ſummo ſubtilis. Et ſtat nunc in ſummitate illius ſepulchri crux,

Liberantur à captiuitate.

a De Eccleſia in Nazareth. b Hieron de locis Hebraicis & Beda de locis S. cap 16. vide Baron ann Chriſti 9. & Adrichomium theſ. terræ S.

b Chanaan Galilææ intelligit, vbi Eccleſiam Helena ædificauit, Nicephorus hiſt. 8 c. 30. vide Baron ann 31. num. 36. Adrichom in Zabulon 13.

c quaſi dicat ἅγιος ſanctus mons. Ex hoc loco corrigi & illuſtrari poſſunt, quæ Adrichom. Tabor.

d Vide Baron. an. 31. n. 64 & Adrichom in Zabulon 99

e Non ad Tyberiadẽ, ſed ad Capharnaum influit Iordanis in lacũ Geneſar.

f Magdalũ intellige inter Tiberiadem & Capharnaum, ad lacum Geneſareth Meminit huius caſtri Ioſephus in vita ſua pag. 556 hic natam & ſanatam aiunt ſanct Magdalenam. *g forte leg. Aeſtate vel æſtiuè.* h de hoc Beda de locis S. c. 13. i Balneat in Iordane *k fort. Euſtochii*, de quo Rom Mart 14. Oct.

Digitized by Google

crux, & ibi deſuper nunc ædificata eſt mirabilis domus; & in orientali plaga in illa petra ſepulchri eſt ianua, per quam intrant homines in ſepulchrum orare. Et ibi eſt intus lectus, in quo corpus Domini iacebat. Et ibi ſtant in lecto quindecim cratetes aurei cum oleo ardentes die noctuque. Ille lectus, in quo corpus Domini iacebat, ſtat in latere Aquilonis intus in petra ſepulchri; & homini eſt in dextera manu, quando intrat in ſepulchrum orare. Et ibi ante ianuam ſepulchri iacet ille lapis magnus quadrans in ſimilitudinem prioris lapidis, quem Angelus reuoluit ab oſtio monumenti. Et illuc veniebat in feſtiuitate S. Martini Epiſcopus noſter. Moxque vt illuc venit, cœpit ægrotare, & iacebat infirmus vſque ad ebdomadam ante Natiuitatem Domini. Et tunc quando aliquantulum recreatus fuit, & de infirmitate melius habebat, ſurgit, & abiit ad illam Eccleſiam, quæ vocatur ſancta Sion, illa ſtat in medio Hieruſalem. Illic verò orans, inde ibat in porticum Salomonis. Ibi eſt piſcina, & illic iacent infirmi expectantes motionem aquæ, quando Angelus veniret, & moueret aquam, & tunc qui primum in illam deſcenderet, ſanaretur. Vbi dominus dixit paralytico, Surge tolle grabbatum tuum & ambula. Similiter & ipſe dixit, quod ante portam ciuitatis ſtat et magna columna, & in ſummitate columnæ ſtat crux, ad ſignum & memoriam, vbi Iudæi volebant tollere corpus S. Mariæ. Cum illi vndecim Apoſtoli tollentes corpus ſanctæ Mariæ portarent illud de Hieruſalem, ſtatim cum ad portam venerunt ciuitatis, Iudæi voluerunt comprehendere illud. Statimque illi homines, qui porrigebant brachia ad feretrum, & eam tollere conabantur, retentis brachiis, quaſi glutinati, inhærebant in feretro, & non poterant ſe mouere, antequam Dei gratia & Apoſtolorum petitione iterum reſoluti fuerant; & tunc eos reliquerunt abire. Sancta Maria in illo loco in medio Hieruſalem exiuit de hoc ſæculo, qui nominatur ſancta Sion. Et tunc Apoſtoli vndecim portauerunt illam, ſicut prius dixi, & tunc Angeli venientes tulerunt eam de manibus Apoſtolorum, & portauerunt in paradiſum. Et inde deſcendens Epiſcopus S. Willibaldus venit ad vallem Ioſaphat. Illa ſtat iuxta Hieruſalem ciuitatem in Orientali plaga, & in illa valle eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ, & in Eccleſia eſt ſepulchrum eius, non de eo, quod corpus eius ibi requieſcat, ſed ad memoriam eius. Et ibi orans aſcendit in montem Oliueti, qui eſt ibi iuxta vallem in orientali plagas. Illa vallis eſt inter Hieruſalem & montem Oliueti. Et in monte Oliueti eſt nunc Eccleſia, vbi Dominus ante paſſionem orabat, & dixit ad diſcipulos: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Et inde venit ad Eccleſiam in ipſo monte, vbi Dominus aſcendit in cœlum. Et in medio Eccleſiæ ſtat de ære factum ſculptum ac ſpecioſum, & eſt quadrans. Illud ſtat in medio Eccleſiæ, vbi Dominus aſcendit in cœlum. Et in medio æreo eſt factum quadrangulum, & ibi eſt in vitreo paruum aſindulum, & circa aſindulum eſt illud vitreum vndique clauſum. Et ideo eſt clauſum, vt ſemper ardere poſſit in pluuia & in ſole. Illa Eccleſia eſt deſuper patula, & ſine tecto; & ibi ſtant duæ columnæ intus in Eccleſia contra parietem Aquilonis, & contra parietem meridionalis plagæ. Illæ ſunt ibi in memoriam & in ſignum duorum virorum, qui dixerunt, Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Et ille homo, qui ibi poteſt inter parietem & columnas repere, liber eſt à peccatis ſuis. Inde venit in locum, vbi Angelus paſtoribus apparuit, dicens: Annuncio vobis gaudium magnum. Et inde venit in Bethleem, vbi Dominus noſter natus eſt, ſeptem miliariis ab Hieruſalem. Ille locus, vbi Chriſtus natus eſt, quondam fuit ſpelunca ſub terra, & nunc eſt quadrangula domus, in petra exciſa, & eſt terra circumquaque exfoſſa, & inde proiecta. Et ibi ſupra nunc eſt ædificata Eccleſia. Et vbi Dominus natus eſt, ibi ſtat ſupra nunc altare, & aliud altare minus, factum eſt ideo, vt illi quando volunt ibi intus Miſſam celebrare in ſpelunca, tollentes illud altare minus, portant ibi intus illo tempore, quando Miſſam celebrant: & iterum leuant illud foras. Illa Eccleſia, vbi Dominus natus eſt, quæ ibi ſupra ſtat, eſt in ſimilitudinem crucis ædificata, glorioſa domus. Et ibi adorantes pergebant inde, & venerunt in villam magnam, quæ vocatur Thequa, ad illum locum vbi infantes quondam occiſi fuerant ab Herode. Ibi eſt nunc Eccleſia, & ibi requieſcit vnus de Prophetis. Et tunc venit inde in vallem Lauram, ibi eſt monaſterium magnum, & ibi ſedit Abbas ad monaſterium, & ille ian tor Eccleſiæ, aliique monachi multi, qui ibi ſunt in ipſo monaſterio, & ſedent circa vallem in dextra rupe montis. Et habent illi exciſa in ſaxoſa rupe montis parua receptacula, ibi & ibi. Ille mons eſt in gyro circa vallem. Et monaſterium eſt ædificatum in valle, & ibi requieſcit S. Saba. Inde venit ad locum, vbi Philippus baptizauit Eunuchum. Et ibi eſt Eccleſia parua in valle magna inter Bethleem & Gazam. Et inde ibant ad Gazam. Et illic orantes ibant ad ſanctum Mathiam, ibi eſt magna gloria in dominica. Cumque ſacra miſſarum ſolemnia fuiſſent celebrata, Epiſcopus noſter ſanctus Willibaldus, ſtans ibi ad Miſſam, lumen oculorum amiſit, & cæcus fuit duobus menſibus. Et inde ibant ad ſanctum Zachariam Propheram, non patrem Iohannis, ſed alterum Prophetam. Et inde tunc ibat ad caſtellum Aframia: ibi requieſcunt tres patriarchæ, Abraham, Iſaac, & Iacob cum vxoribus ſuis. Et inde venit iterum in Hieruſalem, & introiens in Eccleſiam, vbi ſancta crux Domini inuenta fuerat, aperti ſunt oculi eius, & viſionem recepit. Et ibi aliquantum temporis manens, pergebat inde, & venit in locum Dioſpolim ad ſanctum Georgium, illud eſt decem miliariis ab Hieruſalem. Et inde venit ad aliam villam, ibi eſt Eccleſia ſancti Petri Apoſtoli. Et ibi ſuſcitauit viduam ſanctus Petrus, quæ fuit nominata Dorcas. Et ibi orans pergebat, & venit ad mare Adriaticum longe ab Hieruſalem ad vrbem Tyrum & Sidonem. Sex miliaria ſunt inter illas duas vrbes, & ſtant in littore maris. Et inde pergit ſuper Libanum montem, & venit in Damaſcum. Et inde venit in Cæſaream, & inde venit tertia vice* ab Hieruſalem, & ibi fuit totam hyemem. Et inde venit ad vrbem Ptolomaidam, iſta eſt in extremis finibus Syriæ, & ibi fuit ille totum tempus quadrageſimæ. Infirmus fuit, & non poterat pergere, ſocii eius, qui in comitatu illius erant, perrexerunt ad Regem Sarracenorum, nomine Myrmunni, & voluerunt illis rogare epiſtolam, vt pergerent, & non poterant inuenire Regem, quia ipſe fugerat, foras extra regionem illam, infirmitatem atque cladem, quæ erat ſuper regionem illam. Cumque illi non inuenirent Regem, veniebant iterum, & illic morantes ſimul in Ptolomaida, vſque dum vna eſſet ebdomada ante paſcha. Tunc venerunt iterum ad Emeſſam, & rogauerunt illum præſidem, dare illis epiſtolam. Et dedit epiſtolam duobus & duobus: quia illi non poterant ſimul pergere, ſed duo & duo, quia facilius ſic potuerunt alimenta obtinere. Et tunc in Damaſcum venerunt, & inde venerunt quarta vice* ab Hieruſalem, ibi manentes aliquantulum tempus, venerunt ad vrbem Sebaſtiam, quæ prius erat Samaria vocata. Sed poſtquam illa confracta fuerat, conſtruebant iterum vnum caſtellum, vbi prius erat Samaria, & vocabant illud caſtellum Sebaſtia. Et ibi requieſcunt nunc ſanctus Iohannes Baptiſta, & Abdias, & Heliſeus Propheta. Et ibi puteus ille prope caſtellum, vbi Dominus poſtulauit aquam bibere à Samaritana muliere, & ſuper illum puteum nunc eſt Eccleſia, & ille mons eſt ibi, in quo adorabant Samaritani. Et illa mulier dixit ad Dominum: Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & tu dicis, quod in Hieruſalem eſt locus, vbi adorare oportet. Tunc illi adorantes perrexerunt ſuper Samaritanorum regionem in extremis finibus eorum in villam magnam vnam, ibi erant vnam noctem. Et inde perrexerunt ſuper campum magnum oliuarum plenum, & pergebat cum illis vnus Æthiops cum duobus camelis, & vno mulo, qui ducebat mulierem per ſyluam. Cumque pertexiſſent, obuiauit illis vnus leo, qui aperto ore rugiens tancuſque eos rapere ac deuorare cupiens, valde minabatur illis. Tunc ille Æthiops dixit ad illos, Nolite timere vos, ſed pergamus in ante. Statimque illi pergentes, appropinquauerunt ad illum: Aſt ille cito, omnipotentis altithroni Dei adminiculo, in aliam partem diuertit, & dimiſit illos, vt pergerent. Et ſic dixerunt, vt poſteaquam inde pergebant, audiebant illum leonem magnum rugitum dare, ita vt tantus multos deuoraret illorum hominum, qui pergebant oliuarum colligere fructus. Inde pergentes venerunt ad vrbem, quæ vocatur Thalamartha, in littore maris. Et inde ambulantes venerunt ad caput Libani, vbi ille mons in mare vadit, & eſt promunctorium,

Ægrotat Hieruſalem.

Ioan 5.

S. VVillibaldus ſcilicet, ex cuius ore hæc refert.

Matth. 26

Lauram S. Sabæ intelligi, inter Herodium & Thecuam, vide Adrichom. in Iuda 108

Fit cæcus.

Recepit viſum.

* leg. ad.

Infirmatur.

* leg. ad.

Ioan. 4.

munctorium. Ibi eſt turris Libani. Et qui illuc venerit, non habens chartam, non pertranſit locum, quia in cuſtodia eſt ille locus, & eſt clauſtrum, ſed ſi venerit ſine charta, tollent illum ciues, & mittunt ad vrbem Tyrum. Ille mons eſt inter Tyrum & Thalamartham. Et tunc venit iterum Epiſcopus ad Tyrum.

Munerba.

Apud Tyrios ſarcinæ eorum viſitantur.

EPISCOPVS ſanctus Willibaldus, prius, quando erat in Hieruſalem, emebat ſibi balſamum, & repleuit vnam IX.
munerbam. Tulit itaque vnam munerbam, quæ fuit concaua, & habuit linum. Illam repleuit de petræ oleo, & fecit intus in munerbam, & ſecuit illam cannam paruam munerbæ, ita vt in margine ambæ ſimiles eſſent plane, & ſic claudebat os munerbæ. Cumque veniſſent illi ad vrbem Tyrum, illi ciues vrbis tollentes eos conſtringebant, & omnem ſarcinam eorum exquirebant, vt reperirent, ſi habuiſſent aliquid abſconditum; & ſi aliquid inuen ſſent, cito illos punientes martyrizarent. Cumque omnia exquirentes nihil inueniſſent, niſi vnam munerbam, quam habuit ſanctus Willibaldus, illam aperientes odorabant quod intus fuiſſet. Cumque odorabant petræ oleum, quod intus in canna fuerat ſupra, & balſamum qui intus erat in munerba ſubtus petræ oleum, non reperiebant: & ſic eos reliquerunt. Multos dies erant ibi expectantes nauim, quando parata fieret. Et poſtea tunc nau gauerunt totam hyemem à natali ſancti Andreæ Apoſtoli vſque vnam ebdomadam ante Paſcha. Tunc venerunt in Conſtantinopolim, vbi requieſcunt tres Sancti, Andreas, & Timotheus, & Lucas Euangeliſta in vno altari. Et Iohannes ille os aureum requieſcit ibi coram altari, vbi Preſbyter ſtat, quando Miſſam facit, ibi eſt ſepulchrum eius, ibi erat Epiſcopus noſter duos annos: & habebat receptacula intus in Eccleſia, vt quotidie poſſet aſpicere, vbi Sancti requieſcebant. Et inde venit ad vrbem Nicænam, vbi olim habebat Cæſar Conſtantinus Synodum. Et ibi fuerunt ad ſynodum trecenti decem & octo Epiſcopi. Illi omnes habebant illic ſynodum. Et illa Eccleſia filialis eſt illi Eccleſiæ in monte oliueti, vbi Dominus aſcendit in cœlum. Et in illa Eccleſia erant imagines Epiſcoporum, qui erant in ſynodo. Et ſanctus Willibaldus pergebat illuc à Conſtantinopoli, vt videret, quomodo facta eſſet illa Eccleſia, & iterum remeauit ad Conſtantinopolim. Et poſt duos annos nauigauerunt inde cum nuncijs Papæ & Cæſaris in Inſulam Siciliam, ad vrbem Syracuſanam. Et inde venit ad vrbem * Catenam, & venit ad Regiam ciuitatem in Calabria. Et inde nauigauerunt ad Inſulam Vulcaniam. Ibi eſt infernus Theodorici. Cumque illuc veniſſent, deſcendebant de naui, vt viderent, qualis eſſet ille infernus. Statimque ſanctus Willibaldus curioſus volens videre, qualis eſſet intus ille infernus, volebat aſcendere in montis cacumen, vbi infernus ſubtus erat, & non poterat; quia fauillæ de tetro tartaro vſque ad marginem aſcendentes, glomeratæ illic iacebant. Erat ad inſtar niuis, quando de cœlo niuans candidas, niualeſque cadentes de aëreis ætherum arcibus aceruare ſolet; ita fauillæ coaceruatæ in apice montis iacebant, & aſcenſum ſancti Willibaldi prohibebant. Sed tamen tetram atque terribilem, horrendamque eructantem de puteo flammam erumpere videbat, ad inſtar tonitrui tonantis: ſic flammam magnam, & fumi vaporem valde ſublime in altum aſcendentem terribiliter intuebatur. Ille fomex vel pumex, quem ſcriptores habere ſolent, illum videbat de inferno illo aſcendentem, & cum flamma proiectum, atque in mare coniectum, & tunc iterum de mari proiectum in aridam: & homines tollunt eum, & inde ducunt. Statimque poſt iſta horribilis ſeu terribilis ignis flagrantiæ vaporibus flammiuomis & fumifetidis mirabilis viſionum ſpectaculum explorata, inde leuantes ſe nauigauerunt ad Eccleſiam S. Bartholomæi Apoſtoli, quæ ſtat in littore maris, & venerunt ad illos montes, qui ſunt nominati Didimi. Et inde nauigantes venerunt ad vrbem, quæ vocatur Neapolis, ibi erant multos dies. Ibi eſt ſedes Archiepiſcopi, & magna dignitas eius illic habetur. Et ibi eſt prope caſtellum, vbi requieſcit S. Seuerinus. Et inde venit ad vrbem Capuam. Et ille Archiepiſcopus miſit eum ad aliam vrbem, ad alium Epiſcopum. Et ille Epiſcopus miſit eum ad vrbem Tyanam, ad illum Epiſcopum. Et ille Epiſcopus miſit eum ad ſanctum Benedictum. Tunc erat autumnus, quando venit ad ſanctum Benedictum. Et tunc erant ſeptem anni, quod de Roma tranſire cœpit. Et omnium erant * & anni, quod de patria ſua tranſiuit. Cumque venerandus vir S. Willibaldus & Diapertus, qui cum eo pergebat per omnia, veniſſent ad ſanctum Benedictum, non reperiebant ibi, niſi paucos Monachos, & Abbatem, nomine † Petronacem. Statim ille magno mentis moderamine, & dogmatum ingenio, felicem fratrum contubernium, ſedulis diſputationibus admonens, non ſolum verbis, ſed moribus venuſtatis viſitando docebat, & rectæ conſtitutionis formam, & cœnobialis vitæ normam in ſemetipſo oſtendendo præbebat; ita vt omnium amorem ſeu timorem in ſeipſum prouocando acceſſiret. Et in primo anno illuc veniens cubicularius fuit Eccleſiæ, & in ſecundo decanus erat in monaſterio. Et poſtea per octo annos fuit portarius in duobus monaſteriis. Quatuor annos erat portarius in illo monaſterio, quod ſtat ſupra in monte valde excelſo, & alios quatuor erat in alio monaſterio, quod infra ſtat iuxta Raphito.

** Catanam e. v. a. Regium.*

Infernus Theodorici.

Montes Didimi.

**Hæc vocula, &, ſine dubio in mendo eſt, forte fuit numerus annorum, & male exſcriptus, in, &, abiit.*

† Hic reſtitutor monaſterii Caſſinenſis fuit, de quo Paulus Diaconus libr 6 cap 40. no. edit & vet 13 Baronius ann 716. num. 7. to 9.

Seruat regulam S. Benedicti.

TRANSACTA itaque tunc decem annorum intercapedine, venerandus ille vir S. VVillibaldus ſacram ſancti X.
Benedicti regularis vitæ inſtitutionem, quam omnipotentis Dei auxilio, illorumque adminiculo, quam ſuper longa locorum ſtadia, & ſuper vaſtas marginum vias, in redemptionem animæ, & in opem præſentis vitæ requirebat, omnimodo, prout fore poſſit, obſeruare conabatur. Et non ſolum ipſe, ſed & alios cum illo in veneranda regularis vitæ veſtigia præeundo perducebat. Poſthæc itaque vnus Preſbyter, qui de Hiſpania veniens ad ſanctum Benedictum, manebat, licentiam rogabat Abbatem Petronacem, ad Romam pergere. Statimque ille licentia poſtulata, rogabat S. VVillibaldum, vt cum eo pergeret, & illum duceret ad S. Petrum. Et ille ſtatim petitionibus eius conſenſum ſeu effectū promittebat. Cumque illi pergerent, ad Romam venerunt, atque ilico Baſilicam ſancti Petri intrantes ſacra cœleſtis clauicularii præſidia poſtulauerunt, illiuſque ſe commendauere * piūm precum patrocinio. Tunc ille ſacer Apoſtolicæ ſedis Pontifex Gregorius III. venerandum virum S. VVillibaldum illic eſſe comperiens, præcepit illum ad ſe venire. Cumque illuc veniſſet ad ſanctum ſummi ſacerdotii Pontificem, ſtatim prono vultu in terram ſe vertebat, & illum ſalutabat: protinuſque ille pius populorum ſpeculator, piis verborum viciſſitudinibus, itineris ſui ordinem inueſtigare cœpit ab illo; quomodo ſeptem annorum calculum in externis terrarum finibus probando peragraret, aut quomodo multa temporum ſpacia pernicioſas paganorum prauitates penetrando euaderet, diligenter ab illo ſciſcitabatur. Statimque tunc ille agilis Chriſti vernaculus; glorioſo gentium gubernatori, ſapienti ſermonum induſtria, humiliter ediſſerendo, ſeriem ſui itineris ex ordine intimauit, qualiter modo multas migrando mundi iſtius permeauit manſiones, & quomodo almam altiſſimi ætherum plaſmatoris natalem aduentus ſui locum in Bethleem, adorando, opem poſtulando, luſtrandoque perambulabat. Et nihilominus aliam baptiſmatis eius terram in Iordane ſpeculando, ſeque balneando viſitabat. Sed in Hieruſalem ſicque in ſanctam Syon, vbi ſacer ſæculorum Saluator in cruce ſuſpenſus, peremptus eſt atque ſepultus. Et poſtea in monte oliueti in cœlum aſcendit. Iſtic quatuor vicibus veniendo orabat, & Domino ſe commendabat. Iſta omnia illi intimando explanabat. Poſtquam hæc omnia delectabilibus verborum ſermocinationibus inter ſe fabulantes volutabant, ſacer ille ſummuſque Apoſtolicus Pontifex, ſobriis ſermonum indiciis, teſtando intimauit B. VVillibaldo, quod S Bonifacius rogabat illum, vt ipſum S. VVillibaldum à S. Benedicto adduci, perueníreque feciſſet: & ſic illum tunc ſubſummarim mitteret, ac illi in gentem Francorum erudiendam cooperatorem efficeret. Cumque iſta S. Bonifacii voluntatum votiua deſideria Dominus Apoſtolicus Papa Gregorius III. S. VVillibaldo indicaſſet, placidis illum exhortationum oraculum rogando ſeu præcipiendo acceſſiuit, vt ad S Bonifacium

S. Willibaldus iterum redit Romam.

**pro, piarū.*

Acceſſitur à Pontifice.

Mittitur à Pontifice ad S Bonifacium.

facium veniret. Tunc ille inclytus Chriſti athleta S. VVillibaldus petitionibus Pontificis, ſimulque viſionibus ſe ſolerter ſubſummatim effectum ſeu obedientiam perficere promittebat; ſi ſecundum regularis vitæ diſciplinam licentiam illi à ſuo poſtularet Abbate. Statimque ſummus ille ſanctæ auctoritatis Pontifex reſpondit, illumque ſine ſolicitudinis ambiguitate ſecurum cum ſuæ iuſſionis licentia obedientialiter pergere præcepit, dicens: Quia ſi illum ipſum Abbatem Petronacem vſpiam tranſmittere me libet, certe contradicere mihi licentiam non habet, nec poteſtatem. Confeſtimque tunc S. VVillibaldus ſacris ſermonum exhortationibus conſenſum, atque ſe ſpontaneæ exhibere reſpondit. Et non ſolum illuc, ſed vbique in omni terrarum loco, quocunque illum tranſmittere dignaretur, deuote ſine deſide differentia, ſecundum voluntatis ſuæ arbitrium, ſe pergere ſpondebat.

XI. POSTHÆC tunc finitis oraculorum fabulis pergebat inde S. VVillibaldus in paſcha, qui illuc veniebat in natiuitate S. Andreæ, & Diapertus manebat ad S. Benedictum. Et veniebat ad Lucam, vbi pater eius requieſcebat: Et inde venit ad Ticinie vrbem. Et inde venit ad vrbem Brixiam. Et inde venit ad locum, qui dicitur Chatinia. Et tunc venit ad Ducem Odilonem, & ibi fuit vnam ebdomadam. Et inde venit ad Suitgarium, & ibi fuit vna ebdomada. Et inde perrexerunt ad Linthrath Suitgarius & S. VVillibaldus ad S. Bonifacium. Et miſit illos S. Bonifacius ad Eyſtet, vt viderent, quomodo ſibi placeret. Illam regionem Eyſter Suitgarius tradidit S. Bonifacio, in redemptionem animæ ſuæ. Et ſanctus Bonifacius tradebat noſtro Epiſcopo S. VVillibaldo illam regionem, quæ adhuc tota erat vaſtata, ita vt nulla domus ibi eſſet, niſi illa Eccleſia ſanctæ Mariæ, quæ adhuc ſtat ibi, minor quam alia Eccleſia, quam poſtea B. VVillibaldus ibi conſtruxerat. Cumque ibi duo manerent ſimul ad Eyſtet aliquantum temporum inducium S. VVillibaldus atque Suitgarius, almumque ibi habitationis locum explorando eligerent: poſtea iterum pergebant ad S. Bonifacium ad Friſingam, & ibi erant cum illo, vſque dum omnes ſimul iterum veniebant ad Eyſter. Et ibidem tunc S. VVillibaldum conſecrauit ſanctus Bonifacius in presbyteralis dignitatis gradum. Ipſa die, qua Epiſcopus noſter S. VVillibaldus conſecratus eſt in presbyteratum, vndecimo Calendas Auguſti fuit, ad natalem ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & ſancti Apollinaris. Et poſtquam vnius anni tranſibat circulus, ſanctus Bonifacius præcepit, vt in Thuringiam ad ſe veniret. Statimque venerandus ille vir Dei ſanctus VVillibaldus, ſecundum iuſſionem ſancti Bonifacii, in Thuringiam veniebat, & in domo fratris ſui VVunebaldi hoſpitalitatis manſionem habebat: quia iam illum prius octo annorum ſpatio, & nono dimidio, ab eo, quo de Roma pergebat, non vidit. Et iam tunc videndo gaudebant; & de ſua conuentione gratulabantur ambo. Illud fuit autumnale anni tempus quando ſanctus VVillibaldus veniebat in Thuringiam. Statimque poſteaquam illuc veniebat ſanctus Bonifacius Archiepiſcopus, atque S. Burchardus & VVizo ſacræ Epiſcopatus authoritati illum *ordinandi conſecrauerunt. Aſt ibidem tunc cum ſummo ſacerdotalis infulæ ditatus erat honore, vnam ebdomadam erat, & poſtea iterum ad prædeſtinatum manſionis ſuæ locum remeabat. Sanctus VVillibaldus quando in Epiſcopatum conſecratus erat, habebat quadraginta annos & vnum. Et tunc erat autumnale tempus circa illam fere horam tribus ebdomadibus ante Natale ſancti Martini in Epiſcopatum conſecratus eſt, in loco, qui dicitur Sallpurg. Tranſacto atq; terminato prolixo itineris meatu S. VVillibaldi, quem ille ſagax in 7. annorum induciis luſtrando adibat, illa nunc reperta, & ex ritu rimata explanare, intimareque conabamur: & non ab alio reperta, niſi ab ipſo audita, & ex illius ore dictata perſcripſimus in monaſterio Heidenheim, teſtibus mihi Diaconis eius, & aliis nonnullis iunioribus eius. Ideo dico hoc, vt nullus dicat iterum hoc friuolum fuiſſe.

Mittitur à S. Bonifacio in Eiſtet.

Conſecratur presbyter.

SS. Willibaldus & Wunebaldus iterum conueniunt.

*leg. ordinando.

Conſecratur Epiſcopus.

XII. POSTQVAM ille de Roma in iſtam veniebat prouinciam, cum tribus contribulibus, tunc quadraginta & vnius annorum ætate, iam gnarus & grandæuus, ſacri Epiſcopatus gradum accepit, & in locum, qui dicitur Eyſtet, monaſterium conſtruere incipiebat, atque ibidem ſacram monaſterialis vitæ diſciplinam in vſum prioris vitæ, quod videndo ad ſanctum Benedictum, & non ſolum ibi, ſed & in multis Monachorum manſionibus, quas ipſe ſoleis, & ſophytus, vaſta per rura rimando explorabat, illorum cata normam venerandæ vitæ conuerſationem in ſemetipſo oſtendendo exercebat. Et cum paucis adhuc ibidem operariis latum atque ſpacioſum * diuini ſegetis campum ſacra ſuperni verbi ſata ſerendo vſque ad meſſem perducebat. Et ſicut apes prudentiſſimæ, quæ per purpurea violarum virecta, & per fuluos frondium floſculos, & per olida holerum florida letalem liquantes toxicam, & ſuauiſſimum ſorbentes ſuccum nectaris, & ſic cruribus, & toto corpore referta ad aluearia geſtando properant; ſic & ille beatus parilion VVillibaldus in omnibus, quæ late luſtrando propriis cernebat luminibus, optima eligendo, arripiebat, arripiendoque omnibus ſibi ſubditorum phalangibus rectæ conuerſationis ſtudium bene viuendo, in verbo, in vitiorum obſtaculis, in bonitate, in patientia, in abſtinentia peritius prolatam præbebat normam, aſt cito poſtquam ille ſtrenuus almi Dei athleta monaſterialem manſionis locum inhabitare cœpit, ſtatim vndique de illis regionum prouinciis, & nihilominus longinquis regionum limitibus, ad ſaluberrimum eius ſapientiæ dogma confluere cœperunt, quos ille quodam modo omnes, vt gallina quæ ſub alis ſolet ſuos regendo enutrire fœtus, ita & ille pater ſanctus VVillibaldus, & mater Eccleſiæ, plures per æuum, ſuæ pietatis parma protegendo, Domino deferebat adoptiuos natos. Et quemadmodum alumnos ſuos alere ſolet infantes, ita & ille nutriendo diuinæque pietatis lacte leniter lactando paſcebat, vſque dum illi conforti, & de infantia eruditi, eleganterque edocti, ad iuuenilem pulchræ indolis pubertatem peruenerunt. Et nunc ſecundum magiſtri præcedentis exemplum, ſancta ſectantes dogmatum eius dona, multis micant adminiculis. En ille S. VVillibaldus, qui cum paucis adprimitus ſatellitum ſubſidiis, ſanctæ conuerſationis inchoauerat exercitium, tandem cum innumeris aulatium magiſtratibus, multiformiter militando, Domino dignum acquiſiuit populum. Et late ille per vaſtam Baioariorum prouinciam, aratra trudendo, ſata ſerendo, meſſem metendo, cum multis meſſorum operariis, per vitreos Baioariorum campos, cum Eccleſiis atque Presbyteris, Sanctorumque reliquiis, digna Domino delibat dona. Inde nunc antiphonæ crepitant, inde lectiones reſultant, inde nunc clarat credentium turba, ſancta ſtrepitant Chriſti miracula, & celeberrima conditoris gratulabundi garrulant præconia. Quid dicam nunc de S. VVillibaldo meo magiſtro, & veſtro alumno? Quis illo pietate præſtantior, humilitate excellentior, patientia potior, continentia rigidior, manſuetudine maior? cui ille vnquam in triſtium ſolatio poſterior, & cui ille in pauperum opitulatione inferior, aut in nudorum habitu tardior? Iſta omnia non ad iactantiam dicta, ſed ſicut vidi, & audiui, Dei gratia, non hominis facta: quia ſecundum Apoſtolum, qui gloriatur, in Domino glorietur, Amen.

Monaſterium conſtruit in Eiſtet.

* diuinæ.

Parilion.

1. Cor. 1.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI ET PRÆCLARI MARTYRIS PROCOPII, EX SIMEONE METAPHRASTE.

An. 280.

I. DIOCLETIANO & Maximiano Romanorum Imperium adminiſtrantibus, vehementiſſimum bellum erupit aduerſus Chriſtianos, eis ſibi hunc vnum ſcopum proponentibus, vt vniuerſam pietatem contererent, & Chriſtianis omnino afferrent interitum: multum quidem ſtudii adhibentibus iis, qui impiis eorum iuſſis inſeruiebant, & impiis edictis vniuerſum orbem terræ peruadentibus, quæ iubebant eorum ſceleratam obſeruare religionem. Iniquorum autem horum edictorum vnum quoque erat emiſſum aduerſus Æliorum ciuitatem, quod hoc modo habebat: Magnus Imperator Diocletianus omnibus, qui beneuolo ſunt animo in inuictos deos, ſalutem. Oportebat omnes omni vti ſtudio ad cultum magnum deorum, eorumque templa & aras excitare, eiſque dies

IVLII 8.

Edictum Diocletiani

Digitized by Google

Minæ Promiſſa.

que dies feſtos celebrare, & ſacrificia publice peragere. Mihi autem ſignificatum eſt de quibuſdam inſipientibus aliter docentibus, & nouos mores in aures hominum inducentibus. Quocirca præſens quoque decretum exponimus in omni loco noſtræ dominationis, iubentes omnes & deos colere, & eos obſeruare, certò ſcientes, quod qui noluerint eadem ſentire, eos iudicia & ſupplicia, & mortes violentæ excipient: eos autem, qui parebunt, innumerabilium bonorum remunerationes, multæq; ſuppeditatæ opes & pecuniæ recreabunt, & maximis fruentur honoribus, & totum vitæ tempus recte degent.

Diocletiani ſæuitia in Alexandrinos.

CVM ergo tale edictum edidiſſent, Diocletianus quidem proficiſcebatur ab Italia in Ægyptum. Eum enim vocabat, quæ tunc Alexandriæ excitata erat, ſeditio à quodam, qui vocabatur Achilles, & eam inclinarat ad defectionem, & breui totam Ægyptum occupauerat, & ſe purpureo amictu induerat. Miximianum autem ad gentes, quæ ſunt vltra alpes, emittit, ſedaturum eos, qui illic erant, tumultus. Opus autem eſſe ratus, vt maiori ope rebus prouideretur, duos quoque creat Cæſares, Maximinum cognomine Galerium, & Conſtantium patrem magni Conſtantini, qui etiam ducebat originem ex filia Claudii. Quos cum etiam vellet deducere ad maiorem fidem ſuæ in ipſum beneuolentiæ, quas iam quidem habebant vxores, prius cogit repudiare: deſpondet autem Conſtantio quidem Theodoram, Herculii Maximiani vxoris filiam: Maximino autem, qui vocabatur etiam Galerius, Valeriam ſuam filiam. Et cum hæc quidem ordinaſſet, aduerſus Perſas quidem emittit Maximinum Galerium: ipſe autem, acceptis copiis, venit in Ægyptum. Et cum inueniſſet Achillem, qui ei occurrerat in locis, quæ ſunt circa Peluſium, cum exercitu congreſſus, ne ſecundo quidem prælio opus habens, facillime extinxit tyrannidem, & Achillem, & omnes qui cum ipſo erant, occidit. Præterea autem magnitudine elatus victoriæ, & Ægyptiorum obſtupefactus audacia, iis, qui habitabant Alexandriam, crudelius, quam humanæ naturæ conueniat, vſus eſt. Nam & muros ciuitatis diruit, & præclariſſima quæque & precioſiſſima dedicata donaria abſtulit, & ex iis, qui ex populo reſtiterant, multos interemit. Proceſſit autem etiam vſque ad Buſiridis immanitatem, in eos, qui reſiſtebant, ſæuiens. Porro autem omnes quoque libros exuſſit, qui de fundendo auro & argento ab antiquis ſcripti fuerant Ægyptiis, ne Ægyptiis amplius prouenirent opes ex tali arte, neque confidentes magnæ vi pecuniæ, de cætero manus aduerſus Romanos ſuſtollerent. II.

Actor. 11.

Theodoſia mater S. Procopii

Hieroſolyma vnde Ælia dicta.

REBVS autem ſic in Ægypto adminiſtratis, venit etiam Antiochiam, quæ ſita eſt ad fluuium Orontem. Et cum res quaſdam publicas in ea melius conſtituiſſet, ad Daphnen egreditur ad templum, quod illic eſt, Apollinis, qui etiam dicebatur Daphnæus, ſe parans, vt ei offerret ſacrificium. Cum autem didiciſſet, totam Antiochiam à Chriſtianorum pia fide iam olim eſſe poſſeſſam, (In ea enim ciuitate ab initio iactum erat ab Apoſtolis Chriſti fundamentum fidei, & hinc Chriſtiani ſunt nominati, qui Chriſto crediderant, vt Lucas narrat in Actibus) tunc quidem de eis diſtulit inquirere, die ſcilicet feſto eum vrgente, quem Apollini apud ipſam Daphnen erat celebraturus cum toto exercitu, ei ex vnoquoque genere ſacrificans Chiliombas. Poſtquam autem peractum fuit tempus illorum ſacrificiorum, reuertitur rurſus Antiochiam. Ingredientem autem in ciuitatem, in vocibus & tympanis eum exceperunt ciues, laudibus boniſque verbis proſequentes. Sequenti autem die in regia ſedens cathedra, vt mos eſt Imperatoribus, accerſitis omnibus ſenatoribus, in myſteriis eos inſtituebat, execrandos ſuos deos, & eorum ſacrificia exponens, & ſuam impiam aperiens ſuperſtitionem. Illo autem tempore quædam Theodoſia ordinis Senatorii, quæ erat prima ciuitatis Æliorum, quæ prius quidem & ex Dauid Hieroſolyma, & Sion vocabatur, poſtea autem propter nefarium illud in Chriſtum & in eius Apoſtolos & diſcipulos perpetratum facinus, à Veſpaſiano capta, & penitus deleta & diruta, ſic manſit vſque ad tempus Adriani, qui vocabatur Ælius. Cum autem ille eam paulo poſt renouare, & rurſus ad habitandum condere ſtatuiſſet, eam ex ſuo nomine nominauit Æliam. Et permanſit vſque ad id tempus hanc nacta appellationem, vt quæ vna cum Chriſti morte venerandum quoque nomen amiſerit, nempe vt vocaretur Hieroſolyma. III.

Neanias præficitur Alexãdriæ Is autem eſt Procopius

1. Cor 1.

Ex ea ergo genus trahens Theodoſia, cum paulo ante amiſiſſet maritum Chriſtianum, erat vidua, gentilium vitæ inſtitutum honorans, & filium in eiuſmodi dogmatibus & doctrinis educans: qui erat quidem ei vnicus, & vocabatur Neanias. Ea cum intellexiſſet Diocletianum Imperatorem veniſſe Antiochiam, accepto ſecum filio, & multis ſecum allatis pecuniis, venit ipſa quoque Antiochiam: & cum ad Imperatorem acceſſiſſet, ſupplicabat. Cum autem Intellexiſſet Imperator, quænam eſſet, interrogauit quanam de cauſa veniſſet: deinde, & quiſnam eſſet eius maritus, & cuiuſnam eſſet ipſa religionis. Poſtquam autem audiiſſet eius quidem maritum, qui erat Galilæus, deceſſiſſe, ipſam autem deos, quos colit Imperator, adorare: veniſſe autem ſupplicatum, vt eius filius militaret, de eo eſt lætatus: & iis acceptis, quas attulerat, pecuniis, ſe eius petitionem lubenter impleturum eſt pollicitus. Cum autem eius quoque filium Neaniam adſpexiſſet, & fidem ab eo accepiſſet, quod ex matris traditione ipſe quoque deos coleret & honoraret, & alioqui in Græcorum diſciplinis eſſet ſumme eruditus: adoleſcentem admiratus, videnſque eius ſpiritum ſuperare ætatem, & ingenii firmitatem ac grauitatem ex morum modeſtia intelligens, conſtituit eum ducem Alexandriæ, iubens illuc venire, & quoſcunq; inuenerit ſeipſos nominantes Chriſtianos, & Crucifixum obſeruantes, omnes quidem eorum facultates publicare, ipſos autem male vita priuare. Cui Neanias: De iis, inquit, audiui, ô Imperator, eos quendam filium Dei colere, qui dicitur Chriſtus: eſſe autem eos viros inobedientes, fortiſque & conſtantis animi, & mortem minoris facere, quam diis offerri ſacrificium. Quamobrem hoc mihi videtur difficile, poſſe eos ad noſtram traducere religionem. Propter quæ Imperator, veluti quadam rabie impletus dæmoniaca, blaſphemam mouit linguam aduerſus Chriſtum Deum & Saluatorem noſtrum: Ego quoque, dicens, cum eorum ſcripturas ſæpe legerim, ex eis nihil accepi vtilitatis. Nam Deus quidem eorum, vxorem (vt aiunt) non duxit: in quem autem ii credunt Chriſtum, is dicitur quidem natus ex muliere: à Pontificibus autem & toto populo Iudæorum, tanquam maleficus, morte damnatus, & corona ſpinea coronatus, irriſioneſque & innumerabiles perpeſſus contumelias, deinde etiam cruci affixus, & tandem aceto felle temperato potatus, ita emiſiſſe animam: cuius ſuſpenſi corporis quoſdam ductos miſericordia, id vix tandem ſepeliiſſe. Si autem is erat Deus, cur hæc ſuſtinuit? Quomodo autem eſt Deus, & qui poſſit ſeruare, qui ne ſeipſum quidem potuit liberare? Hæc filius perditionis. Sermo enim Crucis (vt ait diuinus Paulus) iis, qui pereunt, quidem eſt ſtultitia: nobis autem, qui ſeruamur, eſt virtus Dei. IV.

Chriſtus in via apparet Neaniæ.

HÆC ergo cum dixiſſet, & duas militum cohortes ad ferendum auxilium aduerſus eos, qui contradicerent, ei tradidiſſet, emittit Alexandriam. Sic itaq; procedebat Neanias paratus aduerſus Chriſtianos, qui erat futurus magnum decus Chriſtianis. Cum autem ingrederetur viam, quę ducit Alexandriam, quoniam locus erat æſtuans, & igni ſimilẽ Solis accipiebat radium, & eueniebat, vt nec ipſi poſſent ingredi, & eorum equi nimio æſtu eſſent plane reſoluti, noctu potius iter inibat. Cum autem perueniſſet Apameam Syriæ, tota ciuitas die iam lucente fit ei obuiã ante ciuitatem. Cum illinc autem exiiſſet, & iter rurſus eſſet ingreſſus, & circa tertiam horam noctis circiter triginta ſtadia abeſſet Apamea, fit protinus vehemẽs terræmotus, & viſum eſt fulmen exilire terribile, erantq; omnes quaſi mortui: vox emiſſa eſt è cœlo, dicens: Neania, quo vadis, & aduerſus quem tãto impetu incitaris? Ille autẽ ea, quam habebat animi libertate, vere dixit omnium Imperator, dicẽs, me creauit ducẽ Alexandriæ, deditq; poteſtatẽ, vt quoſcunq; inuenerim ex Galilæis, ſeipſos nominãtes Chriſtianos, & credentes Crucifixo, eos puniens tollã de medio. Et rurſus audiuit: Quid vero, ô Neania, tu etiã cõtra me venis? Ille autem reſpondit: Tu autẽ quis es, Domine? non poſſum n. cognoſcere. Et, cum ſic dixiſſet, ſtatim apparet Crux cryſtallo ſimilis, voxq; è Cruce exiit, dicens: Ego ſum Ieſus crucifixus Dei filius. Neanias autem: Dictum eſt, inquit, mihi ab Impe- V.

ab Imperatore, quod Deus, quem colunt Chriſtiani, vxorem non habuit: quomodo ergo tu teipſum dicis eſſe Dei filium? Et ſi es re vera Dei filius, quanam de cauſa te condemnarunt Iudæorum Pontifices, & Pontio Pilato Præſidi, tanquam vnum ex reis damnatis, tradiderunt? Quomodo autem etiam ligno Crucis affigi ſuſtinuit, & acetum felle mixtum tibi præberi? Et autem rurſus vox declarauit, dicens: Neania, quoniam vidi te futurum mihi vas electionis, oportet me tibi mecum ſignificare conſilium, & ſuſceptæ carnis œconomiam. Niſi enim ego fuiſſem traditus, non eos, qui erant traditi diabolo, vt Deum decebat, reuocaſſem. Si non fuiſſem condemnatus, non iis, qui erant condemnati, dediſſem remiſſionem. Si non fuiſſem ligno Crucis affixus, non eos reformaſſem, qui eſu ligni interierant. Si non morte eſſem affectus, non eos, qui morte erant affecti, viuificans excitaſſem. Hæc cum dixiſſet Dominus, & diuino gaudio impleſſet animum Neaniæ, aſcendit in cœlos: In hoc, dicens, ſigno, quod tibi apparuit, vince hoſtes: & pax mea erit tecum. Ille autem cum gaudio, vt dictum eſt, & audacia, & fide eſſet impletus, cum ſuis militibus hac ipſa hora noctis acceſſit Scythopolim. Deinde cum clam acceſſiſſet adoleſcens eos, qui erant aurifices, & qui aurum argentumque fundebant & ſignabant: Poteſtiſne, inquit, mihi vas efficere, quod ego vobis dixero? Illis autem ſuſpecta quidem erat, quæ clam facta erat vocatio: ſed inſignem viri famam reueriti, cum communiter conſultaſſent, vno ex ſuis adducto viro excellentiſſimo, nomine Marco: Hic, dixerunt, domine faciet quod volueris. Miſſis ergo aliis, & accepto Marco, & intra ſuum introducto cubiculum, eum ſeorſum allocutus: Fac, inquit, mihi vas, vt ego iuſſero, & à me maximum precium accipies. Cum is autem eſſet aſſenſus, auri & argenti ponit ante eum, quod ſufficit, & digito oſtendit ei figuram Crucis, quæ ſibi apparuerat. Marcum autem, cum primum hoc vidiſſet, ſubiit timor, & dixit: Domine, non poſſum hoc facere. ſcio enim hoc ſignum eſſe Galilæorum: quod quidem eſt ſi reſciuerit Imperator, me male perdet. Adoleſcens autem ſtatim Marco dat iuſiurandum, ſe hoc arcanum nunquam eſſe prolaturum, neque id vlli vnquam eſſe aperiendum. Sic perſuaſus Marcus, ſeorſum Crucem efficit ex auro & argento. Cum autem iam eſſet finem impoſiturus, in ea ſtatim videntur tres imagines, inſcripta nomina habentes. Erant autem ſcripturæ ſermonis Hebraici, ſuperne quidem in principio Emmanuel: in iis autem rurſus, quæ erant vtrinque, initiis Michael & Gabriel. Cum eas autem vellet delere, non poterat, quod maneret eius manus tanquam arida. Cum autem veniſſet adoleſcens noctu in ædes Marci, & acciperet Crucem iam conſummatam, eam videns adorauit, rogauitque Marcum de perſonis, quæ in ea cernebantur, & inſcriptionibus. Ille autem: Cum, inquit, domine, opus iam eſſet finiendum, hæ tres ſtatim exortæ ſunt imagines. Non poſſum autem ſcire, quænam ſint eæ, & quorumnam inſcriptiones. Adoleſcens vero cum intellexiſſet aliquã eſſe in Cruce virtutem, eam rurſus adorauit: Et cum eam quadam precioſiſſima purpura inuoluiſſet, & precium magnum Marco exoluiſſet, lætus viam iniit, & vna cum duabus cohortibus venit ad ſuam ciuitatem.

Neanias qui & Procopius, more Apoſtoli Pauli à Domino vocatur.

Vide virtutem ſigni ſanctiſſimæ Crucis.

Ecce miraculoſa apparitio triũ imaginum in Cruce recens facta.

Bis Crucem adorat Neanias.

VI. Accidit autem eo tempore, vt quædam eiuſmodi abſurda & improba inualeſceret conſuetudo, vt filiæ virorum ciuitatum, quæ erant circumcirca, raperentur in vxores ab Agarenis. Cum autem hoc eſſet graue parentibus, & eos valde tangeret, tuncq; conueniſſent Agareni, & ciuitatem in orbem circumſediſſent, Neaniæ rem exponunt, & vehementer rogant, vt eorum calamitatis motus miſericordia, inuaderet inimicos, & non deſpiceret patientes grauiſſima. Is autem eis ſtatim morem gerit, & egreditur: & cum vt fortes ac ſtrenui ſui milites ſe accingerent, curaſſet, Crucem quoque ſecum intulit, vt eorum, quæ ab eo viſa & dicta fuerant, experientiam faceret, ducens eam, quæ in manibus erat, optimam huius rei experiendæ occaſionem, & dicens: Nunc cognoſcam, an qui mihi apparuiſti, ſis viui Dei filius, & an in nomine tuo ad nihilum redacturi ſimus eos, qui in nos inſurgunt. Et ſtatim ab eo vox de cœlo auditur, dicens: Confide *Neania: Ego enim* ſum Dominus Deus tuus, & ego ſum tecum. Cum hanc ille vocem audiiſſet, perſequitur Agarenos: & cum eſſet aſſecutus, conſtituit vtrinque milites à dexteris & à ſiniſtris: & cum iuſſiſſet, vt enſes ſtringerent, imperauit vt *ferirent:* Perdemus, inquit, aduerſarios, opem ferente eo, qui eſt crucifixus. Et cum ſic hoſtes circumdediſſent, occidunt virorum ſex millia, ex viris adoleſcentis nullo non modo cæſo, ſed ne omnino quidem vulnerato.

Inſignis victoria Neaniæ aduerſus Agarenos.

VII. Hoc magno trophæo diuinæ Crucis virtute parto, ab eo domum mittitur quidam miles, bonum nuncium matri ſignificaturus. Cui illa occurrit. & cum intellexiſſet ea, quæ facta fuerant, ſumma impleta eſt lætitia. Cum autem eis quoque acceſſiſſet filius, eum ſalutans & ſuauiſſime amplectens: Oportet, inquit, ô chariſſime diis agere gratias. Sæpe enim, inquit, ſæpe eos ſum precata, cum tu inuaderes inimicos. Ille autem ei dixit: Recte quidem feciſti, ô mater, orans pro nobis: ego autem ſum aſſecutus præclarum Dei mei auxilium. Illa vero: Ne ſic dicas, inquit, ô fili, neq; Deum nomines, ne ſi alii irati fuerint, te male afficiant. Adoleſcens autem aperiens matri fores pietatis, & quod eſt maxime nouum, à parentibus acceptam maiorem referens gratiam, & ei, quæ vt eſſet ſolummodo dederat, vt bene eſſet reddens: Fraus, inquit, ô mater, te abduxit à via veritatis, quemadmodum res ipſa te docebit. Cum matrem ergo accepiſſet, & in eius cubiculum, vbi erant ſimulachra, ingreſſus eſſet: Vobis, inquit, dico diis, Quis eſt, qui mihi in bello opem tulit? Hoc autem dicto, nõ erat vox, non auditus. Statim ergo conuerſus ad matrem: Ecce, inquit, ô mater, dii tibi nullum præbent ſermonem, quoniã ne poſſunt quidem. Illa autem: Quoniam, inquit, ad eos acceſſiſti tanquam irridens, propterea ſtultum & ſuperuacaneum putant tibi reſpondere. Ille vero, Sed tu, inquit, accedens, ab eis omnino diſce, quod quæritur. Illa autem cum tanta ad eos accedens reuerentia, cum quanta ad verum quis Deum acceſſiſſet: Rogo vos, aiebat, dii cœleſtes, omnipotens ſumme Iupiter, & Iuno regina, & tu Domine maris Neptune, & Sol Apollo, & tu vrbis patrona Pallas, & quotquot eſtis alii dii: non vos eſtis, qui meo filio & veſtro famulo opem tuliſtis? Et ex æquo erant omnia, vt diuina ſcriptura dicit, muta & ſurda. Protinus autem adoleſcens habens in manibus arma Crucis, reiecit chlamydem, & diuino zelo impletus, cum matrem paululum repuliſſet, firmis ac ſolidis inſultat ſimulachris, & impetens calcibus, ea humi detrahit. Deinde cum in minuta diuiſiſſet, (erant enim facta ex auro & argento) diſtribuit pauperibus, ſic faciens vtilia, quæ erant inutilia, Et matri confidenter, Ego, inquit, ſum adiutus à Crucifixo.

Pſalm. 113.

Neanias matris ſimulachra deſtruit.

IIX. Illa autem cum vidiſſet quod factum fuerat à filio, ſtatim & ipſam naturam, & materna viſcera nihil ducens præ vana ſua religione, accedit ad Diocletianum, & dicit: O Imperator, filius meus incidit in magnum errorem, credidit enim Crucifixo, & elatus eſt aduerſus noſtros deos: Etenim in meum ingreſſus cubiculum, eos confregit, & in minutas partes diuiſit, & diſtribuit pauperibus. Ille autem cum vidiſſet eius animi perturbationem & vexationem, & partim quidem eſſet miſertus eius doloris, partim vero grata & accepta ei fuiſſet illius magna in deos ſuperſtitio: Sis, inquit, bono animo, ô mulier, & omnem expelle moleſtiam. Fieri enim poterit, vt nos admonitionibus eum in noſtram traducamus ſententiam. ſin minus, ipſe quidem malus male peribit: tu autem diligenter obſerua in toto hoc noſtro Senatu, & quem ex eis tibi gratum videris, is vtique ſit tibi iudex in filium. Sine autem illum, ſi non ad noſtram traducatur ſententiam, ea recipere, quæ eius meretur ſtultitia, qui te & deos affecerit iniuria. Illo autem tempore adminiſtrationi Palæſtinæ à Diocletiano præfectus fuerat quidam Italus, nomine quidem Iuſtus, peruerſo autem ingenio & mente crudeliſſimus atque immaniſſimus, &, vt ſemel dicam, dignus miniſter eius, qui eum præfecerat, Ad quem ſcribit Diocletianus, qui verſabatur Antiochiæ, vt accepto Senatu earum, quæ ſunt circumcirca, vrbium, eat ad ducem Neaniam filium Theodoſiæ: ſe enim ex ea audiuiſſe, quod is in grauem errorem inciderit, credens Crucifixo: & ſi ei quidem perſuaſum fuerit, vt hanc recentiorem dediſcat religionem, & ipſi bene erit, & tu inquit, maximos honores conſequeris. Sin minus, ablato ei cingulo, ſubiiciatur omnibus ſuppliciis, Sic enim aliis quoque incutietur metus, ne ſimilia aggrediantur.

Accuſatur à matre.

Epiſtola Diocletiani ad Iuſtũ Palæſtinæ regionis præfectum.

Postquam

Digitized by Google

Præclara Neanię cõſtantia.

IX. POSTQVAM autem legit Præſes epiſtolam, acceptis Senatoribus, venit in ædes Ducis, & miſſo vno ex ſatellitibus, Neaniæ ſuum aduentum ſignificat. Ille vero iuſſit ingredi. Poſtquam autem eſſet ingreſſus, primum quidem, eum ſalutat, deinde etiam tradit ei Epiſtolam. Ille vero cum eam legiſſet, & quæ illic erant in Chriſtum blaſphema, adſpexiſſet, & pati non potuiſſet, ipſe ei fecit id, quod eam pati oportebat: Et cum eam in multas partes ſcidiſſet, & diſperſiſſet, & ventis mandaſſet, Ego ſum, inquit, Chriſtianus: fac quod tibi eſt imperatum. Præſes autem: Et metu, inquit, Imperatoris, tua diſtractus reuerentia, dubito quid agam. Me ergo & hunc Senatum audiens, in noſtro conſpectu diis ſacrifica, vt ſignificemus Imperatori, te eſſe perſuaſum. Nam alioqui quid aliud omnino reſtat, quam vt ego metu victus faciam, quod iuſſus ſum? Neanias vero, Pulchre, inquit, iuſſiſti, vt ſacrificem: ſacrificabo enim, ſed meipſum Chriſto: cuius potius vereor ſupplicia, quam veſtra, quæ ad tempus dolorem moleſtiamque afferunt. Ecce ergo propoſitæ ſunt tibi carnes: caſtiga Præſes, ne tantillum quidem noſtri cutam gerens. Ille autem & audaciam, & ad patiendum promptum animi ſtudium admiratus adoleſcentis: Non ſic, inquit: nam & tu Imperatori es charus, & ab eo haberis in honore. Deinde adoleſcens ſuſpectam habens remiſſam Præſidis reſponſionem, ne eius reprimeret impetum ad puniendum, & ipſe veniret in periculum, ne propter Chriſtum non pateretur, veluti eum ad iram excitans, & bilem ei volens accendere: Dixi tibi, inquit, me eſſe ſeruum Crucifixi, & me ei ſoli credere. Hæc & confidenter dixit, & cum ſoluiſſet cingulum, proiicit in faciē Præſidis Et ſic iratus Præſes, vna cum Senatu ſurrexit, eumq; comprehenſum iubet duci Cæſaream: illic enim præerat templi ædificationi. Cæſaream autem hanc dicimus, quam etiam Philippi ſolemus appellare; quæ etiam prius appellata fuit Turris Stratonis. Phœnices vero eam appellant Paneadem, à monte ei vicino Panio, ei nomen imponentes. Sed quoniam huius ciuitatis ſemel fecimus mentionem, non par eſſe arbitror prætermittere narrationem, quæ digna eſt quæ r ad u vniuerſ ſæculo.

Ardor eius pro Chriſto patiendi.

Cæſarea Philippi.

Matth. 9.
Luc 8.
Antiquiſſima Saluatoris imago, & mira vis herbæ apud eam creſcētis.

X. MVLIEREM enim, quæ ſanguinis profluuio laborabat, quam ex Euangeliis à Saluatore noſtro fuiſſe à morbo liberatam didicimus, hinc dicunt ce iſſe rigmem, & domum eius oſtendi in ciuitate, & beneficii in eam à Saluatore collati remanere ſigna admirabilia. Stare enim ſuper altum lapidem ad fores domus eius effigiem æneam, flexis genibus & extenſis ante us manibus, ſupplicanti ſimilem. Ex aduerſo autem eius aliam ex eadem materia rectam viri figuram diploide honeſta amictam, & manum mulieri porrigentem, iuxta cuius pedes in columna naſcitur quoddam alienum herbæ genus, quod ſcendit vſq; ad fimbriam diploidis ſtatuæ æneæ: eſt autem omnium morborum remedium. Hanc ſtatuam dicunt omnes ferre Chriſti imaginem. Manſit autem ad noſtra vſque tempora, adeo vt eam quoque adſpexerimus, cum ageremus in ea ciuitate.

Neanias verberatur immaniſſime.

XI. CVM in hac ergo Cæſarea ſederet Præſes, iubet adduci martyrem: Quem cum adſpexiſſet populus ciuitatis, temulentus errore ſimulachrorum, palam clamabant, vel potius qui per illos loquebatur, pater impietatis: Hic eſt, dicentes, qui deorum quidem euertit ſacrificia, illos autem deſtruit, Imperatoris etiam edictum irridet & ſubſannat. Hæc cum audiſſet Præſes, tanquam à malo dæmone animo efferatus, iubet ſuſpenſum iuuenem valde cædi. Quod cum factum eſſet, quidam ex circumſtantibus, & vt corporei ad ea, quæ ſunt corporis, adſpicientes, miſerabantur ætatis martyris, & adſtantes deflebant. Quos cum adſpexiſſet præclarus Chriſtus miles, qui neque animi perturbatione, neque vllo tormento vincebatur: Patres, inquit, & fratres, ceſſantes propter me flere, flete potius propter errorem & interitum animarum veſtrarum. Is enim eſt vere dignus lachrymis, vt qui habeat æterna parata ſupplicia, & dolorem, qui nunquam ceſſat. Hæc cum dixiſſet, adſpexit ad eum, qui poteſt ſeruare, Et cum oculos ad montes ſuſtuliſſet, vnde etiam ſperauit venturum auxilium: Deus, inquit, qui es dux errantium, adiutor eorum, qui ſunt in afflictionibus, tu me confirma ad conculcandum maligni ſtimulos, ad gloriam tui nominis & maieſtatis tuæ incomparabilis. Cum autem eſſent defeſſi, qui cædebant, & carnes, tanquam aqua inanis, in terram defluerent, & non amplius appareret membrorum formatio, vt quæ in ſolis cerneretur oſſibus, ſolum autem cor palpitaret, iuſſus quidem eſt reduci, duci vero in carcerem: erat enim veſpera.

Pſalm. 120.

Angeli eum inuiſunt.

Nota hæc Lector.

Dan 3.

Mira humilitas eius.

Chriſtus ei apparet, & eum baptizat, vocans eum Procopium.

Chriſtus eū confirmat, & ſanat.

XII. CVSTOS autem carceris Terentius (hoc erat enim ei nomen) cum martyri bene vellet, & multorum, quæ ab eo acceperat, bonorum eſſet memor, eum quidem includit in carcere interiore propter metum Præſidis: ſed ei molle fœnum attulit, & ſindonem, & in eis ſanctum deponit. Iam autem circa mediam noctem magnum quidem terræmotum excitat Deus in ciuitate. Etenim ipſe Deus adeſt vna cum ſuis Angelis, ſtrenuum reuera athletam viſitaturus. Quomodo enim fieri poterat, vt eum, qui ſic laborauerat, relinqueret abſque conſolatione? Et ſtatim quidem carcer aperuit: eorum autem protinus ſoluuntur catenæ Deinde interiorem ingreſſi carcerem, in quo erat martyr, eum monent Angeli ſub ſpecie virorum, dicentes: Reſpice Neania. Ille vero reſpexit, & vidit: Et, quinam eſtis, qui adeſtis? placide rogauit. Illi autem: Sumus, dixerunt, Angeli à Chriſto ad te miſſi. Adoleſcens vero eis proponens probationem eius, quod dictum fuerat: Si, inquit, eſtis Angeli Chriſti genu ei flectite, & ſignum eius Crucis in veſtris ſignetur oculis. Illi autem ſic fecerunt. Et cum adieciſſent. Credis nos fuiſſe à Chriſto ad te miſſos? Ille autem veluti oblitus illorum grauium, quæ ſuſtinuerat, tormentorum, forte quod maiora pro Chriſto perpeti deſideraret: Tres, inquit, pueros, qui ad ignis fornacem decertabant, iure Dominus dig a ua viſitatione, & mittit Angelum roſcida nube flammam ſoluentem: A me autem quid factum eſt eiuſmodi aut aduerſus quem ignem decertaui, vt dignus eſſem ea, quæ per Angelos fit, conſolatione? Chriſtus vero erat, qui hanc magnam modeſtiam & humilitatem in eius cor immittebat. Qui cum etiam ſancto manifeſtus fuiſſet in forma humana, lucem emiſit clariſſimam: & cum eum aqua adſperſiſſet & tetigiſſet, fecit ſurgere, dicens: Non tu amplius Neanias, ſed Procopius appellaberis: Te ergo fortem præbe & ſtrenuum. Proficiens enim proficies, & patri meo, qui eſt in cœlis, gregem exhibebis. Illum autem tremor inuaſit, & flexis genibus: Rogo, Domine, dicebat, pelagus tuæ patientiæ, ne iniquitatum mearum recorderis, qui per viſcera tuarum miſerationum me vultu adſpexiſti propitio, qui viuus eram captus ab alieno: conſerua integram meam animam. Vereor enim, ne ea forte timore affecta, propter multam imbecillitatem huius humilis corporis, veniat in periculum circa confeſſionem ſuæ in te affectionis. Ad hæc autem dixit Dominus: Noli timere, ego enim tecum. Et hæc cum dixiſſet, cor magna impleuit audacia, & tanta lætitia, quanta dici non poteſt, eius repleuit animam Sicque iuit in cœlos, ne corpore quidem eius relicto experte diuinæ ſignificationis. Nam inuentum eſt hoc quoq; totum illæſum, totum intactum, & nec vllas omnino oſtendens reliquias aut typos vibiceſve alicuius plagæ ſed nec laboris relicta erat illi corpori vlla ſignificatio: ſed erat Sanctus animo quidem tranquilliſſimo totus: corde vero audaciſſimo, & maxima fiducia pleno: corpore autem ſaniſſimo atque florentiſſimo. Cor enim eius ſperauit in Domino, (vt dicamus cum diuino Dauide) & audita eſt & germinauit caro eius, aperte habens mutationem à dextera altiſſimi.

Pſalm. 27.
Pſalm. 76.

XIII. ERANT autem hæc impiorum auribus incredibilia, & ab eis minime admitti poterant. Magna enim res eſt pietas, & quæ magnis opus habet animis. Erant autem ii abiecti, & qui non magna animo agitabant, planeque humi affixi, & rebus terrenis dediti. Cum enim vnum ex ſatellitibus miſiſſet die ſequenti Præſes, rogauit, an eſſet mortuus Neanias. Terentius vero cuſtos carceris ei declarat, quæcunque facta fuerant in carcere. Quæ cum audiiſſet ſatelles, voluit ſanctum videre in carcere. Accedens itaque eum vocauit. Ille vero exaudiit. Erat autem ſatelles cæco ſimilis. Confeſſus eſt itaq; cæcitatem, dicens: Non poſſum te videre. Cui diuinus Procopius: Quicunque, inquit, recedit à luce, & ſeruit dæmonibus, eſt in tenebris, & neſcit quo vadat. Hæc profectus ſatelles renunciat Præſidi, & aliis quotquot erant.

Iohan 12.

erant, magiſtratibus. Is autem ſtatim ſanctum accerſit. Qui quidem cum adduceretur, eius quidem facies reſplendebat, ſicut Sol: totum autem corpus erat mundo linteo ſimile. Cum itaque eum adſpexiſſent ciues, neque rugam habentem, neque aliquod aliud ſignum ſupplicii, repleti admiratione, veluti accepta quadam luce in Deum pietatis, ſimul cum militibus, Deus huius ſancti, dixerunt, fer nobis auxilium. Et ſic quidem multitudo. Præſes autem erat, vt dicitur, aſinus lyram audiens. Non modo enim ipſe non agnouit, ſed eos etiam, qui agnouerant, ſtuduit peruertere. Poſtquam enim vidit multitudinis, quæ facta fuerat, ad Deum conuerſionem, è ſede ſurgens, & manum extendens: Fratres, quid magnum, inquit, adſpexiſtis? quod dii magna vſi clementia, facile ſuum reformarunt famulum? Cui ſanctus, multo lepidius ſpiritali ſapientia eludens & conuincens mundi calliditatem: Re vera, inquit, vt dixiſti, ſum reformatus: ſed ſi hoc donum diis aſſcribis, vobis eundum & ad eorum templum, vt ſciatis quiſnam ex iis nos benigne adſpiciēs, fecit reformationem. Ille autem (facile enim perſuadetur inſcitia, & maxime, cum velle & credere ſimul conueniunt) maximo ſtatim repletur gaudio, iubetque forum ornari, quantum à prætorio ferebat vſque ad templum, & ſolum ſterni linteis, & præcones ſupra muros aſcendentes, alta voce clamare, Quod Neanias filius Theodoſiæ mulieris ſenatoriæ, ductus erat pœnitentia, & diis modo vellet offerre ſacrificia.

Multi credunt in Chriſtum.

XIV. Cvm hæc autem audiuiſſent, quicunque ex ciuibus gentilem ſequebantur religionem, valde quidem ſunt lætati: Chriſtiani autem magna afficiebantur moleſtia. Confluxerat autem multitudo frequentiſſima. Sanctus vero eum rogaſſet, vt ſolus ingrederetur, dicens: Quoniam ſolus eos affeci contumelia, me oportet magna vti excuſatione. Cumque ingreſſus portas clauſiſſet, ſtat ad Orientem, & totum ſuum corpus obſignat: deinde manus & oculos tollens in cœlos: Domine, inquit, Ieſu Chriſte fili vnigenite patris, qui non cadit ſub adſpectum, qui verbo omnia produxiſti, & voluntate tua contines, qui extenſus es ſupra lignum, & alligaſti fortem, & iis, qui ab illo vincti erant, æternam peperiſti libertatem; ipſe nunc quoque extende tuam, quæ ſub adſpectum non cadit, manum omnia efficientem, & execrandas eorum, qui falſo nominantur, deorum contere ſtatuas, quæ fabricatæ ſunt ad ſuum decipiendum figmentum: vt & eorum arguatur imbecillitas, & pudore afficiatur iniquus Imperator cum Præſide, qui eſt æque impius: & glorificetur nomen tuum, quod eſt à me inuocatum: & omnes ſciant te eſſe, qui ſemper viuis, & es Rex ſolus æternus & immortalis. Hæc cum dixiſſet, & ſignum viuificæ Crucis in aëre feciſſet aduerſus ſtatuas: Vobis, inquit, dico immundis ſimulachris, timete Dei mei nomen, & in aquam reſoluta in hoc templo diſpergimini. Deinde cum manum tetigiſſet Apollinis, eum cœpit diuellere: & ſic eadem hora triginta ſunt deiectæ ſtatuæ, & in aquam ſolutæ protinus, & extra templum diffuſæ: adeo vt nonnulli ex iis, qui illic adſtabant, cum vidiſſent quod factum fuerat, valde ſint mirati & clamauerint: Chriſtianorum Deus, fer nobis auxilium.

Totū corpus Cruce conſignat.

Deus pater non cadit ſub aſpectum.

Ecce virtutem ſigni viuificæ Crucis.

30. ſimulachra in aquam redegit.

XV. Præsidem autem, qui erat animi valde dubius, ob contrita ſimulachra, & ob conuerſionem militum ad pietatem, excitat qui bonis inuidet diabolus: & ſanctum quidem Chriſti martyrem curat conieci in carcerem: Militibus autem, eos intuens, dixit: Quid vero? vos quoq; eſtis Chriſtiani? Cum illi autem, tanquā vno ore, eſſent aſſenſi, ægre ferens Iudex, volebat quidem eos variis punire ſuppliciis, & ſic iræ ſuæ afferre ſolatium, vt qui in eos acerbum concepiſſet odium, quod deſciuiſſent: timebat autem, ne à duarum cohortium multitudine, excitata ſeditione, interiret. Statuit itaque cum magna militum multitudine eos repente inuadere, ne id ſentirent: & cum eos in orbem circumdediſſet, tollere de medio. Cum autem iam aduesperaſceret, duarum cohortium milites cum duobus tribunis ad ſanctum venientes in carcerem, rogabant, vt ipſi quoque referrentur in catalogum Chriſtianorum. Quibus martyr: Fratres, vultis vos quoque, inquit, Regi meo militare? Iis autem magnum animi impetum ad hoc oſtendentibus, Martyr valde eſt lætatus. Et cum rogaſſet cuſtodem carceris, qui ei (vt iam dictum eſt) bene volebat, ſinitur egredi è carcere: (dedit enim fidem ſe non eſſe fugitiuum, propter magnum martyrii deſiderium, & quod ille magis ſitiret pro Chriſto profundere animam, quam amici impietatis cum interimere.) Poſtquam autem eſt egreſſus, noctu venit ad Leontium ciuitatis Epiſcopum: cumque eum conueniſſet, tradit milites, mandans, vt ei curæ eſſet illorum baptiſmus. Ille vero cum accepiſſet, & deinde etiam catecheſi inſtituiſſet, baptizat eos cum duobus eorum tribunis eoſque impertit viuifico corpore & ſanguine Chriſti. Quos poſt baptiſmum diuinus rurſus Procopius docebat pietatem, à diuina ipſe doctus gratia, & faciens id, quod illi factum fuerat, & id efficiens iis, qui crediderant, quod illi erat ſpiritus: & rurſus dans gratis id, quod ipſe gratis accipiebat. Erat enim & ſermone iucundus, & in congreſſione admodum placidus & moderatus, & ad aures detinendas, & fidem eis faciendam longe vtiliſſimus. Eius autem doctrina ſic habebat: Fratres, ſcitis cui Regi militatis & cui pacta conuenta feciſtis? Oportet autem ea conſeruare firma & ſtabilia, & propter nullum ex iis, quæ delectant, neque vllum ex iis, quæ moleſtia aut timore poſſunt afficere, diſcedere ab eius amore. Hoc autē pulchre poteritis facere, ſi volueritis præſentia conferre cum futuris. Quid enim nunc erit adeo terribile, atque gehenna ignis æterni, cum neque id, quod vrit, omnino lucem habeat, neque id quod punit, vnquam ceſſet? Vbi vero ita puniet homo, vt Dei manus eum, qui ſemel fuerit condemnatus in illam incidere? Quid autem ex bonis præſentibus tantam attulerit voluptatem, quantam Deus ipſe largitur iis, qui eum dilexerunt: cuius pulchritudo quidem eſt inexplicabilis, vis autem inexpugnabilis, gloria æterna, & cuius vniuerſa finiunt omnium dilectorum, totius ſcilicet terræ & maris fines, cœlique & Solis, & aſtrorum pulchritudo ac magnitudo? Quid enim ſunt hæc & huiuſmodi, & conferantur cum bonis, in quæ non cadit interitus, quæ ſunt Dei amicis repoſita, quæ neque oculus vidit, nec auris audiuit, neque omnino in cor hominis aſcenderunt?

Milites multi credunt.

Poſt catecheſin baptizantur & accipiunt Euchariſtiam.

Hortatur eos S. Procopius ad conſtantiam.

Eſa. 64. 1. Cor. 2.

XVI. Cvm autem adhuc loqueretur, & vellet maiorem doctrinæ ſeriem contexere, Præſes emiſſis ſatellitibus, eos adduxit: & cum ſtitiſſet ad tribunal: Iam omnino, inquit, à vano errore diſceſſiſtis, & vertiginem ac caliginem depoſuiſtis, quam execrandus iſte in vos effundebat? Si hæc ergo ita ſe habent, vt diximus, accedite, & diis ſacrificate: ſi ſic enim feceritis, maiores conſequemini honores ab Imperatoribus. Illi autem perinde ac ſi vellent oſtendere diuini Martyris orationem non eſſe effuſam in aërem, ſed cecidiſſe in terram bonam, & fructum oſtendiſſe multiplicem, excipientes dixerunt: Quibuſnam diis, ô præſes, ſacrificabimus? Quamnam autem ab eis vtilitatem ſperantes nos percepturos, qui neq; poſſunt ſibiipſis opem ferre: vt qui ab vno homine, eoq; vincto tam facile, quam quiduis aliud, confracti ſunt? Quis ergo homo, qui non omnino deſipiat, Deum quidem reliquerit, per quem hæc fiunt: coluerit autem ea, quæ ſunt circumdata tanta imbecillitate, vt qui ſurdorum, & eorum, quæ mente carent, velit eſſe adorator ſtultus & inſipiens? Hæc iniuſtiſſimum iudicem ita replent. Iubet autem magiſtratus ſpiculatorum adeſſe in Nea cum vniuerſa manu, quæ illis parebat, eoſque in orbem circumdatos mactari, & martyrem Chriſti Procopium adeſſe ſpectatorem ferro oneratum. Quanam autem de cauſa ſic iuſſit inſipiens? Vt ſpectaculo eorum, qui interimebantur, timore aliquo concuſſus is, qui re vera minime perterreri poterat, perſuaderetur, vt ſacrificaret. Tātum vero abfuit, vt ille timeret, vt pro eis oraret potius, vt bono animo ſubirent conſummationem, & digni haberentur, qui eſſent ex numero martyrum. Quocirca & eū Deus exaudiit, & ab eo vox eſt è cœlo audita, quæ id dicebat. Illi autem viri egregii cum maximo impetu & ſumma animi alacritate, perinde ac ſi vocarentur, nō vt eis capita amputarentur, ſed potius vt coronarentur, procedebant ad lictores hoſtiliter intuentes, ipſi amice adſpicientes, & illos tanquam honorum authores obſeruantes. Sicque eis ſacra amputantur capita cum duobus eorum Tribunis Nicoſtrato & Antiocho, viceſimo primo Maii. Quidam autem Eulalius, vir bonus & clarus, cum ei eſſent curæ precioſæ hæ reliquiæ, noctu veniens cum multis aliis eas tollit: & cum eas, vt oportet, vnxiſſet, in loco apto deponit.

Militum conſtantia.

Plectuntur capite & eorum precioſas reliquias colligit Eulalius.

Dei

Dei autem martyr Procopius, maximo ferri pondere, vt dictum eſt, ei impoſito, includitur in carcere. Et ſic quidem negligebat vincula: erat autem intentus orationi. Ad eum vero accedunt ſenatoriæ fœminæ fideles, numero duodecim, dicentes: Nos quoque ſumus ancillæ Crucifixi. Quod quidem cum non latuiſſet Præſidem, ipſæ quoque includuntur. Cum eas autem triſtes videret ſanctus, recreauit admonitionibus, dicens: Matres & ſorores, cum oporteat vos abducere corda veſtra ab omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent, & verſari in iis, quæ ſpectant ad Deum, ſcientes quod vos Deus vocauit in ſuum thalamum, nemo veſtrum vincatur à ſocordia. Scitis enim, quod qui eſt nudus à bonis operibus, illuc nequit peruenire: ſi quis autem temere ingreſſus fuerit, non habens indumenta nuptialia, quid ſit paſſurus, licet ſcire ex diuinis Euangeliis. Imploremus ergo Dominum, vt confirmet imbecillitatem, & inſpiret audaciam. Vbi enim in aliis quoque bonis non poſſumus aliquid abſque illo facere, quid in te tam magna, nempe in martyrio, poterimus, ſi non habeamus ipſum opem ferentem: cum ſpiritus quidem ſit promptus, (vt ipſe dixit) caro autem infirma? Et ſic quidē Chriſti martyr: Eæ vero, Ora pro nobis, dicebant, domine vere ſpiritalis, tuæ enim ad Deum preces, erunt validæ nobis apud Deum vires, turris fortitudinis à facie inimicorum: & ab eis cuſtoditæ, qui non cernitur, hoſtem & veterem noſtrum mulierum ſupplantatorem fundemus ac fugabimus: & ſic poterimus conſequi magna Chriſti promiſſa. XVII.

Duodecim matronæ in carcere cōfirmantur à Procopio. *Matth. 22.* *Matth. 26.*

Cvm eæ ſic loquerentur cum Martyre, mittens Præſes, iubet eas ſiſti in iudicio. Cum autem de iis quoque audiuiſſet Theodoſia Senatoria, accedit viſura quod erat eis euenturum. Quæ cum conſtitutæ fuiſſent pro tribunali, dicit Præſes, Obedieriſne, & diis ſacrificaris, vt vos dignas reddatis honoribus, an veſtra ſponte malum ſequentes, deditæ eſtis vanæ religioni? Illæ vero: Apud te, dixerunt, ſit honor tuus, & tu eo fruere: nobis autem vna eſt gloria, cum Chriſto Crucifixo coniunctio. Hæc cum audiſſet Præſes, iubet binos adſtantes ſubtilibus eas virgis cædere: deinde ligno appenſas, in lateribus & axillis igne comburi. Quæ quidem cum fiebant, & cum igne conflictabantur, erant eis preces dolorum ſolatium, adeo vt ipſæ opportune dicerent cum diuino Dauide: Tribulationes & neceſſitates inuenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt. Deinde fit alter rerum moleſtarum & grauium acceſſio. Iubet enim eis quoque excindi mamillas, ſanctas ſcelleratus ludificans, & dicens: Vobis omnino opem laturus veniet Crucifixus. Illæ vero: Et opem tulit, dixerunt, & iis, qui ſapiunt, opem feret. Hoc autem aperte probatur, quod nos, quæ ſumus mulieres, efficiat ſimul & deos tuos, & tormenta, & tuum ridere ſupercilium. Hoc iudicem ad maiorem accendit inſaniam, & iubet rurſus ignitos globos æneos admoueri alis ſanctarum. Quod cum factum eſſet, & rurſus ſubſannans Iudex diceret: Senſiſtis ignem? Eæ dixerunt: Tu ſenties, dum igni immateriali aſſidue vreris. Nobis autem inexpugnabilis adiutor eſt verus noſter Deus, quem ipſe non vides magis, quam qui cæcutiunt, magnum hunc & manifeſtum Solem. XIIX.

Conſtans matronarū reſponſum. Cruciatus immanes. *Pſalm 118.*

His adſtans, vt dictum eſt, & videns magna Theodoſia, diuinas ſtatim concipit notiones. Eam enim ſubiit ſermo Dei efficax, & acutior omni gladio acuto, (vt dicit Paulus) eamque totam in altum ſublatam & accenſam, ad veram traduxit pietatem. Cum ergo parua omnia re putaſſet, opes, nobilitatem, honorem, gloriam, eaque eſſe parui & abiecti animi iudicaſſet, in earum, quæ in præſentia habebantur contemptui, & tormentis cruciabantur, Chriſti, qui propter nos humiliatus & cruciatus fuit, ancillarum ſe refert numerum, & beatam illam cum eis dicit vocem: Ego quoque ſum ancilla Crucifixi. Hæc cum adſpexiſſet Præſes: Domina, inquit, Theodoſia, quis te in hunc errorem induxit, vt patriis diis relictis, noua nunc eiuſmodi ſecteris? Illa autem: Non nunc, inquit, errani, ſed errabam potius, quæ Deo relicto, qui eſt cœli & terræ opifex, obſeruabam abominationes & opera manuum hominum. Cum multa autem verba inter vtrunque dicta eſſent, & videret eam ne minimum quidem perſuaderi, eam cum aliis martyribus condemnat ad carcerem. Ea vero quid non faciebat, cum ſanctas illas videret fœminas? Extollebat, laudabat, beatas eſſe propter plagas pronunciabat, eas abſtergebat, oſculabatur, precioſis mundabat linteis, eis quoque imponebat medicamenta, erat enim non ignara medicinæ. Quam cum vidiſſet diuinus eius filius, cor habuit plenum exultatione propter inſignem lætitiam: & propius accedens, Domina inquit, mater mea, quid huc veniſti? Quid te mouit, vt à diis patriis defeceris? Num forte agnouiſti eorum imbecillitatem? Illa autem: Fili mi, inquit, cum adſpexiſſem inſignem tolerantiam earum, quæ ſunt æque atque ego fœminæ, cogitaui hoc alias fieri non poſſe, niſi eſſet quædam virtus diuina, quæ eas occulte attingens, animum adderet ad patientiam. Et ideo ipſa quoque ſtatui adorare Crucifixum, qui ſic poteſt confirmare eos, qui credunt in ipſum. Ille autem diuinæ radicis fructus diuiniſſimus: Beata es, inquit, domina mea, propter has cogitationes. & à Deo miſſam & excelſam notionem, quæ ſic cor tuum cepit. Et cum eam illa nocte accepiſſet, committit Epiſcopo Leontio, qui eam ſancto dignatur baptiſmo. Deinde cum eæ veniſſent in carcerem, eas admonebat ſanctus, inſtruebat ad confeſſionem pro Chriſto ſubeundam, & illarum animos implebat audacia. XIX.

Hebr. 4. *Theodoſia mater Procopii credit, & palam confitetur.* *Conitcitur in carcerem* *Baptizatur à Leontio Epiſcopo.*

Post hæc mittit Præſes, vt eæ ſiſterentur ad iudicium. Cum autem omnes ſimul affuiſſent, ſtatim dicit Theodoſiæ: Vides quemadmodum tui curam gero, & nolo tibi afferre interitum? Conuertere ergo, benignoſque & clementes deos inuoca, & maiores quam antea honores conſequeris. Cui beata: Stulte, inquit, & inſipientiſſime, non te pudet hæc fuſilia & ſculptilia deos nominare? Si autem Deo pro viribus aſſimilari, eſt primum bonum & beatum hominibus: ſi quis vobis optauerit, vt efficiamini diis veſtris ſimiles, reſtat omnino, vt vos quoque ſitis ſurdi & cæci, ſicut illi, manuſque & pedes habentes, qui minime fungi poſſint officio. His dictis, iubet Præſes eam in os verberari, ab ea pœnas exigens propter pulchra verba, quæ conuenienter rationi fuerat elocuta: deinde extenſam, verberari à quattuor hominibus. Poſtquam autem factum eſt quod iuſſerat, & relaxata fuit à tormento, iubet rurſus manibus ferreis eius ſancta lancinari latera. Aliæ vero diuinæ mulieres videntes eam ſic patientem, & è lateribus diſtillantem ſanguinem, intenſe pro ea orabant: Deus noſter, dicentes, refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis: procede Domine, & nos eripe ex manibus filiorum alienorum. Hæc cum audiiſſet Præſes, iubet harum ſanctarum mulierum maxillas cædi plumbatis. Cum autem hæc omnia ferrent forti & excelſo animo, videns ſtultus Iudex ſe calcitrare contra ſtimulos, & ferire adamantem, & ad tumulum proclamare, ſeque potius pudore affici, vt qui laboret inopia conſilii & ſuperetur, quam efficere vt illæ patiantur: Nam ille quidem ira mutabatur, & ignem ſpirabat: earum vero erant vultus lætiores: Et ſe magis obeſſe, quam prodeſſe, vt qui credentium numerum non diminuat, ſed eum potius augeat admirabili harum tolerantia: vel inuitus humanitate vtitur vir immitis, vt qui pluribus prætermiſſis ſuppliciis, iubeat eis vna catena alligatis gladio amputari capita. Poſtquam autem audierunt ſententiam, aliæ quidem fortaſſe mulieres feciſſent eo tempore, quæ faciunt fœminæ, fleuiſſent, ſuſpiraſſent, eiulaſſent, ſuaſque amicas & familiares poſtremo complexæ eſſent: hæ vero nihil eiuſmodi: ſed cum ducerentur ad mortem, tanquam ad delicias euntes & conuiuium, atque adeo re vera euntes, (illuc enim ibant vbi eſt vox & ſonus eorum, qui feſtum celebrant) vultum habebant alacrem, & per orationem ſe Deo commendabant. Poſtquam autem ad locum peruenerunt, cum prompto & alacri animo colla inclinaſſent, perinde ac ſi eſſet ampu... atus vincula interitus & eas tranſmiſſurus ad immortalitatem, eis amputantur capita viceſimonono menſis Maii. XX.

Dire verberatur & laceratur. *Pſalm 45.* *Item aliæ matronæ.* *Alacres eūt ad ſupplicium ſanctæ matronæ. Capita eis amputātur.*

Cvm dies autem aliquot interceſſiſſent, Præſes ſedens in tribunali, ac crudele quid & immane ſpirans, athletam Chriſti iubet produci. Cui dixit: Quid vero? Es ne ſat artus impium & execrandum caput, qui tot animas perdidiſti? Nō perdidi, inquit martyr, ſed à perditione potius & interitu traduxi ad vitam. Hæc dixit, & ſtatim venerabilis illa facies, cum ſic iuſſum eſſet à Iudice, ferreis cædebatur manibus: licebatq; videre rem horrore plenam, illos quidem, tanquam feras agreſtes, ferreis vngulis lacerantes: hunc autem ſtantem, non tanquam virum, ſed tanquam ſtatuam, & ferentem plagas XXI.

Procopii facies cæditur.

Digitized by Google

plagis immobiliter. Et ſanguis quidem valdè fluebat, & terra mirandum in modum fiebat purpurea: nullus autem audiebatur gemitus, neque erat aliquod aliud ſignum dolentis. Sed neque aliqua rursùs miſericordia ſubibat animum Præſidis. Quocircà neſciebat quiſpiam, quidnam magis admiraretur, patientiſné tolerantiam, an punientis inhumanitatem. Corde enim magis efferabatur, videns illum minimè plagis cedere: ſeque hac ratione indicabat eſſe inferiorem, & id eſſe ſuam iudicabat calamitatem. Quamobrèm plura ei adiungit aſpera & grauia, & iubet eius collum teri plumbatis. Vbi autem hoc quoquè patiens idem erat, tranſmittitur in carcerem, non vt parùm haberet laxamenti (quomodò enim crudelitas humanum quid & clemens omninò in animo verſauerit?) ſed vt ille potiùs conſideraret, quidnam agens, aut quodnam ſupplicium afferens, magnum ſancti animum attingeret.

Collum eius plumbatis teritur.

XXII. DIVINVS verò Procopius ingreſſus carcerem, orabat, vt confirmaretur pietas, & vt ipſe confeſſionem ferret vſque ad finem: pudore autem afficeretur impietas, & vt infirmaret Præſidis machinas aduersùs Chriſtianos. Ipſe autem Præſes & valdè ſtupebat, & planè erat dubio & perplexo animo propter multam Martyris conſtantiam. Quamobrèm neque domo eſt egreſſus, neque vllum impertijt ſermone toto die: immò verò cùm eum febris inuaſiſſet vehemens, & ne ſic quidem intellexiſſet ſe fuiſſe à Domino percuſſum è diſciplina, æternis plagis & ſupplicijs dignam emiſit animam. Dei autem verbum creſcebat & confirmabatur, multis quotidiè non ſolùm viris, ſed etiam mulieribus ad fidem accedentibus. Res verò martyris adhuc maioris fiebant, vocationi rebus concinentibus, & ad maiora proficientibus. Perſpicuum enim erat eum frui ſpiritûs copioſa gratia, & eum famæ pennis in omnem partem peruadere, vt qui multos curauerit dæmoniacos, non mora temporis & difficultate, ſed ſignaculo ſolo diuinæ Crucis, & imperio facto in dæmones: cui tantum aberat, vt non parérent, vt illud quidem eo quamprimùm faciente recederent: tantùm autem orarent, nè ſubijcerentur ſupplicijs.

Impius iudex ſceleratam reddit animam.

Signo Crucis ſanat dæmoniacos.

XXIII. POSTQVAM autem Iuſtus exceſſit ex humanis, mittitur ab Imperatore Diocletiano ad regendam Palæſtinam Flauianus, qui erat quidem ipſe quoquè Italus, & honeſto loco natus in Italia, priore quidem nil æquior, immò verò morum peruerſitate & animi feritate & dicēdi facultate ſuperabat priorem. Poſtquàm autem venit Cæſaream, accedentes ad eum quidam ex ciuibus, de Martyre ad eum retulerunt. Ille verò rem non differens, curat ſanctum ſtatim ſiſtendum: Et, Quod eſt, inquit, nomen tuum? Ille autem: Quod primum eſt, inquit, & neceſſarium, & quod tu maximè quæris, Chriſtianus. Vocor verò Procopius, ne hoc quidem habens ex hominibus, ſed ex Domini mei Ieſu Chriſti gratia & clementia. A te, inquit Præſes, ſolo fortaſsè ignoratur diuinus iuſſus Imperatoris, & quemadmodùm iubet vos ſacrificare dijs immortalibus: aut ſi non pareatis, grauibus ſubijci ſupplicijs, & ſic malè vita priuari? Mihi autem venit in mentem admirari, quemadmodùm cùm eò ætatis proceſſeris, adhuc ſuſtineas deſipere: quemadmodùm etiam alios ipſe docens, longè abſis vt ſapias. Deum enim dicere natum eſſe ex muliere, & ipſum crucifixum eſſe ab hominibus: deindè eum, de quo hoc fateris, adorare, non ſolùm eſt inſcitiæ, ſed propemodùm inſaniæ. Mihi ergò credens, ab hac vana deſiſte ſuperſtitione: nam & nos habebis, qui tuas priores excuſemus iniurias, & maiorem, quàm priùs, honorem conſequēris, & mihi maximè gratificaberis, à pluribus me liberans laboribus, & quæ apud te verba fecimus, ea non fruſtrà eſſe facta oſtendens.

Flauianus Iuſti Præſidis ſucceſſor.

XXIV. AD hæc magnus Martyr Chriſti Procopius, tanquàm volens maiorem oſtendere prudentiam aduersùs Iudicem, qui maiore vtebatur improbitate: Te quidem, inquit, oportebat, ô Præſes, opificem & regem cœli & terræ piè nôſſe, & eum ſolum credere eſſe verum Deum in immutabili natura & impatibili. Si autem vis ex mundanis, & ijs, qui ſunt apud vos, philoſophis diſcere, inuenies & Hermen cognomine Triſmegiſton, id eſt, termaximum, Socratemque & Platonem & Ariſtotelem, qui volunt eſſe vnum, & non multos Deos. Et primùm quidem ante alios audi Hermen: (ſic enim habent ea, quæ ſcribit ad Aſclepium, illum, inquam, medicum:) Dominus & effector omnium, quem Deum quidem vocandum eſſe duximus, præterea ſecundum hunc fecit mundum, qui eſt & adſpectabilis & ſenſilis. Quoniam ergò hunc fecit primum & ſolum & vnum: ei autem viſus eſt pulchrior, & pleniſſimus omnium bonorum: admiratus eſt, & eum valdè dilexit, vt fœtum proprium. Vbi eſt ergò hîc multitudo deorum? Si enim non eſſet ſimplex Dei natura, ſed multiplex quædam & numeroſa, omninò, in creatione ipſam quoquè, quæ creabatur, naturam diuiſiſſent: & alius quidem cœlum conſtruxiſſet, alius verò terram, & mare alius. Sin autem tibi videatur, ô optime Præſes, eos factos eſſe poſtquàm productum eſſet cœlum & terra, nè eos eſſe dicas Deos, ſed res creatas. Etſi enim ipſum Solem adduxerimus, & Lunam, quòd in cœlo appareant, & ordinatè certè & concinnè lumen inter ſe diſpertiti ſint: & ille quidem totum diem ſciat illuminare, hæc verò nocti lucem præbere: non tamen hoc priuilegium eorum tribuemus naturæ, ſed diuini potiùs & ab interitu alieni & beati numinis iuſſum eſſe dicemus: ſicque multiplex principatus reducetur nobis ad monarchiam. A Socrate autem & Heraclito reiecta eſt & abdicata ſimulacrorum adoratio. Atque hic quidem expellitur è ciuitate Epheſina: ille verò ab Athenienſibus cogitur bibere cicutam. Quos autem vos Deos vocatis, & ante omnes venerandum illum Iouem ſupremum Deorum, nónne is erat rex Cretenſium? Non eius ſepulcrum in hac vtiquè Creta fuit manifeſtum apud omnes? Quid verò? Non Neptunus quoque primus refertur in catalogum piratarum, & prædo præſtantiſſimus, qui eſt apud vos Deus, inter omnes cognoſcitur? Porrò autem eius quoque ſepulcrum fatetur Calabria. Hæc pulchre ſciunt, qui apud Græcos, & qui apud Romanos ſunt ſcriptores. Et quod eſt elegantiſſimum, non à Chriſtianis, ſed à ſuis proprijs accuſantur adoratoribus. Quoniam autem dixiſti Chriſtum natum eſſe ex muliere, & fuiſſe crucifixum, audi, ô Iudex, quodnam fuerit arcanum eius conſilium, & hoc nouum myſterium. Ex ijs autem, qui ſunt apud vos, ſapientibus, de ipſo & de eius aduentu dicam primùm prophetias. Vocetur ergò Sibylla, eaque mulier, & quæ celebrata fuit apud Græcos & Romanos. In tanto enim honore eam habuêre Romani, tantiq; eam fecerunt, vt non ſolùm vulgus, ſed etiam Reges, vt Tarquinius multis talentis eius libros emerit. Hæc ergò, quæ apud vos in magna habita eſt admiratione, in ſecundo ſuo libro, de ſuſcipiendæ à Chriſto carnis conſilio, & de eius ortu ex Virgine, apertè hæc prædicit:

Hermetis de vno Deo teſtimonium.

Attende ô lector diuinam martyris doctrinam.

Iupiter rex Cretēſium.

Neptunus prædo inſignis.

Verbum quandò Dei ſummi eſt paritura iuuenca,
Clara die in medio ſtella apparebit ab ortu,
Nuncia per magni ſigni mortalibus ægris.
Magni tuncque Dei natus venturus ad ipſos
Eſt homines, geſtans carnem, aſſimilatus & illis
In terra, huicque Magi portabunt munera, nempe
Aurum, & Myrrham Thus: hæc omnia namque placebunt.

Sibyllæ de Chriſto vaticinium.

Iuuencam autem appellat Virginem expertem nuptiarum. Apud Hebræos enim Virgo & iuuenca eodem nomine ſignificantur. Rursùs autem eadem Sibylla in eodem libro hæc dicit de precioſa eius Cruce:

O felix lignum, Deus in quo extenſus, habebit
Non te terra, domus ſed erit tibi regia cœli.

Item de S. Cruce.

Neque verò duos verſus ſolùm refert, ſed etiam totam fecit acroſtichidem Crucis venerabilis, per eam ſignificans

M secun-

ſecundum glorioſum ad nos futurum deſcenſum. Itá autem habet hæc Acroſtichis, Ieſus, Chriſtus, Deus, Filius, Seruator, Crux. Quòd ſi me parumpèr patienter audias, ô ſapientiſſime, ego tibi pauca dicam huius Acroſtichidis:

Iudicij ſignum eſt tellus ſudore repleta.
E cœlis veniet rex magnus cuncta gubernans
Sæcula, præſens carnem & mundum vt iudicet omnem.
Viſu illum ceruentq; Deum infidi atque fideles
Sede altum, atque animis reddentem iura virorum.

Quòd ſi etiam vis quædam audire oracula Pythici Apollinis, & Ammonis, qui eſt in Lybia, & Dodonæi rurſùs, & Pergameni, attende diligenter, & ſcies, Chriſtum filium Dei altiſſimi ab eis fuiſſe prædictum, venturum eſſe ad ſalutem & renouationem humani generis. Nam cùm Iaſon princeps eorum, qui dicuntur, Argonautarum, de templo, quod Athenis primùm conſtructum eſt in arce, ſciſcitatus eſſet Delphicum Apollinem, & dixiſſet: Prædic nobis, Phœbe Apollo: cuiuſnam erit hæc ædes, & ad quid futura ſit in poſterum: ſic reſpondit: Quæcunque ad virtutem quidem & honeſtatem vos incitant, facite. Ego autem tres cupio Deum vnum regnantem apud ſuperos, cuius Verbum, ab interitu alienum, conceptum in ſimplice Virgine. Qui tanquàm ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducet donum patri. Huius erit hæc ædes. Maria autem erit nomen eius. Cùm verò rurſùs Battus hunc Apollinem de Deo interrogâſſet, reſpondit: Vnus mihi vim affert vir cœleſtis. Cùm paſſus ſit, Deus eſt, & non ipſa paſſa eſt diuinitas. Vtrunque enim ſimul eſt Deus, & immortalis à patre ferens omnia, & omnia matris habens. Ex patre quidem habens vitam & vires: ex matre autem mortali Crucem, ſepulcrum, moleſtam, & grauem contumeliam. Cuius etiam è cilijs aliquandò calidæ fundebantur lachrymæ, & quinque hominum millia ſatiauit quinque panibus: hoc enim volebat omnis homo: Chriſtus eſt meus Deus, qui eſt in cruce extenſus, qui mortuus, qui è ſepulcro venit ad polum.

Apollinis Delphici oraculum

Itẽm aliud

Flavianvs autem veluti irridens ea, quæ dicta ſunt à ſancto Martyre: Egregius, inquit, nobis exortus es Dei & rerum diuinarum expoſitor, vt qui cœleſtes feras claues & ſignacula. Verum enimuerò priuſquàm te torquere incipiam, conſulo tibi, vt ceſſes ab impijs his nugis: abneges autem hunc à ratione alieniſſimum Chriſtianorum cultum, & velis deincèps ſentire cum Græcis, & parere legibus Imperatorum, honoreſque & dona ab eis cõſequi. Quòd ſi nolis parere ijs, quæ tibi conſulimus & ſuademus, hoc inuenies lucrum inobedientiæ, quòd cùm omnia tormenta ſuſtinueris, deindè etiam facies, quod iuberis. Sanctus autem: Quoniam, inquit, verum Deum ignoraſti, qui eum potes animæ intueri oculis, tu quidem macta & ſacrifica corpora hominum, ea lanians & diſſecans. Non enim ſentis te mortuis offerre ſacrificia, qui es mortuus, & lapis non minùs, quàm ipſi, & nullo ſenſu præditus. Ego autem ſacrifico Deo meo ſacrificium laudis per eam, quæ eſt in ipſum, confeſſionem & fidem. Si enim pulchra res eſt lapis, quem tu adoras, & tanquàm Deus eſt à te exiſtimatus, noli eum ſecare & diuidere: & cùm eum in multas partes diuiſeris, vnam quidem, tanquàm Deum adorare, & ei thus offerre & ſacrificia: alteram autem vt ad domum ædificandam, quinetiam ad excrementa, & quoſdam vſus profanos. Hoc ipſum autem ſæpè feciſti in auro & ligno, & eis obtuliſti ſacrificium & thus. Cuiuſnam eſt ergò ſapientiæ, aut quodnam eſt arcanum in veſtra religione, auro & ligno offerre ſacrificia, & ea poſteà in lutum proijcere: tanquàm Deum honorare, & deindè comburere: vitam petere & ſalutem à ligno putrido, & à lapide (proh dolor) nullo ſenſu prædito, quæ poſtquàm vos dijs ſimilia effinxeritis, nihil habent amplius? Quamobrèm magis eſſet rationi conſentaneum, vt vos ferro ſacrificaretis. Sed vides ipſum quoquè igni fieri mollius, & minus habere virium, quàm priùs. Quid ergò? Ignis vobis eſt Deus exiſtimandus? Sed is quoquè extinguitur, quandò caret materia: nonnunquàm autem aqua quoquè eo euadit potentior. Cùm ergò oporteat relictis rebus materialibus, quæ ad interitum per ſe inuicèm tendunt, puris factis & ſola oratione eum, qui eſt verè Deus, colere: (Non enim igne opùs eſt, non lignis ad illius nutrimentum, neque omninò cæde animantium: nullius enim horum egena eſt diuina natura, immò verò nulla re omninò indiget: rectas ſiquidem actiones amat Deus vniuerſorum: qui tantam in nos humanitatem oſtendit & clementiam, vt vnigenitum ſuum filium dederit ad mortem, vt ſolueret dolores mortis, & æternæ vitæ conciliatricem nobis ſuam oſtenderet reſurrectionem) ſi tibi videtur, crede ijs, quæ dicta ſunt: ſin minùs, gladio in me intentato vtere. XXV.

Magna Procopii conſtantia.

Irridet idololatriæ ſtultitiam.

Hæc cùm clara voce dixiſſet ſanctus Præſidi & ijs, qui circumſtabat, mercedem huius dicendi libertatis, impietatis Præſes ei minatur: & imperat cuidam Archelao, vt ſtricto enſe virum ſtrenuum conficiat. Cùm is autem alacriter, tanquàm non ad mortem, ſed ad vitam vocaretur, ſeipſum præbuiſſet, lictoris manus fuit protinùs reſoluta, & ipſe vnà cum enſe in terram lapſus, manſit cogitabundus. Hæc magno ſtupore affecerunt Flauianum, iubetque vt, eius manibus & pedibus ferro ligatis, ſeruetur in carcere. Magnus vero Chriſti Martyr, licèt ità ſe haberet, & ferro eſſet vinctus, ſicut priùs, & humi iaceret, citra impedimentum ad Deum adſpiciebat. Quamobrèm per orationem ad eum aſcendebat, & intelligentia eum alloquens: Deus, dicebat, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui illuminaſti ea, quæ priùs erant obſcura, & hanc quæ videtur, & eam, quæ ſub adſpectum non cadit, creatam naturam ex eo, quod non erat, produxiſti: qui tuum figmentum ad teipſum conuertiſti, & non ſiuiſti nos proficiſci poſt noſtram inſipientiam, agimus tibi gratias, & tuæ virtuti & ſapientiæ Domino noſtro Ieſu Chriſto, per quem & ſæcula feciſti, & nos lapſos erexiſti, & cùm peccauiſſemus, ignouiſti, & errantes reduxiſti, in captiuitatem redactos, redemiſti eius pretioſo & Dominico ſanguine, iacentes ſuſcitaſti, & mortuos viuificaſti. Gratis tibi, Domine, qui adeo ſupra merita nos dilexiſti, quod nos ad te aduocas & adducis, confirmans in fide, ſtabiliens in ſpe, illuminans in charitate, nos non prout noſtra merentur peccata, puniens, ſed nobis ex tua benignitate condonans, lenitate & tolerantia iudicium differens, & per patientiam ad id, quod eſt melius, nos deducens. Te ergo, inuoco, & tuum filium vnigenitũ, & ſanctiſſimum tuum ſpiritum: audi me, & confirma me, & curſum meum perfice: confirma in me quoque indigno tuum teſtamentum, & me libera ab inſultu diaboli, ſeruans à fraude mali Præſidis: doce nos voluntates tuas & ſanctas vias: & nè auxilium tuum nobis ademeris, neque tuam diſciplinam meis viribus grauiorem induxeris. Nos enim non poſſumus ferre ea, quæ aduerſantur. Tu autem potes nos eripere ab omnibus, quæ obluctantur. Conſerua nos ad vitam beatam & æternam, quæ eſt in repletione ſpiritûs ſancti, in incorruptione & regno tuæ diuinitatis: vt inueniamur familiaritate coniuncti, & participes promiſſionum Chriſti tui. Ita eſt precatus, & rurſùm vocem audijt eum confirmantem. XXVI.

Non poteſt lictor eum cædere.

Precatio S. Procopij.

Diuinitus roboratur.

Cvm poſt ſex autem dies ſiſtendum curaſſet athletam Flauianus: Antequàm, inquit, tuas carnes conſumam, dijs ſacrifica. Martyr autem: Corpus, inquit, meum torque, pro tibi ſimilibus dæmonibus decertans. Præſes vero: Non me irritabis, inquit, verbis tuis, vt breuem tibi exitum afferam: ſed tuam patiar temeritatem. Nam etſi maleficijs tuis enſem auertiſti, & ſpiculatorem exanimaſti, & nobis omnibus tenebras offudiſti, non ceſſabo tamen te torquere per omnia membra, donèc te reddidero obedientem, & effecero, vt quamprimùm imperata facias. Extendatur ergo, inquit, loris ſubtilibus, & à terra tollatur à quatuor, & crudis neruis ei carnes lanientur, & ardentibus carbonibus eius dorſum impleatur. Inſipientem n. iuuat flagellorum grauitas. Hæc cùm audijſſet athleta, non modo non timuit magnitudinẽ ſupplicij, ſed perindè ac ſi vellet apertè oſtẽdere, ſe & id, & Iudicẽ deſpicere propter ſuam in Chriſtum XXVII.

Mira animi fortitudo.

Chriſtum fiduciam, liberè eum cœpit inſequi maledictis: Omnis iniquitatis, dicens, operarie, & ignis æterni nutrimentum, tu valdè peccans in veritatem, dicis me puniri tanquàm inſipientem: non aduertis autem te ea mihi largiri, quæ ſunt iucundiſſima, & maximè optanda. Quid enim ei, qui Chriſtum amat, iucundius eſſe poteſt, quàm pati propter Chriſtum? aut quid maius afferri lucrum, quàm pro eo labores ſuſcipere? adeò vt verear, nè fortè cùm ſciueris, quantam mihi afferas vtilitatem, à me puniendo abſtineas, vt qui per ignorantiam inimico gratificeris. Contrà autem reſpondens Flauianus, quòd ei maiora afferens ſupplicia, flectet, & vt pateat efficiet, eum crebris & grauibus ſubiecit ſupplicijs.

XXIIX Et primùm quidem iuſſit, vt cùm obeliſcos candefeciſſent, eos eius imponerent vulneribus, deindè ſanctum eis confoderent. Vbi autem hæc patiens non magis caſtigabatur, quàm caſtigabat per tolerantiam eum, qui iudicabat, & maximè eius Deos probris appetens, non ferens ipſe cor commotum animi perturbatione, aliud quoquè in tormentis excogitat. In eius, inquit, membra iam vſtulata ſalem inijcite, & cùm obeliſcos accenderitis, addite, vt vel ſic ceſſet Deos inſectari maledictis, quos colunt Imperatores pro ſalute omnium. Chriſti autem martyr dupliciter ſauciauit cor Præſidis, fortiter quidem ferens dolores, prudenter verò ſe gerens in reſponſis. Salutem enim, inquit, vocas perniciem, quam ſanguivori Imperatores humanæ naturæ attulerunt, dæmonum augentes potentiam, quos Deus citò mutabit, curam gerens hominum. Ille autem ira percitus, graue & alienum excogitat ſupplicium. Iubet enim afferri aram, & ſuper eam extendi dextram martyris, ardentibus repletam carbonibus, eis thure impoſito, vt ſi in manu dolorem ſentiens, thus in aram immiſerit, ſtatim reputetur, vt qui dijs ſacrificauerit, & libamen impleuerit. Atq; ara quidem erat poſita, extenſa autem erat manus martyris: thus tamen ſimul cum igne portabatur, & natura ſeipſam abnegauerat. Nam vrebatur quidem manus longo tempore, & ignis operabatur: mens namque, quæ eam confirmauerat, tenebat immobilem. Quicunque aderat, obſtupeſcebat: error labefactabatur, pietas confirmabatur, Chriſtus glorificabatur, & afficiebatur pudore diabolus.

Atrociſſimis afficitur cruciamentis.

Inuicta eius virtus.

XXIX. Stabat Martyr cœlum intuens, gemitumque & lachrymas emittens, & ei, qui dederat tolerantiam, veluti agens gratias: Tenuiſti, dicebat, dexteram meam, & accinxiſti me virtute ex alto, & non impiè egi à Deo meo. In me, Deus, vota, quæ reddam, laudationis tuæ. Quoniam liberaſti animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, & pedes meos à lapſu. Cùm eſſet itaq; Iudex animo valdè perplexo propter fortitudinem Martyris: Quoniam, inquit, dicis te à tormentis nihil affici, vnde nam gemitus & lachrymæ? Abſit, inquit, ô tu verè digne lachrymis, vt ego fleam propter labores corporeos Sed quoniam hoc corpus eſt lutum, lutum omninò, quod accedit ad calorem, ſolet aquam diſtillare. Alioqui autem tuam quoquè defleo animam, quòd cùm dæmones colere ſtatueris & impios Imperatores, à Deo defeciſti, & cum eis igni æterno es tradendus.

Pſal. 17.

Pſalm 55.

Reſponſis & tolerantia Iudicem confundit.

XXX. Carcer poſt hæc verba ſanctum accipit. Deindè Iudex ſcelerata meditatus, iubet eum ſuſpendi manibus, & perforatos duos maximos lapides ſuſpendi ab illius pedibus, vt grauitate lapidum omninò conuellerentur & diſſoluerentur eius compages. Poſtquàm autem eo quoquè tormento vidit eum ſuperiorem, rurſùs ad aliud adſpexit ſupplicium, tanquàm non propter generoſum animum Martyris, ſed propter leuitatem eorum, quæ infligebantur, ipſe videretur ſuperior. Iubet itaque ei fieri clibanum, & quammaximè accendi: in eum verò inijci Chriſti athletam. Cùm autem introduceretur, & ſe diuina Crucis figura ſignâſſet, precabatur. Et dum eo adhuc precante labra mouerentur, flamma fuit diſperſa: & cum miniſtros circumcircà comprehendiſſet, id faciebat, quod eſt ſibi à natura inſitum: adeò vt qui adſpexerant, eo quod factum fuerat obſtupefacti, clamarent Præſidi: Quàm ocyſſimè conſumatur: tota enim ciuitas venit in periculum, nè euertatur eius maleficijs & incantationibus. Atq; tunc quidem Præſes ipſe quoquè plenus metu & admiratione, emittit athletam in Prætorium.

Magni cruciatus eius.

Stupêdum miraculum.

XXXI. Poſtquam verò aliquot dies præterijſſent, eum condemnat, vt vitam finiat gladio. Cùm autem veniſſet Martyr ad locum conſtitutum, petit ab eo, qui ipſum erat interempturus, gratiam paruam & vltimam, & quam homo inimicus præbere non diſtulerit: nempe vt liceat ſe dare orationi, deindè mori. Et ille quidem dedit: ipſe verò ad Orientem adſpiciens, & in cœlum tollens oculos, precatus eſt, vt ciuitas quidem cuſtodiretur ab inſidijs aduerſarij, & vt totus populus eius meminiſſet: curarentur autem ij, qui morbo laborabant: viduis verò & orphanis implerentur, quæ eis deerant: ijs autem, qui iniuria afficiebantur, daretur relaxatio: ijs qui affligebantur auxilium: ijs, qui fracti erant, vt erigerentur: ijs, qui aberrabant, vt conuerterentur: & vt ſalui eſſent ij, qui eius facerent commemorationem, & vt omne malum fugerent. Hæc autem orauit, & vocem audiuit de cœlo, ſimul quidem eum reddentem certiorem, perficienda eſſe ea, quæ petiuit, & pronunciantem eum eſſe hæredem regni cœlorum. Hæc cùm audijſſet, collum porrigit, & gladio ei caput amputatur: idque cœleſti ſtatim corona coronatur, cùm hymnis in Deum adhuc eſſet intentus: quos cum intelligentibus Virtutibus intelligenter cantaturus, aſcendit in cœlum octauo menſis Iulij. Quidam autem ex fratribus noctù aduenientes, ſacrum eius corpus auferunt, eumq; vnguentis & aromatibus odoriferis refertiſſent, & pulchrè compoſuiſſent, in venerando loco depoſuerunt, glorificantes Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnam & veram diuinitatem: Quam decet omnis gloria, honor & adoratio in ſæcula ſæculorum, Amen.

Precatio eius ſub mortem.

Cœlitùs vocatur a Domino.

*VITA ET MARTYRIVM SANCTORVM KILIANI EPISCOPI VVIRZBVRGENSIS, *COLOMANNI PRESBYTERI ET TOTNANI diaconi, vt in perantiquis MS. voluminibus habetur, auctore Anonymo, ex editione Caniſij tomo IV. antiquarum lectionum.*

An. 680.

* *Kolemãni*

PROLOG. authoris.

SANCTORVM Martyrum certamina quoties ad memoriam redeunt, toties mentem ardore compunctionis tangunt, quo fit, vt fraternæ charitati multum videatur impendere, qui Martyrum hiſtorias ſtylo ſtudet memoriæ commendare. Et quamuis culpis retardantibus, iter rectitudinis aſſequi non valeat, incedentibus tamen in patriam, veritatis tramitem monſtrat. Alioquin miſerrimum eſt, feliciter nauigantibus, ſi inuideat portum ſalutis, qui patitur damna periculoſæ nauigationis Idcirco beatiſſimi Martyris Kiliani ac ſociorum eius geſta, prout poſſumus, literarum notis aſſignare curamus, vt fraterna ſtudia ad amorem boni operis incitemus. Quia enim phialam dare fratribus non poſſumus, ſaltem cyathum propinemus. 8. Ivl.

1. Beatvs Kilianus Scotorum genere nobilibus ortus parentibus, diuinæ tamen gratiæ factus eſt nobilitate clariſſimus. Scotia, quæ & Hybernia dicitur, Inſula eſt maris Oceani, fœcunda quidem glebis, ſed ſanctiſſimis clarior viris; ex quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Teutonica nobilitatur Francia. Qui, vt diximus, nobili proſapia editus, à pueritia liberalibus ſtudijs traditus, ſimul cum literarum incrementis diligenter cœpit indagare viam veritatis. Tandem præueniente ſe gratia Dei, ſpretis humanarum literarum ſtudijs, omnibuſq; huius mũdi illecebris, Monaſterium petijt, abnegauit ſemetipſum ſibi, tulitq; crucem ſuam, & ſecutus eſt Chriſtum.

Frequens eſt apud ſcriptores quoſdam vt Scotiam pro Hibernia dicant.

Digitized by Google

ſ. Kilianus fit Monachus.

Chriſtum. In Monaſterio igitur poſitus, quantæ obedientiæ, quantæque frugalitatis, quantæque fuerit vigiliarum & orationum inſtantiæ, vitæ præſentis terminus declarauit. Quamuis etenim martyrij palma per gratiam magis, quàm per meritum conſtet, bonis tamen adimpletur operibus.

Fit Presbyter & Præfectus Monaſterii.

Rom. 9.

II. Videntes itaque Monaſterij fratres in virtutum profectibus beati viri perſeuerantiam, primo eum per Eccleſiaſticos gradus ad Presbyteratus officium precibus aſcendere, deinde eiuſdem Monaſterij regiminis curam ſumere coegerunt. Ille autem ſciens perfectionem charitatis ſine proximi dilectione perfectè conſtare non poſſe, paſſus eſt in proprijs ſe aliquantulum minorari, vt fratrum prodeſſe poſſet vtilitati, imitatus Apoſtolum, cupientem anathema fieri à Chriſto pro fratribus & cognatis ſecundum carnem. Veruntamen cum fama beati viri longè lateque crebreſceret, metuens ipſe, ne popularis fauor maculæ ſibi rugam infigeret, cœpit meditari, qualiter notos & propinquos relinqueret, peteretque longe ſepoſitas terras, vbi obſcurus fama, & vilis genere poſſet haberi, quo liberius diuinis cultibus vacare valeret. Deliberatione itaque recedendi * facta, collectis ſocijs, in quibus idem feruor dilectionis ardebat, ad vicinam Scotiæ Britanniam peruenit; Quam non longa nauigatione præteriens, Galliam attigit. Qua permeata in prouinciam Germaniæ deuenit, quæ ab incolis terræ ipſius Orientalis Francia vocitatur; ibique in oppido, quod † Wirzeburg eorum lingua dicitur, latina verò lingua, virorum Interpretari caſtellum poteſt, moram ſe facturum diſpoſuit, non veritus incredulæ gentis feritatem, eo quod intrepidus coronam optaret martyrij. Sed tamen * prædicationis interim abſtinuit, donec * Romano ſe Pontifici præſentaret, quatenus apud Romanam ſedem & integrum Chriſtianæ Religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet.

*facta & peracta.

† Wirzburg.

Venit Herbipolim.

*prædicationi

* Nota obſeruantiam erga Romanum Pontificem.

*Ibernia.

Hiberni sæculo olim hæreſi fœdati.

* Conon.

† alligata.

III. * Hibernia ſiquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæreſi, Apoſtolicaque cenſura damnata, quæ niſi Romano iudicio ſolui non poterat. Idcirco vir ſanctiſſimus coram primate Apoſtolicæ ſedis, eiuſdemque miniſtris, vt ſibi ſemina diuini verbi gentilibus erogare liceret, ſtudio diuini amoris expetiuit. Tunc autem præerat Romanæ Eccleſiæ * Konon Pontifex, humanis, diuiniſque literis pollens, pontificali officio congruus, in ordinandis Eccleſiaſticis rebus diſcretor idoneus. Qui audita fide præfati viri charitatis nexibus † illigata, Deo gratias retulit, eique ſeſe charitatis amore impertiuit, exultans ſemina diuini eloquij ab inſulanis, ac longe poſitis Doctoribus augeri. Erat igitur apud egregium Pontificem non modica exultatio, quia cernebat paulatim euacuari fraudem antiqui hoſtis, creſcentibus diuinæ miniſtris operationis. Tunc ex conſenſu totius vrbis beatiſſimum virum in præſulatus * officium conſtituit, quo & chriſma conficere, & Eccleſias dedicare, & ſacros ordines conſecrare irreprehenſibiliter valeret. His ita peractis dimiſit eum, monens, vt cœpto operi inſiſteret, à domino ſibi parato præmio æternæ retributionis.

Ordinatur Epiſcopus.

* officio conſtituit, vt ſacros ordines conſecrare tr. v.

*Wirzeburg.

Gozbertus Dux Franconiæ.

Luc. 21.

IV. Beatus itaque Kilianus vrbem egreſſus, peracto itinere cum Kolomanno Presbytero, & Totmanno Leuita ad locum ſibi deſtinatum peruenit, Columbano in Italia relicto. Nam Romam pergens Gallum in Alemannia, febre grauatum dimiſit. Veniens igitur ad prædictum oppidum Orientalis Franciæ * Wirziburg, non eum, quem in eadem prouincia ducem reliquerat, inuenit, ſed alium nomine [b] Gozbertum. Porro venerabilis vir paulatim cœpit pabula diuini verbi incredulis populis miniſtrare. Tantam enim Dominus ei gratiam contulerat, vt in breui tempore gentis loquelam perdiſceret, & eis proprio ſermone ſemina veritatis erogaret. Mirabantur autem omnes non ſolum nouitatem doctrinæ, ſed exuberantiam quoque eloquentiæ, facundiam etiam ſermonis comitabatur efficacia virtutis. Impletum eſt in illo, quod veritas Apoſtolis promiſit: Ego, inquiens, dabo vobis os & ſapientiam. Et iterùm: Opera, quæ ego facio, & vos facietis.

Ioan 14.

V. Sed cum iam diuini ſemina ſuccreſcerent eloquij, & plebs gradatim minueretur errore gentilitatis, vſque ad principes populi ſancti viri fama peruenit, vt Ducem quoque prouinciæ non lateret. Qui eundem ſanctum virum ſibi præſentari iuſſit, experiri cupiens, quæ eſſet hæc doctrina, quam prædicabat, hactenus ſibi incognita. Erat verò idem princeps naturali ingenio præditus, licet gentilitatis errore fœdatus. Ad quem cum à beato viro peruentum eſſet, conſtanter veræ dogma religionis inſinuare cœpit, docẽs, vnum eſſe Deum viſibilis & inuiſibilis creaturæ auctorem, in Trinitate perſonarũ, & vnitate diuinitatis conſiſtentẽ Ieſum Chriſtum, à Iudæis crucifixum, in vna perſona verum Deum, verumq; hominem, in natura diuinitatis æqualẽ patri, in natura humanitatis factũ mortalẽ, tertiam tamen in Trinitate * perſonã, per quã rationabilis, mortaliſq; creatura, inuidi hoſtis fraude decepta, fit miſericorditer reparata. Præfatus autem princeps adiuuans tanti viri conſtantiam, & ſermonum inſuperabilem † veritatem, quia, vt diximus, naturali pollebat ingenio, veris ſe ſuperatum ſententijs videns, ad tempus eius diſtulit auditionem, volens frequenti apud ſe tractare rimatu, vtrum quem Kilianus docebat, an Dianæ cultus præponendus foret. Diana namq; apud illũ ſumma veneratione habebatur. Verumtamẽ egregius vir iugi inſtantia laborabat, vt Deo redderet animas, quas diabolus perdere conabatur. Lucerna igitur ſupra candelabrum poſita, omnibus reſplendebat, & ciuitas in monte conſtituta ab omnibus videbatur. Porrò prænominatus Dux cernens perſeuerantiam prædicationis egregij viri, ſecreto venit ad eum, cupiens doctrinis eius inſtrui, quatenus cognito tramite veritatis abigere valeret anfractus erroris. Sed à beatiſſimo viro Catholicæ fidei documentis diligenter inſtructus, proximo die Dominicæ reſurrectionis cum multis alijs dato nomine, aqua lotus baptiſmatis, abſolutionem priſtini promeruit erroris. Sicque factum eſt, vt tota penè prouincia Orientalis Franciæ, relicto dæmonum cultu diuinæ religioni operam daret.

*perſonam, Spiritum ſanctum, per quam.

† virtutem.

Matth. 5.

Dux Franconiæ credit & baptizatur cum multis alijs.

VI. O beatiſſimum virum Apoſtolicæ dignitati comparandum. Ad iudicium namque Domino veniente, Petrus Iudæam, Andreas Achaiam, cæterique ſecum diuerſa regna trahent, inter quos beatus Kilianus Teutonicam Franciam ducet. Quanta tunc erit exultatio patris in prole, & prolis in patre, quando omnibus mundi conſumptis periculis, neque memoria reſtabit tribulationis? Sed iam tempus eſt, vt ad beati viri, ſociorumque eius martyrium ſuccinctè pergamus, ita tamen, vt moderata breuitas & ſtudioſo lectori ſatisfaciat, & deſidioſo faſtidium tollat. Prædictus Dux Gozbertus monitu aſſiduo beatiſſimi præſulis ad meliora de die in diem proficiebat. Erat illi tamen coniunx ſecundum gentilitatis ritum, quæ quondam fratris ipſius coniugio fuerat copulata. Hæc † Geilana nomine dicebatur. Præclarus autem vir Dei idcirco in initio fidei noluit tale prohibere coniugium, ne in pœnitudinem credulitatis, grauitate monitus princeps prælibatus duceretur. Et hoc eſt, quod Apoſtolus in fide nondum perfectis dicebat: Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, perfectorum enim eſt ſolidus cibus. Ideoque egregrius Martyr, quod grauius nouerat, diſtulit in futurum, ſimulque diuino reuelante Spiritu, ſciens in hac re ſibi & ſocijs cauſam conſtare martyrij, vt multis interea prodeſſet, interim omiſit tale damnare coniugium, licet cuperet diſſolui, & cum Chriſto eſſe, imitatus, Apoſtolum, qui in ſporta per murum à fratribus dimiſſus eſt, non vt mortem timeret, ſed vt multis ante mortem prodeſſet. Verumtamen cum quadam die venerabilis præſul Ducem familiariter alloqueretur, dixiſſe fertur inter cætera: Fili mi, quem per Euangelium genui, gaudeo valde in profectu fidei tuæ, ſed

† al. Geila. al. Giſila.

1 Cor 3.

Heb 5.

Act. 9.

Digitized by Google

ſed multum me mouet, quia illicitis nuptijs detineris, & vereor nimis, ne à recto itinere tali coniugio retarderis. Legitur enim ſapientiſſimo dicente viro: qui in vno offendit, multa bona perdit, Iacobo Apoſtolo teſtante, quia qui totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. *Propterea in baptiſmate innouatur homo, & non ex parte, ſed totus. Vt autem totus innouari poſſit, nihil priſtini retinere deberet erroris.

Eccl. 9.
Iac. 2.
*præterea.

VII. AVDIENS hæc princeps, primo hæſit ſtupore, deinde alta ſuſpiria trahens (valdè enim diligebat eam, quam habebat vxorem) demum tale fertur dediſſe reſponſum: Audiui pater te docente, quia Dominus Ieſus monet nihil præferendum ſuo amori, non patrem, non matrem, non filios, non vxorem, & idcirco quamuis vnice diligam iunctam mihi vxorem, præpono tamen diuinum amorem. Sed nunc non adeſt mihi otium inquirendi qualiter eam dimittam, quia contra hoſtes noſtræ reipublicæ feſtino, cum autem fuero reuerſus, inuenta opportunitate dimittendi ſeparabor ab illa. Hæc verò cum ad aures Geilanæ perueniſſent, (quis enim fallere poſſet amantem,) graui incanduit ira, ceu raptis catulis leæna, diuque ſecum bacchata, ex eo cœpit *quærere, quomodo ſanctos viros extingueret, neque enim abſente marito tanto † ceſſaret cardine rerum. Felix Kiliane, qui Heliæ & Ioanni dignus es comparari. Helias namque Iezabelis inſidias pertulit, Herodiadis fraude Ioannes martyrium accepit, tu Gailanæ Zelo truncaris, tribus tamen vna eſt cauſa laboris, teſtificatio videlicet veritatis. Helias non nuptias prohibuit, ſed mulieris improbitatem damnauit, ideoque tamen euaſit, quia Dominus eum abſcondit. Ioannes & Kilianus quia nuptias vetuerunt illicitas, fœmineo veneno mortem pertulerunt. Nulla ſiquidem feritas beſtiarum in hoc mundo ſimilis mulieris malæ. Ad huius rei exemplum ſufficiunt duo omnibus alijs incomparabiles viri. Samſon inuicti roboris, Dux Iſraeliticæ plebis, & Salomon inexhauſta ſapientia laudabilis, quorum vterq; fœmineis fraudibus ceſſit, hic idola colendo; ille, quo priuari fortitudine poſſet monſtrando. Nulla igitur beſtia in hoc mundo ſimilis eſt mulieris malæ.

Luc. 14.
Geilana cædem S. Kiliano meditatur.
*quærere opportunitatem, quomodo.
† ceſſarat.
Iud. 16
3. Reg. 11.

IIX. IGITVR ad propoſitum redeamus. Nefanda mulier, de qua nobis ſermo eſt, callida meditatione perquirebat, qualiter ſine populari ſtrepitu, & vulgi cognitione ſanctos viros perderet. Armabatur namque impatientia iræ, & libidinis furore. Et quia diabolus iniqua cupientibus fomenta malitiæ ſubminiſtrat, inuenti ſunt duo miniſtri crudelitatis, qui promitterent, ſe ſatisfacturos Geilanæ deſiderijs, datis ſibi muneribus miſerrimæ executionis: atque ita factum eſt, vt accepto præmio nefandi operis peruenerint ad votum fœmineæ crudelitatis. Solebat namque beatiſſimus Martyr Kilianus poſt paruam dormitionem neceſſitatis, ad ſtudium vigilare propenſæ orationis. Quadam verò nocte cum leues ſomnos carperet S. Kilianus, ita vt nec dormiret integrè, nec vigilaret apertè, apparuit ei vir habitu formaque pulcherrimus, qui diceret, Amice Kiliane, ſurge, *volo te diutius laborare, vno duntaxat certamine tangeris, & ſic iugiter victor mecum eris. His dictis abſceſſit. Euigilans autem egregius vir intelligens diuinam ſibi adeſſe viſitationem, conuocatis fratribus, inquit, Fratres euigilemus, cito aderit Dominus, & pulſabit ianuam; cauendum ergò eſt, ne nos ſomno torpentes inueniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus eſt, ne ſi defecerit, tunc incipiamus quærere, quando non poterimus inuenire. Illis itaq; circa medium noctis orationibus vacantibus, carnifices ſtrictus gladijs locum, in quo orabant, penetrarunt. Quos cum facei vir intuitus eſſet, ait, Amici ad quid veniſtis? implebitis præceptum, *conſummabitis curſum. His dictis interfecti ſunt, ibiq; terræ mandati, ne quis ſcire poſſet, quid factum foret. Veſtimenta quoq; cum quibus diuina officia peragebant, ſacriq; libri ſimul cum eis defoſſa ſunt, ne quod indicium necis eorum deprehendi poſſet, ſed clam diſceſſiſſe putarentur cauſa ſolitæ peregrinationis.

Viſio S. Kiliani.
*nolo.
Matth. 25.
Cæditur S. Kilianus cum Socijs An. 689
*conſummabimus.

IX. ERAT tamen quædam nobilis mulier, Burgunda nomine, quæ à principio prædicationis eorum ſanctis adhæſerat viris, habens cellulam iuxta oratorium Sanctorum, quo facilius diuinis laudibus intereſſe valeret. Hæc intenta vigilijs, quæ facta fuerint, diligenti ſtudio inueſtigauit, recedentibusque carnificibusque linteolo fuſum ſanguinem Sanctorum collegit, ac terræ diligenter infodit, vigilijs & orationibus vacans, vbi Sanctorum corpora obruta nouerat, excolebatque locum veneratione, qua poterat, licet ſilenter, ne ſicut poſtea factum eſt, Geilanæ iuſſu remoueretur. Eadem ſceleratiſſima mulier ſtratis quoque *plancis, ſtabulum equorum, in loco, vbi ſancti Martyres humati erant, fieri iuſſit, ne quo indicio ſacra corpora proderentur. Ferunt tamen ab his, qui tunc fuêre, poſteris relatum, quod animalia ibi ſtabulata ſuper ſepulcra Martyrum, nec ſtercora, nec vrinam iacerent, honorem Martyribus exhibentia, vt quod de capite Propheta vaticinatus eſt, hoc in eis membris repererentur. Cognouit, inquiens, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſraël non cognouit. Taliq; modo, vt dictum eſt, Sanctorum corpora hominibus pene ignota forent, niſi præfata Burgunda in extremo vitæ poſita, quibuſdam fidelibus, vbi poſita eſſent, *reuelauerit.

Burgunda Sanctorum ſanguinem colligit linteolo
*linteolo mundo.
† plantis.
Eſa. 1.
*reuelaret.

X. CONTIGIT autem, vt dux peracta militia reuerteretur ad locum, vbi ſanctos viros dimiſerat. Quos cum non inueniſſet, ſtudioſè cœpit perquirere, quādo & qua cauſa receſſerint, quoue abierint; eius n. vxor veneno malitiæ fœdata, aliquando *rubore perfuſa, aliquando pallore depreſſa, aliquando confidentia roborata, diuerſos anfractus nequitiæ ſuæ fraudibus prætendebat dicens; non ſe eos cuſtodiſſe, neque cuſtodes adhibuiſſe; quando voluerant veniſſe, quando ſibi placuit receſſiſſe, quo peregrinationis ſuæ ſeruarent propoſitum. Quem fœminea verba non emolliunt, quem à ſtatu rectitudinis non retrahunt? Credulus itaque verbis coniugis Princeps aliquantulum cœpta inquiſitione quieuit. Sed enim iuxta dominicam vocem, nihil opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non ſciatur. Cum ea quæ facta fuerant paulatim obliuioni traderentur, vnus eorum, qui ſanctos viros gladio inuaſerant, ſubitò à dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit; Kiliane acriter me perſequeris, ſiquidem igne conſumor, quod feci, celare non poſſum, video mihi imminere gladium ſanguine tuo reſperſum. Talia diu vociferans, & proprijs ſe dentibus lanians, à præſenti migrauit in æternam pœnam. De talibus quippe ſcriptum eſt: Duplici contritione contere eos Domine. Alter verò mortis ſanctorum conſcius, in rabiem verſus, gladio ſemet appetijt, effuſiſq; viſceribus per tormēta præſentis temporis ad æterna peruenit. Quis Geilana, tibi cernenti talia ſenſus tunc erat? infelix cruciatibus acta furebas. Non multo poſt & ipſa bellua, de qua loquimur, dæmonibus arrepta, quanta poterat voce clamabat, iuſte torqueor, quæ ſanctis viris tortores adhibui, rectè crucior, quæ ſanctis viris tortores adhibui, rectè crucior, quæ cruciatus paraui. Acriter inſtas, Kiliane, ignem accendis Kolomanne, fomenta miniſtras Tonane. Sufficiat vobis viciſſe; nimis veſtras vlciſſimi iniurias, A Calice Kiliane diceris, ſed valdè amara pocula mihi infundis. His dictis miſerabiliter vexabatur, ita vt à multis vix teneri poſſet. Tandem cum magno cruciatu ad cruciatum diabolo paratum peruenit. Cernimus impletum quod Veritas in Euangelio, inquit, Dominus non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die & nocte, & patientiam habebit in illis. Amen dico vobis quia citò faciet vindictam illorum.

*verecundiæ robore.
Matth. 10.
Percuſſor martyrum ſeſe prodit arreptus à dæmone.
Item 7
Geilanam occupat obeuntem & dæmon ſecum ducit in tartara.
Luc. 18.

His ita geſtis aiunt Gozbertum à proprijs ſeruis interemptum, filiumq; eius principatu deiectum, cognatos affineſq; eorum à cōtribulibus talia perpeſſos, vt vix aliqua eis reipublicæ dignitas in eadem prouincia māſerit. Cur autem hæc prouenerint, vtrum quia fidem rectam ſeruabant, ab his, qui ab ea deuiarant, talia paſſi ſint, an quia ipſi poſt obitum ſanctorum martyrum è tramite veritatis receſſerant, vindictam hanc à Deo illatam ſibi pertulerint, viderit ipſe quem nullum latet ſecretum; dummodo nil talium pudeat nos ignorantiâ rerum.

Gozbertus dux à ſeruis proprijs interemit.

ENIMVERO, quia ad finem operis tendimus, operæ pretium arbitramur, ſi virtutum beati Martyris ſaltem XI.
*Getrudis. vnum miraculum fateamur. Venerabilis * Virgo Gertrudis Pipini Regis Francorum filia, cum virum accipere nol-
let, cui eam pater ſociare volebat, auxilio matris, quamdiu potuit, paternis in regnis latuit. Sed cum diutius la-
*Karliburg tere non poſſet, venit in partes ſupradictæ orientalis Franciæ, in locum, qui nunc corruptè * Carleburg vocita-
tur, ibique de facultatibus ſuis in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ monaſterium conſtruxit, quod vſque in præ-
* Attalongum. ſentem diem permanet, vbi * Atalongum Presbyterum & Bernardum diaconum, quos ſecum adduxerat, or-
dinauit. Ipſa dehinc ad propriam terram rediјt, quia procum ſui coniugij obijſſe cognouit, quæ vſque ad vitæ ter-
minum in Virginitate permanens, virginitatis ſimul, & morum probitate Deo complacuit. Prædictus autem A-
* quam paulatim, i. abſolebat. talongus ignorabat Kilianum, forſitan vt vix eius audiuerit famam, * quæ paulatim ignorantia abſoleuerat. Erat
tamen Sacerdos diuinis eruditus literis, diuiniſque deditus mandatis; ſed vt diximus meritum beati Martyris i-
gnorabat. Veruntamen cum quadam die puerorum claſſes, quas ad ſtudium literarum erudiebat, ante ſe, vt
* diſcendi. materiem * dicendi ab eis perquireret, ſtare juberet, cœperunt hi, qui iunioris ætatis erant, diuino impulſi ſpi-
ritu vociferari dicentes: Kilianus ſigna facit, de loco, in quo indignè iacet, tolli debet. Quod cum venerabilis pres-
byter audiſſet, ſtupore repletus eſt; præſertim, quia puerilis timiditas nullatenus magiſtralem auſteritatem ve-
*vnquam. rebatur, minas tamen eis intulit, vt ſi * nunquam tale fari auderent, quod vtilitate careret, grauiter verberi-
bus premerentur. Factum eſt autem inter hæc, vt ſolis curſus noctis tenebris interpolaretur, prælatusque Presby-
ter poſt cibi potusque neceſſitatem reſolueretur in ſomnum. Qui tam graui ſomno preſſus eſt, vt phantaſtico videre-
*præſtigio. tur premi * veſtigio, Inſtante aurora, cum grauitas illa dormitionis deſiceret, vidit per ſomnia venerabilem ante ſe a-
ſtare virum, lumine terribilem, qui diceret, Niſi credidetis non videbis. Quod & Dominus Iudæis prophetico affa-
mine comminatus, dicens: Niſi credideritis, non intelligetis. Orto autem die, cum iam ſol ſecūdam tangeret lineam,
interrogauit miniſtrum, vtrum Phœbus adhuc emerſerit matinis vndis, attamen cum cognouiſſet, quod iam diei
produceret horas, defigens in phœbeos radios obtutus luminis, apertis oculis nil vidit. Intelligens tamen quod
ſibi ſomnium prætulerit vaticinium cæcitatis, ac temeritatem ſuam ad mentis oculos reuocans, puerorum præ-
conia præſagium intellexit diuinæ operationis. Tunc flens & eiulans cœpit dolere, non tantum cæcitatem cor-
poris, quàm præſumptionem mentis. Hinc ab incolis loci illius, in quo morabatur, ſciſcitari cœpit, quis fuerit
Kilianus, cuius laudes etiam puerilis lingua fatebatur. Interea adfuit quidam ruſticus, qui quamuis dignitatem
*perſequi. hiſtoriæ * proſequi non poſſet, materiam tamen facti verbis, quibus valuit, patefecit, dicens: Ex longinquis Ki-
lianum partibus adueniſſe, fidemque Chriſtianæ Religionis habitatoribus ipſius prouinciæ oſtendiſſe, muliebriq;
fraude extinctum, ignorantia ſimul vulgi, temporiſque interſtitio aliquantulum obliuione interlitum. Quod cum
venerabilis ſacerdos audiſſet, inquiſita Martyrum ſepultura, ſe illuc deducendum popoſcit, ibique orationibus
atq; vigilijs inſtanter poſcebat, vt interceſſione venerabilis Martyris, ſociorumque eius ſibi Dominus amiſſum red-
deret lumen; damnans in ſe ignorantiam diſcretionis, temeritatemq; ſermonis. Tandem beneficijs ſanctorum re-
cepto lumine, non ceſſabat publicè pandere, quibus poterat, facta in ſe miracula diuinæ operationis; adeo, vt ve-
Occaſio, qua corpora SS. Martyrum ſunt eleuata. netabilem Archipræſulem Bonifacium, qui tunc Moguntiæ præerat Eccleſiæ, adiens, quanta ſibi fecerit Deus
meritis B. Kiliani, ſociorumque eius, diligenti narratione proſequeretur. Erat autem idem Atalongus fama &
moribus non ignobilis, ideoque non ſolum ſancto viro Bonifacio; verum etiam omnibus recta fateri videbatur.
Ex eo itaque tempore inueſtigabat Archipræſul * venerabiliſſimus, qualiter oppidum, vbi Sanctorum corpora po-
* venerabillimus. ſita erant, Epiſcopali dignitate ſublimaret. Et quia ad finem huius operis tendimus, hic terminum narrationis pona-
mus. Qualiter autem venerabilis Pontifex publicitus Epiſcopalem ſedem † Wirziburg primus promeruit, & quo-
† l'Virzburg. modo Martyrum corpora de loco, vbi indecenter poſita fuerant, ſuſtulerit, in vita ipſius, prout poterimus, manife-
ſtate curabimus, Ad laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre & Spiritu ſancto viuit & regnat
Vide ad 14. Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.
Octobris, ſed incertum, an hæc ſit eiuſdem authoris, cuius illa.

AN.650. *VITA SANCTAE LANDRADAE VIRGINIS, A THEODORICO ABBATE CONSCRIPTA.*

8. IVL. NEMO qui dubitet, ad gloriam omnipotentis ſpectare, geſta Sanctorum oblita aut abolita, recolligere PROLOG.
aut propagare. Quaſi enim in quandam ſpeciem futuræ meſſis huiuſmodi grana iaciuntur, & ia-
cta vberiori ſegete luxuriant & recolliguntur, cùm auditor ſtudioſus aut extenditur in bonis, aut pro-
for. * priſcorum. hibetur à malis. Hoc ſtudio accenſa olim * priorum licentia, non modò in proprijs, ſed etiam in peregri-
nis deſudauerunt ſtudijs: vt Cicero in Oecumenico Xenophontis, Virgilius in Iliade Homeri, Teren-
tius in Comœdijs Menandri. Quæ omnia etſi mulcent corda audientium, compertum eſt quantùm proſint benè in-
tellecta ad correptionem delinquentium. Cæteros vt taceam, quis non miretur feruentiſſimum illius Ptolemæi regis
ſtudium? cui cùm non ſufficerent omnia Græcorum gymnaſia, auditum eſt, quo ſudore, quo ſumptu, quibus ſtipen-
dijs comparauerit vel extorſerit ingenia eorum, quos appellant Septuaginta. Hos omnes noſter Hieronymus quo-
dam volatu ſupergreſſus, literas, velut fugientes toto orbe, perſequitur, auſuſq; ingredi denſiſſimam Hebræorum vel
Amos.7. Chaldæorum ſyluam, infinito labore vſq; ad dentium ſectionem, cum Amos propheta ſycomoros vellicat: fractoq;
nucleo & peregrina captiuata litera, pugnacem Herculi de manu extorquet clauam, multorumq; annorum ſudores
Latinis importans ærarijs, alienos labores noſtros vſus facit. Innumerabiles præterea alij hoc ſtudio arsêre, qui, vt ait
Dan.12. Daniel, ad iuſtitiam erudiunt multos, & velut ſtellæ in perpetuas lucent æternitates. Sed quò hæc tam longo repeti-
ta principio? Videlicet, vt oſtendam non proteruè, aut mollibus delectatum munuſculis me ad ſcribendum prouo-
cari: ſed ſola charitatis intentione, quod nequeo, conari. Neq; enim nullius laboris eſt, priùs dicta aliter dicere, &
vetera in nouum auditorium reportare, vbi nulla hominum ſpecies & diſcolor vſus. Aggrediar tamen vna lucubra-
tiuncula vitam beatæ virginis Landradæ, vobis petentibus vt ſatisfaciam, & cæteras exemplo admirabilis fœminæ ad
virtutem vt accendam, eiuſque meritis ſaltem aliquam debiti mei merear veniam. In ferculo enim noſtri Saluatoris
Cant.3. columnæ argenteæ, aſcenſus purpureus, media conſtrata charitate propter filias Hieruſalem. Eapropter etſi nitorem
eloquij, aut ardorem necdùm attigimus martyrij, ſaltem ad medium ſuſpiremus ſtrati: vt qui nec columnæ alios por-
tando, nec purpura ſumus pro veritate moriendo, medium tamen occupemus, vera rectè credendo, & recta verè
ſcribendo. Satiùs enim eſt, per huiuſmodi detegere ingenium, quàm per Aonios montes & Heliconis vertices,
vt poëtæ canunt.

POST glorioſum igitur Dominicæ reſurrectionis triumphum, accenſo quaquauerſùm igne illo, quem Domi- I.
Luc.12. nus Ieſus venit in terrā mittere, & voluit vehementer accendi, nō modò viri, ſed & fœminæ admirabili illo omnipo-
Currētes in tentis amore vſq; ad cōtemptū mortis incaluēre. Non ætas, nō ſexus, aut quicquid poteſt illicere aut blādiri, currentē

Dei

Dei morabantur. Ridebant aſpera, calcabant proſpera, & pleni ſpe immortalitatis, paſcentem in meridie dilectum, toto conatu, dum vſq; apprehenderent, perſequebantur. Tormenti * occaſio ſi deeſſet, ſecum ipſi pugnabant, & aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis, gratia Dei per Ieſum Chriſtum quotidiano ſui cruciatûs martyrio expugnabant. Ex hac probatæ Chriſti monetæ maſſa, egregiæ virtutis imago virgo fuit Landrada, contra ipſum ſuperbiæ gigantem diabolum pugnaciſſima: virginibus quidem imitabilis, ipſiſque viris admirabilis. Atque vtinam ad exemplar talis fœminæ viri ſe extenderent, & ſenectus vel coacta redderet, quod ſponte profitetur adoleſcentia. Francorum ſoboles, & eorum, quos Maiores domûs appellant, inclyta proles, totam priorum progeniem à ſtirpe ſuis meritis nobilitauit & ornauit. Taceo, quòd in matris vtero benedicta, antequàm nata: priùs electa, quàm concepta: abvſque incunabulis ſtatim Chriſtum ſubintelligere, & quibus licebat motibus infantiam deteſtari, & neſcio quid diuinius ſtudebat ſapere. Vnica parentibus, eoque magis affectuoſior: iam in ea erat videre ætate, quanta poſtmodùm vas illud repleretur ſpiritûs ſancti gratia & vbertate. Clotarius quartus à * Ludouico, quem beatus Remigius baptizârat, trium regnorum monarchiam eo regebat tempore, Burgundiæ, Neuſtriæ & Auſtriæ: Pipinus Carlomanni filius cum viro Dei Arnulpho, poſteà Metenſi Epiſcopo, Maiores erant domûs, glorioſiores ſuper hac nuper natæ neptis ſuæ ſanctitate, quàm ſuper eius, cui principabantur, regni cura & moderamine.

ſtadio Dei nulla debet morari aduerſitas. * Cant. 1. Rom 7. Landradæ genus. * Idem etiã Clodoueus dicitur.

II. Decennivm eius nunc prætereo, quod totum tanta percucurrit pietate & gratia, vt nutritores ſuos quotidiè videretur incitare ad religionis ſtudia. Ad ea venio, quæ poſteà proprio ſudore elegit, arripuit, tenuit & perimpleuit. Inſtabant parentes vnicam ſuam nuptui tradere, recuperaturi fœcunditatem in ramo, cuius erant experti iacturam in trunco. Illa ſtatim, velut ſi iam ex ipſius ſui ſponſi ore audiſſet: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, &c. reiecto vultu, ea qua decebat, reſpondens indignatione, nuptias, matrimonia, nouem menſium faſtidia, ipſius horæ pericula, & cætera, quæ ſequuntur, incommoda, tanta perorauit grauitate, vt ipſos penè parentes admonuerit de continentia & libello repudij.

Pſal 44. Reſpuit nuptias.

III. Abhinc ſpretis omnibus, & vnius cellulæ clauſa anguſtus, paradiſi perfruebatur latitudine, eodem ſolo orans & recubans, eademq; anguſtia, ſicco pane & aqua magis prouocans quàm reſtringens eſuriem. Inter huiuſmodi virtutes & infirmi huius corporis caſtigationem, caſtitatem ſi prædicem, vt ſuperfluus reprehendar. Balneas ignorauit, mollia ſtrata, etiam febre cum æſtuaret, abhorruit. Cilicio obuoluta, in nuda humo Chriſti miles exercebatur: quod peccâſſe quis poterat, velut ſi iam ipſa quoque peccaſſet, in ſe vindicans, & alieni delicti pœnas luens.

Mira eius abſtinẽtia. Vitæ aſperitas.

IV. Martinvs eo tempore Romæ, Remaclus Traiecti verbo & opere peruigilabant in cura ſacerdotali: Trudo in Haſbania in tyronem Chriſti caleſcebat. Horum accenſa virtutibus, per momenta aut patriam deſerere, aut eremum deſiderabat inuolare. Interim nunquàm ſine lachrymis, nunquàm dies aut noctes ſine afflictionibus habebat continuis, dicens cum Pſalmiſta: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Paulos & Antonios ſemper habens præ oculis, ſola & incomitata penè inuaſerat ſolitudinem, ſi non aut ætas, aut quos paſcebat, pauperum cura pedem eius tenuiſſent. Nullus enim clericorum, nullus inopum eius euaſit manum, quin aut cibo ſuſtentaretur, aut veſtibus eius obuolueretur. Quorum enim cellas non intrauit? quorum pedes ipſa non lauit? Mira intentio, & difficilis in hoc tali ſexu fortitudo. Forma ſupra hominem auguſtiore, & reliquis omnibus quadam maieſtate decoris excellentibus, ornatum ſuum ipſa reprehendere, & vili aliquo palliolo totum corpus ſuum obtegere: vt qui eam vidiſſet, non ipſam, ſed vltimam crederet ancillarum. Ocium labore caſtigabat manuum, vigilijs dedita vltra humanum modum.

Pſal. 6. Liberalitas in pauperes. Habitus vilitas.

V. Retractat rurſus de eremo, & quæ omnia iam pro Chriſto reliquerat, totum id fruſtra reputat, ſi non ſeipſam quoque abneget & relinquat. Ibi verò Crucis erecto vexillo, expanſiſque omnibus nauigij ſui velis, inuitis parentibus, reclamante familia, ſaltum, quem à feritate inhabitantium belluarum, Belluam vocant, inuadit, erectoque propria manu breui tugurio, ingreditur, & pugnatura cum diabolo, neſcio quæ diuiniora & vltra hominem pugnæ genera aggreditur. Gloriabatur contubernalem ſe factam Eliæ & Iohannis, quorum alterum corui, alterum mel ſylueſtre & locuſta pauerunt. Vrſorum & aprorum, cæterorumq; id genus cohabitationes tanta ſecuritate ridebat, vt putares eam illud Iob dicere: Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. Habebat tamen & curam paſcendi gregis, non vt eſu carnium, cuius ab adoleſcentia nunquàm vel tenuem guſtum attigerat, delectaretur, ſed peregrinis & pauperibus hoſpitio receptis vt ſolatiaretur.

Petit deſertum locum. 3. Reg 17. Matth. 3. Iob 30.

VI. Pver officialis in paſcendo pecore dum occupatur, irruentibus tenebris, nocte ingruente, dum per auia porcos proſequitur, ipſe quoque ſano quodam errore impeditur. Peruigil enim dum medias noctis agit excubias, eleuatis oculis, arrectis auribus, more illorum Euangelicorum paſtorum illuſtratur. Horrebat à latere veprium denſitas, aſperitate inacceſſibilis, & neglectu intractabilis. Super hunc locum lumen inprimis cælicum videt, poſteà cum lumine cantum exaudit angelicum. Stupebat ſeipſum, & quid rei portenderet maieſtas, tremulis motibus expectabat. Ablata viſione, die reddita, in ſeipſum reuerſus, recollecto pecore, miraculum ad virginem tanquàm ad cæleſtis oraculi propitiatorium reportat, & de omnibus iudicium eius expectat. Illa nihil mota, vtpote quæ Angelorum ſoleret frequentibus vti colloquijs, futuræ tamen nocti cum ieiuniorum & orationis purificatione ſe præparat.

Luc 2. Paſtor porcorum ei reuelat ſuam viſionem.

VII. Accersit etiam presbyterum, nomine Sigematum, & cum eo quibuſdam ſecretis animæ luſtrationibus celebratis, cum illo ſuo paſtore locum adeunt. Ibi ſolo recubans, & neſcio quæ myſtica diuinis auribus immurmurans, terram lachrymis compluebat. Ardebat hyems ſolito algore horridior, niuibus denſiſſimis, & triſti vredine omnia pigra iacebant. Illa nudis pedibus & lanea ſingulari induta, quo magis ſpiritûs ſancti igne interiùs incanduit, eo faciliùs aëris incommoda exteriùs ſuſtinuit. Tunc verò cæli aperti, tunc lux cæleſtis dupliciùs effuſa reſplenduit.

Viſio ei offertur.

VIII. Voces etiam angelicæ ſolita dulcedine præſentiùs inſonuêre, & quædam diuinitatis conſilia de theſauris cæleſtibus ad deſponſatam Deo virginem reportauêre. Exhinc velut præmonita, & de voluntate ſui amatoris edocta, nullam prorſus prætereundam putauit diem, quin eundem locum reuiſeret, & debita illic orationum munia perſolueret. Ita pia voluntas in neceſſitatem vertitur, vt tranſgreſſio putetur, ſi quicquam de religionis ſtudio imminuatur. Sic peruigilantem, ſic oleum in occurſum ſui ſponſi continuè præparantem, Virginis filius inæſtimabilibus donis remunerat, & quaſdam velut arrhas de illo ineffabili ſuo ærario deſtinat. Stabat in medio noctis ſilentio incomitata & ſine arbitris, & vltra omnem hanc luteam infirmitatem eleuata, libero mentis pede in odorem cæleſtium vnguentorum currebat, cùm ſubitò patefactis cælis, comitante lumine, mirifici operis Crux delabitur, & Landradæ, quæ iam mundo crucifixa erat, velut pro munere ſuper contiguum lapidem deponitur. Durant adhuc non languidæ fidei certa monumenta.

Cant. 1. Crux ad eã cælitus defertur.

IX. Sicvt enim mollis cera impreſſam ſigilli imaginem recipit & repræſentat, ita & duriſſimus lapis adhuc nobis eiuſdem Crucis totam impreſſionem integrè demonſtrat. Vox interim adminiſtratorij ſpiritûs audita eſt: Accipe Landrada hoc ab immortali ſponſo charitatis pignus: ipſe tibi Crucis mittit ſponſalia, qui in Cruce moriens, reſtaurauit omnia. Amatoris tui hæc ſunt munera. Tali munimine hoc in loco deinceps non nocebunt ſpiritus immundi, fames, mortalitas, aëris inæqualitas, morbi & peſtilentia. Inualeſcit materia, ſuccumbit ingenium, & conſide-

Signa Crucis in lapide manent.

Digitized by Google

rata tua bone Ieſu inæſtimabili charitate, vltrà iam non eſt in nobis ſpiritus. Ideoque diuiniora hæc & quæ ſupra homines ſunt, ſolummodò adorantes, cum reuerentia præterimus, & velut ſubmiſſis alis, à ſupra firmamento ad terram ſtylum deponimus.

Virgo Dei gauiſa de munere, roborata de conſolatione, oblita ſexûs & ætatis, in quandam virilitatem accingitur, proprijſque manibus negocium, quod non poterat, aggreditur: vepres & ſpinas extirpare, humum ſarrire, eccleſiam in honore & memoria Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ conari fundare: & quod mirum forſitan videatur legenti, proprijs ipſa manibus lapides effodere & comportare, lineam ducere, fundamenta iacere, & in loco ſibi deſtinatæ Crucis non alius, quàm ipſa, collocauit ipſum, quod adhuc perdurat, altare. Adfuit indefeſſæ laboratrici ſuæ manus omnipotentis vſque ad conſummationem perfecti operis. Tunc verò Lambertum Epiſcopum, poſteà Chriſti martyrem futurum, euocat, & pia commonitum familiaritate, qua ſe ab initio ſanctæ animæ obligauerant, nouæ ſuæ eccleſię conſecrationem & reliquiarum impoſitionem ex voto impetrat. Ex hinc iam creſcente religione, & paſſim diffuſo vnguentorum Chriſti odore, populus Dei ſpreta auſteritate eremi, velut ad plantaria conuolabant paradiſi. Virgines ad centeſimum, viduæ ad ſexageſimum fructum quotidiè colligebantur: plures præterea, quæ triceſimum in coniugalitate expectabant bonum, ex conſenſu, poſtpoſita domo & dulci liberorum amplexu, fauos piæ intentionis cum tota re familiari comportabant ad aluearia Chriſti. Videbat diabolus, & ingemiſcebat: & qui olim dixerat, Ponam ſedem meam in nubibus cæli, in lateribus Aquilonis: vigentes animos in ſexu fragili mirabatur, & ab infirmo Dei, quod fortius eſt hominibus, calcabatur. Aliæ patientia, aliæ pugnabant obedientia. Aliarum tepens calor moderatis ieiunijs refrigerabatur. Aliarum tepidius ſtudium exemplis & conſolationibus * accendebatur. Tanti dux fœmina facti: in cuius ore pallor ex ieiunijs, eleemoſyna in pauperes, conſtantia in aduerſis, modeſtia in proſperis, in ſeruos Dei iuge obſequium, humilitas cordis & veſtium, ſermo etiam modeſtus, idemque ſufficienti ſale conditus, quem non frangerent, quem ad virtutem non accenderent? X.

*Margin: Suis manibus templi ſtructuram molitur. — Multæ ad eam viduæ & virgines confluunt. — Eſa. 14. — * deeſt, fermentium, aut aliquid tale*

Hac tali virginum militia, his gymnaſijs in breui locus adoleuit, & in omnis humanitatis accreſcens annoſitatem, non vt priùs à belluis Bellua, ſed Belyſia, id eſt, bene Elyſia, vocari cœpit. Siue enim nemoroſam iucunditatem ſiuè fluminum aut fontium irriguam ſpectes vbertatem, apum quoque & mellis ceream ſuauitatem, addita incolarum Chriſtiana religione: parum eſt quod dubites de Elyſia beatitudine. XI.

Margin: Quæ prius Bellua, nūc Belyſia dicitur.

Quæ hoc loco ſequuntur in exemplari MS. quod nos vnicum duntaxat habuimus, de induſtriâ omiſimus, cùm certum ſit, Carolum Magnum non poſſe ad Landradæ tempora referri. Itaque aut author lapſus eſt memoria, non ſatis obſeruans rationem temporum, quod etiam doctiſſimis viris nonnunquàm accidit: aut imperitus aliquis ea hiſtoriæ immiſcuit.

Sed quid agimus? Cùm paucis immoramur & plurima præterimus, fugiens tamen nos hora præterit, & prolixior ſermo miſſionem petit. XII.

Tendendum eſt igitur ad finem, & quod reſiduum ſupereſt æquoris, ſpirante aura ſulcandum. Inſtabat iam dies præmij, & poſt longam carnis & ſpiritûs luctam, qua ſemper viuens, ſemper moriebatur, de proficiſcendo præparabat. Incidit autem lectum ægritudinis, in quo ipſum, quodcunq; illud eſſet, fœnum & ſtipulam, & ſimilia, quæ liberum exitum impedire ſolent, iugi doloris igne decoquebat. Depaſcebantur medullæ, ſiccabatur caro, exhauriebatur ſanguis, cùm tamen nihil de pſalmis, nihil ſibi omninò omitteret de ieiunijs, damnum ſuum reputans, ſi quicquam de ſolito penſo minueretur. Circunſtabat morientem matrem ſanctarum virginum dulcis cœtus, in ſeipſis iugi gemitu vindicantium, quicquid illa pateretur. Aliæ lectulo aſſidere, aliæ caput ſuſtinere, aliæ mappulam apponere, & aquam calidam miſcere, aliæ pſalmos dicere, aliæ cereos ducere, nulla omninò prorſus otioſa eſſe. Illa interim velut præſagiens, conſolata circumſtantes, de exitûs ſui hora prædicit, & ſanctum Epiſcopum Lambertum accerſiri præcepit, vt in morte quoq; eius frueretur colloquijs, cuius in vita iucundabatur ſemper conſilijs. XIII.

Margin: Nota feruorem etiam ægrotantis. — S. Lambertus Landradæ ſingularis patron° & amicus.

Accepto triſti nuncio, ſanctus ſenex omnibus ſe expedit, viamq; dum maturat, Landrada interim de hac corruptibili domo in æternitatem transmigrat. Sed nunquàm voto fraudatur, cui ad deſiderium charitas adminiculatur. Nam in eundo pontifex ingruentibus tenebris laſſos artus humi dum deponit, dulci viſione iucundatur. Semiuigilanti & velut in ecſtaſim rapto, quadam graui maieſtate venerabilis virgo apparuit, & ſenilem arguens tarditatem, ſolita & familiari allocutione de mora reprehendit: cur ſcil. abeunti myſteria ipſe ſuis manibus non tradiderit, cur oculos non clauſerit, pedes & manus ipſe non compoſuerit, cur ſudarium ipſe non ſuperduxerit, & cætera, quæ illius ſunt horæ & officij. Ille excuſans negligentiam & prætendens obedientiam: Præuenit, ait, ô virgo officium neceſſitas, quod tibi noſtra debebat infirmitas. Cætera, quæ ſuperſunt, tuum eſt præſcribere ex imperio, meum erit facere ex debito, præcipuè de ſepulchri loco. Et illa: Arrectis, inquit, oculis cælum ſuſpice, & quò ſe extendat per medium lucis nimbum Crucis ſignum, diligenter intende. Lambertus totum ſe in viſionem extendens, & velut quoſdam fulguris tractus quo poterat conatu ſequens, notat locum Crucis fulgore deſignatum, cum admonitione virginis ita dicentis: Hic ſepulturæ locus, hic cinerum meorum erit tumulus vſque in diem, qua iuſſit Dominus. XIV.

Margin: Ad cælos migrat. — Viſio S. Lamberti. — Indicat ei virgo ſepulturæ locum.

Hac iucunda illius demonſtratione, iſtius attentione virgo cælis recipitur, Epiſcopus à ſomno erigitur: & relegens viſionis ſuæ libellum, feſtinato & præter vires curſu delatus Belyſiam, inuenit eos iam agentes de ſepulcro intra eccleſiam. Expleta oratione, Epiſcopali facundia plebem ſuam alloquitur: poſtremò de reuelatione ad eum facta ſermonem ingreditur. Submurmurant ſtatim vniuerſi, & nec dùm perorantem clamore tumultuatio impediunt, & velut impugnant. Hìc, aiunt, fuit conſecrata & prælata: eius opibus hæc creuit eccleſia: hìc per eam puellaris adoleuit turba. Hìc cæcos illuminauit, hìc claudos erexit, hìc omnibus incommodis ſe oppoſuit. Tu ipſe hìc ſtudiorum eius adminiculator, tu virtutum atteſtator, ipſiuſq; huius eccleſiæ conſecrator. Non eſt Epiſcopi, populum lædere: non eſt paſtoris, oues velle ſpoliare. Perſuaſibilis & facetè exornata viſio, vt quam viuam tenuimus, mortuam amittamus. Nullum hoc pietatis, nullum hoc officium humanitatis, Sanctam à nobis dimittere, virtutum operatricem alijs relinquere. Age tua pro officio, cætera nos curabimus pro tempore & negocio. XV.

Margin: Miracula S. Landradæ.

Hac tumultuatiæ plebis Lambertus permotus pertinacia, Facile eſt, inquit, præeſſe ciuibus, ſed difficile placere omnibus. Obedire quidem oportuit Deo magis, quàm hominibus, ſed certus cùm ſim nihil poſſe mutari de omnibus, quæcunque voluerit Dominus, ſciens & prudens manum in flammam mitto, & voluntati veſtræ interim me præbeo. Sic ad votum populi virgo ſepelitur, ſed Epiſcopo nihil de priſtina ſolicitudine imminuitur. Sciebat enim faciliùs elementa poſſe mutari, quàm Landradam mentiri. Ieiunium ſibi ipſe indicit, orationes cum ieiunijs continuat: demumque exacto triduo, in concione pro re pauca declamat: Dei, inquit, voluntati nolle obedire, contra torrentem brachia eſt extendere. Ideoque tempus iam eſt, de veſtro quoque vt pendeat iudicio, quid illa nobis dudùm expoſita ſibi velit noſtra viſio. Ocularia fides adhibeatur tumbæ virginis, vt omnis ſuper hoc negocio ſcrupulus amoueatur. Acclamatur ab omnibus, pedibus eunt in ſententiam: & aperta tumba, non modò corpus, ſed neque ipſe reperitur corporis loculus. Expallent tacito murmure cæteri: ſolus Epiſcopus Deo gratias agens, & vt filios paternè demulcens: Quia, inquit, iam quieuit diffidentia, experiamur nunc, quid poſſit Dei magnificentia. XVI.

Margin: Act. 5. — Sepelitur ad votum populi.

XVII. Prædvx ipſe viam arripit: populus comes ſecum Vuintershouum vſque percurrit: in quo ſcilicet fundo idem Epiſcopus olim à venerabili genitore ſuo Apro ſancto Archipresbytero Landoaldo commendatus, nutritus & adultus, in ſanctitatis apicem excreuit. Ibi relegens ſuæ illius viſionis indicia & oſtenſæ Crucis veſtigia, effoſſa humo, (ô rem nouam, & nouè ſemper ſtupendam) virginis glebam cum ipſo ſarcophago inueniunt tranſportatam, eo ordine, ea decenti reuerentia locatam, vt nulli ſit dubium, angelorum id effeciſſe miniſterium. Hoc tam admirabili ſpectaculo, tanquàm potatis æterni illius delicijs paradiſi, aliquandiu iucundati, digna cum veneratione deuotis manibus terram reponunt, & deficientes in ſeipſis, cætera omnipotenti Deo committunt.

Corpus eius translatum per angelos.

XIIX. Miremvr nunc ſuſcitata cadauera, ſtupeamus tranſportata iuxta promiſſum Domini montium cacumina, & commota ab ortu in vſque occaſum elementa. Omnibus percurſis, nihil hoc miraculo iucundius, nihil hac iucunditate mirabilius. Certè qui martyri ſuo Clementi maria aperuit, qui ei inuiſibili angelorum officio in contrario elemento marmoreum templum effecit: ipſe ille tam pie potens, & potenter pius, per adminiſtratorios ſpiritus virginem noſtram, vbi voluit, & ſicut voluit, tranſportauit. Neque mirum, ſi exemptæ his carceribus piorum animæ, contubernalium ſuorum fruantur miniſterio, quorum dum adhuc in corpore eſſent, ſemper vſæ ſunt familiari ſolatio. Ipſi enim ſunt, iuxta Apoſtolum, adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt in cælis.

Matth. 17.
Hebr. 1.

XIX. Post huius angelicæ ſepulturæ indicium, tanta ſe illic vbertate diffudit cæleſte beneficium, vt nuſquàm copioſius effluxerit diuini muneris ſtillicidium. Quis enim cæcus, quis febre æſtuans, quis hydrope ſitibundus, quis quocunque incommodi genere anxius, ſtatim vt petiuit, non accepit? Deſcendebant non vnus, ſed multi ad hanc Probaticam Siloe piſcinam, & medicatis cunctis ſuis inæqualitatibus, cum gaudio redibant. Medeatur & ipſa inuiſibilibus animarum noſtrarum morbis, & coniuncta immortali ſponſo, ab amarore ſuo impetret, vt ad nuptias æternitatis admittamur, priuſquàm extinguatur olei noſtri lucerna, & antequàm vltima nobis claudatur ianua. Obijt autem ſanctiſſima Landrada, non minùs martyr quàm virgo, octauo Idus Iulij, virginibus exemplar ſufficientiſſimum, & omnibus bonis imitabile propoſitum: Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad tumulū eius crebra miracula.
Iohan 5.

In MS. Codice hæc erant ad marginem adſcripta alia manu.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimoſeptimo, die Dominica poſt feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli celebrauit venerabilis Philippus Tornacenſis Epiſcopus translationem corporis beatæ Landradæ virginis in Haeltere. Cui translationi interfuerunt venerabiles Archidiaconi Magiſter Henricus de Muda, & dominus Nicolaus, dictus Miſo: Dominus Ægidius, tunc Abbas S. Martini Tornacenſis, & quàm plures alij viri religioſi, & etiam ſæculares, videlicet dominus Radulphus de Niuella, dominus Iohannes de Haxpoele, & dominus Philippus frater eius, milites, & permulti alij, imò innumeri tam nobiles, quàm ignobiles.

VITA S. DISIBODI EPISCOPI ET CONFESSORIS, A S. HILDEGARDE ABBATISSA IVSSV HELENGERI ABBATIS

An. 560.

conſcripta, ſed F. Laur. Surius ſtylum mutauit. Eſt hiſtoria diuinitus reuelata, ſed propter authoris ſingularem ſanctitatem & authoritatem minimè contemnenda.

In myſtica viſione, vt Deus voluit, propter preces & mandatum Prælatorum meorum, Abbatis Helengeri & fratrum omnium, in monte beati Diſibodi Deo famulantium, de vita & meritis eiuſdem beati patris adſpiciebam, & poſt oblatas viſiones libri meritorum vitę, anno Dominicę incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, regnante Friderico Romanorum Imperatore, ſub preſſura Apoſtolicæ Sedis triennio fere lecto decumbens, ex diuinæ Sapientiæ pietate vocem de cælo, corpore & animo vigilans, ita audiui dicentem:

Ivlii 8.
Præfatio S. Hildegardis.

I. Electvs Dei Diſibodus ab ipſa infantia ſua, inſtar beatorum Nicolai, Benedicti & conſimilium, ſancti ſpiritûs gratia perfuſus, ad bona omnia, quæ vel vidiſſet vel audiuiſſet, magno cordis deſiderio adſpirabat, vt poſſit de illo quoq; dici: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem: quæ ſic accipienda ſunt: Pio affectu infantium, verba necdùm formare valentium; illorumque, qui lac potiùs ſugere, quàm mira efficere deberent, tu qui cunctorum Dominus es, nominis tui laudem compleuiſti, quando mirabilia tua ſæpè in eis operatus es, illis necdùm plenam habentibus medullam diuinitùs tuam gratiam adſpirando, vt multa per ſpiritum ſanctum & dixerint & egerint neſcientes: & quandò alios contra carnis iura tanta animi fortitudine roboràſti, vt toto pectore ad cæleſtia tendentes, carnis opera peccando minimè perpetràrint. Nec verò quiſquam de his debet ambigere, cùm ſatis conſtet, antiqui ſerpentis verſutiam in ſanctis illis bona hæc & ſancta haudquaquàm efficere potuiſſe. Feciſti enim hæc propter inimicos tuos, nempe perditos ſpiritus, vt ad ſuî pudefactionem, virtutem tuam in paruulorum ignorantia viderent; ſicque deſtruas inimicum, id eſt, illum, qui in bonis omnibus te abnegat: & vltorem, id eſt, lapides & iacula impietatis ſuæ contra dicta & miracula tua vibrantem, ea carpendo & ſiniſtrè interpretando.

Pſalm 8.
Mira Dei opera etiam in paruulis.

II. Porro Deus in beato Diſibodo ab eius infantia vſq; in decrepitam ætatem per gratiam ſuam id effecit, vt nec pueritia eius improbis ludis & leuitatibus dedita, nec iuuentus libidini obnoxia, nec matura ætas ad ſiniſtram intenta fuerit. Adeo enim pompam omnem & faſtum mundi huius animo & corpore calcauit, vt quibuſdā ſtultus, nonnullis vanus, alijs errori obnoxius, pleriſq; verò etiam admirabilis ea cauſa in ſuis factis videretur, dicerentque iſti: Quid eſt hoc, quod Diſibodus facit? Parentes ſanè illius ingenui erant & nobiles, præclaris in Hibernia orti natalibus: ſed nec ipſi tamen ſæculi pompam & gloriam inaniter ſectabantur. Tyrannis autem quibuſdam ſuperbia tumidis, in ea regione complures per vim & tyrannidem opprimentibus, atque etiam huius beati viri, qui tum adhuc puer erat, parentes in ſeruitutem redigere nitentibus, cùm illi non ignorarent ſe ingenuos & libera conditione natos, nec vellent perpeti, vt ab illis præter ius faſq; ſeruitute premerentur, procul receſſerunt, & in eadem regione iuxta flumen quoddam vnà cum filio Diſibodo in oppido habitàrunt, vbi ēt literis & liberalibus diſciplinis imbuendum, religioſis viris eum cōmendarunt. Agente aūt gratia Dei, puer docilis, quæ à præceptoribus tradebantur, capaci ingenio accuratè memorię affigebat, atq; ea re parentibus ſuis exilij moleſtia laborantibus non mediocre leuamentū adferebat.

Parentes S. Diſibodi.
Literis & liberalibus ſtudijs adhibetur.

III. Ita verò in dies proficiens, & tum ætate, tum ſanctitate creſcens, à ſtudio literarum ad ſtudium bonorum operum progrediebatur, precibus & eleemoſynis vacans: ita vt quicquid de Deo auditione accipere aut diſcendo conſequi poſſet, illud multa auiditate complecteretur. Denique per gradus virtutum & ætatis incrementa ſingulis initiatus ſacris ordinibus, cùm triceſimum ageret annum, presbyter ordinatus eſt. Ea autem dignitate cum Dei timore accepta, fecit inſtar boni cuiuſdam pharmacopolæ, in horto ſuo herbas & aromata plantantis, atque in eam curam ſedulò incumbentis, vt hortus ſemper viridis ſit, nec vlla in parte areſcat. Memor enim fuit vir ſanctus ſcripturæ,

Fit presbyter.

Cant. 5. ptutæ, dicentis: Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: quorum verborum hæc ſententia eſſe poteſt: Ego qui iuſtis operibus tecta animi intentione operam nauare debeo, carnis meæ mortificationem exhibeo præpotenti Deo, quandò pro illius amore vitijs peregrinus fieri, illorum ſpurcitiem & immunditiam fugere, nihilq; cum illis commercij habere appeto: ſed virtutum excolendis aromatibus ipſum verum Deum amore & veneratione proſequi connitor, cæleſtis deſiderij ſtudio à corde meo illius auxilio non deficiente. In hac nimirum tecta & ſancta voluntate hic vir beatus tanquàm mortuus mundo fuit, ita vt non pauci id animaduertentes, haud aliter ſe gererent, *Multis virtutibus claret.* quàm ſi illum non nouiſſent: protſuſque ab eius conuictu & conſuetudine abhorrerent, quòd ſe totum ille non carni, ſed ſpiritui ſeruire cogeret.

INTEREA verò, dum ille ſic virtutibus addictus, Deo laudabiliter famularetur, atque ea cauſa Deum amanti- IV.
bus cumprimis gratus & charus eſſet: quidam eius regionis Epiſcopus ab hac luce ad illam futuræ ſpei vitam commigrauit: cumque populus noui Epiſcopi eligendi cauſa ex more conueniſſet, quidam ex illis, qui honeſtos mores *Creatur Epiſcopus* & vitam integerrimam S. Diſibodi non ignorarent, eum ſibi antiſtitem magna animorum conſenſione elegerunt. Plerique verò alij, quorum vita erat reprehenſibilis, opponebant ſeſe, ita dicentes: Quorſum attinet hominem mutum, nihil loquentem, nullam populi notitiam habentem, magiſtrum nobis expetere? Verum enimuerò Deus *Pſal. 81.* omnipotens ad beatum virum reſpexit. Dicit ſcriptura diuina: Humilem & pauperem iuſtificate: id eſt: Iuſtum, qui ſe cauſa Dei ad terram abijcit, ſeq; ſe ex animo egenum & pauperem confitetur, in ſanctis operibus iuſtificate. Iuſtitia enim aperto pietatis oculo in eum reſpicit. Sanctus enim vir iſte egregiè fuit humilis, paupertatemque perpetuò deſiderauit, columbino ſimplicitatis oculo ſemper in Deum intentus, vt æternas ſibi diuitias pararet. Itaque & illum dilexit Deus. Caducas res omnes duxit pro nihilo, ipſam quoque mortem contemnens, & opera ſua omnia in Deum referens.

ITAQVE elegit eum iuſtus ille iudex, vulgo quidem illum abſcondens, ſed ſe diligentibus reddens manifeſtum: V.
Recuſat epiſcopatū præ modeſtia, ſed cogitur ſuſcipere. atq; tametſi quidam id ſummoperè admirarentur, eum voluit & magiſtrum & antiſtitem haberi. Cùm autem illi, quorum erat ſanior ſententia, eum cogerent Epiſcopi onus in ſe recipere, ille pro ſingulari modeſtia indignum ſe clamabat, & qua potuit vi manus ac pedes retrahebat: at illis tamen impellentibus & præualentibus, qui Deum timebant, diuina diſpoſitione etiam inuitus in Epiſcopi ſede collocatus eſt. Tum verò Dei iuſtitiam prædicare & docere cœpit, omneſque, quos potuit, hortabatur vt ſe Deo morigeros præberent, quodq; ab infantia ſancti ſpiritûs gratia perfuſus fuerit, iam eructando patefecit. Sanctarum virtutum optima exempla paterno affectu in ſe illis præbebat: & alij quidem propter virtutes, quas in eo cernebant, amabant eum, & arrectis cordis auribus doctrinam eius excipiebant. Alij verò, qui diuini erant timoris expertes, cum furore vociferabantur: Hic ita viuit, quaſi nihil habeat *Afficitur multis iniurijs.* hominis: vndè fit, vt nos vitam ab omni humana conſuetudine alienam viuere cogat. Ecquis verò illum andire ſuſtineat? atque ita multis iniurijs illum afficiebant. At ille paucos euſq; fideles ſibi adiungens, qui ipſi poſſent in omnibus ſolatio & auxilio eſſe, corpus ſuum quotidiè affligebat, dicens ad Deum: Ego tuus ſeruus, Domine Deus meus, tuæ me pietati proſterno, faciens quæ iuſſiſti. Tu ſcis, me non niſi te vnum deſiderare: planeq; confido fore, vt quando- *Pſal. 36.* que impleas deſiderium meum, ſicut ſcriptum eſt: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: quod ſic accipiendum eſt: O homo, qui in peccatis conceptus & natus es, contra carnis propenſiones & affectum delectare præceptis illius, qui creauit te, ad memoriam crebrò reuocans, quis ſit ille, qui ſua paſſione redemit te. Quod vbi feceris, dabit ille tibi ea, quæ petis, quandoquidem non ea petis, quæ petenda non ſunt, ſed cordis tui afflictionem humiliato ſpiritu illi exponens, clamando & dolendo teipſum ceu pecus cogis ad ea, quæ recta ſunt, agenda & ſectanda. Quotquot autem dant operam agendæ pœnitentiæ, & mala ſua hoc pacto emendare conantur, ij filiis huius ſæculi prudentiores ſunt, qui illud nec voluère facere, nec fecerunt. Perplacet autem Deo, vt durum & acre bellum homo ſuſcipiat aduerſus ſeipſum & draconem diabolum: quiq; id fecerit, eius preces & vota Deus celeriter complebit, quemadmodùm etiam S. Diſibodi, qui quòad vixit in corpore, multa habuit certamina, quæ tamen bono fine feliciter abſoluit.

Sectæ & vitia in Hibernia. EA tempeſtate, qui vir ſanctus populo ſuo verbis & exemplis præfuit, ingens ſchiſma & magna ludibria in VI.
tota illa regione extitêre: alijs vetus & nouum Teſtamentum oppugnantibus, Chriſtumque abnegantibus, aliis hæreſes complectentibus, pleriſque ad Iudaiſmum ſe conferentibus, nonnullis in ethnicismum prolabentibus, quibuſdam non vt homines decet, ſed inſtar pecudum, turpiter viuere appetentibus, alijs denique morum quandam diſciplinam præ ſe ferentibus propter humanitatem, ſed tamen nihil boni facere ſtudentibus. His verò tam fœ- *Officium boni paſtoris* dis erroribus & Babylonicæ confuſioni beatus Diſibodus ſe virili & infracto animo opponens, multa opprobria multaſque iniurias patienter tulit, ipſam quoque vitam profundere magis optans, quàm tam abſurdis & nefariis rebus ſuffragari. Cùm autem annos aliquot durâſſet in tot malis æquo animo, licet non ſine corporis pericu- *Oratio eius qualis fuerit.* lo, nec tamen ea extirpare poſſet, tandem pertæſus, ad Dominum cum multis lachrymis has fudit preces: O Deus omnipotens, qui iudicaturus es viuos & mortuos, & in hominum facta inquiſiturus: quæ mea vtilitas eſt, labore confici in gente hac, quæ tuam iuſtitiam non modò ferre non poteſt, ſed etiam rabidis morſibus ſibi lacerandum ſumit?

SIC ille orauit. Porrò eorum, quos diximus, errorum architecti & patroni, populuſque iis erroribus impli- VII.
catus, vt viderunt virum ſanctum ipſis nolle aſſentiri, ſed potius vbique ipſos ſine vlla mortis formidine, multa ani- *Pellitur è ſede ſua.* mi conſtantia reprehendere, non paucas ei tetendêre inſidias: & tandem incredulorum coacto agmine, è ſede ſua multis affectum contumelijs extrubârunt. Et ille quidem Deo mâlens in quiete ſeruire, quàm ſine fructu diutiùs apud illos hærere, paucis ſibi adiunctis religioſis viris, ſedem illam, quam annis decem ſtrenuè & piè gubernârat, patriam quoque ipſam & res ſuas omnes Chriſti amore reliquit, dicens: neque ſibi neque aliis prodeſſe, ſi illic velit mo- *Peregrinationem ſuſcepit in Alemaniam.* rari, vbi vſque adeò increuerit perfidia, incredulitas, & pertinax iniquitas. Atque ita peregrinationem diu optatam, pro vita æterna iucundo animo ſuſcepit. Cùm autem ex Hibernia egreſſus eſſet, multis peragratis regionibus, & locis non paucis accuratè exploratis, vbi animæ ſuæ poſſet inuenire requiem, tandem in Alemaniam peruenit. Vbi in durum ſanè & ferum populum incidit, at tamen feſſus, aliquandiu pedem illic fixit, gentique illi verba ſalutis & ſanctitatis exempla propoſuit. Nec deerant, qui auditu illo, amarent ſanctum Dei hominem: at permulti nec audire eum ſuſtinebant, tantum abeſt, vt amore & beneuolentia proſequi vellent. Interim dum apud illos moram facit, apud ſe deliberans, quonam conferre ſe debeat, gratiſſima beati Benedicti & religionis monaſticæ ab illo inſtitutæ fama, ad eum perlata eſt. Nam non ita pridem è vita exceſſerat ſanctus Benedictus, & plurimos inſtituti ſui cupidos ſectatores poſt ſe reliquerat. Intellexit igitur diuinitus edoctus vir Dei, deſiderium ſuum necdum completum. Iamdiu enim optârat, vt prò populo ſuo aliquot veræ perfectæque religionis viros ſibi poſſet adiungere ſocios. Atque ea cauſa rurſus loca alia poſt alia inuiſit, nec tamen in gentium illarum moribus, quod ipſi placeret, potuit comperire.

Pſal. 85. FLENS igitur & orans, dixit ad Dominum: Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pau- VIII.
per ſum ego: quorum verborum iſta eſt ſignificatio: Afflictiones meas miſeratus, inclina tu Domine, qui omnium es rector, aurem miſericordiæ tuæ, & exaudi verba orationis meæ: quoniam inops in anima per mentis puſillanimitatem,

Digitized by Google

mitatem, & pauper in corpore per afflictionum contritionem ſum ego, qui te ſequi, te diligere ſuper omnia debui. Recordare itaque, quòd ab infantia tibi ſeruire ſtudui, tuique amore paupertatem & mundi contemptum ſemper dilexi. Tum verò Deus propter ingens ſancti viri deſiderium preces eius ſuſcipiens, ſuaui conſolatione eius animum affecit, quemadmodum ſolet ros in herbam decidens: atque etiam per nocturnam viſionem indicauit ei fore, vt quandoque locum voto ſuo opportunum reperiret. Fecit enim huic beato viro Deus, vt cæteris amicis ſuis, qui toto pectore ipſum deſiderarunt, quibus propter rectam animi intentionem, qua fidenter in eum toto corde intendebant, videndo, loquendo, audiendo, tanquàm coràm adeſſe viſus eſt, omnemque ventoſam vanæ gloriæ famam ab illis depulit, qua permulti delectantur: qui pro ſua voluntate, quandò à Deo quippiam præter fas obtinere cupiunt, ſimulatas preces & ieiunia ſuſcipiunt: & ſi id, quod petunt, eueniat ipſis, inaniter ſeſe oſtentant & efferunt. Sed eiuſmodi homines ceu ſtipulam ventus diſperget. Porrò qui vanitatibus moriuntur, ad eas tanquàm obdormire videntur: ſicque ſuperbia, vana gloria, honoris appetitio, cæteraque vitia diuinitùs comprimuntur, ne animus humanus ab amore & amplexibus creatoris ſui, eorum infeſtatione vlla ratione auellatur. Beatus itaque Diſibodus gaudio perfuſus pro bona ſpe deſiderij ſui quandoque cæleſtis gratiæ ope complendi, vbi de hominibus ad Rhenum degentibus percepit, duros quidem & aſperos illos eſſe, ſed tamen Eccleſiaſticam religionem vitæ deuotione colere: iam pertæſus ludibriorum ipſum irridentis populi, omnis moræ impatiens, properè ad Rhenum intendit iter, atque indè deflectens, & per auia quæque ingrediens, ad fluuium, quem Glaun vocant, peruenit: quo tranſmiſſo, montem excelſum & ſyluigerum conſpicatus, in eum poſt decem peregrinationis ſuæ annos aſcendit, ibique laſſus reſidens & quietem captans, ad comites ſuos Giſualdum, Clementem & Saluſtum, qui ex Hibernia eum ſecuti erant, ſancto ſpiritu permotus, ait: Hæc requies mea erit.

Videt viſionem.

Sancti homines vanitatibus moriuntur.

S. Diſibodi comites.

IX. CVMQVE deinde montem illum circumquaquè perluſtraſſet, & cuncta eius latera accuratè inſpexiſſet, amœnitas illius magis ac magis eum incitauit, vt illic cuperet ſedem figere. nam aſcenſus arduus difficilem præbet aduentantibus acceſſum, & riuuli ex vtraque eius parte manantes, corporibus magnam adferunt refocillationem. Orans itaque Dominum, ait: Domine, qui ſupra cælos reſides, & moderaris abyſſum: precor te, vt loci huius amœnitas ad animarum ſalutem & iucunditatem cedat. Decet enim, vt in hoc loco à fideli populo tibi fideliter ſeruiatur. His dictis, in montis deſcenſu ad Orientem, propter aquæ compendium, ſibi habitationem deſignauit, vitæque inſtitutum, quod diu concupierat, ſtrenuè inchoans, orando, vigilando, ieiunando, durè & aſpere ſolitariam illic vitam duxit. Socij autem eius, qui cum eo erant, ne ſibi inuicem gaudio eſſent, ſingulatim ſibi conſtruxere habitacula procul ab illo. Suſtentabantur autem aliquandiù radicibus herbarum, cum alias eſcas non haberent. Porrò mons ille in circuitu cum ſyluis ipſi adiacentibus, locis quoque tum peruijs, tum inacceſſis, non vnius alicuius duntaxat erat, ſed eius prouinciæ complures homines plus quàm vnius milliaris ſpatia ſibi vendicabant. Inde accidit, vt vel venationis, vel piſcationis in propinquis fluminibus, vel lignorum cædendorum, vel aliarum rerum neceſſariarum cauſa in eam ſyluam plerique ingrederentur, & beatum Diſibodum aut radices effodientem, aut alia neceſſaria circunquaque colligentem crebrò cernerent. Inde verò cœpit poſt aliqua temporis ſpatia in populi notitiam venire. Iam enim rumor ſparſus erat in vulgus, ſanctum quendam hominem, cum aliquot ſocijs à Deo miſſum, in eum locum aduenìſſe. Quod cum pleriſque admirationi eſſet, ad eum accedebant, & de rebus vtilibus cum illo ſermones conferebant. Accipiebant autem ab eo verba ſalutis & vitæ. Ab eo enim tempore, quo à patria exulare voluit, vſque in præſens multam poſuerat operam in gentis eius lingua diſcenda, eamque pro ſuo modo & capere & exprimere poterat. Vndè factum eſt, vt quibus ille ſermones & adhortationes indeficientis vitæ promebat, ij res corpori ſuſtentando neceſſarias ei & ſocijs eius ſæpè ſuppeditarent. Ille verò cum ſocijs ſuis pauperes & egenos colligens, quicquid de victu quotidiano ſupereſſet, illis diſtribuebat. Semper enim memoria retinebat, Adamum è cibo perijſſe: attendebatque Antonium, Macarium & eis ſimiles patres, herbis & aſpero victu fuiſſe contentos, vt eorum confirmatus exemplis, corpori ſuo molles & delicatos cibos non permitteret, ne ab antiquo ſerpente deciperetur. Quanto autem magis affligebat carnem ſuam, tanto illum Deus copioſiori augebat gratia ſua, & per miracula quoque eum celebrem cunctiſque manifeſtum reddebat.

Ducit aſperam & ſolitariam vitam.

Affectus eius erga pauperes.

Gen. 3.

X. PERMVLTI enim ad eum adducti infirmi & debiles, per eius merita diuinitùs repentè curati ſunt. Sed hoc ipſum ille præ humilitate reformidans, humanas laudes, quantùm licuit, declinauit. Fama verò ſanctitatis eius per totam regionem volitante, quidam religioſi homines ad eum venêre, paruumque oratorium in montis deſcenſu verſus orientem ei ædificarunt, in quo diuina officia cum ſuis celebraret, vt tum ipſi, tum alij ad eum venientes, vitæ verba & paſcua ab eo perciperent. Alij autem ad occidentem in planitie pedis eiuſdem montis, vepres & frutices extirpantes, beato viro hortos & pecudum paſcua paruaque tuguria apparatunt. Propter eos frutices, quos vulgò ſtudinos vocant, locus ille initiò dictus eſt Studernheim. Multi autem etiam ex longinquis regionibus ad beatum virum confluxere, animas ſuas bona fide & ſpe illi commendantes. Interim eius prouinciæ habitatores, diuino inſtinctu compuncti, timere ſibi cœperunt, ſeque negligentiæ accuſarunt, quòd locum illum, quem Dominus ad honorem & gloriam nominis ſui per ſanctum ſuum viſitaſſet, ipſi tam propinquum non adirent, nec facultatibus ſuis ornarent & augerent. Indè adeò factum eſt, vt principes & nobiles opulentique homines, cum reliquo eius regionis populo, montem illum cum omnibus finibus eius vltra decurrentes fluuios Naham & Glan in longum & latum ei & poſteris eius donarent, vt pijs hominibus illic congregatis vitæ degendæ neceſſaria affatim ſuppeterent. Videbant enim in ſancto viro mira Dei opera, dicebantque: Laus tibi Domine Deus, qui hunc ſanctum tuum nobis mittere dignatus es.

Multa efficit miracula.

Mons & fines eius dātur illi.

XI. EO autem munere accepto, vir ſanctus multum extimuit, recordatus malorum, quæ erat plurima perpeſſus in Epiſcopatu, flexiſque genibus Dominum orauit, vt oblatio illa ad fructum & profectum animarum ſpiritus ſancti operatione cederet. Deinde diu noctuque multum æſtuans, ſecum animo reputabat, quemadmodum ex longo tempore deſideraſſet rationem aliquam inuenire, qua locum quendam poſſet obtinere, vbi religioſos & aſperiores vitæ ſtudioſos viros colligeret. Didicerat enim in ſpiritu, par eſſe, vt ſpiritalium hominum conuentus eo in loco ſuo creatori ſeruiret. Agente autem ſpiritu ſancto, omne animi ſui ſtudium & voluntatem ad vitam & doctrinam S. Benedicti, qui iam ad Deum tranſierat, & quoſdam beatos viros, ſanctæ inſtitutionis ſuæ fideles adminiſtros, ijs temporibus adhuc ſuperſtites reliquerat, appulit, & ad longinqua loca, vbi ea inſtitutio religioſe & ſanctè colebatur, nuncios miſit, ſupplices preces offerens, vt quidam ad ipſum venirent, vineam Domini Sabaoth ad præſcriptum doctrinæ beati Benedicti plantaturi.

XII. IS enim ſanctus Pater Benedictus regulam, quæ ſpiritalibus hominibus eſſet accommodata, è ſanctorum vitis ſancto ſpiritu docente & oſtendente condiderat. Ita ergò quamplurimos beatus Diſibodus eiuſmodi inſtituti & conuerſationis viros religioſos ad ſe adduxit, quibus etiam oratorium & congrua domicilia in montis ſupercilio, propter difficilem & arduum acceſſum, contra Orientem conſtruenda curauit, ne aduentantis populi ſtrepitu interturbarentur, & feruor atque rigor inſtituti, quotidiana eo confluentium viſitatione diſſolutus & eneruatus, in deſidiam & ſegnitiem abiret. Porrò ipſe ſolitarius permanſit in domicilio & oratorio illo, quod in montis deſcen-

S. Benedicti regula commendatur.

Multos ad ſe adducit Benedictinos.

Digitized by Google

deſcenſu ad Orientem, vt diximus, extructum erat: vt ad occurſantia omnia paratus eſſet, & ſuperuenientibus pro
cuiuſq; ratione & conditione, opportuna poſſet reſponſa dare. Ea verò fratrum congregatio, tam pietate erga Deum,
quàm habitatorum numero creſcebat: cunctaque agenda & habenda, imperio ſancti Diſibodi ſubiacebant, com-
muniſque ab illis vita ſecundùm beati Benedicti inſtitutionem exercebatur. Dabat autem operam ſanctus pater,
vt congregatio illa conſuetudine ipſis perſcriptæ regulæ intantùm confirmaretur & coaleſceret; vt diabolus vitia in
ea parturire non poſſet, nec ſuis eam iaculis configere, aut fratres alios ab alijs ſeparare: & vt eadem ipſa congregatio
& dæmonibus & hominibus terribilis videretur tum vitiorum abſtinentia, tum concordi ſtudio virtutum. Itaque
ſapienter docebat fratres contra hoſtiles aëreorum ſpirituum turmas humilitate confligere, vanitatemque ſuperbiæ,
mentis arrogantiam & ſæculi oblectamenta vitare. Proponebat etiam eis accuratè ſanè, quæ laus & gloria maneret
eos, qui legitimè certarent, & perpetuò circumſpecti & cauti eſſent.

Optimè fratres inſtituit.

Deniqve vniuerſum illum fratrum conuentum vallo rigoris & diſtrictionis ſiue ſeueritatis totius monaſticæ XIII.
diſciplinæ muniuit & circunfodit, ne malignus dæmon derepentè clàm in eum irrueret. Nouerat enim præcipuum
hoc illi teterrimo ſpiritui ſtudium eſſe, vt poſſit in homines religioſos ſiue ſpiritales incurrere: multoque maiori
eum lætitia affici, ſi vel vnum religioſum praua voluntate poſſit ſuperare, quàm ſi multos euertat homines ſæculares.
Cernit enim eum ſui ſe effeciſſe ſimilem, cùm à cæleſti deſiderio corruit, quemadmodùm ipſe per ſuperbiam è cœlo
ruit. Hoc igitur pacto vir ſanctus filios ſuos coadunare & confirmare conatus eſt. Id verò vbi ſæculares homines
didicêre, ex tota illa regione accurrunt, & quicquid ille ad res parandus neceſſarias facere inchoaſſet, ipſi prom-
ptis animis perfecere. Atque hac ratione effectum eſt, vt beata illa congregatio annis duodecim ad quinquageſi-
mum vſque perfectorum fratrum numerum excreuerit. Illa enim tempeſtate pauci huius inſtituti homines vi-
ſebantur, nec quiſquam viam hanc, niſi probatus, aggrediebatur. Sed ſpiritus ſanctus, qui congregationem hanc
plantauerat, etiam rigauit eam, perindè vt ros ſolet, in pingue ſolum decidens: ita vt fratres in ea ſub monaſtica di-
ſciplina viuentes, de virtute in virtutem proficiſcerentur, nec eis remoram aut impedimentum poſſet adferre anti-
quus ille inſidiator. Vbi enim ſpiritus ſanctus ſe per miracula præſentem exhibet, illic tortuoſus ille coluber timidus
eſt, nec eſt auſus eo ſe inferre aut ingredi. Si quid verò clàm ibi ſeminet, id ſpiritus ſanctus ad eius ignominiam planè
conculcat. Et merita quidem ſanctitatemque beati Diſibodi ſigna & miracula declararunt, eademq; citra faſtidium
ſæpiùs repetebantur. ſemper enim Deus noua facit. Vir quidam adeò impedita erat lingua è nimia corporis inuale-
tudine, vt verba nulla poſſet proferre. Is ad virum Dei ex longinqua regione veniens, nutibus & manuum indicijs,
prout potuit, lachrymabundus eum orabat, vt apud Deum ſuis precibus tanto incommodo remedium impetraret.
Tum vir pius pro illo orans, & gratiam Dei ſibi adeſſe ſentiens, Dominici exempli recordatus, in os hominis inſuf-
flauit, dicens: In nomine illius, qui dixit olim muto, Epheta, & ille loqui cœpit, tibi præcipio vinculum infirmitatis,
quod hominis huius linguam euincuiſti, vt diſſoluaris, nec deinceps, quò minùs loqui poſſit, vllum ei præſtes impe-
dimentum. Dixit, & mox lingua illo nexu expedita, articulatè humanas deprompſit voces, gratiaſque egit Deo &
beato Diſibodo.

Odium ſatanæ in monachos.

Sanctitatē viri virtutes & ſigna declarant.

Marc. 7. Sanat hominis impeditam linguam.

Oblatvs eſt etiam viro Dei hydropicus quidam mirè inflatus, cum multis lachrymis ſalutem petens ab eo. XIV.
Sed illo nonnihil hæſitante, & ſe indignum affirmante, qui rem tantam faceret, amici hominis etiam ſuas iunxêre
preces: quibus ille victus, omnipotentē Deum pro miſero rogauit, eumq; manibus ſuis tangens, benedixit, morbuſq;
diuina agente gratia paulatim euanuit. Leproſus quoq; mirè deformis & horridus, ad eum acceſſit, & primò quidem
deprecabatur, vt morbo ipſius mederetur: deindè etiam minas addidit, deinceps ſe nunquàm ab illo receſſurum, niſi
priùs depulſa lepra. Ea importunitate tandèm commotus vir Dei, introduxit eum in domicilium ſuum, & aliquan-
diù retinens eum apud ſe, Dominumque identidem pro illo rogans, eum ſana iam & eleganti corporis cute gauden-
tem, à ſe dimiſit, re ipſa omnibus prodente, quid in eo diuinitùs actum eſſet. Plura alia per hominem Dei facta ſunt
miracula in cæcis, claudis, debilibus, dæmoniacis, & qui noxiorum humorum infeſtatione rationis vſu carebant:
qui omnes & ex vicinis & remotis locis ad eum perducti, curabantur virtute diuina, quæ illi aderat.

Itemq; hydropicum.

Curat leproſum.

Dvxit autem vir ſanctus inter ſuos vitam eremiticam, quæ eſt radix vitæ monaſticæ vel cœnobiticæ. Eius XV.
enim vitæ cultores à mundo prorſus ſeparati & abſtracti, in ſolitudine degunt; angelicis laudibus occupati: eſtque
ea vita tam ardua & difficilis, vt permulti præ animi & corporis imbecillitate eam ferre non poſſint, ſi repentè & in-
conſultò ac temerè illam ſuſcipiant. Porrò ſanctus pater Diſibodus in eiuſmodi ſeueritate viuens, ſubditos ſuos ad
omne opus bonum verbis & exemplis animauit, vt ſolent, qui ignem iam ardentem appoſita materia magis etiam ar-
dere faciunt. Atque ea cauſa, viuente illo, alium magiſtrum non requirebant, maximè cùm eius iuſſu & voluntate
tales inter ſe haberent, qui ipſos ſine offenſione & murmure per iter rectum dirigerent. Habitum autem monaſti-
cum, quo eius congregationis fratres vtebantur, ipſe non induit. Permiſerat enim illis viuere ad præpoſitum regu-
læ S. Benedicti, cùm ipſe ſeuerius & magis arduum vitæ genus ſequeretur. Idcircò autem habitum illum ſumere
noluit, ne ſi fratribus habitu ſimilis eſſet, nec tamen quicquam remitteret de ſuæ vitæ aſperitate & rigore in ieiunijs,
vigilijs, cæteriſque carni moleſtis exercitijs, ipſorum inſtituto derogare, & viuendi communem modum euertere vi-
deretur. Nam quoàd vixit, viliſſimo alimento, quod corpori ſuſtentando vix ſufficeret, & aſpero duroque indu-
mento, ſicut è ſua terra peregrinaturus exierat, frequenter vtebatur, imitans beatum Paulum primum eremitam,
eiuſq; ſimiles patres, qui in ſyluis potiùs quàm villis vitam exigere voluêre. Porrò diuina myſteria in altaris miniſte-
rio ab eo tempore, quo è ſua ſede eiectus eſt, vſque ad vitæ finem, non vt antiſtes, ſed vt pauper presbyter celebrauit,
nihil prorſus ea ex re mœroris accipiens, ſed potiùs animo exultans, Chriſti paſſionem imitando. Spiritalem verò pa-
trem & defenſorem, vt par erat, congregationi illi ſæpenumerò præficere voluit: ſed fratres omnes planè recuſarunt,
nullum alium præter ipſum, patrem & doctorem habere volentes, dicenteſq; ſe alios quidem habere inſpectores
conuerſationis ſuæ, ſed illum, donec viueret, vt ipſis in Domino ſublimiùs præluceret, nullo pacto mutaturos.

Vita eremitica radix monaſticæ vitæ.

Non induit habitum S. Benedicti.

In ordine debet abeſſe omnis ſingularitas.

Fratres nolunt alium quā ipſum habere præfectum.

Itaqve propter animi pietatem & ſanctum propoſitum per multas prouincias illorum fama ſparſa eſt, com- XVI.
pluresque venerunt ad eos, conſilia & auxilia animarum ſaluti opportuna ab eis expetentes. Permulti etiam ex ijs,
qui in hac degebant regione, & vicina monti prædicto, cuius ambitus & latus & longus eſt, loca incolebant, ſua-
uiſſimo odore & fama ſanctæ conuerſationis eorum inuitati, prædia & facultates ſuas Deo & beato Diſibodo abſ-
que omni retractatione offerebant, & quaſdam villulas in ea, quam diximus, ſylua ſparſim ædificabant, quæ illis
fratribus vſui forent. Cùm autem vir Dei diu illic laboraſſet, & iam præ nimio labore vires corporis penè defice-
rent, filijs ſuis tremebundus in ſpiritu ſancto prædixit, ea proſperitate & ſecuritate, qua hactenus ſine offenſione vſi
fuiſſent, ipſos non ſemper potituros, ſed multas & magnas anguſtias & afflictiones perpeſſuros. Diabolus enim, in-
quit, quem rectè viuendo ſæpiùs egregiè pudefeciſtis, multa populi ludibria & irriſiones in vos & poſteros veſtros
excitabit, ſummoperè eò connitens, vt perturbare vos queat: attamen multis gemitibus, magno cordis dolore, in-
genti deſiderio hactenus id obtinere conatus ſum, ne dum ſpiritus hos reget artus, mihi videre contingat afflictio-
nes veſtras: idque ita fore confido in Domino: ſed poſt obitum meum, qui breui erit, quandò iam vires corporis
mei confectæ ſunt, & poſt afflictiones has, quas paſſuri eſtis, extrema tempora veſtra prioribus feliciora erunt,

Prædicit fratribus, quæ paſſuri ſint.

& omni-

& omnibus rebus animæ corporique neceſſarijs magis etiam abundantia, quàm hactenus me vobiſcum manente.

XVII. Hæc cùm illi audiſſent, magno dolore affecti, lachrymis madentibus oculis lugebant; quòd finem eius aduentare didiciſſent: eoque rumore in vulgus abeunte, multi ad eum inuiſendum incitabantur. Cumque veniſſent ad eum, audiebant illum, eiuſque ſe precibus & ſanctitati commendabant. Ille verò ſalutares adhortationes eis reddens, filios ſuos & locum ſibi dono datum, viciſſim illis commendabat: vtque animis ſuis verba ipſius attentiùs affigerent, non celabat eos propinquum obitus ſui tempus. Ea re cognita, lugubri voce multos dabant gemitus, & quoàd vixit, ſolito frequentiùs eum viſitarunt. Vnde autem finem ſuum adeſſe ſciret, nemini indicare voluit, demptis paucis religioſis viris, qui ferè omnium ſecretorum eius erant conſcij. Ijs enim expoſuit, angelica reuelatione cognouiſſe ſe ſuam à corpore migrationem: cæteros verò id latere voluit, quòd omnium operum ſuorum, ne humana laude perirent, quantùm potuit, celantiſſimus eſſet. Iam triginta annis in eo monte Deo fideliter ſeruierat, & fratribus ſuis neceſſaria quæque abundè ſubminiſtrarat. Inde porrò ægrotare cœpit, plùs labore, quàm ſenio exhauſtis corporis viribus. Conuocatis igitur fratribus, patrem eis nominauit, eundemq; tum primùm ipſis petentibus præfecit, omnia, quæ eius loci erant, illi committens. Ante illum enim diem patrem ſibi deſignari noluerant alium, præter ipſum, cui vni in omnibus tanquàm patri obedierant. Locum quoq; ſepulturæ ſuæ illis oſtendit, cum lachrymis & gemitibus eos orans, ne in ſublimi aliquo loco, ſed in humili oratorij ipſius vmbraculo, in quo Deo ſolitarius ſeruierat, ipſum humarent. Polliciti ſunt fratres, ſe id curaturos, ſed id ſine magno dolore & lachrymis non fuit. Simul etiam omnia eius bona opera & inſtitutiones ſingulatim commemorabant, acerbeque plangentes, dicebant: Eheu, quid nobis futurum eſt, vbi te patronum & conſolatorem corporum atque animarum noſtrarum amiſerimus? Vt autem ceruus ſitibundus fontes aquarum expetit: ita illi ſanctum virum cupiebant apud ſe diutiùs retinere: quod anteà quidem præ gaudio, quo crebrò ex illo fuerant affecti, cogitare non poterant.

P[illegible] ſuù [illegible]

Sub morte præficit fratribus patrem.

XIIX. Denique ingraueſcente dolore, iterum conuocatis fratribus, finem ſuum iam imminere, vt potuit, ſignificauit: atque ita poſt multos exantlatos labores, poſt multas toleratas cruces & afflictiones, anno ætatis ſuæ octogeſimoprimo, octauo Idus Iulij à corpore migrauit, Domino, cui fideliter ſeruierat, coram fratribus ſpiritum reddens. Tum verò ſuauiſſimus omnium nares perfudit odor ceu balſami, myrrhæ & thuris cunctorumque aromatum, & multa ſunt illic diuinitùs edita miracula. Fama autem per omnem prouinciam illam mox diuulgata eſt, beatum Diſibodum è vita exceſſiſſe. Itaque copioſiſſima hominum multitudo ad eius properans exequias, cupiebat eius ſepulturæ intereſſe, & ſigna, quæ illic fierent, videre. Tumulatus verò eſt in exiguo ſui oratorij, quod ipſe ſibi parauerat, vmbraculo, vt eius precibus fieret ſatis. Is autem, quem diximus, miræ ſuauitatis odor ad triceſimum vſque diem apud eius ſepulcrum perdurauit: atque interea ſeptem dæmoniaci liberati, triginta claudi, multi cæci & ſurdi, compluresque alij, varijs preſſi morbis, ad contactum tumuli eius, præſtante Domino, curati ſunt. Et quia multa hæc ſigna erant, & ea tempeſtate *frequens erat, vt miracula fierent, homines inſolentiùs, quàm par erat, exultabant animis, dicebantque: Omnipotens Deus poſt obitum beati Diſibodi plura & maiora efficit ſigna, quàm illo viuente. Itaque confidimus ab omnibus periculis per eius merita nos liberatum iri: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Grandæuus vitam cum morte commutat.

Odor ſuauiſſimus ad dies triginta, & multa miracula.

**Forte infrequens.*

XIX. Inſolentius ergò, vt dixi, & diſſolutiùs pleriſque propter miracula, quæ tum ibi fiebant, & poſtea etiam diuinitùs declarata ſunt, ſeſe efferentibus, Deus ea ad eorum caſtigationem ſubtraxit. Non enim gratum eſt ſpiritui ſancto, vt homines in miraculis, quorum ipſe author eſt, glorientur: ſed vt cum tremore ipſi ſoli, qui ea poteſt efficere, laus & gloria tribuatur. Deus enim ita ſanctorum ſuorum diſtinguit opera, quemadmodum creaturas conſtituit, quibuſdam bona opera & vitæ ſanctimoniam conferens abſque miraculis: nonnullis rectè facta cum magnis miraculis coniuncta: pleriſque verò per gratiam ſuam donans, vt bonis exemplis ſuis multos ad ipſum conuertant. Sicut videmus ſolem in dies, lunam in noctes, ſidera in tempora diſtincta, totumque terrarum orbem volatilibus, reptilibus, cæteriſque animantibus repletum, ita vt nullo modo ad vllam neceſſitatem vacuus ſit. Vnde etiam quodlibet ad officia ſua excitat in miniſterio illo, quod ad hominem ſpectat. Vna quælibet enim creatura in ſuo genere multiplicatur, ſicut Deus illi in prima conſtitutione præcepit: ſed quæ ratione caret, homini miniſtrando ſuccurrit. Paterfamiliàs enim, qui eſt homo, domum ſuam ſine adiutorio & miniſterio gubernare non poteſt: atque eum ſolum rationali & viuente anima Deus fecit viuere: & eam ob cauſam vita eius non deficit, ſicut nec rami arboris deficiunt. Deus enim illi indidit ſcientiam, & poteſt quæ vult cogitando velut deguſtare: quodque mente concipit, poſteà aperta voce & verbis rationi conſentaneis multiplicare, vti in arbore folia augentur. Quæ autem rationis eſt expers creatura, hac cognitione ſiue ſcientia caret: itaque ventoſa eſt & interit. Porrò homo rationis compos, per ſcientiam cognoſcit vtilia, amatque illam, ſibique adſciſcit: eaque fretus, quæ mala & pernitioſa ſunt intelligit, timetque ea & vitat, ſibique cauet ab illis. His verò duobus, puta timore & amore, quæ ſcientia vel cognitio boni & mali ſuppeditat, ſe vbique moderatur & regit, & tanquàm duabus alis volat. Solus enim homo ad Dei imaginem & ſimilitudinem formatus eſt: à Deo idcircò conditus, vt ſecundùm ipſum operetur. Itaque cùm ſe cognitione & ſcientia ſua ad bonum erigit, ſancti ſpiritus gratia ei auxiliatura occurrit.

Ceſſant miracula, ne vileſcant.

Gen. 1.

Scientia quid conferat homini.

Gen. 3.

XX. Hunc igitur in modum, vt diximus, Deus creaturas omnes diſtinxit, & quia hominem fecit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, plenam etiam illi præ cunctis mortalibùs creaturis ſcientiam contulit. Sed cùm ſecundùm carnem mortalis ſit & defectui obnoxius, anima eius bonum perficere ſiue conſummare non poteſt, niſi id illi præſtetur ab eo, qui finem non habet. Qui autem in bono perſeuerauerint vſque in finem, ij in cælum ſcandent ad Deum, vbi Cherubin omnia bona opera eorum ante thronum Dei dinumerat, eaque Dei vultus ceu aurum puriſſimum & gemmas precioſiſſimas intuetur. Simul etiam omnis cæleſtis harmonia canticum nouum de illis depromit, ſicque ſpiritus ſanctus in ſanctorum operibus noua ſemper facit. Qui autem in malo perſeuerant, ij perditos angelos imitantur, qui propter ſuam nequitiam è cælo detruſi ſunt, eoſque imitando & ſtultiſſimis pernicioſiſque vanitatibus inhærendo, æternæ vitæ mercede ſe priuant. Indidit enim homini Deus, vt ante dictum eſt, plenam rationis ſcientiam ſiue cognitionem, quod non ignoraret, hominem illa fretum poſſe ſuperare diabolum. Homo enim per bonam ſcientiam cognoſcit malum, & per malum bonum: atque ea cauſa fortiſſimè cum illo antiquo hoſte confligit & congreditur, vt illo victo, locum eius in cælis occupet: quod quidem, niſi plena inſtructus ſcientia, facere non poſſet. Quod enim quis cognoſcit, ab eo vix continere ſe poteſt, quin interdùm ad illud per electionem ſe conuertat. Si autem obſcuræ tenebræ in hominis animum irruant, ita vt ſecundum carnem peccato afficiatur, ſi tum peccatum eligat, & in eo ſine pœnitentia perſeueret, ei aſſimilabitur, qui ab illa lucis claritate ſe auertit, vt tenebroſæ proprietatis ſuæ deſideria expleret. Vnde etiam inferorum cruciatus orti ſunt. Beatus autem homo ea facere appetit, quæ carnem minimè delectent, poſcitque opem à ſancto ſpiritu, vt in ſanctitatis ſpeculum liceat intueri: in quo dum ſuam faciem contemplatur, licet non ſit in illo, ſi quid fœdum & deforme conſpiciat, id pro viribus emendare conatur. Ita nimirùm beatus homo per fidem bona agere opera ad diaboli ignominiam concupiſcit, domans carnem ſuam, & nequaquàm id faciens, quod caro hortatur: ſicque acerrimè & fortiſſimè certando & pugnando, ſeipſum & voluntates ſuas debellat, ad eam peruenturus claritatem,

Gen. 1.

Matth. 10.

Stultitia hominum malorum.

Studia hominis boni.

ritatem, quam damnati ſpiritus perdiderunt. Porrò qui per incuriam lapſi in peccato, à bonorum hominum conſortio ſe ſeparant, illis perditis ſpiritibus ſimiles efficiuntur, qui à perfectis & bonis angelis, faciem patris ſemper videntibus, receſſerunt: quos beatos ſpiritus boni homines imitantes, & bona opera ad fidei ſpeculum actitantes, faciem Dei hunc in modum per fidem adſpiciunt & contemplantur, & per duriſſima certamina illi perpetuò adhærent. Deus enim creaturas ita conſtituit, vt cum illis compleat homo opera ſua. Vndè etiam quibuſdam eam adſpirat mentem, vt ſancta ædificia conſtruant, alioſque Deo ſeruituros colligant, quos tamen rurſus non rarò ſinit ſecundùm voluntates ſuas permulta ijs contraria facere: toleratque ea, nec ſtatim vltiones adhibet. Vbi autem ſpiritus ſanctus in ædificijs & hominibus ædificat, etiamſi illi negligenter viuant in peccatis, ſi quis auſus ſit contumacia improbitatis ſuæ eas ſtructuras demoliri aut perdere, eum repentè ignis ſpiritus ſancti in zelo & iudicio ſuo comburet. Quem in modum operatus eſt Deus etiam in loco ſupradicto, vbi beatus Diſibodus in bonis operibus illi ſeruierat, & vbi ex hac vita migrans, felicem Domino ſpiritum reddiderat. Nam annis aliquot ab obitu eius exactis, magna bellorum vis & calamitas omnem illam prouinciam vexauit, quibuſdam tyrannica rabie irruentibus, & terras Rheno vicinas depopulantibus, ita vt præ metu eius prouinciæ habitatores, quocunque liceret, aufugerent.

Matth. 18.
Merces eorum qui bonis operibus vacant.
Vindicta in eos qui ſacra loca deſtruunt.

XXI. CVM ſcirent autem principes & populus prouinciæ, montem ſancti Diſibodi altum & inexpugnabilem, cum multa celeritate, priuſquàm ab hoſtibus occuparetur, inuitis fratribus Chriſto illic famulantibus, eò ſe receperunt, firmiſq; muris eum communientes, habitacula ſibi condiderunt, planè confidentes tam beati Diſibodi meritis, quàm montis eius munimentis, ſe pericula & hoſtium ſæuitiam deuitaturos. Præ illorum autem multitudine & ſtrepitu fratres ſua non poterant gaudere quiete, nec ita vt par erat, ſeruire Deo. Quamobrem ſuadentibus & orantibus principibus & alijs, in longinquas regiones profecti ſunt, cum priùs fidem dediſſent principes, ſe, illis calamitatibus & hoſtium incurſionibus depulſis, honorificè ipſos reuocaturos. Manſerunt tamen pauci quidam perfecti viri, vt beati patroni ſui Diſibodi monumentũ ab omni iniuria tuerentur. Eorum tam perfecta erat virtus, vt & mundum & vitam corporis ſui planè contemnerent. Ea autem, quam diximus, tempeſtas & vexatio non multos durauit annos, ſed liberata tandem eſt prouincia hæc ab incurſu hoſtili. Tum verò ij, qui montem ſancti Diſibodi occuparunt, memores pollicitationis ſuæ, memores timoris diuini, fratres illos vbicunque poterant perquirebant, inuentos cum multo honore reducebant, quæq; illic congeſſerant & ædificarant, cum maioribus facultatibus & poſſeſſionibus, quàm priùs habuiſſent, illis donarunt. Ita completum eſt, quod ſanctus Diſibodus prædixerat, fore vt poſteriora illorum tempora prioribus feliciora euaderent: iamque etiam ex longinquis regionibus permulti tum è Clero, tum ex laicis ad eos veniebant, conſilia & auxilia vtriuſque hominis ab eis expetentes.

Fratres mõtis S. Diſibodi, alio cõmigrant
Honorifice reducũtur.

XXII. CASTIGABAT verò omnipotens Deus beatos illos, quoties eum ſuis peccatis offendiſſent: quemadmodùm etiam tum feciſſe eum diximus, cùm ſignis & miraculis, quæ per merita ſancti Diſibodi fiebant, inſolentiùs quàm par eſſet, gauderent: quæ ſanè deinceps tam crebra non fuère, vt priùs. Si enim opera ſpiritus ſancti ad oſtentationem trahantur, ſeueriter id punire ſolet idem ille ſpiritus, vltionemque ad extremum vſq; quadrantem repetere. Sed cùm ad ſepulcrum ſancti viri non fierent ſolito more miracula, licet poſteri eius multis annis eius è vita exceſſum religioſe colerent, tandèm gemebundi in memoriam diuinæ virtutis redire, agnoſcebantq; propter ipſorum peccata ceſſaſſe miracula, nec niſi raò ob ſancti Diſibodi memoriam fieri. Itaque ſeſe accuſantes, inuicem dicebant: Quid ita torpemus ignauia, nec ſanctum virum honore afficimus, cùm tam multa miracula & beneficia propter eius merita nobis diuinitùs contigerint? Deinde cum maioribus natu & ſapientibus eius prouinciæ communicato conſilio, accedente etiam conſenſu & authoritate Bonifacij, Moguntinæ ſedis antiſtitis, tempus & idem præfixere, ad quem beati Diſibodi oſſa eleuarent. Dies autem ille per omnem populum diuulgatus eſt, & cùm iam adeſſet, multa hominum turba eò aduolauit: præſenteque eo, quem diximus, antiſtite, itum eſt ad beati viri ſepulcrum, & cum magna veneratione oſſa eius & cineres inde ſublata ſunt, & de oratorij vmbraculo in monaſterium, ad occidentalem ferè eiuſdem montis plagam conditum, cum hymnis & magnis populi vocibus, multis iam ab eius obitu elapſis annis, in locum præparatum honorificè repoſita ſunt. Deus autem, qui nouit abſcondita, rurſus illic ſancti ſui merita declarauit, eodem die curato hydropico alijſque diuerſis malè valentibus ſanitati reſtitutis, ſparſo item odore illo ſuauiſſimo per totum diem, quem ſenſerant fratres beato viro ad cælos abeunte. Atque inde factum eſt, vt eius prouinciæ homines diem anniuerſarium, quo hæc geſta ſunt, & diem obitûs eius, ad ſepulcrum illius confluentes, cum magna precum & oblationum veneratione deinceps celebrarint.

Matth 5.
Eleuatur S. Diſibodi corpus per S Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinenſ
Sanatur hydropicus.

XXIII. PORRO fratres loci illius multis annis bona pace fruebantur, atque ea cauſa beato Diſibodo ſine offenſione tranquillum exhibebant famulatum, ita vt populo cumprimis chari eſſent, ab eoque celebrarentur, & multis facultatibus augerentur ac locupletarentur. Poſt annos autem plurimos & aliquot regum deceſſum, rurſum ingentia orta ſunt bella aduerſum regionem illam. Itaque maiores natu & principes terræ illius Carolum Magnum, qui tum Romanum Imperium ſuſceperat, adeuntes, dixerunt æquum non eſſe, vt ij, quos nõ carni, ſed ſpiritui, non mundo, ſed Deo ſeruire oportebat, mundi pompam & opes ſuperfluas obtinerent: quemadmodùm facerent illi, qui in monte ſancti Diſibodi degerent: cùm ipſi prælijs & anguſtijs preſſi, diuitijs & facultatibus egerent, vnde tum ſeruire regno, tum ſibi conſulere poſſent. Eorum orationem Imperator & prudenter audiuit, & ſapienter diſſimulauit, reſponditque ſe fratribus illis nec fundos aut poſſeſſiones, neque res alias quas eis fideles contuliſſent, vlla ratione adempturum. Eo accepto reſponſo, illi deinceps quieuerunt.

Nota argumẽta eorũ, qui oculos ad monaſteriorũ opes adijciunt.
Prudẽs Caroli Magni reſponſum.

XXIV. DEFVNCTO autem hoc imperatore, & multis ſibi ſuccedentibus annis, rurſus Barbarorum hoſtiles incurſus adeò increuere, vt etiam vrbes aliquot Rheno adiacentes, euerſæ ſint. Tum verò quidam ex nobilioribus eius Prouinciæ, è ſtirpe Principum illorũ, quos antè diximus, adiuncto ſibi Moguntinæ ſedis Præſule, Imperatorem, qui id temporis erat, acriùs etiam, quàm ſuperiores illi, infeſtis querimonijs pulſare cœperunt, dicentes ſe nullas habere opes aut copias, quibus Imperio ſeruire & ſuam vitam tueri poſſent, illis, qui in monte ſancti Diſibodi degerent, ipſorum fundos occupantibus, nec ſe quicquam comperti habere, quo iure id illi facerent. Ijs auditis, Imperator aſſenſit, conuocatiſque Ducibus & Principibus, quæſtionem habere cœpit de poſſeſſionibus fratrum ſancti Diſibodi, vnde tam copioſi eis fundi veniſſent, quáve traditione & confirmatione ab illis tenerentur. At illi mentem Imperatoris intelligentes, inuidia & maleuolentia excæcati, multa dixere teſtimonia prorſus falſa & per fraudem compoſita, fundoſque illos & poſſeſſiones, licet iam longiſſima temporum præſcriptione ſine querela eos obtinuiſſent, à fratribus memoratis præter ius & nullo Imperiali conceſſu occupari mentiebantur. Tum verò iniquorum iudicum iudicio lata ab Imperatore ſententia, ſimulq; facta poteſtate, illi, qui has querelas apud Imperatorem depoſuerant, vna cum prædicto Moguntino Epiſcopo, qui præcipuus harum turbarum incentor fuit, poſſeſſiones & fundos montis beati Diſibodi, itemq; limites eius, Deo permittente, crudeliſſimè inuaſere. Ea verò vexatione fratres eius montis perturbati, prorſuſq; nudati & ſpoliati, ſimul etiam imminentium bellorum horrore perterriti, montem non ſine ingenti luctu deſeruere, atq. ad loca aliena, quocunq; licebat, ſeſe contulerunt. Illis autem abeun-

Exigẽtibus peccatis, fratres iterum apud Imperatorem accuſantur.
Occupantur poſſeſſiones S Diſibodi
Fratres emigrant.

Digitized by Google

abeuntibus, ne qua ſpes vnquàm eo reuertendi poſſet affulgere, ijdem inuaſores eorum domicilia ſolotenus deſtruxerunt, exceptò ſacro illo loco, ad quem oſſa beati Diſibodi tranſlata fuerant: qui ne prorſus omni diuino cultu & miniſterio deſtitutus eſſet, vaſtationis huius authores ſacerdotem quendam, qui populi iuxta montem habitantis curam gereret, illi præfecerunt, victum & veſtitum ei ex facultatibus loci eius attribuentes, qui vix ſufficeret. In ea verò deſolatione locus ille diu permanſit: ſed tandem poſt multa annorum curricula quidam vir pius & nobilis, & eius prouinciæ Comes, Nicardus nomine, mundo quidem deditus, & multis opibus circumfluens, montem illum ſublimem & ſpecioſum videns, non ferens eius deſolationem, diuina gratia compunctus ingemuit, & in ſacroſanctæ Trinitatis gloriam & beati Diſibodi memoriam tres ſacerdotes illic conſtituit Deo ſeruituros, quibus etiam de ſuis facultatibus abundè largitus eſt vitæ degendæ neceſſarias res. Deinde etiam aliquot labentibus annis quidam Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus, pius, humilis, & corde contritus, in montem illum aſcendens, genuaque ad beati Diſibodi tumulum ſuppliciter curuans, de rebus poſſeſſionibuſque illi ſancto ablatis ſe locupletatum vehementer indoluit, votumque Deo nuncupauit, ſe pro duodecim Apoſtolorum numero duodecim Canonicos, Deo & ſancto Diſibodo loci patrono famulaturos, illic collocaturum: quod etiam præſtitit, ex fundis & poſſeſſionibus loci eiuſdem, quantum potuit, illis aſſignans. Et ita paulatim quidem diuina caſtigatio flegella ſua nonnihil retraxit, nondum tamen vſquequaque ceſſans.

Vnus tantum ſacerdos in mõte S. Diſibodi.

Deinde tres

Poſtea duodecim Canonici.

XXV. PORRÒ cum iam Spiritui ſancto viſum eſſet, vt locus inſtauraretur, cuidam viro ſæculari, prudentia benè inſtructo, qui etiam Moguntinæ ſedi præerat, eam adſpirauit mentem, vt ſummopere deſiderauit loco illi priſtinum ſplendorem & dignitatem ſuam reſtitui. Itaque inſtar prudentis patrisfamilias, filijs ſuis ex amore ſubſtantiam ſuam diſtribuentis, Canonicos in monte illo manentes, in alijs locis ipſis congruentibus repoſuit: viroſque religioſos, qui in multa diſciplina ſecundùm beati Benedicti regulam viuerent, perfectioniſque obtinendæ ſtudioſi eſſent, in monte reſtituit, multaque nos beneuolentia complectens, largas eleemoſynas illis de ſubſtantia & facultatibus ſuis, quantum potuit, ſubminiſtrauit. Ita nimirum illa fratrum congregatio & tunc & etiam poſteriori tempore permulta, Deò permittente, aduerſa perpeſſa eſt, ſicut & illi, qui eos anteceſſerant, imò vt hodieque pariter non raró, & ſucceſſores horum etiam paſſuri ſunt, ſi commeruerint. Et de ijs quidem omnibus, quæ iam diximus, multa vulgò iactantur, pro varia rerum ac temporum viciſſitudine, fabuloſa & vana, quæ cùm ſpiritum ſanctum non habeant authorem, inſtar ſtipulæ diſſipabuntur. Quæ autem nobis commemorata ſunt, ad gloriam nominis Dei & beati Diſibodi memoriam, itemque audientium caſtigationem, per Spiritum ſanctum veraci reuelatione manifeſtata ſunt: quibus eæ, quas diximus, hominum fabuloſæ opiniones admiſcendæ non ſunt, nec vera illius, qui Eſt, ludibrio habenda. Vnde etiam conſiderandum eſt, quid Deus iamindè à primo homine ad nos vſque in hominibus operatus ſit. Cùm enim Adam lapſus eſſet, & è paradiſo exularet, quandoquidem per vilem creaturam corruerat, Deus voluit ſibi ab hominibus res creatas offerri: perinde vt infans ſolet primò lacte nutriri. Poſtquàm autem Dei filius homo factus eſt, ſeipſum ille Patri obtulit ſacrificium, & os hominis ad iuſtitiæ cibum capiendum aperuit, quemadmodùm pueri ſolent eſca ali. Cùm verò idem Dei filius ad cælos aſcendit, igne ſancti ſpiritus impleuit hominum pectora, eoſque aduerſum vitia & prauas cupiditates pugnare, atque ita ſeipſos Deo ſacrificium exhibere docuit: & multi ſanè congruenter cæleſti harmoniæ viuere elegerunt, puta homines ſpiritales & religioſi, qui ſeipſos & mundum relinquunt cauſa amoris Dei: itemque alij homines boni, qui ardenti deſiderio ex gratia Spiritus ſancti ad continenter viuendum fortiter ſeſe accingunt. Porrò quemadmodùm homo iam adultus, per ſeipſum capit cibum: ſic Deus etiam hîc fecit, ablata opinione vacillante, & veritate, quæ fidenter ſolet ingredi, in lucem prodire iuſſa. Sicut ergò diximus, Deus præpotens montis ſæpè memorati habitatores crebrò caſtigauit & repurgauit, vti & alios permultos, nec tamen paſſus eſt penitus peſſum ire. Fecit idem etiam filijs Iſraël: qui cùm benè cœpiſſent, propter multas vanitates, in quas ſubindè inciderunt, non paucas tulère perſecutiones: atque ad extremum cùm ſanguinem Agni pecunia emiſſent, diſperſi ſunt. At tamen nouiſſimis temporibus requirentur, nec penitus peribunt. Nunc verò laus ſit Deo & Domino noſtro, contra antiquum ſerpentem præliantì, & vſque ad mundi conſummationem, omnem peccati rugam abolenti: in quo mundi fine fidelium hominum ea exiſtet conſtitutio, quam ab initio Deus præordinauit. Et tunc antiquus hoſtis prorſus pudefiet, & nec ſibi, nec alijs prodeſſe, aut gloriam vlli conferre poterit. Omnia hæc vera Sapientia prolocuta eſt, & ego paupercula decumbens in lecto ægritudinis meæ, ea vidi, & audiui, & cœpi ſcribere, atque ad finem perduxi. Poteſt autem Deus, ſi viſum ei ſit, è lecto me erigere, Amen.

Tãdem Benedictinis monachis locus reſtituitur.

Variè Deus in hominibus operatur.

Matth 16.

Sanguis innocentis Agni Dei effuſus, cauſa diſperſionis Iudæorum.

EX CHRONICO MONASTERII HIRSAVGIENSIS,

AVTHORE IOHANNE TRITHEMIO ABBATE SPANHEIMENSI,

quædam ſubiungere viſum eſt, quæ aliquot locis præcedentis hiſtoriæ magnam lucem afferunt.

HOc ipſo anno (1108.) Ruthardus Archiepiſcopus Moguntinus deſolationem monaſterij S. Diſibodi præſulis, in Comitatu Spanheimenſi, per anteceſſores ſuos ante præſentis temporis plures annos miſerabiliter ſpoliati & deſtructi, ægrè ferens, Clericos, ſanctæ manſionis iniuſtos poſſeſſores, expulit, & nimia vetuſtate collapſum monaſterium in montem transferens, denuò fundauit. Erat eo tempore apud Moguntinos in precio Burchardus Abbas monaſterij ſancti Iacobi extra muros, vir prudentiſſimus & regularis diſciplinæ præcipuus amator. Huic Ruthardus præfatus Archiepiſcopus monaſterium ſancti Diſibodi cum omnibus attinentijs ſuis commiſit, & Abbatem illius primum ſimul & ſancti Iacobi ipſum conſtituit. Qui Burchardus iuſſu præfati Archiepiſcopi & impenſis, pridiè Calendas Iulij hoc anno primum fundamenti lapidem in præſcripto monte pro nouo monaſterio poſuit, acceptiſque de monte ſancti Iacobi monachis, conuentum iuxta regulam ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti inſtituit.

Ruthardus Archiepiſc. Moguntinus reſtituit monaſterium S. Diſibodi.

Item longè infra in eodem Chronico.

EODEM anno (1138.) in die ſancto Paraſceues poſt matutinas apertum eſt ſepulcrum S. Diſibodi Epiſcopi quondam in Hibernia, qui pro Chriſto peregrinus in mundo factus, manſionem in Comitatu Spanheimenſi, ordinante Domino, elegit, ibique monaſterium noſtri Ordinis non multò poſt obitum ſancti patris noſtri Benedicti in vertice montis fundauit: in quo multitudinem monachorum congregans, ibidem poſt completum vitæ curſum in Domino quieſcens, ſepultus eſt. Hoc verò monaſterium, nimia antiquitate collapſum, per Vuillegiſum Archiepiſcopum Moguntinum de nouo conſtructum eſt circa annos Domini nongentos ſeptuagintaſex, & poſteà, ſicut diximus, per Adelbertum Archiepiſcopum & Ruthardum eius prædeceſſorem, anno Dominicæ natiuitatis milleſimo centeſimooctauo tranſlatum in montem de nouo fundatum. Quo tandem conſummato, tumba ſancti

Monaſterium S. Diſibodi vetuſtiſſimum.

Digitized by Google

præſulis Diſibodi, quam Vuillegiſus Archiepiſcopus clauſerat, aperta eſt, & reliquiæ in nouum monaſterium tranſlatæ, retrò maius altare in nouo ſarcophago reconditæ ſunt. Huic translationi fuerunt præſentes Cuno, ipſius loci Abbas, cum tota congregatione ſua: Bernhelmus, primus Abbas monaſterij mei Spanheimenſis cum tota congregatione ſua: quia non procul diſtant ab inuicem: Gerardus, Abbas S. Maximini Treuirenſis, & plerique ex Clero & nobilibus terræ Comitatus.

An. 290.

VITA SS. EPICTETI PRESBYTERI ET ASTIONIS MONACHI, MARTYRVM, AVCTORE INCERTO

ex vitis Patrum editis ab Herib. Roſuueida Soc. IESV.

Ivlii 8.

A puero pius Epictetur.

1. Regi.

Miracula facit.

I. TEMPORIBVS Diocletiani profaniſſimi Imperatoris, erat quidam presbyter in partibus Orientis, nomine Epictetus, religioſam vitam agens, & caſtus in omni ſua conuerſatione exiſtens. Hic namque à parua ætate in ſeruitio Domini enutritus, exercebatur in omnibus iuſtificationibus Ieſu Chriſti. Cùm autem ad maturam perueniſſet ætatem, vt Samuel, quondam ephod ſacerdotale promeruit portare, eò quòd multa ſigna ac prodigia per eum diuina gratia in omnibus operabatur. Denique cæcorum ſæpè oculos orationibus illuminabat, ſed & leproſos ad ſe venientes emundabat, paralyticos ſanabat, ac de obſeſſis corporibus dæmonia effugabat.

II. IGITVR vna è diebus dum ſolus ſua in cella reſideret, ac ſolitas orationes Chriſto exhiberet, quædam puella Comitis cuiuſdam filia, omnibus membris præter linguam tota mortua ad eum perducitur. Cumque pro foribus eius pater filiam poſuiſſet, ingreſſus ipſe ad ſanctum, genibus eius ſubito aduolutus, taliter clamans & dicens: Miſerere mei, ô homo Dei excelſi, eò quòd Deus tuus, totus miſericors & miſerator à ſeruis ſuis pronunciatur. Ne velis me, quæſo, proijcere à facie tua, cum ille gratanter ſuſcipiat omnes ad ſe confugientes. Ego enim vnicam habeo filiam annos XV. ætatis agentem, ſed hæc per triennium temporis à nimia paralyſi diſſoluta eſt. Itaque non dubito quòd ille qui XII. annorum fluxum ſanguinis reſtrinxit, poterit, ſi voluerit, & filiæ meæ per te integram incolumitatem præſtare, eò quòd fidei ipſius nos viuimus, & filij ſanctæ Eccleſiæ exiſtimus, atque in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti ſumus baptizati. Hoc audiens ſacerdos Domini, iuſſit puellam intrò ad ſe perduci. Quam cum ante ipſius pedes pater poſuiſſet, taliter pro ea homo Dei preces profudit ad Dominum Deum dicens: Deus æterne, agitator Cherubim, qui de cælo deſcendiſti, vt paradiſo exulatum in antiquam reduceres poſſeſſionem, qui per humanitatis tuæ diſpenſationem noſtram infirmitatem ſuſcepiſti, vt te nos in noſtris vaſis fictilibus poſſidere promereamur: quæſo Domine quæſo, dignare reſpicere in fidem famuli tui: & ſicut filiam archiſynagogi de mortis ianuis reuocaſti ad vitam, ita & nunc huius vnicum pignus per tuam gratiam recuperare in priorem habitum dignare, vt agnoſcat hæc generatio incredula & peruerſa, ſanctum & terribile nomen tuum colere, & enarrare mirabilia tua in omni tempore. Et finita oratione, de ſanctificato oleo puellæ membra vniuerſa perunxit. Quæ hanc ſanitatem ac medelam conſequuta, vna cum parentibus ſuis Domini benedicebat. Tunc ſanctus Epictetus præcepit patri puellæ dicens: Si cupis *, ô chariſſime mi, vt nulla de reliquo infirmitas ſeu vexatio aliqua in domo tua præualeat, per ſingulas ſeptimanas cum omni tua familia Dominica Sacramenta cum deuotione intima, & mundo corde percipere feſtina. Hæc cum dixiſſet, lætum eum & bono animo cum omnibus ad propria abire imperat.

Matth 9.

Oratio Epicteti.

Marci 5.

XV. annorũ paralyticã oleo ſancto inunctam ſanat

* Patri cum familia, vt omni hebdomade communicet, ſuadet

III. ITEM alio tempore dæmoniacus quidam ad eum deductus. Quem cum ſecum degere Dei homo feciſſet, cœpit triduum taliter diabolus ad eum vociferari & dicere: O crux, ô tormenta, quæ ſine cauſa patior. Quam bene mihi ſemper in Phrygiæ partibus erat, quomodo quotidie hominibus meum ſacrificium ritumque ſuadebam? in quantis itaque honoribus ego miſer illic degebam, ſed nunc vſque non intellexi, eò quòd leuitate quadam inde receſſi & huc perueni. * Ego † namq; ſum ille, qui per Montanum plurima verba, & blaſphemia plena protuli. Ego per Maximillam diuerſa perpetraui ſcelera. Ego totam illam regionem ad eam culturam ſordeſque detraxi. Ego per Arium Alexandrinam vrbem inuaſi, atque vt Filium Dei viui creaturam diceret, perſuaſi. Ego per Manem Manichæorum hæreſim inſtitui, atque vt mihi ieiunia conſecrarent, oſtendi. Ego per Donatum totam Africam deuaſtaui. Et [a] ecce, nunc ab vno famulo tuo vt mancipium fugitiuum ligatus teneor, ô Chriſte. Hæc & plura horum dæmone vociferante, à beato viro increpatus, tertio die à ſuo domicilio receſſit, purgataque perſona Chriſto Domino gratias referebat.

* Dæmon multorum hæreticorum patrẽ ſe profitetur.

† Quæ hic ſequuntur, vſq; ad *Ecce*, non reperiuntur in editione veteri huius vitæ. Vide Roſw. in notis. [a] Dæmoniacum ſanat Epictetus.

IV. ALIO rurſus tempore cæca mulier ad eum perducta eſt, & ſtans coram ipſo, taliter deflebat dicens: Qui ſis, agnoſco; ſed & quantum apud Deum valeas, credo. Ne ergo velis deſpicere fletum meum, nec in vanum ducere obſecrationem meam. Totius namque prouinciæ huius medici ſuam in me prudentiam induſtriamque exercentes, in nullo prodeſſe potuerunt: ſed & quantum in me ſuam artem demonſtrauerunt, in tantum ego miſera doloribus diſſoluebar. Vnde obſecro ſanctitatem tuam, vt digneris tantummodò dexteram tuam ſuper oculos meos in nomine Chriſti tui imponere: & credo, quòd mox meorum luminum viſio per te mihi tribuatur. Tunc ſanctus Epictetus admirans huius feminæ fidem, dexteram ſuam ſuper oculos eius poſuit, glorificans Domini bonitatem, & dicens ad eam: Secundùm quod credidiſti ô filia, fiat tibi. Adhuc verba in ore Chriſti ſacerdotis voluebantur, & repente patefactis oculis mulier lumen aſpexit, clamans & dicens: Gloria tibi Deus Chriſtianorum, qui non deſpicis peccatores in errore poſitos, ſed propter magnam miſericordiam tuam ſuſcipis & ſaluas ad te conuertentes ſe. Et cùm hæc dixiſſet, ſtatim cum vniuerſa domo ſua credidit in Deum Saluatorem. Et quia ſatis longum eſt, ſi velimus vniuerſa mirabilia, quæ per eum Dominus operatus eſt, ſtudioſo Lectori exponere: hæc interim pauca de multis in tranſcurſu perſtrinxiſſe ſufficiat. nunc verò ad propoſitum opus reuertamur.

Cæcæ lumen reſtituit.

V. VNA itaq; è diebus dum quidam adoleſcens nimium decorus vultu, & pulcher aſpectu, Aſtion nomine, viſitationis gratia ad eum deueniſſet, atque iuxta ſe eum ſedere beatus presbyter rogaſſet: ponens manum ſuper caput eius, cœpit cum blandis ſermonibus taliter ad fidem Domini cohortari dicens: Quis, inquit, es tu, ô dulciſſime fili, & vnde venis, aut quo vadis? aut cuius filius ſeu generis ſis indica mihi. At ille reſpondens dixit ad eum: Originem vel genus meum, qualiter beatitudini tui exponam, ô beatiſſime pater, ignoro. Hoc ergo quod ſcio, tantummodò breuiter & in tranſcurſu tibi indicabo. Pater meus primarius vrbis huius & nimium ditiſſimus habetur: mater verò de illuſtrium genere & Iuliani ſenatoris extitit filia, qui me quotidie quaſi vnicum pignus ac pretioſiſſimam inſpiciunt margaritam. Et ſanctus ad hæc: Bene dixiſti, mi nate, quia velut margaritam inſpiciunt. non enim iam habent; ſed inſpiciunt tantummodò, eò quòd benedicta anima tua pretioſior omni margarita omniq; metallo habetur Chriſto, quam ſibi ipſe Saluator noſter iam in ſuum miniſterium & ad ſeruiendum elegit vt video. Veni ergo mi nate, & reſpue ea quæ in mundo hoc habentur, vt cum ſanctis omnibus illa in futura percipias quæ hîc non videntur. Iſta enim omnia quæ hîc intuentur tranſitoria ſunt & peritura; illa autẽ quæ Deus ſibi ſeruientibus præparauit, manent in æternum, quomodo & ipſe manet in æternum. Nam aurum hoc, fili, quod videtur, non eſt verum, ſed quædam vanitas eſt phan-

Aſtionem adoleſcentem conuertit.

eſt phantaſiæ, per quam in hoc mundo illuduntur animæ iuſtorum. Similiter & argentum quod iſtis oculis cernitur, falſum poſſidet nomen, ꝙ ab omnibus fabricatur & limatur tantummodo vt decipiat & rapaces ſuadeat inſipientes. Veni ergo, & audi me, fili dulciſſime, & ego tibi oſtendo quale aurum tibi eſt eligendum, vel quale argentum ſit concupiſcendum, illud ſcilicet quod Dominus noſter atque Saluator in ſe credentibus impartitur dicens: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ. Aurum ergo hoc ignitum probatum, Chriſtus Dominus noſter eſt. Et, fili, qui voluerit eum in ſede ſui pectoris habere, ſtatim diuitias cæleſtes promerebitur, & veſtimentis albis induetur, id eſt, Fide, Spe, & Charitate; per quas de reliquo non hunc viſibilem mundum tantùm, ſed & diabolum, quem vos vt dominum colitis, cum vniuerſis Angelis eius poteris ſuperare. Nam & pater tuus iſte qui videtur, fili, non eſt vetus pater, ſed omnipotens dicitur Deus pater tuus. & ideò alius dicitur ille, & alius iſte pronunciatur. Ille namque inuiſibilis & inenarrabilis exiſtit, hic verò viſibilis & corruptibilis eſt. Ille incomprehenſibilis permanet & immortalis, hic corruptibilis & mortalis in omnibus degit. Per illius igitur diſpenſationem conſtant vniuerſa, per iſtius verò ordinationem nihil permanet ſtabilitum. Ille iuſſit, & factus es; mandauit, & in vtero matris formatus es; præcepit, & egreſſus es; imperauit, & ad hanc iuuenilem ætatem perductus es. Et quidem iſte viſibilis pater honorandus eſt, fili, non tamen ſicut ille; eò quòd ille ad imaginem & ſimilitudinem ſuam nos condidit & creauit; intellectum quoque ac prudentiam donauit, ſenſum peruigilem, & memoriam bonorum habere conceſſit, atque ſuper omnia opera ſua nos conſtituit dominatores, ex ſeruis in filios & fratres atque amicos nos ſibi per ſuam gratiam adoptauit: & ideò hunc verum patrem, qui nobis tanta præſtitit bona, ſemper conuenit, fili, agnoſcere & adorare. Nam & iſti viſibili patri ad hoc tantùm honor eſt deferendus, quòd ſerui miniſterium erga nos ſæpè exercuit in parua ætate conſtitutos, frequenter nos dum pauit, ſæpiùs dum ſollicitus fuit ad ea quæ infantiæ noſtræ erant neceſſaria, dùm oſculata eſt caro quæ carnis ſunt, dum ſollicitudinem habuit pro viſceribus propriis. Ecce itaque pro talibus cauſis honor ei deferendus eſt. Sed & mater noſtra alia habetur, fili. Non hæc viſibilis, ſed immortalis permanet: & quæ digne Saluatori noſtro eſt deſponſata, atque per Angelos eſt adornata, per prophetas exornata, per Apoſtolos glorificata, per martyres & confeſſores exaltata, atque in Chriſto, & per Chriſtum in cæleſti thalamo eſt eleuata: quæ & ab hominibus hæc ſancta mater Eccleſia pronunciatur. Cuius vox, vt turturis habetur, ad cuius labia diſtillant aromata: ſcilicet apoſtolorum doctrina. Cuius oculi, duo ſunt cæli luminaria: cuius dentes ſunt candidi, & quaſi de lauacro aſcendentis. Quem myſticum ſenſum vigintiquatuor libri ſacratiſſima habent in figura. De cuius manibus ſtillat myrrha, quod eſt iuſtitia & fides vera. Cuius decem digiti, decalogi virtutem continent & ſacramentum. Cuius vbera duo ſunt Teſtamenta: Moſaicâ ſcilicet lex, & Euangelij gratia. Cuius pedes ſimiles ſunt aurichalco: cuius venter & interiora, ſacratiſſimi fontem Baptiſmi, & omnium gentium declarant regenerationem. Veni ergo, dulciſſime mi nate, & huius veriſſimæ matris tuæ vbera ſuge: & acquieſcens monitionibus, reſpue quæ in hoc ſæculo videntur, vt illis frui merearis, quæ in futurâ vitâ ſuis filiis ſe Deus repromiſit donare. Sed & verum patrem noſtrum audi dicentem: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in illam terram, quam demonſtrauero tibi: in terram ſcilicet viuentium, & regionem Sanctorum: in terram fluentem lacte & melle, id eſt, in doctrina apoſtolorum & prophetarum. Et cùm vniuerſa quæ tibi præceperat expleueris, tunc tradet poſſeſſiones paradiſi, pandet tibi ſacramenta cæleſtia, donabit regni cælorum gloriam, demonſtrabit apoſtolorum immenſam lætitiam, martyrum choros, Angelorum atque Archangelorum frequentiam ſæpiùs declarabit. Sed ſuper hæc omnia, vt *filium* & fratrem te ſibi per gratiam adoptabit. Hæc audiens iuuenis ſapientiſſimus, procidit ad ſenis genua, & rogare eum cœpit, vt illi ſe potiùs offerret, cui ipſe ab ineunte ætate deſeruiret, qui & tantæ potentiæ & magnitudinis ſolus haberetur. Et quia propter ſeruos ſeu miniſtros, qui ad eius erant obſequium, ne quiſpiam eorum hæc patri indicaret, ampliùs nihil Aſtion in die illa ad hominem Dei locutus eſt.

Apoc. 3.

Quid intersit inter Deum & patrem carnalem.

Cur parentibus honor deferendus.

Matris Eccleſiæ deſcriptio ex Canticis.

Gen. 12.

VI. ALIA verò die ſurgens primo diluculo, vt apis prudentiſſima, ad eundem locum vnde heſterna die cœleſtes flores fuerat depaſtus, properauit. Et ingreſſus in manſionem ſacerdotis Domini, taliter eum ſalutauit, dicens: Aue, ô apoſtole Chriſti, & noui Teſtamenti miniſter. Et ſanctus ad hæc: Aue & tu iuuenis, qui martyrij ſtolam & coronam variis gemmis contextam in capite geſtis. Cumque iuxta ſe eum ſedere feciſſet taliter ad eum locutus eſt: Quid eſt, fili? Semen Dominicum, quod heſterna die in terram cordis tui per diuinam gratiam ſeminauimus, aſcendit ad fructum, an adhuc infidelitatis vitio detinetur? Et Aſtion ait: Vt nouit beatitudo tua, ô ſanctiſſime pater, vnicus mei genitoris, nimiumque charus exiſto: & ſatis timeo, ſi Chriſtianus effectus fuero, ille præ nimia deſperatione, aut ſpiritu violenter careat, aut in profundum maris ſemetipſum præcipitet: & aut vere, quod abſit, propter me amens efficiatur: atque vnde mihi ſalutem ſpero deuenire, illi mortem perpetuam, & gehennæ præparem ignes. Ergo ſi dignatis conſilium meum accipere, facito interim quæ dico: Iube me hodie fieri catechumenum, & impone mihi ieiunium in quantos volueris dies, & poſt dies definitos mihi ſacramentum Baptiſmatis tribue. Cumque omnia, quæ Chriſtianæ pertinent religioni, expleuero: tunc precor vt pariter ab hac vrbe ambo egrediamur, & in regionem longinquam, vbi nos Spiritus ſanctus perduxerit, properemus, ne immaculatam conſcientiam meam per ſuas lachrymas polluat pater. Cumque in prudentiſſimo iuuene, quæ diſpoſuerat ipſe, conſummata fuiſſent, poſt dies paucos, oratione ad Chriſtum præmiſſa, ambo ab vrbe egrediuntur: & deſcendentes nauim, in Scytharum fines ingreſſi ſunt, atque in Almitidenſium ciuitatem deuenerunt, vbi nullus erat, qui eos vel eorum patriam poſſet agnoſcere.

Timet patrē Aſtion.

Baptizatur.

Fugiunt ſimul in Scythiam.

VII. IGITVR cùm hanc ſanctam fugam beatiſſimi viri perpetraſſent, cœperunt parentes ſancti Aſtionis per diuerſa loca eum requirere, & nomen eius, huc illucque diſcurrentes, cum nimio mœrore inclamare. Siquidem pater eius vociferabatur, dicens: Fili dulciſſime, & vnicum meum pignus, Aſtion chariſſime, quid tibi factum eſt, vel qualis fera te ſubitò deuorauit, vt nec parum aliquid reliquiarum tuarum potuerim reperire? O baculus ſenectutis meæ, & viſcerum meorum lumen, vbi te iam vlteriùs requiram neſcio, & in quam regionem propter te meos mittam famulos ignoro. Tu enim eras vrbis huius pretioſiſſima margarita, tu inter tuos ciues vt columba pulcherrima incedebas; tu vt radius ſolis inter omnes fulgebas; tu vt ſplendidiſſima luna inter populare vulgus coruſcabas, tu inter ſapientes ſapientior exiſtebas. Et quid multa? Per tua melliflua verba, vniuerſos ad tui amoris deſiderium prouocabas. Hæc quidem pater. Sed & mater ſcindens veſtimenta ſua, ac feriens manibus pectus, tali modo deflebat, dicens: Quis te à me ſeparauit, vel quis ſeduxit? ſeu qualis auis demens de gremiis rapuit, ô dulciſſime fili Aſtion, ignoro. Sed, vt ſuſpicor, fortè ille Chriſtianorum Deus, vnum miſit de ſuis, & peruertit cor tuum, & abalienauit te à nobis. Et nunc væ mihi miſeræ ſoli, eò quòd infinita triſtitia, & intolerabilis dolor me apprehendit, & tantorum annorum labor inanis inuentus eſt. Cecidit corona capitis mei. Aruit ſiquidem fructus ventris mei & ſedeo vt ciuitas deſolata. Mater fui vſque hodie per te, fili mi, ac regina, & nunc te amittens, nec reginæ gloriam, nec matris gaudium habeo. Sed & tu, nate dulciſſime, arbor fuiſti, & exciſa es; margarita, & à Galilæis furatus es; gemma pretioſa, & in obſcuro collocatus es; vt lampas, & extincta es; columna eras, & deiectus es; regalis ſtatua, & euerſus es. Et quid multa? Homo fuiſti, & in momenti hora vt ſuſpicor, ſubitò mortuus es. Et nunc propter te

Querela patris.

Tob. 9.

Matris planctus.

fili mi, amens effecta ſum, vt nec vel vitam, vel nomen meum intelligàm. Hæc & huiuſcemodi verba pater eius & mater dicentes, nullo modo ſe poterant à mœrore maximo releuare.

Matth. 5.

Quindecim annorum mutus, ſurdus & aridus illi offertur.

VIII. IGITVR cum in memorata vrbe, ſancti Dei homines manſiones ſibi aptas inueniſſent, in ea gratiarum actiones ſoli Deo exhibebant. Et quia ſcriptum eſt, Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, neque diuina gratia latere ſub modio: cœpit iterum cæleſtis virtus per ſanctum Epictetum plura ſigna & prodigia in regione Scytharum, quàm ea quæ in Orientis partibus fecerat, operari. Nam vna dierum quædam mulier ad eum veniens, obtulit ei filium ſuum, annorum ferè XV. mutum, & ſurdum, & aridum exiſtentem: proijcienſque eum ad pedes ſancti Epicteti, taliter ad illum loquebatur, dicens: Vnde adueneris neſcio, vel de qua regione exiſtas ignoro. Hoc autem tantummodò credo, quia ſi vis, potes languentibus ſanitatis medelam præſtare: eò quòd habitus tuus atque religio, Nazareni illius te eſſe diſcipulum declarer. Audiuimus ſiquidem, quanta ſigna & prodigia, alij de numero tuo in illius ſunt nomine operati. Ergo quia vnus ex illius diſcipulis haberis, ſubueni infirmitatibus noſtris. Prædica nobis de mirabilibus illius, expone de natione ipſius, ſeu diuinitatis ſacramentum, vt & nos ſerui eius per te effici mereamur. Hæc audiens ſacerdos Domini, taliter mulieri loquutus eſt, dicens: Si credere vis mulier in eum, quem ego prædico, Deum, & nullum deinceps infidelitatis vitium in animo tuo reſederit, ſed credideris ex toto corde tuo, quòd ipſe ſit conditor cæli & terræ, maris quoque & fontium, aquarum, & omnium quæ in eis ſunt, erit quòd petiſti. Nec enim longe eſt ab vnoquoque noſtrum, eo quod in ipſo ſumus, viuimus, & mouemur.

Orat pro eo.

Ioan. 5.

Ter exſpuit in os pueri & eum ſanat.

Hæc dicens, puerum diſſolutum iubet eleuari: & ſubleuatis oculis ad cælum, taliter pro eo Dominum deprecabatur, dicens: Omnipotens Deus, qui es immenſus & inuiſibilis, inenarrabilis quoque & incomprehenſibilis ſalus Chriſtianorum, infirmantium medicus, gubernator nauigantium, periclitantium portus, lumen cæcorum, pes claudorum, via errantium: reſpice, quæſo Domine, ſuper hunc famulum tuum, & ſolue vinculum linguæ illius ad laudem nominis tui. Aperi quoque aures ipſius, ad audiendum tua cæleſtia ſacramenta. Sana vniuerſa membra eius contrita, tam animam quàm etiam corpus, ſicut illius paralytici, quem poſt triginta & octo annos, tuus venerabilis aduentus integrâ donauit ſanitate, vt agnoſcant nomen tuum qui te non nouerunt, & credant quia tu es ſolus & verus Deus, qui regnas & permanes vnà cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Expleta oratione, exſpuit ter in os infantis, atque interrogans eum, dixit: Fili, in quem Deum nos conuenit credere, in idola quæ ab hominibus fiunt, aut in Ieſum Chriſtum crucifixum, qui te hodie ſanare dignatus eſt? At ille cum magna voce exclamauit, dicens: In Ieſum Chriſtum nos conuenit credere, ô beatiſſime, qui tanta beneficia ſemper & vſque in præſentem diem in hominibus operatur. Cumque hoc miraculum cerneret Almiridenſium multitudo, dedit gloriam Deo: & plus quàm mille animæ in illa die crediderunt in Dominum ſaluatorem.

Pluſquam mille ex Almiridenſibus in Deũ credunt.

Aſtion dæmoniacum curat ſignaculo crucis.

IX. NON ſolùm igitur ſanctus Epictetus, ſed & beatiſſimus Aſtion plurima miracula in nomine Domini operabatur. Denique collata eſt eis plurima gratia aduerſus omnes infirmitates: ſed & contra dæmones maxima illis poteſtas tributa eſt. Vna igitur è diebus, dum ad hauriendum aquam pergeret ad Danubium, occurrit ei homo, qui à dæmonio vexabatur. Et appropians iuxta illum, & orans pro eo ſufficienter, ſalutare ſignum in fronte eius fecit, & per vniuerſa membra eius depinxit. Qui eadem hora egreſſus eſt ab eo. Fugiens autem diabolus, dicebat: Fides tua, ô Aſtion, ac puritas mentis, magnam aduerſus genus noſtrum à Saluatore accepit poteſtatem. Et hæc dicens, nuſquam comparuit.

Semimortuum reddit priſtinæ ſanitati.

Actor. 10.

Actor 3.

Ioan 10

Qui Chriſtianus fit cum parentibus.

X. ITEM alio tempore vidit hominem, qui de nimia altitudine lapſus, ſemimortuus à parentibus in domum propriam ducebatur. Cumque intueretur illos de repentino facto nimium lamentari, pia miſeratione commotus, ſeceſſit in quendam locum occultum: & ſtans, taliter Dominum noſtrum pro eo precatus eſt, dicens: Chriſte Deus, qui per beatum Paulum apoſtolum, Eutychum de feneſtra ruentem à mortis ianuis reuocaſti ad vitam, & qui Æneæ ab annis LXXX. in grabato iacenti, per ſanctum Petrum ſtabilitatem tribuiſti membrorum, & claudo ex vtero matris exiſtenti integram ſanitatem præſtitiſti: & nunc quæſo, Domine, reſpice ſuper iſtum hominem, qui per diaboli operationem à tanta cecidit altitudine: dona ei integram ſanitatem, facitoque eum eſſe de numero gregum tuorum, quia tu es paſtor noſter, verus Dominus, qui in tuo ſancto Euangelio locutus es, dicens: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco meas oues, & cognoſcunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Oratione finita, accedens iuxta hominem, taliter ad eum loquutus eſt, dicens: In nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula. Et apprehenſa eius manu dextra eleuauit eum: & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ, & exiliuit & ambulauit. Et veniens vna cum parentibus ſuis vſque ad habitaculum ſanctorum, exclamauit magna voce, dicens: Vnus Deus Epicteti & Aſtionis, verè vnus Deus Chriſtianorum: ideoque non recedo hinc, niſi hodie Chriſtianus cum meis parentibus fuero effectus. Tunc ſacerdos Domini aſſumens hominem, cum vniuerſis qui aderant, eadem hora catechumenos effecit, & poſt paucos dies ſacramentum eis Baptiſmi tradidit.

Aſtion egreſſus ſine ſenis imperio, turpi cogitatione affligitur.

Matth. 27.

2. Reg. 17.

XI. ALIO quoque tempore, dum ad hauriendum aquam ex flumine ipſe beatiſſimus Aſtion, ſine iuſſione vel commendatione ſenis perrexiſſet, turpis quædam cogitatio in via eunte illo, mentem eius ſubito inuaſit. Et cùm per triduum hic talis ac tantus vir non potuiſſet de ſuo pectore eam extrudere, nimium triſtis effectus eſt, & vultus eius valde pro hoc permanebat confuſus. Quem intuens venerabilis ſenior, ait ad eum: Quid eſt hoc, fili, quòd ſic triſtem te intueor, & inſolito mœrore adſpicio confectum? Hæc ſiquidem triſtitia, quæ te nunc detinere videtur, non eſt illa quam ſancti ſolent habere in vultu, vel pœnitentes pro ſuo communi ſalute: ſed puto hanc eſſe illam mortiferam triſtitiam, quæ aut apoſtatam Iudam, vel Achitophel conſiliatorem Abſalonis necauit. Tunc ille: Ante hoc triduum, quando tua venerabilitas cum hominibus illis de cæleſti myſterio loquebatur, pudore vetante, ego te neſciente, ad hauriendam aquam ad fluuium perrexi. Eunte me verò in via, turpis quædam & ſatis ſordida cogitatio, & vt puto, per diabolum in mentem mihi aſcendit. Et nunc itaque, ecce iam per triduum, quantum valeo cum lacrymis & oratione Scripturarum laboro ad expellendam eam, & nullo modo valeo ſuperare. Tunc ſanctus Epictetus terribilem ei ſuum vultum oſtendens, & indignans quodammodò aduerſus dæmonem, taliter ad eum loquutus eſt, dicens: Et quare abſque mea ſententia oſtium cellulæ egreſſus es, vel ſine oratione Chriſti ſacerdotis perrexiſti ad fluuium? An ignoras, quia commendatio præpoſiti ſemper iunioribus murus inexpugnabilis, & lorica fidei, ad ſuperandum diabolum exiſtit? Et hæc dicens, iubet eum pariter ſecum in oratione ante Dominum proſternere. Cumque diu multumque Saluatoris miſericordiam precati fuiſſent, & finita oratione ex ſolo ſurrexiſſent, vidit beatus Aſtion puerum quemdam nigrum cum ignea facula de ſuo ſinu egredientem, ac talia ſibi dicentem: Confeſſio, tua Aſtion, magnas meas contriuit hodie vires, & vna oratio veſtra me inermem in omnibus reddidit, ac deſolatum. Ideoque egreſſus hinc, intrabo in cor Latroniani ducis, & excitabo eum aduerſum vos celeriter, & per varia ſuppliciorum genera vos expendet, eò quòd ingreſſi eſtis, vt quidam latrones, ſiue malefici in prouinciam ipſius, & multos homines à cultura deorum ipſius per veneficia veſtra auertentes, Deo veſtro ſociatis. Et hæc dicens dæmon, vltra non comparuit.

Cõmendatio præpoſiti iunioribus murus inexpugnabilis.

Confeſſione curatur Aſtion.

XII. IGITVR cùm huiuſcemodi ſpiritualibus exercitijs ſancti Dei famuli conuerſarentur, & Saluatori noſtro Ieſu

Chriſto

Chriſto in pſalmis & orationibus vnanimiter deſeruirent; ac multa mirabilia non ſolùm in hominibus, verùm etiam & in pecoribus diuina gratia per eoſdem operaretur, ſubitò aduenit Latronianus dux in Almiridenſium ciuitatem. Et cùm per triduum opera publica, & imperialia miniſteria quæ ibidem erant, peruidiſſet: quartâ die nuntiauerunt ei quidam de officio de beatiſſimis viris, dicentes ei, & quòd malefici ſunt & magi, multos per ſua veneficia auerterẽt iam à ſacrificijs deorum. Hæc cùm ille audiſſet continuò imperat aliquos ex quæſtionatijs, vt poſt ſolis occaſum pergerent ad habitaculum ſanctorum: & comprehenſos eos ferro vinctos perducerent in cuſtodiam carceris. Cùm ergo comprehenſi beatiſſimi viri, in vinculatorium ducerentur, pſallebant dicentes: Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Et iterùm: Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob. Rurſumque: Multæ tribulationes iuſtorum, & non impiorum: ſed tamen ex omnibus his liberabit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. Cumque ingreſſi fuiſſent in carcerem, totam noctem more ſibi ſolito, in pſalmis & orationibus tranſegerunt. Poſt expletam autem vigiliarum ſollemnitatem, hòc modo ſanctus Epictetus ad beatum Aſtionem locutus eſt, dicens: Si nos, ô dulciſſime fili, craſtino die interrogauerit iudex, dicens: Quod genus, vel quæ nomina veſtra, vel ex quâ prouinciâ eſtis, & vnde huc veniſtis: nos nihil illi penitùs reſpondeamus: neque genus ei, vel nomina noſtra indicemus: ſed nec patriam, vnde ſumus oriundi, illi fateamur: niſi hoc tantùm dicamus, quia Chriſtiani ſumus, & hoc nomen nobis, hoc genus, hoc patria: & nihil aliud ſumus, quàm veri Dei cultores. Et iterùm: Si nobis poſt hanc confeſſionem ſupplicia iuſſerit adhiberi, nihil aliud in tormentis poſiti dicamus, niſi: Domine Ieſu, tua voluntas ſemper fiat in nobis.

Comprehẽduntur a Latroniano duce.
Pſal. 45.
Ibidem.
Pſal. 33.

XIII. Igitvr aliâ die, primo diluculo iubet Latronianus dux tribunal præparari in mediâ ciuitate: & præconibus imperat, vt cum nimio clamore ad tam nefandum & horridum ſpectaculum multitudinem populi inuitarent. Et factâ iam horâ diei tertia, quaſi furibunda beſtia Latronianus procedit. Et populo vndiq; exſpectante, ſedẽs pro tribunali iubet adduci ſanctos in conſpectu ſuo. Cumq; exhibiti coram eo aſtarent, mox vt vidit eos, à pauore nimio totus obriguit: non enim poterat intendere in ſanctos, eò quòd inſtar ſolis, præ nimiâ gratiâ quam gerebant, fulgebant facies eorum. Erat ſiquidem ſanctus Epictetus annorũ ferè ſexaginta, ſtatura procerus, barba prolixa, & ſplẽdore canitiei decoratus. Similiter & beatiſſimus Aſtion monachus, ſtatura & ipſe procerus exiſtebat: ſed & nimiùm pulcher ac delicatus, & quaſi trigintaquinque annos ætatis agens. Cumq; vnius horæ ſpacium tranſiſſet, interrogauit eos Latronianus dux, dicens: Quæ ſunt vocabula veſtra, quod genus, ſeu de quali prouincia vos eſtis oriundi, nobis in conſpectu huius multitudinis explanate. Reſpondentes ſancti, dixerunt: Nos Chriſtiani ſumus, & de parentibus nati Chriſtianis, atq; de Chriſtianorũ patria nos ſumus oriundi. Latronianus dux dixit: Ego nomina veſtra interim volui audire. Nam eò quòd de illa maledicta perfidia eſtis, & ego noui, & vniuerſi circumſtantes. Ad hæc ſancti martyres dixerunt: Nos Chriſtiani ſumus, & Ieſum Chriſtum Dominum noſtrùm, in cuius poteſtate cuncta habentur, agnoſcimus & adoramus, vniuerſa idola tua abominamur, dicente Scriptura: Similes illis fiant qui faciunt ea, ſed & omnes qui confidunt in eis. Hæc audiens dux, nimiùm iratus eſt: & imperat, vt expoliatos fortiter verberarẽt. Cumq; à miniſtris Chriſti martyres cæderentur, oculorum ſuorum obtutum eleuantes ad cœlum, taliter dicebant: Domine Ieſu, magiſter noſter, tua voluntas fiat in nobis. Sed cùm diu multumq; cæderentur, & nihil eius immanitas aduerſus Dei cultores præualuiſſet, taliter iratus contra eos Latronianus locutus eſt, dicens: Vbi eſt mirabilis ille veſter defenſor, quem ſine ceſſatione vobis in auxilium inuocaſtis? Veniat itaque nunc, & ſi poteſt, de meis vos eripiat manibus. Sancti martyres dixerunt: Chriſtiani ſumus, ô tyranne: fiat voluntas Dei noſtri in nobis. Hæc cùm audiſſet Latronianus, iuſſit eos in eculeum leuari, & fortiter vngulis ferreis radi. Cumque raderentur, iterùm dicebant: Chriſtiani ſumus, ô tyranne Latroniane: fiat voluntas Dei noſtri in nobis. Tunc deinde iuſſit tyrannus, vt lampades ardentes, cùm adhuc in eculeo penderent, ad latera eorum applicarent. Cumq; & hoc tormenti genus magnanimiter tolerarent, dicebant: Chriſtiani ſumus, ô tyranne: fiat voluntas Dei in nobis. Et cùm iam hora ſeptima facta fuiſſet, iuſſit eos Latronianus de eculeo deponi, & in cuſtodiam carceris perduci.

Latronianus ſanctos videns obrigeſcit.
Ætas Epicteti & Aſtionis.
Interrogati reſpondent ſe Chriſtianos eſſe.
Pſal. 113.
Cæduntur.
In eculeo torquentur.

XIV. Vnvs autem ex quæſtionarijs, nomine Vigilantius, audiens hunc verſiculum ſanctos martyres in tormentis poſitos, frequenter & ſæpiùs iterare, id eſt, Chriſtiani ſumus, ô tyranne Latroniane: fiat voluntas Dei noſtri in nobis: exiſtimans quòd aliquam magnificæ præcantationis in ſe haberet virtutem: quia dicebant, nullo modo poſſe meditantibus eum dolorem ſentire: cœpit hunc ipſum verſiculum inceſſabili meditatione ruminare: infra domum & in plateis, dormiens atque exurgens, & in omni tempore decantare. Cumque per triduum iugiter non quieſceret decãtando quarta demùm die cœpit voce publica proclamare, dicens: Ego Chriſtianus ſum, ô tyranne Latroniane: fiat voluntas Dei noſtri in nobis. Et perueniens ad beatiſſimos martyres in cuſtodia carceris, ſignaculum vitæ ab eis promeruit percipere: & cum omni domo ſua credens in Deum Saluatorem, beatorum ſancta corpora ipſe poſtmodum cum honore maximo ſepeliuit.

Vigilantius vnus ex quæſtionatijs fit Chriſtianus.

XV. Igitvr poſt quintam demũ diem, ſedẽs iterum Latronianus dux pro tribunali, iuſſit ſanctum Epictetum preſbyterum, & Aſtionẽ monachum in conſpectu ſuo perduci, Cumq; à miniſtris dæmonum ducerentur, pſallebant, dicentes: In te inimicos noſtros ventilabimus Domine, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Non enim in arcu noſtro ſperamus, & gladius humanus nequaquam ſaluare nos poterit: ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam tu cõplacuiſti in nobis. Cumq; ante ſubſellium profaniſſimi ducis Chriſti martyres aſtitiſſent, ait ad eos Latronianus dux: Acquieſcitis mihi, & ſacrificatis dijs, an adhuc in veſtra inſania perduratis? Sãctus Epictetus reſpondit: Sæpius nos interrogaſti, frequenter nobis blãditus es, multotieſq; dona plurima, & honores nobis maximos promiſiſti: & tamen penitus nihil aliud à nobis audire potuiſti, niſi quia Chriſtiani ſumus: & ecce, nunc hoc ipſum iterare non quieſcemus. Cum autẽ audiſſet Latronianus hæc omnia verba, dedit mugitum vt leo: & exclamans voce magna, taliter ad ſuos milites locutus eſt, dicens: Velociter, ô miniſtri huius ſplẽdidiſſimi culminis, ſal & acetũ huc afferte, & prioribus eorũ lacerationibus confricate, ſimulq; picẽ & adipem in cacabũ æneum mittite, & cum cœperit fortiter ebullire, eos in eundẽ mittite. Et ſancti hæc audientes dicebant: Chriſtiani ſumus, ô tyranne: fiat volũtas Dei in nobis. Cumq; hoc tormenti genus pro Chriſti nomine magnanimiter tolerasſent, & in nullo penitus læſi fuiſſent, imperat ſæuiſſimus tyrannus, vt inde eos eijcerẽt, & in cuſtodiam carceris denuò perducerẽt: Ne fortè, inquit, & cõſtantia eorum nobis ignominiam, & Chriſtianis audaciam generare videatur. Et ſic iuſſit, vt per xxx. dies nullus ad eos introiret, neq; ab aliquo cibus potuſq; deferretur. Sed athletæ Chriſti de plenitudine verbi diuini, & de illo pane qui de cœlo deſcendit, quotidie reficiebantur, atq; indeſinenter pſallebant, dicentes: Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri: vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Pſal. 43.
Iterùm cruciantur.
xxx. dies manent ieiuni.

XVI. Igitvr cum in vrbe Almiridenſium ſancti martyres hæc tormenta pro Chriſti nomine tolerarent, quidam peregrinus quodam die videns beatiſſimum Aſtionem ante tribunal iudicis cõſiſtentem, & cognoſcens quis cuiuſq; generis haberetur, feſtinanter nauigans in partibus Orientis deſcendit. & veniens in ciuitatẽ vnde erat oriundus, nũtiauit patri eius & matri hæc vniuerſa quæ illi acciderant, dicens eum cum ſene quodã Chriſtiano, Epicteto nomine, in martyrio cõſiſtere. Similiter nomen ciuitatis in qua eſſent, diligẽtiſſimè eos edocuit. At illi hæc audientes, mox ad

Aſtionis parentibus peregrinus quidẽ martyrium eius nunciat.

Digitized by Google

genua ſibi iſta referentis aduoluuntur: & fortiter eum rogare cœperunt, vt ea quæ vera eſſent eis diceret. At ille iu-
reiurãdo vera hæc eſſe affirmabat. Tũc cœpit dicere pater eius: Si ego infelix meritus fuero vt videam faciem filij mei,
quidquid illud eſt quod mihi mandauerit & docuerit, hoc ſine aliquâ morâ facturus ſum. Similiter verò & mater di-
cebat: Ego miſerabilis & humiliata per omnia, ſi illum adhuc in hoc corpore merita fuero intueri, & domum v-
niuerſamque meam ſubſtantiam derelinquam, & illi ſoli adhærebo, eò quòd ſuper hæc omnia ipſe ſolus mihi
charior & dulcior habeatur. Quòd & ſi me imperauerit fieri Chriſtianam; nec hoc recuſabo facere, & cum ipſo poſt-
modũ, ſi voluerit, parata ſum tormenta ſuſtinere, & mortem gratanter accipere. Et hæc dicentes, vniuerſam ſubſtan-
tiam ſuam ac diuitias ſub actoribus & procuratoribus reliquerunt. Et egreſſi cum tribus pueris de domo ſuâ, nauim
protinus conſcenderunt, & nauigare cœperunt, vt in Scytharum terram, atque in Almiridenſium ciuitatem deue-
nirent. Cuius prouinciæ tunc Pontifex & Præpoſitus ſanctarum Dei eccleſiarũ, beatiſſimus Euangelicus habebatur.

Euangelicus Scytharum Pontifex.

Igitur expleto numero triginta dierum, iuſſit tyrannus, vt ſancti Martyres coram ſe exhiberentur. Qui cùm
hilari animo & vultu ſplendido coram illo conſtitiſſent, ſic ad eos Latronianus dux locutus eſt, dicens: Sæpius vos xvii.
de nominum veſtrorum vocabulo interrogaui, vel genere, ſeu vnde eſtis oriundi: & nunquam mihi veritatem dixi-
ſtis. Nunc itaque, cùm nec patriam noui, nec genus agnoſco, ſed nec nomina veſtra potui addiſcere, hoc cogitaui a-
pud memetipſum, dicens: Eò quòd nihil vos eſſe videmini, niſi corporei dæmones, qui ſine nomine vel genere eſſe
noſcuntur: & ideò ſecundùm quod digni eſtis, hoc vos vocabulo nuncupabo. Et adiecit dicere ad eos: Dicite mihi
vos, ô corporei dæmones: ſi non ſacrificatis immortalibus dijs, facio hodie vt capita veſtra abſcindantur. Chriſti
martyres dixerunt: Nos Chriſtiani ſumus, & in nomine Chriſti dæmones, quos vos vt Deos adoratis & colitis,
nos de obſeſſis corporibus effugamus. Vtinam in te dæmon peſſimus non habitaret. Hoc audiens veſanus ille, & hor-
rendus, nimiùm efferatus eſt: & iuſſit miniſtris ſuis, vt cum lapidibus ora ſanctorum contunderent. Deinde impera-
uit, vt virgas afferrent fraxineas, & ſic ex eis [illegible] diu eos verberarent, quamdiu ſpiritum exhalarent. Beatiſſimi verò
athletæ Chriſti taliter patientes, nihil aliud dicebant, niſi: Domine Deus noſter, tua voluntas fiat in nobis. Sed cũ diu
multumq; cæderentur, & ſemper hilares magnanimesq; in confeſſione Domini perdurarent: videns miniſter ille
diaboli, eò quòd nullo modo præualuiſſet eius inſania contra ipſorum cõſtantiam, iuſſit miniſtris ſcelerum duci eos
foris ciuitatem, & capita eorum gladio amputari. Cumque ducerentur pſallebant, dicentes: Laudate nomen Domi-
ni, laudate ſerui Dominum: quia facta eſt voluntas Dei noſtri in nobis per omnia.

Rurſus cruciantur martyres.

Gladio plecti iubētur.

Pſal. 134

Cum autem perueniſſent ad locum vbi feriendi eſſent, ſtantes contra partem Orientis, expanſis manibus, & xiix.
ſubleuatis oculis in cœlum, taliter Dominum orauerunt, dicentes: Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum,
& laudabilis, & ſuperexaltatus in ſæcula: eò quòd non humana, ſed tua voluntas per omnia facta eſt in nobis. Tu es
enim qui doces in te credentes, vt faciant volũtatem tuam, & vt annuntient mirabilia tua in omni tempore, eò quòd
Spiritus tuus ſanctus gubernat vnumquemque in bono ſecundùm propoſitum cordis ſui, & ſecũdùm propriam vo-
luntatem. Tu es enim qui Abraham ſecundùm tuam voluntatem ſemper gubernaſti, Iſaac ſanctificaſti, & cum Iacob
colluctatus es, imponens illi nomen nouum Iſraël: qui Ioſeph à perſuaſionibus Ægyptiæ & blãdimentis caſtum cu-
ſtodiſti, & Suſannam ſimiliter à pollutione inſidiatorum immaculatam conſeruaſti: qui ſanctorum prophetarum
tuorum corda purificaſti, & beatiſſimorum apoſtolorum mentes, per donum ſancti Spiritus illuſtrari, dicens ad eos:
Accipite Spiritum ſanctum, qui athletas tuos per gratiam tuam coronaſti, & pro nomine tuo dimicãtibus ſemper vi-
ctoriam condonaſti: qui nos humillimos & peccatores famulos tuos ad hanc patriam perduxiſti, vt annuntiemus in
eâ, ac prædicemus Euangelij tui doctrinam, his qui in eâ habitant: qui noſter gubernator ac magiſter, ac bonus pro-
uiſor in omnib. extitiſti: qui vſque ad hanc horam ſecundum tuam voluntatem nos ſemper gubernaſti. Quæſumus
Domine, vt digneris nobis ſanctos tuos Angelos tranſmittere, qui nos liberent & defendant ab aduerſariorum po-
teſtate: & victores nos ac triumphatores per tuam gratiam vſq; ad thronum tuæ maieſtatis perducant. Sed & viros
huius regionis ſeu ciuitatis conſerua in timore tuo, protege in miſericordiâ tuâ, cuſtodi in bonitate tuâ, guberna ſe-
cundùm voluntatem tuam: benedic puſillis eorum cum magnis, atq; pro honore quem nobis propter nomen ſan-
ctum tuum exhibuerunt, repræſenta eis mercedem in beatitudine ſempiternâ. Tribue quoq; nobis fiduciam, vt quo-
tieſcumq; diuinam tuam maieſtatem exorauerimus, adimpleas petitiones noſtras in bono. Et nũc quæſumus Domi-
ne, ſuſcipe nos in manibus tuis ſempiternis, & introduc nos in Ieruſalem cœleſtem, quæ eſt mater omnium Sancto-
rum, cuius ipſe es lumen, & ſponſus: conditor quoque ac fabricator, vt vnà cum Angelis & Archangelis, patribus, pa-
triarchis, prophetis, apoſtolis, martyribus, confeſſoribus, iugiter collaudemus & glorificemus Patrem, & Spiritum
ſanctum in ſæcula ſæculorum.

Eorum ad Deum oratio.

Ioan. 20.

Et cùm reſpondiſſent circumſtantes, Amen: rogare cœpit carnifices ſanctus Epictetus, vt ante ſe priùs beatũ xix.
percuterent Aſtionem. Sed cùm ille diceret: Quia te primum decet, ô beatiſſime pater, hanc ſalutiferam propriam-
que propitiationem mereri, ſanctus Epictetus reſpondit: Veterana, inquit, calliditas ſerpentis, ſatis ſubtilis & cir-
cumuentoſa eſt, fili: & ideò quod nunc iubeo fieri, pro tuâ ſalute ac meâ requie habetur. Hodie namque decem & ſe-
ptem annos per diuinam gratiam munus caſtum immaculatumque te ſeruaui, & modò vis vt in puncto vnius horæ
tantorum annorum laborem perdam? Non ita. Quod enim cupio facere, mi fili, per inſpirationem Spiritus ſancti
facio. Sic enim Abraham in holocauſtum Iſaac filium obtulit; Iepthe filiam Domino in ſacrificium exhibuit; Petrus
quoque Stephanum ante ſe in cœleſtibus præmiſit. Et quamuis ego non poſſim eſſe incredulus de bonitate Dei, eò
quòd poteſt te & ſine meâ præſentiâ in omnibus conſeruare, ſicut & vſque in hodiernam diem cuſtodiuit immacula-
tum: tamen agnoſcere debes, eò quòd bonus paſtor ſemper pro ouibus ſuis animam ponit. Ergo quod facio, pro me
& te facio, fili. Noli igitur amodò de meâ ſocietate dubitare. Credo enim quod iam S. Michaël cum Angelis, & Abel
cum prophetis, Petrus quoque cum apoſtolis, Stephanus cum martyribus, Daniel cum confeſſoribus, in occurſum
tibi venerit, fili, qui te nunc in ſuis gremijs ſuſcipiant, & vſque ad thronum Chriſti Saluatoris noſtri cum hymnis &
canticis ſpiritualibus perducant. Hæc & horum ampliora audiens beatiſſimus Aſtion, reſpondit, dicens: Fiat vo-
luntas Dei & tua, ô ſacerdos Dei, ac venerande pater. Et faciens ſignaculum crucis in fronte ſuâ, taliter orauit ad Do-
minum, dicens: Quoniam tu es protector meus Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens,
ſtatim à ſpiculatore caput eius amputatur. Hoc cum factum fuiſſet, cernens ſanctus Epictetus, dedit gloriam Deo. Et
proijciens ſe ſuper corpuſculum eius, rogare cœpit à carnificibus, vt quomodo iaceret ſuper cadauer ſancti martyris,
ſic & ipſum percuterent. Quod cùm expletum fuiſſet, intuentes vniuerſi qui aderant Chriſtiani pariter ac gentiles,
de bono magiſtro Epicteto, ac de perfectâ diſcipuli obedientiâ, cum lacrymis Deo gratias retulerunt.

Epictetus Aſtionem iuniorem ad cautelã martyrio priùs offert.

Ioan. 10.

Pſal. 30.

Aſtion capite plectitur.

Item Epictetus.

Et dum illi darent Deo gloriam & honorem, ecce ſubito corpora ſanctorum martyrum in modum niuis viſa xx.
ſunt candida: atq; præ nimietate ſplendoris, quaſi ſolis radij eſſe videbantur. Omnes qui à quacumq; infirmitate de-
tenti eſſe videbantur, ſtatim vt cadauera ipſorum ex fide contingebant, ſeu cum veneratione deoſculabantur, conti-
nuo vniuerſa anxietas ſeu dolor ab eis fugabatur. Circa ſolis vero occaſum veniens Vigilantius cum omni domo
ſua & cum alijs Chriſtianis, occultè tulit corpora ſanctorum martyrum: & perfundens ea myrrha & aromatibus pre-
tioſiſſimis, in loco congruo & aptiſſimo cũ hymnis & pſalmis, & cum magna deuotione ſepeliuit. In quo loco multa
ſigna

Splendent corpora ſanctorum.

Sanantur infirmi.

Cũ hymnis & pſalmis ſepeliuntur.

ſigna & prodigia ad laudem nominis Chriſti vſq; in præſentē diem celebrantur. Latronianus verò ſuperueniente nocte inuaditur à peſſimo dæmone, & ſurgens primo diluculo venit in prætorium, atq; ibi poſitus cœpit plurima amētiæ inaniaq; verba proferre: deinde arrepto gladio, priores quoſq; de officio ſuo inſequi & vulnerare: ſuper alios verò vt canis rabidus inſilire, atq; aliorū indumenta dilanians, huc illucq; diſcurrere. Hoc illi intuentes & vidētes, quia amēs & inſanus extiterit, deſpoliantes illū, pugnis ac verberib. mactare fortiter cœperūt: ac deinde ligatis eius manib. ac pedibus in paruiſſimo domicilio proiecerunt. Qui poſt biduum ſuffocatus à dæmone, violenter ſpiritū exhalauit.

Latronianus à dæmone corripitur. Suffocatur.

XXI. IGITVR cùm dies tertia paſſionis ſanctorū martyrum illuxiſſet: & Vigilantius ad ſepulcrū eorum orationis gratia deueniſſet, ſubitò apparuit ei beatus Aſtion, & dicit ad eum: Genitores mei ad quærendū me, de patriâ noſtrâ hodie huc ſunt venturi. Rogo igitur te, frater chariſſime, feſtina deſcendere ad portum, & ſuſcipe eos in domū tuam, atq; per omnia conſolare eos, eò quòd propter me validâ ſunt triſtitiâ macerati: ſed & in poſtremo de Saluatoris noſtri fide, atq; diuerſis magnalibus facias eos monere. Hæc & plura horum audiens Vigilantius, dedit gloriam Deo: & ſtatim cū feſtinatione ad fluuium deſcēdit. Et ecce, circa horam tertiam cernit nauiculā paruam ſubitò applicuiſſe ad portū. Cumq; egreſſi de naui * epibatæ fuiſſent, cœperunt à circumſtantib. ibidem viris ſollicitè inquirere, ſi aliquis eorum aliquando audiſſet ibidē, aut vidiſſet iuuenem, Aſtion nomen habentē. Cumq; multi multa de eo dicerent, Vigilantius ſuperuenit, & dixit: Ego verè vidi & noui eum. Sed interim venite in domum meam, & quieſcite puſillū, eò quòd valdè fatigati eſtis in naui, & poſtmodum ſi vultis, ego vos ad eum, cùm opportunū fuerit, ſine aliquâ morâ perducā. At illi procidentes ad genua eius, cœperunt fortiter plantas eius conſtringere, oſculantes atq; obſecrātes, vt ſi poſſibile ſibi eſſet, antequam cibum caperent, perduceret eos ad illum. Et Vigilantius ad hæc: Facite prius interim quæ rogo, vt & ego veſtrā petitionem atq; voluntatem impleam. Cumq; domum ipſius ingreſſi fuiſſent, & ad menſam conſediſſent, cœpit mater ſancti Aſtionis ad Vigilantium taliter dicere: Si mihi locum illum demonſtraueris, ô dulciſſime frater, vbi nunc meus vnicus demoratur Aſtion, hodie coronā auream capiti tuo imponā. Similiter quoq; & pater eius dicebat: Ego ſi illū per te, ô iuuenis, merear hodie videre, indumenta auro texta te adoperiam, atq; dimidium bonorū meorum tibi condonabo. Ad hæc Vigilantius reſpondit: Ille ante triduum hinc egreſſus, in regionem ambulauit longinquā, atq; dimidium ſubſtantiæ ſuæ vnà cū domo mihi cum quadam chartulâ cōmendauit, dicens: Si aliquis venerit, miſſus à patre meo ad quærendū me, introduc eum in hanc domunculā meam, & dicito ei: Hæc dicit Aſtion monachus: Suſtine me hîc, quoadvſq; redeam ad te cum ſalute. Quod & ſi volueris heres meæ ſubſtantiæ eſſe, feſtina vniuerſa illa, quæ in hoc libro ſcripta ſunt adimplere, & eſto feliciter nihil dubitans. Et mater: Quæ dicitur, inquit, regio illa, quò perrexit dulciſſimus meus & vnicus Aſtion? Vigilantius reſpondit: Regio robuſtorum, ſeu fortium virorū. Et mater: Sunt aliqui homines ibidem cōmanentes? Vigilantius reſpondit: Plures & valdè nobiles habentur, quorū poſſeſſio paradiſus dicitur: quorum tabernacula ex lumine ſunt conſtructa; quorū vita Deus eſt, & conuerſatio immortalis exiſtit; quorū veſtes ſanguine ſunt reſperſę, & in capite coronæ ex auro puriſſimo, cum gēmis varijs fabricatæ habentur. Sed & Rex nimiùm potentiſſimus ac metuendus eſt in eadem regione, cuius nomen Deus deorū, & Dominus dominantium appellatur: cuius nuntij Angeli dicuntur iuſtitiæ, quorū veſtis vna eſt omnibus, & tactus eorum igni aſſimilatur vrenti. Sed & ſenatus huius Imperatoris valdè clarus habetur: & media pars prophetæ nuncupatur, alij verò apoſtoli pronuntiantur. Sed & ciuitas iſtius Regis valdè eſt præclara, nomenq; eius Chriſticolis pronuntiatur: cuius murus ex auro puriſſimo eſt conſtructus, habens portas duodecim & in ipſis ſingulæ dependent margaritæ, atq; ſinguli ex ſenatorib. per ſingulas ſedent indeſinēter. Et prima quidē porta dicitur Petri, ſecūda Pauli, tertia Andreæ, quarta Ioannis, quinta Iacobi, ſexta Philippi, ſeptima Bartholomæi, octaua Thomæ, nona Matthæi, decima Thadæi, vndecima Simonis, duodecima Matthiæ. Sed & templū mirificum eſt in ea, habens Sācta ſanctorū, & altare aureum; ante cuius cōſpectum vir quidam altus [illegible] tenens decem chordarum pſalterium, ac iugiter ibidem degentes ad laudē Regis illius cohortatur, dicens: Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Huius itaq; nomen, Dauid, filius Ieſſe pronuntiatur. Sed & plateæ huius ciuitatis ex auro puriſſimo ſunt ſtratæ: cuius fluuius vitam æternam emanat, cuius pomiferæ per ſingulos menſes reddunt fructus ſuos, & folia eorum ad medicamentū procedunt animarum: cuius lumen [illegible] eſt, & portæ nunquam claudūtur, eò quòd nunquā ibi nox erit, nec vllæ tenebræ habentur: ſed ſemper gaudium & perpetua lætitia ibidem iugiter commoratur. Et mulier ad hæc reſpondit: Et non intellexiſti, chariſſime frater, à quo vocatus illic meus Aſtion perrexit, ne in aliqua culpa deprehenſus ſit, vel ne quiſpiam ex comitibus, aut è ſenatoribus qui illic demorantur eum conuocauit, & ſibi forſitan præ nimia pulchritudine eius in filium eum adoptauit? Et Vigilantius: Ab ipſo, inquit, principe regionis illius cū multo honore & comitatu ibidem vocatus perrexit. Ego ſiquidem tunc miniſtros ipſos videre nō potui: attamen ſicut ipſe mihi referebat, valdè pulcherrimo ac ſplendido vultu habebātur, gerentes aurea arma & hyacinthina indumēta. Et quia in hac noſtra regione fideliter ex toto animo, quæ ſibi ab illo iniuncta fuerāt adimpleuit, hac de cauſa illuc per ſuos miniſtros dicebat vocitatū fuiſſe, vt principatū ei, videlicet ſuper decē ciuitates cōdonaret. Et mater: Putas igitur in tanta gloria nunc ibidem poſitus habet memoriam noſtri? Et Vigilātius: Ille quidē memoriam veſtri nimiùm habet in mēte, & valdè cupit vos iuxta ſe habere ſemp, ſi tamē ea quæ ſcripta ſunt in libro illo, quē mihi reliquit, adimplere volueritis. Et mater ad hęc: Age ergo, & depoſitū nobis celeriter repſenta. Et hęc dicētes, è mēſa pariter cōſurgunt.

Aſtion apparet Vigilantio ad ſepulcrum ſuum oranti.

* i. e. nautæ.

Parentes Aſtionis Vigilantius excipit.

Vigilantij de altera vita cum parentibus Aſtionis colloquium.

Apoc. 21.

Pſal. 148.

Filij pro parentibus in cœlo ſolliciti.

XXII. TVNC Vigilantius aſſumens eos, in cellam ſanctorum martyrum introduxit: & oſtendens eis Dominicam Crucem & ſacroſanctū Euangelium Chriſti, ait ad eos: Hæc ſunt quæ Aſtion filius veſter mihi dereliquit. Si ergo myſterium huius diuinæ virtutis, & ea quæ in hoc codice ſcripta ſunt, feceritis; profectò videbitis eum, & cum ipſo in perpetuum eritis in illa regione. Hæc audiens pater eius, accepit Euangelium Chriſti præ manibus, & aperiens peruenit ad eum locum, vbi Dominus Ieſus locutus eſt ad diſcipulos ſuos, dicens: Amen amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Multi autem ſunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Et pater: Quis eſt, inquit, iſte Dominus Ieſus, & qui ſunt qui ſecuti ſunt eum? ſed & qui ſunt illi, qui iubentur relinquere patrem aut matrem, vxorem & filios, propter nomen eius: quos dicit percepturos eſſe in futura beatitudine vitam æternam? Quæſumus te, frater chariſſime, vt ſi aliquid in his, quæ vera ſunt, noſti, nobis explanare non pigriteris. Aperiens autem Vigilantius os ſuum, & incipiens, à Scriptura iſta, euangelizauit illis Dominum Ieſum Chriſtum: qualiter ab origine mundi omnia per ipſum facta ſunt, & qualiter hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecerit, & in paradiſum deliciarum poſuerit: & quomodo vnam coſtam tulerit de latere ipſius, & finxit eam in mulierem: ſed & quomodo propter ſerpentem Adam de paradiſo deliciarum in hanc terram mortalium expulit; & qualiter Eua, quia ipſi ſerpenti magis obedire voluit, quàm Domino Deo ſuo, anxietatibus & doloribus in parturitione eſt cōdemnata: ſed & qualiter ſancti prophetæ ante primum aduentū Filij Dei venientes, prædicauerunt eum eſſe venturum, & non ſunt recepti: vel quomodo Dominus Deus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt vnicus Patris, Verbum ac Sapientia, virtus ſcil. ac ſplendor gloriæ, dignatus ſit in nouiſſimis diebus, de Spiritu ſancto & Maria ſemper virgine in mūdo naſci: & quomodo illos qui ſecuti ſunt eum, diſcipulos ſuos fecit eſſe

Teſtamentum Aſtionis, Crux Dominica, & ſanctum Euāgelium.

Matth. 19.

Vigilantius parentes Aſtionis catechiſmo inſtruit.

Digitized by Google

eſſe,& mittens eos ad prædicandum verbum ſalutis gentibus,Apoſtolis impoſuerit nomẽ: ſed & quòd regni ſui participes eos effecerit,qui huius ſæculi contempſerint vanitatem, & ipſum ſolum ſuper amorem propinquorum diligerent. Cumq; hæc & horum ampliora ſapienter eis Vigilantius diſſeruiſſet, iterùm venerunt in locum illum,vbi ſcriptum eſt: Et dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis,quia omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus,confitebor & ego eum coram Patre meo,qui eſt in cœlis: qui autem negauerit me corã hominibus,denegabo & ego eum coram Patre meo,qui eſt in cœlis.Nolite igitur arbitrari,quia veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere,ſed gladium.Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum,& filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius.Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Et qui inuenit animam ſuam, perdet eam.Et qui perdiderit animam ſuam propter me & Euangelium meum,inueniet eam.Et iterùm: Cum autem tradiderint vos apud reges & præſides,nolite cogitare,quomodo aut quid loquamini.Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri,qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & ſurgent filij in parentes,& morte eos afficient: & eritis odio omnibus,propter nomen meum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem,hic ſaluus erit.Ruſumque perueniens in vltimam partem ſancti Euangelij, cœpit ſecundùm Ioannem iterùm legere, dicens: Pater quos dediſti mihi,volo,vt vbi ego ſum, & illic ſint mecum, vt videant claritatem meam,quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.Et denuò: Vt omnes vnum ſint,ſicut tu Pater in me,& ego in te: vt & ipſi in nobis vnum ſint,vt credat mundus,quia tu me miſiſti.Et ego claritatem, quam dediſti mihi,dedi eis,vt ſint vnum,ſicut & nos vnum ſumus.Ego in eis:& tu in me, vt ſint conſummati in vnum: & cognoſcat mundus,quia tu me miſiſti: dilexiſti eos,ſicut & me dilexiſti.

Matth.10.

Ioan.17.

Hæc & ampliora horum dum legiſſet pater,ad Vigilantium ait: Precor,frater chariſſime,iterum explana no- XXIII.
bis diligentiùs ea,quæ modò legimus: eò quòd nos penitùs in his verbis nihil intelligimus. Vigilantius reſpondit: Illos quos dicit Dominus Ieſus noſter: Quia qui me confeſſi fuerint coram hominibus,confitebor & ego eos corã Patre meo, qui eſt in cœlis: qui autem denegauerint me coram hominibus,denegabo eos & ego coram Patre meo,qui eſt in cœlis: nos ſumus qui in eum credimus,& in nomine ſancto eius ſperamus.Si ergo euenerit tempus perſecutionis,& dixerint nobis principes huius ſæculi: Abnegate Deum veſtrum, & adorate nobiſcum idola, qui ſunt magni dij noſtri,qui & vniuerſa fecerunt: ſi eis non conſenſerimus,vel quæ iuſſerint,non fecerimus; ſed pro nomine eius, tyrannorum minas tormentaque tolerauimus: continuò & ipſe in illa ſua felici regione, coram Patre,& coram ſanctis ſuis Angelis confitebitur nos:id eſt,amicos,& nimiùm charos ſibi conſtituet nos.De quorũ numero extitit nunc ille veſter vnicus,& nimiùm ſanctus Aſtion.Nam ante hos pauciſſimos dies,dux prouinciæ iſtius Latronianus, dum compelleret eum vt abnegaret Ieſum Chriſtum, verum illum, quem nos dicimus, Imperatorem cœleſtem, vt conſentiret eius voluntati,& dæmonibus famulatum exhiberet: ille nullo modo acquieſcens iuſſibus eius parêre, fortis in fide ſua,& nimiùm magnanimus aduerſus ea,quæ ſibi ingerebantur, mala: cum alio quodam venerabili ſene Chriſtiano Epicteto nomine,perſtitit vſque in finem immobilis in ſua ſancta confeſſione.Hoc intuens eius Imperator ille cœleſtis,& valdè admirans de beneuolentia & ſincera ipſius erga ſe dilectione: mittẽs ſuos miniſtros,hoc eſt, ſalutiferos Angelos,eum ingenti cum honore in illam ciuitatem,vbi ipſe demoratur, aſſumpſit, vt illi præmia ſempiterna,pro eo quòd viriliter contra ipſius aduerſarios decertatus ſit,condonaret Et ideò tam Aſtioni veſtro, quàm eius ſimilibus, aptantur ea, quæ legiſti,ſacramenta: Vt omnes,inquit,vnum ſint,ſicut tu Pater in me, & ego in te: & ipſi in nobis vnum ſint,vt credat mundus,quia tu me miſiſti: & ego claritatem,quam dediſti mihi, dedi illis: vt ſint vnum,ſicut & nos vnum ſumus. Ideò quicumq; meruerint eſſe de numero Aſtionis veſtri,ô honorabilis pater, Saluatoris noſtri Martyres vocitantur.

Matth.10.

Vigilantius narrat Aſtionis martyrium.

Ioan.17.

Et mater ad hæc: Ne,inquit,mortuus eſt,& non vis nobis facere manifeſtum? Vigilantius reſpondit: Mortui XXIV.
nos ſumus,qui in hac mortali carne degimus,& in hoc ſæculo vano,abſque notitia noſtri factoris exiſtere videmur. Nam vera vita ibi eſt,& verus cibus potuſque ibidem habetur, ac dignitas ſine fine,his qui meruerunt eam accipere: ibi eſt,vbi ſemper immortalitas regnat,& perpetua gaudia commorantur Tunc mater: Volebam,inquit,modò eum videre in illa gloria conſiſtentem. Putas ne agnoſcere me habeat, eò quòd genetrix eius fuerim aliquando? Aut fortè in tanto honore ibidem poſitus,vt dicis,modò inſpicere contemnet,eo quod pulchritudinem mei vultus, ipſum lugendo amiſi? Et Vigilantius: Si feceris itaque, quæ ſcripta ſunt in hoc libro, quem mihi dereliquit ſanctus Epictetus & Aſtion,& credideris ex toto corde in Ieſum Chriſtum regem ipſius,in quem & iſte credidit, poteris eum videre. Sin vero nolueris credere, impoſſibile eſt,vt tu illum videas, vel matrem ſuam nominet aliquando, eo quod incredula extitiſti in mandatis Patris ipſius.Et mater: Ecce,inquit,pater ipſius iſte eſt. Vigilantius reſpondit: Verùm Pater eius ille eſt,qui & Dominus,cum quo nunc demoratur,qui & tanta bona ei in futura beatitudine condonauit. Et iſte vero mortalis eſt,& mortales filios habet: & dum putatur ſtare ſubito cadit: dum dicit ſe viuere, repentè moritur,eo quod nec iſte illum Patrem verum agnoſcit,quem ille agnouit: de quo ſcriptum eſt; Pater noſter qui es in cœlis,ſanctificetur nomen tuum.

Igitur cùm per vnam ſeptimanam inter ſe diſputarent,& Chriſti mirabilia dicerent ad inuicem,& libenter XXV.
audirent: Dominica die adueniente,ambo pariter crediderunt in Chriſtum. Quos aſſumens Vigilantius, perduxit ad quemdam presbyterum ſanctum,nomine Bonoſum,qui perſecutionis atrocitatem deuitans, in quodam ſecreto loco occultè degebat.Qui orans pro eis ſufficienter,& catechizans eos,eadem hora catechumenos fecit. Igitur cùm inde egreſſi fuiſſent,cœperunt dicere ad Vigilantium: Ecce adimpleuimus ea,quæ in libro illo, quem nobis dediſti, continentur: veni modo,& theſaurum illum oſtende nobis,quem Aſtion noſter,vt ipſe affirmaſti,tibi commendauit. Et Vigilantius: Sequimini me,ego eum vobis ſine mora aliqua demonſtrabo.Sed interim eum habeo abſconditum,& neſcio,ſi modo poſſum eum inde eijcere. Ergo,ſi vobis placet,de noctibus eamus ad locum, & vſque ad lucem ibidem permaneamus operantes,forſitan poterimus eum inuenire, eo quod ſatis illum in profundo abſcondi. Et cùm ſol declinaſſet,aſſumens eos Vigilantius,foras ciuitatem cum illis egreditur. Et peruenientes ad ſepulchrum Sanctorum,admonet eos,ſecum totam noctem in orationibus vigilare.Cumque iam aurora aſcenderet,& lucere inciperet dies,ecce vident ſubito circa ſe lumen refulſiſſe immenſum,ac nimium ſuauitatis odorem fragrare,ſanctoſq; Martyres,qui iam dormierant,in corpore iuxta ſe conſiſtere, ac Dominum ſecum collaudare. Tunc ſanctus Aſtion irruens in amplexibus matris ſuæ, cœpit oſculari eam, dicens: Benè adueniſti ex Orientis partibus, ô diſcipula Chriſti, & mea mater Marcellina. Similiter & beatiſſimus Epictetus,apprehenſo capite viri eius, exoſculabatur eum, dicens: Lætare in Domino, ô dulciſſime frater Alexander, eo quod dignus habitus es in numero fidelium deputari,& perennem beatitudinem promereri.Sed & ad Vigilantium dixerunt: Gaude & tu in Domino, ô dulciſſime frater Vigilanti,eo quod dignus effectus es,vt impleatur in te,quod ſcriptum eſt: Quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ,ſaluabit animam eius à morte,& operit multitudinem peccatorum.

Parentes Aſtionis à Bonoſo presbytero catecheſi inſtituuntur.

Orant in loco Martyrum.

Apparet Aſtion & Epictetus parentibus.

Tunc ſanctus Aſtion hoc modo cœpit dicere ad matrem: O dulciſſima ac benedicta domina mea mater,illa XXVI.
omnia

omnia quæ in ſacroſancto Euangelio Chriſti Domini noſtri ſcripta ſunt, vera & firma. Feſtina ergo ea ſine morâ aliquâ adimplere: vt ea, quæ illic ſcripta ſunt, conſequi promerearis. Igitur portionem mihi de tua ſubſtantia obtingentē,* pro mea requie ac tua ſalute pauperibus diuide ac diſtribue: vt ſic merearis cum iuſtitiæ corona & bonis operib. decorata ad nos peruenire. Et mater: Benè, inquit, haberis à Rege tuo, ſeu à familiaribus eius, dulciſſime fili? Reſpondit Aſtion: In tantum dego benè, vt qualiter tibi exponam neſciam: filium namque ſuum Dominus ac Deus noſter, ex ſeruo per ſuam gratiam me adoptauit: in ciuitate ſua manſionem mihi tribuit: in palatio ſuo militare me fecit: inter ſenatores maximam dignitatem mihi condonauit: paradiſi amœnitatem mihi ad delicias tradidit. Sed & miniſtri eius tanquam de ſuis me habere dignati ſunt, ac diligunt. Pergo namque cum eis per ſingulos dies ad viſitandum infirmos, ad eleuandum eliſos, ad illuminandum cæcos, ad ſaluandum periclitantes in mari, ad expugnandum gentes barbaras præliantes in terra: ad conſolandum mœſtos, ad defendendum impotentes, atque effugandos dæmones de obſeſſis corporibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed & quotidie de vobis mihi præcipiunt, dicentes: Admone patrem tuum & matrem, vt ad hæc perueniant loca. Et mater: Agnoſcunt itaq; nos, fili mi? Reſpondit ſanctus Aſtion, & dixit: Nimiùm vos diligunt & agnoſcunt, domina mater: tantùm ſi veſtra voluntas eſt agnoſcere eos, vt ad illam beatitudinem ſine aliqua dubitatione poſſitis peruenire. Et mater præ nimio gaudio feriens pectus ſuum, dicebat: Putas quandoque infelix & miſera illuc perueniam? Et beatiſſimus Aſtion reſpondit: Si credideris perfectè in Ieſum Chriſtum Dominum ac Deum noſtrum, quemadmodum credidit Vigilantius, atque omnia bona tua diſtribueris indigentibus, ſine dubio & viuere & exultare habes mecum in illâ, in qua & egò dego, beatitudine ſempiterna. Cumq; his & huiuſcemodi verbis athletæ Chriſti inſtructi eſſent, receſſerunt ab eis.

Aſtion bona ſua pauperibus diſtribui petit.

* pro maiori videlicet gloria accidentali, vt notat Roſvv.

Sanctorum in cœlis de viuorum ſalute cura.

XXVII Igitvr cùm quadrageſima dormitionis eorum dies illuxiſſet, & Chriſti pontifex Euangelicus in vrbem Almiridenſium deueniſſet: aſſumens eos Vigilantius vna cum ſancto presbytero Bonoſo, ad eum perduxerunt, exponentesque illi per ordinem cuncta quæ acta fuiſſent, rogabant, vt in numero fidelium eos Chriſto conſecraret. At ille nimiùm gauiſus in Domino, aſſumens eos, & orans pro eis ſufficienter, ſacramentum Baptiſmi tradidit. Et exultans cum eis per dies octo, in aliam ciuitatem, quæ in proximo habetur, remeauit. Cumq; ſacerdos Domini inde remeaſſet, taliter ad Vigilantium Alexander & Marcellina dicere cœperunt: Multa beneficia tua erga nos habentur, ô dilectiſſime & nimiùm nobis amabilis frater, eò quòd per tuam ſalutiferam doctrinam iugum diaboli meruimus euadere, & ad Chriſti Saluatoris noſtri notitiam peruenire. Siquidem nimis exiſtis in ſapientia glorioſus in ſancta eccleſia, præclarus in doctrinæ gratia: perfectam habens dilectionem erga ſancti Euangelij religionem, & nimium amorē in peregrinorum ſuſceptione, inenarrabilem beneuolentiam circa impotentium defenſionem, ſeu infirmorum viſitationem: feruens fidei calore erga idolorum deſtructionem, vel ſanctorum Martyrum amorem: ac ſecundùm tui nominis ſacramentum, vigilans exiſtis in cunctis bonis operibus propter Dei amorem. Igitur nihil aliud eſt de te pronuntiandum, niſi eò quòd vnus ex intimis Dei amicis habetis. Et hæc dicentes, tam eum quàm ſanctum ac venerabilem presbyterum Bonoſum ducentes ſecum ad propriam ciuitatem, hilares animo, & perfecti in Domino remearunt: atq; vniuerſa bona ſua egentibus diſtribuentes, glorificabant Deum Patrem omnipotentem, qui eos de tenebris ad cognitionis ſuæ lumen perducere dignatus eſt.

Baptizantur parentes Aſtionis.

Bona ſua diſtribuunt in pauperes

Pertulerunt autem martyrium ſancti atque athletæ Chriſti, Epictetus presbyter & Aſtion monachus in Almiridenſium ciuitate, octaua die menſis Iulij, temporibus Diocletiani tyranni, ſub duce Latroniano. Secundum nos verò, regnante in cœlis Ieſu Chriſto Saluatore noſtro: quem decet gloria & imperium vnà cum Patre & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA ET MARTYRIVM S. CYRILLI GORTINÆ IN CRETA EPISCOPI, VT HABETVR IN EGREGIIS MS. *voluminibus quibus antiquiſſima Martyrologia ſuffragantur.*

An. 240.

Dictionem elimauit F. Laurentius Surius.

I. Sanctvs Cyrillus, cuius fides apud Deum probatiſſima eſt, & in omnibus declarata, comprehenſus à Lucio Duce, ſacrificare cogebatur. Is cùm adhuc puer eſſet, & in Domino benè conſideret, creſcebat in actibus bonis. Vbicunque didiciſſet eſſe Dei famulos, relictis parentibus, ad illos ſe adiungebat, vt audito verbo Domini, in fide confirmaretur. Cùm autem ad legitimam perueniſſet ætatem, & creatus eſſet Epiſcopus, ſemper in ſermone & opere proficiebat, perſeuerans in fide Domini & in Epiſcopi functione annos quinquaginta. At vbi octogeſimum & quartum ætatis egit annum, cùm iam populum ipſi creditum rectè inſtituiſſet, multosque ab errore reuocaſſet ad veram & religioſam fidem, comprehenſus à Lucio Duce, vt diximus, ſacrificare iuſſus eſt. Sed vir beatiſſimus præcepta Domini illi opponens, dicebat: Sacrificans dijs, & non Deo vero, eradicabitur. Dux ait: Conſule ætati tuæ ſenex, & ſacrifica. Cyrillus reſpondit: Ego non ſum ſenex. Dicit enim Dominus: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Quod autem tu hortaris, id mihi facere non licet. Dux ait: Audio te virum eſſe prudentiſſimum atque doctiſſimum. Teipſum ergò docens: reſipiſce & offer ſacrificium, vt poſſis ſaluus fieri. Cyrillus reſpondit: Ità nimirùm prudentiſſimus & doctiſſimus ero, ſi alios docens, ipſe reprobus non inueniar. Dux ait: Conſule ſenectuti tuæ & ſacrifica. Cyrillus reſpondit: Equidem tum mihi conſuluero, ſi hiſce filijs meis, qui me circumſiſtunt, in me exemplum ſtatuero.

Ivl. IX.

Adhuc puer, præclara de ſe dat exempla.

Pſal. 101.

II. Cvmqve diù inter ſe concertarent, & beatus Cyrillus diuinis ſcripturis os Ducis comprimeret, vt ei reſpondere non poſſet, videns Dux pene omnem populum eius doctrina conuerſum, furore percitus, hanc in eum tulit ſententiam: Cyrillum inſanum & delirum, & ex propinquo euerſorem deorum noſtrorum, viuum iubeo flammis exuri. Tum verò ſanctus Dei Cyrillus gaudens & pſallens, perductus ad rogum, mox in medium coniectus eſt. Ardebat ignis, & ligna omnia in cineres redigebat, expectabantque viri religioſi, vt oſſa eius fideliter colligerent: & ecce vir beatus conſpicitur in medio ſedens, expanſis ad cœlum manibus. Eo ſigno viſo, increduli ſtupore correpti, mirabantur ſanctum Dei hominem ab igne manſiſſe intactum. Fecit hoc ſpiritus ſanctus, non ignorans permultos eius opera ab errore ad Deum conuerti. Nūciatur vero Duci, venerabilem virum nihil ab igne perpeſſum. Dux ſummoperè admirans, iuſſit eum ad ſe adduci: vtq; vidit eum ſanum & incolumem, laudans Chriſtianorum Deum, præcepit vt domum ſe conferret. Non ceſſabat autem Chriſti ſeruus prędicare verbū Domini,

Multi ad Dominum conuertuntur.

Ignis nihil ſanctum virum lædit.

propo-

Digitized by Google

propoſitiſq; ampliſſimis regni cœlorum promiſſionibus, quoſdam ab ethniciſmi erroribus ad viam veritatis tradu-
Lamentabatur ſe à paſſione ereptum. xit: pleroſq; va am ſectantes vitam; ad ſobrietatem & temperantiam retraxit: plangebat verò & lamentabatur ſe à
Domini paſſione manſiſſe alienum. Turbæ autem doctrinam eius audientes, vna omnes fide eademq; voluntate ad
eum accurrebant: (putabant enim vel ſolo conſpectu eius ſe poſſe iuſtificari,) iactanteſq; ſe ad pedes eius; ità dice-
bant: Credimus in Deum tuum, qui reuerà magnus eſt, quandò te de igne liberauit.

Multos baptizat. AT ille lætus in Domino, excipiebat omnes, Chriſtianoſq; eos efficiens, baptizabat, dicebatque eis: Confor- III.
tamini filioli mei, & fideles eſtote ei, cui crediſtis, & ipſe vobis in omnibus adiutor erit, præſtabitq; maiora ſpe &
expectatione veſtra. Hæc eò agente, Iudici nunciatur, quid ab illo geratur. Ille incenſus ira: Cur, inquit, quadam in
illum humanitate vſus ſum? Cur illum ex igne eduxi? Cur meo illum gladio non confeci? At nunc porrò de iuſtitia
nihil remittemus. Alteram igitur in eum ſententiam ità pronunciat: Cyrillum, quem de igne ereptum, iuſtitia viue-
re non patitur, gladio feriri iubeo. At vir beatus gaudens & laudans Deum, quòd ipſum à nequiſſimo iudice libera-
Gladio percuſſus occumbit tum, dignum quandoq; effeciſſet paſſione ſua, caput vltrò offerens, cædente gladio, ſpiritum reddidit, * ſexto Idus
Iulij, ſub Decio Imperatore & Lucio Duce; regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt gloria in ſæcula ſæculo-
rum, Amen.

* *fort. ſeptimo.*

An. 240. MARTYRIVM S. ANATOLIÆ VIRGINIS, EX ANTIQVIS MS. CODICIBVS DESCRIPTVM, CVI CONSENTIVNT ETIAM *vetuſtiſſima Martyrologia. Stylum nonnihil expoliuit Fr. Laurent. Surius.*

IVL. IX. SANCTA Anatolia cùm ſe ieiunijs & precibus maceraret, & die ac nocte ſcripturis ſanctis intende- I.
ret, atque in ſuo exilio ità exultaret, vt ſibi videretur Paſchatis feſtiuitate gaudere: contigit filium
Diodori, qui erat conſularis prouinciæ, nomine Anianum, à diabolo vexatum, clamare: Domina A-
natolia, incendis me. Intereà Diodoro, homine cumprimis pagano, eum per lucos & templa mittēte,
venit ille ad lucum vicinum S. Anatoliæ, dirumpenſq; catenas, quibus erat conſtrictus, ante orantis
Anatoliæ pedes ſe abiecit, dicens: Tu es, quæ me flammis orationum tuarum exuris. Porrò S. Anatolia exufflauit in
Dæmonem expellit. eum, & ait: Exi diabole ab homine iſto, & ſtatim exijt ab eo. Cumq; ille ſanus veniſſet ad patrem ſuum in faſcib. po-
ſitum, iſque agnouiſſet eum curatum à S. Anatolia, abijt ad eam cum vxore ſua & filijs: adoranſq; eam, obtulit ei in-
finitas pecunias. Sed S. Anatolia nihil penitùs accipiens, dixit: Vade, & egenis Chriſtianis atq; inopibus eroga: tu
verò crede in Chriſtum vnà cum tuis, & liberaberis.

Morbidos multos ſanat. EXIIT verò opinio S. Anatoliæ per totam Piceni prouinciam, & deferebantur ad eam infirmi, quos medici II.
deſperabant, & lunatici, & dæmonijs pleni, & omnes ſanabantur, credentes in Chriſtum. Intereà templorum Ponti-
fices ſuggerunt de ea Decio Imperatori: iſq; miſit, qui eam interficerent, ſi ſacrificare nollet. Itaque veniens ad eam
Dirè cruciatur. Fauſtinianus, iuſſit eam perduci ad ciuitatem [a] Thurienſem, atq; illic introductam in ſecretarium ipſius, diuerſarum
plagarum genere vexari: ac deindè ſuſpenſam in eculeo, lampadibus aduri. Interrogabat autem eam, num thura
[a] *Thorienſem* legendum notat Bar. in notis ad Mart. hoc die. vellet dijs incendere, & liberà abire, quò viſum eſſet: illa reſpondit, Miſer & infelix, ſi non receſſeris à cultura dæ-
monum, vnà cum illis perpetuo incendio cruciaberis. Vocauit igitur Fauſtinianus ad ſe Marſum, & dixit ei: Ego hāc
iubebo includi in cubiculo: tu verò immitte ſerpentes in eam, qui eam comedant, & multa à me accipies, & in ami-
cis meis numeraberis. Reſpondit Marſus, qui Audax dicebatur: Tu multos ſerpentes dicis: ego verò vnum ſolùm
dimittam, & ſtatim interficiet illam. Cùm ergò Anatolia in anguſto cubiculo incluſa eſſet, Marſuſq; ſerpentem in
Serpens nihil ei nocet. illud immiſiſſet, tota nocte ſancta virgo in hymnis, pſalmis & orationibus durans, acerrimum ſerpentem illum man-
ſuefecit. Manè facto, Marſus Mercurium & Mineruam inuocans, cubiculum aperit: & eccè ſerpens in eum inuo-
lans, collum eius cingit, comedere eum volens. Sed ſancta Anatolia manu ſua ſerpentem comprehenſum, in nomine
Magus credit. Domini Ieſu Chriſti iuſſit abire in locum ſuum: quod ille mox cum ſumma manſuetudine fecit. Eo viſo, Audax Mar-
ſus adorauit eam, dicens: Verus Deus Chriſtus eſt.

VT autem reſciuit Fauſtinianus Marſum Chriſtum confiteri, illi ad ſe accito ait: Si illa magicis artibus ſerpen- III.
tem à ſe depulit, num tu proptereà, in deorum contumeliam, Chriſtum Deum credere debuiſti? Audax dixit: Ego
Chriſtum verum Deum credo, quem illa inuocans, ſerpentem atrociſſimum à gutture meo ſua manu abſtraxit. Fau-
ſtinianus ait: O te miſerum! Habes auri & argenti plurimum, habes familiam copioſam, habes vxorem & liberos: &
Conſtantia magi. his omnibus poſthabitis, mori non times? Audax reſpondit: Ego ſcio & comperi virtutem nominis Chriſti, & id-
circò mori iam non timeo. Non vides, quàm à me feram eius nominis inuocatio profligārit? Fauſtinianus ait: Rela-
tio fiet de te, & ea efficies, vt eandem cum Chriſtianis ſententiam excipias. Miſſus igitur Audax in cuſtodiam, dum i-
ret relatio, & venirent reſponſa, agente S. Anatolia, interim Chriſtiana religione initiatus eſt, ac deindè pro Chriſti
Capite cæditur. nomine capite damnatus eſt.

S. Anatolia confoditur. PORRO S. Anatolia, extenſis manibus ſtans ad orationem, ità gladio tranſuerberata eſt, vt à dextro latere vſq; IV.
in ſiniſtrum confoſſa cerneretur: atque hoc exitu triumphantem Chriſtus excipiens, & virginem ſacratiſſimam ſibi
* *Thorienſes* & martyrem conſecrauit. Ciues autem * Thurienſes rapuerunt corpus ſanctæ virginis, & vbi reuelatum eis fuit, illud
humârunt, vbi benedicitur Deus ex eo & nunc & in ſæcula ſæculorum, Amen. Percuſſa eſt autem virgo ſacratiſſima
Anatolia 7. Idus Iulias, obijt autem ſexto Idus menſis eiuſdem. Audacis autem martyris corpus vxor & filij eius tule-
runt, & nauigantes, omnia ſua abſportārunt, ſimulque geſta beatæ Anatoliæ virginis, quæ in hoc libello ſcripta ſunt,
& finem Audacis martyris, Amen.

An. 160. MARTYRIVM SS. FELICITATIS ET VII. FILIORVM EIVS, AB ECCLESIAE ROMANAE NOTARIIS, VT VIDETVR, CONSCRIPTVM. HABETVR *in vetuſtis MS. libris, & antiquiſſima Martyrologia conſentiunt.*

IVL. X. TEMPORIBVS Antonini Imperatoris orta eſt ſeditio Pontificum, & Felicitas illuſtris fœmina cum I.
S. Felicitas nuncupat Deo votum caſtitatis. ſeptem filijs ſuis Chriſtianiſſimis tenta eſt. Quæ in viduitate permanens, Deo ſuam vouerat caſtita-
tem, diē noctuque orationibus vacans, magnam de ſe ædificationem caſtis mentibus dabat. Videntes
autem Pontifices præconia Chriſtiani nominis per eam profeciſſe, ſuggeſſerunt de ea Antonino Au-
guſto, dicentes: Contra ſalutem veſtram mulier hæc vidua cum filijs ſuis dijs noſtris inſultat: quæ ſi non venerata fue-
rit Deos, ſciat pietas veſtra, Deos noſtros ſic iraſci, vt penitùs placari nō poſſint. Tunc Imperator Antoninus iniunxit
Præfe-

Præfecto Vrbis Publio, vt eam compelleret cum filiis ſuis deorum ſuorum iras ſacrificiis mitigare. Publius itaq; Præfectus Vrbis iuſſit eam priuatim adduci, & blando colloquio ad ſacrificium eam prouocans, minabatur pœnarum interitum. Cui Felicitas dixit: Nec blandimentis tuis reſolui potero, nec terroribus tuis frangi, habeo enim ſpiritum ſanctum, qui me non permittit vinci à diabolo: & ideò ſecura ſum, quia viua te ſuperabo: & ſi interfecta fuero, melius te vincam occiſa. Publius dixit: Miſera, ſi tibi ſuaue mori eſt, vel filios tuos fac viuere. Felicitas reſpondit: Viuent filij mei, ſi non ſacrificauerint idolis. Si verò hoc tantum ſcelus admiſerint, in æternum ibunt interitum.

Fortitudo animi eius.

II. Alia die Publius ſedit in foro Martis, & iuſſit eam adduci cum filiis ſuis. cui & dixit: Miſerere filiis tuis, iuuenibus bonis, & flore primæ iuuentutis florentibus. Reſpondit Felicitas: Miſericordia tua, impietas eſt: & exhortatio tua, crudelitas eſt. Et conuerſa ad filios ſuos, dixit: Videte filij cælum, & ſurſum adſpicite: ibi vos expectat Chriſtus cum ſanctis ſuis. Pugnate pro animabus veſtris, & fideles vos in amore Chriſti exhibete. Audiens hæc Publius, iuſſit eam alapis cædi, dicens: Auſa es, me præſente, iſta monita dare, vt dominorum noſtrorum iuſſa contemnant? Tunc vocauit primum filium eius, nomine Ianuarium, & infinita illi promittens bona præſentia, ſimul etiam verbera minabatur, ſi ſacrificare idolis contempſiſſet. Ianuarius reſpondit: Stulta ſuades: me verò ſapientia Domini mei conſeruat, & faciet hæc omnia ſuperare. Statim Iudex iuſſit eum virgis cædi, & in carcerem recipi: ſecundum verò, Felicem ſolum adduci. Quem cum hortaretur Publius ad immolandum idolis, conſtanter dixit: Vnus eſt Deus, quem colimus, cui ſacrificium piæ deuotionis offerimus. Vide, nè tu credas me aut aliquem fratrum meorum, à Domini Ieſu Chriſti amore recedere. Et ſi immineant verbera, iuſta tamen conſilia, & fides noſtra nec vinci poteſt, nec mutari. Et iſto amoto, iuſſit tertium filium, nomine Philippum, applicari: cui cum diceret: Dominus noſter Imperator Antoninus iuſſit, vt dijs omnipotentibus immoletis: reſpondit Philippus: Iſti nec dij, nec omnipotentes ſunt: ſed ſunt ſimulacra vana & miſera & inſenſibilia: & qui eis ſacrificare voluerint, in æterno erunt periculo. Et amoto Philippo, iuſſit adeſſe quartum Silanum, cui ſic ait: Vt video, conuenit vobis cum peſſima matre veſtra hoc conſilium, vt præcepta principum contemnentes, omnes ſimul intereatis. Reſpondit Silanus: Nos ſi tranſeuntia tormenta timuerimus, in æternum interitum incidemus & ſupplicium. Sed quia verè nouimus, quæ præmia ſint parata iuſtis, & quæ ſit pœna conſtituta peccatoribus, ſecuri contemnimus legem Romanam, vt iuſſa diuina ſeruemus: idola contemnentes, vt Deo omnipotenti famulantes, vitam æternam inueniamus. Adorantes autem dæmonia, cum illis in interitu erunt & incendio ſempiterno. Amoto Silano, iuſſit quintum præſto eſſe Alexandrum, cui & dixit: Miſereris ætati tuæ & vitæ in infantia poſitæ, ſi non fueris rebellis, & ſecurus fueris ea, quæ ſunt regi noſtro Antonino gratiſſima. Vndè ſacrifica dijs, vt poſſis amicus Auguſtorum fieri, & vitam habere & gratiam. Reſpondit Alexander: Ego ſeruus Chriſti ſum, quem ore confiteor, corde teneo, inceſſanter adoro. Infirma autem ætas, quam cernis, canam habet prudentiam, & vnum Deum colit. Dij autem tui cum cultoribus ſuis interibunt. Iſto amoto, iuſſit ſextum Vitalem applicari, cui & dixit: Fortè vel tu optas viuere, & non abire in interitum. Reſpondit Vitalis: Qui eſt, qui optat meliùs viuere: qui verum Deum colit, vel qui dæmonem cupit habere propitium? Publius dixit: Et quid eſt dæmon? Vitalis reſpondit: Omnes dij gentium dæmones ſunt, & quicunque eos colunt. Hoc quoque amoto, iuſſit ſeptimum Martialem ingredi, eique dixit: Crudelitatis fautores effecti, Auguſtorum inſtituta contemnitis, & in veſtra pernicie permanetis. Reſpondit Martialis: O ſi nôſſes, quæ pœnæ cultoribus idolorum paratæ ſunt: ſed adhuc differt Deus iram ſuam in vos & idola veſtra demonſtrare. Omnes enim, qui non confitentur Chriſtum verum eſſe Deum, in ignem æternum mittentur. Tunc Publius iuſſit & hunc ſeptimum moueri, & geſta omnia ſcripta per ordinem, regia Antonino ingeſſit.

Confortat filios ſuos. *Filij eius vexantur.* *Ianuarius flagellatur.* *Præclara Felicis vox.* *Item Philippi.* *Item Silani.* *Item Alexandri.* *Item Vitalis* *Pſal. 95.* *Item Martialis.*

III. Antoninvs verò miſit eos ad diuerſos iudices, vt variis ſuppliciis afficerentur. E quibus vnus Iudex primum fratrem plumbatis occidit: alter ſecundum & tertium fuſtibus mactauit: alius quartum præcipitio interemit: alius in quintum, ſextum & ſeptimum capitalem ſententiam pronunciauit, matremque illorum capite truncari iuſſit: & ita diuerſis ſuppliciis interempti, omnes effecti ſunt victores & martyres Chriſti, & cum matre triumphantes, ad præmia in cælis percipienda conuolarunt, qui pro Dei amore minas hominum, pœnas & verbera contemnentes, Chriſti amici facti ſunt in regno cælorum: Qui cum Patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

A diuerſis iudicibus interimuntur.

MARTYRIVM SS. VIRGINVM RVFFINÆ ET SECVNDÆ, EX ANTIQVIS MS. VOLVMINIBVS VETVSTA MARTYROlogia ſuffragantur. Stylum nonnihil correxit F. Laurentius Surius.

An. 260.

I. Rvffina & Secunda ſorores virgines, ciueſq; Romanæ, patrem clariſſimum habuere Aſterium, matrem itèm clariſſimam Aureliam. Cum autem feruor perſecutionis, iuſſu Valeriani & Galieni Auguſtorum, tunc in Vrbe Roma ſæuiret, ſponſi harum virginum Armentarius & Verinus, à fide Chriſti diſceſſerunt. nec tamen ſua perditione contenti, etiam has Dei famulas deteſtabili perſuaſione ad ſui imitationem inducere nitebantur. Illæ verò, vt eorum inſanas declinarent adhortationes, ad prædiolum ſuum, quod in Tuſciæ partibus videbantur habere, baſternis vectæ, ſeſe contulerunt. Id audientes Armentarius & Verinus, ſtatim Comiti Arceſilao ità ſuggeſſerunt: Sponſæ noſtræ repudiauerunt nos in deorum contumeliam. Vnum autem Deum verum colendum in cælis eſſe teſtantur Chriſtum Ieſum, & omnium templorum myſteria perindè vt peſtem quandam abominantur. Ea cauſa ex Vrbe hodiè egreſſæ, fugerunt. Ijs auditis, ſceleratiſſimus Arceſilaus cum militibus ſuis equeſtribus iter capeſſens, ſanctas Chriſti virgines via Flaminea quartodecimo milliario comprehendit, reuocataſq; ad vrbem Romam, Iunio Donato præfecto obtulit, dicens: Has ſacrilegas virgines contra legem viuere, deos negare, templa deſerere, contra ſalutem principum venire, ſponſis earum accuſantibus, didici: & quia hanc curam mihi demandârunt domini noſtri, inuictiſſimi Principes, parerat, fugientes, à me comprehendi, & veſtræ magnificentiæ diſcutiendas adduci.

Iul. X. *Earũ patria & parentes.* *Accuſantur apud Arceſilaum à ſuis ſponſis.*

II. Tvm indignatus præfectus Donatus, iuſſit eas ab inuicèm ſeparatas, duci in cuſtodiam, & die tertio in ſecretario ipſius ſiſti. Porrò Ruffinam ad ſe introductam ità compellauit: Cùm ſis nata nobiliter, quid ità ad eam ignobilitatem deuoluta es, vt malis captiua in vinculis teneri, quàm libera gaudere cum marito? Ruffina reſpondit: Temporalis hæc captiuitas, æternam captiuitatem excludit, & vincula temporaria ab æternis nexibus abſoluunt. Præfectus ait: Abijce has vanas & aniles fabulas, & ſacrifica dijs immortalibus, vt poſſis ſponſo tuo cum gaudio perfrui, & vſque ad ſenectutem delicijs circunfluere. Ruffina reſpondit: Duo ex ijs, ad quæ me hortaris, prorsùs inutilia ſunt: tertium, quod promittis, planè incertum & dubium eſt. Iubes me idolis ſacrificare, vt æternùm peream, & deindè maritum accipere, vt virginitatis gloria me priuem. Poſt iſta tam acerba & aſpera, promittis ad ſenectutem vſque voluptatibus me perfruituram, cùm nec de teipſo certus ſis in diem craſtinum vſq; te peruenturum. Præfectus dixit: Ceſſent verba, quandò iam parata ſunt verba. Mihi quidem id è re tua eſſe videtur, vt ſaniori vſa conſilio, corrigas

Ducuntur in ſingulas cuſtodias. *Egregium S. Ruffinæ reſponſum.*

Digitized by Google

prauam animi tui ſententiam, & his vanitatibus valere iuſſis, tempus, quod tibi ſupereſſe poterit, non amittas. Ruffina reſpondit: Iam tu nonnihil ſermonem corrigis tuum, cùm dicis, Tempus, quod mihi reliquum eſſe poterit. Oſtendis enim vitam hominis certam non eſſe, dum in incerto poſita eſt. Itaq; illam ego vitam amplector, quæ eſt cum æternitate coniuncta, nec aliquid lubricum & incertum ſuis amatoribus promittit, quam vitam Chriſtus docuit magiſter veritatis. Cùm autem ſaxea Iudæorum pectora dubitatione ſua credulos ei animos negarent, mortuos è monumentis excitans, iubebat eos ſuæ aſſertioni dicere teſtimonium: vt vel ſic virtutibus crederent, qui verbis credere nolebant.

Futura vita æternitati coniuncta eſt.

IVNIVS Donatus Præfectus dixit: Miſſa facis hæc vaniloquia, & nube viro tuo. Arceſilaus Comes dixit: III.
Hæc cùm ſit rea ſacrilegij, in matrimonij ſortem admitti non poterit. Ruffina reſpondit: Ità tu dicis in matrimonij ſortem admitti me non poſſe, quaſi ego hominis vxor eſſe deſiderem, quæ Chriſto Dei filio virginitatem meam deuòui. Quamobrèm audi Arceſilaë Comes: Quære alium, cui minæ tuæ timorem adferant: me quidem nec à virginitatis palma reuocare poteris, nec ab amore & cultu Chriſti filij Dei ſeparare. Tum Donatus iuſſit Secundam acciri, vt Ruffina ſoror eius, ipſa præſente, flagellis cæderetur. Sperabant enim ſacrilegi illi, Secundam, terrore proſtratam, ipſorum perſuaſionibus aſſenſuram. Vt vidit autem Secunda Ruffinam flagellari, clamauit ad Iudicem: Quid agis ſceleſtiſſime, hoſtis regni cœlorum? Cur ſororem meam gloria afficis, me verò eius gloriæ non pareris eſſe participem? Præfectus ait: Vt video, ſororem tuam inſania ſuperas. Secunda reſpondit: Nec ſoror mea inſana eſt, nec ego inſanio, ſed ambæ Chriſtianæ ſumus, & iuſtum eſt, vt ſimul cædamur, quæ pariter Chriſtum Dominum confitemur. Gloria enim nominis Chriſtiani verberum ictibus augeſcit, & tot conciliat coronas ſempiternas, quot temporarijs flagellorum ictibus pulſatur. Præfectus dixit: Hortare potiùs ſororem tuam, vt vos ab hac iniuriâ vindicetis, & ſponſis veſtris cum gloria nobilitatis veſtræ reſtituamini. Secunda reſpondit: Vanis terroribus niteris, & friuolis promiſſionibus vteris. Nobis virginitatis dignitas adeò comperta eſt, vt magis optemus occidi, quàm nos vinci patiamur. Præfectus ait: Si inuitis vobis erepta fuerit virginitas, quid facturæ eſtis cum Chriſto? Secunda reſpondit: Virginitas in corde puro exhibetur Chriſto filio Dei. Non poteſt virgo ſuam perdere integritatem, ſi nolit à iuſtitia deflectere. Vis autem illata perpeſſionem adfert: perpeſſio palmam præparat. Tu in conſenſum noſtrum arma cepiſti, vt cogas nos velle, quod nolumus, & ijs rebus delectari, quas execramur. Admoue ignes, gladios, flagella, ſaxa, fuſtes & virgas. Quot tu pœnas inferes, tot ego martyrij noſtri glorias numerabo. Quotiès tu in nos violentia vteris, totiès ego martyrij computabo palmas. Noſtra enim omnis gloria eſt pœna, quam Chriſti amore perpetimur: nec poterit corruptio dici, quæ pro mentis tuenda integritate non timet ſui corporis facere iacturam. De conſenſu enim apud Deum iudicabitur, ſi quid perfecta quis voluntate dilexerit.

Vouit Chriſto virginitatem. Flagellatur. Secundæ mira fortitudo. Non perit virginitas niſi ſpontanea volun tate. Nota virginis conſtantiam.

TVM verò iuſſit eas Præfectus in obſcuro includi loco, & è ſtercoribus fumum, excitari. Id cùm factum fuiſſet, fumus ille thymiama redolebat, non fœtorem vllum, ſed delectationem potiùs naribus ingerens. Porrò obſcuritas lucem meridianam ſplendore vincebat: nec poterant illic dominari tenebræ, vbi tenebrarum vis Dei lumine vincebatur. Deindè iuſſæ ſunt illinc produci, & in balneis includi, atq; in dolium feruens iactari. Vbi cùm aliquandiù fuiſſent, poſt duas horas ingreſſi, qui earum corpora tollerent, dolium frigidum & vaporans inueniunt. Id Præfectus audiens, obſtupuit, iuſſitq; eas duci in medium Tyberim, & ſaxo vno ad ambarum colla ligato, in eum præcipitari. Cum illo autem ſaxo dimidiam ferè horam ſuper aquam ferebantur, & turbis adſtantibus, in ſuperiori fluminis parte ſiccis veſtibus cernebantur, prædicantes triumphum Domini, & Chriſti gloriam decantantes. Quòd cùm fuiſſet iudici nunciatum, dixit Arceſilao Comiti: Iſtæ, quas mihi obtuliſti, aut magica arte nos ſuperant, aut vera ſanctitate ſunt præditæ. Itaque vt tu eas mihi tradidiſti, ità ego eas tibi reddo, vt pro tuo arbitratu vel ſententiam excipiant, vel abſoluantur. IV.

Fœtor mutatur in odores aromaticos. In dolio feruenti non læduntur. Saxo alligatæ non poſſunt ſubmergi.

IVSSIT igitur Arceſilaus duci eas in ſyluam per viam Corneliam miliario decimo ab Vrbe Roma, in fundum, qui Buxo vocatur, & illic pariter capite cædi, earumq; corpora inhumata relinqui, lupis deuoranda. Sed Domini gratia non defuit in Chriſtum credentibus etiam defunctis. Deniq; Plautilla matrona, in cuius prædio cæſæ ſunt, vidit eas per viſum ſedere gemmatas in thalamo, & dicere ſibi: Plautilla, reuoca animum tuum à flagitioſo cultu idolorum, & impia incredulitate calcata, crede in Chriſtum: & abiens in prædium tuum, corpora noſtra, quæ illic inuenies, manda ſepulturæ. Exurgens Plautilla, peruenit ad locum: & inueniens ſanctarum virginum corpora, nihil neque fœtoris, neq; læſionis habentia, adorauit & credidit, fabricauitq; monumentum virginibus Chriſti. Quo in loco per illarum orationes magnæ fiunt virtutes, ad laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui cum Patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula, Amen. V.

Capite cæduntur. Miracula ad earum ſepulchrũ.

De his SS. Martyribus prolixe ſcribit Ado in Martyrologio, Locus, vbi hæ SS. Virgines paſſæ ſunt, via Aurelia, decimo ab Vrbe lapide, auctus eſt ſede Epiſcopali, titulo Sylua candida ſæpius appellata: corpora autem in baſilica Lateranenſi prope Baptiſterium debito honore ſeruantur. Vide Bar. in Martyr. hoc die.

An. 325. GREGORII PRESBYTERI CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ ORATIO, DE SANCTIS TRECENTIS DECEM ET OCTO PATRIBVS NICENÆ SYNODI, *& de Conſtantino in primis pio Imperatore. Habetur in Simeone Metaphraſte.*

Ivl. X.

PRÆPOSITIS obedire iuſſus ab Apoſtolica adhortatione, ô Theophile, & veluti oblitus meæ imbecillitatis, neglecta dicendi elegantia, parui venerando patri, qui mihi propoſuit, vt breuiter ſcriberem de congregatione trecentorum & octodecim patrum, facta Niceæ, traderemq; huic ſanctæ, quę eſt penès ipſum, Nicenæ Eccleſiæ: vt quorum præſentiæ fructum percepit in corpore, eorum ſpiritalis quoq; decertationis ſcriptas habeat narrationes. Atq; quæ à me quidem pro meis viribus dicta ſunt, ſi reſpiciatur magnitudo rerum, quæ à Patribus rectè & ex virtute geſtæ ſunt, dixerim ego tenui rori eſſe ſimilia, qui contendit cum marinis fluctibus. Fuerit autem illius perfectionis, non ſententiarum attendere humilitatem, ſed promptam & alacrem parendi voluntatem grato animo excipere. I.

CVM Maximianus & Licinius & Maxentius, qui Romæ impiè imperauerunt, & multos, qui erant Chriſtianæ fidei, dæmonibus ſacrificare recuſantes, ſupplicijs & morte affecerunt, inſano ſimulacrorum cultu dignum exitũ inueniſſent, præter ſpem & opinionem ex Occidente inſtàr Lucifer exortus eſt Conſtantinus Imperator Chriſtianiſſimus, orthodoxæ vitæ inſtituti princeps, & inculpatæ fidei propugnator: qui ſimul ac ex Occidente in Orientem ſceptra tranſtulit, diuina luce illuminatur: & cùm pietate animum inſtruxiſſet, aduersùs diabolum primum certamen ſuſcipit, & de Chriſtianorum libertate publica proponit edicta, & quæ fidelibus ab impijs afferebatur, moleſtiam repellit, diruit cultum ſimulacrorum, de falſo agit triumphum: quæ conſiſtere non poterat, efficit manifeſtam veritatis prædicationem: eos qui Dominum honorârunt, & honore & libertate afficit. Inſtaurantur, vireſque recipiunt corpora fidelium, quæ flagris lacerata fuerant. Tormentis & exilijs ſubijciuntur, qui ſequuntur dæmones.

Conſtantinus Imperator, fidei propugnator.

Lice-

Digitized by Google

Licebatq; videre fideles reuocari à perſecutione, & eos qui dæmonibus ſeruiërant, reſipiſcere. Quod quidem chori Angelici præ ſe ferebat ſpeciem, Dominum omnibus liberè glorificantibus.

III. LÆTABATVR Imperator fideliſſimus quotidiano Chriſtianorum augmento, reputans animo hoc eſſe diuinæ operationis, quæ exiguo tempore eos, qui illius parebant imperio, traxit ad Domini Ieſu Chriſti agnitionem, & cogitans quidnam eueniſſet ijs, qui illum præceſſerant. Nam cùm finitimæ gentes, tanquàm nullis penitùs iunctæ fœderibus, inſurgerent aduersùs eos, qui ante ipſum imperauerant, & inteſtinæ ſeditiones eis à mutuis cædibus reſpirandi ſpacium non præberent, quandò Conſtantinus per Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti gratiam accepit Imperium, protinùs tanquàm iuſſu aliquo, & mala ceſſârunt gentilium, & qui eius ditioni parebant, pacem amplexi fuêre. Sed bonis infeſtus dæmon ne hanc quidem tulit hominum eorum, quæ ſunt meliora, cognitionem: ſed ſicut olim primo homini creato vitam inuidit cœleſtem, & per ſerpentem eius auribus præcepti inſeuit inobedientiam: ità etiam tunc cruciatus ob hominum ex idololatria ad Deum conuerſionem, excitat ſpiritum Pythonis. Is autem fuit Arrius, qui erat quidem appellatione Chriſtianus, & in presbyteratum Eccleſiæ Alexandrinæ allectus. Cùm enim diuinarum ſcripturarum ei mandata fuiſſet, atque vtinàm non fuiſſet, interpretatio: vana autem gloria & auaritia, planè diaboli patris eius armis, teneretur: vidiſſet verò poſt Petrum inſignem inter Martyres victorem, & inter Pontifices Apoſtolis æqualem, & Achillam eius ſucceſſorem, Alexandrum inter præſules caſtiſſimum, & Apoſtolicorum dogmatum ſtrenuum defenſorem, Alexandrinæ præeſſe Eccleſiæ, tanquàm venenatus quidam draco inuidiæ virus, quod latebat in imis cordis eius penetralibus, euomit. Sed aduersùs Alexandrum quidem non poterat eius importuna ſe efferre inſolentia: Nam erat quidem Alexander vita, in quam nulla cadebat reprehenſio, & nullius vitij particeps, prout eſt Domini de Iob teſtimonium. Quidnam ergò machinatur ſceleſtus? Arma parat aduersùs eius decreta, tanquam per ea eum inſectaturus: & ſic ponit os ſuum in cœlum, & loquitur iniquitatem aduersùs altiſſimum. Nam cùm confiteretur S. Alexander filium eſſe patri & honore & eſſentia æqualem, ſtatim nugatus eſt mente captus Arrius, creaturam & facturam eſſe filium, & fuiſſe quandò non erat, & quæ ſunt his magis impia, digna profectò, quæ æterno ſilentio & obliuioni mandentur.

Tranquillū Imperium Conſtātini. Geneſ 3. Arrius hæreſiarcha. Iob 1. Pſal. 72. Arrij blaſphemiæ.

IV. CVM ergò vidiſſet diuinus Alexander hoc malum inſtàr morbi ſacri depaſcere, (attigerat enim Ægyptum; & Thebaidem, & Libyam nuperrimè) veritus nè apprehenderet totum corpus fidelium, ac poſt multas coràm adhortationes, quas efferato paternè adhibuit, poſt varias ex diuinis ſcripturis adductas probationes, quibus abundat & vetus & nouum Teſtamentum, ſciens impium adhuc eſſe implicatum erroris caligine, confugit ad Dominum Ieſum Chriſtum, quem iſte afficiebat contumelia: & vt aduersùs impium, & cum Deo pugnans cœptum, opem ferret, ieiunijs, vigilijs, & lachrymis adiutorem inuocat inſpectorem veritatis. Cùm autem impius magis efferaretur & efferueſceret, euocat Alexander plures futuros periculi ſocios, & dirigit literas ad eos, qui erāt in eo loco, Epiſcopos, & ſignificat prodigioſos cordis Arrij fœtus aduersùs rectam opinionem. Quamobrèm præmunit quidem eorum aures, nè attraherentur aliqui à lacuna ſensùs Arrij. Incitat autem omnes, vt citra moram de his optimum dominum certiorem facerent. Cùm hæc ergò cognouiſſet victor inclytus, tanquàm ſtimulo profana obſcurorum moleſtaque inopinatorum auditione perculſus, diuinas protinùs mittit literas, per quas & Magiſtratus, & eos, qui poterant, Epiſcopos Niceam Metropolim ad ea examinanda, quæ ad ipſos pertinent, venire ſuadet, & ad manifeſtandam veram & inculpatam fidem, penitùs autem excindendam dæmonicam malè ſentientium hæreſim.

Conuocat Alexander Epiſcopos aduerſus doctrinam Arrij.

V. CVM hæc ergò ſic proceſſiſſent, quinam illo tempore inuenti ſint viuifici ſpiritùs præſcientia conſeruati Epiſcopi, & ex quanam parœcia ex ijs vnuſquiſque profectus ſit, oſtendet quæ ab ipſis facta eſt deciſio ſynodica ijs, qui ſtudioſè legere voluërint. Sancti ergò Patres, non ſecùs ac quædam apes operariæ, veluti ex floridis pratis vnuſquiſque ex proprijs Eccleſijs ſurgentes, perueniunt Niceam, locum, qui componit aluearia orthodoxæ opinionis. Diuinus ergò Conſtantinus cum audiuiſſet ſacram & Angelis reuerendam ſanctorum Patrum veniſſe præſentiam, ſtatim ex veſtibulo eos conuenientibus proſequitur honoribus, & quibuſdam præmiſſis ex ſacro conuentu, humanitate & rerum neceſſariarum cōuenienti ſuppeditatione procurat, nè neceſsè habeant recedere. Poſtquam autem cognouit rectè fuiſſe prouiſum Patribus, tunc ipſe Niceæ ſuam offert præſentiam, ſe ſobria mente ab externis abducens tumultibus, vtpotè in rebus agendis exercitatum ſanctorum Patrum allocuturus conuentum de re diuina & de ſalute, quæ ſpectat ad homines. Etenim erant quidam ex ipſis, qui gratijs ornati erant Apoſtolicis: alij autem Chriſti ſtigmata circumferentes in ſuis corporibus. Ex quibus, vt lectores habeant maiorem de ſanctis certitudinem, & animæ vtilitatem, aliquot adijciam. Sanctus itaque Iacobus præſul [a] Niſibenorum multos quidem liberauit à morbis, & de eo etiam fertur teſtimonium, quòd ſuſcitârit mortuos. Et Neocæſareæ Euphrateſiæ Epiſcopus ſanctus Paulus, genitalia membra igne amiſit, Licinij inſaniæ effectus ludibrium. Et [b] Paphnutius Ægyptius vir ſignifer. Et plures [c] alij ex ijs ſanctis: Alij quidem orbati ſunt oculis: alijs inciſi ſunt iuncturarum, crurum & brachiorum nerui: Alijs verò mutilati ſunt pedes, & manus loreis vinculis. Bonorum autem aduerſarius cum hanc cœleſtem vidiſſet in terra choream, non permiſit, vt eſſet omninò expers ſuorum aculeorum: ſed ſic Iudam Domini proditorem conſtituit inter [d] Apoſtolos: ſic etiam vnà cum ſanctorum caterua immanes lupos inuexit, tectos ouium pellibus, Menophantem, inquam, Epheſium, & Patrophilum Scytopolitanum, & Theonam Marmaticanum, cum paucis alijs diſcipulis Arrij inſipientiæ: de quibus dicetur in his, quæ conſequuntur. Quoniam autem opus erat, vt quæreretur de eo, quod erat obſtaculo veritati, & diſpiciebatur locus aptus, in quem conuenirent, cum excidiſſet optimus Imperator domum maximam ab eo, quod illic eſt, palatio, cubiculorum (vt ità dicam) regiorum oculum, cuius decus & magnificentia ad noſtra vſq; tempora eſt ſanctorum Patrum regumento conſeruata, eam, tanquàm ſuæ Regiæ primitias, ſancto deputauit Concilio. Quo in loco æquales numero Patrum iuſſit ſedes fieri, vnà habens rationem requietis ſenectutis, & honore proſequens ſacerdotium. Cum ergo ipſi appuliſſent, ipſe quoquè Imperator ingreditur: neq; verò arroganti, & elato, & regio adſpectu intuens: ſed contracto ſupercilio, & modeſto inceſſu accedit, & ſanctos, qui occurrunt, amplectitur, & eos benignè alloquitur: & leni quodam riſu præ ſe ferens comitatem, ob ſanctorum congregationem indicat ſuam animi lætitiam. Suam autem in Deum oſtendit humilitatem, & ſummam in Patres ſubmiſſionem, quòd inter ſedes Epiſcopales ſuum ſubmiſerit ſubſellium.

Patres veniunt Niceam. Honorificè & liberaliter habentur a Conſtantino. Multi ex Patribus viri ſanctiſſimi. [a] Feſtum eius 15. Iulij, vbi vide vitam eius. [b] 11. Septembris [c] De his vide latè Baron. anno 325 § Prinſquam a. & ſeqq. [d] Epiſcopi quidam fautores Arrij. Modeſtia Conſtantini.

VI. CVM ſancti ergò conſediſſent, & à Deo coronatus Imperator, Euſtathius Antiochenus (Ei enim annuit ſancta ſynodus, vt verba faceret ad Imperatorem) Deo, inquit, agimus gratias, ô optime Imperator, qui terrenum tibi Regnum dirigit, qui errorem ſimulacrorum per te aboleuit, & fidelium animi tranquillitatem in libertate collocauit. Ceſſauit nidor dæmonum, multiplici gentilium deorum cultu ſoluta eſt falſa religio: Expelluntur tenebræ impietatis, luce diuinæ cognitionis orbis terrarum illuſtratur, Pater glorificatur, Filius ſimul adoratur, Spiritus ſanctus annunciatur. Trinitas conſubſtantialis, vna diuinitas in tribus perſonis & hypoſtaſibus prædicatur. Per [*] eam, ô Imperator, tibi munitur tuæ pietatis potentia. Eam nobis ſerua integram & inuiolatam. Nullus hæreticus ſubiens Eccleſiam, de Trinitate vnum aliquid auferat, relinquens, quod reſtat, affectum ignominia. [e] Arrius nobis, qui à furore accepit denominationem, orationis cauſa eſt & conuentûs: qui neſcio quomodò allectus in presbyteratum,

Oratio Euſtathij ad Imperat. Vna diuinitas in tribus perſonis. [*] eum [e] Arrius hæreticus eccleſiæ Alexandrinæ presbyter.

teratum,
cleſiæ Alexandrinæ

teratum Eccleſiæ Alexandrinæ, nos latuit, cùm eſſet alienus à doctrina beatorum Apoſtolorum & prophetarum. Vnigenitum enim filium, & verbum Patris non veretur priuare eâdem & æquali cum Patre ſubſtantia, & creatorem cum creatura creaturæ cultor contendit connumerare. Eum autem perſuaſeris, Imperator, mutata ſententia, non repugnare doctrinæ Apoſtolicæ: aut ſi in vanæ opinionis, cuius eſt conuictus, perſtiterit impietate, eum de Chriſti & noſtro cœtu funditùs ſuſtuleris, nè ſuis turbidis verborum blanditijs venetur animas ſimpliciorum.

Apoſtolicæ Traditiones.

Spiritus ſanctus, Patris & Filij ſpiritus.

SERENISSIMVS autem Conſtantinus cùm ex eo, quòd tam citò conuenissent, eorum in fidem ardorem VII.
coniecisset, & verba de concordia & conſpiranti conſenſu, tanquàm Patribus filius amans Patrum adduxiſſet: Agedùm Patres, inquit, omni ſtudio & diligentia efficiamus, vt per Propheticas prædictiones & Apoſtolicas traditiones ſit exæquatio & comprehenſio veritatis, extra turpe & indecorum fratrum odium & inanem doctrinam. Graue enim fuerit, ſi multiplicis deorum cultûs impietate diſſoluta, & nobis ſubiectis hoſtibus, & bellis ſedaris ciuilibus, non ſe inuicèm enſibus fideles, ſed dogmatibus feriamus, & Euangelicam doctrinam, quæ eſt ſimplex, & non artificioſa, & vim habet non in verbis, ſed in factis, doctrinæ diſceptatione & verborum varietate conemur euertere. Deo ergò & Patri, & vnigenito filio Patris, & viuifico ſpiritui eorum, quæ nunc à vobis exquiruntur, permittentes reuelationem, perſequamur inquiſitionem. Præſtabimus enim, vt nos quoquè prompto & alacri animo adſimus, & ſimus participes certaminis & laboris, vſque ad finem reuelationis eorum, quæ vera ſunt. Credimus enim fore, vt nos inſpiret aduentus diuini ſpiritûs, per quem erit firma ac ſtabilis noſtra fides, omni hæretica opinione vacua, & expers malæ de Deo ſententiæ. Hinc Patrum clarorum multitudo confirmata viuifico, qui vna verſabatur, ſpiritu, concorditer procedunt ad inquirendam & declarandam fidem orthodoxam. Et cùm multis veteris & noui teſtamenti teſtimonijs, quòd filius ſit Patri conſubſtantialis, acerrimè conuiciſſet, extra rectam fidem & Eccleſiam ſanctam Arrium ſegregant, anathemari eum ſubijcientes cum ijs, quæ ab ipſo elaborata & dicta fuerant: & ità, nè ad diuinum Symbolum hæreticæ malignitati vllus daretur aditus, impedientes contexunt expoſitionem, per vnumquodq; dictum abolentes ſenſum, qui ab vnaquaq; hæreſi opponitur, vt omnibus eſt manifeſtum ex expoſitione eorum, quæ in Concilio geſta ſunt in palatio.

Anathemate Arrius percellitur.

QVONIAM autem eis videbatur reſtare quæſtio de die principali, cùm à multis in illud vſque tempus cele- IIX.
braretur, nullo certo præſtituto termino, adeò vt alij quidem eſſent in veſtibulis ſanctæ ieiuniorum Quadrageſimæ: alij verò peragerent dimidium certaminum abſtinentiæ: alij autem celebrarent ſymbola ſalutaris reſurrectionis: & alij quidem in triſtitia & lacrymarum profuſione, & abſtinentia à cibis ſe duriter gererent: alij verò victoria Domini exultarent, per quam fractus eſt infernus, & mors deleta, ſurrexit Adam, & ſatan eſt alligatus: de eo quoq; diuini Patres ſancto, qui vnà cum eis erat, inſpirati ſpiritu, vnà cum optimo Conſtantino conſtituerunt, vt omne genus Chriſtianorum, vno eodemq; tempore Chriſti Dei noſtri diem ſanctum ageret reſurrectionis: vt orationis & abſtinentiæ, lætitiæque & choreæ communem domum nempe eam, quæ eſt vbiquè, Eccleſiam ſibi catholicam conſeruarent. Cumque aliarum Eccleſiaſticarum quæſtionum, & diuinorum canonum feciſſent editionem, orthodoxæ ſententiæ conſtituêre deciſionem. Cùm hoc ergò factum eſſet, cenſuit optimus Imperator, vt vniuſcuiuſque ex Patribus deſcriptionibus ſancta confirmaretur deciſio.[a] Poſtquàm autem ea fuit expoſita, & publicè lecta, & iam ferè omnes ſubſcripſiſſent, fit miraculum, dignum quod memoriæ mandetur, ad gloriam quidem eorum, qui crediderunt: pudorem autem eorum, qui fuerunt increduli. Nam cùm duo ſancti Epiſcopi, Chryſanthus & Muſonius, nondùm deciſioni ſuas adiecisſent * deſcriptiones, accidit vt diuina prouidentia ij ab humanis excederent. Diuini ergò Patres cùm veniſſent ad communem locum, in quo dormiebant, tanquàm ſimul cum eis eſſent, & quæ dicebantur audirent: O patres, dixerunt, & fratres, Præclarum certamen nobiſcum decertâſtis, curſum perfeciſtis, fidem ſeruauiſtis: ſi ergò quod factum eſt, Deo gratum eſſe iudicâſtis, (nunc enim puriùs cernitis) nè quid ſit impedimento, quo minùs vos quoquè deciſionem ſubſignetis. Hæc ſimul & dixerunt, & ſignata deciſione ſanctorum Patrum loculo impoſita, totam illam noctem inſomnem peragunt in oratione. Die autem ſequenti cùm veniſſent ad loculum, † ſaluis, quæ erant impoſita, ſignaculis, cùm ſanctam reuoluiſſent deciſionem, inuenerunt ſanctorum Patrum in eam immiſſas ſubſcriptiones, adeò vt citra dubitationem vnuſquiſq; etiam ex ijs, qui erant extrinſecùs, fateretur, ſanctum illum ſanctorum Patrum chorum conſtare præſentia & ope ſanctæ Trinitatis, eamq; ſuam corporaliter oſtendere defenſionem ijs, qui digni habentur, vt videant.

Mandat Synodus, vt tota Eccleſia vno eodemque tempore paſcha celebret.

[a] Patres confirmant deciſionem ſubſcriptionibus.

* *ſubſcriptiones.*

† *ſolutis.*

Nota inſigne miraculum, duo Epiſcopi ſubſcripſerunt mortui.

SED (quod in ijs, quæ priùs dicta ſunt, prætermiſimus) cùm de Dei hoſtis Arrij blaſphemia triumpharet ſan- IX.
cta ſynodus, acceſſit ſuperſtitionis gentilis philoſophus, contentionis ſcilicet, & non veritatis ſtudio, Arrij ſceleratam defendens ſententiam. Menophantesque, & Patrophilus, & Theonas, & alij, de quibus ſuperiùs dictum eſt, ſyllogiſmis philoſophi erecti, aperuerunt fœtidum virus Arrij abominationis, & accedunt Philoſopho petulanter inſultanti veritati. Sed piſcator piſcatorum, & Saluator perſecutoris, hîc quoque excogitat aliquid dignum ſuis prodigijs. Propoſitionum enim Philoſophi difficiles contentiones vt admirabiliter diſſoluerentur, efficit ſilentio orationis: eligitque quendam ex ſanctis, non mundana ſapientia, ſed vita ornatum Angelica, gentilis impietatis & hæreticæ blaſphemiæ defenſori aduerſarium. Hic minas imitatus Dominicas, quibus aduersùs dæmones & mare cernitur vſus Dominus, ſimul & Philoſophum quodam veluti carmine alloquitur, dicens: Tace, compeſcere: & verboſum hominem verbo mutum effecit, adeò vt cùm ei ſtatim vox defeciſſet, cum timore & tremore acceſſerit ad chorum ſanctorum, & vinculo petierit abſolui, & ſancto baptiſmate donari. Sic ſignorum Dominus philoſophum cum tota domo vocauit ad ſalutem, & eum, qui heri fuerat orthodoxæ accuſator ſententiæ, effecit defenſorem veritatis. Hoc miraculo aiunt Menophantem cum ſuis ſectatoribus obſtupefactum, viſum eſſe ſua ſponte aſſentiri ſanctæ Synodo ad impium Arrium feriendum anathemate: poſteà autem, non ſecùs ac canes rabidos, ad ſuum rediiſſe vomitum.

Vide Bar. an 325.

Matth 8.

Philoſophus à ſimplici Epiſcopo confutatus, credit

CVM ergò ſancta Synodus trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum accepiſſet finem, propter quem X.
congregata erat, & eos tempus vrgeret ad reditum, pius Conſtantinus cùm eos menſa viciſſim excepiſſet, & verbis vſus eſſet adhortatorijs, cùm & Eccleſiarum ipſorum prouidiſſet inopiæ, & ad alendos vbiquè pauperes dediſſet commeatus, eos omnes abeuntes benignis verbis eſt proſecutus: Videtis, inquiens, veſtris inſtitutionibus meum Dei cultum, & quàm prompto & alacri animo effecerim, vt euerterentur idola: operam autem dederim, vt fides Chriſtianorum vbique annunciaretur, adeò vt nullius alterius religionis ſpecies vobis relinquatur, niſi vt ſoli Chriſtiani ſanctam & vnius eiuſdemque eſſentiæ Trinitatem adorent & amplectantur. Hanc vobis hodiè trado puram & ſynceram. Veſtrarum autem fuerit precum & diligentiæ curare, vt Deo adiuuante, maius in dies accipiat incrementum. Dùm hæc dixiſſet, & quæ ſunt his ſimilia, & alijs quidem vidiſſet effoſſos eſſe oculos, alijs autem graui cruciatu obtorpuiſſe manus, alios verò eſſe incuruatos neruorum conuulſione, alios demum exciſis ſibi genitalibus ſtrenuè decertâſſe: & cùm didiciſſet, quòd cum in perſecutionibus pro Chriſto in periculo confeſſionis ſe fortiter geſſiſſent, impoſitorum ſibi ſuppliciorum conſeruarent eas, quæ videntur, reliquias, adorauit athletarum cicatrices, membrorum amplexus eſt tortores, affectis membris quandoque membra ſui corporis, aliquandò autem purpuram applicans Imperatoriam, eis ſe credens ſanctificari. Quinetiam effoſſis oculis ſuorum oculorum admouebat pupillas,

Conſtantini liberalitas.

Conſtantini erga Epiſcopos reuerentia.

pupillas, ſuſtinens vt illinc illuminaretur eius mentis oculus. Sic cùm ſanctos eſſet amplexus, nouam Romam eſt reuerſus, exultans recta fidei prædicatione.

XI. SANCTISSIMI autem Patres cùm optimum Imperatorem gratiarum actionibus & benedictionibus eſſent remunerati, per quas & pacis amplificationem, & Imperij confirmationem, & inimicorum ſubiectionem petit cœtus Epiſcoporum, ipſi Niceâ ſoluentes, hoſpitalitatis munificentiam precibus ſuſtentârunt & roborârunt. Hoc autem teſtatur id, quod ſtatim ea de cauſa factum eſt ſignum. Nam cùm poſtridiè eſſent precaturi Saluatorem vniuerſorum pro ſuo domum reditu, & pro ea, quæ illos excepit, ciuitate, accidit vt in eo, qui dicitur μεσόμφαλος; id eſt, medius vmbilicus ingreſsûs orientalis, ſcaturirent fontes circa medium apſidis, * circa quod conſtiterat ſanctorum chorus. Quæ quidem in hodiernum vſque diem appârens, oſtendit orationum fructuoſos effectus. Et nunc apud eos omnes celebratur & nominatur Nicea, apud quos ſanctorum horum trecentorum decem & octo patrum honorata eſt Synodus. Quantùm autem illi pro ea laborauerint, & quantam eius curam geſſerint, conijcere licet ex ea re admirabili, quæ noſtra ætate facta eſt. Nam cùm ingrati fuiſſent Aſſyrij, & per quod eis parta eſt ſalus, Romanorum imperium depopulati eſſent & vexâſſent, & omnia (Quid enim aliud dicendum eſt) barbarica conſumerent inſolentia, permanſit intacta à Babylonica omni contumelia, vt quæ nec igne, nec gladio, virorum, aut mulierum, aut infantium ſenſerit captiuitatem, cùm eam ſæpè clanculùm & apertè adorti eſſent. Dicitur autem, ſuperbum quoquè quendam ex eius exercitu tribunum militum impudenter audax cœptum eſſe aggreſſum, nempe vt magicæ illic execranda faceret piacula: nocturna autem viſione, & diurnis, quæ illi ſoli apparebant, terroribus incuſſum eſſe timorem, nè acerbè periret, adeò vt mutatus ſceleratus, templum illud vel potiùs templi habitatorem Chriſtum verum Deum noſtrum honoraret, & lucernis accenſis placaret: Et ex eo tempore omnem Babylonicum exercitum à ſancto templo arcuiſſe, & hoſpitalem manſuetudinem, & barbaricæ ferociæ minimè reſpondentem ijs, qui in ipſa vitam agunt, oſtendiſſe. Quæ etiam externis multis ſalutem peperit: ſi quis enim ab eis captus eſſet, modò ſe Nicenum iactâſſet per ſimulationem, quodcunque ſibi ab eis impendebat, propulſauit periculum.

Fontes per miraculum ſcaturiunt Niceæ.

* quam

Niceam expugnare nõ poſſunt Aſſyrij.

Luminaria iam olim in templis accenſa.

XII. HÆ ſunt gratiæ hoſpitalitatis in Patres, quæ etiam poſſunt futuris ſæculis efficere, vt ab eis Niceæ cura geratur. Illi autem non ſecùs ac limpidi fluuij ex vno Niceæ fonte diuiſi, ad ſuum quiſque gregem peruenerunt, fructum referentes beatæ peregrinationis, ſalutare mundi Symbolum. Et cùm in veneranda ſenectute, & in vitæ ex virtute profectu ſuæ parœciæ illuſtrâſſent curriculum, beatam ſortem ſunt conſecuti. Benignus autem & clemens Deus, ſeruorumque ſuorum amator beneficus, qui eos glorificat, qui ipſum glorificant, cùm eorum animas dignas cenſuiſſet, vt fruerentur delicijs in cœlo repoſitis, non ſine munere ac præmio dimiſit eorum caſtiſſima corpora, ſed miraculo, quod eſt præter opinionem, per hæc quoque ſuos honorauit miniſtros. Communem enim mortem, tanquàm naturalem eis ſomnum induxit. Vndè quæ hos Patres ſuſcepêre corpora, manſerunt in vniuſcuiuſque parœcijs minimè diſſoluta. Horum autem fortaſsè ſunt multi quoquè alij teſtes, qui in locis viderunt id, quod dicitur, & qui ſanctos ipſos, veluti quodam ſomno tenerentur, cùm aliquandò eorum aperirentur loculi, in eis ſunt complexi. Quinetiam ſumus quoquè nos huius non falſi teſtes ſpectaculi. Angelis enim paris Leontij Cæſarcenſium Eccleſiæ ſanctiſſimi Præſulis, (cuius multi quidem, etiam antequàm veniret in Nicenam Synodum, emanârunt ſudores propter fidem, multi autem per ipſum martyres & victores athletæ proſtrauerunt aduerſarium, multique vſi eius vitæ doctrina, ciues euasêre cœleſtes: (ex ijs enim vnus quoquè eſt Gregorius, magnus inter victores athletas, qui inuênit reliquias ſanctarum martyrum Ripſimes & Gaianæ, & impudicum * Teridatem priùs quidem euertit, deindè autem † ad finem deduxit) huius, inquam, precioſas reliquias complures nobiſcum vidêre, quæ neque pilos abiecerant, neque vngues amiſerant: erant autem plenæ omni vnguentorum fragrantia. Neque verò ſit aliquis, qui his fidem non eſſe habendam exiſtimet. Sunt enim hæc, & his maiora dona gratiæ, ad honorem fidelium ad laudem Eccleſiarum, ad gloriam Chriſti Dei noſtri: Cum quo Patri gloria, & viuifico ſpiritui, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

1. Reg. 2.

Mortes mutas.

Feſtum eius 13 Ianuarij.

*Tiridatem longiùs mirac[ul]um in reliquijs Leontij Epiſcopi

† vſque ad fidem conuertit.

ORATIO HISTORICA DE IIS, QVÆ NICEAE GESTA SVNT A SYNODO PROPTER ARRII DEPOSITIONEM.

In qua eſt etiam ſingularis narratio de vita magni Conſtantini.

Habetur in Simeone Metaphraſte.

I. NONODECIMO anno Imperij Diocletiani, aduentûs autem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti trecenteſimo quinto anno, rurſùs in nos inualuit perſecutio: quo tempore Conſtantinus Conſtantij filius erat puber. Qui cùm ſacras literas didiciſſet à patre, & electus fuiſſet ab eo Cæſar, cumque Diocletianus autem & Maximianus veniſſent in Ægypti Alexandriam, quandoquidem illic Tyrannus inſurrexerat, erat vnà cum eis ferens auxilium Conſtantinus iuuenis, & pulcher adoleſcens, & ſe in bello gerens ſtrenuè. Quo tempore ſceleratus Maximianus, qui erat gener Diocletiani, vt qui eius filiam duxiſſet vxorem, videns eum ſe fortiter gerere, & laudari ab omnibus, inuidia ductus, conatus eſt eum ex inſidijs tollere de medio Sed cùm ipſe cognouiſſet ſibi parari inſidias, fuga ſuæ ſaluti conſuluit, ad patrem cõfugiens. Eum autem decedentem offendens, eligitur ab ipſo ſucceſſor Imperij Quo tempore pium quoquè dicunt dixiſſe Conſtantium: Nunc eſt mors mihi vita iucundior, ô fili, cùm funeris iuſta accipiam maxima tuum principatum. Relinquere enim in terra Imperatorem, qui poſſit Chriſtianorum lachrymas abſtergere, & arcere iniquam cædem, quam non ceſſat Maximianus moliri in Chriſtianos, dat mihi beatam ſortem. Iam autem tertius agebatur annus eius, quæ exercebatur in nos, perſecutionis: in quo Conſtantius caducum Regnum æterno commutauit, & filio Imperatore renunciato, pietatis prædicatorem & Chriſtianorum reliquit defenſorem.

Conſtantinus a patre renũciatur Imperator.

II. CVM autem Seuerus morbo eſſet mortuus, Licinius, qui erat Conſtantij gener, ducta ſorore Conſtantini, propter ſuam cum ipſo affinitatem ſenatuſconſulto Imperium obtinet. Reliquam autem partem Orientis Gallerius Maximinus obtinuit: Maxentius verò Romæ imperauit, qui erat fratris filius. Nam hic quidem Maximiani prioris, ille verò Diocletiani. Conſtantinus autem pius Imperator cùm ſæuas cædes & ſtupra virginum, & raptus alienarum vxorum, & vim, quam per delicias afferebat execrandas Maxentius, auditione accepiſſet, & Romani ad eum miſſa legatione ab eo contenderent, vt eos ſeruaret & redimeret, literis quidem hortatur Tyrannum, vt à rebus turpiſſimis abſtineat. Cùm autem verbis eum non perſuaderet, bello aggreditur. Et commiſſa pugna, parùm quidem abfuit, quin vinceretur. Sed cùm ei in cœlo apparuiſſet figura Crucis, inſculpta immateriali lumine, & literis eiuſdem materiæ annunciaret victoriam, (Dicebat enim ſcriptura: In hoc vince) cum hoſtibus congreſſus, & belli & hoſtis vim frangit. Ante conflictum autem cùm diuinam viſionem trophæi inſtàr formâſſet, gemmis auro inſertis concinnâſſet, dat eam ferendam ijs, qui antè equitabant. Et ab eo quidem capitur Maxentius. Nam quibus venabatur inſidijs Conſtantinum, eis ipſe captus eſt. Nam ante Romam circa pontem Miluium, dolo pontem alium conſtruxerat,

Vide virtutem ſanctiſſimæ Crucis

Effigies Crucis.

Digitized by Google

Incidit in foueam quam fecit Maxentius.

per quem ſperabat fore, vt equitans interiret Conſtantinus. Nam cùm citò & magno cum tumultu terga vidiſſent, qui Roma exierant, ipſe doli artifex vnà cum ijs, qui ſequebantur, rupto, qui callidè conſtructus erat, ponte, in flumio ſubmerſus fuit, & mortem bibit. Sed ſic quidem interijt Maxentius, & pars illius redit ad Conſtantinum. Subditi autem non ſolùm à malis ingentibus quieſcere, ſed etiam in ſumma felicitate diem feſtum agebant.

Licinius perſequitur Chriſtianos. *Capitur à Conſtantino.* *Cæditur*

LICINIVS verò, qui gentilium tuebatur ſententiam, furebat in pios, primùm quidem clàm metu affinitatis, III.
poſteà autem palàm quoquè. Diuturnum enim, & quod intùs alitur malum, magna ex parte concluſum, intùs manere non poteſt. Sed quod olim meditabatur, extrinſecùs producit in triumphum. Quæ in Chriſtianos ergò eſt excitata, & quæ verbis explicari nequit perſecutio, mouet pium Imperatorem ad iuſtum odium in ſororium maximè impium, odiumque bellum peperit. Cùm autem & mari & terra multa, eaque omnis generis committerentur prælia, vincitur Licinius, & Imperatoris humanitate fretus, ſeipſum ei dedit. Reque ipſa oſtenſum eſt, eum non fruſtrà fidere. Nam qui erat multis obnoxius ſupplicijs, impunè dimittitur, & ei deputata eſt Theſſalonica, in qua poterat ſemper tuto verſari. Is verò humanitatem arma ſuæ faciens amentiæ, ad amiſſum prælium inſtaurandum, molitus eſt rebellionem, quæ ei & vitam, & Imperium iuſto enſe amputauit.

Arrij error

POSTQVAM autem poſt Achillam, beati Petri ſucceſſorem, ſuſcepit Alexander Alexandriæ ſacerdotium, IV.
Eccleſia iam liberata à perſecutionibus, & gloriante de martyrum certaminibus, malum quod in ſinu nutriebatur, & orbis terræ tumultus Martius (id enim eſt Arrius) in mœrorem tutsùs conuertit Eccleſiæ lætitiam. Dei enim filium redegit inter creaturas, cuius manûs eſt opus vniuerſa creatura. Poſtquàm autem Alexandriæ Epiſcopus Alexander, & monendo, & rogando fuit defeſſus, (Altitudo enim zizaniorum vincebat ſementem verbi) depoſitionis gladio eum excindit ab Eccleſia. Euſebius autem, qui Berytum quidem contempſerat, ad Nicomedienſium autem Eccleſiam oculos adiecerat, quoniam violentæ ſuæ rapinæ pœnas non dederat, animo ſublatus, Arrij, & eius hæreſis ſectatorum vel inprimis curam agebat. Ex quibus inter eos quidem, qui aliquandò fuerunt Epiſcopi, erat Secundus & Theonas. Inter Diaconos autem & presbyteros erat & Arrius princeps hæreſis, & Achillas, & alius Arrius, & quidam alij eiuſdem honoris & ordinis, numerum implentes nonenatium: quos etiam depoſuit Synodus centum ferè Epiſcoporum, qui ex Ægypto & Libya conuenerant, anathemati quoquè eos ſubijcientes.

Oſius Epiſcopus mittitur Alexandriam. *Nota quantùm deferat ſacerdotibus tantus imperator* *ª De Metrophane, & ſ que, quæ cap 8 & 9. dicuntur, vide Bar. an. 325.*

Quæ cum non ſine dolore audijſſet Conſtantinus, mittit Alexandriam Oſium quidem nomine, vita autem etiam Oſium, id eſt, ſanctum. Corduba verò vrbs Hiſpaniæ de eo ſe iactabat. Porrò autem ei quoquè tradit literas ſcriptas & ad Alexandrum Dei Pontificem, & ad Arrium parentem impietatis. Quarum illæ quidem petebant, vt humanitate & clementia vteretur in Arrium: hæ verò imperabant, vt à furore deſiſteret, & ſenſum teneret Eccleſiæ. Quinetiam hortabatur, vt à lite inter ſe & contentione diſcederent, vt quæ multorum malorum cauſa fuerit inter multos. Poſtquàm autem Arrij morbus nec inſignis Oſij præſentia & doctrina, neque admonitione Imperatoris eſt curatus, Concilium Pontificum in Bithyniæ vrbe Nicea congregat Imperator. In qua cum conſiderent Epiſcopi, Imperator ipſe ſtans in medio, non aliàs ſedere ſuſtinuit, quàm ſacroſanctus ei chorus annuiſſet. Atque Arrij quidem hæreſim & Euſebius Nicomediæ Epiſcopus, & Theognis Niceæ, & Mares Chalcedonis defendebant: Pietatem autem Alexander presbyter Conſtantinopolitanus, & vicem gerens eius Pontificis. ª Metrophanes enim ſanctus non aderat tam propter profundam ſenectutem, quàm propter aduerſam valetudinem. Poſt quem & Athanaſius Alexandrinæ Eccleſiæ Archidiaconus, & eius Pontifex Alexander. Synodo verò intererant etiam aliqui, qui non ſolùm Pontificalem non habebant gratiam, ſed neque myſterijs Chriſtianorum erant initiati: ſed propter differendi facultatem magni erant nominis: quos non ficto & inornato Dei ſapientiæ verbo quidam ex ſacroſanctis ſenibus, & diuina gratia inhabitante ceperunt. & eum à gentili errore expurgaſſent, & Arrij, pro quo maximè decertabant, effecerunt vt in gregem Domini allegerentur.

Paphnutius Epiſcopus. *Spiridon Epiſcopus & quædam eius geſta* *Irene iam defuncta, dat patri reſponſum.*

IN hac Synodo autem aderat etiam Paphnutius admirabilis, genere quidem Ægyptius, confeſſor verò in certamine. Cui etiam Maximianus Chriſti inimicus dexterum effodit oculum, & ſiniſtræ manûs neruos præcidit in cubito, & metalli opere vexauit: Vir, qui præclara multa opera, & virtutes effecit: quem etiam maximè pius & Dei amantiſſimus Imperator omni honore affecit, nec eum vnquàm cepit ſatietas eius effoſſum deoſculandi oculum. Quinetiam vnà verſabatur venerandus Spiridon, de quo ex innumerabilibus pauca quædam dicet oratio. Paſcebat ipſe aliquandò greges ſuos, etiamſi in dignitate eſſet Epiſcopali. Gregem autem inuaſerunt latrones, & vincti fuerunt vinculis, quæ non cadebant ſub viſum. Cum eos autem vinctos deprehendiſſet, quos ipſe vinxerat precibus, à vinculis quidem ſoluit pari ſapientia: Dat autem eis quoquè arietem, futurum mercedem, dicens, nocturnæ afflictionis. Habebat verò virginem filiam, quæ cum eo habitabat. Ipſe cum alicuius accepiſſet depoſitum, migrauit è vita. Is verò qui aurum depoſuerat, (erat enim peregrè profectus) reuerſus aurum quærebat. Vnà autem cum eo ſcrutabatur quoquè Spiridon, nec inueniebatur. Quocircà accedit ad ſepulcrum filiæ, &, O filia Irene, inquit, (hoc enim erat nomen virginis) vbi eſt depoſitum? Illa autem reſpondit è ſepulcro, edocens locum & modum inueniendi. Et cum facilè inueniſſet depoſitum, reſtituit ei, qui depoſuerat. Sed his quidem tanquàm ex vnguibus leonem ſignificamus. VI.

Alexander Conſtantinop. Epiſc. multis locis Arrianiſmum extirpat

HI ergò viri longe beatiſſimi, & aliorum Pontificum congregatus cœtus, Arrium & eos, qui cum ipſo ſentiebant, condemnârunt impietatis: & pronunciârunt, filium eſſe Patri conſubſtantialem, eaſdem vno ore ferentes ſententias. Quidam autem octodecim numero, viſi ſunt declinare ad furorem Arrij. Sed ijs exilio Regia ſententia decreto, in impietate ſex ſoli permanſerunt, cum alij præ ſe tuliſſent recantare, & ad ſenſum pietatis, etſi non purè & ſyncere, ſed mente ſubdola concurriſſent. Quorum fuit princeps Euſebius Nicomediæ Epiſcopus. Hinc quæ erant vbique Eccleſiæ, è multis tumultibus & ſeditionibus reſpirârunt ad pacem. Et Oſius quidem Cordubæ Epiſcopus ſimul cum ijs, qui ipſum ſequebantur, ferens acta ſynodica, procurauit pacem Occidentalibus. Ijs autem, qui erant in Ægypto & Libya, acer Athanaſius. Alexander verò etſi vergebat ad ſenectutem, (erat enim ſeptuagenarius) ijs tamen in Thracia & Illyrico, concordiæ & pacis Eccleſiarum ferendi fauſti nuncij laborem ſuſtinuit, vnà habens ſecum in eo itinere Paulum, qui tunc tenebat gradum lectorum & ſubſcriptorum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: qui etiam in ſynodo annum agens duodecimum, verſabatur vnà cum Alexandro. VII.

Concilium Nicenum vno eodéq; anno inchoatum eſſe & finitũ volt Baron anno 325.

SED hæc quidem paulò pòſt: priùs venit ad videndum ſanctiſſimum Metrophanem. Qui cum eum lætitia affeciſſet propter bonum nuncium, & propter ſuum aduentum, non autem propterea quòd eſſet peregrinaturus, profectus eſt ad obeundum munus ſibi creditum. Peruadentes verò Thraciam, & Macedoniam, & Theſſaliam, & Achaiam omnem, & Græciam, & terram continentem, ne Inſulas quidem neglexerunt, ſed etiam nauigantes, radicitus omnem euulſerunt zizaniam: Euangelicæ autem doctrinæ, & ſynodicarum prædicationum generoſam ſementem diſſeminârunt. Cum ſynodus autem accepiſſet finem tribus annis cum dimidio, (Cœpit enim quintodecimo Aprilis, finita eſt autem, cum triennium rurſus perueniſſet ad Aprilem, & excurriſſet vſq; ad Septembrem: ſic enim ſapiens adnotauit Alexander, qui ſcripſit acta ſynodi) ſtans Imperator in medio chori Pontificum, petijt ab eis vnam ſibi dari gratiam. Illi autem prompto & alacri animo annuerunt. Gratia autem hæc erat, vt ipſi vnà ſecum ingrederentur, vt viderent Pontificem, quem eſſe ſuum patrem confeſſus eſt Imperator, & vt ciuitatis, quam ipſe erexerat, eorum præſentia & precibus eius nomine, qui condidit, fierent Encænia. Cum autem inuiſerent Pontifices Metrophanem perſpicaciſſimum die quodam Dominico, & vnà adeſſet Imperator, & alij habiti ſunt IIX.

ſermo-

Digitized by Google

ſermones,&, Video, inquit excipiens Imperator, ô Patrum mihi maximè venerande, te & ſenio & morbo laborare. rogo te ergò, vt dicas & nobis oſtendas eum, qui poſt te eſt gregi præfuturus. Ille autem læto vultu dicit ad Regem: Perſuaſum habeo in Domino, ſanctiſſimum ſpiritum nunc per tuam linguam eſſe locutum. Mihi enim de eo cogitanti ſeptem antè diebus manifeſtauit Dominus, & me poſt decem dies è vita emigraturum, & quiſnam ſit ſacram dignitatem ſuſcepturus. Is eſt autem meus compresbyter Alexander, qui verè eſt dignus electione, & ſancti ſpiritus prædictione. Præterea autem eum quoque, vtpotè puer, lector Paulus ſequetur.

Metrophanes prædicit, qui ſint ipſi ſucceſſori.

IX. Cvm autem reſpexiſſet etiam ad diuinum Alexandrum Pontificem Alexandriæ: Et tu quoque, inquit, ô frater, egregium relinques ſucceſſorem. Et manu accipiens Archidiaconum Athanaſium: Ecce, inquit, ſtrenuus Chriſti miles. Is te ſequetur, qui non ſolùm vna cum Alexandro fratre meo decertauit aduerſus impietatem Arrij, ſed adhuc cum eo multa & magna ſuſcipiet certamina. Non ſolùm autem eum manent ſecunda, ſed etiam cum forti & ſtrenuo Paulo ſuſtinebit tertia. Hæc dixit, & tanquàm ſpiritu excitatus, cum epiſcopis deſcendit in Eccleſiam; & cùm poſt Euangelij lectionem breui ſermone eſſet populum alloquutus, & eum inſtituiſſet, etiam non præſentem presbyterum Alexandrum renunciat Pontificem, & throni ſucceſſorem. Populus verò vna voce cum ipſo Imperatore aliquot horas clamauit, Dignus. Deindè pallium deponit in ſacra menſa, id iubens ſeruari ſucceſſori. Venturum autem ipſum prædixit propediem poſt diem ſeptimum ſuæ ad Chriſtum reſolutionis. Fiunt ergo omnia, vt priùs dixi, & vt mandauit. Quieuit autem, cùm eſſet centum & ſeptemdecim annos natus, quarto menſis Iunij.

Nota de Athanaſio.

Vide vſum pallij antiquiſſimum in eccleſia.

X. Constantia autem ſoror pij Conſtantini, quæ fuerat vxor impij Licinij, A fratre, inquit, vnam hanc poſtremam peto gratiam, vt ab exilio reuocetur Arrius, in quem iniuſtæ ſtructæ ſunt inſidiæ. ſentit enim cum ſynodo. Erat enim apud eam quidam presbyter ſtudioſus Arrianæ hæreſis: qui cum ſe priùs inſinuaſſet in familiaritatem Eunuchorum Conſtantiæ, per ipſos quoque ad eam peruenit, verborumq́; illecebris & blanditijs ei perſuaſit, quòd per inuidiam expulſus fuerit Arrius, & quòd rectum dogma teneat Eccleſiæ. Quæ cùm imperatori dixiſſet, eum commouit, & ſtatim ſcribit, vt Arrius redeat ab exilio. Eum quoque fratri commendat presbyterum, qui non minùs erat hæreſis presbyter, quàm aſſentationis. Qui moribus & verbis aptis ad ſe inſinuandum, haud ita pòſt conueniendi pium Imperatorem conſequitur libertatem, & verba mouet de Arrio, quæ ipſum faciebant orthodoxum. Rex autem, Si Arrius, inquit, id ſentit quod ſynodus, ego cũ & lubenter videbo, & cum honore in Alexandrina conſtituam Eccleſia. Hæc autem dixit, & ipſum literis ad ſe accerſijt. Atque Arrius quidem venit Conſtantinopolim ſimul cum Euzoio, qui fuerat depoſitus: eoſq́ue benignè excipit Imperator, rogansq́ue quidnam ſentirent, audit eos dicentes, ſe non aliud ſentire, quàm expoſuiſſent Trecenti decem & octo ſancti patres. Quinetiam miſeri fictæ confeſſioni adiunxêre iuſiurandum. Imperator autem iubet eos in ſcripta referre, quid ſentiant. Illi verò prompto & alacri animo falſa ſcribunt. Dicebant enim in ſcriptis, ſe & eos, qui erant cum ipſis, credere ea, quæ lingua confingebant. Motus eſt ergo Imperator, propterea quòd confeſſi ſunt pietatem. Statimq́ue ipſum & eos, qui cum ipſo erant, cum honore mittit Alexandriam. Alexandriæ autem Pontifex Alexander, cum eo conſpirante Athanaſio, miſſum minimè ſuſcipit. Et hæreſim rurſus Arrius aperiebat, & Ægyptum perturbabat.

Conſtantia ſoror Conſtantini efficit, vt reuocetur ab exilio Arrius.

Arrij fallacia & periurium.

XI. Imperator verò accerſit Arrium, & rogat an perſeueret in ijs, quæ coram eſt confeſſus. Is autem rurſus promptè aſſeuerat, ſe in ijs perſeuerare, & verbis addidit iuſiurandum. Erant autem hæc omnia verè ſcenica, atq; adeò ijs, quæ in ſcena aguntur, magis ficta. Aiunt verò, quòd cùm abſconditè librum ſcripſiſſet Arrius, & eum ferret ſub axilla, impudenter, loquebatur impietatem, & ſic ſe iurabat ſentire, pietatis chartam in apertum proferens, ſicut etiam ſubſcripſerit. Cùm autem res Arrij ſic eſſent dubiæ ac ſuſpenſæ, Imperator breui poſt tempore mortalem vitam commutat immortali, cùm triginta & vnum annum regnâſſet, vitam autem tranſegiſſet ſexaginta & quinque annorum. Moriens verò, apud presbyterum hæreſis deponit teſtamentum, iubens vt id traderet filio Conſtantini, quem etiam teſtamento ſcripſit paternæ hæreditatis & Imperij ſucceſſorem & imperatorem. Presbyter autem, qui & in Deum, & in homines erat infidelis, dat clanculum teſtamentum Conſtantio, ſimul viſus proditor & patris, & teſtamenti, & filij hæreditatis. In proditione autem concurrerunt & Euſebius impius Præpoſitus, & quidam alij impietatis naturæq́ue Androgynæ ſodales. Cæterùm prodit quidem Conſtantio ea, quæ illius fidei credita fuerant: Eius autem in hominis infidelitatis à Conſtantio hanc petit mercedem, vt rectam ſuam prodat fidem. Familiarem verò & ſocium ſibi adſciſcit Euſebium Nicomedienſem. Ij verò machinantur, ne Alexandriæ audiatur Arrius, ſed Conſtantinopoli, exiſtimantes ſe facilè ſuperaturos Athanaſium, qui non aderat, ſimul etiam ſecum Imperatoris ferentes authoritatem.

Rurſus peierat Arrius

Moritur Conſtantinus.

Perfidia pſeudo presbyteri.

XII. Cvm autem cum Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo multa locuti eſſent de conuentione, quæ pietatis dogmata eradebat, poſtquàm non perſuaſerunt, proferunt ei mandatum Regium, vt aut cum eo, quod ſentit, Arrium ſuſcipiat, aut ſedi cedat: aut ſi neutrum elegerit, ſciat ſe mitti in exilium. Perſuaſerunt autem etiam Conſtantio verè mancipio, vt accerſito Alexandro eadem diceret & minaretur, vt ei, qui propter maleuolentiam, non autem pietatem, Arrio eſſet infenſus. Ille verò Chriſti virtute inculpataq́; vita & conſcientia fretus, reſpondit Imperatori: Verane ſint ea, quorum inſimulor, dies deinceps oſtendit. Ego autem eum, qui tantæ eſt conuictus impietatis, & condemnatus à tot Pontificibus, non poſſum in venerandorum ſacramentorum ſuſcipere communionem. Conſtantius verò: Vide, inquit, ô Epiſcope, (congregatur enim Concilium Epiſcoporum) ne eum inuitus ſuſcipias. Poſt quæ ſurgens exijt Pontifex, & cùm ad Dei acceſſiſſet eccleſiam, cum ſuſpirijs & lachrymis ad Deum clamauit, ne propter Arrij irreptionem permittat gregem ſuũ diſſipari. Totaq́; nocte ſub altari à Pontifice peracta fuerat precatio.

Vide Bar anno 336 & vitam S. Athanaſij 2. Maij c. 15.

Precib9 ſuis Alexander Epiſcopus interficit Arrium.

XIII. Evsebivs autem, vt qui impietatis eſſet amator vehemens, accedit ad Arrium cum caterua hæretica, & iubet procedere ad ſynodum, quæ ei, vel inuito Alexandro, redderet iniuſtè ablatam ſacerdotij dignitatem. Erat itaque in ciuitate tumultus & perturbatio propter ea, quæ mouebantur, alijs quidem Arrio fauentibus, alijs verò proditionem pietatis non ferentibus. Congregatus itaque erat cœtus in Eccleſia: & vna cum ijs, qui erant eiuſdem ſententiæ, procedens Arrius, cùm ex equo deſcendiſſet, quaſdam publicas ingreditur latrinas, quæ conſtructæ fuerant poſt forum Conſtantini: Et cùm egereret, cum ſtercoribus quidem inteſtina, cum inteſtinis autem animam quoque miſer ſimul abijcit. Cùm autem moraretur diutiùs, & quod factum fuerat, tegeret ignoratio, fama eſt properè inſiluiſſe Euſebium, & diuturnam quidem moram ei exprobraſſe, exprobraſſe verò etiam illius in eos contumeliam. Quod enim neq; loquatur, & tantopere moretur, id arguit, eos ab ipſo haberi loco ſeruorum. Is autem magis eo quòd mutus eſſet, quàm quòd diù moraretur, eos latuit pudore afficiens. Sed mutatus Euſebius, iubet eum bono & fidenti animo ſurgere: eum enim expectari ab vniuerſa ſynodo ad declarandam eius innocentiam. Is autem extremum ſilebat ſilentium, vixq́ue infelix animaduertit Euſebius, eum, cui ſtudebat, eſſe mortuum.

Euſebius Arrij fautor.

Horrenda Arrij mors.

XIV. Solvitvr ergò ſynodus, & qui Alexandrum condemnabant exilio, impijs abiectis calculis, videntes hæreſis ſuæ ducem deſcendiſſe ad inferos, magno luctu tenebantur. Cùm autẽ propter plagam diuinitùs illatã aliquantiſper erubuiſſent, rurſus in ſua coibant conciliabula, & Dei iram in Arrium oſtenſam, ad communem mortem referre contendebant. Atqui etiam ſi mors communis ei illata eo tempore, quandò eum ſtudebant inducere in Eccleſiam, mutata ſit in nouam mortem & illatam diuinitùs, Conſtantio tamen mancipio perſuaſerunt, quòd debitum naturæ

Moritur diuinus Alexander Epiſcopus.

reddiderit Arrius, non antè ira diuina pœnas luerit. Sed ille quidem miſer precibus Alexandri ſic vita exceſſit mirabiliter. Diuinus autem Alexander paulò pòſt ſanctè, & vt ſanctum decuit, pro terrenis cæleſtia ſortitus eſt tabernacula, cùm viginti quidem & tres annos in Epiſcopatu tranſegiſſet, vixiſſet autem nonaginta & octo annos, In Chriſto Ieſu Domino noſtro: Cui gloria & potentia in ſæcula ſæculorum, Amen.

An. 650. VITA S. AMELBERGAE VIDVAE, MATRIS S. GVDILÆ VIRGINIS, VT IN MSS. CODICIBVS HABEtur. *Stylum mutauit F. Laur. Surius.*

Ivlii 10.

BEATA Amelberga illuſtriſſimis orta natalibus, ſed quæ ipſos natales morum integritate ornaret, Sanctas oppidum ceu domina hæreditario iure obtinuit, donec monaſticæ religionis beatitudinem complexa eſt. Parentum verò orbata ſolatio, licet tenera adhuc eſſet ætate, familiam hæreditaria ſucceſſione ad ipſam deuolutam, peruigili cura & multa comitate gubernauit: non quòd ſeruorum aut ancillarum numeroſa turba, quam mortales in præcipuis bonis numerant, delectaretur, ſed quòd iniquum cenſeret, ſi paternas opes auarè ſibi vni vendicans, quenquam illorum fame & inedia confici pateretur. Non erat illa dedita iocis puellaribus, non amatorijs capiebatur cantilenis, non quæuis ludicra aut friuola vel videre vel audire cupiebat: ſed cum Maria ad pedes Domini reſidens, quid actura eſſet, habitu & actu præ ſe ferebat. Interim totius boni hoſtis diabolus, puellæ admirans continentiam, eius parentes ſolicitat, vt nuptui eam collocent. Indicatur igitur renitenti maritus, & tandem à Pipino, S. Gertrudis virginis parente, Vuitgero homini præpotenti coniunx traditur, generis nobilitate pari, nec diſpari meritis. I.

Multam familiam, adhuc adoleſcentula, ſtrenuè gubernat.

Luc. 10.

Nubit Vuitgero.

* Idem vocatur etiam Emebertus

Angelus ei apparet.

Ex ea verò natus eſt beatus * Aldebertus Cameracenſis eccleſiæ præſul ſanctiſſimus, cuius geſta plena miraculis & virtutibus, vſq; in præſens in eadem florent eccleſia: itemq; quatuor Deo dicatæ ſorores, Reinildis, Pharaildis, Ermelendis & Gudila: quarum poſtremam, nempe Gudilam, cum vtero geſtaret, & ante paucos puerperij dies inſtar parturientium angeretur, angelica conſolatione recreata eſt, dicente angelo ad eam: Ne timeas Amelberga. Lachrymæ & preces atque eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad Dominum. Paries filiam Deo dilectam, ſummæ continentiæ & caſtitatis integritate conſpicuam, quæ omnibus vitæ ſuæ diebus Deo gratum exhibebit famulatum. Poſt eam verò nullam deinceps concepturа es prolem: ſed in caſtitate perſeuerans cum marito tuo, mutatis veſtibus & monaſtico ſumpto habitu, ambo vosmetipſos gratas Domino hoſtias immolabitis, & in ſancta conuerſatione vſque in finem perdurabitis. Filiam autem Gudilam, vbi ea nata fuerit, Gertrudi offeres è ſalutari lauacro ſuſcipiendam, & in Chriſto, lacte verbi Dei, vt Apoſtolus monet, enutriendam. Tum illa: Gratias, inquit, tibi ago Domine Ieſu Chriſte, qui pro mea conſolatione angelum tuum ſanctum è cælis mittere dignatus es. Cùm autem filiæ eius ab infantia vitam caſtiſſimam ducere conſtituiſſent, licet multi regni proceres propter nobilitatem & opes, illas ſibi matrimonio iungi perciperent, maluere virginitatis tenere propoſitum, & ſponſo immortali Chriſto Ieſu adhærere potiùs, quàm mortalium hominum coniugijs copulari. II.

1 Cor 3.

Filiæ eius virgines permanent.

Vuitgerus princeps fit monachus, & Amelberga monialis

Inedia eius & preces.

Placvit verò etiam parentibus illarum, mundo valefacere, quo liberiùs poſſent vni Domino Ieſu Chriſto militare. Et Vuitgerus quidem princeps ſapientiſſimus, vt erat ab angelo prædictum, monaſticæ vitę inſtitutum complexus eſt: porrò Amelberga ſacrum velamen accepit ab S. Autberto Cameracenſi Epiſcopo, & ſe totam Domino conſecrauit: & ſicut ab ineunte ætate moribus bonis compoſita fuit, ita iam porro in opera pietatis & ſanctitatis ſtudia attentius incumbere decreuit. Moxque totis viribus ita ſe comparare connitens, dictu incredibile eſt, quanta ſe abſtinentia affecerit, quàm inedia & precibus corpuſculum ſuum macerârit. Sed cùm in dies magis ac magis carnem domaret, & roboraret ſpiritum, Dominus tantis laboribus finem imponere voluit. Itaque acerrima correpta febre, id quod optabat, conſecuta eſt, nempe vt poſſet cum Domino inſeparabiliter coniungi. III.

Pſal 25.

Amelberga deced.t.

Lobienſe monaſterium.

Sentiens autem prudentiſſima fœminarum, diem vocationis ſuæ adeſſe, quaſi quæ humana deſpiceret, & ad ſuos iam inuitaretur, vſque ad ſupremum ſpiritum hoſce verſiculos ſuſurrabat: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et cùm reddidiſſet ſpiritum, ſancta illa anima ab angelicis ſpiritibus in cælum deportata eſt. Tota ad eius funus Malbodienſis turba accurrit: omnis inopum cœtus matrem & nutriculam ſe perdidiſſe lamentabatur. Tanta verò dignitas eius ora compleuerat, vt nemini poſſet eſſe ambiguum, illam ærumnas beatitudine, labores requie commutaſſe. Sed quia id temporis Malbodij nulla ſpectabilis perſona humata erat, ne ipſa quidem beata Aldegundis, quæ locum illum à fundamentis extruxerat, maiores natu eccleſiæ, quid faciendum eſſet, inter ſe conſultabant: & quonam loco ſanctiſſimum corpus terra condendum, tractabant, nihil interim certi ſtatuentes. Tandem ab illis conſultiſſimum viſum eſt, vt in Lobienſi monaſterio tumularetur: in quam ſententiam omnes pedibus ierunt. Per id verò tempus in Lobienſi monaſterio non minima erat fratrum congregatio, Deo ad præſcriptum regulæ S. Benedicti militantium, florebatque illic cultus diuinus & religio ſanctitatis, & permulta beatorum Chriſti confeſſorum ibi quieſcentium corpora, magnam illi reuerentiam conciliabant. Itaque beatiſſimum S. Amelbergæ corpus cum ea, qua par erat, veneratione elatum eſt, ſanctimonialibus cum hymnis & canticis illud proſequentibus, atque in Lobienſe monaſterium importatum. Vbi tum ab Abbate & fratribus cum multa deuotione exceptum eſt, & in eccleſia ſanctiſſimæ genetricis Dei & beatorum Chriſti confeſſorum Vrſmari & Ermini, cum cæteris plurimorum ſanctorum pignoribus, ſepulturæ mandatum. Quanti autem apud omnipotentem Deum meriti ſit, teſtantur abundè ad eius monumentum diuinitus in multorum malè valentium curationibus edita miracula. Obdormiuit in Domino Chriſti famula Amelberga ſexto Idus Iulij: regnante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto vna cum patre & ſpiritu ſancto per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. IV.

Multa ad eius monumentum miracula.

An. 280. CONSTANTINI EPISCOPI TII ORATIO DE INVENTIONE RELIQVIARVM EVPHEMIÆ. HABETVR IN SIMEONE *Metaphraſte.*

Ivlii 11. Sic enim collocatur a Metaphraste.

VENIO afferens quod iuſſiſti, ô ſanctiſſime pater & amator omnis boni deſiderij, & rudis mei ingenij eruditor, fretus veſtris ſanctis precibus. Non enim ſum idoneus ad hoc aggrediendum, vt qui ſim rudis & ignarus, plenuſque ruſticitate. Sed ſemper timens periculoſam pœnam inobedientiæ, & damnoſum ducens paternis non obedire præceptis, optimis veſtris fretus precibus, quæ ex viris pijs audiui, & quæ ſum proprijs contemplatus oculis, ea ſcribens, aggredior ad ſcribendum, quomodò in exteros fines exportatæ fuerint reliquiæ inprimis benedictæ martyris Euphemiæ, exciderintque, & rurſus fuerint inuentæ & reportatæ: vt cognoſcat generatio altera Dei magnalia, quæ non ceſſat ipſe, ab alto petita origine, in hodie- I.

Digitized by Google

diernum vſque diem diſpenſare, ad laudem & gloriam eorum, qui ipſum timent, dedecuſq; & ignominiam eorum, qui audent latrare contra gloriam ſuorum ſanctorum.

II. Accidit annis præteritis, vt Dei permiſſione regnaret impurus & profanus Leo ex gente infauſtorum Iſaurorum. Qui cùm non ſancte, nec pie Regnum arripuiſſet, cœpit latrare aduerſus Dei Eccleſiam, & prætextu pietatis; dum idola vocat & eis aſſimilat, venerabiles frangere imagines, dicens ſui ſimilibus & execrandis hominibus, & eos docens ea eſſe, de quibus dicit Propheta: Os [a] habent, & non loquentur. Quamobrem ſanctiſſimum quoq; patrem noſtrum Germanum Patriarcham, vita & ſermone reſplendentem, impudentia & flagris vſus, è ſede eiecit: & non ſolùm in venerandis imaginibus ſuam nõ compeſcuit blaſphemiam, ſed etiam [b] eorum, qui propter Chriſtum ſubiêre martyrium, reliquias eſt aſpernatus, oſſilatras eos appellans, qui nocturnis vacarent vigiliis. O audaciam, ô impietatem, ô contumeliam. Quis non admirabitur, quis non ſtupebit eam, quæ tunc fuit, Dei patientiam?

Hæc ſub Conſtantino Copronymo filio Leonis accidiſſe aſſerit Theophanes, Vide Baron. anno 776.
[a] Pſal. 113.
[b] Sacras reliquias inſectatur.

III. Sed ad propoſitum redeat oratio, & dicat de clara & benedicta Chriſti martyre Euphemia. In eius ergo templo, quod eſt prope id, quod dicitur Hippodromium, erant eius ſanctiſſimæ reliquiæ integræ, intactæ, & illæſæ. E Chalcedone enim cum arca tranſlatæ fuerant Conſtantinopolim propter eam, quæ tunc fuerat, Perſarum incurſionem. In arca autem diuina fuerat ara collocata, quæ ſubter ſanctiſſimas habebat reliquias. Super eam autem peragebatur intemerati corporis & ſanguinis Domini, Chriſti Dei noſtri incruentum myſterium. In eadem verò arca erat paruum foramen, quod etiam ſtat nuncuſque in hodiernum diem, quod intùs ferre poteſt quaſi manus hominis magnitudinem. In qua cum ego quoque indignus aliquando auſus eſſem manum inferre, & loculum tetigiſſem, ſenſi bonum odorem, & gratiam apprehendi. Dicam autem cauſam quoque foraminis, quod diuino conſilio & prouidentia factum eſt. Quandò eius venerabiles & miraculorum effectrices reliquiæ erant Chalcedone, cùm impij Perſæ eum locum occupaſſent, in diebus Heraclij Imperatoris, moti inuidia diaboli, quem colebant, cùm paleæ & lignorum magnum aceruum circa arcam congeſſiſſent, eam ſtatuerunt comburere cum venerabilibus, quæ erant in ipſa, reliquijs. Sed nihil valuit eorum barbaricum & dæmoniacum inceptum, cùm Deus, prout ſcriptum eſt, ſeruet omnia oſſa eorum, qui propter ipſum decertarunt. Oſſa ergo eius ignis omninò non tetigit, niſi ſolùm, quòd cùm ex arca forma globi reſilijſſet, prouidit, vt facilior daretur ingreſſus ad reliquias ijs, qui ex ipſo volunt haurire gratiam curationum, nempe * priùs dictum foramen.

Pſal. 33.
Perſæ fruſtrà nituntur comburere oſſa S. Euphemiæ.
* nempe per prius

IV. Erat ergò magna fides eorum, qui habitabant Conſtantinopoli, vt ſuperius diximus, in templo & reliquijs omni ex parte benedictæ martyris Euphemiæ, & cõfluebant omnes inſtar fluuij haurientes curationes. Ex [c] precioſis enim eius reliquiis exibat ſanguis plenus bono odore, qui quidem tanquàm vnguentum à Deo ſuppeditatum, dabatur ægrotantibus. Et erat quidem fidelibus miraculum terribile & venerandum: infidelibus autem & ijs, qui aliter ſentiebant, dedecus & ignominia. Tunc aũt ille execrandus & pernicioſus Imperator, temeraria vſus audacia, noctu ingreſſus cum quibuſdam, qui erant ſuæ ſectæ, impetum fecit in reliquias omni ex parte benedictæ martyris Euphemiæ: & [d] cùm arcam aperuiſſet, abſtulit reliquias benedictæ martyris cum loculo, qui eas continebat. Cùm parata aũt haberet alia oſſa mortui exiccata, ea iecit intrà arcam: & cùm eam rurſus texiſſet, receſſit. Venerandas autem benedictæ Euphemiæ reliquias cum ligneo loculo, depoſuit in quadam domo oratoria ex ijs, quæ illic erant in Regia. Quamobrem [e] eius ſorores & filiæ aromatibus, vnguentis, & luminibus id adorabant clanculum, propter inſignem gratiam & miraculorum magnitudinem.

[c] Nota rem [illegible]um.
[d] Impium facinus Imperatoris.
[e] Mos antiquus colẽdi ſacras reliquias

V. Hæc cum reſciuiſſet ſceleratus, traiecit in Bucoleontem & ferreum carcerem, & proiecit in † fluentum maris: & die ſequenti cœpit aduerſus benedictam Euphemiam mouere ſuam ſceleratam & execrandam linguam, eam inſectans, & dicens: Abite & videte, quantum errabant, qui dicebant eſſe ſaluas & integras benedictæ Euphemiæ reliquias, & eas aſſerebant effundere vnguenta. Illi autem cum abiiſſent & vidiſſent, non eſſe in carne precioſas Euphemiæ reliquias, ſed arida, quæ ab ipſo proiecta fuerant, oſſa, ea conſpuerunt, & maledictis ſunt inſectati. Cùm fraudem autem & ludibrium & meras nugas dixiſſet eſſe curationes, arcam euerterunt, & cum ea aram ſanctam templumq; * deſerunt. Eduxerunt verò arcam extra ſuggeſtum, quod erat habitaculum virorum, qui non erant baptizati, & erant ineruditi. Eos enim, qui erant bello capti ex gentibus, & Regiæ dabantur ſpolia, illic exonerabant. Alij autem armorum opifices, & ſordidarum ac illiberalium artium artifices cum fixiſſent in eo fornaces, fecerunt domum ſæcularem, quæ aliquando fuerat templum. In ſancto autem ſuggeſto, vtpotè loco occulto, requiſita corpori facientes, excrementa corporis deponebant. O mi Chriſte, tuam tunc patientiam!

† fluctum.
* deſtruunt. Templum S. Euphemiæ prophanatur.

VI. Hæc ego quoque poſtquàm vidi, totus plenus lachrymis & eiulatibus, egreſſus ſum, admirans omnipotentis Dei tolerantiam atque permiſſionem. Et hæc quidem facta ſunt tempore prædicti impij Imperatoris. Sed quoniam Dominus eſt virtutum, qui inuictam habet potentiam, & vires, quæ ſubſannari nequeunt, (Deus enim reuera non irridetur) audiamus quid Chriſtus Deus noſter prouidit in reliquiis benedictæ Euphemiæ. Nam dum eæ iactæ ſunt in mare, prouidentia Dei ſummè miſericordis, cymba quorundam duorum fratrum virorum, piorum, egreditur è portu Sophianum, quæ dicuntur: & dum ipſi parum quid è portu nauigant, ecce loculus, qui cum fluento deſcendebat, fuit prope nauem. Extractus itaque fuit à viris illis piis, & repoſitus in nauigio, ipſis exiſtimantibus ſe mundanum aliquem ferre theſaurum. Sublatis autem velis nauigarunt, vt exirent in oſtio Abydi. Cùm autem parum aperuiſſent loculum, vident reliquias, & ſuaui odore repleti, ſunt admirati, neque ſciebant quid agerent, niſi quod ſolummodò inuocabant Dominum, vt eis reuelaretur, ſanctæne eſſet, an commune. Illa autem nocte vident gloriam maximam, & lumina, & cereos, & viros candidis veſtibus indutos, & Chriſtum laudantes. Rurſuſque bono odore repleti nautæ, agnouerunt eas eſſe ſanctas reliquias. Magno ergo gaudio affecti, clàm profecti ſunt propter metum Tyranni, vt theſaurum ferrent in ſuam patriam. Poſtquàm autem veniſſent ad Inſulam, quæ dicitur Lemnos, accidit eis magna tempeſtas. Et cùm incidiſſent in Promontorium inſulæ, in quo fuit aſper locus, & planè aptus ad naufragium, de ſalute deſperabant. Cùm Deus autem per interceſſionem benedictæ Euphemiæ corripuiſſet nauem vnà cum fluctibus, ſuperato periculo, inuenti ſunt in loco tranquillo: & cùm Deo gloriam emiſiſſent, conuenientem honorem tribuêre reliquijs. Angebantur autem & dubitabant, cuiuſnam eſſent ſancti reliquiæ. Illa verò nocte acceperunt reuelationem reliquiarum, per eius nominis enunciationem. In illa enim Inſula ſanctæ Glyceriæ iacebant reliquiæ. Dicta autem nocte viſa eſt egredi ex inſula martyr Chriſti Glyceria, & hæc è naue exiiſſe, & ſe inuicem eſſe complexæ. Et cùm dixiſſet quæ ex inſula erat egreſſa, ei, quæ è naue exierat: Salue martyr Chriſti Euphemia benedicta, & ſe inuicem ſalutaſſent, rurſus per ſe recedebant.

Galat. 6.
E mari extrahitur loculus S. Euphemiæ.
S. Euphemiæ meritis euaduut periculum naufragij.
Viſio nautarum.

VII. Tunc è ſomno excitati, cum lachrymis & gemitibus precioſas acceperunt reliquias, & loculum ſunt complexi, præclari naucleri, Sergius & Sergonas: hæc enim erant eorum nomina. Cùm fuiſſet autem dies, enauigarunt volentes ire in ſuam patriam. Et cum proceſſiſſent vſque ad viginti circiter milliaria, vento ſpirante contrario, vel inuiti reuerſi ſunt in locum, vnde ſoluerant. Rurſus verò cum paucis pòſt diebus experiri voluiſſent, vterentúrne ſecunda nauigatione, iterum reuerſi ſunt. Hoc cùm ſemel bis & ter probaſſent, nec vllo modo poſſent in ſuam ire patriam, reuerſis & in portum appulſis illa nocte viſa eſt illis Chriſti martyr Euphemia, dicens: Cur contenditis me huc

S. Euphemia nautis apparet.

huc & illuc circumagere? Nolo vlteriùs progredi, neque hinc eo proficiſci, quo me vultis ducere. Hæc cùm dixiſſet, rurſus dixit eis: Non ſatis fuit, quòd Calcedone tranſlata ſim Byzantium, & in mare proiecta fuerim, & hîc ſteterim? Cur etiam me vultis circumagere in partes inferiores? Hoc à me quidem ferri non poteſt. Nolite hoc facere: ſed facite, vt hîc quieſcam. Hæc cùm audiſſent, bonum capientes conſilium, & quæ iubebat martyr, impigrè exequi ſtatuentes, ædificauerunt domum oratoriam: & cùm omne onus nauigij conſumpſiſſent, & ſuas facultates Deo & martyri obtuliſſent, ſeipſos totonderunt, dicentes: Non dimittemus, ô benedicta martyr, tuas venerandas reliquias: ſed hîc vſque ad vitæ terminum precioſis tuis reliquijs diuiniſſimè aſſidebimus.

S. Euphemia apparet epiſcopo Lemni.

HIS ſic geſtis, ſanctiſſimus Lemni Epiſcopus venerabile templum ædificarat in illis temporibus. Viſum eſt VIII.
ergò, vt illuc portarentur ſacræ benedictæ Euphemiæ reliquiæ ad dedicationem templi, quod ab eo conſtructum fuerat. Et cùm ſupplex fudiſſet preces, & veniſſet ad reliquias benedictæ Euphemiæ, & illic totam noctem tranſegiſſet, ab eo viſa eſt in ſomnis martyr Chriſti, dicens: Ne aggrediaris facere, quod ſtatuiſti: non obediam enim hac in re tuæ ſanctitati: ſed abi ad ſororem meam & in martyrio ſociam Glyceriam, & ego illam rogabo. Ipſa autem ſe tibi tradet ad hoc, vt impleas quod deſideras. Experrectus autem ſanctiſſimus Epiſcopus, fecit vt ei iuſſerat benedicta Chriſti martyr. Et hæc quidem facta ſunt illis temporibus.

Attende inuidiam diaboli.

ÆQVVM eſt autem, non præterire diaboli inuidiam, & quanam de cauſa hanc in benedictam Euphemiam IX.
excitauit tempeſtatem. Quandò Chriſti gratia, quarta, quæ fuit Chalcedone, ſynodus tempore beatæ memoriæ Marciani, qui piè & ſanctè imperauit, fuit congregata, cùm aduerſus Dioſcorum Papam Alexandrinum conueniſſet, & eum anathematizaſſet, rectæque & orthodoxæ fidei Symbolum confirmaſſet, & decretum expoſuiſſet columnam rectæ fidei, dubitantibus ijs, qui erant ex parte contraria, bono capto conſilio, dixerunt: Agè benedictæ Euphemiæ Martyris arcam aperientes, in eius, quæ ſunt in carne, & ſunt mirabilium operum effectrices, reliquijs librum imponamus, vt per eam nunc quoq; virtutum Dominus faciat miraculum, & per eius preces nobis aperiat, an ex eius voluntate editum ſit hoc decretum. Cùm hæc ergò feciſſent, ſimulatq; appropinquauit charta precioſis eius reliquijs, aliquid admirabile & magnum fecit Dominus opifex miraculorum. Nam cùm martyris mortuam & inanimam manum animaſſet, eam extendit. Cùm autem chartam manu accepiſſet benedicta Chriſti martyr, & eam eſſet amplexa, piæ rurſus reddidit fidei decretum miniſtris rectæ fidei. Hoc cùm omnes eſſent admirati, & ſtupore eſſent repleti, laudarunt Deum omnipotentem: & ſic in perfectione orthodoxæ fidei ſtabiliti, confirmarunt ſanctam & œcumenicam quartam ſynodum, per reuelationem, quæ facta eſt à benedicta Euphemia. Et ideò quæ inter ſanctas imagines cernitur, Chriſti martyr Euphemia, vbiq; ponitur habens chartam in manu. Propter hæc & ſimilia benedictæ Euphemiæ miracula, malorum author & inuidus commotus diabolus, meditatus tunc fuit inania aduerſus Chryſti martyrem, & machinatus eſt, vt ea mitteretur in profundum, vt priùs dictum eſt. Sed Dei prouidentia, ex profundo fluenti, ſanctiſſimi naucleri eius acceperunt reliquias.

Nota inſigne miraculum in confirmatione concilij.

Vſus antiquus imaginum.

Conſtantinus Copronymus, ſceleſtiſſimus Imperator. Vide quem ducem ſequātur hodie noſtrates hęretici.

POST hæc autem è viuis exceſſerunt miniſtri Sergius & Sergonas, & propemodùm illa generatio, quandò Tyrannus Imperator, vita abrupta, reliquit Conſtantinum filium ſuum, virum ſceleratiſſimum & omni petulantia ac nequitia refertum, paternaque plenum contentione. Qui non ſolùm in ſanctas imagines ſuam extendit improbitatem, ſed etiam multa alia adinuenit in Deum & Dei eccleſias, pioſq; monachos & omnes, qui piè & ſanctè vitam inſtituebant: ſimul incendens & prophanans ſacras ædes, & ſanctorum reliquias exurens & diſſipans, & quæ ad Dei & ſanctorum gloriam fiunt, vigilias exſcindens: & quæ Dei prouidentia ſcaturiunt hominibus, aſpernans & nihil faciens ſanctificationes: & idololatras vocans eos, qui illis vtuntur, & ſanctorum abdicans interceſſiones, ſanctiſſimæque Deiparæ & ſemper virginis Mariæ auxilium & interceſſionem publicè amandans & expellens, Cruceſque, quæ in triuijs fidei conuenienter figebantur, deijciens, Trinitatis adorationem, quam à patribus accepimus in precatione, hinc & hinc mutare parans: eos autem, qui in clero erant forma præſtanti, eunuchos eligens, & ad ſuum ordinans ſeruitium: monachos alios quidem flagris, alijs verò blanditijs decipiens, & vt totum abnegarent, efficiens, ſæculares dignitates tribuendo: veſtes autem & vaſa diuina, quæ diuinas inſculptas habebant imagines, confringens & comburens, & alia per ſe peragens piacula & myſteria petulantiæ. De medio autem hunc quoque ſuſtulit Dominus virtutum fine miſerabili. Poſt huius verò mortem imperauit Leo huius filius. Is hæreſis quidem paternæ erat particeps, ſed expers actionis. Non erat enim crudelis, vt eius parentes. Nullus tamen in diebus eius dignatus eſt libere Dominum glorificare: ſed metus & ſtupor omnes inuaſerat orthodoxos, eis imminente impio cœtu eorum, qui nuper fuere ex ſchola patris. Quam cum ille execrandus plantaſſet Conſtantinus plantationem ferentem botrum amaritiei, improbè educauit, & educatam inſanè in pios armauit: qui quidem multos monachos miſerabilibus ſupplicijs & morte affecere. Sèd non in finem iratus eſt Dominus, neque faciem omnino auertit, ſed miſerans miſeratus eſt humani generis.

Perit miſere impius Conſtantinus.

Irene & Cōſtantinus reſtituunt religionem.

CVM autem huius quoque ramum morte affeciſſet, Leonem, inquam, qui genus ducebat è Scythia: excitauit eius vxorem Irenen, & eius filium Conſtantinum, qui conuenienter nomini, mundo pacem procurabant. XI.
Quæ enim ab execrando eius ſocero facta erant & prophanata, reſtituebat & ornabat Irene: quos illi expulerant & in exilium miſerant, reuocans, & materne omnes amplectens & fouens: & cùm illos immanes parricidas & piorum prædones ſcholares diuina exterminaſſet prouidentia, & alios pro eis viros pios in numerum retuliſſet, & in ordinibus eorum loca impleſſet, & de diuinis rectè ſentire docuiſſet, & vt omnes orthodoxi aperta facie liberè gloriam Domini & rectam fidem enarrent, effeciſſet, profundam pacem per ipſam Deus donauit Eccleſijs. Sed ad benedictæ Euphemiæ ſcopum redeat oratio. Vbi ergo pia Imperatrix diuino zelo incitata, cœpit omnia reædificare, fractum templum benedictæ Euphemiæ ante alia omnia contendit rurſus ædificare & ornare. Quod etiam fecit, & cum id omni pietate exornaſſet, effecit, vt in id referretur, quod in eo olim Deo ſolebat fieri, incruentum ſacrificium: & Chalcedone ſtatuit epiſcopum. Erat enim ad hoc vſque tempus vidua, propter iniuriam ei illatam ab impijs Imperatoribus, qui beatæ Euphemiæ memoriam & ciuitatem delere ſtatuerant. Atq; diuino quidem zelo mota pia illa Imperatrix, de reliquijs beatæ Euphemiæ ſatagebat & erat ſolicita: & cùm omnes ad quærendam hanc rem ſanctam adhortaretur, ei, qui facit voluntatem eorum, qui ipſum timent, & implet conſilia eorum, qui ipſum inuocant, placuit, benedictæ Euphemię aperiri reliquias eo modo, qui eſt à nobis declarandus. Quas quidem, vt iam diximus, pij viri illi depoſuerant in Lemno inſula.

S. Euphemiæ templum inſtauratur.

ANNIS præteritis fuerant in eo loco occultæ & tectæ ſilentio, omnibus Inſulæ incolis maximam in eis fidem XII.
habentibus, & hoc arcanum conſeruantibus, partim quidem propter Tyrannorum inſolentiam, partim autem ne agnoſcerentur, & ab eis auferrentur huius, quæ multa & præclara ſubijt certamina, reliquiæ. Cùm autem inſignis & benedictæ martyris Euphemiæ miracula in omnem partem peruaderent, magnaque aduenarum multitudo ad reliquias conueniret, repentè quidam ex proceribus, nempe ex Apocriſarijs, ijs, inquam, qui dant reſponſa, mittitur ab Imperatore ad Occidentem: venitq; Lemnum, & contemplatur populi multitudinem, & ea quæ fiebant miracula. Cùm verò veluti quædam hoſtilis inuidia illum ſceleſtum inuaſiſſet, rogauit quænam hæc eſſet populi congregatio, & quænam ea, quæ fiebant. Cùm autem rectè didiciſſet, cœpit vociferari, & * terrere eos, qui illic conueniebant, popu-

* tenere

Impius qui-

populos, ſic dicens: Oſſa rurſus habentur in honore? Sic docent Imperatores? Et multum minatus, diruit domunculam, in qua iacebat loculus benedictæ Euphemiæ. Cumque hæc feciſſet, fremens recedit. Illinc factum eſt, vt damnum martyr acciperet, & eius corpus vilipenderetur. Sed quoniam vbi vult Deus, vincitur ordo naturæ, & perit omnis humana ratio & inuentio, hoc accidit. Contigit enim, vt per ſucceſſionem ad quendam virum bonum peruenirer benedictæ Euphemiæ habitaculum & oratorium: in quo oratorio repoſitæ erant venerandæ huius martyris reliquiæ.

dam diruit ædiculam S. Euphemiæ.

XIII. ERAT autem eis marmor impoſitum, quod illi pij naucleri impoſuerant, ab eis inſcriptum tali inſcriptione: Nos Sergius & Sergonas nauigantes per Helleſpontum, cum ex profundo ſuſtuliſſemus reliquias benedictæ & ſanctæ martyris Chriſti Euphemiæ, eius iuſſu eas hîc depoſuimus. Cùm ergò per ſucceſſionem huius loci hæres fuiſſet Anaſtaſius Comes clariſſimus, accidit vt quorundam æmulatione falſis appeteretur maledictis, & à ſua dignitate excideret. Is verò nihil cunctatus, venit Conſtantinopolim, volens in ſuum reſtitui Comitatum. Cùm autem (vt ſolet vnuſquiſque) quæreret aliquem inuenire, qui eum ſua interceſſione defenderet apud * Imperatricem, quidam ei dixerunt, Chalcedonenſem Metropolitanum ad id fore idoneum, vt qui poſſit libere & fidenter loqui, & maiora ſuſtineat & defendat negocia. Cùm ergò de eo interrogaſſet, inuenit illum in palatio: & cùm ad eius pedes procidiſſet, renunciauit ei propter quam cauſam adſit, rogans vt ſit eius interceſſor & adiutor. Contrà autem dicebat Metropolitanus, ſe id non poſſe facere. Poſtquàm ergò eum dimiſit, ingreſſus eſt in partem ædis Epiſcopatus, in qua eſt etiam templum benedictæ Euphemiæ, Pone autem eum eſt ſecutus vir diuina motus prouidentia. Templum verò Comes ingreſſus, cùm Deo diuinam emiſiſſet adorationem, ſedit in quodam loco.

Reſeruātur S. reliquiæ ab Anaſtaſio comite.

** Imperatorem.*

XIV. AD eum autem accedens ſupradictus vir, qui erat vnus ex clericis templi, & cui ſua vice creditum erat officium, rogauit, cuias, & quiſnam eſſet. Ille autem ei ilico expoſuit, cuiaſnam eſſet, & quæ ei moleſta acciderant. Rogauit autem Comes clericum, cuiuſnam eſſet hoc templum. Is verò dicit, Benedictæ Euphemiæ. Ille autem reſpondens, & ſynceriſſimè manum pectori admouens, inquit: O meam omni ex parte benedictam Euphemiam! Et verò rurſus dicit clericus: Quemadmodùm dixiſti tuam eſſe benedictam Euphemiam? Ille autem reſpondens, dicit: Domi meæ, & in oratorio meo eius venerandas teneo reliquias. Et is rurſus: Quomodo, inquit, fieri poterit? Vide, ô homo, ne fortè loquaris contra teipſum, nec eas poſſis oſtendere. Nam & Auguſta & Imperator eas curant diligenter quærendas. Quare Metropolitano quoque ea de cauſa iuſſere facere ſupplicationes. Ille autem rurſus: Pro certo habeat tua reuerentia, quòd reliquiæ benedictæ Euphemiæ, quæ erant Chalcedone, ſunt apud me. Sic confirmatus clericus, hæc lætus & exultans renunciat Andreæ ſanctiſſimo Metropolitano, gratulans & Dei prædicans magnalia. Qui cùm ſtatim acceriſſet Comitem, & ab eo fuiſſet factus certior, dedit gloriam Deo omnipotenti. Surgens autem, profectus eſt ad Taraſium ſanctiſſimum Patriarcham, & ei narrauit omnem rei ſeriem. Tunc profectus ſanctiſſimus Patriarcha ad Imperatricem, & eius filium Conſtantinum, qui erat orthodoxus & amicus martyrum, expoſuit omnia, quæ facta fuerant. Qui rem admirati, quæ erat præter opinionem, laudibus hymniſq; Deo emiſſis, magno ſunt affecti gaudio: & ſcapha quam primùm expedita, miſerunt Comitem ſuæ dignitati reſtitutum, donatùmque muneribus: & inſignes quoſdam clericos ex templo benedictæ Euphemiæ.

Taraſius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus.

XV. CVM ipſi autem in Lemnum deſcendiſſent, congregati ſunt, qui illic circumcirca habitabant, In ira & indignatione, nolentes dimittere ijs, qui miſſi erant ab Imperatore, reliquias benedictæ Euphemiæ. Qua de re cùm non leuis exorta eſſet perturbatio, videns Lemni ſanctiſſimus epiſcopus populi motum ad malum progredi, ſurrexit & ingreſſus eſt in medium eorum, vociferans & dicens: Cedite, ô homines: eorum enim, quæ fiunt, nihil fit ſine Dei nutu. Sic omninò Deo viſum eſt. Vitemus itaq; Regis indignationem: Ira enim regis, eſt tanquàm ira leonis. Hæc cùm dixiſſet, & plura alia, vir ſedauit multitudinem, ne ijs, qui venerant, aliquid mali facerent, & dicto Comiti. In eum enim conciratus erat populi animus clamantis: Per ipſum proditus fuit noſter theſaurus. Tunc ergo * ceſſarunt, & traducti ſunt ad pacem, & Deo dederunt gloriam, & laudem martyri, concedentes volentibus benedictæ Euphemiæ venerandas reliquias. Quas cùm accepiſſent, qui ad eas miſſi fuerant, tulerunt Conſtantinopolim, tota ciuitate, & Imperatrice, & ſanctiſſimo Patriarcha Taraſio egreſſis obuiam.

En quanti olim fiebāt ſacræ reliquiæ

Prou 19.

** ceſſerunt.*

Reliquiæ S. Euphemiæ reuehuntur Conſtantinopolim Anno 796.

XVI. CVM eis ergò obuiam proceſſiſſent, & complexi eſſent cum ea, cum qua par eſt, glorificatione, depoſuerunt in eius templo, & in ea arca, in qua priùs martyr fuerat, & vnde execrandus & prophanus Imperator eam ablatam immiſit in profundum, Ij autem, qui eas intulerunt Byzantium, & proceres, & qui primas obtinebant apud Artabaſtinem & filias Imperatoris, & alij plurimi diripuêre reliquias. Quomodò etiam manum ſanctam, quæ librum accepit, * à Niceta Patritio cognomine Monomacho, qui in Sicilia Inſula martyri templum extruxit, dicunt illic fuiſſe repoſitam. Hinc itaq; factum eſt, vt pauca quædam oſſa capitis quæ remanſerant, in ea, quæ olim fuerat arca, clauderentur cum alijs reliquijs, quas etiam in hodiernum vſq; diem ſcimus ſeruari in arcula. Arbitror autem in dicta quoque Inſula Lemno relictas eſſe quaſdam partes corporis. O prouidentiam minimè inueſtigabilem. O quæ comprehendi non poteſt, potentiam altiſſimi Dei, qui facit omnia. Facit enim omnia, quæ vult. Audite ergò Reges, & intelligite. Auribus percipite principes, & intelligite. Diſcite qui poſſidetis terram, & obſtupeſcite. Videte Dei magnalia, & laudate eius, quæ comprehendi non poteſt, potentiam. Quis vnquàm ſperaſſet, aut expectaſſet inueniri poſſe reliquias benedictæ Euphemiæ, de qua ne ſola quidem fuerat tot annis collocutio, donec viſum eſt Domino virtutum, repentè, & inopinatò ſuæ, quæ comprehendi non poteſt, potentiæ facere miraculum? Nos autem eum indignis labris martyri parùm gratulati fuerimus, faciemus finem orationis.

Nota hæc Lector.

** ſublatā ab*

Pſal. 148.

XVII. GAVDE omni ex parte benedicta Euphemia, refugium Chriſtianorum. Gaude benedicta Euphemia, ſacrum ſacerdotum ornamentum. Gaude omni ex parte clara & inſignis Euphemia, refugium infirmorum. Gaude benedicta Euphemia, refugium oppreſſorum. Gaude beatiſſima Euphemia, Regum propugnaculum. Gaude beatiſſima Euphemia, decretorum tutela ſynodalium. Gaude benedicta Euphemia, mundo profundens vnguenta curationum. Gaude veneranda Euphemia, oris hæreticorum frenum validiſſimum. Gaude digna omni honore Euphemia, Barbarorum aduerſaria. Gaude omnium noſtrum refugium & munitio, quæ es apud Deum noſtri perpetua interceſſio. Memento autem ô Dei martyr, mei quoque humilis & infelicis, & ſuſcipe hoc vile & nullius notæ ſcriptum funebre meæ temeritatis, petens pro omnibus, qui eum deſiderio tuam venerabilem & miraculorum effectricem ſemper peragunt memoriam, Regibus & Paſtoribus, ſacerdotibus & monachis, principibus & ſubiectis, vt aſſequantur, vt ſedeant à dextris Dei, & bonis fruantur æternis, gratia & clementia Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria & potentia cum patre principij experte, & ſanctiſſimo & conſubſtantiali & viuifico ſpiritu, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Vide miras laudes, quas in ſanctæ honorem profert.

Euphemia cōfirmatrix S. œcumenici concilij Chalcedon.

Oratio Authoris.

Vitam S. Euphemiæ inuenies 16. Septembris.

VITA

An. 760. VITA S. HILDVLPHI ARCHIEPISCOPI TREVIRENSIS, ET PRIMI ABBATIS VOGASIENSIS, VT IN MS. CODICIBUS habetur, quanquam ſuſpicor hanc niſi Epitomen eſſe vitæ eius. Stylum modicè elimauit F. Iac. Moſander.

IVLII 11.

HILDVLPHVS claro genere ortus, ac à iuuentute literarum ſtudijs traditus, in breui ita profecit, vt de virtute in virtutem quotidie proficiſcens, purus & integer ab his vitijs, quibus talis ætas ſolet implicari, perſiſteret. Deindè moribus eccleſiaſticis aſſuefactus, apud Ratisbonam vrbem clericali tonſura initiatus eſt. Intereà Milone Treuiren. Archiepiſcopo defuncto, totus clerus Hildulphum, eò quòd vir eſſet & animi & corporis nobilitate ornatus, in ſuum Antiſtitem vnanimiter poſtulat. Mox fama in aula Regis Pipini patris Caroli Magni percrebuit, atq; ex eius ſententia Hildulphus archiepiſcopatu dignatus declaratur, & ad id dignitatis aſſumendus diffinitur. Verùm Dei famulus, vitam magis diligens anachoreticam, fugam meditatus eſt, ſed detentus ac raptus à deuoto populo, in Galliam Belgicam deductus eſt, ac Treuirorum poſteà conſecratus Epiſcopus. Hoc igitur ſublimatus honore, quàm ſanctè & iuſtè vixerit, teſtantur perpulchra eius facinora. Tenerum namq; corpus ſuum, ieiunijs, abſtinentijs, alijſq; caſtigationibus ita affligebat, quaſi multa flagitia perpetraſſet. Miſericordiæ operibus vacabat: prædicationibus & ſacrificijs ſalutaribus inſiſtens, nullum penè diem pertranſijt, quo non omnipotenti Deo ſacras hoſtias, pro ſalute mundi & requie defunctorum offerret. Qui vt bonus paſtor ſemina rectæ operationis præmittens, vberiores verbi fructus collegit, & quod ore docuit, operibus adimpleuit. Hic inter cætera magnifica ſua opera quæ geſſit, corpus S. Maximini Præſulis Treuirenſis à loco, quo eum S. Paulinus Aquitanus ſepelierat, in eum, quo nunc veneratur, tranſtulit. I.

De Milone vide 13 Ianuarij in præfatione ad vitam S. Remigij.

Perpulchra eius facinora.

Quotidiè Miſſam celebrat.

POSTQVAM igitur multiplices pro grege Chriſti labores ſuſtinuiſſet, Archiepiſcopalem dignitatem reſignans, II.
& quicquid habebat diuitiarum ac poſſeſſionum relinquens, vt olim concupierat, eremum ingreſſus eſt atq; à domino Iacobo Leucorum Antiſtite pœnitentiæ locum efflagitauit. Qui eius ſanctæ deuotioni annuens, ſaltum * Voſagi (vbi ſanctorum virorum cellæ, à ſanctiſſimo Deodato Epiſcopo priùs extructæ inueniebantur) eidem prouidit. Iam ad vicinam eremum prædictus Deodatus tranſmigrarat, huic Hildulpho, inſtituti monaſtici, perpetuus collega aſſumendus. Igitur cùm locum hunc habitare cœpiſſet ſanctiſſimus Hildulphus, qui montibus vndiq; circunſeptus, fluuiolo Rapido nomine, irrigatur, duas ſuper eundem eccleſias fundauit, primam videl. in honorem Dei genitricis Mariæ, quam medium monaſterium appellauit: alteram in honorem beati Petri & omnium Apoſtolorum conſecrauit. Quibus perfectis, ſoli Deo viuere cœpit. Cumq; fama ſancti nominis eius longè lateq; diſcurreret: multi viri tam ſæculari potentia, quàm nobilitate inſignes, ad eum ſæpiùs confluebant, ex quibus nonnulli cum eo remanebant, cæleſtis vitæ accenſi deſiderio. itaque dum numerus accurrentium diſcipulorum ex diuerſis mundi partibus magis ac magis accreſceret, cœpit plures ibidem ædificare monachorum cellas, vt ab omnibus huius ſæculi nequam periculis liberi, cum ſancta Magdalena ſoli vacarent Deo & piæ contemplationi. Tunc per merita ipſius ſibique ſubiectorum Deus ibidem multa operatus eſt miracula. Cæci illuminabantur, claudi curabantur, dæmones fugabantur. Sed cùm ſanctus ille monachorum cœtus nimia infirmorum ac debilium hominum frequentia perturbaretur, atq; à ſancta contemplatione auocaretur: tertiam extra monaſterij clauſtra extruxit eccleſiam, quam S. Iohanni Baptiſtæ Domini dedicauit, in cuius circuitu adiecit domos, quibus hoſpitio exciperentur ſuperuenientes infirmi. Dum itaq; ex remotis etiam terris ad virum Dei fieret accurſus, contigit S. Erhardum Epiſcopum Ratisbonenſem eius tam ſanguine quàm ſanctitate germanum aduentare, quem ille benigno ac fraterno affectu ſuſcipiens, multo tempore, mutuæ ædificationis gratia, apud ſe detinuit.

Valedicit mundo.

* alias Vogaſi.

S. Deodati vita habetur 19 Iunij

Multi ſequuntur eius ſanctum inſtitutum.

Luc. 10.

S. Erhardus Epiſcopus Ratiſponẽ. S. Hildulphi frater.

EODEM namque tempore, quo ſancta hæc & germana luminaria mutuæ conuerſationis vinculo connecterentur, defertur eis cuiuſdam Heſticonis Ducis filia, à natiuitate cæca, atq; vt eius miſereantur mœſti rogauerunt parentes, quam cùm ſancti Patres cognouiſſent eſſe gentilem, factam priùs catechumenam, Domino commendarunt, & pro ea humiliter deprecati ſunt. Poſteà verò S. Hildulphus eam baptizauit. Quam de more eccleſiæ, S. Erhardus de ſacro fonte excipiens, iam mente & corpore illuminatam nominauit Odiliam. III.

Cæca à natiuitate videt.

HVIVS ergo tam præclari miraculi nouitate ſtupefacti parentes, totaq; regionis iſtius nobilitas, ſanctum Hildulphum maximè venerari cœperunt. Multi quoq; in augmentationem tam ſanctæ religionis ibidem inſtitutæ, ſua impendere auxilia. Ex quibus quidam nomine Beggo, ſuum fundũ, qui in hunc vſq; diem cella Beggonis appellatur, pro monaſterio conſtruendo viro Dei obtulit. Per maximam quoq; * Voſagi partem quæ Folcodi rupes nominatur, iure perpetuo tradidit poſſidendam. Sanctus igitur Hildulphus prænominatam Beggonis cellam ad honorem ſanctiſſimæ Crucis Dominicæ dedicauit: cui etiam profundiſſimæ humilitatis virum, Spinnulum nomine præfecit, vbi poſt multos labores numeroſaq; miraculorum inſignia idem abbas Spinnulus vitæ ſuæ diem clauſit extremũ. Cuius mors quam fuerit precioſa in oculis Domini, angelica reuelatio atteſtata eſt. Nam iuſſus fuerat Hildulphus defuncti corpus ad ſuum deferre monaſterium ac honorificè ſepelire. nec mora Sanctus cinere, quo recubabat, excutitur, conuocatiſq; fratribus, obitum ſancti viri denunciauit. Qui accenſis cereis, ad exequias celebrandas properant. Vis itaq; ventorum, plùs ſolitò tunc inhorruerat, adeò vt per maximas quercus, antiquiſſimaſq; abietes in ſolum deijceret. In tali tamen turbine, ante corpus Sancti Dei, ardentes cerei vſq; ad locum ſepulcri delati ſunt, abſq; luminis damno. Sed & infirmi quiq; ſepulcrum eius viſitantes ſanabantur, quacunq; etiam detinerentur infirmitate. Tantus enim ibi fiebat populi concurſus, vt regionis iſtius indigenæ tentauerint ibi forum ſtatuere. Sed beatus Hildulphus ad tumulum S. Spinnuli accedens, dixit ei quaſi viuenti: Frater Spinnule, propter animarum pericula, concurrentes comprime turbas. Tunc ſignis ceſſantibus, frequentia quoq; ceſſauit accurrentis populi. Tandem beatus Hildulphus plenus dierum & ſanctitatis, correptus febre feliciter obdormiuit in Domino, æterno pro meritis coronandus brauio, quinto Idus Iulias. Plura de hoc ſancto habentur, quæ ad eius vitã ſpectant, 19. Iunij in vita S. Deodati Epiſcopi. IV.

* Vogaſi.

S. Spinnulus quantæ fuerit ſanctitatis.

Cærei ardentes vèto non extinguuntur.

Fœliciter obit S. Hildulphus.

An. 854. S. ABVNDII PRESBYTERI MARTYRIVM AVTHORE S. EVLOGIO LIBRO III. MEMORIALIS SANCTORVM CAP. XII.

IVL. XI.

QVIDAM presbyter, Abundius nomine, de vico Ananellus, qui eſt in Montana Cordubenſi, exortus, ibidemq; ſacerdotium ſuum peragens, *ferunt, quorundã commento, vel fraude gentilium, ad martyrium fuiſſe * pertractum. Sed ille Dei famulus cum ſe quadam vocatione in ſacrificium verum cælitus aptari conſpiceret, quo nolens ducebatur, grato animo adijt. Ac ſic interrogatus à iudice, intrepida reſponſione rationem fidei pandens, vltimo ſceleroſum † dogmatiſtem; eiuſq; cultores veridicis aſſertionum obiectis inculcat. Ideoque ſub celeri indignatione peremptus, canibus & beſtijs deuorandus exponitur V. Idus Iulij, Era DCCCXCII.

* Hæc Latinius emendanda aut legendum: fertur pertractus.

† Mahumetem intelligit.

VITA

VITA S. IOHANNIS GVALBERTI, AVTHORE (NI FALLOR) BLASIO MELANESIO, GENERALI ORDINIS VALLIS *Vmbroſæ. Is enim ſcripſit huius beati viri vitam, ſed Codex MS. eius nomen non habebat. Stylum mutauit F. Laurentius Surius in gratiam Lectoris.*

An. 1050.

I. ANNO ſalutis milleſimo quadrageſimo claruit beatus Iohannes Gualbertus, primus architectus & fundator Ordinis Vallis Vmbroſæ, cuius profeſſores viuunt conuenienter Regulæ S. Benedicti, quibuſdam conſtitutionibus priuatis illi ſuperadditis, vtunturque habitu coloris cinericei. Habet autem is Ordo multa monaſteria in Tuſcia & Gallia Ciſalpina, quam Longobardiam vocant. Patria autem huius ſancti viri Florentia fuit. Parentes habuit nobiles. Pater Gualbertus dictus eſt, vir militaris. Cum adhuc iuuenis degeret in ſæculo, & pater eius Gualbertus, quem diximus, capitalis eſſet hoſtis cuiuſdam, qui eius cognatum iniuſte peremerat, eaque cauſa non Gualbertus modo, ſed etiam Iohannes filius eius vltionem expeteret: accidit quodam die, ipſum Iohannem cum armigero ſuo Florentiam proficiſci, in ipſo autem itinere venire ei obuiam ab inſperato hoſtem illum capitalem, idque loco tam anguſto, vt neuter poſſet à via deflectere. Tum vero hoſtis ille, quod inermis eſſet, nihil niſi mortem præſentem expectans, ſubito quadam concepta fiducia de clementia Iohannis, ab equo deſiliit, humique proſtratus, iunctis cancellatim ad pectus manibus, pro Crucifixi amore veniam ſibi dari humiliter poſtulauit. Compunctus Iohannes audito nomine Crucifixi, pacem illi obtulit propter amorem Crucifixi, qui pro ſuis hoſtibus ipſum crucifigentibus rogauit, ne perirent: iuſſitq; eum ſurgere à terra, metumque omnem ponere, quod iam ex animo ipſi culpam omnem condonaſſet, vt poſſet ipſe quoq; propitium experiri Deum: fecitq; ei copiam quo vellet recedendi.

IVLII 12.
Ordo Vallis Vmbroſæ à quo conditus.
S. Iohannis patria & parentes.
Vide pietatem.
Luc. 23.

II. PORRO ipſe vltra progreſſus, in quandam eccleſiam monachorum, quæ erat in itinere, ſe contulit, & cum coram imagine Crucifixi genua flecteret, vidit Chriſti à Cruce pendentis caput ad ſe inclinari, tanquam gratias ipſi agentis, quod pro eius reuerentia hoſti capitali pepercisſet. In tanti miraculi teſtimonium hodieque Crux illa in eccleſia S. Miniatis, in monte prope Florentiam, cum magna veneratione & cura ſeruatur: vbi olim fuit monaſterium monachorum, quos Nigros vocant: nunc vero Alborum eſt, id eſt, montis Oliueti. Iohannes autem ea Chriſti vocatione attractus, conſtituit ſæculo nequam valefacere, labentia cuncta deſpicere, vt Chriſtum in Cruce nudum ſuſpenſum, ipſe quoque nudus ſequeretur. Itaque ad iſthuc S. Miniatis monaſterium profectus, ab Abbate & fratribus humiliter petiit ſibi ſanctæ religionis habitum donari. Receptus igitur in laici habitu, pro monaſticæ vitæ conſuetudine comparat ſe ad capienda vitæ religioſæ experimenta. Interea pater eius audiens filium ſuum monachum futurum, ad monaſterium abit, filium ad ſe mitti poſtulat. Sed cum Iohannes ab Abbate ea de re interrogatus, non aſſentiret, timens ne quid à patre, homine ſeuero & aſpero, periculi ſibi crearetur: Abbas iniquum cenſebat, illum compellere & in diſcrimen conicere. Tum vero furore percitus Gualbertus pater, quod non daretur ipſi copia cum filio colloquendi, multas ei monaſterio minas intentauit, ſi auſi eſſent filium eius in ſuam ſodalitatem admittere. Multum igitur anxii formidabant monachi, ſi habitum monaſticum, quem ille obnixe poſcebat, Iohanni traderent, ne aliquo inſigni damno à patre eius afficerentur. Cum ergo nullus auderet veſte monaſtica eum induere, ille feruore ſpiritus inflammatus, cum ſibi ipſe capitis comam totondiſſet, cucullum fratris cuiuſdam apprehendit, eumque ſuper altare in eccleſia reponens, hilariter ſibi induit, cunctis fratribus iuuantibus & congratulantibus illi. Etſi autem pater eius, vt illum vidit ea veſte indutum, initio acerbe tulit, multumque doluit, ac propemodum amentia quadam correptus, ſe derelictum & deſolatum clamitauit: at tamen ab Abbate tandem & ab ipſo filio confirmatus, ſeſe colligens, & ad ſe rediens, conſolationem accepit, & filio bene precatus, hortabatur vt in cœpto conſtanter perſeueraret.

Nota Lector, & diſce ignoſcere.
S. Iohannes monaſt. cū habitum petit.
Id eius patri fert moleſtiſſime.
Mirabilis feruor S. Iohannis.

III. ITA ergo Iohannes iam monachus effectus, cœpit non ſeſe inertiæ & ſegnitiei dare, ſed ieiuniis & inedia vigiliisq; domare corpus, ocium vitiorum ſentinam ſummopere vitare, in preces & pias meditationes religioſe incumbere: humilitatis, patientiæ, obedientiæ, cunctarumque virtutum de ſe exempla omnibus præbere. Non diu poſt Abbate ex hac luce migrante, fratres congregati, Iohannem in Abbatem vnanimiter eligunt. Sed illud munus vir Dei humiliter recuſans, malebat ſubeſſe, quam præeſſe: non ignorans, quo quiſque ſublimiori ſit loco conſtitutus, eo maiori in periculo eum verſari. At non ſic impii, non ſic: qui ſtimulante ambitione, per Simoniæ peſtem, per fas & nefas, per abrupta nitentes in ſublime, præcipites corruunt. Erat in eodem monaſterio frater quidam. Is praua cupiditate inflammatus, Abbatiæ illius adminiſtrationem, numerata Florentino Epiſcopo pecunia, ad ſe adduxit. Id vbi vir Dei comperit, cum alio ipſi fauente monacho clam ex monaſterio receſſit, veniensque Florentiam, quendam magni nominis ſenem adit cum ſocio. Teuzo is ſenex dicebatur, & apud beatæ Mariæ eccleſiam Florentiæ in quadam cellula ſe incluſerat, permultique ad eum confluebant, ſalutaria ab eo conſilia expetentes. Valde autem Simoniæ labem deteſtabatur, qua tunc multi in Dei Eccleſia contaminati erant. Ab illo igitur Iohannes ſciſcitabatur, num ſub Abbate Simoniaco intra ſuum monaſterium Chriſto militare deberet, vel quid ſibi faciendum eſſet. Conſuluit ille, vt cum ſocio palam in foro ciuitatis coram omnibus proclamaret, Epiſcopum & Abbatem Simoniæ vitio obnoxios teneri: ac deinde loco cederent. Quod conſilium, tametſi à communi legum conſuetudine abhorreret, ſimpliciter ille ſecutus eſt. Ea autem res magnum horrorem attulit multis, quibuſdam Epiſcopi ſtudioſis & amicis clamantibus, reum eſſe mortis, qui tanto viro tam fœdam labem adſperſiſſet: aliis vero eum excuſantibus. Porro è tumultu extractus, clanculum vix euaſit manus eorum, qui Epiſcopo fauebant: conſulenteque illo, quem diximus, ſolitario homine, è patria diſceſſit, & cum ſocio perquirere cœpit locum ad ſeruiendum Deo maxime accommodatum. Habebat tum apud ſe ſocius eius panem vnum, quem pro neceſſaria ipſorum refectione ſeruauerat. Eum vir Dei pauperi obuiam venienti ſtipemque petenti dari iuſſit, iactans cogitatum ſuum in Dominum, qui dat eſcam omnibus in tempore opportuno, nec ſua fiducia fruſtratus eſt. Cum enim ad caſtrum quoddam applicuiſſent, à multis abunde eſcæ neceſſariæ ſuppeditatæ ſunt.

Exercitia eius & virtutes.
Recuſat Abbatis functionem.
Teuzo incluſus.
Conſulit Teuzonem quid ſibi ſit agendum
Diſcedit è patria S. Iohannes
Pſalm. 54
Pſalm. 144.

IV. VT autem ad eremum Camaldulenſem peruenêre, non breuem illic fecêre moram, illic degentium mores contemplantes & vitam, quæ quidem ſancta erat, ſed eremitica & ſolitaria. Cumque ab eius loci habitatoribus inuitarentur, vt ſe ipſis profeſſione coniungerent, beatus Iohannes magis appetens vitam cœnobiticam, quippe tutiorem, quam ſit ſolitaria, inde receſſit ea animi ſententia, vt alibi nouam quandam congregationem inſtitueret, ſancti Benedicti regulam ſecuturam. Veniens igitur ad Vallem Vmbroſam, à duobus monachis, qui illic Domino famulabantur, deuote ſuſceptus eſt: & cum locus ei arrideret, conſtituit illic ſedem figere, constructo quodam vili ex lignis domicilio. Sed non diu paſſus eſt Dominus lucernam ſub modio latere. Fama ſanctitatis eius per loca viciniora ſenſim ſeſe diffundente, permulti & clerici & laici eius inuiſendi cauſa, plerique etiam conuerſionis ſtudio ad eum venêre, in quibus fuêre, Erizo, Albertus, Teuzo, Rodulphus, itemque Petrus, qui poſtea fuit Albanenſis Epiſcopus Cardinalis, & complures alii. Porro Abbatiſſa quædam S. Hilarii, cuius monaſterii erat locus memoratus, poſtquam audiuit virtutes beati Iohannis & ſociorum eius, ſubſidio eis miſit alimenta quædam & codices, & poſtea conſentiente monaſterio, locum ei donauit cum rebus & poſſeſſionibus multis, publico ſcripto donationem illam confirmans.

Vita Camaldulenſium monachorum.

P POSTQVAM

Fit primus Abbas Vallis Vmbroſæ S. Iohan.

Postqvam autem numero & merito ſatis illic monachi increuiſſent, placuit omnibus ipſum beatum Iohannem ſibi Abbatem renunciare. Itaque licet admodum renitentem & inuitum, in prima ea ſede illum collocârunt, eius imperio pariturі. Tandem ille, ne diuinæ voluntati reſiſtere videretur, eis ceſſit: ſuſceptoque Abbatis miniſterio, mentem Regulæ beati Benedicti, quam complexi erant, accurate inſpiciens, modis omnibus eam obſeruandam curauit. Itaque prohibuit, ne vnquam monachi è monaſterio exirent, niſi propter res neceſſarias monaſterii, idque petita prius exeundi facultate. Voluit etiam noctibus nunquam in dormitorio lumen abeſſe, haud ſecus atque in oratorio. Ad vilitatem veſtium & paupertatem hortabatur fratres, tum etiam, vt ciliciis vterentur. Ex ouium ſuarum lanis variis iuſſit promiſcuè pannum fieri, vnde veſtes conficerentur. Quæ autem alios docebat, ipſe præ omnibus & ante omnes perfectius exequi ſtudebat. Erat in precibus aſſiduus, charitate diffuſus, humilitate lenis, patientia conſtans, in obiurgandis vitiis rigidus, erga pœnitentes benignus, in cunctis morum grauitate maturus, abſtinentia præcipuus, paruo admodum cibo potuque contentus, qui mortem arceret, non qui delicias adferret. Verum ex nimia viuendi auſteritate fracto ſtomacho, in eum morbum incidit, quem ſyncopen vocant, quo beatum Gregorium Pontificem vexatum legimus: ita vt niſi crebro fratrum opera cibus ei oblatus eſſet, animam acturus videretur. Qua moleſtia eum ad ſupremum vitæ diem laboraſſe nôrunt, qui eum nouerunt: ſed ille ſuis eam peccatis imputans, patientiſſime tolerabat. Putabatur autem diuina fortaſſis diſpenſatione eam illi euenіſſe, vt ſuæ infirmitatis experientia diſceret, quemadmodum ipſum oporteret aliorum miſereri. Cum enim initio pauci eſſent, qui propter auſteritatem eius poſſent inſtituta ſeruare, eo morbo correptus, tanta moderatione, diſcretione & miſericordia erga omnes imbutus eſt, vt nemo illo humanior videretur. Commiſſos, quos vocant, & Conuerſos ſiue Laicos fratres permultos recepit, eoſq; externis admouebat operibus, vt monachis tolleretur occaſio euagandi, poſſentque liberius orationi vacare.

Catalogus virtutum eius.

Infirmatur vt ſuis conſratrib' infirmis compatiatur.

Per id tempus Henricus rex Florentiam veniens, cum multas beati Iohannis virtutes auditione accepiſſet, quadam erga illum concepta beneuolentia, hortante Teuzone ſupradicto, miſit Epiſcopum Catholicum ad vallis Vmbroſæ monaſterium, qui ſummum altare conſecraret. Poſt aliquot vero annos Hubertus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, totum templum conſecrauit cum duobus aliis altaribus. Eodem tempore multi fideles nobiles loca obtulerunt aliis cœnobiis extruendis congrua, odore ſanctitatis eius inuitati. Alii rogabant eum, vt monaſteria diſſoluta, ſibi moderanda & gubernanda ſumeret, & ad ante dictam formam reuocaret. Conſtruxit tum recens vir Dei monaſterium ſancti Saluii, item aliud in Moſceta, tertium in Razulo, quartum in monte Scalario. Paginam quoque, iam vetuſtum monaſterium, reformandum ſuſcepit, atque aliud S. Reparatæ in Æmilia ſiue Romandiola. Horum autem ſingulis ſuos præfecit præpoſitos, ſæpiuſque illa viſitabat, corrigens quæ emendatione digna viderentur. Fuit autem vir Dei verus paupertatis amator, in omnibus illam præ ſe ferens & docens. Itaque cum monaſterium Muſcetanum viſitaret, videretq; ſtructuras grandiores & elegantiores, quam illorum paupertati congruere videretur, domino Rodulpho, eius loci Abbati vultu ſeueriſſimo dixit: Tu hoc in loco magnis impendiis, quibus plurimi pauperes foueri potuiſſent, propria voluntate palatia fabricaſti, conuerſuſque ad riuulum quendam exiguum iuxta manantem, ait: Deus omnipotens, qui minimis magna efficere ſoles, videam miniſterio puſilli riuuli iſtius enormis ſtructuræ huius celerem vindictam. His dictis mox abiit, tanquam abominatus locum illum. Porro ſimulatque inde abiit, confeſtim riuulus cœpit increſcere, collectaque magna aquarum vi, locoque ſuo relicto, præceps à monte ruit, & petrarum ſcopulos atque arbores ſecum trahens, ſtructuras illas funditus euertit. Quamobrem Abbas cum fratribus perturbatus, cœnobium alio transferre voluit. At pius pater benigne eos conſolans, dixit: Nolite timere, nec mutetis locum, nihil ab hoc riuulo deinceps accepturi detrimenti. Quod quidem eius vaticinium vſque in hodiernum diem compleri certum eſt. VI.

Henricus II. Imperator.

Multa extruit monaſteria.

Zelus paupertatis eius.

Deus non elegantes fabricarum ſtructuras, ſed animarū expetit.

Alio tempore cum audiſſet quendam conuerſionis gratia cœnobium petiiſſe, totumque patrimonium ſuum in charta ſcriptum, neglectis hæredibus, ſecum eo apportaſſe, mox illud monaſterium adiit, & Abbati, qui chartam illam receperat, imperauit, vt ſine mora eam ſibi exhiberet. Quam acceptam diſcerpſit, humi abiiciens fragmenta eius. Putabat enim rationi & æquitati magis conſentaneum, exiguis contentum viuere, quam auctis opibus ſuperbia efferri. Deinde valde commotus, zelo ſanctæ paupertatis, Deum & Apoſtolum eius rogauit, vt ipſum de illo cœnobio vlciſcantur: confeſtimque iratus abſceſſit. Nec longe abierat, cum ecce repentinus exiſtit ignis, monaſterium illud magna ex parte abſumens. Vt autem ſocius eius vidit incendium, & ei indicauit, nec retro reſpicere voluit, nec eo referre pedem, ſed ad Vallem Vmbroſam iter proſecutus eſt. VII.

Ignis cœleſtis vlciſcitur monaſterium.

Qvo in monaſterio cum reſideret, & Stephanus Romanus Pontifex per vicina loca iter haberet, audita celebri fama eius, nuncios ad eum miſit, viros honoratos, orans vt ipſius conſpectui ſe præſentare non grauaretur. Sed cum aduerſa valetudo non ſineret eum ad ſanctitatem illius proficiſci, Pontifex denuo nuncios miſit, fortaſſis quod exiſtimaret eum modeſtiæ & humilitatis cauſa nolle venire, indignumque ſe arbitrari, qui coram ipſo appareret, vel etiam cupere eum latere. iuſſitque, vt ſi aliter venire non poſſet, in lectica ſe adduci pateretur. Cernens igitur vir Dei mentem Pontificis, in eccleſiam ingreditur, rogatque Dominum, vt citra ſcandalum & inobedientiam aliqua ratione id efficiat, ne cogatur ipſe ſummo Pontifici ſeſe præſentem exhibere. Deinde ſurgens ex lecto, coram nunciis Pontificis conuerſos aliquot ad ſe accerſiri iubet, qui ipſum ad Pontificem perferant Sed cum paululum à monaſterio diſceſſiſſent, mox ingens extitit aëris tempeſtas, ventis ſæuientibus, & immenſo imbre è cœlo ruente. Quod legati cernentes, & non ſine diuino miraculo fieri credentes, illum ceu verum Dei hominem, in monaſterium reduci mandant, beatiſſimo Pontifici rem, vt erat geſta, referentes Qui deinceps noluit eum ad ſe acciri, vt in ſua quiete permanens, pro felici Eccleſiæ ſtatu Dominum oraret. IIX.

Stephanus X. Rom. pontifex.

Nec defuit viro Dei gratia diſcretionis ſpirituum, neque donum prophetiæ, quo occulta hominum, ſoli Deo cognita, diuina reuelatione edoctus, enunciauit. Si quis ad monaſterium veniret, monaſticum habitum petiturus, ex eius adſpectu cognoſcebat, num Dei ſpiritu moueretur. Cum eſſet in Paſſiniano monaſterio, quidam ad eum venit, dicens ſe velle mundum relinquere. Is primo apud eum repulſam paſſus eſt, ſed cum importune inſtaret, à piiſſimo patre receptus eſt. Is igitur in conuerſionis initiis pro more confeſſionem faciens, quædam peccata dixit, maiora præ verecundia reticuit. Gerardus, homo dicebatur. Ait itaque quodam die vir ſanctus ad eum: Quid ita Gerarde mihi imponere voluiſti? Illo dicente, Qua in re, pater ſancte, tibi impoſui? Vir Domini ad partem eum trahens, ſecreto dixit ei: Ea in re decepiſti me, immo vero teipſum potius, quod non es integre confeſſus peccata tua. In ipſa enim Epiphania Domini & pridie eius diei cum illius hominis vxore adulterium perpetraſti, nec tamen in confeſſione dixiſti: quodque deterius eſt, etiam in propoſito eius adulterii iterandi perſeueras His ille auditis, cum agnoſceret peccatum ſuum, nec dubitaret diuinitus beato viro reuelatum, quod ſciret eſſe occultum, proſtratus ad pedes eius, cum lachrymis veniam petiit, egitque pœnitentiam. IX.

Pollet ſpiritu prophetiæ.

Aperit ſecreta cordium.

Qvidam vir nobilis & diues, viro Dei familiariſſimus, Vbaldus nomine, grauiſſima laborabat valetudine. Vxor vero eius iamiamque animam acturum expectabat, miſitque Beuronem familiarem ſuum ad virum Dei, vt eum de mariti imminente obitu faceret certiorem. Venit Beuro celeriter ad hominem Dei, in monte Scalario tunc commorantem, indicauitque illi, quid haberet in mandatis. Tum beatus Iohannes, verſus ad Orientem luminibus, fuſaque ad Deum prece pro homine moribundo, Beuroni dixit: Redi ad tuos, quem enim reliquiſti ſupremum trahentem ſpiritum, ſanum X.

Sanat moribundum.

tum, ſanum & lætum offendes. Ita nimirum & ægro obtinuit ſanitatem, & rem Beuroni incognitam explicauit atque prædixit.

XI. Manente viro Dei in monaſterio Paſſiniano, Leo Papa illac tranſiens cum curia ſua; volebat illic cibum capere. Quæſiuit ergo vir ſanctus ex œconomo ſuo, num piſces haberet beatiſſimo Pontifici offerendos: cumque didiciſſet nullos eum habere, conuerſos quoſdam iuſſit ire piſcatum in fluuio ſiue lacu vicino. Cunctis affirmantibus illic piſces non inueniri, perſtitit in ſententia, dicens vt irent, & Domini auxilium ſibi adfuturum minime dubitarent. Itum eſt ergo, & duo magni lucii capti ſunt. Eos cum omnium admiratione apportatos, ipſe vir beatus Pontifici obtulit, gratiſſimo animo illos accipienti. Viſcera pietatis & miſericordiæ magna erant in illo, eaque eum permouebant, vt multis modis miſerorum inopiam ſubleuaret, ipſe inops & pauper. Ab infantia enim creuerat cum illo miſeratio. Reuerſus quandoque ab aliorum viſitatione monaſteriorum ad ſuum Vmbroſianum, memor inopiæ, qua multi tum premebantur, diſpenſatorem ſuum Gofredum, & Procuratorem Ruſticum nomine, vocans ad ſe: Inſpiciamus, inquit, horreum, vti ſe habeat. Vt vidit autem abundè illud repletum: Quam multi, inquit, fame opprimuntur in hac annonæ caritate, & vos abundatis? Iuſſitque adferri vas quoddam, quinque plus minus capiens modios, illudque frumento impleri: quod ab hora tertia vſque ad nonam per ſeipſum grata liberalitate pauperibus aduentantibus elargitus eſt: manſitque horreum æque, vt antea, plenum.

Leo IX Papa.

Piſces capiuntur, vbi nulli erant.

Eius cōmiſeratio in pauperes quanta fuerit.

Frumentum elargitur, nec minuitur.

XII. Fame populum quodam tempore premente, beatus pater ſtans ante fores monaſterii de Razuolo, videnſque gregem vaccarum eius in montis iugo herbas capere, nec haberet alimoniam, quam petentibus pauperibus largiretur, ita precatus eſt: O ſancte Paule, ſi velles vnam ex his vaccis cedere in vſus pauperum. Confeſtim vacca deorſum corruens, extincta eſt, cuius carnes iuſſit egenis diſtribui. Ea diſtributa, ſimiliter petiit ſibi & ſecundam & tertiam & quartam dari: eaſque omnes pauperibus dedit. Ea re contriſtati paſtores, gregem ad aliud montis latus abduxêre. Sed vir pius pauperum precibus ſatisfacere deſiderans, nec habens tamen, vnde id poſſet, cum lachrymis orauit: Sancte Paule, iſti loci mutatione fugere moliuntur: ſed te, qui loci huius patronus es, effugere non poſſunt. Tu qui miſericordiam & eleemoſynas præſtandas docuiſti, dona mihi, vnde pauperes ſuſtentare queam. Mox aliæ quinq; vaccæ ruerunt præcipites, quas eo caſu extinctas iuſſit pater ſanctus pauperibus erogari. Id vbi paſtores aduerterunt, grauiter de illo conqueſti ſunt, aſſerebantque ſatius eſſe curare illum reduci ad ſuum Vallis Vmbroſæ monaſterium, quam cum tanta ipſorum iactura illic eum hærere. Quibus ille placide reſpondit: Video vos hac re afflictos: ſed bono animo eſtote: nullius porro vaccæ iacturam facietis. Id quod etiam ſic euenit. Alio tempore cum non haberet panes, quos daret, totum lac pauperibus iuſſit erogari. Quædam etiam pluuiæ receptacula, Valli Vmbroſæ donata, tempore inopiæ vendidit, & precium pauperibus diſtribuit.

Vaccas multas dat pauperibus.

Item lac eorum.

XIII. Multa edidit miracula: multos morbidos ſanitati reſtituit. Ægrotus quidam, Florentinus nomine, filium habens ex morbo iam ad extrema tendentem, ad venerabilem patrem, qui tum apud S. Saluium erat, venit, ſalutem poſcens filio ſuo. Sancto viro reſpondente, nō hæc ſua ſed Apoſtolorum eſſe opera, ille nihilo minus in precibus perſeuerauit. Tum vir pius commiſeratione victus, cum fratribus pro illo rogauit Dominum, & ilico curatus eſt. Accidit quandoque, vt fratres nimia egeſtate, non niſi tres panes in monaſterio haberent. Illos beatus pater iuſſit diuidi, & ſingulis ſingulas particulas apponi. Simul autem perpendens, neceſſitati non eſſe præfixam legem cum cellario ſuo egit, vt aries vnus occideretur, & coctus fratribus apponeretur: Hodie, inquit, penuriam patimur, cras abundabimus. Itaque hora prandii fratres ad menſam ſedentes, ſinguli particulas ſuas panis comederunt: à carnibus autem appoſitis omnes abhorruerunt, nec eas pro ſui canonis reuerentia attingere voluerunt. Poſtero die, vt vir ſanctus prædixerat, venerunt quidam ad beati Saluii monaſterium cum multis iumentis, frumento & farina onuſtis, aſſerentes à nobilibus ſe miſſos eſſe. Sed quinam illi nobiles fuerunt, reſciri non potuit. Eiuſdem generis aliud contigit alio tempore. Cum enim pane deficiente, iuſſiſſet bubulam fratribus apponi, & illi non auderent contingere, orante viro Dei, quidam monaſterii fores pulſauit. Ad quem Cellarius exiens, vidit eum multos panes adferentem: quos ille fratribus ad menſam importauit, gratias Deo agentibus, qui dat eſcam in tempore opportuno. Porro Cellarius reuerſus ad fores, vt nomen hominis cognoſceret, qui illos panes miſiſſet, neminem illic inuenit. Ille enim piſtor miſerat panes, qui filiis Iſraël manna è cœlo præſtitit in deſerto.

Sanat moribundum.

Frumentum apportatur, ſed neſcitur, vnde.

Pſalm. 144.

Exod. 16.

XIV. Qvidam mente captus cum ad Paſſinianum monaſterium iret, vt illic curaretur, cum aliis fluuium Arnum nauigio tranſmittens, impellente veſania, in medium flumen ſe præcipitem dedit: ſed virtute Dei & meritis beati viri, ad ripam fluminis incolumis euaſit. In monaſterio Vmbroſiano quidam frater male habebat. Quæ ergo medicina ei parata fuit, eam vir ſanctus ſua manu ei præbuit, moxque negocio quodam emergente, alio feſtinus abſceſſit. Interim æger ille non ſatis caute ſe gerens, morbo increſcente poſt paucos dies vita functus eſt: atque eius obitum, vt habet conſuetudo omni congregationi, is, quem Suppriorem vocant, literis denunciauit. Interea vir Dei reuertens, & de fratris deceſſu factus certior, cauſam mortis eius cognoſcere ſtuduit. Quæ cum ei expoſita eſſet, mandauit in tota congregatione aboleri memoriam eius propter illius inobedientiam, quod ſe non ſatis caute cuſtodiuiſſet. Cum ſic igitur fieret, nec quiſquam pro eo oraret, aliquot dierum euoluto ſpatio, clara die defunctus cuidam fratri apparuit, eique indicauit ſe eſſe illum, qui à vita migraſſet. Illo vero ſciſcitante, quo in ſtatu res ipſius eſſent, reſpondit ſe excommunicatum eſſe, & per patrem Iohannem à fidelium conſortio ſegregatum: quod accipiendum eſt de ſuffragiis. Illo rurſus percontante, qua poſſet ratione iuuari, reſpondit defunctus: Si me ſanctus Iohannes reconciliare voluerit, ſicque diſparuit. Tum frater ille beatum virum acceſſit, eique, quid vidiſſet & audiuiſſet, enarrauit. Mox pius pater ſeueritatem miſericordia temperans, iuſſit in monaſterio & per omnem congregationem, officium & eleemoſynas pro illo fieri. Quibus peractis, poſt dies triginta iterum eidem fratri defunctus apparuit alacer & iucundus, gratias agens ſancto Iohanni, quod eum reconciliaſſet: abſolutuſque à pœnis, ad beatorum cœtum proficiſcebatur.

Seueritas in fratrem immorigerū.

Precibus & eleemoſynis liberatur frater à pœnis.

XV. Alivs quidam, Florentinus nomine, vir eloquens & moribus ciuilis, qui Simoniana perfidia valde ſe contaminarat in cuiuſdam Epiſcopi ſuſcepto patrocinio, cum grauiſſimè decumberet, iamiamque moriturum ſe affirmabat, atque inter acerbos mœſtoſque luctus crebroſq; ſingultus, per amicos à beato Iohanne habitum ordinis eius ſibi donari petiit. Aſſenſit vir ſanctus, nec multum cunctatus, nouitiorum habitu eum induit. Eo indutus, cum iam reualuiſſet, & ſcipioni innixus, monaſterium perluſtraret, prior morbi vis eum denuo inuaſit, ita vt morti propinquus videretur. Id vbi vir ſanctus audiuit, ad lectum ægroti cum multis fratribus acceſſit, eumque à corpore migraturum Domino commendauit. At æger caput ſuum pallio, quo erat opertus, texit, & viro ſancto, cur id faceret, inquirente, reſpondit timens & tremens: Video ſatanam prope aſſiſtere, è cuius ore vaſta flamma funditur, & ex naribus fumus ſulphureus prodit. Cum autem locum, in quo illum cernebat, viro Dei indicaſſet, ille ablata à manu tenentis Cruce, diabolum ea egregiè verberauit. Tum ille mox inſtar fumi euanuit, & ægrotus in has prorupit voces: Gratias Deo, ecce aufugit ſatan, ecce receſſit. Et ecce adeſt beata Maria, ſanctique Petrus & Benedictus. Atque his dictis ſpiritum exhalauit.

Cruce verberat dæmonem.

XVI. Vir beatus Epiſcopum Florentinum, Petrum nomine, patria Ticinenſem, non ſolum Simoniæ, ſed etiam hæreſis propter illud vitium cum ſuis fratribus reum aſſerebat, nec ab illo ſacramenta percipienda dictitabat. Inde vero vehemens orta eſt contentio in Clero & populo Florentino, aliis Epiſcopum defendentibus, aliis monachos laudantibus,

Epiſcopus Florentinus Simoniacus &

hæreticus vide late Baron. anno 1063.

Crudelitas Epiſcopi Florentini.

quod tanta libertate illud vitium deteſtarentur. Cumque ea cauſa non raro ſeditiones conſcitarentur, perſuaſit ſibi iniquus ille Epiſcopus eam ſe infamiæ notam facile aboliturum, ſi monachos illos curaret occidi, vt eorum exemplo cæteri eius aduerſarii terrerentur. Miſit igitur nocturno tempore multam equitum & peditum turbam armatam ad monaſterium ſancti Saluii, vbi tum beatus Iohannes morari putabatur, qui tamen pridie inde receſſerat ad Vmbroſam Vallem. Ingrediuntur vi in monaſterium miniſtri tenebrarum, & quos inueniunt monachos, eos crudeliter vulnerant, in agnos haud ſecus atque lupi inſilientes. Nullum vero monachorum murmur, nulla querimonia auditur: ſed patienter illi ferunt iniurias illatas, gratias agentes Deo, qui eos dignos feciſſet, vt pro illo paterentur, qui eſt veritas, quæ nec fallere, nec falli poteſt. Nec his contenti ſatellites Epiſcopi, in monaſterium prius vaſtatum & expoliatum, ignem iniiciunt. Sed vnde inimicus victoriam & ſui exaltationem ſperabat, inde detrimentum potius & ignominiam reportauit. Multi enim ex iis, qui ante illi fauerant, eumq; defendendum ſuſceperant, tantam eius impietatem & barbariem cernentes, ad monachorum partes ſeſe adiunxerunt. Altera die, eo iam diuulgato maleficio, multi venere ad monaſterium, eiuſque perſpecta vaſtatione & deſolatione, multis modis fratribus monaſterii opitulati ſunt. Porro beatus Iohannes eius rei nuncio accepto, ſimul eo aduenit videnſq; fratres ſuos nudos, flagellis cæſos & verberatos: Nunc, inquit, monachi eſtis. Sed cur ſine me iſthæc ferre voluiſtis? Doleo profecto non mediocriter, quod coronarum veſtrarũ particeps fieri non merui.

Conſolatur vir Dei fratres verberatos.

Alexander II. Papa.

Concilium Lateranenſe.

a Hildebrãdus poſtea Gregor. 7.

Poſtea vero monachi cum amicis ſuis Romam profecti, Petrum Florentinum antiſtitem publice & quidem conſtanter hæreticum & Simoniæ labe fœdatum proclamant, & eius rei confirmandæ cauſa offerunt ſe paratos ad ſubeundos ignes. Verum Alexander Pontifex, qui tum in Petri cathedra reſidebat, nec accuſatum deponere voluit, nec vt monachi in ignem ingrederentur, admittere. Maxima enim Epiſcoporum pars, qui ad Synodum generalem conuenerant, Epiſcopo fauebat, monachis aduerſabatur. Sed [a] Hildebrandus Archidiaconus, qui poſtea fuit Gregorius, eius nominis ſeptimus Romanus Pontifex, patribus beati Iohannis ſtudebat, eaſque tuebatur. Porro Dux quidam Godefridus vſque adeo Epiſcopo fauebat, vt etiam mortis minas monachis intentaret. Itaque hac durante controuerſia, qui Iohanni adhærebant, tam laici quam monachi, multas ab aduerſariis iniurias perpeſſi ſunt. In iis fuit Archipreſbyter ſummæ ædis & Prior, qui quod Iohanni adhæreret, ex vrbe Florentina dimiſſus eſt. Ad extremum monachi aiunt illis, qui Petrum Epiſcopum ſuum defendendum ſuſceperant, ſe per ignem tranſituros: & ſi, vti bene confidunt, inde illæſi exierint, hortantur, vt idem cum ipſis ſentiant de Simonia Epiſcopi. Sin minus, paratos ſe dicunt vna cum aliis venerari Epiſcopum, & à Simonia immunem pronunciare. Ea res cunctis placuit. Præfigitur itaque locus & dies, quo iſthuc fieri debeat, vt ſi qui velint, poſſint coram intueri. Locus præfixus eſt in monaſterio Septimi, quod tunc erat Ordinis memorati, nunc vero Ciſtercienſium eſt. Dies fuit quarta feria primæ hebdomadæ Quadrageſimæ. Modus probationis fuit eiuſmodi: vt in loco publico duæ lignorum ſtrues iuxta ſe fierent, quæ obtinerent in longum decem pedes, in latum quinque, in ſublime quatuor & dimidium. Inter vtraſque autem ſtrues ſemita intereſſet longitudine brachii, prunis ardentibus conſtrata, per quam vnus ex monachis tranſiret. Vbi aduenit ſtatutus dies & hora, inuitatur Epiſcopus Petrus à ſuis, vt accedat viſurus tantæ rei experimentum, ne ciuitas Florentina tam diuturna vexetur altercatione. At ille prorſus renuit: immo ſi qui charum eum haberent, eos eo accedere vetuit. Sed plebs omnis vtriuſque ſexus & cleri maxima pars, illuc properarunt. Pollicentur fautores Epiſcopi, ſi ea probatio ſuo potiatur effectu, vt quiſpiam è fratribus per ignem illæſus tranſeat, ſe ipſis ſuffragaturos, & ab Epiſcopo defecturos. Itaque fiunt litaniæ & aliæ preces à monachis, ſacrificium ſolenniter celebratur ab Abbate illius inſtituti, clericis & monachis adiuuantibus. Vbi ventum eſt ad Agnus Dei, vnus ex monachis fert aquam ſacratam ad aſpergendum, alius thuribulum thuris incendendi cauſa, tertius faculas ad ligna inflammanda: quartus imaginem Crucifixi. Inuocatur à cunctis Dominus Ieſus Chriſtus & ſanctiſſima mater eius pleno ore, vt rei veritas declaretur. Sacrificio peracto, deponit caſulam, Crucemque manu geſtat Abbas, qui ſacrificauerat. Petrus is quoque dicebatur. Litaniis abſolutis, vnus ex Abbatibus eligitur, qui clara voce populo exponat petitionis & ſponſionis conditionem. Deinde Abbas Petrus cum Cruce, quam manu geſtabat, S. Iohanne interim coram adſtante & orante, ingreditur per medios ignium globos, flamma in ſublime aſcendente, calcatque ardentes prunas, quæ erant in via inter lignorum incenſas ſtrues. Sed prius, quam ingrederetur, cunctis audientibus, ita precatus eſt: Domine [b] Ieſu Chriſte, lux vera omnium in te credentium, peto miſericordiam tuam, oro clementiam tuam, vt ſi Petrus Ticinenſis, qui dicitur Florentinus Epiſcopus, pecunia Florentinam ſedem occupauit, tu æterni patris filius, tu mea ſalus, in hoc tremendo iudicio ad me adiuuandum feſtines, & me illæſum ſine vllis aduſtionis veſtigiis conſerues, ſicut olim tres pueros in fornace Babylonica ſeruaſti. His dictis, per medios penetrat ignes, neque corpori, neque veſtimentis vllo aduſtionis veſtigio inhærente. Cumque vellet vertere ſe ſe, & eadem via per flammas reuerti, à populo retinetur, quippe iam perſpicue rei propoſitæ veritatem edocto. Nec vero ſatiari poterant eius præſentia, aliis manus, aliis pedes, reliquis veſtimenta eius exoſculantibus. Beatum ſe exiſtimabat, quiſquis vel fimbriam veſtium eius poſſet contingere. Ita Simon Petrus magnis celebratur laudibus: Simon Magus vt ſtercus ab omnibus conculcatur: & Petrus, non Apoſtolus, ſed Epiſcopus Simoniacus ab omnibus pronunciatur, & vt hæreticus euitatur. XVII.

Attende ſanctam monachorum fiduciam, qui pro veritate ſeſe ignis periculo commiſerunt.

Epiſcopus huic ſpectaculo intereſſe recuſauit.

Abbas Petrus poſtea Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis, illæſus per medios ignes tranſit.

b Petri Abbatis oratio

Dan 3

Denique Senatus populuſque Florentinus rem totam ſolennibus literis perſcribit Pontifici Alexandro, humiliter orans, vt quemadmodum Simon Petrus Simonem Magum maledictione damnauit, ita ipſius ſanctitas velit Petrum Florentiæ Epiſcopum ea dignitate priuare, & alterum ei ſubſtituere. Fecit ita Pontifex Alexander, iuſtitia id exigente, ob tollenda ſcandala, & alius Florentinis datus eſt antiſtes. Poſtea vero beatus Iohannes iam ſenio confectus, in morbum incidit grauiſſimum: congregatiſque è diuerſis locis Abbatibus, ſuum è vita hac deceſſum pronuncians, hortabatur omnes, vt Canonem monaſticum accurate obſeruarent, & vnitati fraternæque dilectioni ſtuderent: perceptiſque cum multa deuotione ſacramentis, ſpiritum cœlo reddidit incontaminatum, anno Dominicæ incarnationis milleſimo ſeptuageſimo tertio, quarto Idus Iulii. Tertio inde die humatus eſt in eccleſia monaſterii * Paſſiniani. Poſt obitum eius omnipotens Deus multis eum miraculis illuſtrauit. XIIX.

S. Iohannes perceptis ſacramentis mortem oppetit

* de Paſsignano.

An. 1050.

VITA S. LEONIS, SECVNDI ABBATIS CAVENSIS PROPE NEAPOLIM, A QVODAM EIVS FERE ÆQVALI *docto viro conſcripta.*

PROLOGVS AVTHORIS IN LEONIS, CONSTABILIS, PETRI ET ALFERII, *eiuſdem cœnobij venerabilium Abbatum vitas, quas ſuis locis Lector reperiet.*

Ivlii 12. *Matth 5.*

Si iuxta diuinæ ſententiam veritatis, lucerna in hoc accenditur, vt ſuper candelabrum poſita, lumen domum intrantibus præbeat, bene prolatę ſententiæ virtutem exequimur, ſi ſanctorum virorum exẽpla, ad minorum formam altius ſubleuemus. Ex alto quidem ſuæ reuelationis ad inſtar ignis quo longius lumen proferunt, inuitare eos, quos illuſtrant, melius poſſunt. Magna quidem cum fuerint, & neſciuntur, magnum, quod habent, lumen non proferunt: quia in imis locis & abditis occultantur. Et fortaſſe idcirco abſcondi ſub modio lucerna dicitur, quia ii qui ſanctorum lucidam conuerſationẽ ſciunt, pro perfecta mẽſura illorum, quam continet, modii nomine deſignantur. Ex inferiori vero parte exprimuntur, quando ſcita, abſcondunt, quia per meritum in imo & abiecto loco ſe conſtituunt. Hinc etiam ſcriptura ſacra denunciat, dicens: Qui abſcondit frumenta, I.

Prou 11.

maledictus

Digitized by Google

maledictus erit in populis. Quid enim frumentorum nomine, niſi ſanctorum exempla figurantur? Ex omnibus quidem granis excellentior cibus eſt. Excellentia ergo facta perfectorum, frumenti nomine deſignantur: quia quo dulcius hæc fidelium mentes percipiunt, eo plenius velut de electiori cibo ſatiantur. Si ergo maledicitur, qui frumentum abſcondit, caute vigilandum eſt, vt ad quemcunque fidelium mira ſanctorum facta peruenerint, hæc prædicando proferat, ne maledictum incurrat, & occultando in imo ſit, qui exponendo fieri luminis candelabrum ſublime poteſt. Vnde etiam in Euangelio Dominus dicit: Si in alieno fideles non fuiſtis, quæ veſtra ſunt quis dabit vobis?

Frumenta, exẽpla Sanctorum.

Luc. 16.

Ego igitur tam his & huiuſmodi territus, quam etiam audientium profectibus inuitatus, venerabilium Patrum, Alferii videlicet, Leonis, Petri atque Conſtabilis Abbatum Cauenſium vitas atque miracula ſcribere propoſui: vt quia authore Deo idem Cauenſe cœnobium magnæ religionis eſt, iamque eiuſdem religionis Ordo longe lateque diffunditur, ii, qui eorum ſequuntur inſtitutionem, exemplis atque miraculis accendantur. Quod profecto vobis huiuſmodi fratres ſpecialiter conuenit, quos impoſito pio religionis onere, ad Ordinis eorum normam redegimus. Valde enim deuotius poſt illorum veſtigia curritis, ſi aperte cernitis, quia qui vos laborando præceſſerant, de labore ſuo iam ad æterna gaudia peruenerunt. Me quoque quia hoc deceat, nulli veſtrum dubium eſt: vt qui de clauſtro illo, velut terra promiſſionis egreſſus, in longinqua regione paſcendos atque multiplicandos ſuſcepi greges, virgas exemplorum vario cortice inſtituendis proponam: quatenus ii, qui ex vobis per diuinam gratiam fœcundantur in ſpirituali ſobole, non ſolum perpetua carnis incorruptione ſint virides, ſed omnimoda virtutum varietate fulgentes. Sed quia in vniuerſalibus ſcriptis noſtris, verborum quibuſdam obſtaculis æmulorum acceſſus obſtruere ſolemus, opuſculi huius tenerum ſitum nullis reprehenſionum ſpinis obducimus, quia cum domeſticis noſtris de rebus notis, fraternis affectibus fabulamur. Ad quod nimirum opus priorum noſtrorum non modico rubore ſuccendimur, qui de ſuis agere, quod alii fecerant, noluerunt. Victor namque Romanæ Eccleſiæ ſummus Pontifex, cum adhuc illi monaſterio, quod à ſanctiſſimo Patre noſtro Benedicto in Caſſino monte extructum eſt, in venerando habitu præeſſet, in libro, quem de Sanctorum miraculis ſcripſit, viri venerabilis Alferii mentionem fecit, eiuſdem ſe familiarem aſſeruit, & ipſius quædam miracula, ita vt ab eo fuerant geſta, narrauit. Vir quidem ſanctus, dum ſubiectorum animas ad cœleſtem patriam ſuccendere per exempla meliorum ſatageret, ea quæ ad eorum formam producere voluit, & prope & longius quæſiuit. Quid ergo nobis, de noſtris agendum eſt, ſi ab aliis iam & miris extolluntur laudibus, & ſcriptorum memoria celebrantur? Quia vero præfatus Pontifex quędam, non omnia, huius viri venerabilis miracula ſcripſit, & pro eius reuerentia, ſcripturæ ipſius authoritatem operi noſtro præmittimus, & pro ædificatione audientium plura, quæ eum vel tunc latere potuerunt, vel poſt eiuſdem obitum ſunt geſta, ſupplemus. Quia item noua ſcribendi tempora contemni ſolent, fidem dictorum relatoribus, non ſcriptis Lector adſcribat: quia, etſi iſto tempore ſcribimus, ea, quæ ab antiquis monaſterii ſenibus ſunt nobis dicta, narramus.

Cauenſe monaſteriũ de quo vide Baron. ann. 1050.

Liber Victoris Papæ, de miraculis Sanctorum.

I. SECVNDVS Cauenſis monaſterii Pater Leo, vir valde venerabilis fuit, viri reuerendiſſimi Alferii diſcipulus inſtitutione, ſed ſocius ſpiritu & virtute, quia fructum eiuſdem magiſterii in perfectione protulit ſummæ & ſanctiſſimæ conuerſationis. Hic namque *Luſcus* genere, ciuis Lucenſis, in Salerni partes veniens, vbi eiuſdem Patris celebrem famam comperit, ei ſe protinus in ſanctiſſima conuerſatione erudiendum dedit. In qua nimirum ita breui profeciſſe cognoſcitur, vt non ſolum æmulator laborum magiſtri ſui, ſed etiam mirabilium operum cooperator exiſtere videretur. Siquidẽ cum pro reſuſcitando mortuo vir venerandus Alferius orare propoſuit, hunc ſolum ex omnibus diſcipulis ſecum retinuit, cum quo pariter ſe in orationem dedit: quod vtique vir ſanctus non faceret, niſi ex vitæ eiuſdem perfectione colligeret, quia ad obtinenda tam grandia adiutorium ſibi præſtare potuiſſet. Qui licet magiſtri ſui tempore magnus haberetur, tamen poſt eiuſdem mortem magis claruit. Nam vt diſcipuli eiuſdem, qui vſque ad noſtra tempora in monaſterio fuerunt, referre ſoliti ſunt, in tantam cordis puritatem profecit, vt venerabilem Domini noſtri genitricem orationis tempore videre mereretur. Præterea tantæ humilitatis atque miſericordiæ vir extitiſſe dicitur, vt ab adiacenti cellæ ſuæ eremo lignorum ſarcinas propriis humeris Salernum ferret, eaſque diſtrahens, panes emeret, quos pauperibus erogaret. Haud ſecus vtique ſe matris Domini adſpectum promereri nouerat, quam ſi magnis virtutibus polleret, & ſe magna humilitate deiiceret: vt deſpectus foris, intus nequaquam intumeſceret, ſed virtutum tenerum ædificium in ſummæ humilitatis petra ſolidaret. Et fortaſſe vir ſanctus ſe illi miniſterio coniunxit, quia ad æternam vitam per labores temporales ire diſpoſuit. Opus ergo miſericordiæ illud probauit, quod cum corporei laboris ſacrificio conuenire cognouit, vt ex vtroque velut pingue omnipotentis Dei holocauſtum fieret, amoris videlicet flamma ſic totus affluens, vt corpus omne laboribus, & totam mentem dedicaret pietati.

Leo fuit beati Alferii diſcipulus.

Item in reſuſcitando mortuo ſocius.

Leo videt Dei genitricem Mariam.

Humilitas eius quanta fuerit.

Quanta eius in pauperes miſericordia.

II. FERVNT etiam quia quadam die cum à prædicta ciuitate veniret & lignorum ſuorum precium in pane pauperibus diuideret, Giſulfo quoque Salerni Principi ſudoris ſui panem porrexit, qui cum primo oblatum ſibi panem deſpiceret, reprehenſus à militibus, quod non panem ſed in pane Dei hominem ſperneret: confeſtim reuerſus eſt, de viri Dei manibus panem accepit & comedit, atque ex illa iam die tanto Patri familiaris fuit. Ex qua nimirum gratiæ vbertate accidit, vt in multam donorum meſſem panis ille fruſtra, vt putabatur, diuiti oblatus creſceret, & quaſi bonum ſemen fructus ſui copiam abundanter effunderet. Nam cum idem Princeps ſeculari potentia tumidus plura crudelia ſæuaque proponeret, hic ſolus audebat obſiſtere, ſolus prauis eiuſdem diſpoſitionibus libera authoritate contraire, quem nimirum ſæpe humilibus precibus liniens, ſæpe comminationibus impetens, nonnunquam ſibi ſubiectum & obedientem ita reddidit, vt obtineret quandoque quæ peteret, quandoque quæ impendere nollet ab inuito authoritate non precibus extorqueret. Nam ſcriptum de huiuſmodi ſanctæ Eccleſiæ potentibus eſt: Iuſtus vt leo confidit. Et iterum ſacra ſcriptura loquitur, dicens: Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum.

Attende fructũ panis viri Dei.

Prou. 28.

Prou. 30.

III. VIR ergo Domini ſignificatum ſui nominis virtute magnæ conſtantiæ exhibebat, pauper ſiquidem rebus cœleſtis patrimonii deſiderii diues, huius mundi diuitibus tanto liberius obſiſtere poterat, quanto in mundo, quem non amabat, perdere nil metuebat. Eodem namque tempore memoratus Princeps contra Amalfitanos bellum mouerat, in quos ita ſæuire viſus eſt, vt quoſcunque ex eis caperet, magnis tormentorum cruciatibus deputaret. Quis vero explicare ſufficiat, Pater venerabilis Leo quanta tunc capitis authoritate, quanta liberalitate ſuccurrerit, quam largiter carceratos pauerit, ſpoliatos induerit, vinctos abſoluerit, tortos eruerit, atque à vicina membrorum amputatione liberauerit? nam tanta libertate pro eis, qui ad pœnas ducebantur, eidem Principi obſtitit, vt eos qui ab ipſis cruciatibus violenter auferret atque non iuſſus abſolueret.

Exercet ſeptem miſericordiæ opera.

IV. QVADAM namque die, dum ad menſam cum fratribus ſederet, triſtis nuncius affuit, qui venerando viro tres homines priuari lumine iuſſos à Principe indicauit, & eiulans atq; exclamans ſibi iunxit dicens: Curre Pater curre, quia iam miſeri producuntur. Tunc pater venerabilis à menſa ſurgens, & velut alter Tobias prandiũ deſerens, Salernum concito gradu perrexit: & iam viros illos extra ciuitatem perductos inueniens, tenuit & abſoluit, atq; abire liberos iuſſit. Cumque carnifices vehementer timerent, ipſe pro eis ſe Principi reddere rationem promiſit, quam profecto vt promiſit exhibuit: quia ſe, vt dixit, vadem pro eis obtulit, ſed de crudelitate, quam in Chriſti fideles exercebat, non vt vas pœnarum, ſed vt tutor iuſtitię vehementer increpauit. Cui etiam aliquando indignanti & ſuperbiæ tumore ſalutis monita contemnenti, crudelitatis ſuæ meritum per prophetiæ ſpiritum pronunciauit, dicens. Pro crudelitate tua poſt paruum temporis, huius terræ Dominus non eris. Quod cum Princeps audiſſet, timuit, ſed tamen feritatem ſuam non reliquit: vnde non

Liberat tres viros excæcationi adiudicatos.

Increpat Principis crudelitatẽ.

Digitized by Google

Prædicit Principi Salernitano ſuũ caſum.

immeritò viri Dei minas expertus eſt. Poſt non multum denique temporis Salernitana ciuitate à Roberto Duce obſeſſa & capta, vt vir ſanctus prædixerat, regimen, quod pie moderari Princeps noluit, amiſit. Quo iure trium Patrum gratia floruiſſe venerandus Pater agnoſcitur: Tobiæ ſcilicet, qui vt mortuos recondetet, reliquit prandium: S. Nicolai, qui vt inſontes eriperet, tenuit ſpiculatoris manum: S. Benedicti, qui regi Totilæ futuram mortem nunciauit, & eiuſdem feritatem, quam ex toto auferre nequiuit, terrendo minuit. Iuſtorum quippe fulgore enituit, qui more ſanctorum paracleti Spiritus gratia plenus fuit.

Neqve illud ſilendum arbitror, quod Giſulfus Princeps cum Amalfitani cuiuſdam opes depoſitas Salerni apud Obedientiam, monaſterii videlicet S. Nicolai de palma, cognouiſſet, ad locum acceſſit & depoſitum eruere tentauit: quod cum beato viro innoteſceret, præuenire Principem ſtuduit, vt videlicet arcæ illi inſideret, ne depoſitum quod intus latebat, ſine ſui iniuria educi potuiſſet. Tunc Princeps, qui tanto Patri iniurias inferre metuebat, quaſi per iocum manus ad arcam tendere, & vt ſurgeret de eadem arca rogare cœpit. Sed vir Dei exterioris calliditatis arte blandienti eadẽ voluit arte illudere, vt praue callentis intentio effectum habere minime potuiſſet: nam quoties ad arcam Princeps per iocum manum tendebat, vir Domini quaſi ſancte ludendo manum Principis baculo ferire minabatur, cumque hoc ſæpius fieret, & idem Princeps iam non ioco ſed ſerio & importune res arcæ latentes exigeret, vir Dei irato Principi non ſolum non acquieuit, ſed etiam facti temeritatem vehementer increpauit. Tunc Princeps tam conſtantia quam ſolertia ſancti viri ſuperatus receſſit, & depoſitum hominis intactum reliquit. Sed de tanti viri authoritate iſta tetigiſſe ſufficiat. nam ſi quis per ſingula cuncta deſcriberet, quoties ſcilicet ſe pro ſoluendis vinctis obiecerit, quoties, vt alios eriperet, ſemetipſum obtulerit, quibus aut quantis blandimentis & precibus, quibus minis & terroribus, quot item vicibus & artibus eundem Principem aggreſſus fuerit, non paginam, ſed enormem codicem impleret, quod profecto beati viri propoſitum quantum Domino placeret, apertis rebus oſtenſum eſt. V.

Quanta fuerit Leonis authoritas & iuſtitia.

Festvm quippe beatæ virginis & martyris Cæciliæ, pro affectu quem erga eiuſdem meritum habebat, ſolenniter celebrare conſueuerat, die autem illo qui feſtum eiuſdem prædicandæ virginis præibat, ita apud iam ſæpedictum Principem pro abſolutione vinctorum fuit occupatus, vt ad cellam niſi incumbentibus iam noctis tenebris redire nullatenus valeret. Peractis ergo negociis & more ſuo carceribus deprædatis, cum extra cellam manere noluiſſet, ad lumen cerei ſequentibus fratribus iter arripuit & reuerti ad monaſterium cœpit: tunc orta tempeſtate, inter immenſa ventorum flamina atque ingentis pluuiæ inundationem, ardentem cereum detuliſſe fertur, & ita ſicca veſtimẽta ac ſi ſereno & tranquillo aëre, aut operta porticu veniſſet. Spelunca etiam non erat longe à monaſterio, quam miræ magnitudinis ſerpens obtinuerat, cumq; terrore illius beſtiæ locum adire incolæ vehemementer metuerent, venerando Patri Leoni hoc intimare curauerunt: quod vt cognouit, ſe homo Dei in orationem dedit, atque in loco illo in quo erat, ita draco extinctus illius oratione eſt, ac ſi non hunc verbis imperaret, ſed trabali telo viſcerum eiuſdem ſecreta perculiſſet. VI.

Nota miraculum de veſtimentis eius, & ardẽte cereo.

Oratione occidit draconem

His ergo & huiuſmodi virtutibus clarus, cum iam plena dierum ſenectute grauaretur, æternæ quietis leuamine, pondere carnis depoſito, ſuſceptus eſt. Cuius vtique meritum, vt ipſa etiam eiuſdem morte clareſceret, *ſenioris elemẽti virtute ſubtracta, non ſine ingenti omnium mentium ſtupore monſtratum eſt. Venerabile namque ſancti viri corpus à flentibus & orantibus diſcipulis in oratorio ſeruabatur, cum vnus ex cereis ſuper feretrum cecidiſſet, & ſuper pallium quo operiebatur, vt erat ardens incubuit: ſed vt tanti viri meritum panderet, vim luminis habuit ſine ardore combuſtionis. Nam cum ad eundem lectum quidam fratres oculos leuarent, ardentem in pannis ignem adſpicerent, combuſtionis damnum accidiſſe crediderunt: cumque feſtinanter eundem cereum leuarent, ita operimentum ſancti corporis illæſum apparuit, ac ſi ignis in eo nullus cecidiſſet: tunc fratres omnes ingenti miraculo mirabilique lætitia ſtupere atque ſimul exultare cœperunt, dum ſancti Patris merita naturæ ſuæ ceſſatione elementa muta prædicarent. Quod fortaſſe ideo foris oſtenſum eſt, vt ſpiritualis etiam viri dignitas conuenienti miraculo ſpiritualiter ſignaretur. Aperte quidem recolimus, quia rubus in quo Dominus in igne apparuit, illuminatus eſt & non arſit, habuit lumen, ardore caruit, ſed vt ſedes Dei meritum habeat lucis, non habeat defectum diminutionis. VII.

* *Lenioris.*

Viri Dei ſanctitatem elementa muta prædicant.

Pater ergo venerabilis inſignibus & conuenientibus miraculis oſtenſus eſt: quia hunc, vt locum proprium diuina lux ſemper incoluit, quem vt emeritum illuſtrauit, & quæ in eo per ardorem punirentur nequaquam inuenit. Cuius etiam meritum ſi quis aliter velit hac oſtenſione cognoſcere, facile poteſt: nam perfectioribus electis per ſemetipſum veritas repromittit dicens: Capillus de capite veſtro non peribit. Illius ergo operimentum corrumpi igne non potuit, cuius nullus labor periit, ſed fructum optimum meruit æternæ mercedis. IIX.

Luc. 21.

An. 480.

DE S. EVGENIO CARTHAGINENSI EPISCOPO, ET PLERISQVE ALIIS, SVB HVNERICO VANDALORVM REGE MVLTA IN AFRICA *perpeſſis, ex lib. 2. Victoris Vticenſis de perſecutione Vandalica.*

Ivlii 13. Quo die Martyrologia eos habent.

Mortvo Geiſerico (*Vandalorum Rege*) Hunericus maior filius patri ſuccedit. Qui primordio regni, vt habet ſubtilitas Barbarorum, cœpit mitius & moderatius agere, & maxime circa religionem noſtram: vt etiam antea ſub rege* Geiſerico præiudicatum fuerat, ne ſpiritales fierent conuentus, conuenticula concurrerent populorum. Et vt ſe religioſum oſtenderet, ſtatuit ſolicitius requirendos hæreticos [a]Manichæos: ex quibus multos incendit, plurimos autem diſtraxit nauibus tranſmarinis: quos pene omnes Manichæos ſuæ religionis inuenit, & præcipue presbyteros & diaconos Arrianæ hæreſeos. Vnde magis erubeſcens, amplius in illos exarſit. De quibus repertus eſt vnus, nomine Clementianus, monachus illorum, ſcriptum habens in femore: Manichæus diſcipulus Chriſti Ieſu. Propter quod magis laudabilior memoratus videbatur, in vno diſplicens, quia cupiditati inſatiabili vehementius inhiabat, & prouincias regni ſui variis calumniis atque indictionibus onerabat, vt de illo præcipue diceretur: Rex egens, magnus eſt calumniator. Dedit autem licentiam, Zenone Imperatore atque Placidia relicta Olibrii rogantibus, vt Carthaginenſis eccleſia ſibi quem vellet Epiſcopum ordinaret, quæ iam per vigintiquatuor annos tali ornamento fuerat deſtituta. Mittit ergo tunc ad eccleſiam Alexandrum illuſtrem, huiuſmodi legationem ferentem, vt præſentia eius catholicus populus dignum ſibi peteret ſacerdotem, deſtinans quoque per notarium ſuum, nomine Witared, edictum, quod publice legeretur, hunc continens modum: Iuſſit vobis dominus dici, quia Imperator Zeno, & nobiliſſima Placidia, per Alexandrum virum illuſtrem ſcripſerunt, petentes vt eccleſia Carthaginis, religionis veſtræ proprium Epiſcopum habeat, hoc fieri præcepit atque eis reſcripſit, vel legatis ab eis directis dici iuſſit, vt ſicut petierunt, vobis Epiſcopum quem volueritis ordinetis: eo ſub tenore, vt noſtræ religionis Epiſcopi, qui in Conſtantinopoli ſunt, & per alias prouincias Orientis, ex eius præcepto Epiſcopi, liberum arbitrium habeant in eccleſiis ſuis, quibus voluerint linguis populo tractare, & legem Chriſtianam colere, quemadmodum vos hîc vel in aliis Eccleſiis, quæ in prouinciis Africanis conſtitutæ ſunt, liberum arbitrium habetis in eccleſiis veſtris Miſſas agere vel tractare, & quæ legis veſtræ ſunt, quemadmodum vultis, facere. Nam ſi hoc circa eos non fuerit obſeruatum, tam Epiſcopus, qui ordinatus fuerit, vel clerici, ſed & alii Epiſcopi cum clericis

* *Genſerico.*

[a] Hunericus Manichæos perſequitur

Zeno Imperator & Placidia, relicta Olibrii.

Miſſas agere.

Digitized by Google

clericis ſuis, qui in Africanis prouinciis ſunt, iubentur inter Mauros mitti. Quod edictum dum nobis præſentibus xiiij. Calendarum Iuliarum vniuerſæ eccleſiæ legeretur, gemere cœpimus muſſitantes, eo quod meditantibus dolos, malorum eſſet futura perſecutio præparata. Et ita legato dixiſſe probamur: Si ita eſt, interpoſitis his conditionibus periculoſis, hæc eccleſia Epiſcopum non delectatur habere. Gubernat eam Chriſtus, qui ſemper dignatur gubernare. Quam ſuggeſtionem legatus accipere neglexit. Simul & populus, vt tunc fieret, vt ignis exarſit: cuius erat clamor intolerabilis, qui nulla poſſet ratione ſedari.

II. Ordinato itaque Epiſcopo Eugenio viro ſancto, Deoque accepto, ſublimis nata eſt lætitia, & gaudium cumulatum eſt Eccleſiæ Dei. Exultat multitudo catholica ſub barbara dominatione, de ordinatione pontificis reparati. Nam maximus iuuenum numerus atque adoleſcentularum, ſibimet in commune congaudens atteſtabatur, quod nunquam vidiſſet Epiſcopum in throno ſedentem. Porrò ille vir Dei ſacerdos [b] Eugenius cœpit per côuerſationem operum bonorum venerabilis & reuerendus haberi etiam ab eis, qui foris ſunt, & ita eſſe omnibus gratus, vt ſi fas eſſet, animam ſuam pro eodem vniuerſos ponere delectaret. Eleemoſynas quoq; tales per eum [c] Dominus dignatus eſt facere, vt incredibile videatur tanta eum impendere, vbi eccleſia, totum Barbaris tenentibus, nec vnius nummi habere cognoſcitur facultatem. Humilitatem in illo, charitatem, pietatem diuinitus condonatam, ſi quiſquam incipiat, non poterit explicare. Pecuniam apud eum manſiſſe non probatur, niſi forte tali hora offerretur, quando iam ſol diei explicans curſum, nocturnis tenebris ordinem daret & locum. Vnde tantum reſeruabat, quantum diei ſufficeret, non quantum cupiditas expetiſſet, Deo noſtro ſubinde quotidie ingentia & maiora donante.

Eugenius ordinatur Carthagini Epiſcopus. An. 480.
b Eſt mire gratioſus apud omnes.
c Eius virtutes.

III. Sed cum fama eius eſſet celebris atque manifeſta, cœperunt exinde Arrianorum Epiſcopi inuidia grauiter torqueri, quotidianis & præcipue cum Cyrila calumniis inſectantes. Quid primum? Suggerunt de illo, vt ſuum nequaquam ſederet thronum, neque Dei populo verbum faceret conſuetum. Deinde, quoſcunque mares vel fœminas, in habitu barbaro incedentes, in eccleſia conſpiceret, prohiberet: Ille reſpondit, vt decuit: Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere: maxime quia ingens fuerat multitudo noſtrorum catholicorum, in habitu illorum incedentium, ob hoc quod domui regiæ ſeruiebant. At vbi ab homine Dei tale reſponſum accepit, ſtatuit in portis eccleſiæ collocare tortores. Qui videntes fœminam vel maſculum in ſpecie ſuæ gentis ambulantes, ilico palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibuſque in eiſdem colligatis ac vehementius ſtringentes, ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli dum hoc fieret, ſtatim oculos amiſerunt: alii ipſo dolore defuncti ſunt. Mulieres vero poſt hanc pœnâ capitibus pelle nudatis, præcone præeunte per plateas, ad oſtenſionem totius ciuitatis ducebantur. Quod ſibi magis, quæ patiebantur, lucrum maximum computabant. Quorum nos plurimos nouimus, nec ſcimus eorum aliquem tunc, etiam pœnis vrgentibus, à recto itinere deſtitiſſe.

Arriani illi inuident.
Crudelitas Arrianorũ & Regis An. 481.
Catholicorum conſtantia.

IV. At vbi iſto modo fidei infringere non valuit murum, cogitat vt noſtræ religionis homines in aula eius conſtituti, neque annonas, neque ſtipendia ſolita potirentur: addidit quoque & laboribus eos conterere ruſticanis. Dirigit viros ingenuos & admodum delicatos ad campum Vticenſem, vt ſub ardentis ſolis incendio cæſpites meſſium deſecarent: vbi omnes cum gaudio pergentes, in Domino lætabantur. In quorum contubernio quidam fuit aridam habens manum, quæ per annos quamplurimos nullum ei præſtiterat obſequium. Qui cum veraciter excuſaret ſe operari non poſſe, magis violentet iuſſus eſt pergere. Sed vbi ad locum ventum eſt, & præcipue pro eo orando ingemuerunt omnes, pietate diuina illa arida incolumis confeſſoris reſtituta eſt manus.

Viri nobiles ad ſecãdos cæſpites coguntur.

V. Hinc iam Hunerici perſecutio, doloris atque patrimonii noſtræ ſumpſit initium. Ipſe autem qui ſeſe iamdudum omnibus lenem oſtenderat, deſiderans poſt obitum ſuum, quod non contigit, regnum ſtatuere, Theodoricum fratrem *filioſque* eius, Gentoniſque fratris nihilominus filios, crudeliter ... qui. Quorum nullum dimitteret, niſi ei mors deſiderii ſui voluntatem auferret. Primo ſciens vxorem Theodorici ... attutam, credo ne forte maritum aut maiorem filium, qui prudens & ſapiens videbatur, conſiliis ... tyrannum armaſſet, crimine appoſito, gladio eam interfici iubet. Poſt occiditur & ille filius, magis ... cui ſecundum conſtitutionem [*] Geiſerici, eo quod maior omnibus eſſet, regnum inter nepotes potiſſimum debebatur. Accendit adhuc crudelius aliquid perpetrare. Adſtante vulgo in media ciuitate pro gradibus plateæ nouæ, Epiſcopum ſuæ religionis nomine Iucundum, quem Patriarcham vocitabant, præcepit incendio concremari, ob hoc, quod in domo Theodorici germani regis acceptiſſimus habebatur, cuius forte ſuffragio memorata domus regnum poterat obtinere. In quo impietatis ſcelere futurum nobis adeſſe proſpeximus malum, aientes ſinguli inuicem nobis: Qui in ſuo ita crudelis effectus eſt ſacerdote, quando noſtræ religioni vel nobis parciturus eſt iſte? Tunc & Gentonis maiorem filium, nomine Godagiſum, cum vxore abſque ſolatio ſeruuli aut ancillæ, crudeli exilio delegauit. Fratrem vero Theodoricum poſt occiſionem vxoris & filii, nudum atque deſtitutum ſimiliter exulauit. Poſt cuius mortem, filium, qui ſupererat, infantulum, duaſque filias eius adultas, impoſitas aſinis, longius affligendo proiecit. Sed & comites quamplurimos & nobiles gentis ſuæ obiectionibus falſis inſectans, ob hoc quod germano fauerent, alios incendit, alios iugulauit, imitator exiſtens Geiſerici patris, qui ſui fratris vxorem ligato pondere lapidum, in Amſagam fluuium Cirtenſem famoſum iactando demerſit, & poſt necem matris, etiam filios interfecit. Sed & multos ei [*] Geiſericus pater moriens, ſacramento interpoſito, commendauerat. Quos ille immemor fidei & ſacramenti violator, diuerſis pœnis & incendiis trucidauit. Nam Heldicam, quem pater eius præpoſitum fecerat regni, iam veteranum atque annoſum cum dedecore capite detruncauit, eiuſque vxore cum alia, nomine Theucaria, in medio ciuitatis incendit. Quarum corpora per vicos & plateas trahi mandauit, quæ tota die iacentia, rogatus à ſuis Epiſcopis, vix veſperi ſepeliri conceſſit: Gamuth namque Heldicæ fratrem, quia ad eccleſiam eorum confugerat, occidere non potuit: quem tamen in loco latrinarum obſcœno concluſit, temporeque multo eum ibi degere ſtatuit. Poſtea cum caprario quodam & ruſtico ad faciendas ſcrobes vineis profuturas condemnauit: quos etiam duodecies per annum, id eſt, per ſingulos menſes flagellis crudelibus diſſipabat, vix modico aquæ cibarioque pane conceſſo, hoc per quinque vel amplius perpeſſi ſunt annos, quibus hæc ſupplicia proficere poterant ad æternam mercedem, ſi catholici fuiſſent, & fidei ſuæ merito iſta perferrent. Sed ideo iſtud ſilere nequiuimus, vt impietatem regis etiam in ſuis minime ſileremus: qui non ſolum Epiſcopum ſuum Iucundum, vt ſuperius demonſtrauimus, flammis aduſſit, ſed & preſbyteros & diaconos ſuos, id eſt, Arrianos quamplurimos, incendit, necnon & beſtiis mancipauit.

Sæuitia Hunerici in ſuos fratres, &c.
* Genſerici.
Suum patriarcham comburit.
Vide inhumanem tyrannum.
* Genſericus.
Presbyteros & diaconos ſuos interficit.

VI. Amputatis igitur in breui omnibus, quos timebat, & ſolidans ſibi, vt putabat, regnum, quod breue fuerat & caducum, omni ex parte otioſus atque ſecurus, vniuerſa tela furoris in perſecutionem Eccleſiæ Catholicæ, rugiens ſicut leo, conuertit. Ante perſecutionis tamen tempeſtatem, multis præeuntibus viſionibus & ſignis, imminens demonſtratum fuerat malum. Nam ferme ante biennium, quam fieret, vidit quidam Fauſti eccleſiam ſolito in ornatu fulgentem: & dum lætaretur tanti fulgoris candore, cereis quoque fulgentibus, palliiſque velaminum ac lampadibus rutilantem, ſubito, ait, luminis illius concupiſcibilis extinctus eſt fulgor, ac tenebris ſuccedentibus, aduerſarius naribus natus eſt fœtor, omniſque illa beatorum turba, expellentibus quibuſdam Æthiopibus, minata eſt foras: ob hoc iugiter lamentatum, quod eam in claritate priſtina nequaquam viderit iterum reſtitutam. Nam viſionem iſtam nobis præſentibus ſancto retulit Eugenio. Vidit & quidam preſbyter ipſam Fauſti eccleſiam refertam turbis innumerabilium populorum, &

Viſiones variæ.
Nota de cereis fulgentibus &c.

Hæretici porci & capræ. *ventilatorij.

rum, & poſt paululum euacuatam, & repletam porcorum multitudine atque caprarum. Item alius vidit aream triticeam ventilationi paratam, granis adhuc * ventilationis iudicio necdum à palea ſeparatis: & dum ingentis maſſæ, licet confuſæ, magnitudinem miraretur, ſubito ecce turbo veniens tempeſtatis ſoniuago flatu cœpit aduentum ſuum ſurgente puluere demonſtrare. Cuius impetu palea illa omnis omnino volauit, remanentibus granis. Poſt hæc venit quidam procerus, ſplendido vultu habituque nitido fulgens, & cœpit grana vacua, macilenta atque ſimilagini reproba, purgando proiicere. Quæ diu examinans, vix magnitudinem illius maſſæ, licet probatæ, ad aceruum tamen perduxit exiguum. Item alius ait: Stabat quidam præcelſus ſuper montem, qui Ziquenſis dicitur, & clamabat dextera læuaque: Migrate, migrate. Alius conſpicit rugiente cœlo atque turbato ſulphuteas nubes, quæ ingentes cœperunt lapides iaculari. Qui lapides dum cecidiſſent in terram, plus accendebantur, & maioribus flammis ardebant, atque intrantes in penetralia domorum, quos inuenerant, incendebant. Qui autem vidit, ait, cum ſe in quodam cubiculo abſcondiſſet, miſeratione diuina ad eum flamma non potuit peruenire: Reor, vt illud propheticum compleretur: Claude oſtium tuum, & abſconde te puſillum aliquantulum, donec tranſeat ira Dei. Vidit & venerabilis Paulus Epiſcopus arborem vſque ad cœlos ramis florentibus extenſam, quæ etiam dilatatione ſua omnem pene Africam opacabat. Et cum vniuerſi eius magnitudine & ſpecioſitate gauderent, ecce ſubito, inquit, venit aſinus violentus, qui defricans ceruicem ſuam ſuper robur radicum eius, impulſu ſuo cum ingenti ſonitu illam mirabilem arborem eliſit ad terram. Sed & * Quintianus honorabilis Epiſcopus vidit ſe ſuper quendam montem ſtare, de quo conſpiciebat gregem innumerabilium ouium ſuarum: & in medio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes. Aderant autem ouium occiſores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant. Et cum ita fieret, omnis illa magnitudo conſumpta eſt gregis. Reor ergo illas duas ollas, *Siccam Veneriam & Laribus, duas eſſe ciuitates, in quibus multitudo prima fuerat congregata, è quibus incendium initium ſumpſit: aut Hunericum regem, & Cirilam Epiſcopum eius. Sed de multis viſionibus, quia breuitati conſulendum fuit, hæc dixiſſe ſufficiat.

Eſaiæ 26. Viſio Pauli Epiſcopi. Hunericus Rex, aſinus. * Quintianus. Item Quintiani Epiſcopi. * Siccam Veneream & Laribuſam.

Edictū Hunerici plane barbarum. An. 483. * Quo eodē. * Vendicaret. * Niſus.

QVID vltra? Cenſet primo tyrannus iuſſione terribili, vt nemo in eius palatio militaret, neque publicas ageret actiones, niſi ſeſe Arrianum feciſſet. Quorum ingens numerus vigore inuictus, ne fidem perderet, militiam temporalem abiecit. Quos poſtea domibus proiectos, omnique ſubſtantia exſpoliatos, in inſulas Siciliam & Sardiniam relegauit. *Quodam tempore ſtatuere per totam Africam feſtinauit, vt noſtrorum Epiſcoporum defunctorum fiſcus ſibi ſubſtantiam *vendicaſſet. Qui autem defuncto ſuccedere poterat, non ante ordinaretur, niſi fiſco regali quingentos ſolidos ebtuliſſet. Sed hoc ædificium vbi conſtruere * viſus eſt diabolus, ſtatim deſtruere illud dignatus eſt Chriſtus. Suggerunt ei domeſtici ſui, dicentes: Si iſtud firmauerit præceptio veſtra, noſtri Epiſcopi in partibus Thraciæ & aliis regionibus conſtituti, peiora incipient pati. Præcepit deinde ſacras virgines congregari, dirigens Vandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus ad inſpicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui ſuſpendio atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mammillis, & lateribus apponebant, quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite, quomodo Epiſcopi vobiſcum * concumbunt & clerici veſtri. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas. Aliæ, quæ remanſerunt, cutibus areſcentibus factæ ſunt curuæ. Nitebatur enim ſemitam inuenire, per cuius aditum publicam, ſicut fecit, faceret perſecutionem. Et ita faciens, nullo modo inueſtigare potuit, quomodo Chriſti eccleſiam macularet. VII.

Vide hæretici Regis belluinam feritatem. * Concumbant.

QVIBVS autem proſequar fluminibus lachrymarum, quando Epiſcopos, presbyteros, diaconos, & alia Eccleſiæ membra, id eſt, quatuor millia DCCCCLXVI. ad exilium eremi deſtinauit? In quibus erant podagri quamplurimi, alii per ætatem annorum à lumine temporali priuati. In quorum erat numero beatus Felix Abdiritanus Epiſcopus, habens iam in epiſcopatu 44. annos. Qui paralyſi morbo percuſſus, nec ſentiebat quicquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes, quod non poſſet iumento portari, ſuggeſſimus vt à ſuis Rex peteretur, vt ſaltem eum propere moriturum Carthagini eſſe iuſſiſſet, quod ad exilium nulla poſſet ratione perduci. Cui ita fertur tyrannus cum furore dixiſſe: Si animali ſedere non poteſt, iungantur boues indomiti, qui eum colligatis funibus trahendo perducant, vbi ego præcepi. Quem ex tranſuerſo ſuper burdonem vinctum, quaſi quendam ligni truncum, toto itinere portabamus. Congregantur vniuerſi in Siccenſem & Larenſem ciuitates, vt illuc occurrentes Mauri, ſibi traditos ad eremum perduxiſſent. Superuenientes igitur Comites duo, ſubtilitate damnabili, blandis ſermonibus cum Dei confeſſoribus agere cœperunt: Quid vobis, inquiunt, videtur, vt ita pertinaces ſitis, & Domini noſtri præceptis minime obtemperetis, qui eſſe * poteratis in conſpectu regis honorabiles, ſi eius feſtinetis facere voluntatem? Statim illis clamantibus & dicentibus ingenti vociferatione, Chriſtiani ſumus, Catholici ſumus, Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur: includuntur grauiori quidem, ſed adhuc latiori cuſtodia, vbi nobis copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & diuina myſteria celebrare. Ibi & infantuli fuêre quamplurimi, quos genitrices materno ſequebantur affectu, aliæ gaudentes, aliæ retrahentes: aliæ gaudebant ſe martyres peperiſſe, aliæ morituros diluuio rebaptizationis nitebantur à confeſſione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinauit ad terram. Nam quædam quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat. IIX.

Crudele tyranni reſponſum. *Poteritis. Præclara Catholicorum vox. Arriani ſuos rebaptizabant.

Inſigne pietatis catholicæ in anu exemplum. *Zuritanæ.

DVM iter ageremus cum Dei exercitu comitantes, & forte magis noctibus promoueremur propter ſolis ardorem, conſpicimus mulierculam ſacculum & alia veſtimenta portantem, manu infantulum vna tenentem, atque in his ſermonibus conſolantem: Curre domine meus: vides vniuerſos ſanctos quomodo pergunt & feſtinant hilares ad coronas? Quam nos cum increparemus, quod importuna videretur aut viris pro ſexu iungi, aut exercitui Chriſti ſociari, reſpondit: Benedicite, benedicite, & orate pro me & pro iſto nepote paruulo meo, quia & ſi peccatrix, filia ſum quondam * Quiritanæ ciuitatis Epiſcopi. Cui nos: Et quare ita abiecte ambulas, & qua ratione de iam longo itinere huc pergere demonſtras? Quæ reſpondit: Cum hoc ſeruo veſtro paruulo ad exilium pergo, ne inueniat eum ſolum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Ad hæc verba repleti lachrymis, nihil dicere valuimus, niſi vt voluntas fieret Dei. IX.

Exod. 15. Mire premuntur Catholici.

SED vbi aduerſarius, qui iam forte dicebat: Participabor ſpolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea: nullum potuit occupare, inquirit anguſta & teterrima loca, in quorum conclauibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam viſitationis humanæ negata conſolatio, puniuntur & cuſtodes fuſtibus, & grauiter affliguntur, iactantur confeſſores Chriſti ſuper inuicem anguſtia coarctante, vnus ſuper alium vt agmina locuſtarum, & vt proprie dicatur, vt grana precioſiſſima frumentorum. In qua conſtipatione ſecedendi ad naturale officium nulla ratio tinebat loci, ſed ſtercora & vrinam vrgente neceſſitate ibidem faciebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret: ad quos aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibus Vandalis, vix clam admiſſi ſumus intrare. Qui introeuntes, veluti in gurgite luti vſque ad genua cœpimus mergi, illud tunc Hieremiæ videntes fuiſſe completum: Qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſunt ſtercora ſua. Quid multa? præcepti ſunt, vndique perſtrepentibus Mauris, ad iter vbi deſtinati ſunt, *præparari. Exeuntes itaque die Dominica, linita habentes ſtercoribus veſtimenta, facies ſimul & capita, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: Hæc eſt gloria omnibus ſanctis eius. Aderat enim ibi tunc beatus pontifex Cyprianus Vnizibirenſis Epiſcopus, conſolator egregius, qui ſingulos pio & paterno fouebat * affectu, non ſine fluminibus currētium lachrymarum, paratus pro fratribus animam ponere, & ſe vltroneum, ſi dimitteretur, talibus paſſionibus dare, qui totum quod habuit, egentibus fratribus, * X.

Vide miſeriam. Thren. 4. *Properare. Pſalm. 149. Cyprianus Vnizibirēt. Epiſcopus egregius.

* Affatu. * In illa.

nulla

Digitized by Google

nulla tunc neceſſitate expendit. Quærebat enim occaſionem, qualiter confeſſoribus ſociaretur, ipſe animo & virtute confeſſor: qui poſtea per multos agones & ſqualores carceris, ad exilium quod deſiderabat, cum exultatione perrexit. Quantæ tunc multitudines de diuerſis regionibus & ciuitatibus, ad viſendos Dei martyres occurrerint populorum, teſtantur viæ vel ſemitæ, quæ cum agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium & vallium concurrens turba fidelium inæſtimabilis deſcendebat, cereos manibus geſtantes, ſuoſque infantulos veſtigiis martyrum proiicientes, iſta voce clamabant: Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi ſunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt, Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Qui nos ſolennibus orationibus ſepulturi ſunt morientes? à quibus diuini ſacrificii ritus exhibendus eſt conſuetus? vobiſcum & nos licebat pergere, ſi liceret, vt tali modo filios à patribus nulla neceſſitas ſepararet.

Vide deuotionem catholicæ plebis. — *Matth. 18.*

X In his vocibus & lachrymis nullus iam pergere admiſſus eſt conſolator, ſed arctabatur multitudo ad currendum, vt vbi cannaua erat præparata, laborioſam caperet manſionem: qui cum ſenes deficerent, & alii forte, etſi iuuenes delicati, cœperunt haſtilium cuſpidibus ad currendum & lapidibus tundi: vnde magis deficientes, amplius laſſabantur. Poſt vero imperatum eſt Mauris, vt eos qui ambulare non poterant, ligatis pedibus vt cadauera animalis mortui traherent per dura & aſpera lapidum loca, vbi primo veſtimenta, poſtea membra ſingula carpebantur. Quibus per gladios acutos petrarum, huic caput conterebatur, alii latera findebantur, & ita inter manus trahentium ſpiritum exhalabant: quorum numerum nequaquam valuimus colligere, multitudine coërcente. Exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis ſepultura ſanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad ſolitudinis loca perueniunt, in quibus collocati, hordeum ad veſcendum vt iumenta accipiunt. Vbi etiam venenatorum animalium atque ſcorpionum tanta eſſe dicitur multitudo, vt ignorantibus incredibilis videatur, quæ ſolo flatu etiam procul poſitis veneni virus infundat: ab ſcorpii autem percuſſu, nullum dicunt aliquando euaſiſſe. Quorum feritas virulenta vſque ad præſens tempus Chriſto defendente, nullum ſeruorum eius nocuiſſe docetur. Sed cum illic aluntur hordeaceis granis, poſtea & hoc ablatum eſt, quaſi non poterat Deus, qui pluerat Patribus manna, paſcere & nunc tali exilio mancipatos.

Multi animam reddunt. — *Hordeum cibus exulum catholicorum.* — *Exod. 16.*

XI. COGITAT acriora aduerſus Eccleſiam Dei, vt qui membra aliqua abſciderat, totum laniando perderet corpus. Nam die Aſcenſionis Domini *legato Zenonis Imperatoris, *rege non præſente, legendum in media Eccleſia Epiſcopo Eugenio dirigit præceptum, quod etiam vniuerſæ Africæ, veredis currentibus, deſtinauit: Rex Hunericus[a] Vandalorum & Alanorum, vniuerſis Epiſcopis Homouſianis: Non ſemel, ſed ſæpius, conſtat eſſe prohibitum, vt in ſortibus Vandalorum ſacerdotes veſtri conuentus minime celebrarent, ne ſua ſeductione animas ſubuerterent Chriſtianas. Quam rem ſpernentes plurimi, reperti ſunt contra interdictum Miſſas in ſortibus Vandalorum egiſſe, aſſerentes ſe integram regulam Chriſtianæ fidei tenere. Et quia in prouinciis à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus, ideo Dei prouidentia cum conſenſu ſanctorum Epiſcoporum noſtrorum hoc nos ſtatuiſſe cognoſcite, vt ad diem Calendarum Februariarum proxime futurarum, amiſſa omni excuſatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, vt de ratione fidei cum noſtris venerabilibus Epiſcopis poſſitis inire conflictum, & de fide Homouſianorum, quam defenditis, de diuinis ſcripturis proprie approbetis, quo poſſit agnoſci, ſi integram fidem teneatis. Huius autem edicti tenorem vniuerſis Epiſcopis tuis per vniuerſam Africam conſtitutis direximus. Data ſub die xiij. Calend. Iunias, anno vij. Hunerici.

**legatis.* — **regina præſente.* — *[a] Epiſtola impii Hunerici ad Eugenium Epiſcopũ.*

XII. COGNOSCENTIBVS igitur, qui aderamus, ſimulq; legentibus, contrita ſunt extemplo corda noſtra, & contenebrati ſunt oculi noſtri, & vere tunc dies feſti noſtri conuerſi ſunt in luctum, & cantica in lamentationem, dum edicti tenor indicaret futuræ perſecutionis furorem. Et præſertim vbi dixit, In prouinciis noſtris à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus: quaſi diceret, In prouinciis noſtris Catholicos eſſe nolumus. Tractatum eſt, quid fieret. Nullum inuenit remedium imminens clamitas, niſi à ſancto Eugenio rationabilis, ſi ecce barbarum molliretur, ſuggerenda daretur tali textu conſcripta: Quoties animæ vel vitæ æternæ ac fidei Chriſtianæ cauſa tractatur intrepide, ſicut regalis prouidentia compromiſit, neceſſe eſt quod competit ſuggeratur. Nuper poteſtas regia per Vitaredum notarium prauitatem meam admonere dignata eſt, qui nobis de merito ac religione fidei præceptum eius in eccleſia, præſente clero & plebe, recenſuit. Ex cuius tenore cognouimus ad omnes coëpiſcopos meos præceptum regium ſimiliter emanaſſe, vt die conſtituta pro diſputatione fidei veniatur. Quod nos venerabiliter accepiſſe ſuggeſſimus: cui præfato notario humilitas mea ſuggeſſit, debere etiam tranſmarinarum omnium partium, qui nobis ſunt in vna religione vel communione conſortes, agnoſcere, quia vbique regno eius obtemperant vniuerſi, maxime quod totius mundi cauſa, non ſpecialis prouinciarum Africanarum tantummodo. Et quia ſecundo reſponſo ſuggerendam me promiſi oblaturum, merito ſuppliciter peto magnificentiam tuam, vt ad domini & clementiſſimi Regis aures memoratam ſuggeſtionem meam perferre digneris, quo eius clementia dignanter agnoſcat, nos diſputationem legis cum adiutorio Dei nullatenus declinare vel fugere, ſed ſine vniuerſitatis aſſenſu nos non debere aſſerendæ fidei noſtræ cauſas aſſumere. Quod petimus, vt benignitate, *quantus eſt, & iuſtitia ſapientiæ ſuæ dignetur annuere. Data ab Eugenio Epiſcopo eccleſiæ Catholicæ Carthaginis.

Tob. 2. — *Scriptum S. Eugenii.* — *Res fidei ad vniuerſam ſpectat eccleſiam.* — **qua tantus.*

XIII. SED cum hæc ſuggeſtio à beato Eugenio offerretur, ille iam, qui conceperat dolorem, vrgebatur iniquitatem grauius parturire: & ita ſancto viro Epiſcopo Eugenio per Obadum præpoſitum regni ſui mandaſſe videtur: Subde mihi vniuerſum orbem terrarum, vt ſub poteſtate mea totus mundus redigatur, & facio, ô Eugeni, quod dicis. Ad quod beatus Eugenius reſpondit, vt potuit. Quod rationem, inquit, non habet, dici non debuit. Sic eſt hoc, quomodo ſi dicatur homini, vt per aëra feratur & volitet, quod moris non eſt humanæ naturæ. Dixi enim, ſi noſtram fidem, quæ vna & vera eſt, poteſtas regis cognoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos: ſcribam & ego fratribus meis, vt veniant coëpiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem noſtram valeant demonſtrare, & præcipue Eccleſia Romana, quæ caput eſt omnium eccleſiarum. Ad hæc Obadas: Ergo tu & Dominus meus Rex ſimiles eſtis? Eugenius Epiſcopus dixit: Ego non ſum ſimilis regis, ſed dixi: Si veram cognoſcere deſiderat fidem, ſcribat amicis ſuis, vt dirigant noſtros catholicos Epiſcopos: & ego ſcribo coepiſcopis meis, quia catholicæ vniuerſæ vna eſt cura. Hoc agebat Eugenius, non quia deeſſent in Africa, qui aduerſariorum obiecta refellerent: ſed vt illi veniſſent, qui alieni ab eorum dominatu, maiorem fiduciam libertatis haberent, pariterque oppreſſionis noſtræ calumnias vniuerſis terris & populis nunciarent. Ille autem, qui nectebat dolos, audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, vt quoſcunque Epiſcoporum audierat eruditos, variis inſectationibus agitaret. Iam ad exilium Vibianenſem ſecundo Donatianum, impoſitis centum quinquaginta fuſtibus, miſerat Epiſcopum, necnon & Suferulenſem Præſidem, virum ſatis acutum. Tunc & venerabiles Manſuetum, Germanum, Fuſculum, & multos alios fuſtigauit. Dum hæc geruntur, imperat vt cum noſtræ religionis viris, illorum menſam nullus communem haberet, neq; cum catholicis omnino* verſarentur: quæ res non ipſis aliquod præſtitit beneficium, ſed nobis maximum contulit lucrum. Nam ſi ſermo eorum, dicente Apoſtolo, ſicut cancer conſueuit ſerpere: quanto magis communis menſa ciborũ non poterit inquinare, cum dicat idem Apoſtolus: Cum nefariis nec cibum habere communem? Sed cum ignis iam perſecutionis accenderetur, & flamma infeſtantis vbique Regis arderet, oſtendit Deus noſter quoddam miraculum per ſeruum ſuum fidelem Eugenium, quod præterire non debeo.

Pſalm. 7. — *Reſponſum barbari Regis.* — *Romana Eccleſia caput omniũ eccleſiarũ.* — *Multi Epiſcopi mittuntur in exilium.* — **verſarentur.* — *2. Tim. 2.* — *1. Cor. 5.* — *Eugenius illuminat cæcum An. 484.*

FVIT

XV.

al. vigeretur. …*tur.*

a Hymni nocturni in eccleſia.

** viſionis,*

Fvit in eadem ciuitate, id eſt, Carthagine, quidam cæcus, ciuibus ciuitatique notiſſimus, nomine Felix: Hic viſitatur à Domino, diciturque ei nocte per viſum: (dies enim Epiphaniorum illuceſcebat) Surge, vade ad ſeruum meum Eugenium Epiſcopum, & dices ei, quia ego te ad illum direxi: Et illa hora, qua benedicit fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur, & videbis lumen. Qui tali viſitatione commonitus, putans ſe, quomodo aſſolet, deludi per ſomnium, ſurgere noluit cæcus. Sed cum iterum * vergeretur in ſomnos, ſimiliter vt ad Eugenium pergeret, compellitur. Rurſus negligit, tertioque feſtinanter & grauiter increpatur. Excitat puerum, qui ei ſolitus erat manum porrigere. Pergit veloci agilitate ad Fauſti baſilicam, orat veniens cum ingentibus lachrymis, ſuggerit cuidam diacono, nomine Peregrino, vt eum Epiſcopo nunciaret, indicans ſe habere aliquod ſecreti genus intimādum. Audiens Epiſcopus, iuſſit hominem introire. Iam enim ob celebritatem feſtiuitatis, [a] hymni nocturni per totam eccleſiam canente populo concrepabant. Indicat cæcus antiſtiti ordinem * viſitationis ſuæ, dicitque illi: Non te dimittam, niſi mihi, ſicut à Domino iuſſus es, reddideris oculos meos. Cui Eugenius ſanctus: Recede à me frater, peccator ſum & indignus, & ſuper omnes homines delinquens, vtpote qui & in hæc tempora ſeruatus ſum. Ille autem tenens genua eius, aliud non dicebat, niſi illud, quod iam dixerat: Sicut iuſſum eſt, redde mihi oculos meos.

XVI.

Felicem cæcum illuminat S. Eugenius.

** manante.*

Nota vocē hæreticis familiarem.

Ioan. 12.

Attendens quoque Eugenius inuerecundam credulitatem, & quia iam tempus vrgebat, pergit, cum eo, comitante officio clericorum, ad fontem. Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulſans ſingultibus cœlum, criſpantem benedixit alueum fontis, & cum completa ſurrexiſſet oratione, ita cæco reſpondit: Iam tibi dixi, frater Felix, peccator homo ego ſum: ſed qui te viſitare dignatus eſt, præſtet tibi ſecundum fidem tuam, & aperiat oculos tuos, ſimulque vexillo Crucis conſignante oculos eius, ſtatim cæcus viſum Domino reddente recepit. Quem ſecum quouſque vniuerſi baptizarentur, ibi detinuit ob hoc, ne tanto miraculo populus excitatus, virum contereret, qui receperat lumen. Fit poſtea manifeſtum Eccleſiæ vniuerſæ. Procedit ad altare cum Eugenio, ſicut moris eſt, qui fuerat cæcus, ſuæ ſalutis oblationem Domino redditurus. Quam Epiſcopus accipiens, altari impoſuit. Fit ſtrepitus gaudio * metante irreuocabilis populorum: ſtatim nuncius pergit ad tyrannum. Rapitur Felix, inquiritur ab eo, quid factum ſit, qualiterque receperit lumen. Dicit illi ex ordine totum, dicuntque Arrianorum Epiſcopi: Hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppreſſi confuſione, non poterant nubilare, eo quod Felix vniuerſæ ciuitati manifeſtus eſſet & notus, tamen volebant eum, ſi fas eſſet, necare, quomodo Iudæi ſuſcitatum Lazarum cupiebant occidere.

XVII.

Sic hæretici vincūt Catholicos.

Vide Luciferi aſſeclam.

Appropinqvabat iam futurus dies ille calumnioſus Calendarum Februariarum, ab eodem ſtatutus. Conueniunt non ſolum vniuerſæ Africæ, verumetiam inſularum multarum Epiſcopi, afflictione & mœrore confecti. Fit ſilentium diebus multis, quouſq; peritos quoſque & doctiſſimos viros exinde ſepararet, calumniis appoſitis necandos. Nam vnum ex ipſo choro doctorum, nomine Lætum, ſtrenuum atque doctiſſimum vitum, poſt diuturnos carceris ſqualiores incendio concremauit, æſtimans tali exemplo timorem incutiens reliquos eliſurum. Tandem venitur ad diſputationis conflictum, ad locum ſcilicet, quem delegerant aduerſarii. Euitantes igitur noſtri vociferationis tumultus, ne forte poſtmodum Arriani dicerent, quod eos noſtrorum oppreſſerit multitudo, eligunt de ſe noſtri, qui pro omnibus reſponderent, decem. Collocat ſibi Cirila cum ſuis ſatellitibus in loco excelſo ſuperbiſſimum thronum, adſtantibus noſtris, dixeruntque noſtri Epiſcopi: Illa eſt ſemper grata collatio, vbi ſuperba non dominatur elatio: ſed ex conſenſu communi venitur, vt cognitoribus decernentibus, partibus agentibus, quod verum eſt, agnoſcatur. Nunc qui erit cognitor, qui examinator, vel libra iuſtitiæ, vt bene prolata confirmet, aut praue aſſumpta refellat? Et cum talia & alia dicerentur, notarius Regis reſpondit: Patriarcha Cirila dixit, aliquos veſtrum ſuperbe & illicite ſibi nomen Catholicorum vſurpaſſe. Noſtri reſtati dixerunt: Dictum fuit: Legatur nobis, quo concedente iſtud ſibi nomen Cirila aſſumpſit. Et exinde ſtrepitum concitantes, calumniari aduerſarii cœperunt.

XIIX.

Cæduntur Catholici.

** ſpectare.*

Malo dolo agunt hæretici ſemper.

Nimirum hic bolus eſt, cui inhiant hæretici.

Et quia hoc noſtri petierant, vt ſaltem ſi examinare non licebat, prudenti multitudini vel * expectare liceret, iubentur vniuerſi filii Catholicæ Eccleſiæ qui aderant, centenis fuſtibus tundi. Tunc clamare cœpit beatus Eugenius: Videat Deus vim, quam patimur: cognoſcat afflictionem perſecutionum, quam à perſecutoribus ſuſtinemus: conuerſiq; noſtri, Cirilæ dixerunt: Propone quod diſponis. Cirila dixit: Neſcio Latine. Noſtri Epiſcopi dixerunt: Semper te Latine eſſe locutum manifeſto nouimus, modo excuſare non debes, præſertim quia tu huius rei incendium ſuſcitaſti. Et videns Catholicos Epiſcopos ad conflictum magis facilè paratos, omnino audiētiam diuerſis cauillationibus declinauit. Quod ante noſtri prouidentes, libellum de fide conſcripſerant, ſatis decenter ſufficienterque conſcriptum, dicentes: Si noſtram fidem cognoſcere deſideratis, hæc eſt veritas, quam tenemus. Qui cum noſter libellus legeretur oblatus, veritatis lumen nequaquam ſufferre cæcis oculis potuerunt, inſanientes vocibus inferendis, grauiterque ferentes, quare nos nomine noſtro Catholicos dixerimus. Statimque mentientes ſuggerunt Regi de nobis, eo quod ſtrepitum fecerimus, audientiam fugientes. Qui eadem hora accenſus & credens mendacio, feſtinauit facere quod volebat. Et iam conſcriptum habens, & occulte cum eodem decreto per diuerſas prouincias ſuos homines dirigens, Epiſcopis Carthagine poſitis, vna die vniuerſæ Africæ eccleſias clauſit, vniuerſamque ſubſtantiam Epiſcoporum & eccleſiarum, ſuis Epiſcopis munere condonauit. Neſciens quoque quid loqueretur, neque de quibus affirmabat, legem, quam dudum Chriſtiani Imperatores noſtri contra eos & contra alios hæreticos pro honorificentia Eccleſiæ Catholicæ promulgauerunt, aduerſum nos illi proponere non erubuerunt, addentes multas de ſuis ſicut placuit tyrannicæ poteſtati.

XIX.

** Genſerici.*

O barbarum hæreticum.

** proiecti.*

Mendaces ſemper hæretici.

Vis illata Catholicis

Conſtans Catholicorum vox

Post feralia edicta (*contra Chriſtianos Catholicos propoſita*) iubet rex Hunericus * Geiſerici filius cunctos Epiſcopos, qui Carthagine fuerant congregati, quorum iam eccleſias, domos & ſubſtantiam ceperat, in hoſpitiis, quibus erant, expoliari, & expoliatos foras muros propelli: non animal, non ſeruus, non mutanda, quæ ferebant, veſtimenta penitus dimittuntur: addens adhuc, vt nullus quempiam illorum hoſpitio reciperet, aut alimoniam præſtitiſſet. Qui autem hoc miſerationis cauſa facere tentaſſet, cum vniuerſa domo ſua incendio cremaretur. Sapienter tunc etiam * profecti Epiſcopi fecerunt, vt licet mendicantes exinde non abirent: quia ſi recederent, non tantum violenter omnino reuocarentur, ſed & mentirentur eos, ſicut mentiti ſunt, fugiſſe conflictum: maxime quia vbi reuerterentur, iam nequaquam fuerat eccleſiis ſubſtantia, vel domibus occupatis. Dum ergo gementes in circuitu murorum nudo ſub aëre iacerent, factum eſt, vt Rex impius ad piſcinas exiſſet. Cui vniuerſi occurrere maluerunt, dicentes: Vt quid taliter affligimur? pro quibus malis forte commiſſis iſta perpetimur? Si ad diſputationem congregati ſumus, quare expoliati? quare traducimur? quare differimur, & ſine eccleſiis & domibus noſtris foras ciuitatem fame & nuditate laborantes, mediis ſtercoribus volutamur? Quos ille toruis oculis adſpiciens priuſquam ſuggeſtionem eorum audiſſet, iuſſit ſuper eos cum ſeſſoribus equos dimitti, vt tali violentia poſſent non ſolum conteri, verumetiam necari. Quorum tunc multi contriti ſunt, & præcipue ſenes & infirmi. Tunc deinde iubentur ad quendam locum, qui dicitur Ædes Memoriæ, illi viri Dei occurrere, fraudem ſibi neſcientes aptatam. Vbi cum veniſſent, charta eis oſtenditur inuoluta, diciturque illis iſta ſubtilitate ſerpētis: Dominus noſter rex Hunericus, licet doleat, quod fueritis contēptores, & adhuc eius voluntati obedire tardetis, vt eius efficiamini religionis, cuius eſt ipſe, nunc tamen bonum de vobis cogitauit. Si iuraueritis ita, vt quod iſta charta continet faciatis, dimittit vos eccleſiis & domibus veſtris. Ad quod vniuerſi Epiſcopi reſponderunt: Semper dicimus, & diximus, & dicturi ſumus: Chriſtiani ſumus, Epiſcopi ſumus, Apoſtolicam fidem vnam & veram tenemus. Factoque poſt confeſſionem fidei ſilentio modico, illi qui à rege fuerant deſtinati, feſtinabant extorquere Epiſcopis ſacramentum.

Tvnc

XX. Tvnc beati viri Hortulanus & Florentinianus Epiſcopi, pro omnibus & cum omnibus, dixerunt: Nunquid animalia nos irrationabilia ſumus, vt neſcientes quid charta contineat, facile aut temere iuremus? Accelerauerunt quoque illi à rege deſtinati ſcripturæ eis propalare tenorem, qui huiuſmodi ſermonibus fuerat coloratus. Sic enim calumnioſa ſeries continebat: Iurate, ſi poſt obitum domini noſtri Regis, eius filium Hildericham deſideratis eſſe regem: vel ſi nullus veſtrum ad regiones tranſmarinas epiſtolas diriget: quia ſi ſacramentum huius rei dederitis, reſtituet vos eccleſiis veſtris. Cogitauit tunc multorum pia ſimplicitas, etiam contra prohibitionem diuinam ſacramentum dare, ne Dei populus in poſterum diceret, quod vitio ſacerdotum, qui iurare noluerunt, non fuerint eccleſiæ reſtitutæ. Alii quoque aſtutiores Epiſcopi, ſentientes dolum fraudis, nequaquam iurare voluerunt, dicentes prohibitum fuiſſe Euangelica authoritate, ipſo Domino dicente: Non iurabis in toto. Quibus miniſtri regis: Secedant in parte, inquiunt, qui iurare diſponunt. Qui cum ſecederent, notariis ſcribentibus quis quid diceret, & ex qua ciuitate fuiſſet, exceptum eſt. Similiter factum eſt & de illis, qui minime iurauerunt. Statimque pars vtraque cuſtodiæ mancipatur. Poſt vero fraus, quæ celabatur, apparuit. Iurantibus dictum eſt: Quare contra præceptum Euangelii iurare voluiſtis? Iuſſit rex, ad ciuitates atque eccleſias veſtras nunquam redeatis, ſed relegati, colonatus iure ad excolendum agros accipiatis: ita tamen, vt non pſallatis neque oretis, aut ad legendum codicem in manibus geſteris: non baptizetis, neque ordinetis, aut aliquem reconciliare præſumatis. Similiter non iurantibus ait: Quia regnum filii domini noſtri non optatis, idcirco iurare noluiſtis. Ob quam cauſam iuſſi eſtis in Corſicanam inſulam relegari, vt ligna pro futura nauibus dominicis incidatis.

Matth. 5. — Ecce prodit ſe fraus hæreticorum.

XXI. Addidit itaque beſtia illa, ſanguinem ſitiens innocentum, Epiſcopis necdum adhuc in exilium directis, per vniuerſas Africanæ terræ prouincias vno tempore tortores crudeliſſimos deſtinari: vt nulla remanſiſſet domus & locus, vbi non fuiſſet eiulatus & luctus, vt nulli ætati, nulli parceretur ſexui, niſi illis, qui eorum ſuccumberent voluntati. Hos fuſtibus, illos ſuſpendio, alios ignibus concremabant. Mulieres & præcipue nobiles, contra iura naturæ nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus vnam noſtram Dionyſiam, curſim ac breuiter nominabo. Cum viderent eam non ſolum audacem, ſed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipſam primo niſi ſunt fuſtibus expoliatam aptare. Quæ cum peteret, diceretque de Domino ſuo ſecura, Qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare: amplius illi magis furentes, celſiori loco veſtimentis exutam conſiſtunt, ſpectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum, dum riuuli ſanguinis toto iam corpore fluitarent, libera voce dicebat: Miniſtri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipſa eſt laus mea. Et quia erat ſcripturarum diuinarum ſcientia plena, arctata pœnis, & ipſa iam martyr, alios ad martyrium confortabat. Quæ ſuo ſancto exemplo vniuerſam ſuam patriam liberauit. Quæ cum ſuum vnicum filium admodum adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pœnarum formidoloſum conſpiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans authoritate materna, ita confortauit, vt matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera conſtituto, ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre catholica baptizati ſumus: non perdamus indumentum noſtræ ſalutis, ne veniens inuitator veſtem non inueniat nuptialem, & dicat miniſtris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor dentium. Illa pœna timenda eſt, quæ nunquam finitur. Illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur. Talibus itaque filium ſolidans verbis, velociter martyrem fecit. Venerabilis vero adoleſcens, Maioricus nomine, in certamine confeſſionis ſpiritum reddens, curſum palmiferum conſummauit. Amplexanſque illa hoſtiam ſuam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium ſpei futuræ in ſua domo maluit ſepelire, vt quoties ſuper ſepulchrum eius Trinitati preces effundit, alienam ſe à filio nunquam eſſe confidat. Quanti igitur per eam in illa ciuitate, vt fati ſumus, acquiſiti ſunt Deo, longum eſt enarrare. Nam & eius germana, nomine Datiua, atque Leontia filia ſancti Germani Epiſcopi, cognatuſque Datiuæ venerabilis Emelius medicus, religioſus quoque Tertius, Trinitatis confeſſione præclarus, vel Sibidenſis Bonifacius quanta pertulerint, qualibuſque cruciatibus euiſceratæ vel euiſcerati ſint, qui valet, ex ordine dicat. Seruus quoq; Tuburbitanæ ciuitatis Maiorus generoſi & nobilis viri, pro Chriſto quas pertulit, quis explicet pœnas? Qui poſt cædes innumerabilium fuſtium, trochleis frequentibus eleuatus, dum tota præ vrbe penderet, nunc in ſublime ſe tollente ictu celeri, dimiſſis iterum canabinis, ſuper ſilices platearum pondere corporis veniens, vt lapis ſuper lapides corruebat. Sed & ſæpius tractum, & lapidibus acutiſſimis deſiccatum, & cutibus ſeparatis, pelles corporis lateribus dorſoq; videres & ventre pendere. Iſte iam temporibus * Geiſerici non valde diſſimilia pertulerat, ne amici cuiuſdam ſui ſecreta nudaret: quanto magis nunc, vt ſuæ fidei ſacramenta muniret? Et ſi hominis gratiæ fideliter exhibuit fidem, quantum debet illi, qui redditurus eſt pro fide mercedem.

Crudeliſſimi tortores tota Africa vexant Catholicos. — Impudentia hæreticorũ. — Dionyſiæ illuſtris virtus. — *Matth.* 22. — Maiorici martyrium. — Maiorici ſepultura. — Atrox ſupplicium. — * *Genſerici.*

XXII. In ciuitate vero Culuſitana non valeo quæ geſta ſunt nunciare, quia & ipſam quantitatem martyrum vel etiam Confeſſorum impoſſibile eſt homini ſupputare. Vbi quædam matrona auctrix ſui nominis Victoria, dum in conſpectu vulgi continuato ſuſpendio crematetur, à marito iam perdito, filiis præſentibus taliter rogabatur: Quid pateris coniunx? Si me deſpicis, vel horum quos genuiſti, miſerere impia paruulorum. Quare obliuiſceris vteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperiſti? Vbi ſunt fœdera coniugalis amoris? Vbi ſocietatis vincula, quæ inter nos dudum honeſtatis iure tabulæ conſcriptæ fecerunt? Reſpice, quæſo, filios ac maritum & regiæ iuſſionis implere feſtina præceptum, vt & imminentia adhuc tormenta lueteris, ſimul & mihi donetis & liberis noſtris. Sed illa nec filiorum fletus, nec ſerpentis audiens blandimenta, affectum multò altius eleuans à terra, mundum cum ſuis deſideriis contemnebat. Quam cum iam continuatione ſuſpendii vulſis humeris, etiam qui cruciabant, conſpicerent mortuam, depoſuerunt prorſus omni parte exanimem. Quæ poſtea retulit quandam ſibi virginem adſtitiſſe, atque tetigiſſe membra ſingula, & ilicò fuiſſe ſanatam.

Innumeri martyres & confeſſores in ciuitate Culuſitana. — Victoria reuiuiſcit.

XXIII. Qvaliter autem Adrumentinæ ciuitatis ciuem Victorianum, tunc Proconſulem Carthaginis, prædicem, neſcio, deficientibus verbis. Quo in Africæ partibus nullus ditior fuit, qui etiam apud impium Regem pro rebus ſemper ſibi commiſſis fideliſſimus habebatur. Mandatur ei à Rege familiariter, diciturque, quod eum habiturus eſſet præ omnibus, ſi eius præcepto facilem commodaſſet aſſenſum. Sed ille vir Dei miſſis ad ſe tale dedit cum fiducia magna reſponſum: Securus de Deo & Chriſto Domino meo, dico quæ regi dicatis. Subigat ignibus, adigat beſtiis, excruciet generibus omnium tormentorum, ſi conſenſero, fruſtra ſum in Eccleſia Catholica baptizatus. Nam ſi hæc præſens vita ſola fuiſſet, & aliam, quæ vere eſt, non ſperaremus æternam, nec ita feciſſem ad modicum atque temporaliter gloriari, & ingratus exiſtere, qui ſuam fidem mihi contulit creditori. Ad quod tyrannus excitatus, quantorum temporum, & quantis eum afflixerit pœnis, humanus ſermo non poterit explicare. Qui tripudians in Domino, feliciterque conſummans, martyrialem coronam accepit.

Victoriani Proconſulis præſtans virtus. — Diuturnũ cruciatus.

XXIV. Apvd Tambaienſem quoque ciuitatem geſta, quis queat certamina martyrum explicare? Vbi duo germani Aquiſregienſis ciuitatis, ſibi ſecuri de Domino inuicem iurauerunt, & rogauerunt tortores, vt vna pœna parique ſupplicio torquerentur. Et dum primo ſuſpendio molibus lapidum pedibus alligatis tota die penderent, vnus illorum petiuit ſeſe deponi, & ſibi inducias dari. Cui frater alius, metuens ne fidem negaret, de ſuſpendio clamabat: Noli, noli frater, non ita iurauimus Chriſto. Accuſabo te, cum ante thronum eius terribilem venerimus: quia ſuper corpus eius & ſanguinem iurauimus, vt pro eo inuicem patiamur. Iſta dicens & alia multa, confortauit germanum ad prælium paſſionis. Qui clamans, ingenti voce dicebat: Adigite ſuppliciis quibus vultis, & pœnis Chriſtianos arctate crudelibus.

Fratrum duorum certamen.

Quod

huc & illuc circumagere? Nolo vlteriùs progredi, neque hinc eo proficiſci, quo me vultis ducere. Hæc cùm dixiſſet, rurſus dixit eis: Non ſatis fuit, quòd Calcedone tranſlata ſim Byzantium, & in mare proiecta fuerim, & hîc ſteterim? Cur etiam me vultis circumagere in partes inferiores? Hoc à me quidem ferri non poteſt. Nolite hoc facere: ſed facite, vt hîc quieſcam. Hæc cùm audijſſent, bonum capientes conſilium, & quæ iubebat martyr, impigrè exequi ſtatuentes, ædificauerunt domum oratoriam: & cùm omne onus nauigij conſumpſiſſent, & ſuas facultates Deo & martyri obtuliſſent, ſeipſos totonderunt, dicentes: Non dimittemus, ô benedicta martyr, tuas venerandas reliquias: ſed hîc vſque ad vitæ terminum precioſis tuis reliquijs diuiniſſimè aſſidebimus.

S. Euphemia apparet epiſcopo Lemni.

HIS ſic geſtis, ſanctiſſimus Lemni Epiſcopus venerabile templum ædificarat in illis temporibus. Viſum eſt VIII.
ergò, vt illuc portarentur ſacræ benedictæ Euphemiæ reliquiæ ad dedicationem templi, quod ab eo conſtructum fuerat. Et cùm ſupplex fudiſſet preces, & veniſſet ad reliquias benedictæ Euphemiæ, & illic totam noctem tranſegiſſet, ab eo viſa eſt in ſomnis martyr Chriſti, dicens: Ne aggrediaris facere, quod ſtatuiſti: non obediam enim hac in re tuæ ſanctitati: ſed abi ad ſororem meam & in martyrio ſociam Glyceriam, & ego illam rogabo. Ipſa autem ſe tibi tradet ad hoc, vt impleas quod deſideras. Expergefactus autem ſanctiſſimus Epiſcopus, fecit vt ei iuſſerat benedicta Chriſti martyr. Et hæc quidem facta ſunt illis temporibus.

Attende inuidiam diaboli.

ÆQVVM eſt autem, non præterire diaboli inuidiam, & quanam de cauſa hanc in benedictam Euphemiam IX.
excitauit tempeſtatem. Quandò Chriſti gratia, quarta, quæ fuit Chalcedone, ſynodus tempore beatæ memoriæ Marciani, qui piè & ſanctè imperauit, fuit congregata, cùm aduerſus Dioſcorum Papam Alexandriuum conueniſſet, & eum anathematizaſſet, rectæque & orthodoxæ fidei Symbolum confirmaſſet, & decretum expoſuiſſet columnam rectæ fidei, dubitantibus ijs, qui erant ex parte contraria, bono capto conſilio, dixerunt: Agè benedictæ Euphemiæ Martyris arcam aperientes, in eius, quæ ſunt in carne, & ſunt mirabilium operum effectrices, reliquijs librum imponamus, vt per eam nunc quoq; virtutum Dominus faciat miraculum, & per eius preces nobis aperiat, an ex eius voluntate editum ſit hoc decretum. Cùm hæc ergò feciſſent, ſimulatq; appropinquauit charta precioſis eius reliquijs, aliquid admirabile & magnum fecit Dominus opifex miraculorum. Nam cùm martyris mortuam & inanimam manum animaſſet, eam extendit. Cùm autem chartam manu accepiſſet benedicta Chriſti martyr, & eam eſſet amplexa, piæ rurſus reddidit fidei decretum miniſtris rectæ fidei. Hoc cùm omnes eſſent admirati, & ſtupore eſſent repleti, laudarunt Deum omnipotentem: & ſic in perfectione orthodoxæ fidei ſtabiliti, confirmarunt ſanctam & œcumenicam quartam ſynodum, per reuelationem, quæ facta eſt à benedicta Euphemia. Et ideò quæ inter ſanctas imagines cernitur, Chriſti martyr Euphemia, vbiq; ponitur habens chartam in manu. Propter hæc & ſimilia benedictæ Euphemiæ miracula, malorum author & inuidus commotus diabolus, meditatus tunc fuit inania aduerſus Chryſti martyrem, & machinatus eſt, vt ea mitteretur in profundum, vt priùs dictum eſt. Sed Dei prouidentia, ex profundo fluenti, ſanctiſſimi naucleri eius acceperunt reliquias.

Nota inſigne miraculum in confirmatione concilij

Vſus antiquus imaginum.

Conſtantinus Copronymus, ſceleſtiſſimus Imperator. Vide quem ducem ſequātur hodie noſtrates hæretici.

POST hæc autem è viuis exceſſerunt miniſtri Sergius & Sergonas, & propemodùm illa generatio, quandò Ty- X.
rannus Imperator, vita abrupta, reliquit Conſtantinum filium ſuum, virum ſceleratiſſimum & omni petulantia ac nequitia refertum, paternaque plenum contentione. Qui non ſolùm in ſanctas imagines ſuam extendit improbitatem, ſed etiam multa alia adinuenit in Deum & Dei eccleſias, pioſq; monachos & omnes, qui piè & ſanctè vitam inſtituebant: ſimul incendens & prophanans ſacras ædes, & ſanctorum reliquias exurens & diſſipans, & quæ ad Dei & ſanctorum gloriam fiunt, vigilias exſcindens: & quæ Dei prouidentia ſcaturiunt hominibus, aſpernans & nihil faciens ſanctificationes: & idololatras vocans eos, qui illis vtuntur, & ſanctorum abdicans interceſſiones, ſanctiſſimæque Deiparæ & ſemper virginis Mariæ auxilium & interceſſionem publicè amandans & expellens, Cruceſque, quæ in triuijs fidei conuenienter figebantur, deijciens, Trinitatis adorationem, quam à patribus accepimus in precatione, hinc & hinc mutare parans: eos autem, qui in clero erant forma præſtanti, eunuchos eligens, & ad ſuum ordinans ſeruitium: monachos alios quidem flagris, alijs verò blanditijs decipiens, & vt totum abnegarent, efficiens, ſæculares dignitates tribuendo: veſtes autem & vaſa diuina, quæ diuinas inſculptas habebant imagines, confringens & comburens, & alia per ſe peragens piacula & myſteria petulantiæ. De medio autem hunc quoque ſuſtulit Dominus virtutum fine miſerabili. Poſt huius verò mortem imperauit Leo huius filius. Is hæreſis quidem paternæ erat particeps, ſed expers actionis. Non erat enim crudelis, vt eius parentes. Nullus tamen in diebus eius dignatus eſt libere Dominum glorificare: ſed metus & ſtupor omnes inuaſerat orthodoxos, eis imminente impio cœtu eorum, qui nuper fuere ex ſchola patris. Quam cum ille execrandus plantaſſet Conſtantinus plantationem ferentem botrum amaritici, improbè educauit, & educatam inſanè in pios armauit: qui quidem multos monachos miſerabilibus ſupplicijs & morte affecere. Sed non in finem iratus eſt Dominus, neque faciem omnino auertit, ſed miſerans miſeratus eſt humani generis.

Perit miſere impius Conſtantinus.

Irene & Cōſtantinus reſtituunt religionem.

CVM autem huius quoque ramum morte affeciſſet, Leonem, inquam, qui genus ducebat è Scythia: excita- XI.
uit eius vxorem Irenen, & eius filium Conſtantinum, qui conuenienter nomini, mundo pacem procurabant. Quæ enim ab execrando eius ſocero facta erant & prophanata, reſtituebat & ornabat Irene: quos illi expulerant & in exilium miſerant, reuocans, & maternè omnes amplectens & fouens: & cùm illos immanes parricidas & piorum prædones ſcholares diuina extermināſſet prouidentia, & alios pro eis viros pios in numerum retuliſſet, & in ordinibus eorum loca impleſſet, & de diuinis rectè ſentire docuiſſet, & vt omnes orthodoxi aperta facie liberè gloriam Domini & rectam fidem enarrent, effeciſſet, profundam pacem per ipſam Deus donauit Eccleſijs. Sed ad benedictæ Euphemiæ ſcopum redeat oratio. Vbi ergo pia Imperatrix diuino zelo incitata, cœpit omnia reædificare, fractum templum benedictæ Euphemiæ ante alia omnia contendit rurſus ædificare & ornare. Quod etiam fecit, & cum id omni pietate exornaſſet, effecit, vt in id referretur, quod in eo olim Deo ſolebat fieri, incruentum ſacrificium: & Chalcedone ſtatuit epiſcopum. Erat enim ad hoc vſque tempus vidua, propter iniuriam ei illatam ab impijs Imperatoribus, qui beatæ Euphemiæ memoriam & ciuitatem delere ſtatuerant. Atq; diuino quidem zelo mota pia illa Imperatrix, de reliquijs beatæ Euphemiæ ſatagebat & erat ſolicita: & cùm omnes ad quærendam hanc rem ſanctam adhortaretur, ei, qui facit voluntatem eorum, qui ipſum timent, & implet conſilia eorum, qui ipſum inuocant, placuit, benedictæ Euphemię aperiri reliquias eo modo, qui eſt à nobis declarandus. Quas quidem, vt iam diximus, pij viri illi depoſuerant in Lemno inſula.

S. Euphemiæ templum inſtauratur.

ANNIS præteritis fuerant in eo loco occultæ & tectæ ſilentio, omnibus Inſulæ incolis maximam in eis fidem XII.
habentibus, & hoc arcanum conſeruantibus, partim quidem propter Tyrannorum inſolentiam, partim autem ne agnoſcerentur, & ab eis auferrentur huius, quæ multa & præclara ſubijt certamina, reliquiæ. Cùm autem inſignis & benedictæ martyris Euphemiæ miracula in omnem partem peruaderent, magnaque aduenarum multitudo ad reliquias conueniret, repentè quidam ex proceribus, nempe ex Apocriſarijs, ijs, inquam, qui dant reſponſa, mittitur ab Imperatore ad Occidentem: venitq; Lemnum, & contemplatur populi multitudinem, & ea quæ fiebant miracula. Cùm verò veluti quædam hoſtilis inuidia illum ſceleſtum inuaſiſſet, rogauit quænam hæc eſſet populi congregatio, & quænam ea, quæ fiebant. Cùm autem rectè didiciſſet, cœpit vociferari, & * terrere eos, qui illic conueniebant, popu-

* terrere.

Impius qui-

populos, ſic dicens: Oſſa rurſus habentur in honore? Sic docent Imperatores? Et multum minatus, diruit domunculam, in qua iacebat loculus benedictæ Euphemiæ. Cumque hæc feciſſet, fremens recedit. Illinc factum eſt, vt damnum martyr acciperet, & eius corpus vilipenderetur: Sed quoniam vbi vult Deus, vincitur ordo naturæ, & perit omnis humana ratio & inuentio, hoc accidit. Contigit enim, vt per ſucceſſionem ad quendam virum bonum perueniret benedictæ Euphemiæ habitaculum & oratorium: in quo oratorio repoſitæ erant venerandæ huius martyris reliquiæ.

dam diruit ædiculam S. Euphemiæ.

XIII. ERAT autem eis marmor impoſitum, quod illi pij naucleri impoſuerant, ab eis inſcriptum tali inſcriptione: Nos Sergius & Sergonas nauigantes per Helleſpontum, cum ex profundo ſuſtuliſſemus reliquias benedictæ & ſanctæ martyris Chriſti Euphemiæ, eius iuſſu eas hîc depoſuimus. Cùm ergò per ſucceſſionem huius loci hæres fuiſſet Anaſtaſius Comes clariſſimus, accidit vt quorundam æmulatione falſis appeteretur maledictis, & à ſuâ dignitate excideret. Is verò nihil cunctatus, venit Conſtantinopolim, volens in ſuum reſtitui Comitatum. Cùm autem (vt ſolet vnuſquiſque) quæreret aliquem inuenire, qui eum ſua interceſſione defenderet apud * Imperatricem, quidam ei dixerunt, Chalcedonenſem Metropolitanum ad id fore idoneum, vt qui poſſit libere & fidenter loqui, & maiora ſuſtineat & defendat negocia. Cùm ergò de eo interrogaſſet, inuenit illum in palatio: & cùm ad eius pedes procidiſſet, renunciauit ei propter quam cauſam adiit, rogans vt ſit eius interceſſor & adiutor. Contrà autem dicebat Metropolitanus, ſe id non poſſe facere. Poſtquàm ergò eum dimiſit, ingreſſus eſt in partem ædis Epiſcopatus, in qua eſt etiam templum benedictæ Euphemiæ, Pone autem eum eſt ſecutus vir diuina motus prouidentia. Templum verò Comes ingreſſus, cùm Deo diuinam emiſiſſet adorationem, ſedit in quodam loco.

Reſeruātur S. reliquiæ ab Anaſtaſio comite.

* Imperatorem.

XIV. AD eum autem accedens ſupradictus vir, qui erat vnus ex clericis templi, & cui ſua vice creditum erat officium, rogauit, cuias, & quiſnam eſſet. Ille autem ei ilico expoſuit, cuiaſnam eſſet, & quæ ei moleſta acciderant. Rogauit autem Comes clericum, cuiuſnam eſſet hoc templum. Is verò dicit, Benedictæ Euphemiæ. Ille autem reſpondens, & ſynceriſſimè manum pectori admouens, inquit: O meam omni ex parte benedictam Euphemiam! Ei verò rurſus dicit clericus: Quemadmodùm dixiſti tuam eſſe benedictam Euphemiam? Ille autem reſpondens, dicit: Domi meæ, & in oratorio meo eius venerandas teneo reliquias. Et is rurſus: Quomodo, inquit, fieri poterit? Vide, ô homo, ne fortè loquaris contra teipſum, nec eas poſſis oſtendere. Nam & Auguſta & Imperator eas curant diligenter quærendas. Quare Metropolitano quoque ea de cauſa iuſſere facere ſupplicationes. Ille autem rurſus: Pro certo habeat tua reuerentia, quòd reliquiæ benedictæ Euphemiæ, quæ erant Chalcedone, ſunt apud me. Sic confirmatus clericus, hæc lætus & exultans renunciat Andreæ ſanctiſſimo Metropolitano, gratulans & Dei prædicans magnalia. Qui cùm ſtatim acceſſiſſet Comitem, & ab eo fuiſſet factus certior, dedit gloriam Deo omnipotenti. Surgens autem, profectus eſt ad Taraſium ſanctiſſimum Patriarcham, & ei narrauit omnem rei ſeriem. Tunc profectus ſanctiſſimus Patriarcha ad Imperatricem, & eius filium Conſtantinum, qui erat orthodoxus & amicus martyrum, expoſuit omnia, quæ facta fuerant. Qui rem admirati, quæ erat præter opinionem, laudibus hymniſq; Deo emiſſis, magno ſunt affecti gaudio: & ſcapha quam primùm expedita, miſerunt Comitem ſuæ dignitati reſtitutum, donatùmque muneribus: & inſignes quoſdam clericos ex templo benedictæ Euphemiæ.

Taraſius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus.

XV. CVM ipſi autem in Lemnum deſcendiſſent, congregati ſunt, qui illic circumcirca habitabant, in ira & indignatione, nolentes dimittere ijs, qui miſſi erant ab Imperatore, reliquias benedictæ Euphemiæ. Qua de re cùm non leuis exorta eſſet perturbatio, videns Lemni ſanctiſſimus epiſcopus populi motum ad malum progredi, ſurrexit & ingreſſus eſt in medium eorum, vociferans & dicens: Cedite, ô homines: eorum enim, quæ fiunt, nihil fit ſine Dei nutu. Sic omninò Deo viſum eſt. Vitemus itaq; Regis indignationem: Ira enim regis, eſt tanquàm ira leonis. Hæc cùm dixiſſet, & plura alia, vir ſedauit multitudinem, ne ijs, qui venerant, aliquid mali facerent, & dicto Comiti. In eum enim concitatus erat populi animus clamantis: Per ipſum proditus fuit noſter theſaurus. Tunc ergo * ceſſarunt, & traducti ſunt ad pacem, & Deo dederunt gloriam, & laudem martyri, concedentes volentibus benedictæ Euphemiæ venerandas reliquias. Quas cùm accepiſſent, qui ad eas miſſi fuerant, tulerunt Conſtantinopolim, tota ciuitate, & Imperatrice, & ſanctiſſimo Patriarcha Taraſio egreſſis obuiam.

En quanti olim fiebāt ſacræ reliquiæ

Prou 19.

* ceſſerunt.

Reliquiæ S. Euphemiæ reuehuntur Conſtantinopolim Anno 796.

XVI. CVM eis ergò obuiam proceſſiſſent, & complexi eſſent cum ea, cum qua par eſt, glorificatione, depoſuerunt in eius templo, & in ea arca, in qua priùs martyr fuerat, & vnde execrandus & prophanus Imperator eam ablatam immiſit in profundum, Ij autem, qui eas intulerunt Byzantium, & proceres, & qui primas obtinebant apud Artabaſtinem & filias Imperatoris, & alij plurimi diripuêre reliquias. Quomodò etiam manum ſanctam, quæ librum accepit, * à Nicera Patritio cognomine Monomacho, qui in Sicilia Inſula martyri templum extruxit, dicunt illic fuiſſe repoſitam. Hinc itaq; factum eſt, vt pauca quædam oſſa capitis quæ remanſerant, in ea, quæ olim fuerat arca, clauderentur cum alijs reliquijs, quas etiam in hodiernum vſq; diem ſcimus ſeruari in arcula. Arbitror autem in dicta quoque Inſula Lemno relictas eſſe quaſdam partes corporis. O prouidentiam minimè inueſtigabilem. O quæ comprehendi non poteſt, potentiam altiſſimi Dei, qui facit omnia. Facit enim omnia, quæ vult. Audite ergò Reges, & intelligite. Auribus percipite principes, & intelligite. Diſcite qui poſſidetis terram, & obſtupeſcite. Videte Dei magnalia, & laudate eius, quæ comprehendi non poteſt, potentiam. Quis vnquàm ſperaſſet, aut expectaſſet inueniri poſſe reliquias benedictæ Euphemiæ, de qua ne ſola quidem fuerat tot annis collocutio, donec viſum eſt Domino virtutum, repentè, & inopinatò ſuæ, quæ comprehendi non poteſt, potentiæ facere miraculum? Nos autem cum indignis labris martyri parùm gratulati fuerimus, faciemus finem orationis.

Nota hæc Lector.

* ſublatā à

Pſal. 148.

XVII. GAVDE omni ex parte benedicta Euphemia, refugium Chriſtianorum. Gaude benedicta Euphemia, ſacrum ſacerdotum ornamentum. Gaude omni ex parte clara & inſignis Euphemia, refugium infirmorum. Gaude benedicta Euphemia, refugium oppreſſorum. Gaude beatiſſima Euphemia, Regum propugnaculum. Gaude beatiſſima Euphemia, decretorum tutela ſynodalium. Gaude benedicta Euphemia, mundo profundens vnguenta curationum. Gaude veneranda Euphemia, oris hæreticorum frenum validiſſimum. Gaude digna omni honore Euphemia, Barbarorum aduerſaria. Gaude omnium noſtrum refugium & munitio, quæ es apud Deum noſtri perpetua interceſſio. Memento autem ô Dei martyr, mei quoque humilis & infelicis, & ſuſcipe hoc vile & nullius notæ ſcriptum funebre meæ temeritatis, petens pro omnibus, qui cum deſiderio tuam venerabilem & miraculorum effectricem ſemper peragunt memoriam, Regibus & Paſtoribus, ſacerdotibus & monachis, principibus & ſubiectis, vt aſſequantur, vt ſedeant à dextris Dei, & bonis fruantur æternis, gratia & clementia Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui gloria & potentia cum patre principij experte, & ſanctiſſimo & conſubſtantiali & viuifico ſpiritu, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Vide miras laudes, quas in ſanctæ honorem profert, Euphemía cōfirmatrix S. œcumenici concilij Chalcedon.

Oratio Authoris.

Vitam S. Euphemiæ inuenies 16. Septembris.

An.760.
VITA S. HILDVLPHI ARCHIEPISCOPI TREVIRENSIS, ET PRIMI ABBATIS VOGASIENSIS, VT IN MS. CODICIbus habetur, quanquàm ſuſpicor hanc niſi Epitomen eſſe vitæ eius. Stylum modicè elimauit F. Iac. Moſander.

Ivlii 11.

De Milone vide 13 Ianuarij in præfatione ad vitam S Remigij.

Perpulchra eius facinora.

Quotidiè Miſſam celebrat.

I. HILDVLPHVS claro genere ortus, ac à iuuentute literarum ſtudijs traditus, in breui ita profecit, vt de virtute in virtutem quotidie proficiſcens, purus & integer ab his vitijs, quibus talis ætas ſolet implicari, perſiſteret. Deindè moribus eccleſiaſticis aſſuefactus, apud Ratisbonam vrbem clericali tonſura initiatus eſt. Intereà Milone Treuiren. Archiepiſcopo defuncto, totus clerus Hildulphum, eò quòd vir eſſet & animi & corporis nobilitate ornatus, in ſuum Antiſtitem vnanimiter poſtulat. Mox fama in aula Regis Pipini patris Caroli Magni percrebuit, atq; ex eius ſententia Hildulphus archiepiſcopatu dignatus declaratur, & ad id dignitatis aſſumendus diffinitur. Verùm Dei famulus, vitam magis diligens anachoreticam, fugam meditatus eſt, ſed detentus ac raptus à deuoto populo, in Galliam Belgicam deductus eſt, ac Treuirorum poſteà conſecratus Epiſcopus. Hoc igitur ſublimatus honore, quàm ſanctè & iuſtè vixerit, teſtantur perpulchra eius facinora. Tenerum namq; corpus ſuum, ieiunijs, abſtinentijs, alijſq; caſtigationibus ita affligebat, quaſi multa flagitia perpetrâſſet. Miſericordiæ operibus vacabat: prædicationibus & ſacrificijs ſalutaribus inſiſtens, nullum penè diem pertranſijt, quo non omnipotenti Deo ſacras hoſtias, pro ſalute mundi & requie defunctorum offerret. Qui vt bonus paſtor ſemina rectæ operationis præmittens, vberiores verbi fructus collegit, & quod ore docuit, operibus adimpleuit. Hic inter cætera magnifica ſua opera quæ geſſit, corpus S. Maximini Præſulis Treuirenſis à loco, quo eum S. Paulinus Aquitanus ſepelierat, in eum, quo nunc veneratur, tranſtulit.

Valedicit mundo.

* alias Vogaſi.

S. Deodati vita habetur 19 Iunij

II. POSTQVAM igitur multiplices pro grege Chriſti labores ſuſtinuiſſet, Archiepiſcopalem dignitatem reſignans, & quicquid habebat diuitiarum ac poſſeſſionum relinquens, vt olim concupierat, eremum ingreſſus eſt atq; à domino Iacobo Leucorum Antiſtite pœnitentiæ locum efflagitauit. Qui eius ſanctæ deuotioni annuens, ſaltum * Voſagi (vbi ſanctorum virorum cellæ, à ſanctiſſimo Deodato Epiſcopo priùs extructæ inueniebantur) eidem prouidit. Iam ad vicinam eremum prædictas Deodatus tranſmigrarat, huic Hildulpho, inſtituti monaſtici, perpetuus collega aſſumendus. Igitur cùm locum hunc habitare cœpiſſet ſanctiſſimus Hildulphus, qui montibus vndiq; circunſeptus, fluuiolo Rapido nomine, irrigatur, duas ſuper eundem eccleſias fundauit, primam videl. in honorem Dei genitricis Mariæ, quam medium monaſterium appellauit: alteram in honorem beati Petri & omnium Apoſtolorum conſecrauit. Quibus perfectis, ſoli Deo viuere cœpit. Cumq; fama ſancti nominis eius longè lateq; diſcurreret: multi viri tam ſæculari potentia, quàm nobilitate inſignes, ad eum ſæpiùs confluebant, ex quibus nonnulli cum eo remanebant, cæleſtis vitæ accenſi deſiderio. Itaque dum numerus accurrentium diſcipulorum ex diuerſis mundi partibus magis ac magis accreſceret, cœpit plures ibidem ædificare monachorum cellas, vt ab omnibus huius ſæculi nequam periculis liberi, cum ſancta Magdalena ſoli vacarent Deo & piæ contemplationi. Tunc per merita ipſius ſibique ſubiectorum Deus ibidem multa operatus eſt miracula. Cæci illuminabantur, claudi curabantur, dæmones fugabantur. Sed cùm ſanctus ille monachorum cœtus nimia infirmorum ac debilium hominum frequentia perturbaretur, atq; à ſancta contemplatione auocaretur: tertiam extra monaſterij clauſtra extruxit eccleſiam, quam S. Iohanni Baptiſtæ Domini dedicauit, in cuius circuitu adiecit domos, quibus hoſpitio exciperentur ſuperuenientes infirmi. Dum itaq; ex remotis etiam terris ad virum Dei fieret accurſus, contigit S. Erhardum Epiſcopum Rarisbonenſem eius tam ſanguine quàm ſanctitate germanum aduentare, quem ille benigno ac fraterno affectu ſuſcipiens, multo tempore; mutuæ ædificationis gratia, apud ſe detinuit.

Multi ſequuntur eius ſanctum inſtitutum.

Luc. 10.

S. Erhardus Epiſcopus Ratiſponē S. Hildulphi frater.

III. EODEM namque tempore, quo ſancta hæc & germana luminaria mutuæ conuerſationis vinculo connecterentur, defertur eis cuiuſdam Heſticonis Ducis filia, à natiuitate cæca, atq; vt eius miſereantur mœſti rogauerunt parentes, quam cùm ſancti Patres cognouiſſent eſſe gentilem, factam priùs catechumenam, Domino commendarunt, & pro ea humiliter deprecati ſunt. Poſteà verò S. Hildulphus eam baptizauit. Quam de more eccleſiæ, S. Erhardus de ſacro fonte excipiens, iam mente & corpore illuminatam nominauit Odiliam.

Cæca à natiuitate videt.

IV. HVIVS ergo tam præclari miraculi nouitate ſtupefacti parentes, totaq; regionis iſtius nobilitas, ſanctum Hildulphum maximè venerari cœperunt. Multi quoq; in augmentationem tam ſanctæ religionis ibidem inſtitutæ, ſua impendere auxilia. Ex quibus quidam nomine Beggo, ſuum fundũ, qui in hunc vſq; diem cella Beggonis appellatur, pro monaſterio conſtruendo viro Dei obtulit. Per maximam quoq; * Voſagi partem quæ Folcodi rupes nominatur, iure perpetuo tradidit poſſidendam. Sanctus igitur Hildulphus prænominatam Beggonis cellam ad honorem ſanctiſſimæ Crucis Dominicæ dedicauit: cui etiam profundiſſimæ humilitatis virum, Spinnulum nomine præfecit, vbi poſt multos labores numeroſaq. miraculorum inſignia idem abbas Spinnulus vitæ ſuæ diem clauſit extremũ. Cuius mors quam fuerit precioſa in oculis Domini, angelica reuelatio atteſtata eſt. Nam iuſſus fuerat Hildulphus defuncti corpus ad ſuum deferre monaſterium ac honorificè ſepelire. nec mora. Sanctus cinere, quo recubabat, excutitur, conuocatiſq; fratribus, obitum ſancti viri denunciauit. Qui accenſis cereis, ad exequias celebrandas properant. Vis itaq; ventorum, plùs ſolitò tunc inhorruerat, adeò vt permaximas quercus, antiquiſſimaſq; abietes in ſolum deijceret. In tali tamen turbine, ante corpus Sancti Dei, ardentes cerei vſq; ad locum ſepulcri delati ſunt, abſq; luminis damno. Sed & infirmi quiq; ſepulcrum eius viſitantes ſanabantur, quacunq; etiam detinerentur infirmitate. Tantus enim ibi fiebat populi concurſus, vt regionis iſtius indigenæ tentauerint ibi forum ſtatuere. Sed beatus Hildulphus ad tumulum S. Spinnuli accedens, dixit ei quaſi viuenti: Frater Spinnule, propter animarum pericula, concurrentes comprime turbas. Tunc ſignis ceſſantibus, frequentia quoq; ceſſauit accurrentis populi. Tandem beatus Hildulphus plenus dierum & ſanctitatis, correptus febre feliciter obdormiuit in Domino, æterno pro meritis coronandus brauio, quinto Idus Iulias. Plura de hoc ſancto habentur, quæ ad eius vitã ſpectant, 19. Iunij in vita S. Deodati Epiſcopi.

* Vogaſi.

S Spinnulus quantæ fuerit ſanctitatis.

Cærei ardentes verò non extinguuntur.

Fœliciter obit S Hildulphus.

An.854.
S. ABVNDII PRESBYTERI MARTYRIVM AVTHORE S. EVLOGIO LIBRO III. MEMORIALIS SANCTORVM CAP. XII.

Ivl. XI.

QVIDAM presbyter, Abundius nomine, de vico Ananellus, qui eſt in Montana Cordubenſi, exortus, ibidemq; ſacerdotium ſuum peragens, *ferunt, quorundã commento, vel fraude gentilium, ad martyrium fuiſſe * pertractum. Sed ille Dei famulus cum ſe quadam vocatione in ſacrificium verum cælitus aptari conſpiceret, quo nolens ducebatur, grato animo adijt. Ac ſic interrogatus à iudice, intrepida reſponſione rationem fidei pandens, vltimo ſceleroſum † dogmatiſtem; eiuſq; cultores veridicis aſſertionum obiectis inculcat. Ideoque ſub celeri indignatione peremptus, canibus & beſtijs deuorandus exponitur V. Idus Iulij, Era DCCCXCII.

* Hæc Latinius emendanda, aut legendum: fertur pertractus.

† Mahumetem intelligit.

VITA

VITA S. IOHANNIS GVALBERTI, AVTHORE (NI FALLOR) BLASIO MELANESIO, GENERALI ORDINIS VALLIS Vmbroſæ. Is enim ſcripſit huius beati viri vitam, ſed Codex MS. eius nomen non habebat. Stylum mutauit F. Laurentius Surius in gratiam Lectoris.

AN. 1050.

I. ANNO ſalutis milleſimo quadrageſimo claruit beatus Iohannes Gualbertus, primus architectus & fundator Ordinis Vallis Vmbroſæ, cuius profeſſores viuunt conuenienter Regulæ S. Benedicti, quibuſdam conſtitutionibus priuatis illi ſuperadditis, vtunturque habitu coloris cinericei. Habet autem is Ordo multa monaſteria in Tuſcia & Gallia Ciſalpina, quam Longobardiam vocant. Patria autem huius ſancti viri Florentia fuit. Parentes habuit nobiles. Pater Gualbertus dictus eſt, vir militaris. Cum adhuc iuuenis degeret in ſæculo, & pater eius Gualbertus, quem diximus, capitalis eſſet hoſtis cuiuſdam, qui eius cognatum iniuſte peremerat, eaque cauſa non Gualbertus modo, ſed etiam Iohannes filius eius vltionem expeteret: accidit quodam die, ipſum Iohannem cum armigero ſuo Florentiam proficiſci, in ipſo autem itinere venire ei obuiam ab inſperato hoſtem illum capitalem, idque loco tam anguſto, vt neuter poſſet à via deflectere. Tum vero hoſtis ille, quod inermis eſſet, nihil niſi mortem præſentem expectans, ſubito quadam concepta fiducia de clementia Iohannis, ab equo deſiliit, humique proſtratus, iunctis cancellatim ad pectus manibus, pro Crucifixi amore veniam ſibi dari humiliter poſtulauit. Compunctus Iohannes audito nomine Crucifixi, pacem illi obtulit propter amorem Crucifixi, qui pro ſuis hoſtibus ipſum crucifigentibus rogauit, ne perirent: iuſſitq; eum ſurgere à terra, metumque omnem ponere, quod iam ex animo ipſi culpam omnem condonaſſet, vt poſſet ipſe quoq; propitium experiri Deum: fecitq; ei copiam quo vellet recedendi.

IVLII 12.
Ordo Vallis Vmbroſæ à quo conditus.
S. Iohannis patria & parentes.
Vide pietatem.
Luc. 23.

II. PORRO ipſe vltra progreſſus, in quandam eccleſiam monachorum, quæ erat in itinere, ſe contulit, & cum coram imagine Crucifixi genua flecteret, vidit Chriſti à Cruce pendentis caput ad ſe inclinari, tanquam gratias ipſi agentis, quod pro eius reuerentia hoſti capitali peperciſſet. In tanti miraculi teſtimonium hodieque Crux illa in eccleſia S. Miniatis, in monte prope Florentiam, cum magna veneratione & cura ſeruatur: vbi olim fuit monaſterium monachorum, quos Nigros vocant: nunc vero Alborum eſt, id eſt, montis Oliueti. Iohannes autem ea Chriſti vocatione attractus, conſtituit ſæculo nequam valefacere, labentia cuncta deſpicere, vt Chriſtum in Cruce nudum ſuſpenſum, ipſe quoque nudus ſequeretur. Itaque ad iſthuc S. Miniatis monaſterium profectus, ab Abbate & fratribus humiliter petiit ſibi ſanctæ religionis habitum donari. Receptus igitur in laici habitu, pro monaſticæ vitæ conſuetudine comparat ſe ad capienda vitæ religioſæ experimenta. Interea pater eius audiens filium ſuum monachum futurum, ad monaſterium abit, filium ad ſe mitti poſtulat. Sed cum Iohannes ab Abbate ea de re interrogatus, non aſſentiret, timens ne quid à patre, homine ſeuero & aſpero, periculi ſibi crearetur: Abbas iniquum cenſebat, illum compellere & in diſcrimen conicere. Tum vero furore percitus Gualbertus pater, quod non daretur ipſi copia cum filio colloquendi, multas ei monaſterio minas intentauit, ſi auſi eſſent filium eius in ſuam ſodalitatem admittere. Multum igitur anxii formidabant monachi, ſi habitum monaſticum, quem ille obnixe poſcebat, Iohanni traderent, ne aliquo inſigni damno à patre eius afficerentur. Cum ergo nullus auderet veſte monaſtica eum induere, ille feruore ſpiritus inflammatus, cum ſibiipſe capitis comam totondiſſet, cucullum fratris cuiuſdam apprehendit, eumque ſuper altare in eccleſia reponens, hilariter ſibi induit, *cunctis* fratribus iuuantibus & congratulantibus illi. Etſi autem pater eius, vt illum vidit ea veſte indutum, initio a*cerbe tulit*, multumque doluit, ac propemodum amentia quadam correptus, ſe derelictum & deſolatum clamitauit: at tamen ab Abbate tandem & ab ipſo filio confirmatus, ſeſe colligens, & ad ſe rediens, conſolationem accepit, & filio beneprecatus, hortabatur vt in cœpto conſtanter perſeueraret.

Nota Lector, & diſce ignoſcere.
S. Iohannes monaſt. cũ habitum petit.
Id eius pater fert moleſtiſſime.
Mirabilis feruor S. Iohannis.

III. ITA ergo Iohannes iam monachus effectus, cœpit non ſeſe inertiæ & ſegnitiei dare, ſed ieiuniis & inedia vigiliiſq; domare corpus, ocium vitiorum ſentinam ſummopere vitare, in preces & pias meditationes religioſe incumbere: humilitatis, patientiæ, obedientiæ, cunctarumque virtutum de ſe exempla omnibus præbere. Non diu poſt Abbate ex hac luce migrante, fratres congregati, Iohannem in Abbatem vnanimiter eligunt. Sed illud munus vir Dei humiliter recuſans, malebat ſubeſſe, quam præeſſe: non ignorans, quo quiſque ſublimiori ſit loco conſtitutus, eo maiori in periculo eum verſari. At non ſic impii, non ſic: qui ſtimulante ambitione, per Simoniæ peſtem, per fas & nefas, per abrupta nitentes in ſublime, præcipites corruunt. Erat in eodem monaſterio frater quidam. Is praua cupiditate inflammatus, Abbatiæ illius adminiſtrationem, numerata Florentino Epiſcopo pecunia, ad ſe adduxit. Id vbi vir Dei comperit, cum alio ipſi fauente monacho clam ex monaſterio receſſit, veniensque Florentiam, quendam magni nominis ſenem adit cum ſocio. Teuzo is ſenex dicebatur, & apud beatæ Mariæ eccleſiam Florentiæ in quadam cellula ſe incluſerat, permultique ad eum confluebant, ſalutaria ab eo conſilia expetentes. Valde autem Simoniæ labem deteſtabatur, qua tunc multi in Dei Eccleſia contaminati erant. Ab illo igitur Iohannes ſciſcitabatur, num ſub Abbate Simoniaco intra ſuum monaſterium Chriſto militare deberet, vel quid ſibi faciendum eſſet. Conſuluit ille, vt cum ſocio palam in foro ciuitatis coram omnibus proclamaret, Epiſcopum & Abbatem Simoniæ vitio obnoxios teneri: ac deinde loco cederent. Quod conſilium, tametſi à communi legum conſuetudine abhorreret, ſimpliciter ille ſecutus eſt. Ea autem res magnum horrorem attulit multis, quibuſdam Epiſcopi ſtudioſis & amicis clamantibus, reum eſſe mortis, qui tanto viro tam fœdam labem adſperſiſſet: aliis vero eum excuſantibus. Porro è tumultu extractus, clanculum vix euaſit manus eorum, qui Epiſcopo fauebant: conſulenteque illo, quem diximus, ſolitario homine, è patria diſceſſit, & cum ſocio perquirere cœpit locum ad ſeruiendum Deo maxime accommodatum. Habebat tum apud ſe ſocius eius panem vnum, quem pro neceſſaria ipſorum refectione ſeruauerat. Eum vir Dei pauperi obuiam venienti ſtipemque petenti dari iuſſit, iactans cogitatum ſuum in Dominum, qui dat eſcam omnibus in tempore opportuno, nec ſua fiducia fruſtratus eſt. Cum enim ad caſtrum quoddam applicuiſſent, à multis abunde eis res neceſſariæ ſuppeditatæ ſunt.

Exercitia eius & virtutes.
Recuſat Abbatis functionem.
Teuzo incluſus.
Conſulit Teuzonem quid ſibi ſit agendum
Diſcedit è patria S. Iohannes.
Pſalm. 54
Pſalm. 144.

IV. VT autem ad eremum Camaldulenſem peruenere, non breuem illic fecere moram, illic degentium mores contemplantes & vitam, quæ quidem ſancta erat, ſed eremitica & ſolitaria. Cumque ab eius loci habitatoribus inuitarentur, vt ſe ipſis profeſſione coniungerent, beatus Iohannes magis appetens vitam cœnobiticam, quippe tutiorem, quam ſit ſolitaria, inde receſſit ea animi ſententia, vt alibi nouam quandam congregationem inſtitueret, ſancti Benedicti regulam ſecuturam. Veniens igitur ad Vallem Vmbroſam, à duobus monachis, qui illic Domino famulabantur, deuote ſuſceptus eſt: & cum locus ei arrideret, conſtituit illic ſedem figere, constructo quodam vili ex lignis domicilio. Sed non diu paſſus eſt Dominus lucernam ſub modio latere. Fama ſanctitatis eius per loca viciniora ſenſim ſeſe diffundente, permulti & clerici & laici eius inuiſendi cauſa, plerique etiam conuerſionis ſtudio ad eum venere, in quibus fuere, Etizo, Albertus, Teuzo, Rodulphus, itemque Petrus, qui poſtea fuit Albanenſis Epiſcopus Cardinalis, & complures alii. Porro Abbatiſſa quædam S. Hilarii, cuius monaſterii erat locus memoratus, poſtquam audiuit virtutes beati Iohannis & ſociorum eius, ſubſidio eis miſit alimenta quædam & codices. & poſtea conſentiente monaſterio, locum ei donauit cum rebus & poſſeſſionibus multis, publico ſcripto donationem illam confirmans.

Vita Camaldulenſium monachorum.

Fit primus Abbas Vallis Vmbroſæ S. Iohan.

POSTQVAM autem numero & merito ſatis illic monachi increuiſſent, placuit omnibus ipſum beatum Iohannem ſibi Abbatem renunciare. Iaque licet admodum renitentem & inuitum, in primaria ſede illum collocarunt, eius imperio pariturì. Tandem ille, ne diuinæ voluntati reſiſtere videretur, eis ceſſit: ſuſceptoque Abbatis miniſterio, mentem Regulæ beati Benedicti, quam complexi erant, accurate inſpiciens, modis omnibus eam obſeruandam curauit. Itaque prohibuit, ne vnquam monachi è monaſterio exirent, niſi propter res neceſſarias monaſterii, idque petita prius exeundi facultate. Voluit etiam noctibus nunquam in dormitorio lumen abeſſe, haud ſecus atque in oratorio. Ad vilitatem veſtium & paupertatem hortabatur fratres, tum etiam, vt ciliciis vterentur. Ex ouium ſuarum lanis variis iuſſit promiſcuè pannum fieri, vnde veſtes conficerentur. Quæ autem alios docebat, ipſe præ omnibus & ante omnes perfectius exequi ſtudebat. Erat in precibus aſſiduus, charitate diffuſus, humilitate lenis, patientia conſtans, in obiurgandis vitiis rigidus, erga pœnitentes benignus, in cunctis morum grauitate maturus, abſtinentia præcipuus, paruo admodum cibo potuque contentus, qui mortem arceret, non qui delicias adferret. Verum ex nimia viuendi auſteritate fracto ſtomacho, in eum morbum incidit, quem ſyncopen vocant, quo beatum Gregorium Pontificem vexatum legimus: ita vt niſi crebro fratrum opera cibus ei oblatus eſſet, animam acturus videretur. Qua moleſtia eum ad ſupremum vitæ diem laboraſſe nôrunt, qui eum nouerunt: ſed ille ſuis eam peccatis imputans, patientiſſime tolerabat. Putabatur autem diuina fortaſſis diſpenſatione eam illi eueniſſe, vt ſuæ infirmitatis experientia diſceret, quemadmodum ipſum oporteret aliorum miſereri. Cum enim initio pauci eſſent, qui propter auſteritatem eius poſſent inſtituta ſeruare, eo morbo correptus, tanta moderatione, diſcretione & miſericordia erga omnes imbutus eſt, vt nemo illo humanior videretur. Commiſſos, quos vocant, & Conuerſos ſiue Laicos fratres permultos recepit, eoſq; externis admouebat operibus, vt monachis tolleretur occaſio euagandi, poſſentque liberius orationi vacare. V.

Catalogus virtutum eius.

Infirmatur vt ſuis confratrib᷒ infirmis compatiatur.

Henricus II. Imperator.

PER id tempus Henricus rex Florentiam veniens, cum multas beati Iohannis virtutes auditione accepiſſet, quadam erga illum concepta beneuolentia, hortante Teuzone ſupradicto, miſit Epiſcopum Catholicum ad vallis Vmbroſæ monaſterium, qui ſummum altare conſecraret. Poſt aliquot vero annos Hubertus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, totum templum conſecrauit cum duobus aliis altaribus. Eodem tempore multi fideles nobiles loca obtulerunt aliis cœnobiis extruendis congrua, odore ſanctitatis eius inuitati. Alii rogabant eum, vt monaſteria diſſoluta, ſibi moderanda & gubernanda ſumeret, & ad ante dictam formam reuocaret. Conſtruxit tum recens vir Dei monaſterium ſancti Saluii, item aliud in Moſceta, tertium in Razulo, quartum in monte Scalario. Paginam quoque, iam vetuſtum monaſterium, reformandum ſuſcepit, atque aliud S. Reparatæ in Æmilia ſiue Romandiola. Horum autem ſingulis ſuos præfecit præpoſitos, ſæpiuſque illa viſitabat, corrigens quæ emendatione digna viderentur. Fuit autem vir Dei verus paupertatis amator, in omnibus illam præ ſe ferens & docens. Itaque cum monaſterium Muſcetanum viſitaret, videretq; ſtructuras grandiores & elegantiores, quam illorum paupertati congruere videretur, domino Rodulpho, eius loci Abbati vultu ſeueriſſimo dixit: Tu hoc in loco magnis impendiis, quibus plurimi pauperes foueri potuiſſent, propria voluntate palatia fabricaſti, conuerſuſque ad riuulum quendam exiguum iuxta manantem, ait: Deus omnipotens, qui minimis magna efficere ſoles, videam miniſterio puſilli riuuli iſtius enormis ſtructuræ huius celerem vindictam. His dictis, mox abiit, tanquam abominatus locum illum. Porro ſimulatque inde abiit, confeſtim riuulus cœpit increſcere, collectaque magna aquarum vi, locoque ſuo relicto, præceps à monte ruit, & petrarum ſcopulos atque arbores ſecum trahens, ſtructuras illas funditus euertit. Quamobrem Abbas cum fratribus perturbatus, cœnobium alio transferre voluit. At pius pater benigne eos conſolans, dixit: Nolite timere, nec mutetis locum, nihil ab hoc riuulo deinceps accepturi detrimenti. Quod quidem eius vaticinium vſque in hodiernum diem compleri certum eſt. VI.

Multa extruit monaſteria.

Zelus paupertatis eius.

Deus non elegantes fabricarum ſtructuras, ſed animarū expetit.

ALIO tempore cum audiſſet quendam conuerſionis gratia cœnobium petiiſſe, totumque patrimonium ſuum in charta ſcriptum, neglectis hæredibus, ſecum eo apportaſſe, mox illud monaſterium adiit, & Abbati, qui chartam illam receperat, imperauit, vt ſine mora eam ſibi exhiberet. Quam acceptam diſcerpſit, humi abiiciens fragmenta eius. Putabat enim rationi & æquitati magis conſentaneum, exiguis contentum viuere, quam auctis opibus ſuperbia efferri. Deinde valde commotus, zelo ſanctæ paupertatis, Deum & Apoſtolum eius rogauit, vt ipſum de illo cœnobio vlciſcantur: confeſtimque iratus abſceſſit. Nec longe abierat, cum ecce repentinus extitit ignis, monaſterium illud magna ex parte abſumens. Vt autem ſocius eius vidit incendium, & ei indicauit, nec retro reſpicere voluit, nec eo referre pedem, ſed ad Vallem Vmbroſam iter proſecutus eſt. VII.

Ignis cœleſtis vlciſcitur monaſterium.

QVO in monaſterio cum reſideret, & Stephanus Romanus Pontifex per vicina loca iter haberet, audita celebri fama eius, nuncios ad eum miſit, viros honoratos, orans vt ipſius conſpectui ſe præſentare non grauaretur. Sed cum aduerſa valetudo non ſineret eum ad ſanctitatem illius proficiſci, Pontifex denuo nuncios miſit, fortaſſis quod exiſtimaret eum modeſtiæ & humilitatis cauſa nolle venire, indignumque ſe arbitrari, qui coram ipſo appareret, vel etiam cupere eum latere. iuſſitque, vt ſi aliter venire non poſſet, in lectica ſe adduci pateretur. Cernens igitur vir Dei mentem Pontificis, in eccleſiam ingreditur, rogatque Dominum, vt citra ſcandalum & inobedientiam aliqua ratione id efficiat, ne cogatur ipſe ſummo Pontifici ſeſe præſentem exhibere. Deinde ſurgens ex lecto, coram nunciis Pontificis conuerſos aliquot ad ſe accerſiri iubet, qui ipſum ad Pontificem perferant Sed cum paululum à monaſterio diſceſſiſſent, mox ingens extitit aëris tempeſtas, ventis ſæuientibus, & immenſo imbre è cœlo ruente. Quod legati cernentes, & non ſine diuino miraculo fieri credentes, illum ceu verum Dei hominem, in monaſterium reduci mandant, beatiſſimo Pontifici rem, vt erat geſta, referentes Qui deinceps noluit eum ad ſe acciri, vt in ſua quiete permanens, pro felici Eccleſiæ ſtatu Dominum oraret. IIX.

Stephanus X. Rom. pontifex.

NEC defuit viro Dei gratia diſcretionis ſpirituum, neque donum prophetiæ, quo occulta hominum, ſoli Deo cognita, diuina reuelatione edoctus, enunciauit. Si quis ad monaſterium veniret, monaſticum habitum petiturus, ex eius adſpectu cognoſcebat, num Dei ſpiritu moueretur. Cum eſſet in Paſſiniano monaſterio, quidam ad eum venit, dicens ſe velle mundum relinquere. Is primo apud eum repulſam paſſus eſt, ſed cum importune inſtaret, à piiſſimo patre receptus eſt. Is igitur in conuerſionis initiis pro more confeſſionem faciens, quædam peccata dixit, maiora præ verecundia reticuit. Gerardus, homo dicebatur. Ait itaque quodam die vir ſanctus ad eum: Quid ita Gerarde mihi imponere voluiſti? Illo dicente, Qua in re, pater ſancte, tibi impoſui? Vir Domini ad partem eum trahens, ſecreto dixit ei: Ea in re decepiſti me, immo vero teipſum potius, quod non es integre confeſſus peccata tua. In ipſa enim Epiphania Domini & pridie eius diei cum illius hominis vxore adulterium perpetraſti, nec tamen in confeſſione dixiſti: quodque deterius eſt, etiam in propoſito eius adulterii iterandi perſeueras His ille auditis, cum agnoſceret peccatum ſuum, nec dubitaret diuinitus beato viro reuelatum, quod ſciret eſſe occultum, proſtratus ad pedes eius, cum lachrymis veniam petiit, egitque pœnitentiam. IX.

Pollet ſpiritu prophetiæ.

Aperit ſecreta cordium.

QVIDAM vir nobilis & diues, viro Dei familiariſſimus, Vbaldus nomine, grauiſſima laborabat valetudine. Vxor vero eius iamiamque animam acturum expectabat, miſitque Beuronem familiarem ſuum ad virum Dei, vt eum de mariti imminente obitu faceret certiorem. Venit Beuro celeriter ad hominem Dei, in monte Scalario tunc commorantem, indicauitque illi, quid haberet in mandatis. Tum beatus Iohannes, verſus ad Orientem luminibus, fuſaque ad Deum prece pro homine moribundo, Beuroni dixit: Redi ad tuos, quem enim reliquiſti ſupremum trahentem ſpiritum, ſanum X.

Sanat moribundum.

tum, ſanum

tum, ſanum & lætum offendes. Ita nimirum & ægro obtinuit ſanitatem, & rem Beuroni incognitam explicauit atque prædixit.

XI. MANENTE viro Dei in monaſterio Paſſiniano, Leo Papa illac tranſiens cum curia ſua, volebat illic cibum capere. Quæſiuit ergo vir ſanctus ex œconomo ſuo, num piſces haberet beatiſſimo Pontifici offerendos: cumque didiciſſet nullos eum habere, conuerſos quoſdam iuſſit ire piſcatum in fluuio ſiue lacu vicino. Cunctis affirmantibus illic piſces non inueniri, perſtitit in ſententia, dicens vt irent, & Domini auxilium ſibi adfuturum minime dubitarent. Itum eſt ergo, & duo magni lucii capti ſunt. Eos cum omnium admiratione apportatos, ipſe vir beatus Pontifici obtulit, gratiſſimo animo illos accipienti. Viſcera pietatis & miſericordiæ magna erant in illo, eaque eum permouebant, vt multis modis miſerorum inopiam ſubleuaret, ipſe inops & pauper. Ab infantia enim creuerat cum illo miſeratio. Reuerſus quandoque ab aliorum viſitatione monaſteriorum ad ſuum Vmbroſianum, memor inopiæ, qua multi tum premebantur, diſpenſatorem ſuum Gofredum, & Procuratorem Ruſticum nomine, vocans ad ſe: Inſpiciamus, inquit, horreum, vti ſe habeat. Vt vidit autem abundè illud repletum: Quam multi, inquit, fame opprimuntur in hac annonæ caritate, & vos abundatis? Iuſſitque adferri vas quoddam, quinque plus minus capiens modios, illudque frumento impleri: quod ab hora tertia vſque ad nonam per ſeipſum grata liberalitate pauperibus aduentantibus elargitus eſt: manſitque horreum æque, vt antea, plenum.

Leo IX. Papa.

Piſces capiuntur, vbi nulli erant.

Eius commiſeratio in pauperes quanta fuerit.

Frumentum elargitur, nec minuitur.

XII. FAME populum quodam tempore premente, beatus pater ſtans ante fores monaſterii de Razuolo, videnſque gregem vaccarum eius in montis iugo herbas capere, nec haberet alimoniam, quam petentibus pauperibus largiretur, ita precatus eſt: O ſancte Paule, ſi velles vnam ex his vaccis cedere in vſus pauperum. Confeſtim vacca deorſum corruens, extincta eſt, cuius carnes iuſſit egenis diſtribui. Ea diſtributa, ſimiliter petiit ſibi & ſecundam & tertiam & quartam dari: eaſque omnes pauperibus dedit. Ea re contriſtati paſtores, gregem ad aliud montis latus abduxêre. Sed vir pius pauperum precibus ſatisfacere deſiderans, nec habens tamen, vnde id poſſet, cum lachrymis orauit: Sancte Paule, iſti loci mutatione fugere moliuntur: ſed te, qui loci huius patronus es, effugere non poſſunt. Tu qui miſericordiam & eleemoſynas præſtandas docuiſti, dona mihi, vnde pauperes ſuſtentare queam. Mox aliæ quinq; vaccæ ruerunt præcipites, quas eo caſu extinctas iuſſit pater ſanctus pauperibus erogari. Id vbi paſtores aduerterunt, grauiter de illo conqueſti ſunt, aſſerebantque ſatius eſſe curare illum reduci ad ſuum Vallis Vmbroſæ monaſterium, quam cum tanta ipſorum iactura illic eum hærere. Quibus ille placide reſpondit: Video vos hac re afflictos: ſed bono animo eſtote: nullius porro vaccæ iacturam facietis. Id quod etiam ſic euenit. Alio tempore cum non haberet panes, quos daret, totum lac pauperibus iuſſit erogari. Quædam etiam pluuiæ receptacula, Valli Vmbroſæ donata, tempore inopiæ vendidit, & precium pauperibus diſtribuit.

Vaccas mactas dat pauperibus.

Item lac eârum.

XIII. MVLTA edidit miracula: multos morbidos ſanitati reſtituit. Ægrotus quidam, Florentinus nomine, filium habens ex morbo iam ad extrema tendentem, ad venerabilem patrem, qui tum apud S. Saluium erat, venit, ſalutem poſcens filio ſuo. Sancto viro reſpondente, nō hæc ſua ſed Apoſtolorum eſſe opera, ille nihilo minus in precibus perſeuerauit. Tum vir pius commiſeratione victus, cum fratribus pro illo rogauit Dominum, & ilico curatus eſt. Accidit quandoque, vt fratres nimia egeſtate, non niſi tres panes in monaſterio haberent. Illos beatus pater iuſſit diuidi, & ſingulis ſingulas particulas apponi. Simul autem perpendens, neceſſitati non eſſe præfixam legem cum cellario ſuo egit, vt aries vnus occideretur, & coctus fratribus apponeretur: Hodie, inquit, penuriam patimur, cras abundabimus. Itaque hora prandii fratres ad menſam ſedentes, ſinguli particulas ſuas panis comederunt: à carnibus autem appoſitis omnes abhorruerunt, nec eas pro ſui canonis reuerentia attingere voluerunt. Poſtero die, vt vir ſanctus prædixerat, venerunt quidam *ad beati Saluii* monaſterium cum multis iumentis, frumento & farina onuſtis, aſſerentes à nobilibus ſe miſſos eſſe. Sed *quinam illi* nobiles fuerint, reſciri non potuit. Eiuſdem generis aliud contigit alio tempore. Cum enim pane deficiente, iuſſiſſet bubulam fratribus apponi, & illi non auderent contingere, orante viro Dei, quidam monaſterii fores pulſauit. Ad quem Cellarius exiens, vidit eum multos panes adferentem: quos ille fratribus ad menſam importauit, gratias Deo agentibus, qui dat eſcam in tempore opportuno. Porro Cellarius reuerſus ad fores, vt nomen hominis cognoſceret, qui illos panes miſiſſet, neminem illic inuenit. Ille enim piſtor miſerat panes, qui filiis Iſraël manna è cœlo præſtitit in deſerto.

Sanat moribundum.

Frumentum apportatur, ſed neſcitur, vnde.

Pſalm. 144.

Exod. 16.

XIV. QVIDAM mente captus cum ad Paſſinianum monaſterium iret, vt illic curaretur, cum aliis fluuium Arnum nauigio tranſmittens, impellente veſania, in medium flumen ſe præcipitem dedit: ſed virtute Dei & meritis beati viri, ad ripam fluminis incolumis euaſit. In monaſterio Vmbroſiano quidam frater male habebat. Quæ ergo medicina ei parata fuit, eam vir ſanctus ſua manu ei præbuit, moxque negocio quodam emergente, alio feſtinus abſceſſit. Interim æger ille non ſatis caute ſe gerens, morbo increſcente poſt paucos dies vita functus eſt: atque eius obitum, vt habet conſuetudo omni congregationi, is, quem Suppriorem vocant, literis denunciauit. Interea vir Dei reuertens, & de fratris deceſſu factus certior, cauſam mortis eius cognoſcere ſtuduit. Quæ cum ei expoſita eſſet, mandauit in tota congregatione aboleri memoriam eius propter illius inobedientiam, quod ſe non ſatis caute cuſtodiuiſſet. Cum ſic igitur fieret, nec quiſquam pro eo oraret, aliquot dierum euoluto ſpatio, clara die defunctus cuidam fratri apparuit, eique indicauit ſe eſſe illum, qui à vita migraſſet. Illo vero ſciſcitante, quo in ſtatu res ipſius eſſent, reſpondit ſe excommunicatum eſſe, & per patrem Iohannem à fidelium conſortio ſegregatum: quod accipiendum eſt de ſuffragiis. Illo rurſus percontante, qua poſſet ratione iuuari, reſpondit defunctus: Si me ſanctus Iohannes reconciliare voluerit, ſicque diſparuit. Tum frater ille beatum virum acceſſit, eique, quid vidiſſet & audiuiſſet, enarrauit. Mox pius pater ſeueritatem miſericordia temperans, iuſſit in monaſterio & per omnem congregationem, officium & eleemoſynas pro illo fieri. Quibus peractis, poſt dies triginta iterum eidem fratri defunctus apparuit alacer & iucundus, gratias agens ſancto Iohanni, quod eum reconciliaſſet: abſolutuſque à pœnis, ad beatorum cœtum proficiſcebatur.

Seueritas in fratrem immorigerū.

Precibus & eleemoſynis liberatur frater à pœnis.

XV. ALIVS quidam, Florentinus nomine, vir eloquens & moribus ciuilis, qui Simoniana perfidia valde ſe contaminarat in cuiuſdam Epiſcopi ſuſcepto patrocinio, cum grauiſſimè decumberet, iamiamque moriturum ſe affirmabat, atque inter acerbos mœſtoſque luctus crebroſq; ſingultus, per amicos à beato Iohanne habitum ordinis eius ſibi donari petiit. Aſſenſit vir ſanctus, nec multum cunctatus, nouitiorum habitu eum induit. Eo indutus, cum iam reualuiſſet, & ſcipioni innixus, monaſterium perluſtraret, prior morbi vis eum denuo inuaſit, ita vt morti propinquus videretur. Id vbi vir ſanctus audiuit, ad lectum ægroti cum multis fratribus acceſſit, eumque à corpore migraturum Domino commendauit. At æger caput ſuum pallio, quo erat opertus, texit, & viro ſancto, cur id faceret, inquirente, reſpondit timens & tremens: Video ſatanam prope aſſiſtere, è cuius ore vaſta flamma funditur, & ex naribus fumus ſulphureus prodit. Cum autem locum, in quo illum cernebat, viro Dei indicaſſet, ille ablata à manu tenentis Cruce, diabolum ea egregiè verberauit. Tum ille mox inſtar fumi euanuit, & ægrotus in has prorupit voces: Gratias Deo, ecce aufugit ſatan, ecce receſſit. Et ecce adeſt beata Maria, ſanctique Petrus & Benedictus. Atque his dictis ſpiritum exhalauit.

Cruce verberat dæmonem.

XVI. VIR beatus Epiſcopum Florentinum, Petrum nomine, patria Ticinenſem, non ſolum Simoniæ, ſed etiam hæreſis propter illud vitium cum ſuis fratribus reum aſſerebat, nec ab illo ſacramenta percipienda dictitabat. Inde vero vehemens orta eſt contentio in Clero & populo Florentino, aliis Epiſcopum defendentibus, aliis monachos laudantibus,

Epiſcopus Florentinus ſimoniacus &

hæreticus vide late Baron anno 1063.

quod tanta libertate illud vitium deteſtarentur. Cumque ea cauſa non raro ſeditiones concitarentur, perſuaſit ſibi iniquus ille Epiſcopus eam ſe infamiæ notam facile aboliturum, ſi monachos illos curaret occidi, vt eorum exemplo cæteri eius aduerſarii terrerentur. Miſit igitur nocturno tempore multam equitum & peditum turbam armatam ad monaſterium ſancti Saluii, vbi tum beatus Iohannes morari putabatur, qui tamen pridie inde receſſerat ad Vmbroſam Vallem.

Crudelitas Epiſcopi Florentini.

Ingrediuntur vi in monaſterium miniſtri tenebrarum, & quos inueniunt monachos, eos crudeliter vulnerant, in agnos haud ſecus atque lupi inſilientes. Nullum vero monachorum murmur, nulla querimonia auditur: ſed patienter illi ferunt iniurias illatas, gratias agentes Deo, qui eos dignos feciſſet, vt pro illo paterentur, qui eſt veritas, quæ nec fallere, nec falli poteſt. Nec his contenti ſatellites Epiſcopi, in monaſterium prius vaſtatum & expoliatum, ignem iniiciunt. Sed vnde inimicus victoriam & ſui exaltationem ſperabat, inde detrimentum potius & ignominiam reportauit. Multi enim ex iis, qui ante illi fauerant, eumq; defendendum ſuſceperant, tantam eius impietatem & barbariem cernentes, ad monachorum partes ſeſe adiunxerunt. Altera die, eo iam diuulgato maleficio, multi venere ad monaſterium, eiuſque perſpecta vaſtatione & deſolatione, multis modis fratribus monaſterii opitulati ſunt. Porro beatus Iohannes eius rei nuncio accepto, ſimul eo aduenit videnſq; fratres ſuos nudos, flagellis cæſos & verberatos: Nunc, inquit, monachi eſtis. Sed cur ſine me iſthæc ferre voluiſtis? Doleo profecto non mediocriter, quod coronarum veſtrarum particeps fieri non merui.

Conſolatur vir Dei fratres verberatos.

Poſtea vero monachi cum amicis ſuis Romam profecti, Petrum Florentinum antiſtitem publice & quidem conſtanter hæreticum & Simoniæ labe fœdatum proclamant, & eius rei confirmandæ cauſa offerunt ſe paratos ad ſubeundos ignes. Verum Alexander Pontifex, qui tum in Petri cathedra reſidebat, nec accuſatum deponere voluit, nec vt monachi in ignem ingrederentur, admittere. Maxima enim Epiſcoporum pars, qui ad Synodum generalem conuenerant, Epiſcopo fauebat, monachis aduerſabatur. Sed [a] Hildebrandus Archidiaconus, qui poſtea fuit Gregorius, eius nominis ſeptimus Romanus Pontifex, partibus beati Iohannis ſtudebat, eaſque tuebatur. Porro Dux quidam Godefridus vſqueadeo Epiſcopo fauebat, vt etiam mortis minas monachis intentaret. Itaque hac durante controuerſia, qui Iohanni adhærebant, tam laici quam monachi, multas ab aduerſariis iniurias perpeſſi ſunt. In iis fuit Archipreſbyter ſummæ ædis & Prior, qui quod Iohanni adhæreret, ex vrbe Florentina dimiſſus eſt. Ad extremum monachi aiunt illis, qui Petrum Epiſcopum ſuum defendendum ſuſceperant, ſe per ignem tranſituros: & ſi, vti bene confidunt, inde illæſi exierint, hortantur, vt idem cum ipſis ſentiant de Simonia Epiſcopi. Sin minus, paratos ſe dicunt vna cum aliis venerari Epiſcopum, & à Simonia immunem pronunciare. Ea res cunctis placuit. Præfigitur itaque locus & dies, quo iſthuc fieri debeat, vt ſi qui velint, poſſint coram intueri. Locus præfixus eſt in monaſterio Septimi, quod tunc erat Ordinis memorati, nunc vero Ciſtertienſium eſt. Dies fuit quarta feria primæ hebdomadæ Quadrageſimæ. Modus probationis fuit eiuſmodi: vt in loco publico duæ lignorum ſtrues iuxta ſe fierent, quæ obtinerent in longum decem pedes, in latum quinque, in ſublime quatuor & dimidium. Inter vtraſque autem ſtrues ſemita intereſſet longitudine brachii, prunis ardentibus conſtrata, per quam vnus ex monachis tranſiret. Vbi aduenit ſtatutus dies & hora, inuitatur Epiſcopus Petrus à ſuis, vt accedat viſurus tantæ rei experimentum, ne ciuitas Florentina tam diuturna vexetur altercatione. At ille prorſus renuit: immo ſi qui charum eum haberent, eos eo accedere vetuit. Sed plebs omnis vtriuſque ſexus & cleri maxima pars, illuc properarunt. Pollicentur fautores Epiſcopi, ſi ea probatio ſuo potiatur effectu, vt quiſpiam è fratribus per ignem illæſus tranſeat, ſe ipſis ſuffragaturos, & ab Epiſcopo defecturos. Itaque fiunt litaniæ & aliæ preces à monachis, ſacrificium ſolenniter celebratur ab Abbate illius inſtituti, clericis & monachis adiuuantibus. Vbi ventum eſt ad Agnus Dei, vnus ex monachis fert aquam ſacratam ad aſpergendum, alius thuribulum thuris incendendi cauſa, tertius faculas ad ligna inflammanda: quartus imaginem Crucifixi. Inuocatur à cunctis Dominus Ieſus Chriſtus & ſanctiſſima mater eius pleno ore, vt rei veritas declaretur. Sacrificio peracto, deponit caſulam, Crucemque manu geſtat Abbas, qui ſacrificauerat. Petrus is quoque dicebatur. Litaniis abſolutis, vnus ex Abbatibus eligitur, qui clara voce populo exponat petitionis & ſponſionis conditionem. Deinde Abbas Petrus cum Cruce, quam manu geſtabat, S. Iohanne interim coram adſtante & orante, ingreditur per medios ignium globos, flamma in ſublime aſcendente, calcatque ardentes prunas, quæ erant in via inter lignorum incenſas ſtrues. Sed prius, quam ingrederetur, cunctis audientibus, ita precatus eſt: Domine [b] Ieſu Chriſte, lux vera omnium in te credentium, peto miſericordiam tuam, oro clementiam tuam, vt ſi Petrus Ticinenſis, qui dicitur Florentinus Epiſcopus, pecunia Florentinam ſedem occupauit, tu æterni patris filius, tu mea ſalus, in hoc tremendo iudicio ad me adiuuandum feſtines, & me illæſum ſine vllis aduſtionis veſtigiis conſerues, ſicut olim tres pueros in fornace Babylonica ſeruaſti. His dictis, per medios penetrat ignes, neque corpori, neque veſtimentis vllo aduſtionis veſtigio inhærente. Cumque vellet vertere ſeſe, & eadem via per flammas reuerti, à populo retinetur, quippe iam perſpicue rei propoſitæ veritatem edocto. Nec vero ſatiari poterant eius præſentia, aliis manus, aliis pedes, reliquis veſtimenta eius exoſculantibus. Beatum ſe exiſtimabat, quiſquis vel fimbriam veſtium eius poſſet contingere. Ita Simon Petrus magnis celebratur laudibus: Simon Magus vt ſtercus ab omnibus conculcatur: & Petrus, non Apoſtolus, ſed Epiſcopus Simoniacus ab omnibus pronunciatur, & vt hæreticus euitatur. XVII.

Alexander II. Papa. Concilium Lateranenſe.

[a] Hildebrãdus poſtea Gregori' 7.

Attende ſanctam monachorum fiduciam, qui pro veritate ſeſe ignis periculo commiſerunt.

Epiſcopus huic ſpectaculo intereſſe recuſauit.

Abbas Petrus poſtea Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis, illæſus per medios ignes tranſit.

[b] Petri Abbatis oratio

Dan 3

Deniqve Senatus populuſque Florentinus rem totam ſolennibus literis perſcribit Pontifici Alexandro, humiliter orans, vt quemadmodum Simon Petrus Simonem Magum maledictione damnauit, ita ipſius ſanctitas velit Petrum Florentiæ Epiſcopum ea dignitate priuare, & alterum ei ſubſtituere. Fecit ita Pontifex Alexander, iuſtitia id exigente, ob tollenda ſcandala, & alius Florentinis datus eſt antiſtes. Poſtea vero beatus Iohannes iam ſenio confectus, in morbum incidit grauiſſimum: congregatiſque è diuerſis locis Abbatibus, ſuum è vita hac deceſſum pronuncians, hortabatur omnes, vt Canonem monaſticum accurate obſeruarent, & vnitati fraternæque dilectioni ſtuderent: perceptiſque cum multa deuotione ſacramentis, ſpiritum cœlo reddidit incontaminatum, anno Dominicæ incarnationis milleſimo ſeptuageſimotertio, quarto Idus Iulii. Tertio inde die humatus eſt in eccleſia monaſterii * Paſſiniani. Poſt obitum eius omnipotens Deus multis eum miraculis illuſtrauit. XIIX.

S. Iohannes perceptis ſacramentis mortem oppetit

* *de Paſignano.*

An. 1050.

VITA S. LEONIS, SECVNDI ABBATIS CAVENSIS PROPE NEAPOLIM, A QVODAM EIVS FERE ÆQVALI docto viro conſcripta.

PROLOGVS AVTHORIS IN LEONIS, CONSTABILIS, PETRI ET ALFERII, *eiuſdem cœnobij venerabilium Abbatum vitas, quas ſuis locis Lector reperiet.*

Ivlii 12.

Matth 5.

SI iuxta diuinæ ſententiam veritatis, lucerna in hoc accenditur, vt ſuper candelabrum poſita, lumen domum intrantibus præbeat, bene prolatę ſententiæ virtutem exequimur, ſi ſanctorum virorum exẽpla, ad minorum formam altius ſubleuemus. Ex alto quidem ſuæ reuelationis adinſtar ignis quo longius lumen proferunt, inuitare eos, quos illuſtrant, melius poſſunt. Magna quidem cum fuerint, & neſciuntur, magnum, quod habent, lumen non proferunt: quia in imis locis & abditis occultantur. Et fortaſſe idcirco abſcondi ſub modio lucerna dicitur, quia ii qui ſanctorum lucidam conuerſationẽ ſciunt, pro perfecta mẽſura illorum, quam continet, modii nomine deſignantur. Ex inferiori vero parte exprimuntur, quando ſcita, abſcondunt, quia per meritum in imo & abiecto loco ſe conſtituunt. Hinc etiam ſcriptura ſacra denunciat, dicens: Qui abſcondit frumenta, I.

Prou 11.

maledictus

Digitized by Google

maledictus erit in populis. Quid enim frumentorum nomine, niſi ſanctorum exempla figurantur? Ex omnibus quidem granis excellentior cibus eſt. Excellentia ergo facta perfectorum, frumenti nomine deſignantur: quia quo dulcius hæc fidelium mentes percipiunt, eo plenius velut de electiori cibo ſatiantur. Si ergo maledicitur, qui frumentum abſcondit, cautè vigilandum eſt, vt ad quemcunque fidelium mira ſanctorum facta peruenerint, hæc prædicando proferat, ne maledictum incurrat, & occultando in imo ſit, qui exponendo fieri luminis candelabrum ſublime poteſt. Vnde etiam in Euangelio Dominus dicit: Si in alieno fideles non fuiſtis, quæ veſtra ſunt quis dabit vobis?

Frumenta, exẽpla Sanctorum.

Luc. 16.

Ego igitur tam his & huiuſmodi territus, quam etiam audientium profectibus inuitatus, venerabilium Patrum, Alferii videlicet, Leonis, Petri atque Conſtabilis Abbatum Cauenſium vitas atque miracula ſcribere propoſui: vt quia authore Deo idem Cauenſe cœnobium magnæ religionis eſt, iamque eiuſdem religionis Ordo longe lateque diffunditur, ii, qui eorum ſequuntur inſtitutionem, exemplis atque miraculis accendantur. Quod profecto vobis huiuſmodi fratres ſpecialiter conuenit, quos impoſito pio religionis onere, ad Ordinis eorum normam redegimus. Valde enim deuotius poſt illorum veſtigia curritis, ſi aperte cernitis, quia qui vos laborando præceſſerant, de labore ſuo iam ad æterna gaudia peruenerunt. Me quoque quia hoc deceat, nulli veſtrum dubium eſt: vt qui de clauſtro illo, velut terra promiſſionis egreſſus, in longinqua regione paſcendos atque multiplicandos ſuſcepi greges, virgas exemplorum vario cortice inſtituendis proponam; quatenus ii, qui ex vobis per diuinam gratiam fœcundantur in ſpirituali ſobole, non ſolum perpetua carnis incorruptione ſint virides, ſed omnimoda virtutum varietate fulgentes. Sed quia in vniuerſalibus ſcriptis noſtris, verborum quibuſdam obſtaculis æmulorum acceſſus obſtruere ſolemus, opuſculi huius tenerum ſitum nullis reprehenſionum ſpinis obducimus, quia cum domeſticis noſtris de rebus notis, fraternis affectibus fabulamur. Ad quod nimirum opus priorum noſtrorum non modico rubore ſuccendimur, qui de ſuis agere, quod alii fecerant, noluerunt. Victor namque Romanæ Eccleſiæ ſummus Pontifex, cum adhuc illi monaſterio, quod à ſanctiſſimo Patre noſtro Benedicto in Caſſino monte extructum eſt, in venerando habitu præeſſet, in libro, quem de Sanctorum miraculis ſcripſit, viri venerabilis Alferii mentionem fecit, eiuſdem ſe familiarem aſſeruit, & ipſius quædam miracula, ita vt ab eo fuerant geſta, narrauit. Vir quidem ſanctus, dum ſubiectorum animas ad cœleſtem patriam ſuccendere per exempla meliorum ſatageret, ea quæ ad eorum formam producere voluit, & prope & longius quæſiuit. Quid ergo nobis, de noſtris agendum eſt, ſi ab aliis iam & mitis extolluntur laudibus, & ſcriptorum memoria celebrantur? Quia vero præfatus Pontifex quędam, non omnia, huius viri venerabilis miracula ſcripſit, & pro eius reuerentia, ſcripturæ ipſius authoritatem operi noſtro præmittimus, & pro ædificatione audientium plura, quæ eum vel tunc latere potuerunt, vel poſt eiuſdem obitum ſunt geſta, ſupplemus. Quia item noua ſcribendi tempora contemni ſolent, fidem dictorum relatoribus, non ſcriptis Lector adſcribat: quia, etſi iſto tempore ſcribimus, ea, quæ ab antiquis monaſterii ſenibus ſunt nobis dicta, narramus.

Cauenſe monaſteriũ de quo vide Baron. ann. 1030.

Liber Victoris Papæ, de miraculis Sanctorum.

I. SECVNDVS Cauenſis monaſterii Pater Leo, vir valde venerabilis fuit, viri reuerendiſſimi Alferii diſcipulus inſtitutione, ſed ſocius ſpiritu & virtute, quia fructum eiuſdem magiſterii in perfectione protulit ſummæ & ſanctiſſimæ conuerſationis. Hic namque Luſcus genere, ciuis Lucenſis, in Salerni partes veniens, vbi eiuſdem Patris celebrem famam comperit, ei ſe protinus in ſanctiſſima conuerſatione erudiendum dedit. In qua nimirum ita breui profeciſſe cognoſcitur, vt non ſolum æmulator laborum magiſtri ſui, ſed etiam mirabilium operum cooperator exiſtere videretur. Siquidē cum pro reſuſcitando mortuo vir venerandus Alferius orare propoſuit, hunc ſolum ex omnibus diſcipulis ſecum retinuit, cum quo pariter ſe in orationem dedit: quod vtique vir ſanctus non faceret, niſi ex vitæ eiuſdem perfectione colligeret, quia ad obtinenda tam grandia adiutorium ſibi præſtare potuiſſet. Qui licet magiſtri ſui tempore magnus haberetur, tamen poſt eiuſdem mortem magis claruit. Nam vt diſcipuli eiuſdem, qui vſque ad noſtra tempora in monaſterio fuerunt, referre ſoliti ſunt, in tantam cordis puritatem profecit, vt venerabilem Domini noſtri genitricem orationis tempore videre mereretur. Præterea tantæ humilitatis atque miſericordiæ vir extitiſſe dicitur, vt ab adiacenti cellæ ſuæ eremo lignorum ſarcinas propriis humeris Salernum ferret, eaſque diſtrahens, panes emeret, quos pauperibus erogaret. Haud ſecus vtique ſe matris Domini adſpectum promereri nouerat, quam ſi magnis virtutibus polleret, & ſe magna humilitate deiiceret: vt deſpectus foris, intus nequaquam intumeſceret, ſed virtutum tenerum ædificium in ſummæ humilitatis petra ſolidaret. Et fortaſſe vir ſanctus ſe illi miniſterio coniunxit, quia ad æternam vitam per labores temporales ire diſpoſuit. Opus ergo miſericordiæ illud probauit, quod cum corporei laboris ſacrificio conuenire cognouit, vt ex vtroque velut pingue omnipotentis Dei holocauſtum fieret, amoris videlicet flamma ſic totus affluens, vt corpus omne laboribus, & totam mentem dedicaret pietati.

Leo fuit beati Alferii diſcipulus.

Item in reſuſcitando mortuo ſocius.

Leo videt Dei genitricem Mariam.

Humilitas eius quanta fuerit.

Quanta eius in pauperes miſericordia.

II. FERVNT etiam quia quadam die cum à prædicta ciuitate veniret & lignorum ſuorum precium in pane pauperibus diuideret, Giſulfo quoque Salerni Principi ſudoris ſui panem porrexit, qui cum primo oblatum ſibi panem deſpiceret, reprehenſus à militibus, quod non panem ſed in pane Dei hominem ſperneret: confeſtim reuerſus eſt, de viri Dei manibus panem accepit & comedit, atque ex illa iam die tanto Patri familiaris fuit. Ex qua nimirum gratiæ vbertate accidit, vt in multam donorum meſſem panis ille fruſtra, vt putabatur, diuiti oblatus creſceret, & quaſi bonum ſemen fructûs ſui copiam abundanter effunderet. Nam cum idem Princeps ſeculari potentia tumidus plura crudelia ſæuaque proponeret, hic ſolus audebat obſiſtere, ſolus prauis eiuſdem diſpoſitionibus libera authoritate contraire, quem nimirum ſæpe humilibus precibus liniens, ſæpe comminationibus impetens, nonnunquam ſibi ſubiectum & obedientem ita reddidit, vt obtineret quandoque quæ peteret, quandoque quæ impendere nollet ab inuito authoritate non precibus extorqueret. Nam ſcriptum de huiuſmodi ſanctæ Eccleſiæ potentibus eſt: Iuſtus vt leo confidit. Et iterum ſacra ſcriptura loquitur, dicens: Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum.

Attende fructũ panis viri Dei.

Prou. 28.

prou 30.

III. VIR ergo Domini ſignificatum ſui nominis virtute magnæ conſtantiæ exhibebat, pauper ſiquidem rebus cœleſtis patrimonii deſiderii diues, huius mundi diuitibus tanto liberius obſiſtere poterat, quanto in mundo, quem non amabat, perdere nil metuebat. Eodem namque tempore memoratus Princeps contra Amalfitanos bellum mouerat, in quos ita ſæuire viſus eſt, vt quoſcunque ex eis caperet, magnis tormentorum cruciatibus deputaret. Quis vero explicare ſufficiat, Pater venerabilis Leo quanta tunc capitis authoritate, quanta liberalitate ſuccurrerit, quam largiter carceratos pauerit, ſpoliatos induerit, vinctos abſoluerit, tortos eruerit, atque à vicina membrorum amputatione liberauerit? nam tanta libertate pro eis, qui ad pœnas ducebantur, eidem Principi obſtitit, vt eos qui ab ipſis cruciatibus violenter auferret atque non iuſſus abſolueret.

Exercet ſeptem miſericordiæ opera.

IV. QVADAM namque die, dum ad menſam cum fratribus ſederet, triſtis nuncius affuit, qui venerando viro tres homines priuari lumine iuſſos à Principe indicauit, & eiulans atq; exclamans ſubiunxit dicens: Curre Pater curre, quia iam miſeri producuntur. Tunc pater venerabilis à menſa ſurgens, & velut alter Tobias prandiũ deſerens, Salernum concito gradu pertexit: & iam viros illos extra ciuitatem perductos inueniens, tenuit & abſoluit, atq; abire liberos iuſſit. Cumque carnifices vehementer timerent, ipſe pro eis ſe Principi reddere rationem promiſit, quam profecto vt promiſit exhibuit: quia ſe, vt dixit, vadem pro eis obtulit, ſed de crudelitate, quam in Chriſti fideles exercebat, non vt vas pœnarum, ſed vt tutor iuſtitię vehementer increpauit. Cui etiam aliquando indignanti & ſuperbiæ tumore ſalutis monita contemnenti, crudelitatis ſuæ meritum per prophetiæ ſpiritum pronunciauit, dicens. Pro crudelitate tua poſt parum temporis, huius terræ Dominus non eris. Quod cum Princeps audiſſet, timuit, ſed tamen feritatem ſuam non reliquit: vnde non

Liberat tres viros excæcationi adiudicatos.

Increpat Principis crudelitatẽ

Prælicit Principiſ Salernitano ſuũ caſum.

immeritò viri Dei minas expertus eſt. Poſt non multum denique temporis Salernitana ciuitate à Roberto Duce obſeſſa & capta, vt vir ſanctus prædixerat, regimen, quod pie moderari Princeps noluit, amiſit. Quo iure trium Patrum gratia floruiſſe venerandus Pater agnoſcitur: Tobiæ ſcilicet, qui vt mortuos reconderet, reliquit prandium: S. Nicolai, qui vt inſontes eriperet, renuit ſpiculatoris manum: S. Benedicti, qui regi Totilæ futuram mortem nunciauit, & eiuſdem feritatem, quam ex toto auferre nequiuit, terrendo minuit. Iuſtorum quippe fulgore enituit, qui more ſanctorum paracleti Spiritus gratia plenus fuit.

NEQVE illud ſilendum arbitror, quod Giſulfus Princeps cum Amalfitani cuiuſdam opes depoſitas Salerni apud V.
Obedientiam, monaſterii videlicet S. Nicolai de palma, cognouiſſet, ad locum acceſſit & depoſitum eruere tentauit: quod cum beato viro innoteſceret, præuenire Principem ſtuduit, vt videlicet arcæ illi inſideret, ne depoſitum quod intus latebat, ſine ſui iniuria educi potuiſſet. Tunc Princeps, qui tanto Patri iniurias inferre metuebat, quaſi per iocum manus ad arcam tendere, & vt ſurgeret de eadem arca rogare cœpit. Sed vir Dei exterioris calliditatis arte blandienti eadẽ voluit arte illudere, vt praue callentis intentio effectum habere minime potuiſſet: nam quoties ad arcam Princeps per iocum manum tendebat, vir Domini quaſi ſancte ludendo manum Principis baculo ferire minabatur, cumque hoc ſæpius fieret, & idem Princeps iam non ioco ſed ſerio & importune res arcæ latentes exigeret, vir Dei Irato Principi non ſolum non acquieuit, ſed etiam facti temeritatem vehementer increpauit. Tunc Princeps tam conſtantia quam ſolertia ſancti viri ſuperatus receſſit, & depoſitum hominis intactum reliquit. Sed de tanti viri authoritate iſta tetigiſſe ſufficiat.

Quanta fuerit Leonis authoritas & iuſtitia.

nam ſi quis per ſingula cuncta deſcriberet, quoties ſcilicet ſe pro ſoluendis vinctis obiecerit, quoties, vt alios eriperet, ſemetipſum obtulerit, quibus aut quantis blandimentis & precibus, quibus minis & terroribus, quot item vicibus & artibus eundem Principem aggreſſus fuerit, non paginam, ſed enormem codicem impleret, quod profecto beati viri propoſitum quantum Domino placeret, apertis rebus oſtenſum eſt.

FESTVM quippe beatæ virginis & martyris Cæciliæ, pro affectu quem erga eiuſdem meritum habebat, ſolenniter VI.
celebrare conſueuerat, die autem illo qui feſtum eiuſdem prædicandæ virginis præibat, ita apud iam ſæpedictum Principem pro abſolutione vinctorum fuit occupatus, vt ad cellam niſi incumbentibus iam noctis tenebris redire nullatenus valeret. Peractis ergo negociis & more ſuo carceribus deprædatis, cum extra cellam manere noluiſſet, ad lumen cerei ſequentibus fratribus iter arripuit & reuerti ad monaſterium cœpit: tunc orta tempeſtate, inter immenſa ventorum flamina atque ingentis pluuiæ inundationem, ardentem cereum detuliſſe fertur, & ita ſicca veſtimẽta ac ſi ſereno & tranquillo aëre, aut operta porticu veniſſet. Spelunca etiam non erat longe à monaſterio, quam miræ magnitudinis ſerpens obtinuerat, cumq; terrore illius beſtiæ locum adire incolæ vehemementer metuerent, venerando Patri Leoni hoc intimare curauerunt: quod vt cognouit, ſe homo Dei in orationem dedit, atque in loco illo in quo erat, ita draco extinctus illius oratione eſt, ac ſi non hunc verbis impeteret, ſed trabali telo viſcerum eiuſdem ſecreta perculiſſet.

Nota miraculum de veſtimentis eius, & ardẽte cereo.

Oratione occidit draconem

HIS ergo & huiuſmodi virtutibus clarus, cum iam plena dierum ſenectute grauaretur, æternæ quietis leuamine, VII.
pondere carnis depoſito, ſuſceptus eſt. Cuius vtique meritum, vt ipſa etiam eiuſdem morte clareſceret, *ſenioris elemẽti virtute ſubtracta, non ſine ingenti omnium mentium ſtupore monſtratum eſt. Venerabile namque ſancti viri corpus à flentibus & orantibus diſcipulis in oratorio ſeruabatur, cum vnus ex cereis ſuper feretrum cecidiſſet, & ſuper pallium quo operiebatur, vt erat ardens incubuit: ſed vt tanti viri meritum panderet, vim luminis habuit ſine ardore combuſtionis. Nam cum ad eundem lectum quidam fratres oculos leuarent, ardentem in pannis ignem adſpicerent, combuſtionis damnum accidiſſe crediderunt: cumque feſtinanter eundem cereum leuarent, ita operimentum ſancti corporis illæſum apparuit, ac ſi ignis in eo nullus cecidiſſet: tunc fratres omnes ingenti miraculo mirabilique lætitia ſtupere atque ſimul exultare cœperunt, dum ſancti Patris merita naturæ ſuæ ceſſatione elementa muta prædicarent. Quod fortaſſe ideo foris oſtenſum eſt, vt ſpiritualis etiam viri dignitas conuenienti miraculo ſpiritualiter ſignaretur. Aperte quidem recolimus, quia rubus in quo Dominus in igne apparuit, illuminatus eſt & non arſit, habuit lumen, ardore caruit, ſed vt ſedes Dei meritum habeat lucis, non habeat defectum diminutionis.

**Lenioris.*

Viri Dei ſanctitatem elementa muta prædicant.

PATER ergo venerabilis inſignibus & conuenientibus miraculis oſtenſus eſt: quia hunc, vt locum proprium di- IIX.
uina lux ſemper incoluit, quem vt emeritam illuſtrauit, & quæ in eo per ardorem punirentur nequaquam inuenit. Cuius etiam meritum ſi quis aliter velit hac oſtenſione cognoſcere, facile poteſt: nam perfectioribus electis per ſemetipſum veritas repromittit dicens. Capillus de capite veſtro non peribit. Illius ergo operimentum corrumpi igne non potuit, cuius nullus labor periit, ſed fructum optimum meruit æternæ mercedis.

Luc 21.

AN. 480.

DE S. EVGENIO CARTHAGINENSI EPISCOPO, ET PLERISQVE ALIIS, SVB HVNERICO VANDALORVM REGE MVLTA IN AFRICA perpeſſis, ex lib. 2. Victoris Vticenſis de perſecutione Vandalica.

Iulii 13. Quo die Martyrologia eos habent.

MORTVO Geiſerico (*Vandalorum Rege*) Hunericus maior filius patri ſuccedit. Qui primordio re- I.
gni, vt habet ſubtilitas Barbarorum, cœpit mitius & moderatius agere, & maxime circa religionem noſtram: vt etiam antea ſub rege * Geiſerico præiudicatum fuerat, ne ſpiritales fierent conuentus, conuenticula concurrerent populorum. Et vt ſe religioſum oſtenderet, ſtatuit ſolicitius requirendos hæreticos ᵃManichæos: ex quibus multos incendit, plurimos autem diſtraxit nauibus tranſmarinis: quos pene omnes Manichæos ſuæ religionis inuenit, & præcipue presbyteros & diaconos Arrianæ hæreſeos. Vnde magis erubeſcens, amplius in illos exarſit. De quibus repertus eſt vnus, nomine Clementianus, monachus illorum, ſcriptum habens in femore: Manichæus diſcipulus Chriſti Ieſu. Propter quod magis laudabilior memoratus videbatur, in vno diſplicens, quia cupiditati inſatiabili vehementius inhiabat, & prouincias regni ſui variis calumniis atque indictionibus onerabat, vt de illo præcipue diceretur: Rex egens, magnus eſt calumniator. Dedit autem licentiam, Zenone Imperatore atque Placidia relicta Olibrii rogantibus, vt Carthaginenſis eccleſia ſibi quem vellet Epiſcopum ordinaret, quæ iam per vigintiquatuor annos tali ornamento fuerat deſtituta. Mittit ergo tunc ad eccleſiam Alexandrum illuſtrem, huiuſmodi legationem ferentem, vt præſentia eius catholicus populus dignum ſibi peteret ſacerdotem, deſtinans quoque per notarium ſuum, nomine Witared, edictum, quod publice legeretur, hunc continens modum: Iuſſit vobis dominus dici, quia Imperator Zeno, & nobiliſſima Placidia, per Alexandrum virum illuſtrem ſcripſerunt, petentes vt eccleſia Carthaginis, religionis veſtræ proprium Epiſcopum habeat, hoc fieri præcepit atque eis reſcripſit, vel legatis ab eis directis dici iuſſit, vt ſicut petierunt, vobis Epiſcopum quem volueritis ordinetis: eo ſub tenore, vt noſtræ religionis Epiſcopi, qui in Conſtantinopoli ſunt, & per alias prouincias Orientis, ex eius præcepto Epiſcopi, liberum arbitrium habeant in eccleſiis ſuis, quibus voluerint linguis populo tractare, & legem Chriſtianam colere, quemadmodum vos hîc vel in aliis Eccleſiis, quæ in prouinciis Africanis conſtitutæ ſunt, liberum arbitrium habetis in eccleſiis veſtris Miſſas agere vel tractare, & quæ legis veſtræ ſunt, quemadmodum vultis, facere. Nam ſi hoc circa eos non fuerit obſeruatum, tam Epiſcopus, qui ordinatus fuerit, vel clerici, ſed & alii Epiſcopi cum clericis

**Genſerico.*

ᵃHunericus Manichæos perſequitur

Zeno Imperator & Placidia, relicta Olibrii.

Miſſas agere.

Digitized by Google

clericis ſuis, qui in Africanis prouinciis ſunt, iubentur inter Mauros mitti. Quod edictum dum nobis præſentibus xiiij. Calendarum Iuliarum vniuerſæ eccleſiæ legeretur, gemere cœpimus muſſitantes, eo quod meditantibus dolos, malorum eſſet futura perſecutio præparata. Et ita legato dixiſſe probamur: Si ita eſt, interpoſitis his conditionibus periculoſis, hæc eccleſia Epiſcopum non delectatur habere. Gubernat eam Chriſtus, qui ſemper dignatur gubernare. Quam ſuggeſtionem legatus accipere neglexit. Simul & populus, vt tunc fieret, vt ignis exarſit: cuius erat clamor intolerabilis, qui nulla poſſet ratione ſedari.

II. ORDINATO itaque Epiſcopo Eugenio viro ſancto, Deoque accepto, ᵃſublimis nata eſt lætitia, & gaudium cumulatum eſt Eccleſiæ Dei. Exultat multitudo catholica ſub barbara dominatione, de ordinatione pontificis reparati. Nam maximus iuuenum numerus atque adoleſcentularum, ſibimet in commune congaudens atteſtabatur, quod nunquam vidiſſet Epiſcopum in throno ſedentem. Portò ille vir Dei ſacerdos ᵇEugenius cœpit per cõuerſationem operum bonorum venerabilis & reuerendus haberi etiam ab eis, qui foris ſunt, & ita eſſe omnibus gratus, vt ſi fas eſſet, animam ſuam pro eodem vniuerſus ponere delectaret. Eleemoſynas quoq; tales per eum ᶜDominus dignatus eſt facere, vt incredibile videatur tanta eum impendere, vbi eccleſia, totum Barbaris tenentibus, nec vnius nummi habere cognoſcitur facultatem. Humilitatem in illo, charitatem, pietatem diuinitus condonatam, ſi quiſquam incipiat, non poterit explicare. Pecuniam apud eum manſiſſe non probatur, niſi forte tali hora offerretur, quando iam ſol diei explicans curſum, nocturnis tenebris ordinem daret & locum. Vnde tantum reſeruabat, quantum diei ſufficeret, non quantum cupiditas expetiſſet, Deo noſtro ſubinde quotidie ingentia & maiora donante.

Eugenius ordinatur Carthagine Epiſcopus. An. 480.
ᵇ Eſt mire gratioſus apud omnes.
ᶜ Eius virtutes.

III. SED cum fama eius eſſet celebris atque manifeſta, cœperunt exinde Arrianorum Epiſcopi inuidia grauì torqueri, quotidianis & præcipue cum Cyrila calumniis inſectantes. Quid primum? Suggerunt de illo, vt ſuum nequaquam ſederet thronum, neque Dei populo verbum faceret conſuetum. Deinde, quoſcunque mares vel fœminas, in habitu barbaro incedentes, in eccleſia conſpiceret, prohiberet: Ille reſpondit, vt decuit: Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere: maxime quia ingens fuerat multitudo noſtrorum catholicorum, in habitu illorum incedentium, ob hoc quod domui regiæ ſeruiebant. At vbi ab homine Dei tale reſponſum accepit, ſtatuit in portis eccleſiæ collocare tortores. Qui videntes fœminam vel maſculum in ſpecie ſuæ gentis ambulantes, ilico palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibuſque in eiſdem colligatis ac vehementius ſtringentes, ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli dum hoc fieret, ſtatim oculos amiſerunt: alii ipſo dolore defuncti ſunt. Mulieres vero poſt hanc pœnã capitibus pelle nudatis, præcone præeunte per plateas, ad oſtenſionem totius ciuitatis ducebantur. Quod ſibi magis, quæ patiebantur, lucrum maximum computabant. Quorum nos plurimos nouimus, nec ſcimus eorum aliquem tunc, etiam pœnis vrgentibus, à recto itinere deſtitiſſe.

Arriani illi inuident.
Crudelitas Arrianorũ & Regis An 481.
Catholicorum conſtantia.

IV. AT vbi iſto modo fidei infringere non valuit murum, cogitat vt noſtræ religionis homines in aula eius conſtituti, neque annonas, neque ſtipendia ſolita potirentur: addidit quoque & laboribus eos conterere ruſticanis. Dirigit viros ingenuos & admodum delicatos ad campum Vticenſem, vt ſub ardentis ſolis incendio cæſpites meſſium deſecarent: Vbi omnes cum gaudio pergentes, in Domino lætabantur. In quorum contubernio quidam fuit aridam habens manum, quæ per annos quamplurimos nullum ei præſtiterat obſequium. Qui cum veraciter excuſaret ſe operari non poſſe, magis violenter iuſſus eſt pergere. Sed vbi ad locum ventum eſt, & præcipue pro eo orando ingemuerunt omnes, pietate diuina illa arida incolumis confeſſoris reſtituta eſt manus.

Viri nobiles cædere cæſpites coguntur.

V. HINC iam Hunerici perſecutio, doloris atque parturitionis noſtræ ſumpſit initium. Ipſe autem qui ſeſe iamdudum omnibus lenem oſtenderat, deſiderans poſt obitum ſuum, quod non contigit, regnum ſtatuere, Theodoricum fratrem filioſque eius, Gentoniſque fratris nihilominus filios, crudeliter perſequi moliebatur. Quorum nullum dimitteret, niſi ei mors deſiderii ſui voluntatem auferret. Primo ſciens vxorem Theodorici fratris aſtutam, credo ne forte maritum aut maiorem filium, qui prudens & ſapiens videbatur, conſiliis acrioribus aduerſus tyrannum armaſſet, crimine appoſito, gladio eam interfici iubet. Poſt occiditur & ille filius, magis literis inſtructus, cui ſecundum conſtitutionem *Geiſerici, eo quod maior omnibus eſſet, regnum inter nepotes potiſſimum debebatur. Accenditur adhuc crudelius aliquid perpetrare. Adſtante vulgo in media ciuitate pro gradibus plateæ nouæ, Epiſcopum ſuæ religionis nomine Iucundum, quem Patriarcham vocitabant, præcepit incendio concremari, ob hoc, quod in domo Theodorici germani regis acceptiſſimus habebatur, cuius forte ſuffragio memorata domus regnum poterat obtinere. In quo impietatis ſcelere futurum nobis adeſſe proſpeximus malum, aientes ſinguli inuicem nobis: Qui in ſuo ita crudelis effectus eſt ſacerdote, quando noſtræ religioni vel nobis parciturus eſt iſte? Tunc & Gentonis maiorem filium, nomine Godagiſum, cum vxore abſque ſolatio ſeruuli aut ancillæ, crudeli exilio delegauit. Fratrem vero Theodoricum poſt occiſionem vxoris & filii, nudum atque deſtitutum ſimiliter exulauit. Poſt cuius mortem, filium, qui ſupererat, infantulum, duaſque filias eius adultas, impoſitas aſinis, longius affligendo proiecit. Sed & comites quamplurimos & nobiles gentis ſuæ obiectionibus falſis inſectans, ob hoc quod germano fauerent, alios incendit, alios iugulauit, imitator exiſtens Geiſerici patris, qui ſui fratris vxorem ligato pondere lapidum, in Amſagam fluuium Cirtenſem famoſum iactando demerſit, & poſt necem matris, etiam filios interfecit. Sed & multos ei *Geiſericus pater moriens, ſacramento interpoſito, commendauerat. Quos ille immemor fidei & ſacramenti violator, diuerſis pœnis & incendiis trucidauit. Nam Heldicam, quem pater eius præpoſitum fecerat regni, iam veteranum atque annoſum cum dedecore capite detruncauit, eiuſque vxorem cum alia, nomine Theucaria, in medio ciuitatis incendit. Quarum corpora per vicos & plateas trahi mandauit, quæ tota die iacentia, rogatus à ſuis Epiſcopis, vix veſperi ſepeliri conceſſit: Gamuth namque Heldicæ fratrem, quia ad eccleſiam eorum confugerat, occidere non potuit: quem tamen in loco latrinarum obſcœno concluſit, temporeque multo eum ibi degere ſtatuit. Poſtea cum caprario quodam & ruſtico ad faciendas ſcrobes vineis profuturas condemnauit: quos etiam duodecies per annum, id eſt, per ſingulos menſes flagellis crudelibus diſſipabat, vix modico aquæ cibarioque pane conceſſo, hoc per quinque vel amplius perpeſſi ſunt annos, quibus hæc ſupplicia proficere poterant ad æternam mercedem, ſi catholici fuiſſent, & fidei ſuæ merito iſta perferrent. Sed ideo iſtud ſilere nequiuimus, vt impietatem regis etiam in ſuis minime ſileremus: qui non ſolum Epiſcopum ſuum Iucundum, vt ſuperius demonſtrauimus, flammis aduſſit, ſed & preſbyteros & diaconos ſuos, id eſt, Arrianos quamplurimos, incendit, necnon & beſtiis mancipauit.

Sæuitia Hunerici in ſuos fratres, &c.
* Genſirici.
Suum patriarcham comburit.
Vide inmanem tyrannum.
* Genſericus.
Presbyteros & diaconos ſuos interficit.

VI. AMPVTATIS igitur in breui omnibus, quos timebat, & ſolidans ſibi, vt putabat, regnum, quod breue fuerat & caducum, omni ex parte ocioſus atque ſecurus, vniuerſa tela furoris in perſecutionem Eccleſiæ Catholicæ, rugiens ſicut leo, conuertit. Ante perſecutionis tamen tempeſtatem, multis præeuntibus viſionibus & ſignis, imminens demonſtratum fuerat malum. Nam ferme ante biennium, quam fieret, vidit quidam Fauſti eccleſiam ſolito in ornatu fulgentem: & dum lætaretur tanti fulgoris candore, cereis quoque fulgentibus, palliiſque velaminum ac lampadibus rutilantem, ſubito, ait, luminis illius concupiſcibilis extinctus eſt fulgor, ac tenebris ſuccedentibus, aduerſarius naribus natus eſt fœtor, omniſque illa beatorum turba, expellentibus quibuſdam Æthiopibus, minata eſt foras: ob hoc iugiter lamentatum, quod eam in claritate priſtina nequaquam viderit iterum reſtitutam. Nam viſionem iſtam nobis præſentibus ſancto retulit Eugenio. Vidit & quidam preſbyter ipſam Fauſti eccleſiam refertam turbis innumerabilium populorum, &

Viſiones variæ.
Nota de cereis fulgentibus &c.

Hæretici porci & capræ. *ventilatorii.*

rum,& poſt paululum euacuatam,& repletam porcorum multitudine atque capratum. Item alius vidit aream triticeam ventilationi paratam,granis adhuc * ventilationis iudicio necdum à palea ſeparatis:& dum ingentis maſſæ,licet confuſæ, magnitudinem miraretur, ſubito ecce turbo veniens tempeſtatis ſoniuago flatu cœpit aduentum ſuum ſurgente puluere demonſtrare. Cuius impetu palea illa omnis omnino volauit, remanentibus granis. Poſt hæc venit quidam procerus,ſplendido vultu habituque nitido fulgens,& cœpit grana vacua,macilenta atque ſimilagini reproba, purgando proiicere. Quæ diu examinans, vix magnitudinem illius maſſæ,licet probatæ,ad aceruum tamen perduxit exiguum. Item alius ait: Stabat quidam præcelſus ſuper montem, qui Ziquenſis dicitur, & clamabat dextera læuaque: Migrate, migrate. Alius conſpicit fugiente cœlo atque turbato ſulphureas nubes,quæ ingentes cœperunt lapides iaculari. Qui lapides dum cecidiſſent in terram,plus accendebantur,& maioribus flammis ardebant, atque intrantes in penetralia domorum,quos inuenerant,incendebant. Qui autem vidit,ait,cum ſe in quodam cubiculo abſcondiſſet, miſeratione diuina ad eum flamma non potuit peruenire: Reor,vt illud propheticum compleretur: Claude oſtium tuum,& abſconde te puſillum aliquantulum,donec tranſeat ira Dei. Vidit & venerabilis Paulus Epiſcopus arborem vſque ad cœlos ramis florentibus extenſam,quæ etiam dilatatione ſua omnem pene Africam opacabat. Et cum vniuerſi eius magnitudine & ſpecioſitate gauderent, ecce ſubito, inquit, venit aſinus violentus, qui defricans ceruicem ſuam ſuper robur radicum eius,impulſu ſuo cum ingenti ſonitu illam mirabilem arborem eliſit ad terram. Sed & * Quintianus hic notabilis Epiſcopus vidit ſe ſuper quendam montem ſtare, de quo conſpiciebat gregem innumerabilium ouium ſuarum: & in medio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes. Aderant autem ouium occiſores,quarum carnes ollis bullientibus demergebant. Et cum ita fieret,omnis illa magnitudo conſumpta eſt gregis. Reor ergo illas duas ollas,*Sicca Veneria & Laribus, duas eſſe ciuitates,in quibus multitudo prima fuerat congregata, è quibus incendium initium ſumpſit: aut Hunericum regem,& Cirilam Epiſcopum eius. Sed de multis viſionibus,quia breuitati conſulendum fuit, hæc dixiſſe ſufficiat.

Eſaia 26. *Viſio Pauli Epiſcopi.* *Hunericus Rex,aſinus.* * *Quintianus.* *Item Quintiani Epiſcopi.* * *Siccam Veneream & Laribuſam.*

Edictũ Hunerici plane barbarum. *An. 483.* * *Quo codẽ.* * *Vendicaret.* * *Niſus.*

Qvid vltra? Cenſet primo tyrannus iuſſione terribili,vt nemo in eius palatio militaret, neque publicas ageret a- VII.
ctiones,niſi ſeſe Arrianum feciſſet. Quorum ingens numerus vigore inuictus, ne fidem perderet militiam temporalem abiecit. Quos poſtea domibus proiectos, omnique ſubſtantia exſpoliatos, in inſulas Siciliam & Sardiniam relegauit. *Quodam tempore ſtatuere per totam Africam feſtinauit,vt noſtrorum Epiſcoporum defunctorum fiſcus ſibi ſubſtantiam *vendicaſſet. Qui autem defuncto ſuccedere poterat,non ante ordinaretur,niſi fiſco regali quingentos ſolidos obtuliſſet. Sed hoc ædificium vbi conſtruere * viſus eſt diabolus,ſtatim deſtruere illud dignatus eſt Chriſtus. Suggerunt ei domeſtici ſui, dicentes: Si iſtud firmauerit præceptio veſtra,noſtri Epiſcopi in partibus Thraciæ & aliis regionibus conſtituti,peiora incipient pati. Præcepit deinde ſacras virgines congregari,dirigens Vandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus ad inſpicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui ſuſpendio atque ingentia pondera pedibus colligantes,laminas ferri ignitas dorſo,ventri,mammillis,& lateribus apponebant,quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite, quomodo Epiſcopi vobiſcum * concumbunt & clerici veſtri. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas. Aliæ,quæ remanſerunt,cutibus areſcentibus factæ ſunt curuæ. Nitebatur enim ſemitam inuenire, per cuius aditum publicam,ſicut fecit,faceret perſecutionem. Et ita faciens,nullo modo inueſtigare potuit,quomodo Chriſti eccleſiam macularet.

Vide hæretici Regis belluinam feritatem. * *Concumbant.*

Qvis avtem proſequatur fluminibus lachrymarum, quando Epiſcopos, preſbyteros, diaconos,& alia Eccleſiæ IIX.
membra,id eſt,quatuor millia DCCCCLXVI. ad exilium eremi deſtinauit? in quibus erant podagri quamplurimi, alii per ætatem annorum à lumine temporali priuati. In quorum erat numero beatus Felix Abdiritanus Epiſcopus, habens iam in epiſcopatu 44. annos. Qui paralyſi morbo percuſſus, nec ſentiebat quicquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes, quod non poſſet iumento portari, ſuggeſſimus vt à ſuis Rex peteretur, vt ſaltem eum propere moriturum Carthagini eſſe iuſſiſſet, quod ad exilium nulla poſſet ratione perduci. Cui ita fertur tyrannus cum furore dixiſſe: Si animali ſedere non poteſt, iungantur boues indomiti, qui eum colligatis funibus trahendo perducant, vbi ego præcepi. Quem ex tranſuerſo ſuper burdonem vinctum, quaſi quendam ligni truncum, toto itinere portabamus. Congregantur vniuerſi in Siccenſem & Larenſem ciuitates, vt illuc occurrentes Mauri, ſibi traditos ad eremum perduxiſſent. Superuenientes igitur Comites duo, ſubtilitate damnabili, blandis ſermonibus cum Dei confeſſoribus agere cœperunt: Quid vobis, inquiunt, videtur, vt ita pertinaces ſitis, & Domini noſtri præceptis minime obtemperetis,qui eſſe * poteratis in conſpectu regis honorabiles, ſi eius feſtinetis facere voluntatem? Statim illis clamantibus & dicentibus ingenti vociferatione, Chriſtiani ſumus, Catholici ſumus, Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur: includuntur grauiori quidem,ſed adhuc latiori cuſtodia,vbi nobis copia dabatur & introire,& verbum admonitionis fratribus facere,& diuina myſteria celebrare. Ibi & infantuli fuêre quamplurimi, quos genitrices materno ſequebantur affectu,aliæ gaudentes, aliæ retrahentes: aliæ gaudebant ſe martyres peperiſſe, aliæ morituros diluuio rebaptizationis nitebantur à confeſſione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt,nec carnalis pietas aliquem inclinauit ad terram. Nam quædam quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat.

Crudele tyranni reſponſum. * *Poteritis.* *Præclara Catholicorum vox.* *Arriani ſuos rebaptizabant.*

Inſigne pietatis catholicæ in anu exemplum. * *Zuritana.*

Dvm iter ageremus cum Dei exercitu comitantes, & forte magis noctibus promoueremur propter ſolis ardo- IX.
rem, conſpicimus mulierculam ſacculum & alia veſtimenta portantem, manu infantulum vna tenentem, atque in his ſermonibus conſolantem: Curre domine meus: vides vniuerſos ſanctos quomodo pergunt & feſtinant hilares ad coronas? Quam nos cum increparemus,quod importuna videretur aut viris pro ſexu iungi, aut exercitui Chriſti ſociari, reſpondit: Benedicite, benedicite, & orate pro me & pro iſto nepote paruulo meo,quia & ſi peccatrix,filia ſum quondam * Quiritanæ ciuitatis Epiſcopi. Cui nos: Et quare ita abiecte ambulas,& qua ratione de iam longo itinere huc pergere demonſtraris? Quæ reſpondit: Cum hoc ſeruo veſtro paruulo ad exilium pergo,ne inueniat eum ſolum inimicus,& à via veritatis reuocet ad mortem. Ad hæc verba repleti lachrymis,nihil dicere valuimus,niſi vt voluntas fieret Dei.

Exod 15. *Miſere premuntur Catholici.*

Sed vbi aduerſarius,qui iam forte dicebat: Participabor ſpolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, X.
dominabitur manus mea: nullum potuit occupare, inquirit anguſta & teterrima loca,in quorum conclauibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam viſitationis humanæ negata conſolatio, puniuntur & cuſtodes fuſtibus,& grauiter affliguntur, iactantur confeſſores Chriſti ſuper inuicem anguſtia coarctante, vnus ſuper alium vt agmina locuſtarum,& vt proprie dicatur, vt grana precioſiſſima frumentorum. In qua conſtipatione ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat loci,ſed ſtercora & vrinam vrgente neceſſitate ibidem faciebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret: ad quos aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibus Vandalis, vix clam admiſſi ſumus intrare. Qui introeuntes,veluti in gurgite luti vſque ad genua cœpimus mergi, illud tunc Hieremiæ videntes fuiſſe completum: Qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſunt ſtercora ſua. Quid multa? præcepti ſunt, vndique perſtrepentibus Mauris,ad iter vbi deſtinati ſunt, *præparari. Exeuntes itaque die Dominica, linita habentes ſtercoribus veſtimenta, facies ſimul & capita, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: Hæc eſt gloria omnibus ſanctis eius. Aderat enim ibi tunc beatus pontifex Cyprianus Vnizibirenſis Epiſcopus,conſolator egregius,qui ſingulos pio & paterno fouebat * affectu,non ſine fluminibus currẽtium lachrymarum, paratus pro fratribus animam ponere,& ſe vltroneum,ſi dimitteretur,talibus paſſionibus dare,qui totum quod habuit,egentibus fratribus, *

Vide miſeriam. *Thren 4.* * *Properare.* *Pſalm 149.* *Cyprianus Vnizibirẽſ. Epiſcopus egregius.*

* *Affatu.* * *In illa.*

nulla

Digitized by Google

nulla tunc neceſſitate expendit. Quærebat enim occaſionem, qualiter confeſſoribus ſociaretur, ipſe animo & virtute confeſſor: qui poſtea per multos agones & ſqualores carceris, ad exilium quod deſiderabat, cum exultatione perrexit. Quantæ tunc multitudines de diuerſis regionibus & ciuitatibus, ad viſendos Dei martyres occurrerint populorum, teſtantur viæ vel ſemitæ, quæ cum agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium & vallium concurrens turba fidelium inæſtimabilis deſcendebat, cereos manibus geſtantes, ſuoſque infantulos veſtigiis martyrum proiicientes, iſta voce clamabant: Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi ſunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt, Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Qui nos ſolennibus orationibus ſepulturi ſunt morientes? à quibus diuini ſacrificii ritus exhibendus eſt conſuetus? vobiſcum & nos licebat pergere, ſi liceret, vt tali modo filios à patribus nulla neceſſitas ſepararet.

Vide deuotionem catholicæ plebis. *Matth. 18.*

X. In his vocibus & lachrymis nullus iam pergere admiſſus eſt conſolator, ſed arctabatur multitudo ad currendum, vt vbi cannaua erat præparata, laborioſam caperet manſionem: qui cum ſenes deficerent, & alii forte, etſi iuuenes delicati, cœperunt haſtilium cuſpidibus ad currendum & lapidibus tundi: vnde magis deficientes, amplius laſſabantur. Poſt vero imperatum eſt Mauris, vt eos qui ambulare non poterant, ligatis pedibus vt cadauera animalis mortui traherent per dura & aſpera lapidum loca, vbi primo veſtimenta, poſtea membra ſingula carpebantur. Quibus per gladios acutos petrarum, huic caput conterebatur, alii latera findebantur, & ita inter manus trahentium ſpiritum exhalabant: quorum numerum nequaquam valuimus colligere, multitudine coërcente. Exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis ſepultura ſanctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad ſolitudinis loca perueniunt, in quibus collocati, hordeum ad veſcendum vt iumenta accipiunt. Vbi etiam venenatorum animalium atque ſcorpionum tanta eſſe dicitur multitudo, vt ignorantibus incredibilis videatur, quæ ſolo flatu etiam procul poſitis veneni virus infundat: ab ſcorpii autem percuſſu, nullum dicunt aliquando euaſiſſe. Quorum feritas virulenta vſque ad præſens tempus Chriſto defendente, nullum ſeruorum eius nocuiſſe docetur. Sed cum illic aluntur hordeaceis granis, poſtea & hoc ablatum eſt, quaſi non poterat Deus, qui pluerat Patribus manna, paſcere & nunc tali exilio mancipatos.

Multi animam reddunt. *Hordeum cibus exulum catholicorum.* *Exod. 16.*

XI. Cogitat acriora aduerſus Eccleſiam Dei, vt qui membra aliqua abſciderat, totum laniando perderet corpus. Nam die Aſcenſionis Domini * legato Zenonis Imperatoris, * rege non præſente, legendum in media Eccleſia Epiſcopo Eugenio dirigit præceptum, quod etiam vniuerſæ Africæ, veredis currentibus, deſtinauit: Rex Hunericus[a] Vandalorum & Alanorum, vniuerſis Epiſcopis Homouſianis: Non ſemel, ſed ſæpius, conſtat eſſe prohibitum, vt in ſortibus Vandalorum ſacerdotes veſtri conuentus minime celebrarent, ne ſua ſeductione animas ſubuerterent Chriſtianas. Quam rem ſpernentes plurimi, reperti ſunt contra interdictum Miſſas in ſortibus Vandalorum egiſſe, aſſerentes ſe integram regulam Chriſtianæ fidei tenere. Et quia in prouinciis à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus, ideo Dei prouidentia cum conſenſu ſanctorum Epiſcoporum noſtrorum hoc nos ſtatuiſſe cognoſcite, vt ad diem Calendarum Februariarum proxime futurarum, amiſſa omni excuſatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, vt de ratione fidei cum noſtris venerabilibus Epiſcopis poſſitis inire conflictum, & de fide Homouſianorum, quam defenditis, de diuinis ſcripturis proprie approbetis, quo poſſit agnoſci, ſi integram fidem teneatis. Huius autem edicti tenorem vniuerſis Epiſcopis tuis per vniuerſam Africam conſtitutis direximus. Data ſub die xiij. Calend. Iunias, anno vij. Hunerici.

** legatus.* ** regina præſente.* *a Epiſtola impii Hunerici ad Eugenium Epiſcopũ.*

XII. Cognoscentibus igitur, qui aderamus, ſimulque legentibus, contrita ſunt extemplo corda noſtra, & contenebrati ſunt oculi noſtri, & vere tunc dies feſti noſtri conuerſi ſunt in luctum, & cantica in lamentationem, dum edicti tenor indicaret futuræ perſecutionis furorem. Et præſertim vbi dixit, In prouinciis noſtris à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus: quaſi diceret, In prouinciis noſtris Catholicos eſſe nolumus. Tractatum eſt, quid fieret. Nullum inuenit remedium imminens clamitas, niſi à ſancto Eugenio rationabilis, ſi cor barbarum molliretur, ſuggerenda daretur tali textu conſcripta: Quoties animæ vel vitæ æternæ ac fidei Chriſtianæ cauſa tractatur intrepide, ſicut regalis prouidentia compromiſit, neceſſe eſt quod competit ſuggeratur. Nuper poteſtas regia per Vitaredum notarium prauitatem meam admonere dignata eſt, qui nobis de merito ac religione fidei præceptum eius in eccleſia, præſente clero & plebe, recenſuit. Ex cuius tenore cognouimus ad omnes coëpiſcopos meos præceptum regium ſimiliter emanaſſe, vt die conſtituta pro diſputatione fidei veniatur. Quod nos venerabiliter accepiſſe ſuggeſſimus: cui præfato notario humilitas mea ſuggeſſit, debere etiam tranſmarinarum omnium partium, qui nobis ſunt in vna religione vel communione conſortes, agnoſcere, quia vbique regno eius obtemperant vniuerſi, maxime quod totius mundi cauſa, non ſpecialis prouinciarum Africanarum tantummodo. Et quia ſecundo reſponſo ſuggerendam me promiſi oblaturum; merito ſuppliciter peto magnificentiam tuam, vt ad domini & clementiſſimi Regis aures memoratam ſuggeſtionem meam perferre digneris, quo eius clementia dignanter agnoſcat, nos diſputationem legis cum adiutorio Dei nullatenus declinare vel fugere, ſed ſine vniuerſitatis aſſenſu nos non debere aſſerendæ fidei noſtræ cauſas aſſumere. Quod petimus, vt benignitate, * quantus eſt, & iuſtitia ſapientiæ ſuæ dignetur annuere. Data ab Eugenio Epiſcopo eccleſiæ Catholicæ Carthaginis.

Tob. 2. *Scriptum S. Eugenii.* *Res fidei ad vniuerſam ſpectat eccleſiam.* ** qua tantus.*

XIII. Sed cum hæc ſuggeſtio à beato Eugenio offerretur, ille iam, qui conceperat dolorem, vrgebatur iniquitatem grauius parturire: & ita ſancto viro Epiſcopo Eugenio per Obadum præpoſitum regni ſui mandaſſe videtur: Subde mihi vniuerſum orbem terrarum, vt ſub poteſtate mea totus mundus redigatur, & facio, ô Eugeni, quod dicis. Ad quod beatus Eugenius reſpondit, vt potuit. Quod rationem, inquit, non habet, dici non debuit. Sic eſt hoc, quomodo ſi dicatur homini, vt per aëra feratur & volitet, quod moris non eſt humanæ naturæ. Dixi enim, ſi noſtram fidem, quæ vna & vera eſt, poteſtas regis cognoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos: ſcribam & ego fratribus meis, vt veniant coëpiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem noſtram valeant demonſtrare, & præcipue Eccleſia Romana, quæ caput eſt omnium eccleſiarum. Ad hæc Obadas: Ergo tu & Dominus meus Rex ſimiles eſtis? Eugenius Epiſcopus dixit: Ego non ſum ſimilis regis, ſed dixi: Si veram cognoſcere deſiderat fidem, ſcribat amicis ſuis, vt dirigant noſtros catholicos Epiſcopos: & ego ſcribo coëpiſcopis meis, quia catholicæ vniuerſæ vna eſt cura. Hoc agebat Eugenius, non quia deeſſent in Africa, qui aduerſariorum obiecta refellerent: ſed vt illi veniſſent, qui alieni ab eorum dominatu, maiorem fiduciam libertatis haberent, pariterque oppreſſionis noſtræ calumnias vniuerſis terris & populis nunciarent. Ille autem, qui nectebat dolos, audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, vt quoſcunque Epiſcoporum audierat eruditos, variis inſectationibus agitaret. Iam ad exilium Vibianenſem ſecundo Donatianum, impoſitis centum quinquaginta fuſtibus, miſerat Epiſcopum, necnon & Sufetulenſem Præſidem, virum ſatis acutum. Tunc & venerabiles Manſuetum, Germanum, Fuſculum, & multos alios fuſtigauit. Dum hæc geruntur, imperat vt cum noſtræ religionis viris, illorum menſam nullus communem haberet, neque cum catholicis omnino * veſcerentur: quæ res non ipſis aliquod præſtitit beneficium, ſed nobis maximum contulit lucrum. Nam ſi ſermo eorum, dicente Apoſtolo, ſicut cancer conſueuit ſerpere: quanto magis communis menſa ciborum poterit inquinare, cum dicat idem Apoſtolus: Cum nefariis nec cibum habere communem? Sed cum ignis iam perſecutionis accenderetur, & flamma infeſtantis vbique Regis arderet, oſtendit Deus noſter quoddam miraculum per ſeruum ſuum fidelem Eugenium, quod præterire non debeo.

Pſalm. 7. *Reſponſum barbari Regis.* *Romana Eccleſia caput omniũ eccleſiarũ.* *Multi Epiſcopi mittuntur in exilium.* ** veſcerentur.* *2. Tim. 2.* *1. Cor. 5.* *Eugenius illuminat cæcum An. 484.*

Fvit

Vide antiquum morem benedicẽdi fontem baptiſmi.
* *vrgeretur, al. mergeretur.*
a Hymni nocturni in eccleſia.
* *viſionis.*

FVIT in eadem ciuitate, id eſt, Carthagine, quidam cæcus, ciuibus ciuitatique notiſſimus, nomine Felix: Hic viſi- XV.
tatur à Domino, diciturque ei nocte per viſum: (dies enim Epiphaniorum illuceſcebat) Surge, vade ad ſeruum meum Eugenium Epiſcopum, & dices ei, quia ego te ad illum direxi: Et illa hora, qua benedicit fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur, & videbis lumen. Qui tali viſitatione commonitus, putans ſe, quomodo aſſolet, deludi per ſomnium, ſurgere noluit cæcus. Sed cum iterum *vergeretur in ſomnos, ſimiliter vt ad Eugenium pergeret, compellitur. Rurſus negligit, tertioque feſtinanter & grauiter increpatur. Excitat puerum, qui ei ſolitus erat manum porrigere. Pergit veloci agilitate ad Fauſti baſilicam, orat veniens cum ingentibus lachrymis, ſuggerit cuidam diacono, nomine Peregrino, vt eum Epiſcopo nunciaret, indicans ſe habere aliquod ſecreti genus intimãdum. Audiens Epiſcopus, iuſſit hominem introire. Iam enim ob celebritatem feſtiuitatis, a hymni nocturni per totam eccleſiam canente populo concrepabant. Indicat cæcus antiſtiti ordinem *viſitationis ſuæ, dicitque illi: Non te dimittam, niſi mihi, ſicut à Domino iuſſus es, reddideris oculos meos. Cui Eugenius ſanctus: Recede à me frater, peccator ſum & indignus, & ſuper omnes homines delinquens, vtpote qui & in hæc tempora ſeruatus ſum. Ille autem tenens genua eius, aliud non dicebat, niſi illud, quod iam dixerat: Sicut iuſſum eſt, redde mihi oculos meos.

Felicem cæcum illuminat S. Eugenius.
* *manante.*
Nota vocẽ hæreticis familiarem.
Ioan. 12.

ATTENDENS quoque Eugenius inuerecundam credulitatem, & quia iam tempus vrgebat, pergit, cum eo, comi- XVI.
tante officio clericorum, ad fontem. Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulſans ſingultibus cœlum, criſpantem benedixit alueum fontis, & cum completa ſurrexiſſet oratione, ita cæco reſpondit: Iam tibi dixi, frater Felix, peccator homo ego ſum: ſed qui te viſitare dignatus eſt, præſtet tibi ſecundum fidem tuam, & aperiat oculos tuos, ſimulque vexillo Crucis conſignante oculos eius, ſtatim cæcus viſum Domino reddente recepit. Quem ſecum quouſque vniuerſi baptizarentur, ibi detinuit ob hoc, ne tanto miraculo populus excitatus, virum contereret, qui receperat lumen. Fit poſtea manifeſtum Eccleſiæ vniuerſæ. Procedit ad altare cum Eugenio, ſicut moris eſt, qui fuerat cæcus, ſuæ ſalutis oblationem Domino redditurus. Quam Epiſcopus accipiens, altari impoſuit. Fit ſtrepitus gaudio * metante irreuocabilis populorum: ſtatim nuncius pergit ad tyrannum. Rapitur Felix, inquiritur ab eo, quid factum ſit, qualiterque receperit lumen. Dicit illi ex ordine totum, dicuntque Arrianorum Epiſcopi: Hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppreſſi confuſione, non poterant nubilare, eo quod Felix vniuerſæ ciuitati manifeſtus eſſet & notus, tamen volebant eum, ſi fas eſſet, necare, quomodo Iudæi ſuſcitatum Lazarum cupiebant occidere.

Sic hęretici vincũt Catholicos.
Vide Luciferi aſſeclam.

APPROPINQVABAT iam futurus dies ille calumnioſus Calendarum Februariarum, ab eodem ſtatutus. Conueni- XVII.
unt non ſolum vniuerſæ Africæ, verumetiam inſularum multarum Epiſcopi, afflictione & mœrore confecti. Fit ſilentium diebus multis, quouſq; peritos quoſque & doctiſſimos viros exinde ſepararet, calumniis appoſitis necandos. Nam vnum ex ipſo choro doctorum, nomine Lætum, ſtrenuum atque doctiſſimum virum, poſt diuturnos carceris ſquallores incendio concremauit, æſtimans tali exemplo timorem incutiens reliquos eliſurum. Tandem venitur ad diſputationis conflictum, ad locum ſcilicet, quem delegerant aduerſarii. Euitantes igitur noſtri vociferationis tumultus, ne forte poſtmodum Arriani dicerent, quod eos noſtrorum oppreſſerit multitudo, eligunt de ſe noſtri, qui pro omnibus reſponderent, decem. Collocat ſibi Cirila cum ſuis ſatellitibus in loco excelſo ſuperbiſſimum thronum, adſtantibus noſtris, dixeruntque noſtri Epiſcopi: Illa eſt ſemper grata collatio, vbi ſuperba non dominatur elatio: ſed ex conſenſu communi venitur, vt cognitoribus decernentibus, partibus agentibus, quod verum eſt, agnoſcatur. Nunc qui erit cognitor, qui examinator, vel libra iuſtitiæ, vt bene prolata confirmet, aut praue aſſumpta refellat? Et cum talia & alia dicerentur, notarius Regis reſpondit: Patriarcha Cirila dixit, aliquos veſtrum ſuperbe & illicite ſibi nomen Catholicorum vſurpaſſe. Noſtri teſtati dixerunt: Dictum fuit: Legatur nobis, quo concedente iſtud ſibi nomen Cirila aſſumpſit. Et exinde ſtrepitum concitantes, calumniari aduerſarii cœperunt.

Cæduntur Catholici.
* *ſpectare.*
Malo dolo agunt hæretici ſemper.
Nimirum hic bolus eſt, cui inhiant hæretici.

ET quia hoc noſtri petierant, vt ſaltem ſi examinare non licebat, prudenti multitudini vel * expectare liceret, iu- XIIX.
bentur vniuerſi filii Catholicæ Eccleſiæ qui aderant, centenis fuſtibus tundi. Tunc clamare cœpit beatus Eugenius: Videat Deus vim, quam patimur: cognoſcat afflictionem perſecutionum, quam à perſecutoribus ſuſtinemus: conuerſiq; noſtri, Cirilæ dixerunt: Propone quod diſponis. Cirila dixit: Neſcio Latine. Noſtri Epiſcopi dixerunt: Semper te Latine eſſe locutum manifeſto nouimus, modo excuſare non debes, præſertim quia tu huius rei incendium ſuſcitaſti. Et videns catholicos Epiſcopos ad conflictum magis fuiſſe paratos, omnino audiẽtiam diuerſis cauillationibus declinauit. Quod ante noſtri prouidentes, libellum de fide conſcripſerant, ſatis decenter ſufficienterque conſcriptum, dicentes: Si noſtram fidem cognoſcere deſideratis, hæc eſt veritas, quam tenemus. Qui cum noſter libellus legeretur oblatus, veritatis lumen nequaquam ſufferre cæcis oculis potuerunt, inſanientes vocibus inferendis, grauiterque ferentes, quare nos nomine noſtro Catholicos dixerimus. Statimque mentientes ſuggerunt Regi de nobis, eo quod ſtrepitum fecerimus, audientiam fugientes. Qui eadem hora accenſus & credens mendacio, feſtinauit facere quod volebat. Et iam conſcriptum habens, & occulte cum eodem decreto per diuerſas prouincias ſuos homines dirigens, Epiſcopis Carthagine poſitis, vna die vniuerſæ Africæ eccleſias clauſit, vniuerſamque ſubſtantiam Epiſcoporum & eccleſiarum, ſuis Epiſcopis munere condonauit. Neſciens quoque quid loqueretur, neque de quibus affirmabat, legem, quam dudum Chriſtiani Imperatores noſtri contra eos & contra alios hæreticos pro honorificentia Eccleſiæ Catholicæ promulgauerunt, aduerſum nos illi proponere non erubuerunt, addentes multas de ſuis ſicut placuit tyrannicæ poteſtati.

* *Genſerici.*
O barbarum hæreticum.
* *proiecti.*
Mendaces ſemper hæretici.
Vis illata Catholicis.
Conſtans Catholicorum vox.

POST feralia edicta (*contra Chriſtianos Catholicos propoſita*) iubet rex Hunericus * Geiſerici filius cunctos Epiſco- XIX.
pos, qui Carthagine fuerant congregati, quorum iam eccleſias, domos & ſubſtantiam ceperat, in hoſpitiis, quibus erant, expoliari, & expoliatos foras muros propelli: non animal, non ſeruus, non mutanda, quæ ferebant, veſtimenta penitus dimittuntur: addens adhuc, vt nullus quempiam illorum hoſpitio reciperet, aut alimoniam præſtitiſſet. Qui autem hoc miſerationis cauſa facere tentaſſet, cum vniuerſa domo ſua incendio crematetur. Sapienter tunc etiam * profecti Epiſcopi fecerũt, vt licet mendicantes exinde non abſcedent: quia ſi recederent, non tantum violenter omnino reuocarentur, ſed & mentirentur eos, ſicut mentiti ſunt, fugiſſe conflictum: maxime quia vbi reuerterentur, iam nequaquam fuerat eccleſiis ſubſtantia, vel domibus occupatis. Dum ergo gementes in circumitu murorum nudo ſub aëre iacerent, factum eſt, vt Rex impius ad piſcinas exiſſet. Cui vniuerſi occurrere maluerunt, dicentes: Vt quid taliter affligimur? pro quibus malis forte commiſſis iſta perpetimur? Si ad diſputationem congregati ſumus, quare expoliati? quare traducimur? quare differimur, & ſine eccleſiis & domibus noſtris foras ciuitatem fame & nuditate laborantes, mediis ſtercoribus volutamur? Quos ille toruis oculis adſpiciens priuſquam ſuggeſtionem eorum audiſſet, iuſſit ſuper eos cum ſeſſoribus equos dimitti, vt tali violentia poſſent non ſolum conteri, verumetiam necari. Quorum tunc multi contriti ſunt, & præcipue ſenes & infirmi. Tunc deinde iubentur ad quendam locum, qui dicitur Ædes Memoriæ, illi viri Dei occurrere, fraudem ſibi neſcientes aptatam. Vbi cum veniſſent, charta eis oſtenditur inuoluta, diciturque illis iſta ſubtilitate ſerpẽtis: Dominus noſter rex Hunericus, licet doleat, quod fueritis contẽptores, & adhuc eius voluntati obedire tardetis, vt eius efficiamini religionis, cuius eſt ipſe, nunc tamen bonum de vobis cogitauit. Si iuraueritis ita, vt quod iſta charta continet faciatis, dimittit vos eccleſiis & domibus veſtris. Ad quod vniuerſi Epiſcopi reſponderunt: Semper dicimus, & diximus, & dicturi ſumus: Chriſtiani ſumus, Epiſcopi ſumus, Apoſtolicam fidem vnam & veram tenemus. Factoque poſt confeſſionem fidei ſilentio modico, illi qui à rege fuerant deſtinati, feſtinabant extorquere Epiſcopis ſacramentum.

TVNC

XX. Tvnc beati viri Hortulanus & Florentinianus Epiſcopi, pro omnibus & cum omnibus, dixerunt: Nunquid animalia nos irrationabilia ſumus, vt neſcientes quid charta contineat, facile aut temere iuremus? Accelerauerunt quoque illi à rege deſtinati ſcripturæ eis propalare tenorem, qui huiuſmodi ſermonibus fuerat coloratus. Sic enim calumnioſa ſeries continebat: Iurate, ſi poſt obitum domini noſtri Regis, eius filium Hilderichum deſideratis eſſe regem: vel ſi nullus veſtrum ad regiones tranſmarinas epiſtolas diriget: quia ſi ſacramentum huius rei dederitis, reſtituet vos eccleſiis veſtris. Cogitauit tunc multorum pia ſimplicitas, etiam contra prohibitionem diuinam ſacramentum dare, ne Dei populus in poſterum diceret, quod vitio ſacerdotum, qui iurare noluerunt, non fuerint eccleſiæ reſtitutæ. Alii quoque aſtutiores Epiſcopi ſentientes dolum fraudis, nequaquam iurare voluerunt, dicentes prohibitum fuiſſe Euangelica authoritate, ipſo Domino dicente: Non iurabis in toto. Quibus miniſtri regis: Secedant in parte, inquiunt, qui iurare diſponunt. Qui cum ſecederent, notariis ſcribentibus quis quid diceret, & ex qua ciuitate fuiſſet, exceptum eſt. Similiter factum eſt & de illis, qui minime iurauerunt. Statimque pars vtraque cuſtodiæ mancipatur. Poſt vero fraus, quæ celabatur, apparuit. Iurantibus dictum eſt: Quare contra præceptum Euangelii iurare voluiſtis? Iuſſit rex, ad ciuitates atque eccleſias veſtras nunquam redeatis, ſed relegati, colonatus iure ad excolendum agros accipiatis: ita tamen, vt non pſallatis neque oretis, aut ad legendum codicem in manibus geſteris: non baptizetis, neque ordinetis, aut aliquem reconciliare præſumatis. Similiter non iurantibus ait: Quia regnum filii domini noſtri non optatis, idcirco iurare noluiſtis. Ob quam cauſam iuſſi eſtis in Corſicanam inſulam relegari, vt ligna profutura nauibus dominicis incidatis.

Matth. 5.

Ecce prodit ſe fraus hæreticorum.

XXI. Addidit itaque beſtia illa, ſanguinem ſitiens innocentum, Epiſcopis necdum adhuc in exilium directis, per vniuerſas Africanæ terræ prouincias vno tempore tortores crudeliſſimos deſtinari: vt nulla remanſiſſet domus & locus, vbi non fuiſſet eiulatus & luctus, vt nulli ætati, nulli parceretur ſexui, niſi illis, qui eorum ſuccumberent voluntati. Hos fuſtibus, illos ſuſpendio, alios ignibus concremabant. Mulieres & præcipue nobiles, contra iura naturæ nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus vnam noſtram Dionyſiam, curſim ac breuiter nominabo. Cum viderent eam non ſolum audacem, ſed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipſam primo niſi ſunt fuſtibus expoliatam aptare. Quæ cum pateret, diceretque de Domino ſuo ſecura, Qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare: amplius illi magis furentes, celſiori loco veſtimentis exutam conſtituunt, ſpectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum, dum riuuli ſanguinis toto iam corpore fluitarent, libera voce dicebat: Miniſtri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipſa eſt laus mea. Et quia erat ſcripturarum diuinarum ſcientia plena, arctata pœnis, & ipſa iam martyr, alios ad martyrium confortabat. Quæ ſuo ſancto exemplo vniuerſam ſuam patriam liberauit. Quæ cum ſuum vnicum filium admodum adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pœnarum formidoloſum conſpiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans authoritate materna, ita confortauit, vt matre multo fortior redderetur. Cui inter credula verbera conſtituto, ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre catholica baptizati ſumus: non perdamus indumentum noſtræ ſalutis, ne veniens inuitator veſtem non inueniat nuptialem, & dicat miniſtris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor dentium. Illa pœna timenda eſt, quæ nunquam finitur. Illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur. Talibus itaque filium ſolidans verbis, velociter martyrem fecit. Venerabilis vero adoleſcens, Maioricus nomine, in certamine confeſſionis ſpiritum reddens, curſum palmiferum conſummauit. Amplexanſque illa hoſtiam ſuam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium ſpei futuræ in ſua domo maluit ſepelire, vt quoties ſuper ſepulchrum eius Trinitati preces effundit, alienam ſe à filio nunquam eſſe confidat. Quanti igitur per eam in illa ciuitate, vt tati ſumus, acquiſiti ſunt Deo, longum eſt enarrare. Nam & eius germana, nomine Datiua, atque Leontia filia ſancti Germani Epiſcopi, cognatuſque Datiuæ venerabilis Emelius medicus, religioſus quoque Tertius, Trinitatis confeſſione præclarus, vel Sibidenſis Bonifacius quanta pertulerint, qualibuſque cruciatibus euiſceratæ vel euiſcerati ſint, qui valet, ex ordine dicat. Seruus quoq; Tuburbitanæ ciuitatis Maiorus generoſi & nobilis viri, pro Chriſto quas pertulit, quis explicet pœnas? Qui poſt cædes innumerabilium fuſtium, trochleis frequentibus eleuatus, dum tota præ vrbe penderet, nunc in ſublime ſe tollente ictu celeri, dimiſſis iterum canabinis, ſuper ſilices platearum pondere corporis veniens, vt lapis ſuper lapides corruebat. Sed & ſæpius tractum, & lapidibus acutiſſimis defricatum, & cutibus ſeparatis, pelles corporis lateribus dorſoq; videres & ventre pendere. Iſte iam temporibus * Geiſerici non valde diſſimilia pertulerat, ne amici cuiuſdam ſui ſecreta nudaret: quanto magis nunc, vt ſuæ fidei ſacramenta muniret? Et ſi hominis gratiæ fideliter exhibuit fidem, quantum debet illi, qui redditurus eſt pro fide mercedem.

Crudeliſſimi tortores tota Africa vexant Catholicos.

Impudentia hæreticorũ.

Dionyſiæ illuſtris virtus.

* *Matth.* 22.

Maiorici martyrium.

Maiorici ſepultura.

Atrox ſupplicium.

* *Genſerici.*

XXII. In ciuitate vero Culuſitana non valeo quæ geſta ſunt nunciare, quia & ipſam quantitatem martyrum vel etiam Confeſſorum impoſſibile eſt homini ſupputare. Vbi quædam matrona auctrix ſui nominis Victoria, dum in conſpectu vulgi continuato ſuſpendio crematetur, à marito iam perdito, filiis præſentibus taliter rogabatur: Quid pateris coniunx? Si me deſpicis, vel horum quos genuiſti, miſerere impia paruulorum. Quare obliuiſceris vteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperiſti? Vbi ſunt fœdera coniugalis amoris? Vbi ſocietatis vincula, quæ inter nos dudum honeſtatis iure tabulæ conſcriptæ fecerunt? Reſpice, quæſo, filios ac maritum & regiæ iuſſionis implere feſtina præceptum, vt & imminentia adhuc tormenta lucreris, ſimul & mihi doneris & liberis noſtris. Sed illa nec filiorum fletus, nec ſerpentis audiens blandimenta, affectum multò altius eleuans à terra, mundum cum ſuis deſideriis contemnebat. Quam cum iam continuatione ſuſpendii vulſis humeris, etiam qui cruciabant, conſpicerent mortuam, depoſuerunt prorſus omni parte exanimem. Quæ poſtea retulit quandam ſibi virginem adſtitiſſe, atque tetigiſſe membra ſingula, & ilico fuiſſe ſanatam.

Innumeri martyres & confeſſores in ciuitate Culuſitana.

Victoria reuiuiſcit.

XXIII Qvaliter autem Adrumentinæ ciuitatis ciuem Victorianum, tunc Proconſulem Carthaginis, prædicem, neſcio, deficientibus verbis. Quo in Africæ partibus nullus ditior fuit, qui etiam apud impium Regem pro rebus ſemper ſibi commiſſis fideliſſimus habebatur. Mandatur ei à Rege familiariter, diciturque, quod eum habiturus eſſet præ omnibus, ſi eius præcepto facilem commodaſſet aſſenſum. Sed ille vir Dei miſſis ad ſe tale dedit cum fiducia magna reſponſum: Securus de Deo & Chriſto Domino meo, dico quæ regi dicatis. Subigat ignibus, adigat beſtiis, excruciet generibus omnium tormentorum, ſi conſenſero, fruſtra ſum in Eccleſia Catholica baptizatus. Nam ſi hæc præſens vita ſola fuiſſet, & aliam, quæ vere eſt, non ſperaremus æternam, nec ita feciſſem ad modicum atque temporaliter gloriari, & ingratus exiſtere, qui ſuam fidem mihi contulit creditori. Ad quod tyrannus excitatus, quantorum temporum, & quantis eum afflixerit pœnis, humanus ſermo non poterit explicare. Qui tripudians in Domino, feliciterque conſummans, martyrialem coronam accepit.

Victoriani Proconſulis præſtans virtus.

Diuturni cruciatus.

XXIV Apvd Tambaienſem quoque ciuitatem geſta, quis queat certamina martyrum explicare? Vbi duo germani Aquiſregienſis ciuitatis, ſibi ſecuri de Domino inuicem iurauerunt, & rogauerunt tortores, vt vna pœna parique ſupplicio torquerentur. Et dum primo ſuſpendio molibus lapidum pedibus alligatis tota die penderent, vnus illorum petiuit ſeſe deponi, & ſibi inducias dari. Cui frater alius, metuens ne fidem negaret, de ſuſpendio clamabat: Noli, noli frater, non ita iurauimus Chriſto. Accuſabo te, cum ante thronum eius terribilem venerimus: quia ſuper corpus eius & ſanguinem iurauimus, vt pro eo inuicem patiamur. Iſta dicens & alia multa, confortauit germanum ad prælium paſſionis. Qui clamans, ingenti voce dicebat: Adigite ſuppliciis quibus vultis, & pœnis Chriſtianos arctate crudelibus.

Fratrum duorum certamen.

Quod

Quod frater meus facturus eſt, hoc etiam ego. Quantis iam laminis ignitis aduſti ſunt, qualibus vngulis exarati, quibus cruciatibus torti, ipſa res docet, & quod eos ipſi tortores à ſua facie proiecerunt, dicentes: Iſtos imitatur vniuerſus populus, vt nullus ad noſtram religionem penitus conuertatur, & præcipue quia nulli liuores, nulla pœnarum veſtigia in eis penitus videbantur.

Nota inſigne miraculum.

Nota facinus præclarum Typaſenſium.

In Typaſenſi vero quod geſtum eſt Mauritaniæ maioris ciuitate, ad laudem Dei inſinuare feſtinemus. Dum ſuæ ciuitati Arrianum Epiſcopum ex notario Cyrilam ad perdendas animas ordinatum vidiſſent: omnis ſimul ciuitas euectione nauali de proximo confugit, relictis pauciſſimis, qui aditum non inuenerant nauigandi. Quos Arrianorum Epiſcopus primo blandimentis, poſtea minis compellere cœpit, vt eos faceret Arrianos. Sed fortes in Domino, non ſolum ſuadentis inſaniam irriſerunt, verumetiam publice myſteria diuina, in domo vna cõgregati, celebrare cœperunt. Quod ille cognoſcens, relationem occulte Carthaginem aduerſus eos direxit. Quæ cum regi innotuiſſet, comitem quendam cum iracundia dirigens, præcepit vt in medio foro congregata illuc omni prouincia, linguas eis & manus dexteras radicitus abſcidiſſet. Quod cum factum, Spiritu ſancto præſtante, ita loquuti ſunt & loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed ſi quis incredulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet vnum de illis ſubdiaconum Reparatum, ſermones politos ſine vlla offenſione loquentem. Ob quam cauſam venerabilis nimium in palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipue regina mira eum reuerentia veneratur. XXV.

Loquuntur Confeſſores linguis præciſis.

Sed quis congruo ſermone poſſit exequi aut coacervare diuerſitates pœnarum, quas ex iuſſu regis ſui, etiam ipſi Vandali in ſuos homines exercuerunt? In ipſa quoque quæ geſta ſunt Carthagine, ſi nitatur ſcriptor ſingulatim adſtruere etiam ſine ornatu ſermonis, nec ipſa nomina tormentorum poterit edicere. Quæ res hodieque poſita in promptu demonſtrat. Alios ſine manibus, alios ſine oculis, alios abſque pedibus, alios truncos naribus auribuſque intendas, alioſq; videas nimio ſuſpendio pilis euulſis, caput, quod eminere ſolebat, in medio ſcapularum fuiſſe demerſum, dum iugiter in altis ædibus ſuſpendio cruciantes, impulſione manuum funibus agitatis, per vacuum aërem huc atque illuc faciebant vagari pendentem. Qui nonnunquam diruptis funibus, de illa altitudine ſuſpenſionis ictu valido corruentes, plurimi arcem cerebri cum oculis amiſerunt: alii confractis oſſibus ſpiritum continuo reddiderunt, alii poſt paulùm exhalauerunt. Sed qui hoc fabuloſum putat, Vranium Zenonis legatum interroget, cuius præſentia præcipue geſta ſunt, illa ſcilicet cauſa, quia veniens Carthaginem, ſeſe pro defenſione Eccleſiarum Catholicarum veniſſe iactabat. Et vt illi oſtenderet tyrannus ſe neminem formidare, in illis plateis vel vicis plures tortores & crudeliores ſtatuit in quibus legatis moris eſt aſcendendo ad palatium & deſcendendo tranſire, ad opprobrium videlicet reipublicæ ipſius, & in noſtri iam deficientis temporis fæcem. Tunc igitur & quædam vxor cuiuſdam cellaritæ regis nomine Dagila, quæ temporibus *Geiſerici multoties iam Confeſſor extiterat, matrona nobilis ac delicata, flagellis & fuſtibus omnino debilitata, exilio arido & inuio relegatur, vbi nullus hominum ſorte conſolationis gratia veniendi haberet acceſſum, relinquens cum gaudio domum, maritum ſimul & filios. Cui poſtea oblatum eſſe dicitur, vt in mitiorem eremum tranſlata, frueretur, ſi vellet, ſolatio ſociorum. Illa vero ingens ſibi adeſſe credens gaudium, vbi nullus humanus eſſet conſolantis affectus, ne fieret, ſupplicauit. Tunc etiam, Eugenio paſtore iam in exilio conſtituto, vniuerſus Clerus Eccleſiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, fere quingenti vel amplius. Inter quos quamplurimi erant [a] lectores infantuli, qui gaudentes in Domino, procul exilio crudeli traduntur. XXVI.

Immane ſupplicium.

**Genſerici.*

Dagila matrona conſtantiſſima.

Clerus Carthaginis vexatur.

a *Lectores & infantuli* magis attidet Baron in notis ad Martyrolog. hoc die.

Libertas Murittæ Diaconi.

**Helpidiphorus.*

Sed libertatem tunc, dum media vrbe cæderentur, Murittæ Diaconi, cæteris liberiorem tacere non debeo. Fuit quidam *Elpidoforus nomine, nimium crudelis & ferus, cui fuerat delegatum, membra Confeſſorum Chriſti ſuppliciis graſſantibus laniare. Hic enim dudum fuerat apud nos in Eccleſia Fauſti baptizatus, quem venerabilis Muritta diaconus de alueo fontis ſuſceperat generatum. Poſt vero dum apoſtataret, tantæ extitit feritatis aduerſus Eccleſiam Dei, vt ſuperior omnibus executor perſecutionis fuiſſet inuentus. Quid multa? Dum primo presbyteri ſuppliciis macerandi ordine citarentur, poſt archidiaconum Salutarem, arctatur pœnis memoratus Muritta. Fuit enim ſecundus in officio miniſtrorum. Qui cum Elpidoforo ſedente & fremente, honorabilis ſenior cœpiſſet extendi, priuſquam exueretur, clam furto, neſcientibus cunctis, illa quibus eum ſuſcipiens de fonte dudum texerat, ſabana baiulabat. Quibus ventilatis, ſimulque in oſtenſione cunctorum *extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouiſſe dicitur ciuitatem: Hæc ſunt linteamina, Elpidofore miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum maieſtas venerit iudicantis; cuſtodiente diligentia mea ad teſtimonium tuæ perditionis, ad demergendum te, in abyſſo putei ſulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte ſurgentem. Hæc te acrius perſequentur flammantem gehennam cum cœperis poſſidere: quia induiſti te maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens atque amittens veri baptiſmatis & fidei ſacramentum. Quid facturus es miſer, cum ſerui patrisfamilias ad cœnam regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus exutum ſtolam rex conſpiciet nuptialem, diceretque tibi: Amice, quomodo huc veniſti, veſtem non habens nuptialem? Non video, quod contuli: non noſco, quod dedi. Perdidiſti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem menſibus texui, & tendiculas Crucis, quas extendens, aquam mundaui, & purpura mei ſanguinis decoraui, non conſpiciunt oculi mei: characterem non video Trinitatis, talis intereſſe non poterit epulis meis: ligate eum pedibus & manibus funiculis ſuis, quia ſe ipſe voluntarie ſeparare voluit à Catholicis dudum fratribus ſuis. Ipſe funes extendit continuatos in laqueum, quibus & ſemetipſum vinxit, & alios, ne ad iſtud venirent conuiuium, impediuit. Iuxta ſemitam multis ſcandalum poſuit, quem nunc cum rubore perpetuo & dedecore ſempiterno de conuiuio meo proiici. Hæc & alia Muritta dicente, igne conſcientiæ ante ignem æternum obmuteſcens Elpidoforus torrebatur. Parantes itaque vniuerſi dorſa ſua verberibus, alacres ad exilium pergunt. Quibus adhuc in itinere longioris viæ conſtitutis, deſtinantur, Epiſcopis Arrianorum ſuggerentibus, homines immiſericordes ac violenti, vt illud, quod eis forte miſeratio Chriſtiana victui contulerat profuturum, crudeliter auferretur, quando vnuſquiſque eorum libentius forte cantabat: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudum me oportet ad exilium pergere: quia Dominus nouit eſurientibus cibum porrigere, & in deſerto veſtire. Vandali namque duo ſub *Geiſericho ſæpius Confeſſores, comitante matre, contemptis omnibus diuitiis ſuis, cum eiſdem Clericis ad exilium perrexerunt. XXVII.

Sabana, dicit lineos pãnos, quibus baptizati excipiebantur.

**Extenſis.*

Matth. 22.

Egregia Murittæ exhortatio, & vaticinium.

Epiſcopi Arriani crudeliſſimi, ſicut hæretici omnes.

Iob 1.

**Genſerico.*

De multitudine autem pergentium confeſſorum, id eſt, Eccleſiæ Carthaginis clericorum, ſuggerente quodam ex lectore Teuchario perdito, quos ille nouerat vocales, ſtrenuos atque aptos modulis cantilenæ, deſignatione ſua debere dicit duodecim infantulos ſeparari, quos ipſe, dum Catholicus eſſet, tunc diſcipulos habuit. Statim illo ſuggerente, ſub feſtinatione viro dimittuntur, & vi barbarici furoris bis ſenus numerus puerorum de itinere reuocatur. Segregantur corpore, non ſpiritu, à grege ſanctorum. Qui timentes præcipitium, cum ſuſpiriis lachrymarum ne diuellerentur, conſtringebant manibus genua ſociorum. Quos violentia tamen hæretici minacibus ſeparans gladiis, Carthaginem reuocauit. Sed cum eis quaſi cum tali ætate non blanditiis ageretur, ſuperiores ſuis inuenti ſunt annis, & ne obdormirent in morte, lucernam ſibi Euangelici luminis accenderunt. Indignantur ob hoc grauiter Arriani, & ſe ſuperatos à pueris erubeſcunt. Vnde accenſi, ſubdi fuſtibus iubent, quos iam ante pauciſſimos dies variis verberibus diſſipauerant. Imprimuntur vulneribus vulnera, & rurſum pœna reſtaurata crudeſcit. Factum eſt Domino confortante, vt nec ætas minor deficeret in dolore, & magis animus creſceret roboratus in fide. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quaſi XXIIX.

Cæduntur fuſtibus pueri 12. Catholici.

duodecim

duodecim Apoſtolorum, chorum conſpicit puerorum. Vnà degunt, ſimul veſcuntur, pariter pſallunt, ſimul in Domino gloriantur.

XXIX. ILLIS diebus & duo negociatores Frumentius & alius Frumentius eiuſdem vrbis, egregio martyrio coronati ſunt. Tunc & ſeptem fratres, non natura, ſed gratia, ſimul in monaſterio commanentes, confeſſionis certamine expleto, immarceſcibilem peruenerunt ad coronam, id eſt, Liberatus Abbas, Bonifacius diaconus, Seruus ſubdiaconus, Ruſticus ſubdiaconus, Rogatus monachus, Septimus monachus, Maximus monachus. Nam illo tempore crudeliùs Arrianorum Epiſcopi, presbyteri, & clerici, quàm reges & Vandali ſæuiebant. Nam ad perſequendum ipſi cùm ſuis clericis vbiquè gladijs accincti currebant: ſicut quidam Epiſcopus inter illos cæteris crudelior, Antonius nomine, qui tam nefaria & incredibilia in noſtros exercuit, vt narrari non queant.

Vide furorē Arrianorū Epiſcoporum, &c.

XXX. FVIT iſte in quadam ciuitate proxima eremo, quæ Tripolitanæ prouinciæ vicinatur. Qui vt beſtia inſatiabilis, Catholicorum ſitiens ſanguinem, hùc illucque ad rapiendum fugientes excurrebat. Nam impius Hunericus, ſciens Antonij ferocitatem, in ipſis eremi partibus voluit ſanctum Eugenium relegare. Quem dum cuſtodiendum Antonius accepiſſet, ità eum arctiori cuſtodia cinxit, vt nullum ad eum introire permitteret: inſupèr varijs inſidiarum atque pœnarum ſupplicijs extinguere cogitauit. Sed Eugenius ſanctus, dum noſtræ perſecutionis defleret incommoda, & aſperitate cilicij ſenile attereret corpus, nudamq; ſuper humum cubitans, ſtratum facci ſui rigaret imbribus lachrymarum, aliquandò ſenſit infeſtum paralyſis morbum. Quo nuncio in gaudia conuerſus Arrianus, pergit feſtinus ad cubile eximij hominis Dei. Et cùm videret vrgente paſſione verum pontificem balbutientia verba producere, cogitauit ſimul extinguere, quem ſupereſſe nolebat. Præcepit vt acetum aſperum nimisq; acerrimum quæreretur. Cui cùm fuiſſet allatum, venerabilis ſenis recuſantibus & nolentibus faucibus ingerebat. Nam ſi communis Dominus, qui ad hoc venerat, * vt potaret, cùm guſtàſſet, noluit bibere: quanto magis iſte ſeruus & Confeſſor fidelis omninò nollet, niſi hæretica feritas ingeſſiſſet? Ex quo aceto præſertim ille paſſionis noxiæ morbus accipit augmentum. Cui pietas Chriſti miſericorditer ſubueniens, poſteà ſanum exhibuit.

S. Eugenius ab atrociſſimo Arriano Epiſcopo mirè affligitur.

Matth 27.

* vt pateretur.

XXXI. ALIO autem noſtro Epiſcopo Habetdeum, ſimiliter relegato, Tamallumenſis ciuitatis, in qua Antonius fuerat, quantùm potuerat infeſtari, res ipſa demonſtrat. Nam cùm diuerſis eum perſecutionibus affligeret, nec poſſet eum facere Arrianum, videretq; Chriſti militem ſemper in confeſſione conſtantem, promiſerat ſuis, dicens: Niſi eum noſtræ fecero religionis, non ſit Antonius. At vbi in ſua promiſſione minor inuentus eſt, ſuggerente ſibi diabolo cogitat aliud. Pedibus manibusq; ligatis, vinculis ingentibus arctat Epiſcopum, oreq; obturato nè lingua clamaret, aquam corpori vt putabat rebaptizationis ſparger: quaſi valeret conſcientiam ligare cum corpore, aut non adeſſet, qui audit gemitus compeditorum, & cordis ſecreta rimatur: vel ſuperare poſſet aqua mendax tantæ voluntatis propoſitum, quod iam homo Dei * metantibus lachrymis miſerat legatum in cœlum. Exuit ſtatim virum vinculis, & tali quaſi gaudens proſequitur voce: Eccè iam frater Haberdeum noſter, Chriſtianus effectus es. Quid vltà facere poteris, niſi vt voluntati conſentias regis? Cui Habetdeum: Illa eſt, impie Antoni, mortis damnatio, vbi voluntatis tenetur aſſenſio. Ego fidei meæ tenax, vocibus confitens crebris, quod credo & credidi, clamando defendi. Sed & poſtea quàm catenis vinxiſti, & oris ianuam oppilàſti, in prætorio cordis violentiæ meæ, ſcribentibus angelis, geſta confeci, & lectitanda Imperatori meo tranſmiſi.

Epiſcopus Habetdeū ab eodem dirè vexatur.

*manantibus.

Reſponſis Epiſcopi Habetdeū, conuincitur Antonius Arrianus.

XXXII ERAT quidem generalis iſta violentia tyrannorum. Nam Vandali pro hac re vbiquè fuerant deſtinati, vt tranſeuntes itinera, ſacerdotibus ſuis adducerent iugulandos. Ac vbi eos fallacis aquæ gladio peremiſſent, indicium eis *perditionis*, ſcriptura teſte, tradebant, nè alibi ſua violentia traherentur: quia non licebat ſiue priuatis, ſiue *negociatoribus* alicubi tranſire, niſi ſcriptam characteris indicio ſuam miſeri oſtenderent mortem. Quam per reuelationem ſeruo ſuo Ioanni olim oſtenderat Chriſtus, vbi dicit: Nulli licebit aliquid emere vel vendere, niſi qui habuerit characterem beſtiæ in fronte ſua & in manu ſua. Nam & Epiſcopi atque presbyteri illorum cum armatorum manu nocturnis temporibus vicos & oppida circuibant, & ſic deſpicatibus ianuarum aquam gladiumque geſtantes, animarum prædones intrabant: & quos domi repererant, alios fortè in lectulis ſoporatos, imbre igneo atque fulmineo reſpergentes, dæmoniaca vociferatione Chriſtianos ſuos ipſi pariter vocitabant, vt ludum prorsùs ſuæ hæreſeos, quàm aliquam religionem oſtenderent. In quo minùs capaces & * ignaui, impletum in ſe pollutionis ſacrilegium putabant: prudentiores verò, nihil ſibi, quod nolentibus atq; dormientibus ingeſtum eſt, obeſſe gaudebant. Nam & multi eadem hora cinerem capitibus ſuis iniecerunt: alij ſeſe vel quia factum eſt, cilicio lugubri texerunt: nonnulli cœno fœtido liniêrunt, & linteamina violenter impoſita per fila conſciderunt, atq; in latrinis fœtidisq; locis manu fidei proiecerunt.

Vide hæreticam barbariem.

Apoc. 13.

Inſania hæreticorum.

* ignari.

XXXIII TALI violentia, nobis videntibus, ibi Carthagine filius cuiuſdam nobilis annorum circiter ſeptem, iuſſu Cirilæ à parentibus ſeparatus eſt, matre ſine verecundia matronali ſolutis crinibus poſt raptores tota vrbe currente, infantulo clamante vt poterat: Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum. Cui & os obturantes, inſontem infantiam in ſuum gurgitem demerſerunt. Ità de filijs medici venerabilis Liberati, factum eſſe probatur. Nam cùm iuſſu regis cum vxore & liberis ad exilium mitti iuberetur, cogitauit impietas Arriana à parentibus filios paruulos ſeparare, quò poſſet per pietatis affectum, etiam virtutem proſternere genitorum. Disiunguntur tenera pignora filiorum. Qui cùm vellet lachrymas emittere, authoritate vxoria increpatur, & in ipſo meatu exitûs ſui ilicò lachrymæ ſiccauerunt. Ait enim ei coniunx: En propter filios Liberate perditurus es animam tuam? Compura eos non fuiſſe natos. Nam & ipſos omninò vindicaturus eſt Chriſtus. Nónne vides eos clamantes & dicentes, Chriſtiani ſumus.

Liberatus medicus vxoris vocibus confirmatur.

XXXIV. SED hæc mulier quid in conſpectu iudicum egerit, tacendum non eſt. Nam cùm ipſa & maritus, licèt ſeorsùm, carceris tamen cuſtodia tenerentur, ità vt ſe penitus non viderent, mandatur mulieri, diciturq; illi: Solue iam duritiam tuam. Eccè vir tuus paruit imperio regis, & noſter factus eſt Chriſtianus. Aitq; illa: Videam illum, & faciam ego, quod voluërit Deus. Educta igitur de carcere, inuénit virum ſuum ſtantem cum ingenti multitudine pro tribunalibus connexum: & verum æſtimans, quod fecerant inimici, iniecta manu apprehendens oram veſtimentorum eius gutturi proximam, videntibus omnibus ſuffocabat eum, dicens: Perdite & reprobe, gratiæ Dei & miſericordiæ eius indigne, quarè voluiſti ad modicum gloriari, & in æternum perire? Quid tibi proderit aurum? quid argentum? nunquid liberabunt te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cuius maritus reſpondit: Quid pateris mulier? quid tibi videtur? aut quid fortè de me audire potuiſti? Ego in nomine Chriſti Catholicus permaneo, nec amittere potero aliquandò, quod teneo. Tunc hæretici mendacij ſui conſcij & detecti, fallaciam ſuam colorare minimè potuerunt. Et quia ſuperiùs de violentia immanitatis eorum breuiter diximus, hanc plurimi metuentes, alij ſe in ſpeluncis, alij in deſertis locis viri vel fœminæ, nullo ſibi conſcio, ſeſe claudebant, & ibidèm, nulla ſuccurrente ſuſtentatione ciborum, fame vel frigore victi, contritum & contribulatum ſpiritum exhalabant, inter hæc afflictionis incommoda inuiolatæ ſecum fidei ſecuritatem portantes. Sic enim Creſconius presbyter Mizentinæ ciuitatis, in ſpelunca Ziquenſis montis repertus eſt, putreſcente iam ſolutus cadauere.

Vide mirabilē fœminæ zelum.

Multi fame & frigore pereunt.

XXXV. ET quia de ſancto Habetdeum præfati iam ſumus, pergit tunc ad Carthaginem, adire cenſuit nefarium Regē, vt con-

Q

vt conſcientiam ſuam, quam ſemper familiarem Trinitas habuit & amicam, etiam hominibus faceret manifeſtam.
Epiſcopus Nec eum retinere potuit Antonius, propter verecundiam ſuam. Offert impijſſimo Regi libellum in hac ſimilitu-
H berdeũ dine verborum: quid, quæſo, iam cum proiectis habetis? quid cum eis quos exilio relegâſtis, quotidiè dimicatis?
libellum of Abſtuliſtis ſubſtantiam, Eccleſijs, patria domibusque priuaſtis, ſola anima remanſit, quam captiuare contenditis.
fert Regi. O tempora, ô mores! vniuerſus hæc mundus intelligit, & ipſe qui perſequitur, videt. Si fides dicitur, quam te-
netis, quid veræ fidei membra tantis perſecutionibus agitatis? Quid vobis cum exilio noſtro? quid vobis cum ege-
nis in ſæculo, quorum eſt vita ſemper in Chriſto? Liceat ſaltem gaudere conſortio beſtiarum eis, quos abieciſtis à
facie omnium populorum. Dum hæc & his ſimilia Pontifex dixiſſet, ſceleratus tyrannus hoc ei mandâſſe perhi-
Reſponſum betur: Vade ad Epiſcopos noſtros, quod tibi dixerint ſequere, quia ipſi huius rei habere noſcuntur per omnia
impijſſimũ poteſtatem. Sed neque Antonium hæc res ab inſania potuit reuocare, ſciens ſe magis imperio Regis ob hoc mul-
Regis. tùm poſſe placere, Habet deum verè Epiſcopum. gaudentem bono conſcientiæ ſuæ, ad locum exilij maluit re-
meare. Sed quid ad tot tantasque impietates reſpondebunt? Si diſputare nitebatur de fide nobiſcum barbara
ferocitas & hæreſis Arriana, rationabiliter diſputaret. Sed quandò tenuit rationem, quæ à patre Deo Deum fi-
lium ſeparat Saluatorem? Quarè dolis & calumnijs egêrunt, & velut ſpiritus tempeſtatis, procella ſui furoris
torum ſubuertere voluërunt? Si diſputatio neceſſaria fuerat Epiſcopalis, quarè ſuſpendia quarè ignes, quarè vn-
gulæ, ſimul & cruces? quare Arrianorum ſerpentina proles, contra innocentes genera talia tormentorum inuë-
nit, qualia nec ipſe Mezentius exquiſiuit? dimicauit contra innocentiam cupiditas furoris, & auaritia crudelitatis,
vt & animas & perderet, & ſubſtantiam harpagaret. Si collatio deſiderabatur, quarè rapinæ rerum alienarum, non
tantùm ſacerdotum, verumetiam omnium laicorum? Sed illi expoliati lætati ſunt, & rapinam rerum ſuarum cum
gaudio ſuſceperunt. Aſſit iam, quæſo, omnis ætas, omnis ſexus, omniſque conditio. Aſſit, obſecro, omnis turba
Rom. 12. Catholici nominis, quæ gremio materno toto orbe geſtatur, quæ ſola germanum commodare nouit affectum, quæ
didicit à Paulo magiſtro, & gaudentibus collætari, & cum lugentibus lamentare. Conueniant ſimul ad domum no-
ſtri doloris, & paribus oculis fundamus flumina lachrymarum, quia cauſæ & fidei noſtræ vnum eſt negocium.
Nullum volo ad condolendum mecum hæreticum conuenire, qui fortè addere concupiſcit ſuper dolorem vulne-
rum meorum, & gratulatur quotidiè malis meis. Nolo, nolo ego extraneum, ſed fraternum quæro affectum. Nolo
Pſalm 143. aliquem filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: quia filij a-
lieni ſemper mentiti ſunt mihi, qui inueterauerunt & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Iſti dicunt mihi quotidiè: Vbi
eſt Deus tuus, dum affligitur populus precioſo agni ſanguine comparatus? Inter quorum opprobria ego ad flagella
paratus, cantare non deſiſto Domino flagellanti: Amoue à me flagella tua, quia defeci non à fortitudine manûs tuæ,
ſed à perſecutione hæreſis Arrianæ.
Thren. 1. ADVENIANT omnes, qui mecum anguſtæ viæ carpunt iter, & propter verba laicorum Dei vias cuſtodiunt XXXVI.
duras: & videant, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Quoniam vindemiata ſum in die furoris Domini, aperuerunt ſuper
Thren. 2. me os ſuum omnes inimici mei, ſibilauerunt & fremuerunt dentibus: dixerunt, deuorauimus eam. Enſta eſt dies
quam expectauimus: inuénimus, vidimus. Adeſtote Angeli Dei mei, qui nunquàm deeſtis conſtituti in miniſte-
Heb. 1. rio veſtro, propter eos qui hæreditatem capeſſuri ſunt æternæ ſalutis, & videte Africam totam, dudùm tantarum ec-
cleſiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus deſolatam: tantis ordinib. ſacerdotum ornatam, modò ſedentem viduam
& abiectam. Sacerdotes eius & ſeniores in deſertis locis & inſulis defecerunt, quærendo ſibi eſcas ad manducan-
dum, & non inueniunt. Conſiderate & videte, quia Sion ciuitas Dei noſtri facta eſt vilis, facta quaſi polluta
Thren. 1. menſtruis inter inimicos ſuos. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius, quia vidit gentes inuadere &
ingredi atria ſua, de quibus præceperas, nè introirent eccleſiam tuam. Viæ eius lugent, eô quòd nemo veniat in
die feſto. Egreſſus eſt à facie omnis decor & deliciæ, didicerunt vias aſperas ambulare, virgines & iuuenes eius in
aulis educati monaſteriorum, abiêrunt in captiuitatem Maurorum, dum lapides ſancti eius diſperguntur, non tan-
tùm in capitibus omnium platearum, ſed etiam in locis ſquallidis metallorum Dicite Deo noſtro ſuſceptori, & ha-
bentes fiduciam ſupplicandi, quoniam tribulabatur, & venter illius turbatus eſt à fletu eius: quia ſedit inter gentes,
& requiem non inuenit, nec eſt qui conſoletur eam. Quæſiuit à Patribus Orientis, qui ſimul contriſtaretur, & non
Pſalm 68. fuit: conſolantem, & non inuenit: dum manducaret in eſca ſua fel, & in ſiti ſua potaretur aceto, ſponſi & Domini
ſui paſſiones imitando, qui idcircò paſſus eſt pro ea, vt ſequatur veſtigia eius. Deprecamini patriarchæ, de quorum
ſtirpe generis nata eſt, quæ nunc laborat in terris. Orate ſancti prophetæ, cognoſcentes afflictam, quam anteà vatici-
nante præconio cecîniſtis. Eſtote Apoſtoli ſuffragatores eius, quam vt congregaretis, vniuerſum orbem, aſcendente
Iohan. 21. in vobis Domino, vt equi velociſſimi curſitâſtis. Præcipuè tu Petre beate, quarè ſiles pro ouibus & agnis, à com-
muni Domino magna tibi cautela & ſolicitudine commendatis? Tu ſancte Paule gentium magiſter, qui ab Hieru-
Rom 15. ſalem vſque ad Illyricum prædicâſti Euangelium Dei, cognoſce quid Vandali faciunt Arriani, & filij tui gemunt lu-
gendo captiui. Vniuerſiq; ingemiſcite ſancti ſimul pro nobis Apoſtoli. Sed ſcimus, quia indignum eſt vobis pro
nobis orare, quia iſta euenerunt nobis, non ad probationem, quomodò ſanctis, ſed malis meritis ſupplicia debeban-
Luc. 23. tur. Sed & pro malis orate iam filijs, quia & Chriſtus orauit etiam pro inimicis Iudæis. Sufficiant caſtigationi, quæ iu-
ſtè illata ſunt nobis, & iamiamq; delinquentibus venia poſtuletur. Dicatur angelo percutienti, Sufficit: iam cohibe
manum tuam. Quis ignoret hæc nobis probrorum noſtrorum ſcelera procurâſſe, aberrantibus à mandatis Dei, & in
lege eius nolentibus ambulare? Sed proſtrati rogamus, vt non ſpernatis veſtros miſeros peccatores, per eum, qui vos
ad Apoſtolicum culmen prouexit humiles piſcatores.
Horrenda Tenuit ſceleratiſſimus Hunericus dominationem regni annis ſeptem, menſibus decem meritorum ſuorum
mors impij mortem conſummans. Nam putrefactum & ebulliens vermibus, non corpus, ſed partes corporis eius videntur eſſe
Hunerici ſepultæ. Sed & ille legis dator & tranſuerſor, ex Donatianorum hæreſi ad eos veniens quondam Nicaſius, in breui ſi-
An 484. mili morte perijt.

An. 580. ## VITA SANTI TVRIANI EPISCOPI DOLENSIS ET CONFESSORIS, PROVT EAM EX VETERI MANVSCRIPTO BIBLIOTHECÆ

regalis cœnobij ſancti Germani à Pratis Pariſijs, edidit Vinc. Barrali Salernus ſub finem Chronologiæ Lerinenſis.

IVL. XIII. PRISCORVM mos fuit ſcriptorum, vt de rebus maximis locuturi, quo laboris ſubſequentia tenderent I.
in initio operis commonere ſatagerent. Horum nos proſequi cupientes non æquo ſanè gradu veſtigia,
in laudem beatiſſimi ſacerdotis Thuriani, qui ſecundum gratiam quæ data eſt ei, ſic in Eccleſia labora-
uit, propenſius cupimus vitæ illius ſeriem explicare, cuius ſicut lilium fulgens renitent clara opera. Pri-
mitus itaq; ſecundum veridicam hiſtoriæ aſſertionem veriſſima ratione patefaciemus, genus patriamq; illius, vt ſe-
quentia

Digitized by Google

quentia vitæ eius nemo ambigere velit. Ergo cœli terræque omnipotens creator Eccleſiæ ſanctę fulgurantia immen-
ſa lumina æterna claritate radiantia, tanquam perpetuarum ſtellarum per totum mundi ſpacium diffudit lumina,
ſanctos videlicet viros diuini operis fructu pleniſſimè refertos. Repletus eſt enim iam nunc & redundat totus mun-
dus multis Dei fidelibus, qui conuiuificati Domino Ieſu in nouitate vitæ, ablutionis gratiam præferentes, hæredita-
tem Dei examinatam atq; probatam, crebris perſecutionibus, creuiſſe nobis ſignificarunt, victorioſiſſimis beatorum
laborum ſuorum titulis. Magno ſiquidem dilectionis ſuæ myſterio Chriſtus inter paradiſiacos perpetuæ amœnitatis
non marceſcentes floſculos, confeſſores ſcilicet ſanctiſſimos, qui Deo digni patres, & Pontificatus ſacerdotio pollē-
tes fuerunt, & eorum ſuauiſſima ſermonum doctrina, mundus in fide Dei hodieq; floret, vernantes purpuræ marty-
rij nitore violas, quaſi quoddam mirabile ſertum, vario virtutum emblemate compactum inſeruit. Ornatur deniq;
electro florenti Prophetarum, auro ſplendenti Apoſtolorum, nitidis gemmis martyrum, argento ſuperprobato con-
feſſorum, biſſo purpuraq; virginum. Inter tot itaque tantorumq; ſanctorum ſacra præconia, æterna clarus memoria,
præcipua laude pollens felix Thurianus in Eccleſiæ regimine ſacris literis eruditus ſingulari auctoritate, qua quod-
dam coruſcum iubar præcelſius refulget. Etenim miraculorum complurium lumine clariſſimo totam vitā ſuam qua-
ſi quandam in Eccleſiæ lucernam mirabili fulgore lampauit. Ex quibus aliquanta dilucidare ad notitiam poſterorū
cupimus, ſecundum quod diſpenſatio diuina inſpirate menti noſtræ dignata fuerit, ne tanti ſplendor luminis, inerti
obnubiletur deſidia. Igitur quia iuſtis poſtulationibus nō eſt denegandus piæ petitionis effectus, nil ferè commodius
duxi quam ſpiritalibus offerre ſpiritalia. Ob hoc huius noſtri ſtudij rudimenta, veſtræ paternitati remittens, vt beni-
gna gratia noſtrum prouehatis opus, & laboris noſtri munia, doctiſſimo iudicio veſtro roborare flagito velitis. His
ita ſeſe habentibus, quod in hac re ſit conſequens inueſtigemus, fautrice cunctipotentia vniuerſorum conditoris, &
glorioſiſſima beatiſſimi Pontificis Thuriani interceſſione, necnon idipſum veſtris obtinentibus orationibus.

I. INCLITA nobiliſſimorum parentum progenie fœlix propago Thurianus beatiſſimus, in Britannia minori eſt *S. Turiani*
exortus, iuxta Monaſterium Vallone nūcupatum, quod ſubditum eſt poteſtati Monaſterij ſancti Sanſonis. Quæ cel- *patria &*
ſa & ſplendida pharus, nō immeritò ſub occidui axis, tenebris, huius lucis ſumpſit exordium, vt poſt diſcuſſis obſcu- *parentes.*
ritatibus, ab infidelium fide algidis mentibus, vſq; ad Gallicæ regionis fines, protenderentur radij claritatis virtutum
ipſius: quæ nunc præordinante clementis, ac miſericordiſſimi Dei prouidentia, condigno honore requieſcit tumu-
latus. Sanctitatis igitur vas Thurianus, egregium ſpecimen pueritiæ ſuæ Deo vouere cupiens, etymologia ſui Chriſto
chari nominis quantum in ſe erat vti ſatagebat. Nam quia à Thure, quod Dei in ſacrificio adoleri ſolet, nomen deri-
uatum habebat, ſemetipſum odoriferum incenſum laudis, in ara ſui cordis adurebat, vt ſecundùm Apoſtolum bo- *2 ad Cor. 2.*
nus eſſet odor Deo in omni loco. Ardore nempè flagrans diuino, ſpiritu ſancto præmonitus, quaſi alter futurus Abra-
ham, natales reliquit illuſtres, propriamq; hæreditatem, portionem patrimonij ſui in cœlo ſtatuens, atq; felici gau- *Relinquit*
dio feſtinans patriam deſerere, vt liber à peccati contagione ſe liberius offerret, quod per ſolam diuinam gratiam po- *patriam &*
tuit: & dum hic terrena reliquit, cœleſtia prædia acquiſiuit. Quia deniq; portionem patrimonij ſui elegit ſibi Deum: *patrimo-*
oſtendens nil ſibi eo charius eſſe: Chriſtus illi portio: Chriſtus illi perpetua poſſeſſio. Iure igitur cum Petro Apoſtolo *nium.*
Ieſu, proclamare potuit: Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te: merito imitator illius eſſe cupiens, qui dile-
ctoribus ſuis dixit: Nolite poſſidere aurum neque argentum neq; ea quæ in mundo ſunt diligatis. Quia ergo ipſi vi- *Matth 19.*
uere Chriſtus fuit & mori lucrum, cum Apoſtolo, quæ ei lucra fuerant, duxit propter Chriſtum detrimenta, non ha- *Matth 10.*
bens gloriationem niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti Chriſtus itaque qui eſt perfecta merces & retributio ſola *ad Philip. 11.*
laborantium, ipſe eſt Euangelicum illud centuplum, quod quis dum habet, vitam æternam habet, quam hic beatus *ad Gal 6*
diuite commercio felici promeruit mercimonio. *Matth. 19.*

II. VERVM vt ad ſuperiora redeamus iuſtus præmouſtrando Thurianus, timorem eſſe Dei initium ſapientiæ ob
ipſius caſtum timorem, ſanctiq; Sanſonis feruentiſſimam dilectionem, Dolam metropolim adijt, vbi tunc temporis, *Dolam ve-*
hic precioſus confeſſor erat humatus. Quò dum perueniſſet, vir Chriſtianus quidam errātem quaſi eum reperit, quē *nit*
ſecum adducens, protinus illum cuſtodē animalium ſibi inſtituit. Errauit & puer Ioſeph iſtum pręſignans, non vt ouis *Fit cuſtos*
perdita, ſed quærendo oues. Errauit & Thurianus beatus, præſago ſpiritu quærendo oues quas iuſto moderamine gu- *animalium.*
bernare deberet, ſed non aberrauit quia Chriſtus vera via reduxit eum manu ſuæ pietatis ad viam rectitudinis Quod
verò animalium cuſtos deſtinatus eſt, declarabat eum ſuperna gratia, paſtoris ſummi doctorem illum atq; rectorē fi-
delium fore animarū, ac ſi iam apertiùs illi diceretur Paſce gregē Chriſti. Poſt hæc ſciens iam Deo deuotus puer Thu-
rianus, neminem omnipotenti ſinceriter ſeruientem, irretiri poſſe actionibus ſæcularibus: cùm vtiq; nemo ſit docē-
te Deo, qui duobus poſſit dominis ritè famulari, concupiuit ardentiùs Chriſto militare quàm ſæculo. Delegit nempè *Matth 6.*
ſpirituali ludo edoceri, atq; ſcholæ Chriſti cupiens connecti, à quodam clerico expetijt literas ſibi præmōſtrari, quia
beatus homo quē erudit dominus & de lege ſua docet eum. Bonū eſt porrò homini qui iugum à iuuentute ſua ferre *Inſtruitur*
cœperit, veritate pręmonente, tollere iugum eius ſuper ſe fidelem debere, quod leue eſt & ſuaue, liquet ergo magiſte- *literis.*
rio doctrinæ cœleſtis, cibatū pene ſapientiæ & intellectus, atq; ſpiritus ſancti gratia debriatū, qui docet hominē ſcien- *Matth. 11.*
tiam & intellectū, breui temporis ſpacio ſibi à magiſtro traditas literas, ac ſi dulcem potum ebibiſſet. Quinetiam ita
cœleſtis gratiæ radij in eo refulgebant vt grāmaticæ artis peritiam pleniſſimè atq; efficaciſſimè inſigni commendaret
memoriæ. Rimabatur velut ouis ſagaciſſima, inter ſpinarum fruteta carpere ſuauiſſimi gratū florem graminis. Ne ve-
rò vllius artis expers haberetur, harmoniam prædulcis cātilenæ ſuſcipere nō renuit, qua apud Deum & homines val-
dè profecit, dante illi Deo à quo bona cuncta procedunt, elegantiſſimam vocis claritatem præ reliquis coæuis pueris.

III. HINC factum eſt aliquo ſub tempore vt dum tinnulis fibris dulcem elegāter roboraret canticorū diuinorū me-
lodiam, iucundo modulamine lepidi oris, non ſolū populares demulceret aures: verū ſuauitate dulcedinis cātus ſui,
delectaret animū Archipræſulis Tiarmaili, Dolenſi tūc Eccleſiæ præſidēti, oblectatione quadā Deo amabili. Ea ergo *Innoteſcit*
occaſione, imo ſpiritu ſancto patrāte, qui vbi vult ſpirat in notitiam venit pręfati Antiſtitis, vt tali agnitione, q charus *Tiarmailo*
iā eſſet Chriſto, acceptior corā cuncto fieret populo. Accerſens igitur illū vt ſpiritalis pater deiferū ſibi adoptauit fi- *Epiſcopo*
lium, quem obnixè diligens, cōmodis humanæ naturæ dapſiliter munerauit, cibo carnali aluit, lectionib. ſacris ſuffi- *Dolenſi.*
cienter educauit, vt quemadmodū exterior homo carnali paſceretur edulio, ſic interior ſaginaretur diuinorū præce-
ptorū viuifico myſterio. Interea cernens Tiarmailus inclita docilitate animi, iuuenem Thurianū, gratia lucis cœleſtis
quotidiè refulgere, vt pote in quo congeries virtutū omnium per dies augmentando cumulabatur, præfecit, illū poſt *Præficitur*
ſe ſuis Abbatē clericis prænoſcens ipſum ad hoc opus idoneum ſatis fore miniſtrū, eo præmonitus ſpiritu, qui in cor- *clericis.*
dibus filiorū Dei, quotidie proclamat Deum patrem eſſe noſtrū Fœlicem ſe ritè potuit prædicare Tiarmailus, pro ado-
ptato ſibi lucis filio Turiano inclito quem ſeptiformis ſancti ſpiritus gratia vndiq; circumfultum, opima exuberantia
virtutum reddebat conſpicuum. Inerat ei & virginalis pudicitia, veràq; innocentia ac vera ſimplicitas, necnon virtu-
tum regina humilitas, quæ informauit hunc ſanctum virum omni deuotioni deditum, qua ſe regere deberet actione.
Præterea ſtudebat ſemper caſtimoniam ſectare, ſciens nihil præcelſius, nihil modeſtius eſſe virginitate, quæ ita hunc
Deo proximum reddidit, vt angelorum ſocietati vſq; ad ſolium æternæ viſionis interſit. Quia deniq; generoſiſſimos
mores, animi liberalitas facit, refrænabat inundantem gaſtrimargiam, reſecabat omnem vanam gloriam, effrænatum

Digitized by Google

comprimebat luxum, reſtringebat gulæ appetitum, deuitabat ſeria, atque huius nequam ſæculi deſpiciens erat cõtagia cuncta. Ergo talibus hoſtijs timeretur Deus. Ita nullis vitæ huius captus illecebris, moriebatur mundo, vt viueret
ad Gal. 2. Deo, quia carnis mortificatio prudentia ſumma eſt ac ſi apertiùs diceret: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Qui cum præmonebat audientes, ne illos inermes & vacuos, mortifera ſpicula tenebroſi hoſtis opprimerent, ad virtutum tramitem bonámq; conuerſionem obertantes reducebat. Particeps autem factus omnium Deum timentium & mandata ipſius obſeruantium, non eſſe piger poteſt, qui Domini mandata cuſtodit, ipſe meritò potuit dicere ſe conſortem metuentium Chriſtum extitiſſe: Sic præcellentiſſimus Thurianus firmiſſimè in vera petra fundatus, vtpote qui omnem fidei ſumſerat firmitatem, firmamentum plenitudinémq; ſubſtantiæ, Chriſtũ ſignis & prodigijs adſtruebat eſſe fidelium ſuorum. Hoc Deo amabili ludo hiſq; ſpiritualib. exercitijs, egregius Thurianus metas tranſigebat piæ iuuẽtutis, donec ad perfectioris ætatis incremẽta pariterq; opera excreſceret excellẽtioris ſanctitatis.

ABHINC reſtat de maximis perfectiſq; virtutibus huius Deo dilecti diſſerere, quæ magnam vim in ſpeculatio- IV.
ne miraculorum eius perſpicientibus ea obtinent. Felici iam ſenio & multorum longæuitate confectus dierum præſul Tiarmailus cernens perfectiſſimæ vitæ virum illuſtriſſimum Thurianum, aſcendere quotidie de virtute in virtutem, delegit eum conſortem ſibi fore oneris & honoris. Fauorabili igitur collatione cunctorum, prouexit eum ad ſummum ſacerdotij gradum, ſtatuens eum prædicatione, ſede & poteſtate pro ſe dominum & patronum. Quo intromiſſo, exhilarantur cunctorum animi ſummo gaudio, pro tali tantóque ſibi collato diuinitus paſtore, quia erat omnium virtutum ornamentis decoratus, & omni diuinarum diſpoſitionum ſtudio firmatus, iuſtus, fortis, prouidus, temperatus, qui impetus carnis omnes prouidentiæ ratione ſuperaret. Præceptis autem pleniùs inſtructus cœleſtibus caſtitatis & ſimplicitatis, ſpiritale ſacrificium acceptum, Deo, ſeipſum quotidie offerens, vtpote verus miniſter altaris hoſtiam ſanctam & irreprehenſibilem ſe exhibebat, nocte, diéque frequentans orationem deuoto mentis affectu. Portò ſinceriſſima ſinceritate præditus moderans Deo placiti regiminis habenas, ſtemmate fidéque præpollens, efficaciſſimè delegatum miniſterium implens, vigilanter vigilando gregi ſibi commiſſo attentiùs inuigilabat. Inerat ei cum parcitate ſufficientia, irreprehenſibilis potentia, grata claritas, Deo digna iucunditas, nihil habens commune cum ſæculo, nihil mundi huius ſibi vindicans, non corporalibus cupiditatibus ſubditus, non auaritia ſtimulatus, non inuidia maceratus, non ambitioni deditus, non aliqua negotiorum ſecularium cura ſollicitatus. Is in patria poſitus, primo honorum omnium contempſit inſignia, illos veros æſtimans honores, quoſcunq; illi, diuinum prudentię magiſterium contuliſſet. Nulla illum diuitiarum deſideria ceperant, ſed has veras reputabat diuitias, quibus animi ornatus adipiſci quiret, & quibus auctorem ſuum cognoſcere poſſet, vel inuenire.

INTEREA dum glorioſiſſimus vir Domini Thurianus talibus, vt dictum eſt, actibus, omni morum probitate V.
conſpicuus vitam ſuam quotidie condecoraret: volens Deus hominibus clareſcere, quanto apud ſe, pro hoc culmine ſublimandus foret gloriæ, notum cunctis fecit, ſibi ſatis precioſam benigniſſimæ precarionis eius orationem. Nam quanticunq; languidi cum ſuis morbi genere preſſi, præſentiæ eius fuiſſent adducti, illicò ſub inuocatione no-
Varios languores curat. minis Ieſu Chriſti priſtinæ reddebãtur ſoſpitati. Inter innumera porrò miraculorũ eius, quæ per eum Dominus operare dignatus eſt, inſignia, in reſuſcitatione mirificus apparuit mortuorum. Deniq; antiqua fertur opinione, quod ad
Tres mortuos ſuſcitauit inuocationẽ viuificæ Trinitatis trium corpora mortuorũ, redintegrare ad vitam meruerit. Nec diſpar prophetæ prædicandus Heliæ, cuius os cœli facta eſt ianua. Multoties quippe à quibuſcunq; rogatus ſiccitatẽ terræ cõpeſcuit, fixo terræ eius baculo cum oratione nominis Domini Ieſu Chriſti. Euidentibus a. indiciis, illuſtratio ſignorũ patefacit, vt
Pluuiam impetrauit. ſubiecta declarant, non priuari munere ſuo apud Deum bonæ voluntis affectum. Nã nouimus cunctis fidelib. à Deo legẽ inſtitutam, precarionum dies in quadrageſima ante reſurrectionis Dei diem agere, quum beatus Thurianus fulgore cœleſtis præſentiæ irradiatus, pura & ſyncera deuotione, eâdẽ diuinia munia celebrabat. Tũ more ſolito adſtantib. turbis ſalutaria virtute obumbratus altiſſimi depromebat monita. Stigmata enim crucis Chriſti, corde, ore & habitu circũferens, non ad oſtentationẽ intuentium, ſed ad incrementum fidei fidelium augmentandum: nil niſi quod ei vera vitæ ratio ſuaſiſſet intimabat, aſſeuerans quod quamdiu in hoc corpore ſumus, peregrinamur à Domino. Deniq; non habemus hic manentẽ ciuitatem, ſed futurã inquirimus, ſupernã videlicet Hieruſalẽ, quę eſt mater omnium noſtrûm, quæ quotidie ædificatur ex viuis & electis lapidibus, ſuper fundamentũ Apoſtolorum & Prophetarũ Chriſtum lapidem angularem ſummũ. Inter hæc eleuatis in terra luminibus, diuinitatis claritudine circumſeptus, iuſtum ordinẽ ſpiritalis officij cõſummans, mira & vere miranda manifeſtata eſt viſio, ex qua præclara, & admirãda nimium nobis aſſurgit laudatio, vt & potẽtia Dei dignius prædicetur & quis iſte beatus fuerit, euidentiùs approbemus. Vidit
Viſio S. Thuriani. quippe cœlũ apertum, & benigniſſimũ Ieſum in ſede maieſtatis ſuæ reſidentẽ, ſanctoſq; Angelos arcã Teſtamẽti Dei, proceſſionis more, ferentes. Sane ſtupenda & miranda Chriſti mira, quis non obſtupeſcat, planè inquam mira, dum præſtitum eſt homini, terræ mole circumdato, cœlorum reſeratis aditibus eorum cõſpicere ſecreta, prophetis aliquibus æquiparandus, & ob hoc verè beatiſſimus prædicãdus: quid enim clarius, quid luculentius fari poteſt quam hominem propria induſtria ſatagere arcana cœli conſpicere? Credo docere Deo volente, per dilecti ſerui ſui viſionem illos dies ſanctos lætitiæ dum recoluntur in terris, à ſanctis Angelis ante conſpectum diuinæ maieſtatis, frequentari in cœlis. Igitur veri ſplendore luminis illuſtratus Deifer Thurianus, ordine quo præſcriptum eſt, in contemplatione cœleſtium virtutum poſitus, circũdantes eum oues velut proprium patrem, & paſtorem, indicat eis ſagaciter, quo tenore pleni & perfecti ſplendoris claritas, Deus illi ſe demonſtrare dignatus fuerit, quod falſam ſpeciem beatitudinis nemo dixerit eſſe, cum non inſolentis arrogantiæ, ſed puriſſimæ innocentiæ eſt adſcribẽdum. Summa enim gratia declarat eum beatiſſimum, cui cœleſtia patefacta ſunt myſteria, & nimirum quia eius præſentiam intuebatur in cœlo, cuius gerebat in corde amorem animo puro & perfecto. Cognita itaq; tali tantáq; Dei virtute pleniſſimè omnipotentiam Chriſti collaudauerunt, paſtoremq; ſuum precioſum Thurianum deinceps maximi honoris veneratione excoluerunt. Ob iuſtiſſimam porrò recordationem tam præcelſiâ Deo oſtenſi miraculi, crux lapidea iuſſu S. Pontificis in eodem loco eſt exaltata ad teſtificationem miraculorum Dei proteſtandam, cunctæ venturæ generationi.

ENIMVERO, vt eius promamus clara geſta, altiora debemus de illo inueſtigare opera: hæc a. ſententia quã relaturi ſumus, cautè ac ſollicitè intellectũ videtur expetere rationis manifeſtæ, q̃a ineſt in ea profunda quædã & mirãda VI.
ſpeculatio. Quã qui cum audierit nemo detogare velit, ſeries enim propoſitorum, aut virtuti concordat, aut gratiæ, aut miraculo, & ob hoc audientib. nõ videatur abſurdum. Inuidia igitur diaboli, cuius aſtu mors introiuit in mundũ, cuius etiam iugũ graue aggrauatum eſt ſuper filios ſuperbiæ, peſtifer quidã homo ex primatib. Britanniæ, procaci nominis ſui vſus vocabulo: nam Riuallo dicebatur, quod rebellem ſignificat & proteruum, ſagitta diaboli ictus, quoddam monaſterium in Diœceſi beatiſſimi Thuriani ſitum, nullis exiſtentibus cauſis, voracibus tradidit flammis. Diſtabat a. idem cœnobium à Britannorũ metropoli quaſi millib. viginti. Cognito ergo à relatoribus, huius immanis ſceleris execrabili facto, Deo acceptabilis Antiſtes Thurianus pro cõmiſſo immani piaculo, anxius fluctuanti laborat animo. Sed memor Beatus promiſſorũ cœleſtium, in periculis & aduerſis poſitus, ſpe q̃ hauſerat ex ſerie ſcripturarũ in Deo patre totius cõſolationis, ſe pleniſſimè cõſolabatur. O ſceleſtũ & audacem virum, qui proterua inſania, non ſolùm S. Dei templi combuſſit parietes, verum etiã ſacros teſtamenti S. libros, ipſaq; ſanctæ ædis ſacra vtenſilia ignibus aduren-

Digitized by Google

adurenda commiſit, illorum iam deputatus contubernio, qui lætantur cùm malè fecerint & exultant in rebus peſſimis. Pro huiuſmodi facto irritatus animo, Dei ſeruus Thurianus, ſumptis ſecum duodecim monachis, pedeſtri expeditione ad eum properare deliberat, quem reſidentem inuenerunt in vico Lakafruth, dicto. Qui p[illegible]ctans eminus pedeſtrem venientẽ ſummum ſacerdorem, animaduertens ob patrata à ſe ſcelera iuſtum ad ſe venire, cõſternatus animo totus tremuit, inclinatoque vſque ad terram toto corpore, percunctatur quid ſic humilis & abiectus veniſſet. Mox beatiſſimus ſacerdos acriter eum redarguens, fidentérq; conatus eius molimina ſubſannãs: nimia (ait) crudelitatis tuæ fetitate exacerbatus, qui vltra humanæ rationis modum ſeuerus & vehemens, non metuiſti S. Maoky Eccleſiam ſuccẽdere, & S. Dei miniſteria diſſipare. Adeò deniq; ſuperexcellit & ſupereminet immanitas tui ſceleris quaſi ſi brachium S. contriuiſſes Sanſonis. Attamen, ſi me ſatis audias iuſtè loquentem pœnitebis, quia inſignem attenuat Deus, qui valet ima ſummis mutare, qui membris ſanctis ſuis, hoc eſt fidelibus ſuis polliceri dignatus eſt, dicens. Qui tangit vos quaſi qui tangit pupillam oculi mei. Ergo age pœnitentiam vt ſcelera tua deleri mereantur. Mox veræ rationis auctoritate conuictus Riuallo Tyrãnus, virtute Dei exterritus, quæ ſola poteſt ſuperbiæ virus hebetare, ſe reum omninò profitens, plenam ſpondet emendationẽ, verens omnipotentis iudicium, ob S. Archipræſulis Thuriani iram, ſuper ſe venturam. Promittit ergo ſi longioris vitæ ſpacia ſuccederent, ſeptempliciter cuncta combuſta reſtauraturũ. Tunc egregius Dei miles Thurianus, pietatis ardore flagrans, non renuens verborum eius humilitatem, mitigato animo receſſit ab eo cum monachis ſuis oraturis Deum dari facinoroſo illi terminũ pœnitentiæ ad corrigẽda ipſius praua opera. Vir enim S. cœleſtis habens protectionem gratiæ, dum meliora à Deo ſperat, leuioribus frangi non potuit. Inſtantia itaq; precum & afflictione corporis orat ſecreta Dei ſibi manifeſtari, & perſiſtens in oratione hæc domino reuelante cognouit. Deniq; ſanctis precibus completis ſurrexit: beatiſſimus Michael Archangelus, mirum dictu & auditu, cunctis mirantibus & ſtupẽtibus, improuiſè ſuper humerum Deo digni Thuriani in columbæ ſpecie reſedit. Quod nemo ambigere velit, quia ipſius hoc opus eſt, qui angelos ſuos præparat ſpiritus. Si enim fidelis pura mẽte cõſideres potentiam magnalium Dei hæſitationem tantæ rei non habebis. Multa deniq; fecit Deus mirabilia ſua, & cogitationibus ſuis nõ eſt ſimilis illi. Quicunq; ergo miramini tantæ rei arcanum, tam magnum fidei myſterium, tã præcelſum diuinitatis opus, perpẽdite ſanctarum teſtimonia ſcripturarum, in quibus fructus latet cœleſtis myſterij, quæ nos ne videamur procacem tantum proferre ſententiam, ex ipſis dictis ſanctis ſcripta inſerimus, quæ roborationem afferant tantæ auctoritati. Sub veteris vmbra legis multotiens ſanctos reperimus Angelos patribus apparuiſſe, & præcipuè in prophetæ Danielis viſione, hũc beatiſſimum, de quo tractatus habetur, Archangelum ipſi creberrimè apparuiſſe. Rectè igitur in columbæ ſpecie, illuſtriſſimo præſuli apparuit Thuriano, puritatem atq; innocentiam ipſius animi excellenter indicans, cum Danieli, vt legimus, in ſimilitudinem viri apparuerit, quia vtiq; nõ vir erat, ſed viri ſimilitudinem habebat. Nõ enim angelica natura ita corruptelæ dedita eſt, vt natura generis humani. Ob hoc hic Deifer S. Danieli eſt æquiparãdus, qui rectè vir deſideriorum dici poteſt, quia Dei amore erat dignus & pro deſiderio ſuo Dei ſecreta audire mereretur & eſſe conſcius futurorum. Nunc iuſtum videtur, vt ad narrationem, vnde ſuperius digreſſi ſumus, reuertamur. Exacta, vt ante dictum eſt, glorioſus cõfeſſor glorioſa oratione, à præfato Riuallone, cuius nimius horror, tanto conſpecto miraculo membra inuaſerat, ſed rurſus reſumpta ſpe, virtutis huius admiratione gauiſus erat, conſulitur quænam miranda viſio eſſet quam cernerẽt ipſi. Qui magna dulcedine ſupernæ gratiæ repletus, indicat illis, S. ſibi Archangelum Michaëlem à Deo miſſum, ad dandum illi pœnitendi ſpacium ſeptem annorum termino, & ad reſtauranda ſacrilega à ſe patrata incendia. Alacrior ergo Riuallo redditus, pro collatis ſibi à Deo beneficijs paternis, plenè omnipotentiam ipſius collaudauit, & paſtorem ſuum inclitum Thurianum, cuius ſancto adminiculo ſalutem promeruerat, ex tunc veneratione venerabili venerare non deſtitit. Crucem lapideam ſuperius adnotauimus constructam, ob memoriam Deificæ viſionis precioſi iuſſu Thuriani, in qua omnibus intuentibus, quaſi euolans reſedit, & poſt in cœlum ad Deum, qui ſe miſerat, Ieſum in dextera ſtantem paterna, regreditur. Inclitus porrò & plenus veræ miſericordiæ affectu, ſine querela verus Dei miniſter Thurianus, inculcans illi pœnitentiæ ſancita, regreditur ad propria. Sed & præſcriptus ſæpiuſculè homo, pontificali non deſtitit inſiſtere exactioni, quo ad promiſſis finem imponeret ſuis, & expoſtulato à principibus patris plenè adminiculo, voti compos effectus, iuxta pollicitum reſtituit ſeptempliciter omnia.

Sanſon primus Archiepiſcopus Dolenſis.
Zach 2.
Michael apparet ſuper humerum S. Thuriani.
Pſalm 39.

VII. RESTAT porrò adhuc, quoddam clarificum miraculum in præfato incẽdio patratum, quod ſummopere eſt intuendũ, his qui diuinis auctoritatibus ſunt ſuffulti, nullis argumentorum contradictionibus eſſe Dei verbum corrodendum, quia qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur ab ea. Cùm igitur ædes ſacra Deo in S. honore Moaky dicata edacibus conſumeretur, vt præſcriptum eſt, ignium globis, codex S. Euangelij ſuper altare poſitus fuerat ipſius Baſilicæ. Qui itaq; non ardentem ardere rubum dudum ſuo ſe timendi famulo præmonſtrauit, renouauit & tunc arcana miraculorum ſuorum myſteria. Etenim impetu ſpiritus Dei euolans liberà menſa Chriſti, horridosq́; flammarum ſupergrediens cumulos, tereti, rotabatur gyro, quaſi ſeſſionis ſuæ perſcrutans locum, moxq́; non ſine cunctorum intuentium ſtupore & admiratione, placido deſcẽſu in hortũ adlapſus eſt cœnobitarum fratrum. Poſito ergo quo prædictum eſt ordine ſancto Euangelio in monachorũ horto, vulpes inter reliquas feras animal omninò ſubdolũ, quod fraudibus cibũ quęrit, & ſalutem ſuam callida illuſione tuetur, illum iacẽtem reperiens appetit ore corrodere. Quod beſtiale genus ſæpiſſime in ſcripturis ſanctis pro malo ponitur, ſicut in Euangelio legimus dominum dixiſſe de Herode. Ite dicite vulpi illi, perfidiam illius demõſtrare volens, quia eum neci tradere moliebatur. Salomon quoq; in Cãticorum Canticis, ſub voce Eccleſiæ, capi paruulas iubet vulpes demolientes vineas, hæreticorum deuitandã infauſtam ſignificans ſocietatem. Sed vulpes præſcripta, dum rodere mauult Euangelium, ante mortem ſuam quam cibum in illo inuenit, patenter indicãs abſurdum & periniquum eſſe omninò diuinis Euangelicarum virtutibus roborationum derogari. Et vt liquido clareſceret hominibus, quantæ apud eos Dei verba eſſe deberent reuerentiæ, quicunq; temerario ore poſt hæc ſuper eundem codicem auſus fuit deierare: ſtatim morte temporali, pœnas luit periurij ſui. Et merito, quia dicente Chriſto, omnem ſpiritum blaſphemiæ remitti poſſe hominibus, qui autem ſpiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittendum illi neq; in hoc ſæculo neq; in futuro. Omnes igitur, qui ſe doloſis & fraudulentis praua voluntate coniungunt, ſecundum prophetam regium partes vulpium ſunt.

Pro. 25.
Codex Euangelij ſeruatur illæſus.
Luc 13.
Cant. 2.
Mar 3.

IIX. QVIA verò ſuperiùs inſertum eſt, trium mortuorũ reſuſcitatione, hũc egregium ſacerdotẽ Thurianum omnipotentẽ clarifice nobilitaſſe: ne indiſcuſſa tanti honoris inſignia pertrãſiremus, vnũ ſolum inſerimus, quod fidelium mentib. ſufficere poſſe non diffidimus. Deniq; maximã & arduam eſſe rem exanimatũ viuificare Euangelicis præmonemur inſtructionibus, dum ſciamus Dominũ Ieſum Chriſtum ſicut omnipotentẽ multorum cadauera exſuſcitaſſe, è quibus tres ſolũmodo legimus ab eo præſenti luci redditos. Ita & huic venerabili confeſſori tanta eadẽ gratia ab eo largita eſt. Sed nos reſuſcitationẽ vnius auctore Deo patratã, meritisq; ineliti Thuriani glorioſè exhibitam, ad ſufficientiam credentium digerere cupimus. Igitur in adminiſtratione verborũ Dei aliquo ſub tẽpore occupato omnipotentis ſermonũ diſpenſatore precioſo Thuriano, iuxta Monaſterium, Britãnica lingua Kamfruth dictum in loco, vbi crux lapidea iã prætitulata poſita eſt, factũ eſt huiuſmodi miraculũ circumſtantibus ſe multis populorum turbis, diuerſiq; ſexus & ætatis & Euangelizationi ipſius vnanimi voto pariter intentis, contigit ante illos, exanimẽ ad tumulãdum

Pſalm. 62.

dum e[illegible]uellam. Hæc ex nobilioribus eiuſdem loci erat, vt conijci datur ſecundum hiſtoriam: cuius pater nũcu-
patur G[illegible]al, nomen verò defunctæ fuit Meldoch. Cernens multę cõpaſſionis vir plenus pietate Thurianus, gemi-
tum po[illegible]arentumq́; & propinquorum corpus ambientium, præuidensq́; orbitatem ipſorum, ſiquidẽ vnica ipſis
erat, cõp[illegible]s eorum dolori, ſicut & ſemper cunctis mœrentibus, præmonuit feretrum ferentes ſtare. Quáuis enim
iam talium multipliciter exercitatus foret factorum, nequaquam tamen fortitudini ſe credidit ſuæ, ſed cauta humili-
tate, diuinũ ſibi precando adſciſcit auxilium, & oratione ſuperedita inuocauit Deum dicens. Omnipotens Ieſu Chri-
ſte fili Dei viui, cœli & terræ conditor & gubernator, qui Archiſynagogi filiam ſolutis mortis vinculis reduxiſti ad vi-
tã, ad laudem & gloriam glorioſi nominis tui, hanc puellã viuifica, in conſpectu omnis huius populi, vt glorificetur
Puellam mortuam reſuſcitat. laudabile nomen tuum per cuncta ſæcula ſæculorum. Finita ſanctus ſacer Thurianus Deo accepta oratione ſua, & re-
ſpõdente omni clero ſimul & populo. Amen. Obtinentibus præſtante Chriſto ſanctis ſuis meritis, ſurrexit incolumis
puella, inæſtimabile gaudium ſuis ingerens parentibus, animosq́; cunctorum qui hęc noſſe poterant ad collaudandũ
Deum, pleniter extollens. Non tamen hic ſanctus pro tanti muneris beneficio ſupernè ſibi collato, iactantiæ ſuccu-
1 ad Cor. 1. buit vitio, nec gloriationem habens in aliquo, ſolum ſibi Deum gloriam reputabat eſſe, ſecundum Apoſtolicam ſen-
tentiam. Qui gloriatur, inquit, in Domino glorietur, non enim qui ſemet commendans laudatur, ſed qui à Deo com-
mendatur. Hunc itaq; beatiſſimum ſacerdotem, mirum in modum ſuperna gratia ita prouexit vt ornamento precio-
ſo decoris gratiæ Chriſti redimitus, ſanctam vitam ſuam normam nobis viuendi præberet.

In eo deniq; non ſolummodo bonorũ operum elucebat gratia, verùm etiam, intime puritatis reſplẽdebat gra- IX.
tia, ſicq́; ſplendidum ſibi huius vitæ curriculum virtutũ lumine declarabat. Augmentari igitur propenſius ſatagebat
quotidianis exercitijs, cœleſtium incrementa bonorum, vt omiſſis corruptibilib. carnis exuuijs, atq; euadẽs laborio-
ſam præſentis ſæculi ſeruitutem, habere glorioſam mereretur futurorum quietem. Beata ſiquidẽ mens eius, exercitata
multis patientiæ abſtinentiæq́; documẽtis, anguſtum hoc corporis horrebat diuerſorium geſtiens capeſſere beatam
cœleſtis latitudinẽ habitationis. Habens ergo hic beatiſſimus ſemper nobis memorandus Thurianus bonæ fiduciam
conſcientiæ, in ſuis gratulabatur nouiſſimis operib. Deum ſibi præſentem ſemper adeſſe ſciens, quo docente ſe intel-
2. ad Tim. 4. ligebat exitu ſuo à vitæ huius laborib. liberari, mercedemq; bonorum operum & factorum præſtolabatur dicens, Re-
poſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus. Omnium deniq; virtutum dote ſubnixus, ſcientia diuina
Pſalm. 126. præditus, mortis diem expectauit lætus: qa vbi æſtimabatur finiri, ibi incipiebat perpetua eius vita oriri, vt pſalmiſta
ait: Cũ dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. Qui miræ ſimplicitatis & innocẽtiæ vir, ſummæ cardi-
Moritur S. Turianus. nẽ felicitatis attingẽs, vt in noſtris antiquioribus, ſed veracib. reperimus libris, 3. Idus Iulij, triſte hoc ſæculũ deſeruit,
cœleſtisq́; ſenator curiæ cœli palatium perpetuo poſſeſſurus introiuit. Sed quia in hac aſperrima cõditione fragilita-
tis humanæ, aliquoties diuerſis languorib. hebetata nunquam verò ærumnarum miſerijs & aſſiduis calamitatib. im-
plicata, caduca mortalitas diſſoluitur, inter tot enim ardentiſſimas moleſtiarum miſerias, vario curſu vita hominum
ſemper tranſigitur, & ob hoc his omnium mortium generibus, ſubueniri neceſſe eſt. pijs operũ patrationibus, ſancto-
rumq́; poſtulationibus: ideo nunc nobis exorandus eſt ſpecialis patronus noſter Thurianus, cuius precioſiſſima pi-
gnora poſſidere meruimus, & ante cuius ſacratiſſimam tumbam, quotidiano adſumus officio, vt qui laborioſa tenta-
tione carnalis moleſtiæ deuicta perfectæ promiſſum gloriæ conſequutus, anguſta radiatione fulgeſcit, nunc in cœlo,
impetret nobis à Chriſto æternæ lucis præmium, & faciat nos ſanctis meritis ꝑpetuis intereſſe gaudijs quibus in cœlo
ſine fine perfruitur. Ergo, beatiſſime Thuriane, diſſolue inuiſibiles criminum nexus noſtrorũ, ſolue vinculum noſtræ
nequam conſcientiæ, vinculum auaritiæ, vinculum crudelitatis & ſuperbiæ, triſtitiam vitæq́; labores releua. Poſtula
nobis tua prece ſancta, diuinæ donũ recõciliationis, debiles eleua, captiuos redime, eripe eos qui ducuntur ad mortẽ,
eripe intercesſione beata, eripe gratia ſancta, eripe ſubſcriptione indulgẽtiæ, & munere tuæ benedictionis erige. Hoc
verò inæſtimabile donum hancq́; nobis tuam ineffabilem gratiam glorioſiſſimi patroni noſtri Thuriani obtinentib.
meritis de fonte benigniſſimæ pietatis tuæ præſtari cupimus Deus, qui regnas in Trinitate per ſæcula ſæculorũ, Amẽ.

Contigit in vrbe Pariſiorum, quod pro ſcelere liquet prauorũ eueniſſe ciuium ibidem nempè degentium. X.
Dum deniq; quadã nocte cuncti detinerẽtur ſopore cuiuſdam prædiuitis fœnile deflagratum, adeò flãmas emittebat
ingentes, quo reliquas corripere cœpit magnitudine flãmarum rogus æd[illegible]s eidem adhærentes fœnili. Huiuſmodi igi-
tur ignem videntes vrbis cuſtodes, cuncta iam ſibi pœnè affinia comprehẽdentes loca, quantocyus eiulare coegerũt
ciues mortẽ eis adeſſe clamantes. Quibus è ſomno aſſurgentib. mulciber oppidò intumeſcere non deſijt pręfœni cõ-
gerie, atq; vicinas vt dictum eſt domos conflagrare. Triſtabantur æqualiter omnes, flebant ſe parua intercapedine a-
miſſuros, quæ multo labore acquiſierant. Neq; enim igni reſiſtere quibant, enormiter diducto impetu pluuigeri ſpi-
raminis. Cùmq; tantis intereſſent quæſtibus, ſuffragia diuerſorum cœperunt implorare ſanctorum, vt eorũ interceſ-
ſionibus, tantorũ ſedarentur vires ignium. Sed neq; ſuperna pietas, homines volẽs perdere ſe deprecantes, cõſilio ac
ſi dicatur diuino cœperunt beatiſſimũ ſpecialiùs inuocare Thurianũ. quem multis nouerãt virtutib. ac miraculis ex-
ornatum. Sãcti igitur Cõfeſſoris Germani Eccleſiæ cuſtodes cũ reliquis Monaſterij cœnobitis, ad altare ſuper quod
Archiantiſtitis requieſcebant mẽbra Thuriani accedentes, ocyus eundem egregium ſanctum ſc. Thurianum deferre
Per reliquias S. Turiani ſedatur incendium. cœperunt ad ignem. Vbi a. magis vigoris eum habere conſpexerunt ibidẽ fidentes fauſtiſſimũ detulerunt Thurianũ.
Mox verò flãmarum cœperũt euaneſcere globi, ac ſi innumerabilib. fuiſſent aquarum decurſibus perfuſi: ſicq́; pau-
latim creſcendo ablata eſt immanitas ignis. Quod cernentes qui ante flebant cœperunt Chriſto domino grates refer-
re iucundi, cuius ſuffragijs tantorum erant viribus ignium eruti. Proſecuta eſt nihilominus eum copioſa vtriúſq; ſe-
xus multitudo, virorum ſc. ac mulierum clericorúmq́; non minima, cum cereis & crucibus pſallendo. Te Deum lau-
damus te dominum confitemur. Cum omni quoq; hymnorum gloria, repoſuerunt eum ſuper ſancti Michaëlis Ar-
changeli Aram, quæ eſt in monaſterio ſancti Pontificis Germani, ſuper quã ante iacebat. Quibus peractis rediere ſin-
guli in ſua, Deum qui ſuper omnes eſt glorificando, quo largiente omnia ſubſiſtunt. Egregiúmque confeſſorem, per-
ſpicuè prædicando, cuius interuentione, à magnorum viribus ignium ſaluati atq; eruti exiſtere dignoſcuntur.

Hvic miraculo aliud ſubſcribere dignum duximus. Quod in eadem vrbe diuina virtus, quæ ſemper in electis XI.
ſuis glorificatur, ob declarandum meritum confeſſoris ſui operari dignata eſt. Erat conſuetudo ab antiquis inſtituta,
vt die præcedenti ſolennitatem beati Thuriani Confeſſoris, denunciaretur per vrbem & per vicos ei adiacentes cele-
britas ſolennitatis beatiſſimi confeſſoris, quatenus populus omnis relicto rurali opere, confluerent ad poſcenda ſuf-
fragia diuinæ pietatis, per meritum confeſſoris ſui Thuriani: & quod ſinguli, ſuis non merebantur impetrare meritis,
obtinerent pijs precibus ſuffragatoris. Contigit ergo vt miniſtri qui præcones erant tantæ ſolennitatis tranſitũ habe-
rent iuxta Eccleſiam quę ædificabatur in eadem vrbe in honore beati Stephani protomartyris, ij autem qui pręerant
operi audientes pulſationẽ ſigni, quo eadẽ futura denunciabatur ſolennitas, interrogauerunt, cuius eſſet hæc quæ pręnunciabatur
futura feſtiuitas. Reſponſum eſt verò quia S. Thuriani Cõfeſſoris ꝑnunciabatur celebritas. At ille ꝗ præ-
erat operi, inuſitatũ habens audire huiuſmodi nomẽ, quia quaſi quoddã barbarum reſonaret, deſpectui habens ꝗ au-
dierat dixit nõ ſe opera ſua interrumpere, ne ad ſancti celebritatẽ accederet: Operarijs a. quibuſdam ſucclamãtibus,
bonũ eſſe eos celebratoribus tantæ ſolẽnitatis intereſſe, cõminatus eſt illis nũquam ex opere illo aliquid quæſtus vl-
terius

terius acquiſituros, ſi recederent ab opere & ſancti ſolennitatem curarent celebrare, huic præſumptioni & temerariæ comminationi vltio diuina non defuit. Nam ſequenti die cum ad opus præfatæ Eccleſiæ temerarie rediſſent, diſpoſitis operariis infra & ſupra maceriam quæ conſtruebatur, corruit diuina virtute quicquid ante operatum fuerat, ita vt nemo inultus abiret. Nam confractis aliorum brachiis, aliorum cruribus, aliorum pedibus oppreſſis, omnes compulſi ſunt fateri Dei & S Thuriani meritũ. Cuius quia ſolennitatem celebrare deſpexerant, ſuam ſinguli coacti ſunt deplorare miſeriam. Magiſter verò, qui ad hanc eos compulit præſumptionem fractis ceruicibus ſpiritum reddens, diuinam in ſe iuſte exhibitam excepit vltionem.

Pœna cõtemptorum S. Turiani.

XII. Operæ precium eſt, huic quoq; aliud ſubnectere: quod ex diuina virtute per meritũ B. Thuriani in eadem vrbe contigit eueniſſe. Propinquante vindemiarum tempore reficiebantur in regali cellario, quod adhærebat palatio, dolia, quibus ſeruaretur regalibus menſis neceſſaria vini copia. Cum aũt pice ſuperfundenda, calefierent ipſa dolia ex ſuperflua materia, vires ignis excepit validas, ita vt ipſa cremarentur dolia, deinde cellarium, deinde totum ignis occuparet palatium. Concurrentibus cunctis ad reprimendas vires incendij, delatæ ſunt ſanctorum reliquiæ ex vicinis Eccleſiis vt per eorum meritum tãtum reſtingueretur incendium, quatenus inuſtum reſeruaretur palatiũ. Deus verò omnipotens qui ſanctos ſuos ſemper glorificat, vt ſancti per latum orbem declararet meritum Thuriani, dignitatem huius miraculi eius præſentiæ reſeruauit: nam petentibus his, quo incendij vires vrgebant, fratres ex Monaſterio S. Germani Pontificis, in cuius Eccleſia quieſcit, ipſum eius corpus deferentes ad palatium, cuius interitum ignis minabatur, impoſitum vehiculo in medium ignis impulerunt: Mox totius incendij vires ita defecerunt: ac ſi vnda fluminis deſuper effuſa totum teneret locum quod occupauerat incendium. Plura deniq; aliis referentibus de eo cõperimus miracula, quæ nec lectori faciant faſtidium, ſcribere diſtulimus gratum operi noſtro imponentes compendium.

Aliud incendium ſedatur.

Corpus S. Turiani vna cum corpore S. Leufredi, ex abbatia S. Leufredi tranſlatum eſt ad monaſterium S. Germani à Pratis Pariſios, quam tranſlationem vide poſt vitam S. Leufredi 21. Iunij. Ibidem adhuc requieſcit, & ad pluuiam impetrandam ſæpe ſolemni pompa proceſſionaliter defertur. Vide Barr. Salernum ſub finem Chron. Lerinenſis.

VITA S. BONAVENTVRÆ CARDINALIS ET EPISCOPI ALBANENSIS, AVTHORE OCTAVIANO DE MARTINIS SVESSANO, VTRIVSQVE IVRIS DOCTORE.

An. 1260.

Eſt Oratio coram Pontifice Sixto IV. habita.

IVLII 14.

I. Ivstitia ſuffragiorũ, beatiſſime Pater, ad quæ porrigenda deſiderabat, hærentem me concitauit ad indicti mihi muneris prouinciam, remota cunctatione, capeſſendam. Neq; enim me alioquin fallebat, quã arduum, quámve anceps munus obirem, poſtulare ex merito ſanctum Romanę ſedis decreto referri in ordinem ſiue catalogum cęleſtium, qui cum Chriſto regnant, Sanctorũ. Idq; in hoc tremendo auditorio, ſub adſpectu ſacri reuerendiſſimorũ Patrum Senatus, ac ſapientum Pręlatorum & virorũ, quib⁹ tua ſanctitas cœleſtię ſuperum dono in ſua maieſtate ſapientiſſime præſidet: vbi non ego modò, qui in actione cauſarũ forenſiũ noſtri ſæculi ſtylo verſor, verũ & alium quanlibet exercitatũ, ac deniq; conſummatũ oratorem, expauere quidem poſſe credendũ ſit. Nam per immortalem Deũ, quis tã ſapiens aut diſertus quicquã adeo elimatũ, aut ſtudioſa lucubratione excogitatum hîc proferat, quo maieſtatẽ loci dicẽdo vel mediocriter æquare poſſit? Quid porrò tãto ſtudio adinuẽtũ, ꝙ præuiſũ ac tritũ nõ fuerit apud tãtæ ſapiẽtiæ Patres, acte ante alios ſanctiſſime Princeps? qui cũ ex multis iã annis diuinarũ atq; humanarũ rerũ, ac oĩs denique Philoſophiæ ſcientiã pleniſſime edidiceris, velut ſplẽdidiſſimũ ſidus in firmamẽto, in Dei Eccleſia cæteros illuſtraſti. Quę quidẽ reuolventi nõ leuẽ animo tremorẽ incuſſiſſe poterãt, atq; ab hac actione, qua nulla illuſtrior, penitus dehortari, *niſi* iuſtitia meritorũ, vt præmiſerã, beati Bonauẽturæ, ꝓ quo intercedimus, animũ exexiſſet atq; cõfirmaſſet.

Sixtus IV, Papa Ordinis S. Franciſci,

II. Accedebat pręterea, ꝙ Princeps non ꝓfanus pro religioſo, aut indoct⁹ pro literato rogandus erat: ſed tu profectò Pater beatiſſime, qui diuinis obſequiis in beati Frãciſci religione ex matris vtero cælitus deſtinatus, in eadẽ omnipotenti Deo religioſius ſeruiuiſti, ac demũ ad eius principatũ ſingularibus tuis meritis vectus, illã ſapienter ac ſalubriter gubernaſti, auxiſti atq; ampliaſti: quíve cùm diuinorũ myſteriorũ ſcientiam ꝑ traditiones Patrũ fueris nactus, tũ verò ex opibus eiuſdem diuini Bonauẽturæ, quę diuino ſpirante lumine edidit, conditoris* diligentiã certiſſimè cõparaſti. Ita te nanq; par erat, quẽ conditoris vices geſturũ in terris, in illius mandatis cõmiſſum gregẽ oporteret erudire. Neq; n. illius fauſtè quis vices gerit, quẽ non penitùs nouit: neq; illius porrò mandata rectè alios edocet, quẽ non priùs luculenter edidicit. Quarè cùm pro diuinæ ſapientiæ Patre, Ordinis Minorũ generali Miniſtro, Epiſcopo Cardinali Albanẽſi interceſſurus eſſem apud te beatiſſime Pater, qui iiſdẽ meritis clarus, iiſdémve officijs glorioſe perfunctus eras, & ꝓinde ad hoc opus, tibi in hos vſq; dies diuinitùs ſeruatũ, electus, nequaq̃ mihi verendũ fuit, ne ꝑ inſufficientiam tibi negligeret, qui ẽt meritus fideliũ Paſtor, imbecillitati noſtræ clementiſſimè cõpati didiciſti. Iamq; ego, qui horrore quodam non ſine titubatione occœperã, perſpecto, q̃ benigno vultu ac clementi nutu audientiam indulgeas, erectus in ſpem meliorem, fidentior proſequor, tuiq; ſacri affectus oraculo meis auribus illud propheticum inſonare videtur: Dilata os tuum, & ego implebo illud. & rurſus: Dabo tibi ſermonẽ benè ſonantẽ in os tuum, vt complaceas in ore principis. ac proindè obſecro, pari clementia velis fauere, dum diuino numine adiutus, ac tuo benigno fauore firmatus, proferam quæ ad ipſius conditoris, Bonauenturæ, ac huius ſanctæ Sedis laudem perpetuam cedere poſſint.

* *ſor intelligentiam,*

Pſal. 80. Eſther. 14.

III. Exoratvro à tua Sanctitate, Pater beatiſſime, diui Bonauenturæ, canonizationẽ ingẽs mihi ſtudiũ fuit ſacrarũ literarũ codices diligentiùs euoluere ad dignoſcendũ, q̃nam rei, de qua agimus, cõuenirent. Quibus q̃dem curioſiùs ꝑſpectis, quantũ colligere potui, duo potiſſimũ inſpicienda ac meritò inquirenda fuiſſe intelligo, vitã ſcil. & miracula: quę ſi recitando monſtrauerim, in hoc viro eſſe cõperta, qualia ad canonizationẽ ſufficiant, tua Sanctitas, cuius arbitrio id ſubijcitur, benignè dignabitur votis ſupplicantiũ reſpondere. Et quoniã vitę initiũ, ꝙ ex religione ſuſcipio, miraculoſum exiſtit, nemo mihi vitio vertet, ſi vitã ante miracula relaturus, alterũ cum altero recenſendo ꝑmiſceã. Nec rurſus mirabitur, ꝙ quãadmodùm pleriq; cuiuſpiam memoriam cõmendaturi, non ego primordijs nataliũ ac pueritiæ diui Bonauenturæ inſiſtã, aut eo altiùs à parentũ ipſius dignitate exordiar. Prohibent nanq; crebra & clariora viri facinora, ab illo in ſtatu perfectiori agitata. Nec tñ omittã, ꝙ Bonauentura natione Tuſcus, patria Balneoregiuus, Iohanne Fidanza & Ritella fidelibus cõiugibus ortus, baptiſmatis vnda reſperſus: quę ex Ioanne Medicinæ magiſtro, & Felice Antonij, qui & ipſi ex illis Maioribus originem trahunt, atque alijs teſtibus Balneoregnis probè cõperta ſunt.

In canonizatione quę inquirẽda.

S. Bonauẽturæ patria & parentes.

IV. Cæterum prætermiſſa longiore ſerie præmiſſorum, vita indè exordium capiet, vbi relicto mortalitatis ſtatu mundo moritur, ac omnipotenti Deo meritis beatiſſimi Franciſci victimam ſe perpetuam dedicauit. Glorioſus Deus in ſanctis ſuis, quos ſibi ab æterno prædeſtinauit electos, & ſecundùm neceſſitatem temporis ad ſalutem humani generis producit in lucem: cùm beatum Bonauenturam vas electionis ſibi delegiſſet, ac ſuis obſequijs in religione S. Franciſci deſtinâſſet, quô tamen illius conuerſio poſſet aliquando à Deo diſponente profecta intelligi, & in illo ſuæ maieſtatis gloria reuelari, eundem in extrema valetudine periclitari permiſit. Cuius ſaluti anxia ſolicitudine timens chariſſima parens, vbi phyſicorum, quos adhibuit, diligentiam fruſtrà experta eſt, & medelarum vires ad illum leuandum minùs valere comperit, ſolius Dei opem, quem ſancta timebat, & cui caſtos pueri mores, quos probè vt mater nouerat, intelligebat acceptos, humiliter in ſalutem pueri inuocauit, ac S. Franciſci ſuffragia reuerenter implorans, illum, ſi ſanum recuperaret, ipſius religioni perpetuò deuouit. Exaudita eſt prô diuina clementia & ſua reuerentia: & ſanitate recuperata, integer puer euaſit, non ſine admiratione phyſicorum, præ-

Laborat aduerſa valetudine Matris eius votum.

Digitized by Google

ſertim qui eum ſtatum corporis probè in illo deprehenderant, vt humana ope ægrum leuari poſſe penitùs deſperaſſent.

Pſal 75.

Amplectitur S Franciſci inſtitutum.

Oratio eius

Idem iam adoleſcens, ac porrò ætate prouecta, cùm religioni maturum ſe, & illi ex parentis voto debitum ſe V.
intelligeret, memorque diuini mandati, per Dauid prophetam humano generi prolati, Vouete & reddite Domino Deo veſtro: anno ſuæ ætatis circiter ſecundo & viceſimo, habitum religionis S. Franciſci deuotiſſimè ſuſcepit, in qua profeſſionis emiſſione beneficium illius his verbis apertè teſtatus eſt: Voto enim pro me languente grauiſſimè ad beatum Franciſcum emiſſo à matre, cùm adhuc eſſem puerulus, ab ipſis ſum mortis faucibus erutus, & in robur vitæ incolumis reſtitutus. Quod cùm viua memoria teneam, vera nunc confeſſione profiteor: ne tantum beneficium reticens, ſceleris arguar vt ingratus, orationemque ad illum pijſſimè his effundens: Accipe, inquit, pater beate quaſcunque exiles, meritiſque tuis ac beneficijs impares gratiarum actiones, & cum ſuſceperis vota, culpas noſtras ſic orando ex cauſa, vt à malis præſentibus eruas, & ad bona ſempiterna perducas.

Alexander Alenſis eius præceptor.

Luc. 24.

Sap 7.

Magna eius humilitas.

Item eius charitas,

Humanitas eius erga morbidos.

Fit miniſter generalis.

Igitvr vir ſanctus in eadem vocatione progrediens, cùm omnis ipſius vita in Dei certa cognitione ac con- VI.
templatione verſaretur, ad quam aſſequendam per ſacrarum ſcripturarum aſſiduam perlectionem, orationes ac contemplationes intenderet, docente illum Alexandro de Ales, ſacræ paginæ magiſtro, tantam doctrinarum perfectionem breui adeptus eſt, vt à ſeptimo ſui ingreſſus anno, conſono magiſtrum ſui ordinis iudicio delectus, librum Sententiarum in Pariſienſi vniuerſitate clariſſimè legerit, & cathedram magiſtralem receperit: admirabilis proinde cunctis, quòd tam paruo ſpatio eam ſufficientiam valuerit comparare. Sed admirentur ſanè, qui res humanas ex naturali tantùm curſu, non autem ex diuina potentia metiuntur: quæ duos diſcipulos, literarum prorſus ignaros, Emaus oppidum contendentes, breui itineris ſpatio comitata, diuinorum ſcientiam pleniſſimè docuit. Idem diuus dona ſancti ſpiritus pro ſuis aſſiduis meritis conſequutus, magna in dies doctrinæ accrementa recipiebat, quæ magis diuinitùs inſpirata, quàm humanitus acquiſita, videantur. Cumque per tres annos ſequentes cathedram magiſtralem rexiſſet, anno ſuæ ætatis ſecundo & triceſimo, inter primos religione & doctrina in Ordine habebatur. Namque illi tanquàm infinitus theſaurus ſcientia erat, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt, amicitiæ Dei. Et quod notabilius & admirabilius erat in illo, quo magis ſcientia & authoritate emerſerat, eo magis humilitate mentis deprimebatur. Nec, vt plerique literarum ſcientia inflati, vilia miniſteria domeſtica faſtidiebat: ſed qui vix, nec niſi per obedientiam, ægrè tamen, ab illorum exequutione coercebatur, reputantibus Prælatis indignum, ſi non à talibus, vt egregius, ſequeſtraretur, in quo ſancti ſpiritus gratia habitare perſpicuè cernebatur. Nec tamen vir ſanctus vlla charitatis officia ob literarias actiones prætermittebat: ſed in omnes fratres oculos intendens, ſi quem fortè triſtem aut profeſſionis pœnitentem intelligeret, tanta dulcedine in ſermone conueniebat, conſolabatur, monebat ac confirmabat, vt nullus ab eo diſcederet, quin libens cœptum religionis iter proſequeretur. Infirmorum præterea cura, ſuprà quàm credibile ſit, delectabatur, quóve grauioribus aut contagioſis morbis grauarentur, eo magis ſe totum illorum obſequio applicabat. Quibus officijs cùm maiorem diei partem abſumeret, non eo minor erat in publicis lectionibus & interpretationibus ſcripturarum: quæ tanta claritate audientibus intelligenda reddebat, vt ipſe author illorum meritò videri poſſet. In Capitulis verò aut Prouincialibus, aut Generalibus tanta ſapientia ipſius reſponſa dabantur, vt iam generalis Magiſter, perſpecta magnitudine conſiliorum illius, nil omninò graue exequendum putaret, in quo ſancti viri iudicium non anteà exploraſſet. Quibus donis & gratijs illuſtratus, cùm iam in religione eſſet omni merito clarus, defuncto generali Miniſtro, tredecimo ipſius ingreſſus anno, ex tam multis ſanctis viris, quibus religio in ſua nouitate florebat, vnus omnium ſine contradictione extitit ſubrogatus.

Reformat Ordinem ſuum.

Giraldus ſcribit contra Franciſcanos & miſere perit.

Hic vir ſanctus accingens ſe grauioribus actionibus, cùm iam religioſi cœpiſſent à fundatoris diſciplina VII.
paululum declinare, vbi monendo, inſtando, caſtigando ac operoſiùs laborando ad meliorem vitæ frugem reduxiſſet, in Capitulo generali, quod primum Narbonenſe tenuit, regulam beati Franciſci reformauit atque expoſuit, Ordinemque in Prouincias & cuſtodias taxauit, & duas addidit: vbi ſtrenuè decertans, aduerſus venenoſas oppugnationes temeratorum & obtrectatorum, qui in religionem Mendicantium ac ſanctum virum impudentiùs ora ſoluerant, atque artificioſis calumnijs velitabantur: ſola iuſtitia atque innocentia tutus, permanſit inuictus, tanquàm qui Integer vitæ ſceleriſque purus, Non eget Mauri iaculis, nec arcu, Nec venenatis grauida ſagittis Fuſce pharetra: expertus fructum ſanctorum monitorum Magni Baſilij, diuini interpretis Homerici carminis, vbi Vlyſſem pro meritis ad cælum tollit, aſſerens poetam clara voce teſtatum: O homines, ſit vobis cura virtutis, quæ cum naufrago enatat, & eiectum in litore venerabiliorem oſtendit. Vbi etiam libellum contra Minores pernicioſiſſimum, à magiſtro Giraldo de Abbatis Villa, vt putant, per analogiam editam, non minus eloquenter, quàm ſubtiliter confutauit. Qui etiam Giraldus non longè pòſt, iuſſo Dei damnatus iudicio, meritas ſui ſceleris pœnas dedit, ac paralyticus, ac miſeranda lepra reſperſus, plenus ærumnis vitam finiuit.

Nota de S. Antonij paduani lingua.

Præficitur eccleſiæ Eboracenſi, ſed recuſat.

Eccli 11.

Congregato verò Capitulo generali Piſis, eo authore inſtitutum, vt gloria tibi Domine, qui natus es de VIII.
Virgine, vſque ad Epiphaniam continuaretur eodem modo, quo intra octauam natiuitatis Dominicæ cantatur: & aliæ Rubricæ in Breuiario reformatæ, & aliæ additæ. Idem etiam pijſſimus cultor glorioſæ Virginis matris Ieſu, inſtituit, vt fratres populum hortarentur ad ſalutandum eandem, ſigno campanæ audito, quod poſt Completorium datur: quòd creditum ſit, eandem ea hora ab angelo ſalutatam. Tunc tranſlatum fuit venerabile corpus beati Antonij ad prægrandem eccleſiam Paduanam, cuius lingua ſecundo & triceſimo ſui obitus anno, recens & rubicunda reperta eſt: quam vir ſanctus in manibus deuotè recipiens, ac largioribus lachrymarum imbribus perfundens, talibus reuerenter affatus eſt: O lingua benedicta, quæ Deum ſemper benedixiſti, & alios benedicere docuiſti: nunc perſpicue cernitur, quanti meriti fueris apud Deum. Cui oſcula deuote figens, illam honeſte collocari curauit. Cuius etiam fama permotus tunc Clemens Quartus, vt illum in partem ſolicitudinis traheret, opulentæ Eboracenſi eccleſiæ præfecit: nec tamen aſſequi potuit, vt vir ſanctus eam promotionem acceptaret: qui propoſiti conſtans, in religione maluit permanere, vbi diuitias & dignitates ſibi præpararet in cælis. Cuius conſtantiam Pontifex admiratus, ad illum, Sta, inquit, in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce.

Scripta viri ſancti.

Nvnc verò ſe offert numeroſior cumulus diuinorum ſcriptorum ipſius. Cùm Pariſiis legiſſet primum librum Geneſis, nobile opus, quod de ſeptem viſionibus Bonauenturæ intitulatur, editum eſt. In libros ſententiarum celebria Commentaria edidit, ſecundum & quartum præſertim, quos etiam metrice eſt proſecutus: & incipiunt,

O fons ſplendoris, vas dulcoris & amoris.

S. Bonauentura vitam

Qvibvs ob ſublime ingenium authoris ibi inſperſum, Sententiæ Sententiarum Bonauenturæ, titulus inditus IX.
eſt. Super Euangelius compendioſe & vtiliter ſcripſit: Lucæ præſertim, cancellarij piæ matris Ieſu, quam pectori impreſſam, aſſidua meditatione ſemper eſt veneratus. Rurſus contemplatione ſancti Ludouici regis Franciæ officium de Cruce deuotiſſimum edidit, quod ab Eccleſia, nullo immutato, receptum, in ea ſolennitate vbique legitur. Compoſuit & ſolenne officium in honore beati Franciſci, & de ipſius vita hiſtoriam ſerioſo tractatu primùm, & ſecundò reductorie annotauit. Compoſuit & libellum de ſex alis Seraphin. In monte Aluerno duo no-

bilia

Digitized by Google

bilia opuſcula edidit, piiſſimas contemplationes fragrantia: quorum alterum, Itinerarium mentis in Deum:& alterum, In ſeipſum, appellata ſunt. Compoſuit & libellum approbatorium religionis Mendicantium, quod defenſorium appellant. Compoſuit & libellum de vita Chriſti, ſiue Meditationum paſſionum ipſius, quem Arborem Crucis nominant. Compoſuit & Breuiloquia. Item & Sermones Dominicales ſuper Euangelijs & Epiſtolis per totum anni circulum. Item Compendium veritatis ſacræ ſcripturæ. Item libellum ordinationis ſiue Inſtitutionis Nouitiorum. Item & libellum de Stimulo Amoris. Item & libellum, quem appellant Pharetram, de authoritatibus principalibus Doctorum approbatorum, quem per Alphabetum proſecutus eſt. Et alia plura opuſcula vſque ad tricenarium numerum, quæ in partibus Galliarum frequentius habentur in manibus.

S. Franciſci conſcripſit.

X. Et cùm beati Franciſci religio, quam annis octo & decem ſancto regimine gubernauit, ipſius monitis & exemplis in ſolidiori ſanctitatis ſtatu firmata eſſet, & viri claritas & vitæ ſanctitatem, doctrinæ eminentiam atque operum diuinitatem vbique eluceſceret: tum fortè Romana Sedes plurimùm laborabat difficultatibus, quæ in Concilio, quod Lugduni congregabatur, inextricabiles emerſerant, Gregorius tunc Papa X. & reliquus ſacer Senatus, illecti ſtudio viri, quem leuandis dictis difficultatibus ac vniuerſalis Eccleſiæ regimini intelligebant plurimum præſtiturum, atq; ob merita alioquin ſubleuandum, in Cardinalem, quamuis reluctantem, promouerunt, & quod rarum, ex ipſo initio ob viri excellentiam Epiſcopum Albanenſem. Moxq; pertractandis arduis rebus Concilij vnus omnium delectus eſt, deputatis qui illi aſſiſterent, Rothomagenſi & Tripolitano claris Epiſcopis illius temporis: qui & ipſi de Religione S. Franciſci ad Epiſcopatum ob meritum vocati fuerant. In quo Concilio de multis illius ſapientia ſanctè conſultum atque decretum, & Græcorum compoſitæ hæreſes, qui tum præſente Palæologo eorum Imperatore, qui in hoc Lugdunum venerant, liberè ad Romanæ Sedis obedientiam redière. Ad quorum reductionem miſſi fuerant frater Hieronymus de Eſculo, & frater Bonagratia Dalmata, Ordinis Minorum religioſi eximij meriti. Quibus cum literis reuerſis, lætus idem Gregorius, fratres ac Prælatus, qui in Concilio aderant, in Lugdunenſi Eccleſia conuocauit, vbi vir ſanctus præclaram habuit orationem, propoſito themate, quod legitur Baruch. Exurge Hieruſalem, & circunſpice ad Orientem:& vide collectos filios tuos ab Oriente vſque ad Occidentem.

Concilium Lugdunen.
Creatur Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis, an. 1274.
Græci Romanæ Eccleſiæ ſubſcribunt.
Baruch 5.

XI. Svccessive in ea vocatione, pari ſanctitate & operum fructu perſeuerans, cùm in Dei Eccleſia diutius laboraſſet, ita vt cum Apoſtolo iure dicere poſſet: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo * quarto, & ſuæ ætatis tertio & quinquageſimo, hora matutina diei Dominicæ, quæ menſis Iulij erat tertia & decima, ex humanis ſublatus eſt, & ſanctis Patribus, vt credere debemus, æternum victurus, redditus. Qua die ipſius venerabile corpus ſepulcro reconditur in eccleſia S. Franciſci Lugdunenſi, cum multis lachrymis & conſternatione fratrum, lamentantium ſe tanti viri ſocietate deſtitui, qui parem ſibi in Dei Eccleſia relinquere non videbatur: Gregorio Pontifice permaximè eum reputante, qui ibidem publicè teſtatus eſt, Eccleſiam Dei illius morte magnam incurriſſe iacturam. In cuius exequijs primam Miſſam celebrauit frater Petrus Tarentaſienſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & ſermonem habuit propoſito themate, Doleo ſuper te, mi frater Ionatha. Vbi inter cæteras commemorationes gratiarum & donorum, quæ illi Deus dedit, etiam fuit: quòd quicunque eum videbat, ſtatim ipſius amore capiebatur, eiuſque monita libenter recipiebat, Græci præſertim, quibus reducendis ipſius diuina eloquia & conſilia plurimùm contulerunt. Benignus, affabilis omnibus gratus, & nulli vnquàm ſcandalo, pius, prudens, humilis, pudicus, ſobrius, caſtus atque quietus: quarum virtutum actiones & officia ſemper ſtrenuè exequutus eſt. Quod etſi nullo alio probante doceremur, ſatis ex diuinis ſuis ſcriptis liquidò patet: quibus tam intenſo affectu ſingula præmiſſa proſequitur, vt niſi per aſſumptum de illis habitum adeò ardenter illis inſiſtere non valuiſſet. Tum verò, quòd, Alexandri de Ales præceptoris ipſius teſtimonio, mundus ab omni vitio probatus eſt: qui eius vita & moribus probè compertis, de eo dicere ſolebat: Verus Iſraëlita eſt iſte, in quo Adam non peccaſſe videtur. Cuius Doctoris authoritatem tanti apud Eccleſiam valuiſſe conſtat, vt de illius dictis aut ſcriptis nefas putauerint dubitare, conſummatumque omnes teſtati ſunt diuinum oraculum, per beatum Franciſcum de illo editum, futurum eum magnum virum in Eccleſia Dei, religionemque ſuam magna per illum ſanctitatis accrementa recepturam.

Tim 4.
* *quinto.*
Obitus beati viri.
Celebrantur eius exequiæ.
2. *Reg.* 1.
Plurimum contulit Græcis reducendis eius opera.
Alexandri Alenſis de illo ſententia:

XII. Iam intelligis, Pater beatiſſime, quod & per te planiùs intelligebas, quis qualiſve fuerit Bonauentura, de quo agimus, cuius vita & exemplis, beati Franciſci religio illuſtrata, & doctrina, omnis terra repleta eſt. Nunc quod ſecundo loco aggredimur, pari patientia audire digneris, dum refero, quæ memoranda omnipotens Deus in illo, & ipſius virtute in alijs monſtrare dignatus eſt. A re miranda exordior. Bonauentura adhuc in minoribus agens, demiſſæ mentis humilitate potiùs, quàm ex iniuſtitia, pluribus diebus abſtinuerat perceptione ſacratiſſimi corporis Chriſti, veritus ne ſi illud indignus ſumeret, iudicium ſibi manducaret & biberet. Cumque die quadam in Miſſa deuotus adeſſet, Deus reſpiciens ad illius humilitatem, particulam conſecratæ hoſtiæ, de manu celebrantis per angelum acceptam, illius ori clementer immiſit. Reſpexit enim ad humilitatem ſerui ſui, propter quam beatus ab omnibus gentibus prædicatur. Rurſus cùm intenſo affectu ſtuderet contemplando & annotando vitam beati Franciſci, glorioſus ſanctus Thomas de Aquino, qui eadem tempeſtate meritis claruit, & Bonauenturæ magna charitate coniunctus fuit, accedens ad illius cubiculum, per foramen oſtij introſpexit, viditque illum in contemplatione raptum, & à terra mirificè ſubleuatum. Tum retrocedens ad ſuos: Sinamus, inquit, ſanctum, qui laborat pro ſancto.

1. *Cor* 11.
Adminiſtratur ei ſacra Euchariſtia per angelū
S. Thomas de Aquino

XIII. Simona Lugdunenſis, beatum Bonauenturam viuentem ſumma deuotione proſequebatur: quæ, ſicut Domino placuit, mortuum peperit. Ad quam euocatus viri ſanctus, expoſito cadauere ante illius pedes, & mater, quæ in lecto coram ingemiſcebat, & reliquæ mulieres, quæ aderant, ſancti viri opem in ſalutem mortui deprecatæ ſunt. Tum vir ſanctus commiſeratus, manibus atq; oculis erectis in cælum, deuotiſſimè orauit. Mox ſigno Crucis ſuper puerum facto, viuentem reddidit matri. Tritum ac frequens apud Lugdunenſe caſtrum villanum, ac totam Prouinciam, quod mulieres vtero laborantes inuocatus exaudit, & de periculo eximit.

Infantem mortuum S. Bonauentura excitat.

XIV. Iohanna Lugdunenſis, octo dies continuos vtero diſtenta, atque aſſiduo enixu parturiendi cruciata, deſperauerat de ſalute. Monita à mulieribus, quæ laboranti aderant, ſe ſancti precibus & ſuffragijs commendauit, certum votum pro ſalute recuperanda faciens, & ſtatim incolumis incolumem peperit. *Commemorat porrò Author etiam alia multa ſancti viri miracula, quæ nos ſtudio breuitatis omittimus, ac deinde ſubiungit:* Sunt prætereà & alij innumeri, qui meritis eiuſdem Sancti de varijs doloribus, ægritudinibus ac periculis miraculosè liberari meruerunt: quorum ſingulos ſi recenſere pergam, præſenti operi detrimento potiùs, quàm vſui aut fauori indubiè futurus ero. Hoc tamen loco non committam, vt ſilentio tranſeam ſtupendum ac memorabile quiddam, quod omnipotens Deus ad perhibendum certum teſtimonium ſanctitatis viri, in illius venerabili corpore pro ſua clementia monſtrare dignatus eſt. Dum idem venerabile corpus transferretur ad nouam eccleſiam, ad titulum ſancti Franciſci, Lugduni erectam, centeſimo & ſexageſimo ſui obitûs anno, reliqua corporis parte alioquin exeſa atque corroſa, caput tamen ſolidum, capillamentum hærens, labia, dentes & lingua, in nullo à vitali ſtatu aut colore demutata, reperta ſunt. Erat profectò diuinæ clementiæ, illud os à putrefactione ſeruare, quod ad ſalutem fidelium

Laranti en[illegible] iē liberat.
Nota de incorruptione capitis eius.

Digitized by Google

delium atque in diuinis laudibus ſemper fuerat operoſum, nec dare Sanctum ſuum videre corruptionem.

Possem forte ineptus videri, ſi ſtudens cœpto, proſequar diem abſumere recenſendo miracula, quorum XV.
relationi nec diem, nec certe dies ſufficere ſatis ſcio. Si igitur diuum Bonauenturam in ſuis operibus miraculoſum iam conſtat: ſi infuſam dono ſancti ſpiritus obtinuiſſe ſcientiam, diuina illius commentaria profitentur: ſi charitatis officia ardentius exequutum, mundanos honores contempſiſſe, affectus terrenorum abieciſſe, in perſequutionibus conſtantem manſiſſe, in beati Franciſci ac vniuerſali religione fructuoſum extitiſſe: ſi ſuperna vocatione, vt Paulum, in ſortem Domini miraculoſe conuerſum: ſi diuino beati Franciſci præſagio ſanctum prædicatum: ſi Alexandri de Ales Doctoris irrefragabilis, ipſius præceptoris, ſedula obſeruatione ſanctum compertum ac indicatum, ſi religioſorum Minorum voto, qui ſanctitate pollebant, vt ſanctior, ſummus Prælatus aſſumptus: ſi Romanæ Sedis iudicio, vt clarus meritis, ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen profuturus accitus: ſi denique communi omnium opinione fidelium, ſanctus tenetur & nominatur, & colitur: ſi benignus ſuccurrit quotidie inuocantibus ſe: poterat ſanctitas tua, etiam nullo petente, ſancto, quod vnum deerat, publicos honores decernere: quanto magis id debes celſorum principum votis? Accedunt pientiſſimæ preces sereniſſimorum ac clariſſimorum, Friderici Romanorum regis ſemper Auguſti, Ludouici Francorum Chriſtianiſſimi, Ferdinandi Siciliæ, & etiam Matthiæ Hungariæ regum catholicorum: qui cùm de republica Chriſtiana benè meriti fuerint, digni certè videri debent, qui à ſanctitate tua tam ſanctam rem impetrent. Rogant præterea illuſtres Duces ac populi, & loco maximi muneris hoc petunt Calabriæ, Venetiarum, Mediolani, Sabaudiæ, & Duciſſæ Calabriæ & Borbonij, Florentini, Senenſes, Peruſini, Lugdunenſes & ciuitas Balneoregij: quæ licet humilis ſit, tamen clariſſima & Deo gratiſſima videri debet, cui tantum ſidus producere datum eſt. Rogat præterea iſtius Ordinis reuerendiſſimorum Patrum Ioannes de Aragonia, eiuſdem sereniſſimi regis Ferdinandi illuſtris proles: qui ſanctos, qui in eo Ordine claruerunt, religioſius veneratur & colit. Exigit denique ſuo iure beati Franciſci ſancta religio, cuius alumnus, vel iuſta petenti deeſſe non potes. Exigit & ipſe ſanctus ex promiſſione omnipotentis Dei nomine facta ſtrenuè militantibus, quod illorum laudes canter.

Eccleſ. 4.

Hucuſque ex Oratione Octauiani de Vita S. Bonauentura, omiſſis nonnullis parum ad vitæ hiſtoriam attinentibus.

Canonizatus eſt S. Bonauentura ſabbatho in Albis anno 1482. per Syxtum IV. Pontificem Maximum. Reliquiæ vero eius, Vgonotis graſſantibus in regno Franciæ, ſurrepta capſa argentea, in prefluentem amnem ſcelerate proiectæ fuerunt. Vide Petr. Rod. Toſtanenſem lib. 1. hiſtoriæ Seraphicæ.

An. 1000

VITA S. HENRICI IMPERATORIS, PROVT EAM EX ANTIQVIS CODICIBVS MSS. EDIDIT IACObus Gretzerus Societatis IESV Theologus.

Ivlii 14.

a Ottonem puerum vocat, quia puer Imperium iniit Gretzer. in notis.

Pietas & eruditio Henrici.

Anno ab incarnatione Domini Milleſimo primo: ab vrbe autem condita milleſimo ſeptingenteſimo I.
quinquageſimo ſecundo: Ottone [a] puero Romæ defuncto vacante regni ſolio: Cum de principe ſubrogando ageretur: omnium vota, nutu diuino, ad eum inclinantur, qui tunc in regno habebatur potiſſimus. Fuit namque per idem tempus Dux Bauariorum Henricus tam bonitate quàm nobilitate regia conſpicuus, & vniuerſa morum honeſtate præclatus. Hic initium ſapientiæ timorem Domini pleniter ſequutus eſt: qui erat omni literarum ſtudio principaliter imbutus, totus ſanè fide & actu Catholicus. Hic ergo ab omnibus pari voto & communi conſenſu accerſitur, diuina vtiq; diſponente clementia: vt per temporalis regni faſtigium, ad culmen cœleſtis regni pertingeret. Terrena enim bona omnia, ſicut vſu malo alios à ſalute præpediunt: ita alios vſu bono ad ſalutem promouent.

In vita S. Wolfgangi die 31 Octobris.

S. Wolffgangus apparet S. Henrico.

Viſio S. Henricum ſollicitũ tenet.

Quis viſionis exitus.

** Vngitur Imperator. An. 1014 à Benedicto.*

Cvi necdum Cæſaris vel Imperatoris dignitatem obtinenti: apparuit Ratisbonæ Wolffgangus in ſomnis II.
viſione tali. Viſum namque eſt ei, quod manens in ſancti Emmerammi Eccleſia, accederet orandi gratia ad Beati Wolffgangi ſepulchrum in eadem Eccleſia ſitum: eumque ibidem Dominum ſanctumque Wolffgangum precibus intimis conaretur exorare, ſubitò videbatur ei ipſe Sanctus aſtare: & huiuſmodi verbis ipſum appellare. Intuere diligenter literas in muro, qui eſt iuxta tumulum meum, ſcriptas. Erat autem ibi, ſicut videbatur, ſcriptum ſolummodo: Poſt ſex. Euigilans verò Rex Henricus tractatione diuturna ſecum reuoluit, pauciſſima huius viſionis ſcripta: In primis ergo arbitratus, quòd poſt ſex dies eſſet moriturus; multa diſpenſat pauperibus. Cum autem ſex dierum numerus præteriret & nihil in ſe corporalis moleſtię ſentiret: putauit ad ſex menſes pertinere. Tranſacto verò & huius numeri ſpacio, nihilque in ſe infirmitatis paſſus, arbitratus hunc numerum ad ſex annos pertinere: ideoque & quæ ſupra; cœpit timere. Cumque ſex annorum numerus integer pertranſiſſet; & ſeptimi anni dies reuolutus veniſſet: ipſo die Cæſaris dignitatem per Apoſtolicam ſuſcepit conſecrationem. Tunc * tandem ſentiens, qualis eſſet ſua viſio, gratias egit Deo ſanctoque Wolffgango, qui ſibi talem reuelare dignatus eſt ſublimitatem.

Reparat S. Henricus Sedes Epiſcopales à Sclauis vaſtatas.

S. Gotehardus, de quo 4 Maij Veſtario.

Eccleſiæ Merſeburgenſis.

Bona Eccleſiæ Merſeburgenſis Magdeburgum tranſlata.

Vnctvs igitur in regem beatiſſimus Dei famulus, temporalis regni non contentus anguſtiis, pro adipiſcen- III.
da immortalitatis corona, ſummo Regi (cui ſeruire regnare eſt.) militare diſpoſuit, ſummam etiam diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit: Eccleſias ditare poſſeſſionibus & immenſis ornatibus augere cœpit. Sedes autem Epiſcopales, Hildenſhein (vbi à puero nutritus & literas edoctus fuit) Magdeburch, Argentinam. Miſenam, & Merſeburch (quæ barbarica immanitate adiacentium Sclauorum vaſtatæ fuerant) reſtaurauit. Et tam ipſius, quàm alijs Epiſcopatibus per vniuerſum regnum, in poſſeſſionibus & ornatibus, innumerabilia contulit. Hildesheimenſibus verò ſanctum Gotehardum diuina edoctus reuelatione præfecit. Quid † autem Merſeburgenſi Eccleſiæ præ alijs ſpecialius contulerit: futurorum charitati volumus ex parte notificare. Hæc enim Eccleſia tempore Magni Ottonis, illius, inquam, qui ad Lycum fluuium ſub Sancto Vdalrico confeſſore Vngaros proſtrauit, & Reges eorum, Lalium videlicet & Aſſur Ratisbonæ, Principibus hoc fieri adiudicantibus, in patibulo ſuſpendit: aſſiduis incurſionibus & hoſtili vaſtatione Sclauorum ad nihilum redacta eſt. Et quia violentijs vicinarum nationum non poterat reſiſtere: in poſſeſſionibus in religione & in omnibus quæ ad Pontificalem dignitatem pertinebant penitus cœpit deficere. Accidit autem, vt eodem tempore Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus viam vniuerſæ carnis ingrederetur, & Merſeburgenſis præſul propter ſapientiam à Deo ſibi collatam, & propter multas virtutes, quibus adornatus erat, ob quas etiam Othoni Magno grauiſſimus extitit: in cathedram Magdeburgenſem, prædicto Rege id efficiente, præponeretur. Factum eſt autem, vt Merſeburgenſis Epiſcopatus penitus deſtrueretur, & quæ potiora erant illius Eccleſiæ, in prædiis, in miniſterialibus, in ornamentis, in ditionem Magdeburgenſis Eccleſiæ transferrentur, & de quibus reliquiis poſſeſſionum, quæ Merſeburg remanſerant, Abbatia inibi conſtrueretur. Quod factum vſque ad tempus pij Confeſſoris Henrici immutatum permanſit. Cùm autem conuocatis idem Rex Principibus Regni ſui Quendelburg curiam celebraſſet: vniuerſis in

id ipſum

Digitized by Google

Id ipſum conſentientibus, Poloniam & Boemiam, cæteraſque Sclauorum adiacentes regiones, quæ fines regni ſui vaſtabant, debellare diſpoſuit.

IV. Congregato itaque exercitu, contra prædictas nationes aciem direxit. Et faciens tranſitum per locum, qui Walbech dicitur, gladium[a] ſancti Adriani Martyris, qui pro reliquiis multo tempore ibi ſeruabatur, accepit. Quo accinctus, ex toto corde ſuo clamauit & dixit: Iudica[b] Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Inde progreſſus caſtra metatus eſt in campo, vbi Merſeburgenſis Eccleſia ſita eſt, & videns locum deſolatum, & in nihilum redactum, ingemuit[c] & ait. Beate Laurenti Martyr Chriſti, ſi tuo interuentu has barbaras nationes, ad quas pergo, Romano Imperio, & Chriſtianæ religioni ſubiugauero, hunc locum deſolatum tuo nomini conſecratum: diuina fauente gratia, in priſtinæ dignitatis ſtatum reformabo. Vt verò Principes Poloniæ & Boemiæ, cæterarumque Sclauicarum gentium primates Romanum Imperatorem cum exercitu ad debellandos eos aduenire cognouerunt: innumerabili multitudine collecta, in bellum ei obuiam proceſſerunt. Quod Regi pio per ſpeculatores ſuos citò innotuit, & ſicut in omnibus anguſtiis ſuis ſolebat, ad[d] orationis arma confugit. Inuocatoque ſuper ſe nomine Domini; beato[e] Laurentio, Sancto Georgio, & Beato Adriano Martyribus, ſe ſuumque exercitum protegendum cum ſumma deuotione commiſit. Et cum omnes perceptione corporis & ſanguinis Domini confortati fuiſſent, ad locum certaminis venerunt. Vbi cum Rex beatus verbis exhortatoriis ad viriliter agendum ſingulorum animos erexiſſet, videns innumerabilem aduerſariorum multitudinem: clamauit ad dominum, & ait. Deus[f] qui conteris bella ab initio: eleua brachium tuum ſuper gentes, qui cogitant ſeruis tuis mala. Diſperge illos in virtute tua: & deſtrue eos protector meus. Pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti: Hæc[g] dicens aperti ſunt oculi eius & vidit glorioſos martyres, Georgium videlicet, Laurentium, Adrianum, cum angelo percutiente, exercitum ſuum præcedentes: & hoſtium cuneos ad fugam propellentes. Et ſicut exercitus Senacherib ab Angelo percutiente contritus eſt & periit: ita & omnis barbarorum iſta multitudo per virtutem Dei conterrita,[h] proiectis armis ſine effuſione ſanguinis Chriſtianorum, fugæ præſidium quæſiuit. Quo[i] viſo Rex ſanctus, eleuatis oculis & manibus in cœlum, benedixit Deo cœli & ait. Benedico[k] te Rex cœli & terræ, qui ſuperbis reſiſtis & humilibus das gratiam: qui cuſtodis diligentes te & glorificatus es in gentibus, propter datam nobis de cœlo victoriam. Victis ergo barbaris & quæ ad futuram pacem prodeſſe poterant firmiſſima pactione ſtabilitis, vir beatus cum ſuis in ſua redierunt cum pace, glorificantes & laudantes Deum, qui ſaluat ſperantes in ſe.

V. Cumque Chriſtianiſſimus Rex Poloniam, Boemiam, Morauiam tributarias feciſſet: ob reuerentiam S. Laurentij Martyris, conculcationem & deſtructionem Merſeburgenſis Eccleſiæ, cœpit pio intuitu miſericordiæ & pietatis reſpicere, & ad nihilum redactam in ædificijs, in miniſterialibus,[l] in ſecularibus poſſeſſionibus, in Eccleſiaſticis ornamentis, in priſtinum gradum Pontificalis dignitatis, ſicut Deo & Sancto Laurentio vouerat, ſtuduit reſtaurare. Nec prius ab operibus miſericordiæ deſtitit, quo adusque eam ad antiquum ſtatum dignitatis, & priſtinum honorem religionis ex integro perduceret.

VI. Denique Epiſcopatum Babenbergenſem ex integro in ſuo[m] domate fundauit, terminis videlicet ab adiacentibus Epiſcopatibus legitimo[n] concambio commutatis. Fundatum vero Epiſcopatum Principibus Apoſtolorum[o] Petro & Paulo, & precioſiſſimo Martyri Georgio attitulatum ſpeciali iure ſanctæ Rom. Eccleſiæ cōtradidit, vt & primæ Sedi debitum dignitatis impenderet honorem, & ſuam plantationem tanto patricinio firmius communiret. *In*[p] meridiana quoq; parte ciuitatis Monaſterium in honore S. Stephani Protomartyris ſub ordine Canonico cōſtruens: ex altera verò, hoc eſt, aquilonari, aliud Monaſteriū ſub monachali regula in honore[q] S. Michaëlis † Archangeli, ſanctique Benedicti Abbatis conſtruens, ſibi, ſuæque ciuitati ſupra Petram Apoſtolicæ firmitatis fundatæ, muroque & propugnaculis[r] meritorum S. Georgij cæterorumque ſanctorum munitæ ac exornatæ contra incentiuos viciorum iactatus, turrim fortitudinis in Stephano, & contra refrigerantes flatus illius, qui in aquilone, vnde malum omne panditur, ſedem ponere diſpoſuit, refugium certum in Angelico præparauit præſidio: vt à dextris & à ſiniſtris iuſtitiæ armis vallatæ in nullo ſufficiat inſidiator præualere.

VII. His tribus Eccleſiis poſtea per Guntherum eiuſdem Babenbergenſis Sedis quartum Præſulem, & per Reginoldum quendam, virum nobilem, addita eſt quarta Eccleſia[s] in honore ſanctæ Mariæ matris Domini: & ſancti Gangolfi Martyris extra vrbem verſus Orientem in loco[t] Teuuerſtat ſub ordine & poſſeſſione Canonica. Denique ſextus eiuſdem ſedis Epiſcopus[u] Herimannus[x] cōtra vrbem verſus Occidentem in honore* S. Iacobi Apoſtoli & filij Zebedæi Eccleſiam ſub ordine Canonico initiauit. Hanc Otto, humilis amator pauperum Chriſti, Octauus eiuſdē ſedis Epiſcopus, cooperante Eberhardo Præpoſito, conſummauit & dedicauit, ac[y] ſtupem ordinemque illic Deo ſeruientium decenter diſpoſuit. Sic locus Babenbergenſis Eccleſiis & patrocinijs ſanctorum in modum Crucis vndique munitus, Chriſto Ieſu crucifixo quotidianum, & ſedulum celebrat officium & ſeruitium pro primo ſuo fundatore Heinrico Secundo, Imperatore piiſſimo, eiuſque cooperatoribus & ſucceſſoribus vel augmentatoribus omnibus: Et vt inibi militantibus Domino maior tranquillitas & ſecuritas, & reuerentia ad ſupplicandum Deo perſeueret, prædictæ[z] quinq; Eccleſiæ ſic ſunt locatæ, vt ferè ab omni ſtrepitu, & tumultu forenſi, ac populari ſint decentiſſimè ſegregatæ.

XIIX. Vt autem cunctis liquidius eniteſcat, qua vigilantia vir beatiſſimus nouellæ ſuæ Eccleſiæ bona pacis & tranquillitatis etiam per ſuccedentia tempora prouiderit, aliquas hîc tam Epiſcoporum, quàm Regum inſerimus confirmationis Epiſtolas: vt, quia duo ſunt, quibus hic mundus principaliter regitur, Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas, ex vtroq; horum ſuffulta à dextris & ſiniſtris, ab omnium moleſtia infeſtationum ſecurè monſtretur in perpetuum defenſa. Dicente[a] enim Domino Saluatore; duos Eccleſiæ gladios ſufficere, quorum vnus ad defenſionem animæ ac ſpiritus penetrat; alter inflexibilia & dura corda rigore ſuo domat & premit: quidquid eorundem gladiorum iure hinc inde munitur; conſtat profectò, quod nullius mali incurſione ab ſtatus ſui rectitudine labefactetur. Prius tamen hic chartam Ottonis[b] tertij Imperatoris præſcribimus, vt ſcire volentibus, qualiter ipſe Locus Babenbergenſis in ditionem ſancti Regis obuenerit, ex eadem conſcriptionis pagina colligatur.

IX. In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis: Otto diuina prouidentia Imperator Auguſtus. Nouerint omnes noſtri fideles, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos ob interuentum dilectiſſimæ genitricis noſtræ Adelheidæ caro nepoti noſtro Bauariorū Duci[c] Heinrico q̃dam iuris noſtri prædium, ciuitatem videl. Babenberc nominatam, cū omnibus ad hanc reſpicientibus, &[d] Nemkin Vraha in comitatu Bertholdi Comitis Volckfelt, nuncupato, ſita, noſtra Imperiali potentia in perpetuæ vſum proprietatis conceſſimus, firmiterque donauimus cum vtriuſque ſexus mancipiis, ædificiis, Eccleſiis, terris cultis & incultis, & cum omnibus iure legaliterque ad hæc iam dicta prædia pertinentibus, eo tenore, vt libero ipſe deinceps perfruatur arbitrio, hæc tenendi, commutandi, dandi, poſteris relinquendi, ſeu quicquid ſibi libuerit, inde faciendi. Et vt præceptum ſtabilius firmiuſq; permaneat, hanc chartam inſcribi iuſſimus, annuloque ſigillatam propria manu noſtra roborauimus. Data V. Kalend. Iulij indict. 1.[e] Anno Regni Domini Ottonis XIV. Imperij autem VII.

ANNO

Marginal notes:

a Imp. cingit ſe gladio Sancti Adriani.
b *Pſalm 34.*
c Voto obſtringit ſe reparandi Eccleſiam Merſeburgenſem.
d S. Henricus confugit ad preces.
e Diuis exercitum cōmendat.
f *Pſal 78.*
g Videt Imperator Martyres exercitum antecedentes
h Victoria inſignis.
i Gratiarū actio pro victoria.
k *1 Petri 5.*
l Inſtauratio Eccleſiæ Merſeburgenſis.
m Domo pro dote & poſſeſſione
n Permutatione, Lege de his Ditmarum lib. 6. & Baron. 1006
o Patroni Eccleſiæ Bambergenſis.
p Monaſterium S. Stephani
q Canonicorum Monaſterium S. Michaelis
† Hodie Munchsberg
r Qua de cauſa Imp. hos patronos delegerit
s Eccleſia S. Mariæ
t *Tunerſtat*
u *Hermannus*
Luc. 22.
x *Extra*
* Eccleſia S. Iacobi Zebedæi F
y *ſtupen.*
z Situs Eccleſiarum Bambergenſium.
a Duo Eccleſiæ gladij
b Nimirū eo Ottonē Magnum proxime, primum vero eum, qui Galba ſucceſſit.
c Henricus II. Bauariæ Dux, pater S. Henrici.
d *Neudelm.*
e *fort 8.*

X. Anno igitur ab incarnatione Domini M.VII. indict. VIII. Kalend. Nouembris magna ſynodus Epiſcoporum, aliorumque Patrum habita eſt & celebrata in Villa regia Franchenfurt mediante Rege magno & pacifico Heinrico Anno regni ſui † VII. Nam dum idem Deo deuotus rex alta mentis conſideratione ſecum volueret, in quo potiſſimum opere Dei miſericordiam ſibi facilius conciliaret, & ex diuini inſtinctu conſilij inſpiratus diſpoſuit, vt Deum ſibi hæredem eligeret, & conſcriberet, & Epiſcopatum Babenbergenſem, vt præſcriptum eſt, ex rebus hæreditariis conſtrueret, vt & paganiſmus Sclauorum ibi deſtrueretur, & Chriſtiani nominis memoria perpetualiter inibi celebris haberetur. Sed cum parochiam ad eandem ſedem reſpicientem non haberet, & ſanctam Pentecoſten in eodem anno Regni ſui Moguntiæ celebraret, partem Wirzeburgenſis diœceſeos, Comitatum videlicet [a] Raterzgewe dictum, & pagi [b] Wolcvelt dicti, inter fluuios Vraba & Ratenza ſita, ab Heinrico Wirzeburgenſi Epiſcopo firma, ac legali traditione acquiſiuit, tradens è contra Wirzeburgenſi Eccleſiæ [c] C.L. manſos in vico [d] Memmigun dicto, & in proximè adiacentibus locis, conſentientibus, & concurrentibus in hæc vota illius Heinrico Wirzeburgenſi, & Willigiſo Moguntiæ Metropolis Archiepiſcopo, multiſque, qui præſentes fuerunt, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, legitimum hoc concambium atteſtatione ſua, & ſubſcriptione roborantibus. Glorioſiſſimus [e] verò Rex compos voti effectus, pari ſupradictorum Patrum conſultu, duos ex Capellanis ſuis Albericum & Ludouuicum adiunctis Wirzeburgenſis Epiſcopi literis, Romam vſque direxit, quatenus hæc bene cœpta in melius proficerent auctoritate [f] Apoſtolica. At Romanus Pontifex, & vniuerſalis Papa, Ioannes piiſſimi Regis deuotioni congaudens, habita in ſancti Petri Baſilica ſynodo pro confirmando Epiſcopatu Babebergenſi, priuilegium fecit conſcribi, & Apoſtolica auctoritate firmari, vniuerſis Galliæ & Germaniæ Epiſcopis reſcribens, vt & ipſi pari, communique auctoritate prædictum Epiſcopatum roborarent; cuius videlicet priuilegij exemplar in hunc modum ſe habet.

XI. Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Officij noſtri eſt omnium ſanctarum Dei Eccleſiarum commoda generaliter conſiderare, & maxime earum, quæ ſpecialiter ſub iure ac dominio noſtræ Romanæ Eccleſiæ conſiſtunt: ſi quod eſt incommodum, abolere, ne pro graui incommoditate ſua neglectæ vileſcant; vel qualibet nacta occaſione, debita ſolennitate careant. Propterea omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, præſentibus ſcilicet & futuris, notum eſſe volumus: quia dilectus & ſpiritualis noſter filius Henricus glorioſiſſimus, atque inuictiſſimus Rex, diuina inſpirante clementia, de propriis hæreditariis rebus, pro ſua ſuorumque parentum anima, Epiſcopatum in loco, qui dicitur Babenberc, perfectæ fidei, & charitatis deuotione, in honorem beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis eſſe conſtituit, commutatione facta iure, ac legaliter cum Heinrico Wirzenburgenſi Epiſcopo de aliqua parte parochię ſui Epiſcopatus. [g] Vnde etiam prædictus Epiſcopus nobis ſuas literas miſit, vt ſuo conſenſu, priuilegio noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis Epiſcopatus nouiter factus fundaretur. Pro qua ratione Heinricus Secundus glorioſiſſimus Rex nuncios ſuos ad nos direxit, qui nobis hæc omnia dicerent, & nos pro hac ſede confirmanda interpellarent. Cuius ſanctiſſimam imitationem paterna, & præcordiali dilectione intuentes, omnes res, quas beato Petro Apoſtolorum Principi, in loco prænominato, legitima ratione collectas contulit, noſtræ auctoritatis priuilegio confirmare decernimus, ea videl. ratione, vt Epiſcopus eius loci, & qui in perpetuum tui fuerint ſucceſſores, ea, ſecura tranquillitate poſſideant, & liberam habeant poteſtatem res & proprietates eiuſdem Eccleſiæ ordinare, atq; componere, vel etiam augmentare: diſſipare verò, atq; confundere, nullam habeant poteſtatem. Noſtra quoq; auctoritate ſancimus, vt in terminis, & in rebus eiuſdem Eccleſię nulla ſit infeſtatio tyrannorum, vel aliorum quorumlibet prauorum hominum, ſiue ſint in ciuitate ipſa Babenberc, ſiue in caſtellis, & villis, ſeruis & ancillis, tributariis decimis [h] foreſtibus, ſiluis, piſcationibus, venationibus, molendinis, campis, pratis, paſcuis, terris cultis & incultis, & quidquid modò illuc pertinet, vel in futurum acquiri poſſit, per noſtræ auctoritatis priuilegium corroboratum, in ſecura quiete permaneat. Nullus ibi Comes aut Iudex legem facere præſumat, niſi quam per conceſſionem glorioſiſſimi Regis Heinrici vel ſucceſſorum eius Epiſcopus loci eiuſdem deligeret. Nulla aliena poteſtas ibi per violentiam irruat. Sit ille Epiſcopatus liber, & ab omni poteſtate extranea ſecurus, Romano tantummodo [i] mundiburdio ſubditus: quatenus Epiſcopus eò melius cum Canonicis ſuis ſeruitio Dei poſſit inſiſtere, & primi conſtructoris eiuſdem loci, & recuperatoris iugiter memoriam habere. Sit tamen idem ſuo metropolitano * ſubiectus, atq. obediens. Quicunq; hæc præcepta ſeruauerit, diuinam remunerationem, & Apoſtolicam benedictionem accipiat. Qui autem contemptor, & violator exſtiterit, perpetui anathematis damnationi ſubiaceat, niſi reſipiſcens ad ſatisfactionem perueniat. Scriptum per manus Petri notarij, & Scriniarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Iunio [k] Indict. V.

XII. Habito [l] igitur rurſum generali Concilio in Franchenfurt, cui præſedit venerabilis Archiepiſcopus Willigiſus Moguntinus, vniuerſi Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui inter fuerunt, numero [m] XXXVI. debita cum veneratione priuilegium hoc ſedis Apoſtolicæ ſuſcipientes, vnanimiter deuotis mentibus laudauerunt, & [n] ſcribendum roborauerunt. De ſupradictis verò parochiæ terminis ab Eccleſia Wirzeburgenſi commutatis: ne qua fieret in poſterum querela, vel dubitatio, ſubiectam conſcribi paginam fecerunt: cui ſubſcripſit primo quidem ipſe Heinricus Wirzeburgenſis Epiſcopus, deinde eiuſdem Eccleſiæ Præpoſiti, ſiue Presbyteri numero nouem.

XIII. Omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium tam præſentium, quam futurorum notitiam non latere deſideramus, qualiter glorioſiſſimus Rex Heinricus, diuinæ, vt credimus, admonitionis ſtimulo compunctus, de prædiis, quæ Dei gratia, hæreditarioque iure parentum, in ſuæ poſſeſſionis dominium peruenerant, Dei ſeruitium augere, Epiſcopatum conſtituendo, deſiderans; quo id legitime, rationabiliterque fieri potuiſſet, Heinricum venerabilem Wirzeburgenſis Eccleſiæ prouiſorem, quatenus quendam locum Babeberch nuncupatum cum pago [o] Raezengeuum dictum, qui ad ſuæ diœceſeos ſtatum pertinere videbatur, de ſuo iure [p] in ſuum ius ad id perficiendum transfunderet, ſtudioſe cœpit flagitare. Qui, quoniam iuſtæ, & rationabiles cauſæ videbantur, eiuſdem auguſtiſſimi, & inuictiſſimi Regis petitionibus acquieſcens, cum communi cleri ſui atque militum, nec non totius populi conſilio & conſenſu, præfatum locum cum prædicto pago, tribus parochianis Eccleſiis exceptis, cum ſuis adiacentiis, quarum hæc ſunt nomina, Wachenrode, Loneſtat, Mülehuſen, omni poſtmodum remota contradictione, ſuæ poteſtati tradidit. Alterius autem pagi, qui Volcfeld vocatur, in quo præfatus locus ſitus eſt, partem eidem Regi conceſſit, quantum eſt de Babenberch ad flumen Vraha; de Vraha in Ratenzam flumen, & ſic iuxta decurſum eiuſdem fluminis in [q] Moin, & inde ad riuulum Wichibach; deinde ad caput eiuſdem riuuli, ſicque quâ citiſſimè, & proximè perueniri poteſt ad Vraha. Actum in ciuitate Wirzeburgenſi, præſente ſereniſſimo Imperatore Heinrico, ea conditione, vt decimam in noualibus iam inciſis, & ad [r] manſum menſuratis cum veteri decima non [ſ] commutata, Wirzeburgenſis Eccleſia retineat. In noualibus verò poſt hinc excolendis decimam Babenbergenſis Eccleſia poſſideat cum termino [t] commutato.

XIV. Sed & Ioannes Aquileienſis Patriarcha opus tam laudabile Regis excellentiſſimi, & piam erga Chriſtum deuotionem toto affectu amplectens Heinrico Epiſcopo Wirzeburgenſi gratulationis plenam ſcripſit Epiſtolam.

Beatissimo [u] Domino & ſyncera charitate diligendo Heinrico ſanctę Wirzeburgenſis Eccleſię Epiſcopo venerabi-

Marginal notes:
† VI.
a Ratenzgeuui
b Volcfelds
c CXL
d Memmungen al. Meinungen
e Imp. mittit legatos ad Ioann. XIX. Pontif. Rom. vt rata habeat, quæ de nouo Epiſcopat. Babenbergenſi decreta fuerant.
f Romana.
g Inde.
h Forſt.
i Mundeburde eſt tutela, tuitio, defenſio, dicitur & Mundiburgium.
* Archiepiſcopo Moguntino.
k Eſt hic Annus Domini 1007 Ioan. Papæ Quintus
l Alia Synodus Franc. in qua cõprobatur & recipitur Bulla Pontificis
m XXXVII.
n Subſcribendo.
o qui Ratenzgauu dicitur.
p ad ſuum
q Mœnus
r Manſus ſeu manſum, fundus prædiũ
ſ commutua
t commutato.
u Litteræ Patriarchæ Aquileienſis: de quo infra itidem mentio, vbi de Bambergenſis Eccleſiæ dedicatione agitur.

nerabili, Ioannes Aquileienſis Eccleſiæ Patriarcha cum omnibus ſuæ diœceſeos Epiſcopis, fraternam dilectionem in eo, qui prior dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, Ieſu Chriſto Domino noſtro.

Licet, reuerende frater, fraternæ dilectionis cura nos admoneat, vt in omnibus operibus bonis quæ conditor humani generis miſericorditer ad ſalutem quotidie diſponit, immenſas gratiarum actiones ipſi agere debeamus. quandocunque tamen vel vbicunque ex prouectu ſanctæ Eccleſiæ, vel eius exaltatione, locatione, nos aliquid magnifici operis audire contigerit, immenſæ deuotionis affectu, & ſpiritualis exultationis effectu illum laudare, benedicere & prædicare debemus, cuius hæc dona ſunt, & à quo bona cuncta ineffabiliter procedunt. Qui inter innumerabilia ſempiternæ dignationis ſacramenta ea & in ſuorum cordibus Principum dictat, quæ ad multorum exemplum, & ſalutem profutura procurat. In quibus vnum eſt, quod nuper diuinitus factum, maximam mentibus noſtris lætitiam generauit. Audiuimus, quod Dominus noſter Heinricus glorioſiſſimus & inuictiſſimus Rex, diuina ſibi inſpirante gratia, ex ſuis prædiis, & paterna hæreditate, in loco, qui dicitur Babenberc Epiſcopatum in honore beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis conſtituerit, & commutatione facta, dignè & legaliter cum Eccleſia veſtra, partem quandam ex eius diœceſi acquiſiuit: atque hoc concambium Apoſtolicæ ſedis priuilegio corroborauit. Quod quidem eximium, & laudabile opus, & eius digniſſimam liberalitatem, & veſtram charitatem ſatis egregiè prædicabilem commendat; cùm & ſuum eſt, per operationem; & veſtrum ſit per dilectionem. In quo omnipotenti Deo immenſas gratias referimus, ad cuius inæſtimabilem gloriam ſpectat, quod per Regem noſtrum Heinricum, bonum & fidelem miniſtrum ſuum, fundatiſſimam pacem omnibus Eccleſijs præſtat, & inſuper nouam format Eccleſiam, per quam & de inimico humani generis in vicinas Sclauorum gentes, Deo opitulante, triumphabit, & innumerabilem familiam per lauacrum regenerationis ſibi multiplicabit. Nos autem cum omnibus noſtræ diœceſeos Epiſcopis hoc diuinum opus in commune laudamus, atque in eo iuſtè conſentientes, & ſubter conſcribentes, in perpetuum valere confirmamus.

XV. Heinricvs diuina præordinante clementia Rex omnibus Eccleſiæ filijs tam futuris, quàm præſentibus. Saluberrimis ſacrieloquij inſtitutionibus erudimur, & præmonemur, vt temporalia relinquentes bona, & terrena poſtponentes commoda, æterna & ſine fine manſura in cœlis ſtudeamus adipiſci conſiſtoria. Gloria enim præſens fugitiua eſt, & vana, dum poſſidetur, niſi in ea aliquid de cœleſti æternitate cogitetur. Sed Dei miſeratio humano generi prouidit remedium; quando partem cœleſtis patriæ, terrenæ ſubſtantiæ fecit eſſe precium: Huius ergo nos clementiæ non immemores, nec ignorantes nos gratuito diuinæ miſerationis reſpectu, regali dignitate ſublimatos, congruum eſſe ducimus, non ſolùm Eccleſias ab anteceſſoribus noſtris constructas ampliare, ſed ad maiorem gloriam Dei, nouas ædificare, eaſque deuotionis noſtræ donis gratiſſimis exaltare. Quapropter dominicis non ſurdum auditũ præbentes præceptis, & deificis obtemperando intendentes ſuaſionibus, theſauros diuinæ largitatis munificentia nobis collatos, in cœlo deſideramus reponere, vbi neq; fures effodiunt, nec furantur, neque ærugo, vel tinea demolitur, vbi & dum omnia nunc congeſta recolimus, cor noſtrum deſiderio & amore ſæpius verſetur. Proinde patere volumus omnium fidelium vniuerſitati, quod quendam paternæ hæreditatis noſtræ locum Babenberc dictum, in ſedem & culmen Epiſcopatus proueximus, & Romanæ ſedis auctoritate firmatum, atq; venerabilis Heinrici Wirzburgenſis Epiſcopi conſenſu, & dilectæ coniugis noſtræ Chunegundæ voluntate, ac pari communique omnium noſtri fidelium tam Archiepiſcoporum, quàm Epiſcoporum, Abbatum, nec non & Ducum, & Comitum conſulto, decretoque, ac totius regni noſtri, Principumq; concordi deuotione laudatum, ad honorem omnipotentis Dei, & beatæ Mariæ ſemper Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, nec non ſanctorum Kiliani, & Georgij fundauimus, ſtabiliuimus, & corroborauimus, vt inibi noſtrum, parentumque noſtrorum, & Ottonis tertij Imperatoris, videlicet anteceſſoris noſtri, celebre habeatur memoriale, & iugis pro omnibus orthodoxis mactetur hoſtia ſalutaris. Oblatis igitur Deo in eadem dilecta nobis Eccleſia ad honorem & decorem domus Dei, ex metallis lapidibuſq; precioſis in varios vſus ſanctuarij, vaſis ſeu veſtibus, alijſq; ornamentis Eccleſiaſticis, cõtulimus præterea ad ſupra dictam Sedem Epiſcopalem prædia, Eccleſias vicos, villas cum omnibus ſuis pertinentijs ſiue adhærentijs, videl. vtriuſq; ſexus mancipijs, areis, ædificijs, terris cultis, vijs & inuijs, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, ſiluis, * ſagenis, venationibus, pratis, paſcuis, cãpis, foreſtis, † foreſtarijs, cellarijs, cenſibus, aquis, aquarúmue decurſibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, & ceteris omnibus, q̃ ritè ſcribi aut appellari poſſunt, quomodolibet vtilitatibus, præſenti noſtræ authoritatis edicto ſtatuentes, vt in Deo nobis dilectus ſæpe dictæ ſedis Epiſcopus Eberhardus, ſuiq; ſucceſſores liberam de hinc habeant poteſtatẽ, eadem præſcripta bona cũ omnibus appendicijs ſuis retinendi, poſſidendi, ſeu in quoslibet vſus Epiſcopatus conuertendi; fratribus autem Canonicis Deo ibidem famulantibus ad quotidiana temporalis vitæ ſubſidia, poſſeſſiones, quas tradidimus noſtra imperiali auctoritate proprietatiue poſſidenda confirmamus, ea videlicet ratione: vt præfati Canonici, & eorum per ſucceſſionem Præpoſiti, liberam de hinc cum ipſorum Canonicorum conſenſu, & conſilio poteſtatem habeant in meliores vſus commutandi, augmentandi, & ad vtilitatem ſuam quoquomodo redigendi; quatenus & ipſi, noſtri benignè memores apud Deum, ac dilectiſſimæ coniugis noſtræ, atque conſortis regni Chunegundæ, parentumque noſtrorum verſa vice beneficijs noſtris pia atque aſſidua interceſſione reſpondeant. Si quis autem, quod abſit, huius noſtræ munificentiam donationis, atque inſtitutum Apoſtolicæ ſedis, & tot venerabilium Patrum auctoritate firmatum deſtruere, ſeu violare tentauerit, in die iudicij coram oculis Dei tormentis inexſtinguibili æternaliter luat. Quod ne eueniat: ſed hæc traditio atque decretum ab omnibus perpetualiter inuiolabilis permaneat, hanc chartam inde conſcriptam manu propria roborantes, ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus.

Literæ S. Henrici de erecto a ſe Epiſcopatu Bambergenſi.

Matth. 5.

Pactum Regis probatur ab vniuerſis principibus Regni

Patroni Bãbergenſes

Dona & bona Eccleſiæ Bamb. a Rege oblata

* ſagenis al. ſagrinis

† Præſtariis.

Eberhardus primus Epiſcopus Bamberg.

XVI. Nec verò ſolummodo in vita, ſuperſtite adhuc Rege glorioſiſſimo, ſed magis etiam poſt tranſitum eius de morte ad vitam, felix ipſius plantatio, Babenbergenſis videlicet Eccleſia, diuinæ gratiæ imbribus irrigata de die in diem accipit incrementum, ſæpe numero à ſancta, ſpecialiq; matre ſua Romana Eccleſia vberibus piæ conſolationis potata, ac ſatiata, regum quoque ſuccedentium auctoritate, vel priuilegijs nobiliter, ac firmiter in perpetuum ſublimata. Denique * Suuidegerus ſanctus Babenbergenſis Epiſcopus quem Heinricus Rex Tertius, tribus inuaſoribus Apoſtolicæ Sedis dignè & iuſtè exploſis, Catholicum & legitimum Papam conſtituens, † Clementem II. appellauit, ipſeque & vxor eius Agnes in die ſancto Dominici Natalis Imperialem benedictionem ab illo accepit; quanto amore primæ Cathedræ ſuæ locum dilexerit, miſſis eidem à Sede Apoſtolica huiuſmodi priuilegijs, ſatis oſtendit.

* Suidgerus, ſecundus Epiſc. Bamberg. vt ſcribit Hermannus. † Factum eſt hoc anno Domini 1046. lege Baron hoc anno & ſequenti.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ſacratiſſimæ noſtræ Babenbergenſi Eccleſiæ in filijs & filiabus eius, clero videlicet ac populo perpetuam in Domino ſalutem.

Literæ Clementis II. Papæ, antea Epiſcopi Bambergenſis. Alloquitur ipſam Bamberg. Eccleſiam.

Dispensatio ſeculorum venit de Principe cœlorum, qui antequam ſecula efficerentur, præſciuit, qualiter diſponerentur: inde fit, vt non poſſit non impleri, quod ab æterno illius oculo potuit præuideri. Tanti numinis nutus, te, ſuam chariſſimam filiam, Babenberc, nobis in ſponſam legitimam deſponſauit, & arte regere, quantum in nobis fuit, ſua propitiatione donauit. Certe nulli marito circa vxorem fides purior, & amor ardentior, quàm circa te

nobis: Nec vnquam vel in mentem venit te deſtituere, & alij adhærere. Sed neſcio quo diuino conſilio actum eſt, vt matri tuæ omniumque Eccleſiarum conſociaret, & aliquantum; tamen non omninò à te ſepararet. Ecce enim, cùm illud caput mundi, illa Romana [a] Sedes hæretico morbo laboratet, & charißimi filij noſtri Domini Heinrici Imperatoris Auguſti præſentia ad hoc inuigilaret, ad hoc inſtaret, vt huiuſmodi ægritudinem propulſaret, [b] exploſis tribus illis, quibus idem nomen Papatus rapina dederat, inter tot agmina ſanctorum, qui aderant, Patrum, dignatio cœleſtis gratiæ noſtram indignißimam mediocritatem cunctis niſibus refragantem, voluit eligi, & altißimi Apoſtolorum Principis vice fungi. Auulſum me tunc à ſuo gratißimo latere, ſponſa dulcißima, quis dolor apprehenderit, quis mœror confecerit, [c] quo pacto exprimam, neſcio, cùm nobis omnem modum videretur tranſgredi. Plus honoris eſt, plus decoris, plus inquam virium matri quàm filiæ, vtpote cui omne genu terreſtrium flectitur: pro cuius arbitrio ianua cœli aperitur & clauditur; aduerſus quam nec portæ præualent inferorum. Non tamen tantæ dominationis cupido oſtio noſtræ mentis irrepſit, cordiſque ceruicem libenter inflexit. Satis nobis erat tecum: actiuam benè; contemplatiuam quoquo modo ducebamus vitam: præſertim cùm perfectus amor nec ſpeciem alterius vnquam, nec intueretur opulentiam. Teſtem inuocamus aciem diuinam non commentari nos apologiam. Illa enim ſecreta cordis rimatur, cui nulla nox obtenebratur. Pro teſte quoque vtimur ipſa conſcientia, vbi ſua eſt ſolicitudo continua. Interiorem pupillam nec terrarum ſpacioſitas, nec tot retundunt oppoſita; quin amicam meam, ſororem meam, ſponſam meam, columbam meam diligentiori cura circumſpiciam & vndique munitam faciam. Conceſſum nobis eſt diuinitus, non ex noſtris meritis, vt iam diximus, ius illud Apoſtolicum, quo & cœlis imperatur & terris. Vnde dignum duximus, & accommodum decreuimus, vt de profectu noſtro tu quoque proficias, & inde tibi amplius conſulas, vnde nobis illa poteſtas ampliatur. Pijßimæ recordationis Dominus Heinricus Imperator Auguſtus te fundauit, te erexit, te etiam in altum culmen euexit. Quo ſupplice, inexpugnabili muro & propugnaculis Apoſtolici muniminis aduerſus omnes impias manus prænalentes benè circumuallata es, per prædeceſſores noſtros, Ioannem ſcilicet * XIV. Papam, & Benedictum. Quod etiam idem nos facere cupientes, vt triplici tuitione circumcincta, per virtutem S. Trinitatis nihil vnquam patiaris læſionis, nihil vnquam ab aliquo moleſtationis, ſecura ſemper & quieta manens in filijs & filiabus tuis, ſemper Deo deuotè ſeruiens, deuotè obediens: ſecura ſemper & quieta manens; ſtatuimus per hoc noſtri magiſterij priuilegium, vt de bonis illis omnibus, quæ tibi, ſponſa chariſſima, virgo caſtiſſima, Eccleſia ſpecioſiſſima Babenberg, ſumma liberalitas eiuſdem orthodoxi Imperatoris, de ſumma deuotione procedens, pio affectu contulit, & nomine tenus illa per concambium conuenientiſſimum, & acceptiſſimum à Wirzeburgenſi, & Eiſtetenſi Epiſcopis Canonico & rationabili iudicio permutauit: vel quorumcunque poſt eum fidelium religioſa pietas obtulit, & oblatura eſt, vſque in perpetuum, ſiue ſint mobilia, ſiue immobilia, nullus Imperator, nullus Rex, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes: præterea non Archiepiſcopus, non Epiſcopus, non Abbas, nec vlla hominum perſona, audeat, tentet, præſumat, quidquam vel violentia, vel fraude, vel furto detrahere, minuere, mutilare. Quod, ſi quis diabolico inſtinctu pulſatus, crudeli temeritate admittere non perhorruerit, & admiſſum citius emendare neglexerit, huiuſmodi hominem, quicunque ſit, de communione ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & à participio totius Chriſtianitatis non ſolùm excludimus, ſed etiam propulſamus: quin etiam Apoſtolici anathematis acutiſſima lancea eum tranſuerberamus, vt, pro malefactis malè perditus, mortem gemat æternam, aſſociatus in Gehenna inferioris inferni dæmonum principi, mortis inuentori, & etiam Iudæ ſacrilego & proditori, vndiq; circumcinctus draconibus Tartareis, in vltionem ſæuientibus; nec in vltimo tremendi diei iudicio ad vitam reſurgat: ſed crudeliſſimum corpus reſumens duplici contritione conteratur, infeliciſſimo & miſerrimo genere viuendi, mortem quærens, & non inueniens. Qui verò pio intuitu proprias manus ab huiuſmodi temeritate ſubtraxerit, & ſi ita res exegerit, aduerſum omnes inſurgentes, & quidquam auferre conantes, ea bona defenderit, ad tuum, tuorumque opus, ſanctiſſima Babenberch; illa ſcilicet, vt prædictum eſt, quæ tibi collata ſunt, vel de cætero in æternum tibi conferenda ſunt, talis ab illo benedicatur, qui ſuper Cherubim ſedet, & glorietur, pro eo, quod hoc noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis priuilegium ſtuduit obſeruare illæſum, ſuoq; robore ſolidatum: quod nimirum conſilio, & voluntate, nec non alacri promptoque animo chariſſimi filij noſtri iam ſuperius memorati † Domini Heinrici Imperatoris Auguſti, de noſtra Apoſtolica ſede tibi tranſmiſſum eidem gratulare. Etenim vt te plantauit conditor tuus ille primus Heinricus Cæſar Auguſtus, ſic eſt hic ſecundus veſtigia eius ſecutus, & vt pari nomine, pariq; dignitate, ſic pari deuotione te rigauit, tibi incrementum dedit, & adhuc dum vſque vixerit, Deo miſerante, & inſpirante, dabit. In quo te, dulciſſima ſponſa, optamus in ſæcula ſæculorum creſcere, pollere, vigere, dicentes Bene valete.

a Dicit hoc propter Simoniacos, qui ſedem illam inuadebant, & violenter occupabāt.
b Benedicto IX Syluestro III. & Gregorio VI. Hoc quomodo intelligendum ſit, diſces ex Baron An. 1046. vbi et iam Gregorium excuſat, & virum ſanctū fuiſſe monſtrat Lege eundē An. 1044.
c quo neſcio pacto liceat exprimi.
* Eſt Ioan. XIX Et Benedictus VIII.
† Loquitur de Henrico II. Imp & Rege III. huius nominis.

Post huius, piæ memoriæ Clementis felicem exceſſum, cum Damaſus Papa, qui & Poppo, Brixienſis prius XVII.
Epiſcopus, ſediſſet triginta tantùm dies, Leo IX. qui & Bruno, à ſuprà dicto Heinrico tertio Imperatore electus, & centeſimus, quinquageſimus ſecundus Papa conſtitutus, in ſignum benignitatis, quam erga Babenbergenſem locum habuit, * Hartuuico III. Epiſcopo Pallium direxit ab Apoſtolica Sede, ſcribens ei Epiſtolam in hæc verba:

Leo [d] Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Hartuuico Babenbergenſis Eccleſiæ venerabili Epiſcopo perpetuam in Domino Ieſu Chriſto ſalutem. Si paſtores ouium ſolem, geluq; pro gregis ſui cuſtodia die ac nocte ferre cōtenti ſunt, & vt ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morſibus rapiatur, oculis ſemper vigilantibus circumſpectāt; quanto ſudore, quantaq; debemus peruiliges eſſe diligentia, nos, qui paſtores animarum dicimur? Attendamus, & ſuſceptum officium exhibere erga cuſtodiam dominicarum ouium non ceſſemus, ne in die diuini examinis pro deſidia noſtra, ante ſummum paſtorē negligentiæ reatus nos excruciet, vnde modo honoris reuerentia ſublimiores inter ceteros iudicamur. Ad † miſſarū itaq; ſolennia celebranda fraternitati tuę pallium tranſmittimus, quod anteceſſoribus tuis nunquàm antè conceſſum, modò tibi primo concedimus, rogatu dilectiſſimi filij noſtri Imperatoris Heinrici, & pro veneratione anteceſſoris tui, piæ memoriæ Domini Papæ Clementis, & pro memoria Heinrici Imperatoris primi, præfatæ Eccleſiæ conſtructoris benigniſſimi. Quo tibi * ter in anno vti permittimus, ſalua auctoritate Domnæ Metropolitanæ Moguntinæ Eccleſiæ, ſcil. in die S. Reſurrectionis, & in Natalitiis Apoſtolorum Petri & Pauli, & in ſolennitate S. Dionyſij, eò quod tunc anniuerſarius dies celebratur Domni Papæ Clementis ſupra memorati, hancq; diem ſanctam Apoſtolica auctoritate ſtatuimus celebrem eſſe per totum Epiſcopatum. Cuius [e] quoniam indumenti honor modeſtia actuum in veritate ſeruandus eſt, hortamur, vt ei morum tuorum ornamenta conueniant: quatenus auctore Deo, rectè vtrobique poſſis eſſe conſpicuus. Itaque [f] vita tua filijs tuis ſit regula. In ipſa, ſi qua tortitudo illis iniecta eſt dirigatur: in eo, quod imitentur aſpiciant; in ipſa conſideranda ſemper proficiant: vt tuum, poſt Deum, videatur eſſe, quod benè vixerint. Cor ergo tuum neque proſpera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant: neque aduerſa deijciant, ſed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiſcretus inueniat. Miſericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibeto. Oppreſſis defenſio tua ſubueniat, opprimentibus moderata erectio contradicat. Nullius faciem contra iuſtitiam accipias, nullum quærentem iuſta deſpicias. Cuſtodia in te æquitatis excellat, vt nec diuitem potentia ſua te aliquid apud extra viam ſuadeat rationis audire; neque pauperem de ſe ſua faciat humilitas deſperare, quatenus, Deo miſerante,

Mortuus eſt Clemēs II Papa Anno 1047 VII Idus Octob mēſe nono à Pontificatu inito.
* Vide Bar. 1048.
d Breue Leonis IX. ad Epiſcop Bamberg.
† Pallium tranſmittitur Epiſcopo Bāb à Leone IX. Hartuuicus Epiſ Bamb. primus pallio donatur.
* Quoties Epiſcopus Bamb. Pallio quotannis vti poſſit.

e Cuius quomodo ind. h. modeſtia act. veritate ſeru. f Quid pallium ab Epiſcopo poſtulet.

rante, poſſis talis exiſtere, qualem ſacra lectio præcipit dicens: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe: Sed his 1. Tim 3.
omnibus ſalubriter vti poteris, ſi magiſtram charitatem habueris. Quam qui ſecutus fuerit, à recto aliquando trami-
te non recedit. Ecce, frater chariſſime, inter multa alia iſta ſacerdotij, iſta ſunt pallij. Quæ, ſi ſtudioſe ſeruaueris, quod
deforis accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem veſtram gratia ſuæ protectionis circundet,
atque ita in itineris ſui via nos dirigat, vt poſt huius vitæ amaritudinem ad æternam dulcedinem peruenire merea-
mur. Data III. Nonas Ianuarij, Anno Domini Leonis Papæ IX. Indictione ſexta.

XVIII. IDEM quoque Præſul Apoſtolicus, inuitante Heinrico Imperatore: Theutonicas partes adiens Ratiſponam venit, ſanctumque Wolfgangum eiuſdem Vrbis Epiſcopum de tumulo leuauit, inde Babenberc cum ipſo Imperatore tranſiens, priuilegia eiuſdem loci à Cancellario ſuo Friderico, qui ſibi poſtea ſucceſſit, perſpici & coram Imperatore populoque pronunciari mandauit, & ſua auctoritate illa confirmauit. Cuius nimirum confirmationis deſcriptio in hunc modum ſe habet.

Interiecto Victore II. Stephani X. nomen tulit.

LEO Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei Hartuuico Babenbergenſi Epiſcopo, ſibique Canonice in Sede Epiſcopatus ſucceſſoris in perpetuum, æternam in Domino ſalutem: Cum exigente cura paſtorali totius ſanctæ Eccleſiæ Dei, nobis Dei prouidentia commiſſæ, in partes Germaniæ veniſſemus, quæ Orientali Franciæ adiacent, prece dilectiſſimi, filij noſtri Heinrici ſecundi, Imperatoris, & tertij Regis, ac ſupra fati dilectiſſimi confratris noſtri Epiſcopi Hartuuici Babenberc venimus, & in die natalis beati Lucæ Euangeliſtæ inter Miſſarum ſolennia cum Verbum Dei haberemus ad populum, præſente nominato chariſſimo filio Heinrico, & Epiſcopis quàm plurimis aſtantibus, etiam laicis, & diuerſis poteſtatibus ſeculi, relecta ſunt prædeceſſorum noſtrorum priuilegia, quibus idem locus fundatus & corroboratus eſt, auctoritate Romana ſanctæ Sedis Apoſtolicæ; relecta eſt ibi & conſcriptio & confirmatio Wirtzeburgenſis Heinrici Epiſcopi, qua prædictam Babenbergenſem Eccleſiam banno Epiſcopali, & Epiſcopij termino, accepta placita commutatione firmauit; quæ ſic acta eſt. Dum Heinricus in Imperio primus, in regno ſecundus, diuini ignis amore ſuccenſus, de prædiis, quæ Dei gratia, hæreditario iure in ſuæ poſſeſſionis dominium peruenerant, Dei ſeruitium augere conſtruendo Epiſcopatum, atque ordinando deſideraret, quò id legitimè, rationabiliterque fieri potuiſſet, Heinricum venerabilem Wirtzeburgenſis Eccleſiæ prouiſorem, quatenus prædictum locum Babenberc nuncupatum, cum pago Ratenzgaue qui dicitur: qui ad ſuæ diœceſeos ſtatum pertinere videbatur, de ſuo iure in eius ius, ad id perficiendum, transfunderet, ſtudioſe cœpit flagitare. Qui, quoniam iuſtæ, & rationabiles cauſæ videbantur, eiuſdem inuictiſſimi Regis petitionibus acquieſcens, cum communi cleri ſui atque militum, nec non totius populi conſilio & conſenſu, præfatum locum cum prædicto pago, tribus parochianis Eccleſiis cum ſuis adiacentiis, exceptis, quarum nomina ſunt hæc; Wachenrode, Lonerſtat, Mülhuſen, omni poſt modum remota contradictione, ſuæ poteſtati tradidit. Alterius autem pagi, qui Volcvelt nominatur, in quo præfatus locus ſitus eſt, partem eidem Regi conceſſit, quantum eſt de Babenberc vſq; ad flumen Vraha, de Vraha in Ratenzam flumen, & ſic iuxta decurſum eiuſdem fluminis in Moin, & inde ad riuulum Wichibach: deinde ad caput eiuſdem riuuli, ſicq; quà citiſſimè, ac proximè perueniri poteſt ad Vraha. Et vt hæc traditio firma, & inconuulſa permaneret, ipſe prædictus Præſul Heinricus cum Canonicis ſuis corroborauit, & ſubſcripſit. Qua ſubſcriptione relecta, cum iuxta votum omnium; (quia ſemper iuſtis operibus fauorem debemus) & nos prædictum venerabilem locũ Apoſtolica auctoritate vellemus corroborare, ipſe prænominatus eiuſdem loci Epiſcopus Hartuuicus proclamationẽ ſuam fecit; quia locus ſuus à Clericis Adalberonis Wirzeburgenſis † Epiſcopi temeraria præſumptione inuaſus eſſet. Quod nos, quia (vtriq; Apog: Bamb.) Epiſcopi præſentes aderant, inter quos cauſa ſtabat, ibidem volentes diſcutere, Adalberoni Epiſcopo, à quo iniuria illata erat, deliberationem fecimus, vt obiectionem hanc, ſi poſſet, refelleret; ſi non, iuſtitiæ ſatisfaceret. Tum ille, inito cum ſuis omnibus, qui aderant, Clericis & Laicis conſilio, regrediens ad ambonem, de illata iniuria ſe cum ſatisfactione excuſauit, & de omnibus, quæ ad bannum, & Epiſcopalem iuſtitiam, & poteſtatem Babenbergenſis Eccleſiæ Chriſti pertinerent, ex tunc & deinceps renunciauit, exceptis his cauſis, quas de bonis vtriuſq; Epiſcopij, ipſi inter ſe Epiſcopi poſſent legaliter definire. Verùm nos, ſicut ſemper de profectu gaudemus fidelium, & iuſtis operibus debemus augmentum, eundem Babenberc locum ab anteceſſoribus noſtris corroboratum, Apoſtolica authoritate viua voce corroborauimus; & eandem corroborationem nunc etiam literis ſignauimus, vt eundem locum & omnia, quæ ibidem Deo, ſanctoq; Petro à felicis memoriæ Heinrico ſecundo rege, & primo Imperatore tradita ſunt, & quæ in poſterum iure acquiri poſſunt; vel iuſtè acquiſita ſunt, prædia, mancipia, aurum, argentum, pallia, vaſa, ornamenta, & alia vtenſilia nemo audeat in perpetuum ſurripere, auferre, aut commutare, niſi ad vtilitatem eiuſdem Eccleſiæ. Sed Epiſcopus eiuſdem loci, vel qui in perpetuum eiuſdem fuerint ſucceſſores, ſecura eas poſſideant tranquillitate, ac liberam habeant poteſtatem, aut dominationem omnes res & proprietates eius loci ordinare atque componere vel augmentare: Diſſipare verò atque confundere, nullam habeant inde poteſtatem aut dominationem. Inſuper pro noſtra auctoritate ſancimus, vt in terminis eiuſdem Eccleſiæ nulla ſit infeſtatio tyrannorum, vel aliorum quorumlibet hominum prauorum, ſiue ſint in ciuitate ipſa Babenberc, ſiue in caſtellis, villis, ſeruis, ancillis, tributarijs, decimis, foreſtis, ſiluis, venationibus, piſcationibus, molendinis, campis, pratis, paſcuis, agris cultis & incultis, aut quidquid modò illuc pertinet, aut in futurum iuſtè acquiri poterit, per noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis priuilegium corroboratum, in ſecura permaneat quiete. Nullus ibi Comes aut Iudex, placitum ſeu diſtrictionem aliquam facere, vel tenere audeat, niſi quam per conceſſionem glorioſiſſimi Imperatoris ſecundi Heinrici, vel ſucceſſorum eius, Epiſcopus eiuſdem loci deliberauerit; nulla in aliqua dignitate poſita magna, paruaq; perſona per violentiam irruat. Sit ille epiſcopatus liber Romano tantum Mundeburdio ſubditus: quatenus Epiſcopus liberius & delectabilius cum Clericis ſuis ſeruitio Dei poſſit inſiſtere, & Heinrici primi Imperatoris, eiuſdem loci venerabilis fundatoris, noſtrique, ac ſucceſſorum noſtrorum, Heinrici quoque chariſſimi filij noſtri, ſecundi Imperatoris, atque omnium, quibus debitores ſunt, memoriam iugiter habere. Sed tamen idem Epiſcopus ſuo Metropolitano Epiſcopo Moguntino in Canonicis cauſis tantummodò ſit ſubiectus, & obediens. Deliberatis igitur, ſancitis, ac corroboratis omnibus ſupra dictis rebus, eidem ſancto loco placuit addendũ inſigne honoris Eccleſiaſtici à noſtra Apoſtolica auctoritate, ducti amore, & reuerentia Clementis, piæ memoriæ, prædeceſſoris noſtri, quẽ Deus miro * diſpenſationis ordine, à prælatione huius loci ad ſanctæ Romanæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ apicem dignatus eſt aueriere, & mirabilius è Romanis finibus defunctum corpus eius reducere: volens hanc eccleſiam, vt æſtimamus, quaſi nouam, tanto decoratam eſſe patrono, & Romanam contentam, & ſufficienter præteritis & futuris patribus manere ornatam: quin etiam amore, & deſiderio fratrum, qui nos in ſuis recepere Eccleſiaſticis ſtipendijs & quotidianis, vnum noſtra * viciſſitudine tegere fratrem, mitras geſtare concedimus licentiam, ea ſcilicet ratione, vt ab Epiſcopo prouideantur digniores, & honeſtiores presbyteri, & diaconi, qui bonis moribus, vel maturis ætatibus, vel etiam prælationibus ipſius loci emineant, his videlicet diebus; in Natali Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & in cœna Domini, & in Sabbatho ſancto, & in die glorioſæ reſurrectionis eiuſdem, & ſancta Pentecoſte, & in die S. Georgij, & in die SS. Petri & Pauli, & aſſumptionis beatiſſimæ Mariæ, & S. Dionyſij, pro reuerentia noſtri prælibati prædeceſſoris Domine Clementis

Leo IX. Bambergæ concionatur ad populum.

Vide cap. 13.

† vtriq; Ep.

* Diſpoſitione.

* Noſtra vice.

Papæ, cuius anniuerſarius dies tunc ab eiſdem fratribus agitur: & in anniuerſario die Domini Heinrici Imperatoris, eiuſdem loci venerabilis conſtructoris His verò concedimus hanc dignitatem, qui tantum ſpecialiter excubant, vel deſeruiunt apud prædicti prædeceſſoris noſtri ſepulchrum. Contentus tamen his ſancimus diebus fore, nec vltra à quoquam temere vſurpari, ne honor proprius Apoſtolicæ Sedis vileſcat. Hæc verò omnia ſupra dicta obſeruari, & cuſtodiri in perpetuum noſtra Apoſtolica auctoritate decernimus, cõfirmamus, & roboramus. Qui verò, quod abſit, huius noſtri priuilegij temerarius tranſgreſſor exſtiterit, Dei & beatiſſimæ Mariæ, & beatorum Petri & Pauli, omniumq; ſanctorum * æterna maledictione maledicatur, & perpetui anathematis vinculis innodetur, niſi digna ſatisfactione reſipuerit, & Canonicè ſatisfecerit. Qui verò pio corde huius obſeruator priuilegij exſtiterit, Dei omnipotentis & almæ Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli benedictione ditatus, æterni regni particeps fieri mereatur. Data per manus Friderici Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, Anno Dominicæ Incarnationis M. LII. Anno vero Pontificatus Domini Leonis noni Papæ IV.

* Et noſtra.

N E C minus ipſe Rex præfatus Heinricus III. Chunradi Imperatoris filius, dudum, Patre viuente, Rex conſti- XIX.
tutus, ordinationis ſuæ anno XII. Regni autem * primo, ad confirmandum Babenbergenſe Epiſcopium, priuilegium, quod ſubiunctum eſt, ſcribi iuſſit, ſuperſtite adhuc Eberhardo primo eiuſdem Sedis Epiſcopo.

* Erat hic annus Domini 1039. Quo Conradus Imp. obiit Vide Baron.

H E I N R I C V S, Dei fauente clementia, Rex. In examine Dei cuncta conſpicientis æquale meritum credimus fore, dantis & corroborantis. Credimus etiam ad regalem noſtram maieſtatem pertinere totius regni curas, præcipueque omnium ſanctarum Dei Eccleſiarum commoda conſiderare, & omnia eis aduerſantia ſub omni feſtinatione abolere, ne, vel graui incommoditate vileſcant, vel qualibet, pro noſtra culpa, orta occaſione, à priſtino cultu & religione recedant: quatenus dum hæc pro amore, pariterque timore Dei fideliter peragimus, illorum, qui hæc pio affectu, Deo contulerunt, meritis & gloria communicemus. Proinde, omnibus in Chriſto fidelibus ſcilicet tam futuris, quàm præſentibus notum eſſe volumus, qualiter ob hanc ſpem per interuentum dilectiſſimæ matris noſtræ Giſilæ, Imperatricis Auguſtæ, pro amore etiam dilecti, fideliſque noſtri Eberhardi, primi ſanctæ Babenbergenſis Eccleſiæ Epiſcopi, eundem locum à Diuo Imperatore Heinrico ſecundo, pro ſua ſuorumque anima in Epiſcopatum, diuina inſpirante clementia, perfectæ fidei charitatiſque deuotione, in honore Principis Apoſtolorum Petri, & S. Georgij Martyris ſublimatum, conſenſu fidelium noſtrorum ſancimus, & omni contradictione remota, regalis noſtræ maieſtatis auctoritate corroboramus, omnes etiam res mobiles & immobiles eiuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quas ipſe Diuus Imperator pro ardore cæleſtis patriæ ibidem larga manu contulit, ea ratione confirmamus, vt fidelis noſter Eberhardus, eiuſdem loci primus Epiſcopus, eiuſque in perpetuum ſucceſſores ſecura eas tranquillitate poſſideant, & liberam poteſtatem habeant, & res, & proprietates eiuſdem Eccleſiæ cum conſenſu cleri & populi ordinare, componere, † & augmentare Noſtra quoq; auctoritate ſancimus, vt in Abbatijs, monaſterijs, comitatibus, foris, mercatibus, monetis, naulis, telonijs, caſtellis, villis, vicis, areis, ſeruis, ancillis, tributarijs, decimis, foreſtibus, ſiluis, venationibus, piſcationibus, molendinis, aquis, aquarumue decurſibus, cãpis, pratis, piſcinis, terris cultis & incultis, libris, argento & auro, gemmis, vaſis, ornamentis, vel aliquibus vtenſilibus in cultum & religionem Dei ibidem collatis, & in omnibus terminis, rebuſque eiuſdem Eccleſiæ, aut quidquid ad præſens illud pertinet, vel ex his amplificari poteſt: nulla ſit infeſtatio tyrannorum, nulla poteſtas irruat ibi per violentiam; nullus ibi Comes, aut Iudex legem facere præſumat, præter Epiſcopum eiuſdem loci, omniſque poſſeſſio Deo famulantium ibi pro * emunitate habeatur. Sit ille Epiſcopatus liber, & ab omni extranea, & iniqua ſecurus poteſtate: quatenus ibidem Deo famulantes, & primi conſtructoris memoriam dignè celebrare, noſque fautores & corroboratores poſſint & velint Deo precibus ſuis commendare. Et vt hæc noſtræ auctoritatis traditio firma & inconuulſa permaneat, hoc priuilegium inde conſcriptum manu propria corroborantes ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.

† Commutare.

* Emunitas, aliquãdo munitat, & mundat ab immunitate corrupta voce.

H Æ C nos de fundatione, vel confirmatione ſanctæ Babenbergenſis Eccleſiæ, accepta occaſione, dixiſſe ſufficiat, nunc ad cœptam narrationem de geſtis beati viri animum, ſtylumque vertamus.

R E G I S autem frater erat [a] Bruno, Auguſtenſis Sedis Epiſcopus, qui felicibus fratris actibus inuidens, multas ei XX.
aduerſitatum iniurias, in quantũ potuit, inferebat: & vbi per ſe non poterat, inferentibus ſe adiungebat, vel alios ad inferendas exhortando ſtimulos eis prauæ incitationis ſubdebat. Cui [b] frater non ſolùm talionẽ non reddidit, verũ etiam inſtructus fraterna dilectione, omnia diſſimulando & patienter ſuſtinendo, illum in bono vincere ſatagebat.

a Bruno frater S. Henrici Epiſc. Auguſtanus de cuius cũ fratre ſi multatibus Ditm. lib. 5 & 6.

b Patientia Henrici in iniurijs tolerandis

Q V A N T A [c] eius munificentia, quanta erga Deum liberalitas exſtiterit, tam in illa Babenbergenſi Eccleſia, XXI.
quàm in alijs compluribus locis, manifeſtis operum declaratur indicijs. Solum quippe Deum ſibi elegit hæredem, quatenus & ipſe in conſortium æternæ hæreditatis eum aſſumere dignaretur. Liberos etenim ſecundum carnem nec habebat, nec exſpectabat. quandoquidem eam, quam pro coniuge habere videbatur, Chunegundam, nunquam cognouiſſe comprobatum eſt. Qualiter autem innotuerit, ad communem ædificationem, prætereundum non eſt, vt & caſtimoniæ erudiamur exemplis, & diuinorum ſecretorum admiratione moueamur, intelligentes, quemadmodum [d] diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Tantis namque ac talibus bonis tentatio deeſſe non potuit. Inuidus enim omnium bonorum diabolus, vbi totum immaculatum ſauciare non potuit, Zelotypiæ liuore fœdare cogitauit, & eius ſaltem famam lædere, cui vulnus corruptionis infligere non potuit. Facta eſt igitur, auctore diabolo, ſuſpecta criminis ea quæ non nouerat maculam corruptionis. Sed quia crudelis eſt, qui famam negligit; expurgationis gratia, ad vomeres candentes illud ſibi iudicium delegit, quod propter duritiam hominum inſtitutum eſſe cognoſcitur. Cumque dilecta Deo ad illud iudicium, velut ouis ad occiſionem duceretur, ingemuit; & ait; Domine Deus creator cæli & terræ, qui probas renes & corda, iudica iudicium meum, & eripe me. Te enim teſtem & iudicem hodie inuoco, quia nec hunc præſentem Heinricum nec alterum quenquam virum carnali commiſtione vnquam cognoui. Hoc dicto, ſtupentibus, ac flentibus vniuerſis, qui aderant, vomeres candentes, nudo veſtigio calcauit, & ſine aduſtionis moleſtia ſecura pertranſiit. Ita Deus omnipotens vinculum caſtæ dilectionis ſeruauit, innocentiam comprobauit, & integritati cuſtodiam humilitatis adhibuit.

c Solus Deus hæres S. Henrici.

d Rom 8.

Prou 11.

S. Cunegũdis innocentiam ſuã probat.

I N T E R hæc beatiſſimi Principis gloria magis ac magis proficiebat, & gratia Dei erat cum ipſo: Non declinauit XXII.
clypeus à bello, & haſta eius non eſt auerſa. Apuliam à Græcis diu poſſeſſam, Romano Imperio recuperauit, & eidem prouinciæ Iſmaëlem Ducem præfecit. Qui [e] poſtea in Babergenſi loco mortuus, & in capitulo maioris monaſterij ſepultus requieſcit in Domino. Beneuentanũ monaſterium condidit, & omni ornatus decore locupletauit. Cumq; ciuitates Apuliæ pertranſiret, & quæ ad vtilitatem & honorem Regni pertinebant, in eis prudentiſſimè diſpoſuiſſet, cœpit infirmitate calculi laborare. Cuius [f] morbi moleſtiam vir ſanctus tanta patientia ſuſtinuit, vt paſſiones carnis ad cuſtodiam humilitatis à Deo ſibi collatas aſſereret: & flagellum correptionis certiſſimum ſignum dilectionis eſſe affirmaret. Fomenta tamen curationum fecit ſibi adhiberi; ſed nulla medicorum ſubtilitate ad integrum potuit liberari. Ingraueſcente autem dolore, aſcendit montem Caſſinum, petiturus, vt per interceſſionem B. Benedicti,

a Reg 1.

Henricus Imp Apuliã domat.

e Iſmael Dux Apuliæ Bambergæ moritur.

f Imp Henrici calculo grauiſſime affligitur.

Lege Leonem Oſtienſem, lib. 2. Chron. Caſſin cap 42 & 43. qui rem paulò aliter narrat, præſertim de calculi exemptione.

dicti, & ſanctæ Scholaſticæ, ſanitatis ei à Deo præſtaretur remedium. Veniens autem ad locum, vbi ſanctorum reliquiæ fuerant reconditæ, effudit animam ſuam in conſpectu altiſſimi, & per ſanctorum ſuffragia Benedicti videlicet & S. Scholaſticæ,[a] precibus & lachrymis poſtulauit à Deo ſalutem corporis & animæ ſibi præſtari. Impletumque eſt, quod per Prophetam dicitur; Exquiſiui [b] Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Nam petiit, & exauditus eſt: pulſauit ad oſtium perſeueranter miſerantis potentiæ; & intromiſſus eſt. Interea Rex cœpit cogitare, quæ de translatione S. Benedicti audierat; & quia Reliquiæ eius dicebantur furtim ſublatæ & in alium locum translatæ, ideo vir ſanctus de corporali eius præſentia dubitabat. Completa itaque oratione homo Dei, ad hoſpitium ſe contulit, & laſſatus ac debilitatus in lectulo ſe collocauit. In quo obdormiens vidit S. Benedictum ſibi aſſiſtere, & ferrum ſectorium ad medicinales ſectiones * aptum manu tenere. Qui dixit ei: Quia ſperaſti in Deo, & in ſanctis eius, ecce miſſus ſum à Deo, vt per meam medicinam ab infirmitate tua liberaris. Ecce ego, cuius oſſa furtim ſublata eſſe putabas præſentiam meam tibi exhibeo, & in argumentum veritatis paſſiones tuas curabo. Hæc [c] dicens, partem illam corporis, vbi calculus iacebat, medicinali ferro, quod manu tenebat, aperuit, & euulſo molliter calculo, hiatum vulneris ſubitâ ſanitate redintegrauit, calculumque quem ruleerat, in manu regis dormientis repoſuit. Quo facto, Chriſtianiſſimus Imperator euigilauit, & pertractans ſecum, quæ circa ipſum per Confeſſorem Chriſti geſta fuerant, videnſque calculum, quem manu tenebat, vocauit ſatellites, qui regio more ſibi ſemper aſſiſtebant, dixitque ad eos: Pontifices, regnique noſtri Principes vocate ad me; vt cognoſcant & videant mirabilia Dei, quæ ineffabilis miſericordia, & inenarrabilis potentia eius fecerunt in me. At illi mandata Regis celeri curſu perferentes ad Principes, perduxerunt eos ad Regem. Quos Rex ſalutans, reſalutatuſque ab eis, ſic alloquutus eos eſt: Fratres, & commilitones mei, magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipſum, quia ipſe eſt magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Ipſe percutit, & medetur: flagellat peccatores, & pœnitentibus miſeretur. Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto. En ego, qui heri morti proximus fui, per miſericordiam Dei hodie vobis appareo ſanus: & aculeum mortis, quem heri geſtaui incluſum corpori meo, hodie oculis veſtris viſibiliter oſtendo. Hæc dicens, oſtendit calculum, quem manu tenebat, & oſtendens cicatricem vulneris, omnia, quæ per ſanctum Benedictum circa ipſum geſta erant, cunctis audientibus, ex ordine referebat. At illi videntes & audientes mirabilia Dei, & plus, quàm credi poteſt, admirati ſunt; & benedicentes Deo, diuque in laudem eius acclamantes de incolumitate regis gauiſi ſunt. Rurſumque Rex ad eos. Quas, inquit, gratiarum actiones, aut quæ munera tantis beneficijs condigna medico noſtro Benedicto poſſumus rependere? At illi omnes iudicauerunt, rum regia munificentia dignum eſſe. Rex ergo conſilio Principum ſuorum ingentia munera in prædiis, in auro, in argento, in ornamentis plurimis Eccleſiæ S. Benedicti contulit. Et vale faciens fratribus, qui eidem Eccleſiæ præſidebant, à Caſſino monte hilaris, & ſanus diſceſſit. Ab eo autem tempore, & deinceps, quadam ſpeciali dilectione, & veneratione S. Benedicto, & omnibus monaſticæ religionis cultoribus ſtuduit deſeruire, & in amplificandis, ac protegendis rebus Eccleſiaſticis benignus ac deuotus Pater exiſtere. Hæc in Caſſino monte ſcripta inueniuntur, vt & moderni magnalia Dei in memoria habeant, & apud poſteros per antiquitatem temporis in obliuionem non veniant. Et, ſi quis ſcire deſiderat, quare glorioſiſſimus Imperator Henricus claudicauerit, cum primum corpore toto ſanus fuerit, hanc cauſam nouerit. Cùm ipſe quodam tempore veniſſet in Apuliam, pro diſponendis Reipublicæ negotijs, peruenit in montem Garganum, in cuius crepidine ſita eſt * læuitas, & in latere montis in rupe concaua, eſt baſilica non ab hominibus fabricata, neque per hominem dedicata, ſed operatione diuina vel virtute exſtructa: mirabiliter etenim diuina benedictione venerabiliter conſecrata eſt. Huius baſilicæ exſtat Patronus Michaël Archangelus. In hac etenim Eccleſia, qualibet hebdomada cantus angelicus, ab his, qui digni ſunt, audiri perhibetur. Hanc itaque Baſilicam, orationis cauſa, cum cæteris Chriſti fidelibus vir Deo deuotus eſt ingreſſus. Cumque laudes diuinas inibi celebraſſent, & vota precum ſuarum cum multa deuotione Deo reddidiſſent: tempus iam aderat, quo cœleſtis exercitus ad laudes Deo perſoluendas, templum hoc ſacrum fuerat ingreſſus. Itaque cum omnes egrederentur, & qui moram facerent, expellerentur exire; vir ſanctus poſtulabat, vt ei intus remanendi facultas concederetur. Igitur omnibus egreſſis, ſolus ipſe, ſperans in miſericordia Dei, inibi manere præſumpſit, & preces precibus continuauit, & genuum flexiones iterauit: in quo multis lacrymis diuinæ ſe commiſit clementiæ, & animam ſuam beato Michaeli Archangelo cum multa ſupplicatione ſtuduit commendare. Cumque pij Regis † incenſum aſcenderet coram Domino, Deus Iſrael, qui in ſanctis ſuis ſemper eſt mirabilis, mirabilem ei dignatus eſt oſtendere viſionem. Vidit enim angelorum multitudinem copioſam, ad inſtar ſolis ſplendidam, templum ſanctum ingredientem; ex quibus duo principale ſolenniter adornabant altare. Deinde vidit alias cœleſtium Virtutum cohortes innumeras, in ſimilitudinem fulguris coruſcantis fulgentes, & quaſi primatem ſuum cum gloria maxima deducentes: nec dubium hunc fuiſſe cœleſtis militiæ ſigniferum. Nouiſſimè verò meruit videre ipſum Regem Angelorum venientem cum poteſtate magna & virtute. In cuius obſequio cœleſtis exercitus innumerabilis, & ſplendor eius incomparabilis: cuius etenim nutu reguntur omnia cœleſtia & terreſtria. Denique chorus nouæ Hieruſalem in prædicta collectus Baſilica diuinum ſolenniter celebrauit obſequium. Quo tandem completo, vnus ex præcipuis angelis, ſacrum Euangelij textum cum maxima reuerentia d . . . . . . detulit perſonæ; quo illum deoſculante: innuit angelo, vt eundem deoſculandum deferret Imperatori, in angulo * . . . . . . Angelo verò iuſſa ſibi complente, prædictus Chriſti famulus ad inſolitam tantæ maieſtatis & gloriæ viſionem cœpit animo paueſcere, & omnibus membris contremiſcere; tanquam diceret cum Propheta; Contritum eſt cor meum in medio mei contremuerunt omnia oſſa mea. Hæc angelus ille videns; modeſtè femur eius tetigit, inquiens: Ne timeas electe Dei, ſurge velociter, ſignum pacis diuinitus ſibi tranſmiſſum ſuſcipiens alacriter; Exemplo & ſtatim femur eius emarcuit; & exinde omni tempore vitæ ſuæ claudicauit. Similis per omnia euentus de beato Iacob legitur, cuius femur ad tactum Angeli ſecum luctantis emarcuit. Hæc quidem, vt verum fatear, in ſcripturis non inueni, ſed relatu veracium & venerabilium virorum, hæc vera eſſe, in veritate comperi. Equidem præpotens Cancellarius Epiſcopi Herbipolenſis Conradus nomine, qui perſequutionem paſſus eſt propter iuſtitiam, hæc, quæ dicta ſunt, ſe legiſſe, conſtanter affirmauit, & in Eccleſia Babebergenſi poſitus, multis audientibus enarrauit; ex quibus vnus mihi familiaris, & ipſe plane vir veridicus, mihi fideliter intimauit, & volente me ſilentio ſupprimere, obnixe rogauit, vt ſcriberem: tandem ego petentis inſtantia, & ſedulitate monentis inductus, fideliter conſcripſi, quatenus in progenie altera hæc enarrentur. Mallem ſomno modò quieſcere, quàm ficta vel friuola de ſanctis Dei ſcribere, præſertim dum opus non habent falſis laudibus exaltati; qui ſignis & prodigiis meruêre decorari. Hæc de tam glorioſo miraculo dicta ſufficiant. Et in euidens huius ſigni teſtimonium ipſius S. Henrici imago ante ianuam monaſterij ad dextrum latus penes chorum S. Georgij ex . . . . pillo vno ſuppoſito, ex oppoſito imaginum Adæ & Euæ lucidè apparet.

XXIIII. INDE iter faciens Romam peruenit, vbi à Benedicto Papa benignè, & honorificè ſuſceptus, quantas miſerationes & beneficia per S. Benedictum ei Dominus contulerit indicauit. Benedictus verò Papa gratias egit Deo pro-

Montem Caſſinum adit, vt à calculo liberetur.

a Preces fudit coram Reliquiis S. Benedicti.

b Pſalm 33.

S Benedictus apparet Henrico Imp.

* Aptatum.

c Eundem à calculo mirabiliter liberat.

Oratio Imp. ad Principes.

Pſalm 33.

Pſalm 44.

Pſalm. 74.

Calculum exemptum oſtendit Principib.

Imp donis honorat S. Benedictū: quæ Leo Oſtienſis ſpeciatim enumerat. Lege Baro. 1022.

* planities.

Viſio S. Henrici.

† orationis.

* latenti forte.

Hierem. 23.

Cauſa claudicationis S Henrici.

Geneſ. 32

Fide dignorum teſtimonium hoc hiſtoriæ caput comprobatum.

S. Henrici imago lapillo ſiniſtro pedi ſuppoſito.

Quandocũq; noſtræ Apoſtolicæ corroborationis pie expoſcitur ſuffragium, celeri affectu eſt tribuendũ. Et ſi in his expoſcitur, quæ durare perpetuò videntur, literis eſt etiam annotandum, ne prolixitas temporum poſteris hoc reddat dubium, vel incertum. Quapropter notum eſſe volumus cunctis ſanctæ Eccleſiæ filijs, tam præſentibus, quàm futuris, quod de Epiſcopatu, quem Chriſtianiſſimus Heinricus Imperator ad honorem Principis Apoſtolorum Petri Babenbergæ deuotiſſimè perfecit, actum in eadem Eccleſia* nobis præſentibus ſit. Sæpius enim obnixè dictus Imperator; feruens nimio amore Epiſcopatus, quem tactus diuino impulſu, perfecerat honorificè, ad confirmandum eum Apoſtolica autoritate Babenbergam adire nos deprecatus eſt. Cuius deprecationes aſſiduas, & indeſinentem inſtantiam de iuſto deſiderio procedere cognoſcentes, iniquum iudicauimus, præſentiam noſtram illi denegare, & inde humanam calliditatem contra venerabilem locum aliquando occaſionem ſumere. Venimus ergò Babenbergam, vbi ab eodem Imperatore ſuſcepti ſumus, prout poterat, & nouerat melius, Eccleſiam autem cum omni integritate Epiſcopatus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui, Deo auctore, præſidemus, & nobis obtulit. Quod videntes æquum conſiderauimus, ſeriem huius noſtri priuilegij, & Epiſcopatum confirmare in perpetuum, eumque tibi, dilectiſſime, & tuis ſucceſſoribus concedere, ea videlicet ratione, hoc ordine, vt nullus vnquam viuentium, cuiuſcunq; ſit dignitatis vel ordinis, contra hanc noſtram confirmationem Epiſcopatus venire audeat, vel contra te, tuoſq; ſucceſſores ob hoc agere; neq; liceat ei de omnibus, quæ nunc habet, vel habiturus eſt prælibatus Epiſcopatus, vi, fraude, aut iniqua calliditate aliquid abradere; vel te, tuoſq; ſucceſſores de his omnibus inquietare aliquo modo, ita ſanè, vt ſingulis quibuſq; Indictionibus, ſub nomine pẽſionis, equum vnum album nobis, noſtriſq; ſucceſſoribus perſoluat, cum ſella conueniente Romano Pontifici. Si fortè, quod non optamus, aliquis ſuperbus, aut arrogans temerario auſu contra hanc noſtræ præceptionis ſeriem piè à nobis promulgatam venire, aut agere tentauerit, ſciat ſe Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum Principis Petri, cui oblatus à dicto Imperatore Epiſcopatus eſt, cum ſuis pertinentijs, & cuius ſuffragium, & iudicium per nos, noſtroſq; ſucceſſores exſpectat; anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo, & cum eius atrociſſimis pompis, atq; cum Iuda traditore Domini & Saluatoris noſtri æterno igne concremandum. Qui verò pio intuitu curator & obſeruator huius noſtræ ſalutiferæ præceptionis extiterit, benedictionis gratiam & cœleſtis retributionis gaudia à iuſtiſſimo iudice Domino conſequatur. Scriptum per manus Raphonis notarij, Regionarij & Scriniarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

*Ergo Bulla

Hæc data eſt poſtquã Benedictus Bambergæ fuerat.

S. Henricus offert Epiſcopatum Bamberg. Eccleſiæ Romanæ.

XXVI. Vt autem ad ſuperiora redeamus, vnde pauliſper digreſſi ſumus, poſtquam vir ſanctus Romæ poſitus, omnia, quæ petebat, à Domino Papa impetrauit, confirmatus Apoſtolica benedictione, Alpes Appenninas tranſcendit, & dimiſſo exercitu in terram ſuam, Cluniacum, eò quòd multa de religione & ſtatu loci illius audiret, orationis cauſa cum paucis familiaribus perrexit. Vbi cum plurima ſigna religionis & ſanctitatis vidiſſet, ſancti ſpiritus igne ſuccenſus, coronam auream precioſiſſimis gemmis adornatã, ad miſſam, quæ de cathedra [a] ſancti Petri celebrabatur, obtulit, & fraternitatem monachorum ſuſcipiens cum maxima humilitate & contritione cordis orationibus eorum ſe commendauit, & in ſupplementum neceſſariarum rerum in Alſatia [b] optima prædia eidem congregationi, contradidit. Inde iter faciens per Leodium & Treuerim tranſitum fecit, & congregationes inibi Deo famulantes plurimis largitionibus & prædijs ditauit.

Aduentus Henrici Imp. Cluniacum ponitur à Bar. 1014.

a Imp. offert Cluniacenſibus coronam auream.

b Liberalitas Imperatoris in monaſteria.

XXVII Et mirum quòd homo Dei, qui circa Eccleſiaſticas vtilitates tanto ſtudio, ob ſalutem animæ ſuæ flagrabat; in nullo profectum regni negligebat: quin imò ſine effuſione ſanguinis, pietate, & ſapientia terminos regni ſui dilatauit, & Imperialem dignitatem gloria, & honore amplificauit & ornauit. Boëmiam vicit & ſubiugauit: Burgundiam in deditionem recepit: Pannoniam quoque Catholicæ fidei, & Romano Imperio coadunauit: Victor autem aliarum nationum, Apoſtolus fit Vngarorum. Cùm enim omnes adhuc infideles eſſent, Heinricus Imperator ad fidei* confeſſionem illos attraxit. Quod vt facilius fieret, ſororem ſuam Giſelam Stephano Regi matrimonio copulauit ſecundum Apoſtolum dicentem, ſanctificatur vir infidelis, per mulierem fidelem; & ſanctificatur mulier infidelis, per virum fidelem. Stephano itaq; Rege baptizato, vniuerſa Pannonia verbum vitæ ſuſcepit, & mira rerum nouitate per [c] Reges Apoſtolos ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ incorporata eſt. Quàm præclara tanti Apoſtolatus ſocietas; quàm colenda & veneranda vtriuſque ſanctitas, per quos tot ſaluati & ſanctificati ſunt. Præfatus autem Rex Vngarorum, religioſus Deoque deuotus poſtea in executione bonorum operum permanſit; quod diuina pietas poſt mortem eius euidentibus indicijs ad ſepulcrum factis ſignorum miraculis demonſtrauit. Burgundiorum quoque non humana ſed diuina fuit victoria, qui cum armis, & omnibus belli copijs eſſent inſtructi, viri ad bella doctiſſimi, armis poſitis, non hominis metu, ſed Dei nutu, rogantes ea, quæ pacis ſunt, dextras dederunt. Quemadmodum ad celebranda beati Martini confeſſoris merita Dominus pacificum belli dedit exitum: ita & nunc ſerui ſui meritis conſimilem virtutem oſtendere dignatus eſt. Similem ergò illum fecit gloriæ ſanctorum. Et ſicut Moyſes precibus magis, quàm armis triumphauit; ita glorioſiſſimus Princeps per arma iuſtitiæ omnia bella feliciter conſummauit, ac minimè funeſtam, & incruentam victoriam ſemper habuit. Denique conſummatis glorioſiſſimè huius vitæ laboribus; poſtquam bonæ opinionis odorem longè lateque redolere fecerat, locumque ſibi dilectum cum cæteris monaſterijs ditando, & ornando, & excolendo ad perfectum adduxerat, ad percipiendam immarceſſibilem coronam ab ergaſtulo carnis à Domino eſt vocatus. Qui cùm cerneret imminere ſibi mortis diem, citatis ad ſe parentibus & cognatis beatiſſimæ Imperatricis Chunegundæ, non nullis etiam Regni primoribus manu eam apprehenſam illis commendauit huiuſmodi verbis memoria dignis: Hanc ecce, inquit, mihi à vobis, imò per Chriſtum conſignatam, ipſo Chriſto Domino noſtro, & vobis reconſigno virginem veſtram.

1. Cor. 7.

Quas regiones ſubiugauerit.

* Catholicæ

Sororem ſuam dat nuptui Stephano Regi Hungariæ. Vnde Hungaris prima via ſalutis.

c Vterque ſanctorum numero adſcriptus.

Vxorẽ ſuam Kunegundẽ Virginem reſtituit, ſicut acceperat.

* Reſigno.

XXIIX. In eius verò tranſitu, terra plorante, cœlum exultauit, ſicut Dominus per ſuam miſericordiam reuelare dignatus eſt. Sub ipſa etenim hora exitus illius cuidam ſeruo Dei in ſolitudine commoranti, diabolus ſub humana ſpecie traditur apparuiſſe. Quem vir Dei per ſpiritum protinus agnouit, & ait: Quo vadis? Cui ille: ad exequias, inquit, Principis pergo. At ille reſpondit; Vade, inquit, & comple negotium tuum, in quantum tibi à Domino permittitur. Veruntamen conſummato officio tuo, adiuratus per Deum viuum, ad me reuertere, vt per te rei exitum cognoſcam. Poſt modicum verò reuerſus coram ſeruo Dei gemebundus adſtitit, & voce querula, & ingenti vlulatu dixit: Heu heu deluſi ſumus, in vanum laborauimus, quin etiam ab Angelis Dei confuſi diſceſſimus. Aſſiſtẽtibus enim hinc & inde nobis, & ſpiritibus Angelicis, merita animæ iuſtè in ſtatera appenſa ſunt; & faſciculis peccatorum deprimentibus, iam penè pars noſtra præponderauerat. Tunc ſubito aduſtus quidam ſuperueniens cum catino aureo, partis dextræ lancem onerauit, mirumq; in modum parti noſtræ adeò præponderauit, vt & ipſo catino ad terram collapſo ruina colliſionis ſignum impreſſerit. Itaq; victores Angeli animam nobis ereptam gaudentes in ſuum conſortium abduxerunt. Hæc verò tametſi corporaliter geſta referantur, neceſſe tamen eſt, vt virtute ſpirituali completa intelligantur. Res etenim ſpirituales per corporales exprimuntur imagines, cumque aliud foris agitur, aut dicitur, intus aliud geri ſignificatur. Præmemoratus & ſæpe rememorandus Dei famulus calicem aureum in honorem Dei,

Ita vocat S. Laurentium olim à Tyranno in craticula aſſatum.

Quomodo, quod de ſtatera dicitur, intelligendum ſit.

& commemorationem S. Laurentij Martyris Eccleſiæ Mersburgenſi cōtulerat, cuius ſpeciali patrocinio coram Deo adiutus, & in ipſa ſui exitus hora creditur liberatus. Omni verò veneratione, & admiratione dignum eſſe perpenditur, quod eadem hora calix in certa cuſtodia clauſus habebatur, nec minus tamen prædictæ colliſionis materiale ſignum excepit.

Mersburgū

Nota morē ſancti Imperatoris; ſumendi ex calice, in quo ſacrificatum fuerat ablutionē Sic Græci ſanctificationis loco panem, ex quo materia pro ſacrificio deſumpta eſt, manducant

De eodem verò calice, quid religioſorum virorum relatione in veritate audierimus, futurorum memorijs in- XXIX.
timare operæ precium dignum duximus. Cùm enim prædictus Chriſti Confeſſor Heinricus, pro diſponendis Regni negotijs Marſipolim veniſſet, accidit, vt quadam die ad altare S. Laurentij attentiſſimè Miſſam audiret. Qua completa, ſicut ſemper facere conſueuerat, ablutionem calicis ſumere volebat, ſed interueniente magno negocio regni, quod vir ſanctus propoſuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato itaq; cuſtode Eccleſiæ, rogauit eum, vt calicem cum ablutione in nuudo loco reponeret, & cum omni diligentia ſeruaret: quoadusq; ipſe ex occupatus aptum tempus & locum ad ſumendam illam inueniret. Exreſcentibus autem cauſis & placitis, tota die illa turbatus non potuit ſe expedire. Poſtera verò die, poſt matutinas cū paucis ſecretarijs ſuis, clanculò monaſterium introiuit, & diutius flexis genibus, & profuſis lacrymis Deum exorauit, accerſitoq; cuſtode calicem cum ablutione ſibi afferri præcepit. Cùmq; [a] allatus fuiſſet, & diſcoopertus, inuenerunt ablutionem illam in formam veri ſanguinis tranſmuratam. Quod factum mirabile mox vniuerſis, qui aderant, innotuit, & nunc, & ſemper in laudem Dei, & gloriam Confeſſoris ſui omnis Eccleſia ſucceſſoribus ſuis enarrabit.

[a] Vinum abluendo ſacro calici infuſum, mutatum in ſanguinem.

Matth 6.

Discite ergò diuites huius ſæculi facere vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, ipſi vos XXX.
in æterna recipiant tabernacula. Huius verò glorioſiſſimi, ac beatiſſimi Patris præconia linguam carnis reticere non conuenit, in cuius tranſitu angelis triumphantibus cœlum exultauit. Defuncto itaq; beatiſſimo Dei famulo anno Regni ſui XXIV. vitæ quinquageſimo ſecundo, Imperij verò vndecimo, corpus eius in Eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Babenbergę honorificè ſepultum eſt, ac poſtmodum multis miraculorum virtutibus à Domino glorificatum eſt.

Moritur S. Henricus anno 1024.

INITIVM MIRACVLORVM.

Lege Bar. Anno 1024.

[b] Bruno frater S. Henrici, etiam poſt Imperatoris mortem turba concitat

[c] Eſt hic Hēricus tertius hoc nomine Rex, Cōradi Salici & Giſilæ filius,

[d] Apparet S. Henricus Brunoni fratri ſuo.

Anno Dominicæ Incarnationis M.XXV. ab Vrbe condita Milleſimo, ſeptingenteſimo, ſeptuageſimo ſexto
Chunradus ex regni primorib. vnus, ſed regno antea per rebellionem [b] aduerſus, Principibus pro eius electio- XXXI.
ne diſcordantibus, Aribone autem Moguntino Archiepiſcopo, & Eberhardo Babenbergenſi Præſule ſibi fauenti-
bus, octogeſimo quinto loco ab Auguſto regnum ſuſcepit, & annis XV. regnauit. Sublimatus autem in regni ſede, Nn ii.
conſilio Brunonis Auguſtenſis Epiſcopi, fratris Heinrici Imperatoris, qui ſemper, vt ſupradictum eſt, felicibus eius inuidebat actibus, Babenbergenſem Epiſcopatum meditabatur deſtruere. Quia idem Bruno Epiſcopus promiſit Reginæ Giſilæ, omnia prædia hæreditario iure ad ſe pertinentia filio eius [c] Heinrico contradere. Locus igitur & tempus conuentui ſtatuitur, vbi hæc res ad exitum perducatur. Nocte verò, quæ diem præceſſerat, in qua hæc ventilanda erant, Eberhardus Epiſcopus ad tentorium prædicti Brunonis clam acceſſit, lectoque eius aſſidens, multa ſuper hac re monendo, obſecrando, memoriam fratris animo inculcando cum eodem ſolicitus egit. Quia verò iam multa noctis hora tranſacta receſſerat, & Epiſcopum pro auditis ſolicitatum ſomnus oppreſſerat, viſus eſt ei frater ſuus Imperator [d] Heinricus lecto ſuo adſtare, faciemq; ſuam barba ex vna parte depilata turpatam obiectare. Cùm ſuper hac re ſtupido & admiranti, ac quis tam temerarios auſus in eum præſumeret, interroganti: tu ait, hæc feciſti: qui me, & ſanctos Dei, quos rebus mihi à Deo conceſſis dotaui, deſpoliare diſpoſuiſti. Caue iam vlterius ſuper hac temeritate, ne incepta luas magna infelicitate. Ad hæc ille expergefactus, ac de viſione non parum perterritus, membrorum quoq; horrore ac timore non leuiter eſt attactus. Mane autem facto, cum diu exſpectatus ad conuentum procerum nō veniret, regina pro filio ſolicita, nuntijs miſſis, obnixe rogabat, vt adueniens promiſſa perficeret. Ille verò affirmabat, ſe tanta infirmitate grauari, vt nec de lecto ſurgere, nec pedem poſſet quoquam mouere. Cum rogaretur, vt ſe in lecto ad conuentum deportari pateretur, quò vel ſic promiſſio perficeretur, omninò abdicauit, ſeq; in Deum & ſanctos eius peccaſſe, libera tandem voce proclamauit. Sic itaq; diuina pietas per merita famuli ſui, ne ſpe, quam in ſe poſuit, fraudaretur, omnia illa prauæ conſpirationis machinamenta repreſſit: idq;, quod ab eo bene cœptum eſt, confirmando, ſemper exinde ad meliora prouexit.

De miraculis S. Henrici poſt mortem ad ſepulchrū.

[*] *Bambergenſi.*

Sed iam nunc ad miracula, quæ poſt felicem illius tranſitū Dominus ad declaranda meritorum illius inſignia, XXXII.
circa glorioſi corporis eius ſepulturam operatus eſt, veniamus: pauca ex his ad poſterorum notitiam transferentes; quæ aut veraci, aut indubitata maiorum relatione ad nos delata ſunt, aut ipſi modernis temporibus geſta probauimus, & vidimus. Mulier quædam contracta in ipſa [*] ciuitate manebat, adeò incuruata, vt ad gradiendum erigi nullatenus potuiſſet, ſed reptaret potius manibus, quàm pedibus ambularet. Huic orationibus frequenter incumbenti, diuinitus inſpiratum eſt, vt ad memoriam beatiſſimi viri accederet, atq; omnipotentis Dei miſericordiam obnixius imploraret. Accidit autem vt dies anniuerſarius præfati Patris & Domini noſtri congrua obſeruatione celebrari deberet. Populo ergò, more ſolito, ad Eccleſiam confluente, & clero vigilias veſpertinas celebrante, mulier quoq; illa incuruata, & contracta aduenit, & plena fide ac deuotione vſque ad locum ſepulchri acceſſit, dicens cum Propheta; Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atriis domus Domini. Ibidem ergò pernoctans in oratione, vniuerſum quod habebat, id eſt, cor contritum & humiliatum Domino obtulit, & in fide Chriſti lacrymis rigauit pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & vnguento vngebat. Et quoniam multum valet deprecatio iuſti aſſidua, cum indeſeſſa vſque in diem talibus ſacrificijs inſiſteret; circa horam diei tertiam inter ipſa Miſſarum ſolennia, dum in ſecunda Miſſa, Alleluia canitur, Laus Dei in hominibus, ipſo operis effectu adimpletur. Subitò enim, cernētibus cunctis, qui aderant, mulier quaſi in ecſtaſi facta eſt, ac deinde ſenſim nerui, qui diriguerant, diſſolui, & vniuerſa corporis membra concrepantia cœperunt extendi; ac ſic, ordine ſuo tota incuruati corporis deformitas in ſuam pulchritudinem reformata eſt, vt mulier erecta, & vſum ambulandi, & reliqua membrorum officia cum omni integritate reciperet. Id autem certiſſima fide cognitum eſt, referentibus boni teſtimonij fratribus, qui præſentes huic miraculo ſe interfuiſſe, & vidiſſe reſtati ſunt.

Pſalm. 115.

Pſalm. 50.

Luc 7.

Iac. 5.

[*] *Traditione.*

Neqve hoc negligendum, aut ſilentio prætereundum videtur, quod antiquitas tradidit, & veridica [*] rela- XXXIII
tione multorum memoriæ commendauit. Quidam æditnus in Ordine Laico ad cuſtodiam Eccleſiæ deputatus, furtis cœpit conſueſcere, & in ipſa Eccleſia, quæcunq; poterat, clanculo decruſtabat. Sed quemadmodū bonis Dei malè vtendo mali, ipſa bona Dei quantum in ſe eſt, quodammodò conuertunt imò peruertunt in malum; ita è contrario ſummus artifex mala malorum quandoq; etiam in bonū conuertit ipſorum. Vt enim ad propoſitum redeamus, ille prędictus Eccleſiaſticæ cuſtodiæ deputatus, cùm iam inolita vitiorum conſuetudine ipſam conſuetudinem peccandi ſibi quaſi legem feciſſet, miſericorditer à Domino viſitatus, atque correptus eſt, iuxta illud; Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.

Pſalm 88.

Nocte

Nocte igitur quadam, dum in ipſa Eccleſia ſomnũ caperet, ſeruus Dei aſpectu terribilis illi apparuit, qui & aſperè inuectus in eum dixit; ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum. Quare hoc & hoc feciſti? Scito, quia rem iniquam operatus es. Hoc dicto, illum de ſtratu ſuo protraxit, & multis verberibus cæſum, cruentatũ dereliquit. Hæc quidem ſomnians pertulit: ſed expergefactus ſigna plagarum euidentia demonſtrauit, & verba verberum argumentis comprobauit. Taliter ab immani præcipitio retractus, idem ipſe poſtmodum in ſuo miniſterio vſq; ad prouectiorem ætatem in Eccleſia permanſit, & in eius correctione multi correcti ſunt, glorificantes Deum, qui per ſeruum ſuum iam coronatum in cœlis talia operatur adhuc in terris.

S. Henricus apparet ſiraci æditu o. Dan 13.

XXXIV. QVADAM vice incerto caſu cuidam accidit, vt diſſociatis ab inuicem naturalibus inſtrumentis, mandibula loco ſuo dimota, & oris impediret officium, & naturalem humani decoris compoſitionem deformaret. Doloris, & deformitatis accedebat moleſtia, quam perpendere in alio commodè valebimus, ſi ad noſtri corporis infirmitatem animo * recurramus. Talibus circumuentus incommodis clamauit ad Dominum, & diuinæ pietatis obnixius implorauit auxilium. Vt ergò opera Dei manifeſtarentur in illo, multis aſſiſtentibus, & videntibus, ad tumbam beati acceſſit, & capite ſuper impoſito, tam diu precibus inſtitit, quo ad vſque per merita ſerui Dei ſanitatem, quam deſiderabat, accepit. Quid enim? Neceſſarium enim eſt, vt, qui Domino vniuerſæ creaturæ obediunt, illis creatura omnis certis legibus rationis per omnipotentis Dei virtutem obediat.

* Recurrerimus.

XXXV. ITEM in alio tempore contigiſſe in veritate audiuimus, vt quidam à paralyſi vſque adeò vexaretur, vt exinde vſum brachij perdidiſſet: nutu diuino admonitus eſt, vt ad ſepulturam ſancti corporis accederet; & proſtratus in oratione Dei omnipotentis miſericordiam per beatiſſimi viri ibidem requieſcentis merita inuocaret. Toto itaq; corpore proſtratus, orationibus incubuit. Quid ergo? Chriſtus filius Dei, qui ſuper terram gradiens manum aridam habentem ſanauit; idem nunc ſedens ad dexteram Patris, eodem inuocato miraculo, per merita dilecti ſui, ſupplicem iſtum liberauit. Sanus equidem ab oratione ſurrexit, & Deum propitiatorem in commemoratione ſancti ſui glorificauit. Clamor ad cœlum attollitur & cum debita gratiarum actione hymnus gloriæ omnipotenti Deo ab vniuerſis aſſiſtentibus decantatur.

XXXVI. HOC quoque ſucceſſoribus noſtris indicare curauimus, quod in diebus Rogationum ad ſepulcrum prædicti Confeſſoris contigiſſe veraciter cognouimus. Quidam enim ſacerdos cum populo ſuæ procurationi commiſſo in diebus Rogationum crucem cum hymnis & canticis ad Monaſterium ſcilicet ſancti Petri, & S. Georgij deferebat: cum quo quidam cœcus alterius manu ductus, veniebat. Is cum ad ſepulcrum Confeſſoris Chriſti veniſſet, ex toto corde ſuo rogauit ſanctum Heinricum, vt per eius interuentum, reſtitueretur ei lumen oculorum. Cumque diu precibus & lacrymis pulſaret ad oſtium pij Confeſſoris, cunctis videntibus & in laudem Dei acclamantibus, redditus eſt ei viſus per gratiam omnipotentis. Et mirum in modum, qui alterius manu ductus Crucem Domini ſecutus fuerat cæcus, modò proprijs manibus Crucem ferens cum laudibus Chriſti, populo domum redeunti ductum præbuit illuminatus.

Dies rogationum & in ijs publica proceſſio.

XXXVII. ALIVD quoque diuinæ virtutis miraculum celebri commemoratione, & certa fide cognitum eſt. Erat quidam languidus ipſa in ciuitate omnibus cognitus, cuius inferiora omnia à lumbis & infra omninò præmortua fuerũt adeò vt nec pedibus ſolo niti valeret, ſed inſtrumento cuidam rotulis quatuor coaptato pendulus inhærebat, ſuique corporis molem manibus proprijs pro poſſibilitate artificis volutabat. Idem loculum ſanctiſſimi corporis frequentius viſitare ſolebat: & per Dei miſericordiam ad * celebranda ſerui ſui merita, tantam gratiam eſt conſecutus, vt membra præmortua viuificarentur, ac deinde baculis vtroq; humero ſuppoſitis, pedibus terram tangeret, & erectus incederet.

* Declaranda.

XXXVIII. MODERNIS etiam temporibus quidam contractus, qui adhuc in carne ſupereſt, in eodem loco ſanatus eſt, & naturalem vſum ambulandi recepit. Præter hæc multa alia ſanctitatis argumenta, & experimenta frequenter in eodẽ loco viſa ſunt: debiles curati, cæci illuminati; dæmones ex obſeſſis corporibus viſibiliter fugati: multi ex diuerſis infirmitatibus ibidem frequentiſſimè liberati ſunt, Domino teſtificante, quanta ſanctorum gloria in cœlis ſit, quos tantis miraculorum virtutibus in terris coruſcare concedit: ne apud homines loco humili teneantur, qui apud Deum meritis excelſi eſſe comprobantur.

XXXIX. CVM etenim miraculorum atteſtationibus ſanctitatem Confeſſoris ſui Dominus declararet, Babenbergenſis Eccleſiæ Prælati crebreſcentibus ſignis, cum mandatis & literis Chunradi Regis ac Principum Romam abierunt, & quàm magna mirabilia Deus per Confeſſorem ſuum operetur, Domino Papæ Eugenio, & Romanæ curiæ nuntiauerunt. At illi gaudentes, & pro tantæ famæ dulcedine Deum glorificantes, de [a] Canonizatione ſancti Regis Heinrici cœperunt ſolicitè, ac diligenter ad inuicem conferre, quatenus in Catalogo conſcriberetur Sanctorum, qui virtutibus & ſignis probaretur aſſumptus eſſe in regnum cœlorum. Cui canonizationi quidam Cardinalis, Ioannes nomine, cœpit vehementer obſiſtere, & proiecto timore Dei, in quibuſcunq; potuit, non verecundatus eſt, prædicto Confeſſori detrahere. Sed [b] diuina vltio detrahentem cœleſti verbere repente coërcuit, & dum famam beati viri laceraret, poteſtas Dei lumine oculorũ eum priuauit. At ille * adeò percuſſus & humiliatus cæcitatis moleſtia, & reatus ſui conſcientia, cœpit torqueri; & quomodo hanc plagam in confeſſorem Chriſti peccando meruiſſet, publica voce confiteri, & mirum in modum, quem prius dentibus detractionis lacerabat, hunc modò laudibus & præconijs vſq; ad ſidera extollebat. Conuerſus itaq; ad pœnitentiam celerem conſecutus eſt indulgentiam, & per interceſſionem Confeſſoris Chriſti denuo eſt illuminatus, ob cuius vltionem iuſto iudicio Dei, fuerat excæcatus.

Conradus Rex, qui Hieroſolymis fuerat, mortuus 1152.

* à Deo.

[a] De Canonizatione S. Henrici ab Eugenio III. facta lege Bar. Tom. XII. A. 1152. vbi Bullam Canonizat. recitat, quam nos ſub finem adiecimus. [b] Vltio diuina in Cardinalem ſancto Henrico Imp. detrahentẽ.

XL. SIMILI modo cùm in loco Babenbergenſi, vbi prædictus Confeſſor tumulatus fuerat, de Canonizatione eius celebris fama haberetur, vir quidam religioſus de ſignis, quæ per eum fiebant, cœpit dubitare, & de permutatione exequiarum, quæ in anniuerſario eius celebriter fiebant intra ſemetipſum dolere: qui mox oculorum caligine adeò eſt plagatus, vt poſtea per Confeſſorem Chriſti ſanatus, quantum ſanctitas eius apud Deum poſſet, in curatione ipſius experiretur. Et mirandum eſt valdè, quod de ſanctitate tanti viri aliquis dubitare potuerit, cum conuerſationis ſanctitatem, caſtitatis integritatem, eleemoſynarum largitatem, humilitatis cuſtodiam, & omnia opera iuſtitiæ vſq; in finem vitæ ſuæ cum deuotione ſumma ſeruauerit. Sed, ſicut ſcriptum eſt; nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Vir ergò prædictus defectu luminis grauatus confugit ad patrocinia ſanctorum, deprecans, vt per eorum ſuffragia ſanitas ſibi reſtituatur oculorum. Et cùm ex dolore & labore aſſidua * venarum incuruatione fatigatus fuiſſet, laſſatum corpus ſomno reparauit. Cui dormienti S. Wolfgangus eò quòd eum familiarem in orationibus ſuis habuerit, apparuit; & ait ei. Ora Confeſſorem Chriſti Heinricum, & liberabit te, quia, quod eius ſanctitati derogaſti, idcirco hæc plaga cæcitatis venit ſuper te. Poſt hanc viſionem expergefactus, ex conſcientia delicti ſui contremuit, & ad tumbam Chriſti Confeſſoris concito gradu, & deuota mente properauit. Et procumbens terræ, à Confeſſore Chriſti lacrymis, & precibus, ſuis exceſſibus veniam poſtulauit. Qui ſtatim exauditus, & priſtinæ ſanitati reſtitutus, gratiarum actiones Deo & ſancto Heinrico retulit, & magnalia Dei, quæ circa ipſum Deus fecerat, religio-

Luc 4.

* Genuum.

religioſis viris, qui nobis retulere, ipſe narrauit. Caueant igitur habitatores ſæculi domeſticis Dei & ciuibus ſanctorum detrahere. Quia, neceſſe eſt, eos hîc & in æternum perire, qui ſanctorum bonis operibus ſolent obloqui & inuidere. Quamuis ergò nunc tempora miraculorum non ſint: Signa enim debentur non fidelibus, ſed infidelibus: tamen cum aliqua nobis præter ſolitum curſum ordinemq; naturæ eueniunt, omni veneratione amplectenda ſunt: quatenus & ipſe, qui in ſanctis ſuis mirabilis eſt, honoretur, & tarditas noſtra ad meliora queq; tantis virtutibus accẽdatur: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Sequuntur miracula, quæ cõtigerunt, cum reliquiæ S. Heinrici ex loco, vbi obijt, Merſeburgum transferrentur.

TEMPORE illo, quo venerabilis Abbas Merſeburgenſis Eccleſiæ Volemarus, reliquias Beati Heinrici Con- XLI.
feſſoris Saxonicæ terræ inuexit, ſexus vtriuſque turba, famâ diuulgatâ, obuiam venit: Ex quibus quoſdam recuperandæ ſoſpitatis cauſa: quoſdam verò feruens ſtudium, quod ab antiquo, circa eiuſdem Regis nomen habuerant, attraxit: Eò quod terræ ſuæ ſtatum frequenti paganorum incurſu quaſſatum, illum reformaſſe, priorum relatione didicerant. Sed meritorum eius præconia cœperunt in ipſo itineris proceſſu, euidentibus miraculorum indicijs declarari: in quo diuerſis morborum generibus oppreſſi, ſaluti priſtinæ fuerint reſtituti, referre per ſingula, tædium ſcribenti, & faſtidium forſitan generaret legenti: Tamen [a] hoc non ſilendum, quòd in pleriſque curationum locis, in teſtimonium diuinitùs oſtenſæ virtutis, cumuli haud grandes, vulgi ſtudio, congeſti excreuere; vt his viſis poſteritas illi reuerentiam exhiberet, cuius meritis tot genti ſuæ beneficia collata videret. Veruntamen his interim omiſſis, ea referenda ſunt, quæ in memoria hodieq; tenentur à multis.

[a] Obſerua morem ponendi monumentum, in locis, vbi miracula patrata.

INTER ægros, quorum multitudo ſalutem petens comitabatur, adoleſcens quidam irrefragabili membro- XLII.
rum contractu globatus à parentibus portabatur * geſtatoria. Qui, nil in via conſecutus, ad Eccleſiæ limen vſque perducitur. Procedit obuiam reliquijs digno cultu chorus Monachorum ac Clericorum, non tam eius loci, quàm ex alijs Eccleſijs confluentium. Deinde, vt moris eſt, concentu vulgi & cleri mixtim concrepante, regreditur. Miſſarum quoq; ſolemnitas ritu feſtiuiore de ipſo Beato Heinrico inchoatur. At claudus ille inter agmina conſtipantium vix Eccleſiæ illatus, iuxta altare, vbi reliquiæ fuerant collocatæ, deponitur. Videres in eo illud Iſaiæ compleri; Saliet ſicut ceruus claudus, & clara erit lingua mutorum. Cœperunt enim neruorum eius vincula ſolui, pedes, cruraq; extendi; illeq; in oculis omnium proſiliens, quanto potuit vocis conamine, virtute ſe factam proteſtari. Sicque officium greſſus, quod vſus ab ipſo natiuitatis eius exordio negauerat, gratia Chriſti per merita Beati Heinrici reparabat. Vox in laude Dei vtriusq; ſexus attollitur in altum. Sanatus ante altare communicaturus ſiſtitur; ſicq; ad propria cum parentibus regreditur.

* In Sella.

Iſaiæ 35.

DÆMONIACI tres, vnus maſculus & duæ fœminæ in eodem loco curati ſunt: qui nomen Heinrici blaſphe- XLIII.
mando ingeminantes frequenter: tandem cum ſtridore horrifico, ſedes, quas tenuerant, reliquerunt. Vnus eorum pertinacior cæteris, diu ſancti nominis inuocationi renitens cùm ad ſe reliquias deferri cognoſceret; modò, cùm per ſe Heinricus venit, non ſubſiſtam, inquit: ſtatimque cum clamore magno hominem poſſeſſum deſeruit. Hæc ipſa die aduentus reliquiarum infra miſſam geſta ſunt.

ERAT in territorio Merſeburgenſi mulier diu cæca, quæ, familiaribus greſſus ſuos regentibus, in occurſum XLIV.
reliquijs vltra poſſibilitatem, ſpe recuperandi viſus, properabat, nihilq; ſalutis in via ſe recepiſſe, peccatorum ſuorum obſtaculo adſcribens, triduo peruigil & indefeſſa prece, Chriſti miſericordiæ ianuam pulſauit: tandemque lucis optatæ ſuffragium per merita Beati Heinrici obtinuit. Hæc in eadem, qua prius, villa, diu vixit: tamque clarens omni terræ illi eiuſmodi miraculum fuit, vt nulli ferè, maximè horum, qui tunc temporis fuere, incognitum eſſe poſſit.

ITEM inter occurſantes à remotioribus terræ illius partibus, mulier quædam non ſolùm inceſſu priuata; ſed XLV.
& totius corporis miſerabili ſpecie deformis & diſtorta à conniuentibus vehiculo trahebatur. Quæ, de Beati Heinrici patrocinio confidens, propter vbiq; iam vulgata virtutum eius inſignia, nomen illius aſſidua inuocatione cum oculorum, manuumq; extentione memorabat. Ideoq; quod totis animi votis quæſiuit, in itinere adhuc inuenire meruit. Laxatis ſiquidem fibris, ac gibbi modo reflexo, totoq; corpore in habilem redintegrato formam, vocem in ſe virtutis oſtenſæ * præconam fudit. Verſisq; in ſtuporem commeantibus, vehiculum deſerit, & lætantes de Dei magnalibus, lætior ipſa præcedens ad Eccleſiam venit: ac vota pro recipienda ſoſpitate factura venerat, iam eâ potita, triduo illic morata ſoluebat.

* Præconem

IN ciuitate Hallenſi, quæ duobus à Merſeburgenſi loco miliaribus diſtat, fuit matrona quædam non ignobi- XLVI.
lis; quæ, iugi ferè dentium dolore vexabatur, adeò, vt paulatim robore dentium abſumpto, ſpem ſalutis aſſiduitas negaret doloris. Cumq; noctis cuiuſdam initio vehementius acerbitate morbi ſtimularetur, cum graui ſuſpirio hanc prorupit in vocem: O beate Heinrice, qui omnium te quærentium neceſſitati ſuccurris, me peccatricem plena fide te inuocantem, ne deſpice; ſed fac, vt vel vnius noctis per tuum patrocinium perfruar quiete. His dictis, præ tædio, caput ad modicum reclinanti ſomnus obrepſit: ſtatimq; omnis, quo diu laborauerat, dolor funditus abſceſſit.

IN Monaſterio Beati Petri, quod Merſeburgenſi ciuitati contiguum eſt, res talis accidit, cuius ferè omnis con- XLVII.
gregatio meminit, ipſeq; frater, de quo ſermo eſt, adhuc ſuperſtes inquiſitus, cum gemitu referre conſueuit. Cùm feſtum Beati Heinrici, patri voto, longè lateq;, omnes terræ illius Eccleſiæ, ritu feſtiuiore, colendum exciperent; eadem, quanto vicinior, tanto in laude illius prompta, pro ſuo poſſe, cœpit eſſe ornatior. Sed quia impoſſibile eſt, vt in proſperis quis, quamuis iuſtus, quamuis ſanctus, liuorem effugiat, Frater quidam, inuidiæ ſtimulis actus, eius ſanctitati non timuit derogare, & modis omnibus, ejus, quantum in ipſo fuit, reniti gloriæ, in tantùm, vt ea die, cultiora quæque, (quia tunc cuſtodis officio fungebatur) occultaret, & ſignorum grandium conſonantiam præpediret. Sed non diu frater ille impunè Dei, & Beati Heinrici tulit offenſam. Nam cœpit ſubitò toto corpore ferè quinq; ſenſuum officio priuari: deinde animi rigore laxato, palàm omnibus Dei iudicium in ſe proteſtari, ſicq; necdum ad perfectum ſanatus, aliquantulum in melius reparari.

HOC, quod ſubiungam, ipſo, de quo dicturus ſum, Epiſcopo referente, Deo teſte, cognoui. Cum Polonia XLIIX.
iugum imperij, vtpote gens rebellis & effera, & magis ſaltuum & paludum inuijs, quàm virium robore confiſa, de ceruice ſua niteretur excutere: ad reprimendam eius contumaciam glorioſus Imperator Fridericus animum intendit. Cumq; indicta generali expeditione, copioſus à diuerſis Regni partibus contractus eſſet exercitus: Principes terræ illius, & omnis populus timore correpti, quippe qui regni vires contra ſe moueri: ſe autem impares, & inexpertos peritiæ belli videbant, ad placandam regis iram legatos mittentes, iterata ſubiectione prioris diſſidij errorem corrigere omnimodis promittebant. Ad hoc ergò reuerendæ perſonæ, miræque prudentiæ Epiſcopum Plocenſis Eccleſiæ Wernherum elegerunt, cumque cum donis regiam magnificentiam decentibus, ad Imperatorem Aquiſgrani morantem, & oſſa Caroli Magni leuata in thecis auro gemmiſque confectis recondentem direxerunt. A quo diu repulſus, tandem interuentu Principum, in gratiam admiſſus, legatione ad votum peractâ, cum reliquijs S. Heinrici, aliiſque donis ab Imperatore perceptis redit: Et in nemore, quod Xurbiæ ac Poloniæ terminis interiacet, mediante

diante iam die, tentoria figi præcepit. Cumque poſt refectionem feſſos ex itinere artus quieti dediſſet, quidam in ſomno, regia veſte circumamictus, & dextra ſceptrum gerens illi adſtitit, hiſque verbis eum allocutus ait: Quid in hac vaſta ſolitudine ſomno deprimeris? Quæ tecum neſciens geris? Et dum ille perterritus, quiſnam eſſet, interrogaret: Ego ſum, ait, Heinricus, Babenbergenſis Eccleſiæ fundator; qui in temporalis vitæ curſu, immortalitatis compendium à Domino promerui. In eo ergo, quo iaces, loco, Eccleſiam nomini meo, prout tempus permittit, conſtrue, ſciens, proculdubio, proceſſu temporis, diuinum in eo ſeruitium augmentari. Surgit igitur Epiſcopus, ſtatimque per famulantium ei manus certatim ruentibus lignis, in modum habilem fecit Eccleſiam, ſed de lapidum penuria, qui ibidem audiri, non videri conſueuerant, dum anxius circuiret Epiſcopus, caſu baculum, quem ferebat, in aggeſtum terræ cumulum figens, lapidum copiam in ſimilitudinem quadratorum reperit; ſicque altare componens, Dei & Beati Heinrici, ſanctique Sigiſmundi Regis nomini dedicauit. Vbi nunc, multis adſtipulantibus, maior Eccleſia conſtruitur, ac monachicæ profeſſionis Ordo inchoatur; quodque ille prædixerat, iam impleri videtur. Hac igitur occaſione nomen Beati Heinrici apud illas nationes in veneratione cœpit haberi.

XLIX. QVODAM tempore cum non modica multitudo pauperum, varijs languoribus oppreſſa, in Eccleſia Merſeburgenſi non ſolum ſanitatem corporis; ſed & ſtipem importunè petens confluxiſſet: Populus, qui, orationis cauſa, aduenerat, prout facultas permittebat, vnicuique miſericordiæ manum porrigebat. Vbi ruſticus quidam è proxima villa, cupiditate ſordens, neruorum contractionem ſimulauit, & recuruato pede in medio languentium conſedit. Quem, dum rei domeſticæ cura regredi compuliſſet, iamque baculo inniſus, ficto greſſu, extra limen Eccleſiæ proceſſiſſet, locum quærit opportunum, vt pede reflexo, expeditius, quò tendebat, perueniret. Sed Deo, & Beato Heinrico dignam eius meritis pœnam ingerente, miſeriam, quam antè ſimulauerat, iam dolore irrefragibili, pede nati cohærente, ſentiebat. Quid ageret? Pudor, dolorque conflictu pari in eius mente decertabant. Pudor propalare rem geſtam prohibebat. Dolor, confiteri cogebat. Vicit tamen timor. Et omnes hæc audientes, grandis apprehendit timor. Hoc itaque indicio cunctis claruit, Dei famulum non ſolùm votis piè quærentium adeſſe; verum etiam talia præſumentibus diſtrictum obeſſe; ſicque deinceps perfidorum præſumptio talis ceſſauit.

Nefaria cuiuſdam ſimulatio caſtigatur diuinitus.

L. EST Eccleſia parochialis Eccleſiæ B. Petri in veteri Caſtro contigua. Iuxta quam reſidens cœcus quidam, audiuit concentum populantium in reparatione cuiuſdam ægri deuotiſſimè congratulantium. Erat autem hic de terra, & de gente Sclauorum: quibus ſimplicitas, vel irrationabilitas, prauitate quadam ingenij, naturalis eſt adeò, vt vix vel tenuem fidei videantur habere ſcintillam. Quærit ergò cauſam talis concentus. Cui, cùm pro ſanatione languentis hæc fieri, indicatum eſſet, ait: Iſte Heinricus Teutonicus cum ſit, ſolis Teutonicis gratiæ ſuæ præſtat ſubſidium: Mihi verò, gentique meæ hominibus nihil vnquam beneficij contulit. In riſum ergò, qui aderant, excitantur. Quidam verò ſanioris animi, vt Eccleſiam petat pro ſalute ſua rogaturus, adhortantur. Ductus itaque, vbi reliquiæ Beati Confeſſoris ſeruabantur, humi proſternitur: Et paulò poſt pietatem Teutonici, Sclauus ipſe, quam negari ſibi querebatur, experitur. Cœperunt enim ab oculis eius albedines in modum ſquamarum auelli, optatumque lucis ſuffragium in eo redintegrari. Vnde gens illa, quæ vt dixi, ruſtica ſimplicitate, & fidei puſillanimitate ſe ſperni arbitrabatur, hoc beneficio, fiducia, ſpeque reſumpta, vltra omnes Beatum Heinricum ſtudio deuotiori venerabatur.

Cœcus lumine donatur.

LI. HVIVS rei, quam dicturus ſum, tot ferè teſtes habentur, quot fratres, qui tunc temporis fuere, apud præfatam B. Petri Eccleſiam inueniuntur: qui eam tanto fidelius, quanto verius agnouiſſe contigit, atteſtantur. In quadam eorum villa ciuitati proxima, ruſticus quidam, graui tactus infirmitate, officium pedis vnius amiſerat, adeoque arentibus neruis ac carne præmortua emarcuerat, vt humana ſolertia, vel ſtudio in eo recuperari ſanitatem, tam ipſi, quàm omnibus eum intuentibus, impoſſibile videretur. Vnde, quod ab homine fieri deſperabat, ab eo, cui nihil eſt difficile, ſed ſolus reſtaurat vniuerſa, per Beati Heinrici patrocinium, fide firma, ſpe ſolida, quærens; eius miſericordiæ ianuam fletibus aſſiduis, ieiunijs crebris pulſauit, & tandem in formam priſtini greſſus reſtitui meruit.

Claudus curatur.

LII. IN pago quodam miliari vno à Merſburgenſi caſtro diſtante, mulier ſurda & muta ab exordio natiuitatis ſuæ, à propinquis & ciuibus, miſericordiæ ſinu fouebatur. A quibus, ad Eccleſiam perducta, nutibus & ſignis, quibus erga eam vti poſſibile fuit, ante beati Confeſſoris reliquias prona ſterni iubebatur. Sed illa iumento inſipienti ſimilis, pro ſe nil rogare nouerat; vel quod eſſent reliquiæ, aut quid gereretur, penitus neſciebat: cui tamen fidelium pro ſalute eius in commune ſupplicantium oratio, fideſq; ſubueniebat, & per Beati Heinrici ſuffragia, vt ipſa poſtea teſtabatur, in vtroq; corporis officio reformari meruit ex integro.

Mulier ſurda & muta audit & loquitur.

LIII. CVM excubiæ ſacræ à fidelibus circa theſaurum incomparabilem ſine intermiſſione fierent, ita vt alijs recedentibus, alijs venientibus, die noctuque fores Eccleſiæ non clauderentur, cuſtos Eccleſiæ inter oues, lupos, ſub vellere ouium latentes, non facilè agnoſci conſiderans, auferri furtim reliquias metuebat. Ad quod præcauendum ex quadris lapidibus, facto ſatis habili reconditorio, eas in illo locauit. Cui etiam oſtiolum ex pino, quod, cauſa poſcente, claudi & aperiri poſſet, impoſuit. Nocte ergò quadam, infra Curſum, matutinum lumen incautius eidem apponens, chorum, quem ſtudioſius alijs frequentabat, ingreditur: ſed paulò poſt fumum ſentiens, & quid accideret, animo præſago concipiens, ad locum feſtinus reuertitur: inuenitque oſtiolum à flamma tangi & fumum dare, ſed non lædi. Cuius hæc meritis, niſi eius, cuius illic reliquiæ ſeruabantur, poſſunt adſcribi? Poterant quidem, abſq; ligni & lapidis repoſitione, à raptu alieno, ipſo mediante, ſeruari: ſed pius Confeſſor Dei, laborem & ſtudium deuotè ſibi obſequentium, noluit incaſſum deperire; ne vel in paruo detrimento ianuæ viderentur contriſtari, ideoq; in ligno, foci viui apto, vim virtutis ſuæ ignem à Deo obtinuit obliuiſci.

Ignis vrens non comburens.

LIV. MVLIER arreptitia de reſtibus connexa manus coram prædicto reconditorio, licet multum renitens, ſiſtitur. Quæ, dæmone mugitum in aëra dante ſeque ab Heinrico torqueri vociferante, ſatis ipſa torta liberatur. Viſum eſt illi, vt præſentibus referebat, quendam capite cano, barba prolixa, veſte amictum regia, ex eodem loco proceſſiſſe, & à ſe ſpiritum nequam pugnis & minis extorſiſſe. Verùm, ſi cuncta ſigillatim, quæ diebus ſingulis facta ſunt miracula perſequi voluero, tempus me prius, quàm materia deſeret: præſertim cum numero poſſibilitatem excedente, cuſtos ipſe Eccleſiæ, qui omnibus ferè intererat, pauca de multis memoriæ tradere ſe potuiſſe perhibebat. Hoc ſolum hîc omittendum non eſt, quod de calice aureo, de quo ſupra dictum eſt, quem ob ſpeciale deuotionis ſuæ indicium idem imperator Beato Laurentio confici iuſſerat, febricitantes, aquæ, vel alterius liquoris hauſtu, curantur: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Energumena liberata.

Concluſio miraculorum.

Febricitantes curantur hauſtu aquæ vel alterius liquoris ex calice a B. Henrico dato in honorem S. Laurentij.

* * *

RESCRI-

RESCRIPTVM EVGENII PAPÆ III. SVPER CANONIZATIONE SANCTI HENRICI IMPERATORIS.

Bar. Tom. XII. Anno Chriſti 1152 num. IV.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Egilberto Epiſcopo, & dilectis filijs, Canonicis Bambergenſis Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut per literas & nuncios veſtros vobis mandaſſe meminimus, venerabiles fratres noſtros. N. ſanctæ Ruffinæ Epiſcopum, & N. preſbyterum Cardinalem pro diuerſis negotijs ad partes illas de noſtro latere delegauimus, eiſque viua voce iniunximus, vt ad Eccleſiam veſtram accederent, atq; de vita & miraculis Henrici Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & literis ſuis nobis ſignificarent. Nunc autem eorundem fratrum noſtrorum, & multorum religioſorum & diſcretorum virorum atteſtatione, de caſtitate ipſius, de fundatione Bambergenſis Eccleſiæ, & multarum aliarũ, quarundam quoq; Epiſcopalium ſedium reparatione, & multiplici eleemoſynarum largitione, de conuerſione Regis Stephani & totius Hungariæ, Domino cooperante, per eum facta; de glorioſo etiam ipſius obitu pluribusq; miraculis poſt eius obitum, ad ipſius corporis præſentiam diuinitus oſtenſis, multa cognouimus. Inter quæ illud præcipuum & memorabile plurimùm attendentes quòd cùm diadema ſceptrumq; Imperij ſuſcepiſſet, non Imperialiter, ſed ſpiritualiter vixit. In thoro etiam legitimo poſitus (quod paucorum fuiſſe legitur) integritatem caſtimoniæ vſq; in finem vitæ conſeruauit. Quæ quidem nos omnia ſimul perpendentes, atq; deuotionem veſtram & Eccleſiæ Bambergenſis, quæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſoli ſubeſſe dignoſcitur, diligenter conſiderantes, tametſi huiuſmodi petitio niſi in generalibus Concilijs admitti non ſoleat, auctoritate tamen S.R.E. quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, petitionibus veſtris acquieſcimus, atq; eiuſdem memorabilis viri, cuius exaltationem requiritis, fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, qui præſentes aderant, communicato conſilio, memoriam inter ſanctos de cætero fieri cenſemus, & anniuerſarium ipſius diem ſolenniter celebrari conſtituimus. Veſtra itaque intereſt ſic in S.R.E. obedientia & fidelitate perſiſtere, & ſic ei dignæ deuotionis obſequijs reſpondere, vt ampliori beati Petri & noſtrâ gratiâ digni inueniamini. Datum trans Tiberim pridie idus Martij.

An. 300.

VITA BEATI JACOBI NISIBITAE EPISCOPI, AVTHORE THEODORETO CYRI EPISCOPO, INTERPRETE GENTIANO

Heruetto, Habetur in Philotheo, vel ſanctorum Patrum hiſtoria.

Ivl. XV. *Exod. 14. Exod. 17. Actor. 7.* [a] Moyſes diuinitùs edoctus cõſcripſit vitas patrum teſtamenti veteris

MOSES ille diuinus legislator, qui imum maris fundum aperuit, & inundatione aquarum aridam obruit ſolitudinem, & alia omnia fecit miracula, ſcripſit res geſtas eorum ſanctorum, qui fuêre antiquitùs: non ea vſus ſapientia, quam acceperat ab Ægyptijs, ſed ſplendore gratiæ accepto à ſuperis. Vndenàm enim alioqui Abelis didiciſſet virtutem, & Enoch [a] virtutis ſtudium, & Noë iuſtitiam, & Melchiſedech primum ſacerdotium, Abrahæ vocationem, fidem, fortitudinem, &, quæ ei magnæ erat curæ, hoſpitalitatem, vulgò iactarum filij ſacrificium, & aliorum, quæ ab eo præclarè geſta ſunt, catalogum: & vt in ſumma dicam, diuinorum virorum certamina, victorias, præconia, niſi intelligentis diuinique ſpiritûs radios accepiſſet? Hoc mihi quoquè in præſentia opùs eſt auxilio, qui conor eorum vitam ſcribere ſanctorum, qui parùm ante nos & noſtris temporibus claruêre, & veluti quaſdam leges ijs, qui imitari volent, velim proponere. Horum ergò ſunt preces inuocandæ, & incipiendum eſt narrare. I.

Niſibis patria S. Iacobi. Degit ſolitarius. Cibus eius. Veſtis aſperrima.

NISIBIS eſt ciuitas in confinio regni Romanorum & Perſarum, quæ olim quidem erat Romanis vectigalis, & eorum parebat imperio. Ex ea ortus magnus ille Iacobus, ſolitariam vitam & quietam eſt amplexus: & altiſſimorum montium occupatis verticibus, in eis vitam egit, vère quidem & æſtate & autumno vtens ſyluis, & pro tecto habens cœlum: tempore autem hyemis, antrum ipſum excipiebat, quod ei paruum præbebat tegumentum. Habebat autem alimentum, non quod cum labore naſcitur & ſeritur, ſed quod ſua ſponte producitur. Nam ex ſylueſtribus colligens arboribus fructus, qui ſpontè naſcuntur, & ex herbis eas, quæ ſunt eſculentæ, & habent inſtàr olerum, ex ijs dabat corpori ea, quę ſatis erant ad viuendum, ignis vſum recuſans. Vſus quoquè lanæ erat ei ſuperuacaneus. Aſperrimi enim caprarum villi, eius vſum implebant. Ex eis ipſi fiebat & tunica, & ſimplex amiculum. Ità corpus affligens, ſpiritale alimentum aſſiduè exhibebat animo, & cogitationis facultatem expurgans contemplantem, & diuini ſpiritûs perſpicuum efficiens ſpeculum, reuelata facie, ex diuini Apoſtoli ſententia, gloriam Domini ſpeculans, in eandem transformabatur imaginem, à gloria in gloriam, tanquàm à ſpiritu Domini. Hinc quæ ei erat in Deum fiducia, augebatur in dies, & à Deo petens, quæ oportebat petere, ea ſtatim accipiebat. Porrò autem hinc quoq; futura præuidebat propheticè, & virtutem ad facienda miracula à ſanctiſſimi ſpiritûs accipiebat gratia. Ex his pauca narrabo, & Apoſtolici eius ſplendoris radium ijs, qui neſciunt, aperiam. II.

2. Cor. 3. Habet donum prophetiæ & virtutem operandi miracula.

VIGEBAT illo tempore in ſimulacra hominum inſania, & inanimæ quidem ſtatuæ diuinum cultum ſibi vendicabant: Dei autem cultus negligebatur à plurimis: contemptui autem habebantur, qui eorum ebrietatis nolebãt eſſe participes, quique perfecta virtute præditi, ea quæ ſunt, diſcernebant: & ſimulacrorum quidem videbant imbecillitatem, vniuerſorum autem adorabant opificem. Illo tempore Iacobus venerat in Perſidem, viſurus plantas veræ religionis, & ei quam par erat, curam adhibiturus. Cùm is autem fontem tranſmitteret, puellæ quædam, quæ pannos lauabant, & veſtes pedibus emundabant, nè nouum quidem, & qui decentem præ ſe ferebat grauitatem, ſunt reueritæ habitum: ſed exuto pudore & perfricta facie, & impudentibus oculis diuinum hominem adſpiciebant, neq; capita operientes, neque veſtes, quas ſuccinxerant, demittentes. Hoc cùm ægrè tuliſſet homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore oſtendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem eſt execratus, & fluentum confeſtim euanuit: puellas quoquè eſt execratus, & impudentem earum iuuentutem caſtigauit, canis ante tempus inductis. Et ſermonem factum eſt conſecutum, mutatuſque eſt nigror pilorum, & ſimiles euaſerunt nupèr plantatis arboribus, quæ vère circumtectæ ſunt folijs autumnalibus. Eæ autem cùm ſic ſenſiſſent ſupplicium, (Nam fontis fluenta effugerant, & ſua inuicèm capita intuentes, videbant repentinam illam mutationem) curſu ad vrbem contenderunt, renunciaturæ illud, quod acciderat. Illi autem cùm accurriſſent, & magnum Iacobum offendiſſent, rogauerunt vt iram compeſceret, & ſupplicium remitteret. Ille autem non diù cunctatus, Domino quidem preces obtulit, fluenta autem rursùs ſcatere iuſſit. Illa verò mox rursùs è ſuis emanârunt penetralibus, iuſſi deriuata nutibus. Illi autem cùm hoc impetrâſſent, petebant vt filiarum quoquè ſuarum crinibus color ſuus redderetur. Aiunt autem eum hoc quoquè conceſſiſſe, requiſijſſe autem puellas, quæ illam acceperant diſciplinam: & quoniam non venerant, reliquiſſe ſupplicium, documentum temperantiæ & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum & euidens monimentum. Tale eſt noui huius Moſis miraculum: quod quidem non factum eſt virgæ percuſſione, ſed operationem accepit ſigno Crucis. Ego autem præter miraculum, valdè quoquè miror manſuetudinẽ. III.

Venit in Perſidem. Maledicit fonti & puellis, vt eas Domino lucretur. Reſtituit fontem. Vis ſigni Crucis.

Neque

Neq; enim vt magnus Eliſeus, impudentes illas puellas vrſis tradidit immanibus: ſed quadam innoxia diſciplina, & quæ dedecoris parum habebat, vſus, pietatem ſimul docuit & moderationem. Hæc autem dixi, non vt prophetam ſæuitiæ accuſem, (abſit, vt adeo inſaniam) ſed vt oſtendam, quod cum eandem haberet virtutem, ea effecit, quæ congruebant Chriſti manſuetudini & nouo Teſtamento.

4 Reg. 2.

IV. Is cum aliquando vidiſſet iudicem Perſam, iniquam tuliſſe ſententiam, quendam maximum lapidem, qui prope ſitus erat, execratus, iuſſit eum conteri & diſpergi, & illius iniquam arguere ſententiam. Lapide autem ſtatim comminuto in particulas innumerabiles, conterriti fuêre qui aderant: horrore autem plenus iudex, reuocauit quidem priorem, alteram autem iuſtam tulit ſententiam. Et hic quoque ſuum Dominum eſt imitatus: qui cum vellet oſtendere, ſe ſua ſponte ac libentem ſubire paſſionem, & facile, ſi voluiſſet, puniiſſet ſceleratos, non eis intulit ſupplicium, ſed ficum inanimam verbo areſaciens, ſuam oſtendit virtutem. Hanc ipſe quoque imitans clementiam, non puniit iniuſtum iudicem, ſed ictu lapidis illum docuit iuſtitiam. Cum his rebus eſſet inſignis, & omnibus amabilis, & in ore omnium verſaretur, trahitur ad munus pontificatus, & ſuæ patriæ præficitur. Cum illam autem montanam viuendi mutaſſet rationẽ, & ciuilem vitæ conſuetudinem non ex ſui animi cepiſſet ſententia, neque cibum mutauit, nec veſtitum: ſed loca quidem erant mutata, vitæ autem inſtitutio nullam accipiebat mutationem. Creſcebant vero labores, & erant longe maiores prioribus. Ieiunio enim, & cubili humi ſtrato, & ſacco, quo induebatur, acceſſerant etiam omnino curæ eorum, qui indigebant: vt de viduis, inquam, eſſet ſolicitus, & prouideret orphanis, & eos, qui iniuriam faciebant, argueret, & iis, quibus fiebat iniuria, iuſtum adferret auxilium. Et quid opus eſt omnia recenſere apud eos, qui norunt quænam illis competant, qui hanc ſuſcepere curationem? Inſigniter autem ille tales amplectebatur labores, vt qui ouium Dominum inſigniter & cuperet, & timeret. Quo autẽ virtutis opes colligebat maiores, eò maiore ſanctiſſimi ſpiritus fruebatur gratia.

Magno miraculo cogit iudicem reuocare iniquã ſententiam.
Matth 21
Creatur Epiſcopus Niſibis.
Nec victũ, nec veſtem mutat.
Cura pauperum &c.

V. Et cum aliquando ei in vicum quendam aut oppidum iter eſſet, (neque enim locum ſatis teneo) ad eum accedunt quidam pauperes, vnumquempiam ex eis, qui cum eis verſabantur, tanquam mortuum proponentes, & quæ ad illum ſepeliendum erant neceſſaria, ſupplices ab eo poſtulantes. Ille autem conceſſit quidem rogantibus: Deo autem preces obtulit tanquam pro mortuo, rogans vt ei remitteret, quæ in vita peccauerat, & eum in chorum iuſtorum dignaretur admittere. Hæc autem cum dicerentur, eius, qui tunc mortem ſimulabat, euolauit anima: ſuppeditata ſunt autem corpori tegumenta. Poſtquam autem parum proceſſiſſet homo admirabilis, iubebant eum, qui iacebat, ſurgere, ii qui actũ compoſuerant. Poſtquam autem viderunt eum non exaudire, & quod ſimulabatur, id verum euaſiſſe, & in veram faciem mutatam eſſe perſonam: ad magnum quidem adeunt Iacobum, ſuppliciter autem obſecrantes, & ad pedes eius prouoluti, & actus quem temere agendum ſuſceperant, dicentes cauſam fuiſſe paupertatem, rogabant vt ſuum eis remitteret delictum, & ei, qui iacebat, ablatam reſtitueret animam. Domini itaq; imitans clementiam, & preces exaudiit, & oſtendit miraculum: vt qui vitam precibus ablatam, per preces iacenti reſtitueret. Hoc autem mihi quidem videtur eſſe ſimile magni Petri miraculo, qui Ananiam & Saphiram ſuffuratos mentitoſque morti tradidit. Et enim hic quoque ſimiliter eius, qui veritatem erat furatus, & mendacio erat vſus, abſtulit animam. Sed ille quidem cum furtum cognouiſſet, (reuelauerat enim gratia ſpiritus) intulit ſupplicium: hic autem actus argumentum neſciens, obtulit quidem preces: ſtitit autem vitæ curſum ei, qui ſimulauerat. Et diuinus quidem Apoſtolus mortuos à calamitate minime eripuit: (Salutaris enim prædicationis initia metu opus habebant) hic autem cum eſſet refertus gratia Apoſtolica, & puniit ad tempus, & pœnam mox remiſit. Hoc enim opus habebat is, qui eſſet lucrifacturus eos, qui offenderunt.

Fraus pauperum punitur.
Diſce hinc, quam non ſit recens, orare pro defunctis.
Excitat mortuum.
Actor. 5.

VI. Sed enim & eſt eundum ad alia, & ſunt illa breuiter exponenda. Poſtquam enim Arrius, in vnigenitum filium & ſanctiſſimum ſpiritum maledicti blaſphemiæque pater & opifex, in eum, qui ipſum fecerat, linguam mouens, impleuit Ægyptum tumultu & perturbatione: Conſtantinus autem Imperator maximus, gregis noſtri Zorobabel: (Illius enim inſtar, vniuerſam piorum captiuitatem reduxit ab exilio: & diuina templa humi diiecta, in altum erexit & excitauit) poſtquam ergo is omnes eccleſiarum præſides illo tempore congregauit Niceæ, venit cum aliis magnus quoque Iacobus, pro veris decertaturus decretis, vt vir fortis & princeps totius phalangis. Romanorum enim Imperio tunc parebat Niſibis. Poſtquam autem fuit dimiſſus ſacer ille conuentus, & vnuſquiſque in ſua eſt reuerſus, rediit hic quoque, tanquam vir fortis victoria potitus, exultans propter trophæa pietatis.

Arrius ſerit hæreſin.
Synodo Nicenæ S. Iacobus intereſt An. 325.

VII. Cum autem aliquantum proceſſiſſet temporis, Imperator quidem magnus & admirabilis exceſſit è vita cum coronis pietatis. Illius autem filii fuêre hæredes imperii orbis terræ. Tunc Rex Perſarum, cui nomen erat Sapores, contemptis filiis, vt quorum potentia non eſſet patriæ æqualis, bellum mouit aduerſus Niſibim, magnis & equitum & peditum copiis. Duxit autem elephantos quoque quamplurimos, & ad vrbem obſidendam diuiſo exercitu, eam circumſedit, & machinas extruxit, valloſque figens, & quod inter eos intercedit, ramis tanquam cratibus contextis obſtruens, iuſſit militibus, vt aggerem extruerent, & turres contra turres excitarent. Deinde illic ſagittarios collocans, & in eos, qui erant ſuper muros, tela iubens mittere: alios iuſſit inferius fodere, muroſque ſubruere. Poſtquam autem omnia illi erant irrita & inania, vt quæ viri diuini diſſoluerentur precibus: poſtremo cum fluuii præterfluentis, multitudine hominum fretus, fluxum prohibuiſſet, extructiſque mutis, & ad retinendum comparatis impedimentis, fluuii plurimum collegiſſet, id totum ſimul immiſit in mœnia, eo vſus, tanquam aliqua vehementiſſima machina. Ea vero aquæ inſultum non tulerunt: ſed impetu concuſſa, in illa parte funditus corruerunt. Illi vero magnum clamorem ſuſtulerunt, vtpote quod vrbs iam eſſet captu facilis, habitantium enim ciuium magnum numerum ignorabant. Diſtulere tamen irrumpere, cum viderent non poſſe vrbem adiri propter aquas. Cum ergo procul receſſiſſent, vtpote quod labor eis eſſet ceſſaturus, quieſcebant ipſi, & equos curabant. Qui autem vrbem habitabant, ex animo conuerſi erant ad ſupplicationes, magnum Iacobum habentes interceſſorem. Qui autem ætate adhuc vigebant, omnes quam maxima poterant contentione ruſſus ædificabant, nec pulchritudinis, nec concinnæ compagis vllam curam gerentes, ſed omnia temere componentes, & lapides, & lateres, & quicquid portabat quilibet: vnaque nocte opus tantum proceſſit, & in tantam creuit altitudinem, vt & ſatis eſſet ad arcendum curſum equorum, & hominum aſcenſum abſque ſcalis. Tunc omnes ab homine Dei petunt ſupplices, vt & in muris ſe oſtendat, & tela execrationum iaculetur in hoſtes. Is vero exoratus aſcendit, & eorum plurima millia contemplatus, à Deo ſupplex petiit, vt in eos immitteret nubem cyniphum & culicum. Et is quidem dixit: Deus vero emiſit, ab eo tanquam à Moſe exoratus, & viri quidem diuinis telis vulnerabantur: equi autem ac elephanti ruptis vinculis fugiebant, huc & illuc diſperſi, vt qui non poſſent illos ferre aculeos.

Rex Perſarum obſidet Niſibim An. 338.
Murus ciuitatis rurſum extruitur auxilio diuino.
Precib9 ſuis vir ſanctus totum Perſarum exercitum debilitat.

IIX. Cum itaque vidiſſet rex impius, & machinas nulli ſibi fuiſſe vſui, & aquæ irruptionem fuiſſe inutilem: (Murus enim, qui corruerat, ruſſus fuerat ædificatus) & omnem exercitum & affligi laboribus, & male ſe habere ſub dio, & vexari à plaga immiſſa diuinitus: vidiſſet autem diuinum quoque hominem ſuper muros ambulantem, & conieciſſet ipſum Imperatorem ei præeſſe operi, (Sibi enim viſus erat & purpura indutus, & redimitus diademate) indignatus quidem eſt in eos, qui eũ decepiſſent, & vt bellum moueret, perſuaſiſſent, & dixiſſent non adeſſe Imperatorem: & cum eos damnaſſet capitis, dimiſit exercitum, & in ſuam regiam rediit quam citiſſime. Hæc in hoc quoq; Ezechia Deus fecit miracula, non illis minora, ſed etiam maiora, vt mihi quidem videtur. Quod enim cum corruiſſet murus, vrbs non capta fuerit, quodnam poteſt eſſe eo maius miraculum? Ego autem præter hoc illud quoque valde admiror, quod cum vteretur execrationibus, non petiit vt fulgura & fulmina è cœlo mitterentur, vt fecit magnus Elias, quando ad ipſum vterque quin-

4. Reg 19
4. Reg 1.

Luca 9. que quinquagenarius veniſſet cum ſuis quinquaginta. Audierat enim Dominum aperte dixiſſe Iacobo & Iohanni, qui hocipſum conabantur facere: Neſcitis cuius ſpiritus ſitis, & ideo non petiit, vt terra eis dehiſceret: nec rogauit, vt phalanx igne conſumeretur, ſed vt animalculis illis ſauciaretur: & cum Dei cognouiſſet virtutem, tandem mutata, ediſceret pietatem & verum Dei cultum. Tantam habuit hic homo diuinus apud Deum fiduciam, tantam à ſuperis gratiam eſt conſecutus.

IX. *Felix eius obitus.* CVM in his quotidie verſaretur, & in rebus diuinis quotidie creſceret, cum maxima gloria hanc vitam depoſuit, & ex his locis migrauit. Cum autem prætériiſſet aliquantum temporis, & hoc oppidum ab eo, qui tunc imperabat, regno Perſarum eſſet traditum, exiērunt quidem omnes, qui in eo habitabant: ſui autem defenſoris ac principis corpus ferebant, ægre quidem ferentes & dolentes, quod tranſmigrarent: canentes autem, celebranteſque virturem fortiſſimi victoris. Si ille enim vixiſſet, ii minime veniſſent in poteſtatem barbarorum. Hæc cum de viro diuino recenſuerim, ad aliam tranſibo narrationem, rogans vt conſequar eius benedictionem.

Ex Gennadio de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 1. in Iacobo.

X. MORITVR hic vir Conſtantii temporibus: iuxta præceptum patris eius Conſtantini intra muros vrbis Niſibenæ ſepelitur, ob cuſtodiam videlicet ciuitatis: quod ſecundum fidem Conſtantini euenit. Nam poſt multos annos ingreſſus Iulianus vrbem, & vel gloriæ ſepulti inuidens, vel fidei Conſtantini, cuius ob id domum perſequebatur; iuſſit efferri de ciuitate ſancti corporis reliquias. Et poſt paucos menſes, conſulendi ſcilicet reipublicæ cauſſa, Iouianus Imperator, qui Iuliano ſucceſſerat, tradidit barbaris ciuitatem, quæ vſque hodie Perſarum ditioni cum finibus ſuis ſubiecta ſeruit.

AN. 660. *VITA S RAINELDIS VIRGINIS ET MARTYRIS,*

SORORIS BEATÆ GVDILÆ, PER F. LAVR. SVRIVM EX QVODAM MS codice, mutato ſtylo comprehenſius deſcripta.

I. IVLII 16. *Eius parentes. Emebertus Epiſcopus Cameracenſis.* BEATISSIMA Raineldis (quidam Reinildem vocant) nobiliſſimis orta natalibus, patrem habuit Witgerum, magna dignitate multiſque opibus pollentem, & tum Deo, tum hominibus charum: cui coniunx fuit Amelberga cum primis nobilis & illuſtris, non minus moribus, quam corporis pulchritudine ornata & conſpicua, ſanctis dedita operibus, caſtitate venerabilis, atque omni integritate & honeſtate prædita. Ex ea vero filium ſuſcepit Emebertum, quem etiam Adelbertum appellant, ſanctæ Cameracenſis eccleſiæ paſtorem beatiſſimum: cuius geſta plena virtutibus & miraculis, in eadem eccleſia hodieq; florent: & filias, Raineldem & Gudilam. Quæ quidem puellæ, cum à primis ætatis initiis vitæ caſtimoniam ſectari conſtituiſſent, multiq; regni proceres ob nobilitatem & diuitias ſibi coniuges eas optarent, illæ malebant corporis ſeruata integritate, ſponſo immortali totis viſceribus adhærere, quam ſponſos admittere corruptioni obnoxios. Et cum iam adultæ ad Dei potius, quam hominum conſilia & voluntatem ſe accommodarent, vitamque ab omni ſæculari vanitate & leuitate immunem ducere niterentur, etiam parentibus cœleſtis regni amore viſum eſt mundo nuncium remittere, & facere quod Dominus Ieſus admonet: *Luc 14.* Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hoc igitur præſtare cupientes, vt poſſent centuplum recipere, *Matth. 19.* quod Dominus promittit ita facientibus & vitam æternam poſſidere, Witgerus ſacræ religionis habitum induit: Amelberga vero coniunx eius, ab S. Autberto Cameracenſi Epiſcopo ſacrum velamen accepit, Chriſtoque ſe totam dedicauit. Manſerunt autem pleræq; facultates eorum Raineldi & ſorori eius: quibus cum permulti potentes homines moleſti eſſent, & eas procarentur. illæ ad eundem beatum Autbertum confugerunt, Chriſtumque ſponſum expetentes, ſacro velamine ab illo donatæ ſunt.

II. *Sacrum accipit velamen Raineldis, & viuit ſanctiſſime.* IGITVR ſancta Raineldis, præclara Chriſti virgo, ſicut ab ineunte ætate bonis moribus ſeſe componere, caſtitati ſtudere, diuinis operibus ſedulam nauare operam contenderat: ita iam totis viribus eò connitens, incredibile memoratu eſt, quanta ſe affecerit inedia, quam aſſiduis ieiuniis & orationibus corpuſculum ſuum macerarit. Nunquam à Dei laudibus promendis eius ceſſabat lingua: non diebus, non noctibus à pſalmis & hymnis canticiſque ſpiritualibus vel colloquiis diuinis vacandum ſibi putabat. Erga pauperes Chriſti ſemper ſolicita & attenta, quemadmodum eos veſtiret & alimentis reficeret, ne qua re indigerent miſeri, ſummopere curabat. *Matth. 6.* Et vt præcepto Euangelico pareret, non cogitabat de craſtino: ſed omnia indigentibus pro Chriſti amore diſtribuens, nihil ſibi præter tenuem vitæ ſuſtentationem retinebat. *Humilitas eius.* Seruis & ancillis ſuis crebrius ipſa ſeruiebat, quam illorum miniſteriis vteretur, ita vt etiam illis recumbentibus officioſe in ſeruire non recuſaret. Ad nudum corpus vtebatur cilicio, Crucem Domini, carnis mortificatione, iugiter in ſuo corpore circumferens: libenterque ſermonibus diuinis & ſcripturæ ſacræ inſtitutionibus, cordis admouebat aures, *Luc 10.* Mariæ ad pedes Domini reſidentis partem optimam eligens.

III. *Nudis pedibus ſemper ingreditur. Eius cibus. Lectus.* CVMQVE in dies magis ac magis carne edomanda ſpiritum roboraret, nudis ſemper pedibus virgo tam nobilis & tenera incedebat, proſtrataque ad preces, non raro noctem diemque ſanctum opus illud continuabat. Cibum vix vnquam, niſi ſemel in die capiebat, idque parciſſime, modico pane hordeaceo, & aqua contenta. Lectum ſericis pannis & magni pretii operimentis inſtratum, vt habet nobilium conſuetudo, plane reſpuebat, in cinere & cilicio ſe reponere geſtiens. Sed cum nihil præter Chriſtum habere concupiſceret, cum ſancta ſorore ſua Gudila Lobienſe cœnobium adiit beatiſſimo Petro Apoſtolorum Principi omnia ſua oblatura. Pulſans autem fores monaſterii, audiuit à fratribus loci illius, ex quo die fundatum eſſet illud monaſterium, nunquam licuiſſe fœminis in illud ingredi. Id vbi ſancta virgo Gudila audiuit, inde receſſit. At ſoror eius Raineldis pro templi foribus ſeſe proſternens, omnipotentem Deum tres continuos dies, nihil interim aut edens aut bibens, piis precibus & lachrymis pulſare non deſtitit, donec ille, qui nunquam *Diuinitus aperiuntur fores monaſterii.* deſeruit ſperantes in ſe, ſigna potentiæ ſuæ mirabiliter declarauit. Nam tertia nocte, cunctis fratribus quieſcentibus, oſtia monaſterii diuina virtus aperuit, & nullo mortalium manus admouente, ſigna ſuos dedere ſonos. Excitantur ergo fratres, concurrunt vndique, & ſanctam virginem in crucis forma coram imagine Saluatoris proſtratam cernunt, ſciſcitantur ex ea, quid actum ſit, aut qua ratione intro ingreſſa ſit. Reſpondit illa: Vos quidem parum humani, me peccatricem intromittere noluiſtis: at ille, ſine cuius benignitate nec formica viuit, cuius miſericordia angeli viuunt in cœlis, cuius ſapientia omnia fecit in pondere, numero & menſura, *Sap 11.* qui ſeipſum Deo patri ſacrificium obtulit pro totius mundi ſalute, qui peccatoribus ob admiſſa peccata cum gemitu & lachrymis veniam poſcentibus nunquam defuit, huius templi ianuas mihi peccatrici patefecit, & ſua virtute patefacto aditu, me, ſicut videtis, huc introduxit.

IV. HIS auditis, Abbas monaſterii cum fratribus ad pedes illius procidit, & vt pro ipſis Dominum deprecaretur, cum lachrymis rogauit. At ſancta virgo, cum ſe inuicem benigne & comiter ſalutaſſent, humili corde & mente promptiſſima, vt erat Deo deuota & valde religioſa, poſitis humi genibus, ad veſtigia eorum prouoluta, orabat vt tantorum patrum precibus commendari apud Dominum mereretur. *Multa largitur Lobienſibus* Deinde honorifice & cum multa deuotione ab eis ſuſcepta, animi ſui propoſitum illis explicauit, & * Sanctas cum quinq; villis & ad eas attinentibus, beato Petro Apoſtolo donauit, vt per eum ad cœli palatia introduci mereretur. Accepta inde benedictione à patre monaſterii & fratribus, inanis gloriæ & huma-

**Zanchtas Molano.*

& humanæ laudis fumos vitare, & maioris certaminis curſum conficere volens, ad ſanctam ciuitatem Hieruſalem, vno ranium famulo vnaque ancilla contenta, profecta eſt. Vbi biennio ſingula quæque loca, in quibus Saluator verſatus fuerat, perluſtrauit, ac ſi ipſum Dominum in corpore præſentem haberet. Delectabatur ſane eo labore; & tanquam vberrimis refecti epulis, corpus ſuum, quantum humana imbecillitas ferre poterat, excruciabat.

It Hieroſolymam.

V. SEPTENNIO inde euoluto, precioſiſſimis aucta ſanctorum reliquiis, parte quadam ſepulchri Dominici, & ligni Crucis, veſtiſque beatiſſimæ matris Dei, aliiſque multis, ad patriam reuertitur, * Sanctas ingreditur, à familia & cunctis loci eius indigenis cum ſumma exultatione excipitur. Deinceps vero ita vixit, vt humanum modum excedere videretur. Nam velut in ecſtaſi poſita, terrenis omnibus proculcatis & cœleſtibus inhians, miraculis quoque & virtutibus coruſcans, rerum diuinarum contemplationi vacabat. Cum autem propter hominum flagitia Dominus Barbaros ſæuire permitteret, illi in Gallias irruentes, multos trucidarunt, flammiſque omnia vaſtantes, magnam Chriſtianis cladem attulerũt. In ea rerum perturbatione aliis ſe in ſpecus, aliis in montium cauernas abdentibus, nobilioribus vero & potentioribus in municipia & fortiſſima caſtella ſe recipientibus, hæc Chriſti virgo nec minis impelli, nec amicorum blandimentis eo adduci potuit, vt locum, in quo diem claudere extremum conſtituerat, deſereret. Dicebat autem iis, qui eam abire compellabant: Si ego cauſa illius, qui vt me totumque mundum ſeruaret, capi, ligari, conſpui, alapis cædi, flagellari, ſpinis coronari, denique ad Crucem affigi ſe permiſit, miſeram hanc & momentaneam vitam perdere reformido: quid ille dicturus eſt mihi, cum in ſede maieſtatis ſuæ ſederit, & coram illo ſignum ſanctæ Crucis, in qua paſſus eſt, ſub totius mundi conſpectu vſqueadeo ſplenduerit, vt non magis peccata, quæ confeſſione & pœnitentia abolita non fuerint, abſcondi queant, omniumque notitiam fugere, quam intra vas vitreum aqua luculenta: cum iuſti omnes in vnitatem fidei & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti occurrerint, & in gloria Dei patris ſicut ſol in virtute ſua fulſerint: cum denique electi ad gloriam, reprobi ad pœnas vocati fuerint: quid tum, inquam, dicturus ille mihi eſt, ſi hanc vitam miſeram, & quæ vix vnius horæ ſpatium referre videatur, pro eius amore contemnere noluero? Hæc illa dicente, cæteri quidem omnes fugæ ſe mandarunt: ipſa vero ſola permanſit cum duobus magis ei familiaribus, Grimoaldo Subdiacono & Gundulpho miniſtro.

*Zanchtau.

Alii hos Hunnos, alii Nortmannos fuiſſe volunt

Attende martyrii deſiderium in virgine.

Epheſ. 4.

Matth. 13.

VI. IRRVENTIBVS igitur Barbaris, virgo Chriſti ſancto ſpiritu plena, & in ſponſi ſui amore ſolidata, cum illis, quos diximus, more ſuo ad preces confugit, & coram altari in æde beatiſſimi Quintini martyris in Crucis forma ſe proſtrauit: vt ſicut ille ſui redemptoris fidelis teſtis fuit martyrii palmam referendo, ſic ipſa apud martyris memoriam eiuſdem teſtimonii Chriſti particeps effici mereretur. In ipſam vero ædem irrumpebant Barbari, inſtar immaniſſimarũ belluarum, humanum ſanguinem ſitientes, arreptiſque ſanctæ virginis capillis circumquaque eam trahebant, fuſtibus & flagellis eam cędentes, tundentes calcibus, & colaphos ei infringentes, multiſq; iniuriis, ludibriis & plagis crudeliſſimis eam afficientes. Tum illa Domino hilari mente pſallebat: Benedictus es Domine Deus, omnipotens, pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui donaſti mihi peccatrici, non meritis meis, ſed gratia vnigeniti filii tui, id quod ſemper amaui, quod toto pectore ab infantia concupiui. Non enim confundentur in æternum, qui ſperant in te, nec derelinquis ſperantes in te: porro humilias eos, qui ſana virtute gloriantur. Tu es enim Deus benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Barbari eã crudeliſſime tractãt.

Pſalm. 30.

VII. COMPELLENTIBVS inde Barbaris, vt ceruicem extẽderet, flexo poplite virili animo ſuſtinebat ferientis ictum, præ gaudio lachrymans, & has fundẽs preces: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, quod me dignatus es in ancillarum tuarum numero computare vel vltimam, quodque merui pro tui nominis honore plagis & contumeliis affici, & curſum mei certaminis in te conſummare. Accipe ergo nunc ſpiritum meum. His dictis, ceruicem porrexit carnifici, & capite cæſa, ad Chriſtum euolauit. Porro beatus Grimoaldus Subdiaconus itidem capite plexus eſt. Gundulphus[a] vero tribus in eius cerebrum adactis clauis, vitam finiuit. Ea cæde peracta, volebant ſatellites ſatanæ templum inflammare, & cum illo pariter ſanctos martyres comburere: ſed meritis beatæ Raineldis impediti, nullo modo id conſequi potuere, coactique ſunt, re infecta, cum ignominia abire.

Capite truncatur, cum Grimoaldo ſubdiacono.

a Gundulphus quoq; occiditur.

IIX. CÆSA eſt Chriſti ſponſa Raineldis cum ſociis duobus decimoſeptimo Calendas Auguſti: cumque iam receſſiſſent cruentiſſimi latrones, oues Chriſti, quas ſua immanitate in fugam compulerant, paulatim ſeſe colligentes, quotquot eorum manus euaſerant, domum ſe receperunt, inuentaque ſanctorum corpora necdum humata, terra condiderunt in templo ſupra memorato. Poſtea volente Deo glorificare martyris ſuæ memoriam: & oſtendere fidelibus ſuis, quanti apud ipſum meriti eſſet, cuidam paralytico ſeptem annos membrorum diſſolutionem perpeſſo, reuelatum eſt, vt ad ſanctæ virginis tumulum ſe curaret deportari. Fecit ille, vt erat in viſione iuſſus, & ſimulatq; tetigit eius monumentum, adeo plantæ eius & cætera membra omnia confirmata ſunt, vt nunquam eo morbo laboraſſe videretur. Itaq; multi febribus aliiſque diuerſis vexati morbis, eius auditis miraculis, & è propinquis & longinquis locis ad eius ſepulchrum aduolârunt, Deique beneficiis & ſanctiſſimæ martyris adiuti meritis, Deum glorificantes, cum exultatione ad ſuos recedebant incolumes. Multi cæci & claudi, reddita luce ingrediendi facultate, cum ingenti gaudio domum redibant. Longum vero eſſet ſingulatim commemorare, quanta per eam Dominus populo ſuo beneficia præſtiterit: & certe veremur, ne lectori faſtidium adferamus. Eorum autem certa indicia, pendentibus cereis oculis, manibus, pedibus, aliiſq; membris humanorum corporum, à quibus eius meritis morbi depulſi fuẽre, eo in loco in virtutis eius teſtimonium permanſerunt, donec propter peccata plebis, eccleſia illa exſtructa eſt. Porro anno Chriſti octingenteſimo ſexto ſacratiſſimum corpus eius eleuatum eſt, & ſub trium vicinorum Epiſcoporum præſentia, cum magnis Cleri pſallentis, & populi laudibus, in theca argentea repoſitum eſt.

Ad eius tumulum ſanatur paralyticus

Item plures alii.

Corpus eius theca argentea reponitur

An. 806.

IX. NON multis inde labentibus annis, cuiuſdam nobiliſſimi viri filius ſtudio literarum accenſus, Sanctas oppidum ad Rheni ripam ſitum, vbi natus fuerat, deſerens, vbi in hanc regionem venit, * Sanctas Brabantiæ ingreſſus, & à quodam docto presbytero benigne exceptus eſt. Cumq; aliquandiu diſcendi cauſa apud presbyterum illum adoleſcens morari conſtituiſſet, & quod bene moratus videretur, libera ei data eſſet facultas quoties vellet in templum ingrediendi, nocte quadam, cuſtodibus ſomno oppreſſis, effracta theca, caput ſanctæ Raineldis cum libello, in quo eius geſta ſcripta erant, furatus abſceſſit. Sed cum ad paternas reuertiſſet ædes cum ſacris pignoribus, quanto ſe ſcelere obſtrinxiſſet, quantique eſſet meriti virgo, cuius abſtuliſſet caput, ciues eius loci latere non potuit. Nam mox à dæmone arreptus, tam immaniter vexatus eſt, vt vix in illo ſpiritus relictus videretur. Ea re valde conſternati parentes eius, quod ipſis vnicus eſſet filius, cum multis lachrymis, deuota mente & demiſſis precibus diuinam miſericordiam anxie implorarunt, vt ſanctiſſimæ virginis meritis vnicum pignus ipſorum ſanare dignaretur. Promiſerunt autem Deo, ſe in honorem ipſius & ſanctæ Raineldis monaſterium virginum ædificaturos, ſi ſalus filio inſtauraretur. Eo nuncupato voto, iuuenis pulſo dæmone reualuit, & deinceps Deo deuotus vixit: parentes autem eius monaſterium virginum prope Sanctenſe oppidum in prædio ſuo Elchina condiderunt, atque ibi Dei ſeruitio deuote ſe mancipantes, curſum vitæ feliciter exegerunt. Rogemus nos, vt ſanctæ virginis adiuuantibus meritis glorioſis, ad eius ſocietatem pertingere mereamur: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre & ſpiritu ſancto eſt honor & poteſtas & imperium per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

*Zanchtau.

Vexatur à dæmone ſacrilegus.

Iterum liberatur ex voto parentum.

An. 851.

SANCTI SISENANDI LEVITÆ MARTYRIVM, A S. EVLOGIO LIBRO II. CAP. V. SCRIPTVM.

Ivlii 16.

S. Aciſcli baſilica.

LEVITA ſanctiſſimus Siſenandus ex Pacenſi oppido ortus Cordubam intuitu diſcendi aductus eſt, ibique apud beatiſſimi Aciſcli baſilicam, qua corpus eiuſdem martyris requieſcit, digniter enutritus, vt ipſe familiaribus retulit inuitantibus ſe beatiſſimis Petro, & Walabonſo, iam cœlo martyribus collocatis, martyrium quoque & ipſe aggreſſus eſt. Qui dum in carcere religatus maneret, tradunt, quod prophetico illuſtratus ſpiritu patibuli ſui horam præſcius nunciauerit. Nam quodam die cum reſponſum cuidam amico ſe interroganti aptaret, eique reciprocationis ſchedam ſcriberet, tribus aut quatuor iam digeſtis verſiculis, ſubito nimia hilaritate perfuſus, cœleſti quodammodo gaudio vegetatus, è loco ſeſſionis ſuæ conſurgens, aſtanti puero ſchedulæ portitori, cui miles Chriſti reciprocari intendebat, ſemiſcriptam vt erat accommodans, multis audientibus ait. Recede modo fili, ne impetu ſatellitum opprimaris, quoniam iam poteſtas tenebrarum vinculis me extrahere præcipiens, nunc decollandum ſibimet exhibebit. Poſt hanc prophetiam immobili ſemper greſſu ipſo perſiſtente eodem momento vociferantes lictores adueniunt, eumque præcipiti furore ad locum, quo martyrium erat conſummaturus, pugnis, alapiſque cædentes perducunt. Pergit Dei famulus lætantibus animis de corona victoriæ certus, qui ad cœleſte conuiuium exhortantibus ſanctis fuerat inuitatus. Sic namque iudici præſentatus, eadem qua prius conſtantia in ſancta confeſſione perdurans, delicatus ephebus glorioſa morte peremptus eſt, atque inhumatus præ foribus palatii derelictus eſt, ſeptimo decimo Cal. Aug. feria quinta, Era qua ſupra. Cuius oſſa poſt multos dies donante Deo à quibuſdam mulieribus inuenta inter lapillos aluei, in prædicti martyris Aciſcli aulam deportata reconduntur.

An. 390.

SANCTI ALEXII VIRI DEI VITA, EX SIMEONE METAPHRASTE.

Ivlii 17.

Euphemiani hoſpitalitas inſignis.

I. EVIT vit pius Romæ, nomine Euphemianus, diuis Archadio & Honorio Imperatoribus, Senator magnus: cui tria erant ſeruorum millia, qui zonis aureis & veſtimentis ſericis induebantur. Nullos autem ſuſceperat filios, quoniam vxorem habebat ſterilem. Optimus hic erat vir. Ternas domi ſuæ menſas inſtruebat pro viduis, & pupillis, & peregrinis, & pauperibus, & ægrotãtibus. Ipſe vero hora nona cum monachis peregrinis panem edebat. Et ſi quando minus in pauperes benignus & miſericors extitiſſet, proſtratus in faciem ſuam, dicebat: Non ſum dignus, qui ambulem in terra Dei mei. Huic erat vxor Aglais nomine, mulier fidelis ac timens Deum, & erga pauperes benigna ac liberalis. Quæ cum eſſet ſine liberis, Deum orabat, vt ſibi filium largiretur, in quo vir eius conquieſceret, & animum oblectaret. Et recordatus eſt eius Deus, largituſque eſt ipſi filium, vt ſenectutis ſolatium haberet. Et baptizauerunt eum, impoſueruntque illi nomen Alexio. Quem, cum ſex eſſet annorum, Grammaticæ rudimentis imbuendum, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitione, atque arte oratoria erudiendum curarunt. Itaque doctiſſimus euaſit.

Alexius ad mouetur literis.

II. VERVM cum adoleuiſſet, Matrimonio, inquit Euphemianus ad coniugem ſuam, coniungamus chariſſimum filium noſtrum. At illa procidit ad pedes eius, Confirmet, inquiens, Deus id, quod dixiſti. Nuptias celebra dulciſſimi filii noſtri, vt videam ex eo prolem, & lætetur animus meus: & adhuc egenis & pauperibus auxiliabor. Puellam igitur ei regii ſanguinis deſponderunt, & coronarunt eos in templo S. Bonifacii, adhibitis venerandis ſacerdotibus: totumq; diem hilariter vſque ad veſperam transegerunt. Tunc Euphemianus: Ingredere, inquit, fili ad ſponſam, & cognoſce coniugem tuam. Qui in thalamum ingreſſus, eam in ſella ſedentem inuenit, annulumque ſuum & caput baltei, in velo purpureo inuoluta, ei tradidit: Accipe, inquiens, hæc atque ſerua: & Deus erit inter me & te, donec illi placebit. Et in cubiculum ſuum ingrediens, ex propriis diuitiis ſumpſit: & ad portum deſcendens, nauem inuenit, in eamque conſcendit, ad Laodiceam peruenit. Cumque naui egreſſus eſſet, agaſones reperit, quibus ſe itineris comitem adiunxit, donec Edeſſam Meſopotamiæ vrbem, vbi Domini Ieſu imago ſeruatur non manufacta, quam ipſe dedit Abagaro in vita ſua, peruenit. Hic omnia bona ſua vendidit, pauperibuſque diſtribuit. Atque veſtimentis vilibus indutus, & in veſtibulo templi Dominæ noſtræ Dei genitricis manens, ſi quid accipiebat, id egenis ſenibus nutriendis impendebat. Et cum faciem quidem in medio brachii demiſſam teneret, cor eius Deo vacabat.

Valedicit ſponſæ, & peregre abit.

Viuit pauper apud Edeſſam.

III. MATER autem die, quæ celebratas nuptias conſecuta eſt, in cubiculum ſuum ingreſſa, feneſtram clauſit, ſaccumque ſtrauit ac cinerem, atque ibi iacebat: Non ſurgam, inquiens, prius, quam didicero, quid filio meo vnigenito factum ſit. At nurus ad ſocrum conuerſa: Neq; ego, inquit, à te diſcedam & turturem imitabor: quæ ſolitudinis amans, quando maritus eius, quem vnicum habet, captus eſt, mœrens eum in conuallibus quæritat. Sic ego forti animo feram & expectabo, dum audiam, quid viro meo, qui præclaram viuendi rationem elegit, acciderit. Pater autem, cum poſt nuptiarum diem filius non inueniretur, omnes fere ſeruos ad eum quærendum dimiſit. Quorum è numero cum quidam Edeſſam perueniſſent, ei minime ab ipſis cognito eleemoſynam dederunt. Ipſe vero & agnouit eos, & gratias egit Deo, qui ſe dignum feciſſet, vt eleemoſynam à ſeruis ſuis domeſticis acciperet. Serui autem redeuntes, Domino ſuo nunciauerunt, ſe filium eius non inueniſſe.

Mater & vxor eius cũ deflent.

Accipit eleemoſynã à ſeruis paternis.

IV. AT Alexius, cum decem & ſeptem annos in veſtibulo ædis Dominæ noſtræ Dei genitricis tranſegiſſet, Deoque gratus eſſet, imago ipſius beatæ Virginis ſic ædis cuſtodem eſt allocuta: Introducito huc virum illum Dei, qui dignus eſt regno cœlorum: nam oratio eius, ſicut incenſum, aſcendit in conſpectu Dei, & Spiritus ſanctus ſuper eum requieſcit. Introductus igitur, cum celebris omnibus fieret, ipſe vt humanam gloriam fugeret, Tarſum Ciliciæ ad ſancti Pauli templum ire decreuit, vbi nemini notus foret. Sed naui conſcenſa, vi tempeſtatis Romam appulit. Itaque: Viuit, inquit, Dominus Deus meus, non ero cuiquam grauis: ſed domum patris accedam, cum ſim omnibus ignotus. Cum igitur patri è magno palatio multis comitantibus redeunti occurriſſet, Serue, inquit, Dei, benignitatem exerce in me abiectum & pauperem, domique tuæ admitte, vt de micis, quæ cadunt è menſa tua, cum ſeruis tuis domeſticis eam: Et Deus ſanctus benedicet temporibus tuis, & ſi qui tuorum peregrinantur, eos tibi reddet incolumes. Audita peregrinorum mentione Euphemianus, lætus, quod eiuſmodi pauperi factus eſſet obuiam, & filii ſui vnigeniti recordatus, conuocatis ſeruis ſuis: Quis, inquit, ex vobis huic pauperi vult deſeruire, & liber erit omnibus diebus vitæ ſuæ, atque etiam hæreditatem accipiet è domo mea? Eum in veſtibulo domus conſtituite, vt quotieſcunque ingrediar & egrediar, illum videam. Nulla eum re menſæ meæ defraudate.

Diuinitus eius ſanctitas declaratur.

In domo paterna viuit ignotus.

V. CVM autem veſpera adueniſſet, & ſilentium eſſet, quidam [a] è ſeruis eum affligebant, quidam alapis cædebant, alii vellebant capillum: alii ſordes in caput eius effundebant. Ipſe vero hæc diaboli opera fieri conſiderans, omnia patienti & læto animo ſuſtinebat. Quodam autem die cum [b] Archiepiſcopus ſacra faceret, & ſacrificio diuus Imperator intereſſet, audita eſt vox diuinitus, dicens: Venite, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quamobrem timor & admiratio

[a] Multa patitur à ſeruis paternis

[b] Per Archiepiſcopum, in hac vita, Inno-

admiratio cunctos inuaſit. Et ceciderunt in facies ſuas clamantes: Miſerere noſtri, Domine. Secundo autem audita eſt vox ex altari, dicens: Quærite virum Dei, & orabit pro Roma, & res proſpere cedet. Die autem paraſceue è corpore egredietur. Eo die igitur ſummo mane cum omnes in ſancti Petri templum conueniſſent, vt intelligerent, vbinam vir ille Dei eſſet, arcanæ vocis monitu dictum eſt, vt in ædibus Euphemiani virum Dei conquirerent. Tum ſacratiſſimus Imperator ad Euphemianum: Tantum, inquit, munus domi habebas, & nobis id non ſignificaſti?

centium I. Pont. ſitem intellige.

VI. At Dei vir cum ſciret vitæ ſuæ finem appropinquare: Affer huc, inquit miniſtrô ſuo, frater, chartam & atramentum. Scripſitque totam vitam ſuam, & arcana, quæ inter ſe & patrem ac matrem ſponſamque ſuam interceſſerant, & quicquid ei dixerat in thalamo, cum illi dedit annulum aureum, & caput baltei in velo purpureo inuoluta, vt à parentibus agnoſceretur. Decreuit igitur diuus Imperator, vt Euphemiani domus peteretur, ibique vir Dei quæreretur. Euphemianus autem ſeruis ſuis iuſſit, vt ad ſuſcipiendum Imperatorem domum ornarent, & ſcamna ſellaſque diſponerent. Sponſa vero ſtans in ſolario ſpectabat, quid ſibi vellet ea perturbatio, & quæ dicerentur ac fierent. At Alexii miniſter ad dominam ſuam: Num, inquit, hic pauper eſt vir Dei? Magna profecto & præclara ſigna in ipſo perſpicio. Quolibet enim Dominico die ſancta myſteria ſuſcipit, cibuſque eius tenuis, & potus duæ ſunt aquæounciæ. Ad hæc quidam è ſeruis affligunt eum, nonnulli alapis cædunt, alii vellunt capillos, multi ſordes in caput eius effundunt, quæ ille perfert æquo animo.

Moriturus nomen ſuũ ac vitæ ordinem ſcripto pandit.

Nota abſtinentiam.

VII. Interim Euphemianus accedens, Alexium, cui neque vox, neque auditus erat, alloquebatur: retectaque eius facie, tanquam Angeli ſplendidam vidit. Cumque defunctum eſſe, & chartam manu continere animaduertiſſet, conatus eſt eam tollere, ſed non potuit. Itaque veniens ad Imperatorem: Inuentus eſt, inquit, is, quem pietas veſtra conquirit: ſed ceſſit è vita, & chartam manu tenet, quam nobis dimittere non vult. Tunc diuus Imperator lectum in medio ſecreti cubiculi ſterni iubet, in eoque ipſum collocari. Archiepiſcopus autem, & diuus Imperator conſurgentes, ceciderunt in facies ſuas, atque dixerunt: Da nobis chartam, vt videamus, qui ſis, & quid ſibi velint ea, quæ in charta conſcripta ſunt. Et confeſtim chartam ipſis tradidit, quam Aëtio ſacroſanctæ Eccleſiæ Cancellario legendam dederunt. Dum autem legeretur, magnum eſt ſilentium conſecutum. Sed cum ad eum locum peruentum eſſet, vbi de parentibus, deque ſponſa fiebat mentio, & quemadmodum ipſi annulum aureum, & baltei caput in velo purpureo conuoluta tradidiſſet, tunc Euphemianus excitatus canos diuellere, & curſu ad venerabile corpus contendere, atque illud complecti, & magna cum affectione oſculari, ac dicere: Heu me miſerum, domine mi, cur ſic mecum egiſti? Cur hanc animo meo afflictionem immiſiſti? Cur mihi te, cum in paterna domo eſſes, meque triſtem ac mœſtum cerneres, non aperuiſti?

Poſt obitũ agnoſcitur à ſuis.

IIX. Mater autem tanquam leæna è viuario ruens, ſciſſis veſtibus, cœlum obliquis oculis ſuſpiciebat, & turbam precabatur, vt ſibi locum daret. Date mihi, ô viri, dicebat, vt ſpem meam adſpiciam. Date mihi locum, ô viri, vt membra cõtingam mea. Date mihi locum, ô viri, vt vnigenitum meum amplectar. Et accurrens, proiecit ſe ſuper precioſum corpus filii ſui, & amanter illud oſculabatur, Hei mihi, inquiens, domine mi, cur nobis ita feciſti, vt affligeres animam noſtram? Videbas nos in patria domo dolentes, & te nobis non pateſeciſti? Hei mihi, quid faciam? Quo circumſpiciam? Sponſa vero lugubri veſte induta, currens procidit ſuper venerandum ſponſi ſui corpus: Hei mihi, inquiens, mi turtur ſolitudinis amans tot annos propter te vixi ſolitaria, & hodie vidua relinquor, nec habeo amplius, quem morer, quem expectem. Porro Archiepiſcopus & Imperator iuſſerunt, lectum circumgeſtari: ſed populus ita premebat, vt moueri non poſſet. Tunc iuſſit auguſtiſſimus Imperator, vt aurum argentumque proiiceretur, quo populus ad colligendam pecuniam diuerteret. Verum nemo fuit, qui aurum curaret: ſed omnes ad venerandas reliquias concurrebant. Si quis enim eas tantum adſpiciebat, ab omni malo liberabatur. Surdi audiebant, muti loquebantur, mundabantur leproſi, dæmones fugabantur.

Nota ſolo reliquiarum eius conſpectu tot edita miracula.

IX. Sacras igitur reliquias in ſancti [a] Petri templum geſtarunt, vbi diebus ſeptem ei iuſta, parentibus & ſponſa præſentibus, celebrarunt. Imperator autem arcam è marmore & ſmaragdo faciendam curauit, in eaq; corpus ſanctiſſimum poſuit XVI. Cal. Aprilis, Archadio & Honorio Imperatoribus, Innocentio autem primo Pontifice. Porro ex arca ipſius oleum ſuauiſſimum emanauit, ex quo ſi quis accipiebat, quicquid poſtulabat, obtinebat à Deo: Cui gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

[a] Mombritius tomo 1. habet S. Alexii corpus in templum S. Bonifacii Martyris delatum eſſe. Idemque habet martyrologium Romanum hoc die, vbi Baronius cenſet hunc locum corrigendum eſſe.

MARTYRIVM SANCTI MARTYRIS ATHENOGENSIS, EPISCOPI SEBASTENI IN MINORE ARMENIA ex Simeone Metaphraſte.

An. 290.

Ivlii 17.

I. Tempore Diocletiani Imperatoris magna erat inſania aduerſus Chriſtianos, adeo vt venirent in periculum, quicunque ex Deo pie viuebant. Conturbabatur itaque vniuerſus orbis terrarum, ſæua dominante inſania. Plurimique ex propinquis etiam ſe inuicem tradebant ad mortem, pater filium, frater fratrem, amici amicos, propter metum Imperatoris. Ingreſſus eſt autem quidam Præſes in ciuitatem Sebaſteam, nomine Philomarchus, qui iuſſit canere tibicines, & cymbala pulſari ante ipſum, & ſacerdotes idolorum geſtantes coronas peragere ſacrificia. Pro tribunali autem ſedens, dixit per præconem: Audite ciues, & quicunque eſtis inſignes, edictum Imperatoris, & accedentes ſacrificate diis. Clamauit autem vniuerſa populi multitudo, dicens: Chriſtiani ſumus, nec idolis ſacrificamus. Et Tyrannus multam turbam ſupplicio affectam ſuſtulit de medio. Sancti vero propter Chriſtum paſſi martyrium, acceperunt brauium ſupernæ vocationis.

Etiam propinqui inuicem ſe produnt.

Apud Sebaſteam multi Chriſtiani cæduntur.

II. Accedens autem ad Præſidem quidam Corniculatius, nomine Nicolaus, dixit: Domine Præſes, eſt vir quidam nomine Athenogenes, qui eſt Chorepiſcopus, & in errorem inducit propemodum vniuerſum orbem terræ. Pedachthone autem habitat in monaſterio. Cum hoc autem audiiſſet Præſes, miſit milites, qui eum comprehenderent. Qui cũ veniſſent, in monaſterium, & iuſtum illum non inueniſſent, apprehenſos eius diſcipulos duxerunt Sebaſteam. Videns vero eos Præſes, iuſſit abduci in cuſtodiam, & diligenter cuſtodiri. Dixit autem militibus: Eorum quoque Ducem mihi venemini. Ipſis vero circumſpicientibus, an ſanctum inuenirent alicubi, adueniens ſanctus Dei in monaſterium, non inuentis fratribus, iit in oratorium. Flens autem dicebat ei, quæ illic ſtabat, Cruci: Vbi ſunt fratres: quos tibi commendaui? Quis conſuetas preces Deo mecum emittet? Vbi ſunt pulchri rami oleæ? Nihil ſcio, cur hoc mihi factum ſit. Erat autem ſanctus animi anxius. Deambulante vero ipſo in ambulacro, occurrit ei cerua, quam pauloante aluerat, & accurrens oſculabatur iuſti manus. Accedens autem quiſpiam dixit ei: Vbi eras, domine, quando tui capti ſunt diſcipuli? Præſes enim miſſis militibus iuſſit ipſos abduci in ciuitatem Sebaſteam, vt ſubeant martyrium.

Crucis effigies, apud veteres.

III. Cvm autem audiiſſet ſanctus, affectus eſt lætitia. Suſpiciens vero in cœlum, cœpit dicere: Ago tibi gratias, Domine Ieſu Chriſte, quod generoſos tuos ramos vocaſti ad regnum cœleſte. Conuerſuſque ſanctus, benedixit ceruæ, eaque Deo commendata, profectus eſt in Sebaſteam ciuitatem ad fratres ſuos. Cum acceſſiſſet autem ſanctus, aſtitit ex aduerſo Prætorii, cœpitq; dicere: Cur meam diripuiſti eccleſiam, Tyranne: Videat Deus, in quibuſnam verſetur malis, & ſuam

 iram

Athenogenis cõſtantia. Includitur in cuſtodia. Confortat ſuos diſcipulos.

iram in te aggrauet. Statim vero fuit Sanctus accerſitus ad Præſidem, eique dictum eſt: Ecce adeſt, qui quæritur, Athenogenes, & multum quæritur de veſtra claritate. Statim autem iuſſit Præſes ſanctum conijci in cuſtodiam, vbi etiam erant eius fratres incluſi propter Deum. Cum eos autem vidiſſet ſanctus, valde eſt lætatus, & dixit eis: Pax vobis impleatur, & Dei gratia ſit vobiſcum, filioli mei: Quoniam Deo grati effecti eſtis, ipſe vos vocauit ad cœleſte prandium. Eſtote ergo viri fortes, & ne extimeſcatis minas tyranni. Dei enim gratia cras conſummabimini, & eritis cum Angelis choros ducentes in paradiſo, perpetuo exultantes, & aſſidue Dominum cœleſtem glorificantes.

IV. SEQVENTI autem die ſedens tyrannus in tribunali, iuſſit ad ſe adduci ſanctum Athenogenem & decem eius diſcipulos, & dicit eis: Sacrificate dijs ex edicto Imperatoris. Sin autem non parueritis, cogetis me vos varijs tormentis affectos de medio tollere, vt eos, qui ante vos perſtiterunt in hac mala opinione, & mali male perierunt. Reſpondens vero ſanctus Athenogenes, dixit Tyranno: Quos tu quidem dixiſti periiſſe, non perierunt, ſed ſunt in cœlo, choros ducentes cum Angelis. Præſes dixit: Ne mihi laborum moleſtiam exhibeas, Athenogenes, ſed breuiter cum tuo conuentu mihi crede, & dijs ſacrifica, ne male pereatis. Reſpondens autem ſanctus Athenogenes, dixit Tyranno: Canis inique & impudentiſſime, non terres nos tuis minis. Fac quod volueris. Parati enim ſumus omnia pati propter Chriſtum. Tunc iratus Præſes, iuſſit decem huius ſancti ſuſpenſos cædi diſcipulos. Sancti autem dicebant, cum torquerentur: Nos ad flagella ſumus parati propter Chriſtum immortalem, Non te negamus, Domine. Cum autem magis magiſque vidiſſet Tyrannus conſtantem & immutabilem, & quæ nulla mouebatur pœnitentia, tolerantiam, iuſſit eos enſi ſubijci. Conſummatique ſunt ſancti in bona confeſſione, & glorioſe venerunt in paradiſum.

Decem eius diſcipuli flagellātur. Decollantur.

Athenogenes cæditur.

V. ACCERSITO autem ſancto Athenogene, ei dixit Tyrannus: Vbi eſt Chriſtus tuus, quem dicis Deum? Cur non tuos diſcipulos liberauit è meis manibus? Iuſſit vero illum quoque ligno pendentem cædi. Pendens autem ſanctus, dicebat: Gloria tibi Deus, quod me dignum cenſueris, qui pro tuo torquerer nomine. Dicit autem Præſes: Cur non te quoque eripit Deus tuus è meis manibus? Martyr vero dixit: Et me liberat, & me liberabit, ô inique, ab improbo tuo artificio. Iuſſit autem Præſes eum de ligno deponi, atque verberari in cauernis laterum. Sanctus vero Chriſti athleta cum grauiter torqueretur, dicebat: In te, Domine, ſperaui: ſaluum me fac in tua miſericordia. Facta eſt autem vox Dei ad eũ, dicens: Confide, electe mi, & noli timere Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui te cuſtodio. Quicunque autem hanc vocem audierunt, contremuerunt. Qui vero eum torquebant lictores, obtorpuerunt, non valentes moueri. Philippus autem aſſeſſor Principis, dixit: Non dixi tibi, Præſes, eos eſſe magos? Hunc quoque à nobis cito tolle de medio. Tunc iuſſit Præſes eum quoque enſi ſubijci. Sanctus autem Martyr rogauit Præſidem, dicens: Rogo te, ô Præſes, iube me abduci in monaſterium, & illic conſummari. Præſes autem iuſſit ſic fieri.

Diuinitus confirmatur.

Gladio percuti iubetur.

Pſalm. 93.

VI. CVM vero duceretur ſanctus, prompto & alacri animo ſic canebat: Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit. Poſtquam autem appropinquauit monaſterio, occurrit ei ceruа, & adorauit ad eius pedes. Dixit vero ei ſanctus: Priuata es fratribus: ecce priuaris eo quoque, qui te aluit. Concedat Deus omnium ſæculorum, vt neque tu, neque ſemen tuum veniatis in poteſtatem venatorum: ſed ſit ſemen tuum ferens genus ſuum in memoriam noſtram, vt id conſummetur ad Dei gloriam. Flens vero cerua, cecidit ad eius pedes. Cum eam autem ſignaſſet ſanctus martyr, dixit ei: Vade in pace. Cum vero appropinquaſſet monaſterio, orauit dicens: Domine Deus meus, ſuſcipe in pace animã meam, & dignare me eſſe cum meis fratribus in omnia ſæcula, vt glorificemus ſanctum nomen tuum. Da autem Domine Deus meus ei, qui noſtram peragent commemorationem, perpetuam tuam benedictionem: & omnibus, qui te inuocabunt propter me, Domine, da gratiam: & ſiue in caſu inuenti fuerint, ſiue in magna neceſſitate, ſiue in terribili iudicio, aut in malis ſomnijs, & inuocauerint nomen ſanctum tuum in nomine famuli tui, præbe eis Domine tuam miſericordiam, & imple eorum petitiones. Eo autem orante, fit vox Dei ad eum, dicens, Gaudeas mi athleta Athenogenes, mi electe: hodie mecum eris in paradiſo cum tuis diſcipulis. De gratia vero, quam à me petiiſti, ecce dedi tibi tuas petitiones. Quicunque me innocauerit per nomen tuum, & in qua domo lecta fuerit tui commemoratio, liberabitur ab omni afflictione & neceſſitate, & eius peccatorum inducam obliuionem. Vos autem, electi mei, eritis defenſores omnium viduarum, orphanorum nutrimentum, hoſpitum refugium, prouiſio pauperum, medici ægrotorum, fugatores malorum ſpirituum. Cum vero ad eum facta eſſet vox Domini, enſe fuit percuſſus ſanctus Athenogenes: Et ſic ſuum ſpiritum tradidit in multa pace.

Orat pro ſui memoriam habituris.

Plectitur capite.

VII. PASSI ſunt autem hi ſancti martyrium in Sebaſtea, tempore Diocletiani Imperatoris. Depoſiti vero fuerunt in Pedachthone. Peragitur autem memoria ſancti Athenogenis, & eorum qui fuerunt cum ipſo, Martyrum, menſis Iulij xvij. iuxta Romanorum ſupputationem. Cerua autem accedit in memoria ſanctorum martyrum, offerens Deo donum hinnulum. Et cum legitur ſanctum Euangelium, eum offert videntibus omnibus, oratque ſua flectens genua, & relicto ſuo hinnulo, abit in pace in locum ſuum. Conſumitur vero hinnulus in gloriam Dei & in honorem ſanctorum martyrum. Decertarunt autem ij ſancti imperante Diocletiano, in nos autem regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Cui gloria & potentia in ſæcula ſæculorum, Amen.

Inſigne miraculum.

Huius Martyris reliquias Gregorius maioris Armeniæ Epiſcopus collocauit in finibus Armeniæ in Eccleſia, quam euerſo fano Herculis ibidem extruxit Tiridate rege Armeniæ facto Chriſtiano. Vide Baron. ann 311.

An. 120.

PASSIO SS SYMPHOROSÆ ET SEPTEM FILIORVM, EX BONÆ FIDEI CODICIBVS, LITTERIS LONGOBARDICIS SCRIPTIS, EXſcripta, ex Africano deſumpta, & Romæ apud Franciſcum Zannettum anno M. D. LXXXVIII. impreſſa.

IVLII 18.

EVSEBIVS hiſtoriographus memorat Africanum pene omnium de vrbe regia, atque de tota Italia Chriſti martyrum res geſtas conſcripſiſſe. Inter quos B. Symphoroſam viduam dixit apud Tiburtinam vrbem cum ſeptem filijs ſuis vna ferme die ab Hadriano Principe hoc ordine interfectam.

I. CVM fabricaſſet Hadrianus palatium, & id dedicare vellet ritu illo nefario, cœpiſſetque ſacrificiis, Idolorum ac Dæmonum, qui in Idolis habitant, flagitare reſponſa: reſponderunt, & dixerunt, Symphoroſa vidua cum ſeptem filijs ſuis laniat nos, quotidie inuocando Deum ſuum. Iſta itaque ſi cum filijs ſuis ſacrificauerit, promittimus nos omnia præſtare, quæ petitis.

[a] De his vide X. Iunii. [b] Reſpondet S. Symphoroſa Imperatori.

II. TVNC Hadrianus iuſſit eam teneri cum [a] filijs, & blandis eos ſermonibus hortabatur, vt ad ſacrificandum Idolis conſentirent: cui [b] B. Symphoroſa dixit, Vir meus Getulius (*alias Zoticus*) cum fratre ſuo Amantio, Tribuni tui, cum ſint ambo pro Chriſti nomine paſſi diuerſa ſupplicia, ne Idolis conſentirent ad immolandum, quaſi boni athletæ, Dæmones tuos moriendo vicerunt. Elegerunt enim magis decollari, quam vinci, paſſi mortem, quæ pro nomine Chriſti ſuſcepta, inter homines terrenos quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos vero decus & gloriam ſempiternam: inter quos nunc gradientes, & trophæa paſſionum ſuarum dantes, cum æterno Rege vita æterna fruuntur in cœlis.

HADRIA-

III. HADRIANVS Imperator dixit ad S. Symphoroſam, Aut cum filiis tuis ſacrifica Diis omnipotentibus, aut te ipſam cum filiis tuis ſacrificari faciam. B. Symphoroſa reſpondit; Et vnde mihi tantum boni, vt ego merear cum filiis meis offerri hoſtia Deo? Hadrianus Imperator dixit; Ego te Diis meis ſacrificari faciam; B. Symphoroſa reſpondit; Dii tui me in ſacrificium accipere non poſſunt; ſed ſi pro nomine Chriſti Dei mei incenſa fuero, illos Dæmones tuos magis exuro. Hadrianus Imperator dixit, Elige tibi vnum ex duobus, aut ſacrifica Diis meis, aut malo interitu finieris.

Altera eius reſponſio.

IV. [a] B. Symphoroſa reſpondit, Tu exiſtimas quod poſſit animus meus aliquo terrore mutari, cum ego deſiderem cum viro meo Zotico (*alias Getulio*) quem pro Chriſti nomine interfeciſti, requieſcere? Tunc [b] Hadrianus Imp. iuſſit eam duci ad fanum Herculis, & ibi primo alapis cædi & poſt hæc capillis ſuſpendi; ſed cum nulla ratione, nulloq; timore poſſet eam à bono propoſito renouare, iuſſit eam alligato ad collum ingenti ſaxo in flumen præcipitari; cuius [c] corpus colligens frater eius Eugenius, principalis curiæ Tiburtinæ, in ſuburbana eiuſdem ciuitatis ſepeliuit.

Iterum minatur Hadrianus

a Contemnitur.

b Symphoroſa torquetur, & ſubmergitur. c Sepelitur ab Eugenio fratre ſuo.

V. ALIA vero die iuſſit Hadrianus Imp. ſimul omnes ſeptem filios eius ſibi præſentari; quos cum ad ſacrificandum Idolis prouocaret, & nullo pacto eos videret ſuis minis atque terroribus conſentire, iuſſit circa Herculis templum ſeptem ſtipites figi, & ibi eos ad trochleas extendi, & primum Creſcentem præcepit in gutture transfigi; ſecundum Iulianum in pectore pungi: tertium Nemeſium in corde percuti; quartum Primitiuum in vmbilico vulnerari; quintum Iuſtinum aucrſum per dorſum perforari gladio; ſextum Statteum in latere vulnerari; ſeptimum vero Eugenium à ſummo vſque deorſum findi.

Filij ſiſtuntur

Occiduntur. Creſcens. Iulianus Nemeſius. Primitiuus. Iuſtinus. Statteus, Eugenius.

VI. ALTERA vero die veniens Hadrianus Imperator ad fanum Herculis, iuſſit corpora eorum ſimul auferri, & proiici in foueam altam; & impoſuerunt Pontifices nomen loco illi, Ad ſeptem [a] Biothanatos. Poſt hæc quieuit perſecutio anno vno, & menſibus ſex; in quo ſpatio omnium martyrum honorata ſunt ſancta corpora, & conſtructis tumulis condita cum omni diligentia: quorum nomina deſcripta ſunt in libro vitæ. Natalis vero ſanctorum martyrum Chriſti Beatæ ſcilicet Symphoroſæ, & ſeptem filiorum eius, Creſcentis, Iuliani, Nemeſii, Iuſtini, Starcei, & Eugenii celebratur ſub die XV. Calend. Aug. Eorum corpora requieſcunt in via Tiburtina, milliario ab vrbe octauo (*alias nono*) regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. *In aliquibus exemplaribus additum eſt.* Olim requieuerunt via Tiburtina &c. Nunc autem auxiliante Domino requieſcunt in vrbe Roma in Baſilica B. Archangeli Michaëlis, regnante &c.

Corpora in foueā proiiciuntur.

a id eſt, non naturali morte extinctos.

A fidelibus corpora humantur.

VITA S. PHILASTRII EPISCOPI BRIXIENSIS, PER S. GAVDENTIVM EIVS SVCCESSOREM CONSCRIPTA. HABETVR IN LIBRO vetuſto ſacrarii eccleſiæ Brixienſis, eſtque ſermo habitus in anniuerſario die ſolennitatis illius.

An. 380.

I. CHARISSIMI, nos hodie memores promiſſionum Chriſti, honorem debitum beato patri noſtro Philaſtrio, tanquam vere viuenti deferimus. Eſt enim Patriarcharum filius & ſocius in fide, & æmulator conuerſationis: quorum ſynceritati ſimillimus, æqualem Chriſtum viuere Deo pronunciat, incredulitatem Sadducæorum valida perſcriptione refellens, dum dicit illum, qui nuncupatur Deus Abrahæ & Iſaac & Iacob non eſſe Deum mortuorum, ſed viuorum. Omnes, enim, inquit, illi viuunt. Et certe ſcriptura diuina mortuos aſſerit eos fuiſſe in Chriſto, iuxta conditionem carnis, quamuis in ſenecta bona prædixerat eſſe ſepultos, ſicut extantia demonſtrant ſepulchra.

Iulii 18.

Matth. 22.

II. QVOD igitur beato Petro licuit audenter dicere de patriarcha Dauid, quia mortuus fuerit & ſepultus, cum ſciret eum prophetica fide vitam præſumpſiſſe poſt mortem, quippe dixerat: Viuet anima mea, & laudabit te, & cætera huiuſmodi: Liceat & nobis audenter dicere ad vos de filio Patriarchæ legitimo, ſummoque ſacerdote Philaſtrio, quoniam mortuus quidem eſt & ſepultus, & ſepulchrum eius eſt apud nos: ſed vita eius in Chriſto eſt apud Deum. Itaque cum Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & iſte cum ipſo apparebit in gloria. Legitimum vero eum eſſe filium beatiſſimi Abrahæ, fidei atque operum teſtantur exempla. Credens enim Deo fide pleniſſima, exiit & ipſe de terra ſua, & de cognatione ſua & de domo patris ſui: & ſequebatur verbum Dei, ab omnibus ſæculi impedimentis exutus. Ac propterea cito aſſequi meruit, quod ſequi ſtuduit expeditus.

Actor 2.

Pſalm 118

Coloſſ 3.

Relinquit omnia S. Philaſtrius.

III. EXERCENS namque continentiam ſingularem, peruigil in ſcripturis ſanctis, Dei ſapientiam concupiuit, portionem ſuam Chriſtum reputans Dominum: in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ cœleſtis abſconditi. Quibus cum repleuiſſet deſiderium ſuum deſideriorum cœleſtium vir, & per impoſitionem manus presbyterii, diſpenſator fuiſſet diuini ſermonis electus, negligere gratiam Dei omnino paſſus non eſt. Sed circumiens vniuerſum pene ambitum Romani orbis, Dominicum prædicauit verbum, Pauli Apoſtoli idoneus imitator exiſtens. Sancto enim ſpiritu plenus, non ſolum contra Gentiles atque Iudæos, verum etiam contra hæreſes omnes, & maxime contra furentem eo tempore Arrianam perfidiam, tanto fidei vigore pugnauit, vt etiam verberibus ſubderetur, & in corpore ſuo ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti portaret. Nam & in Mediolanenſi vrbe idoneus olim cuſtos dominici gregis fuit, Arriano repugnans Auxentio, priuſquam beatus eligeretur Ambroſius. Romæ etiam non exiguo tempore moratus, multos & publica & priuata diſputatione lucratus in fide eſt. Sed neq; per vicos & caſtella diuerſarum præteriens regionum, prædicare verbum Dei vnquam deſtitit fidelis Chriſti diſcipulus.

Coloſſ 2.

Arrianos acriter oppugnat, & ab illis verberatur.

IV. POST illos itaque circuitus animarum plurium ſalutares, Brixia eum rudis quondam, ſed cupida doctrinæ, promeruit. Scientiæ quidem ſpiritalis ignara, ſtudio tamen diſcendi laudabilis. Excidit continuo imis ab ſtirpibus horrentem ſyluis diuerſi erroris bonus agricola, & aratro doctrinæ pronus incumbens, inuertit crudam totis viribus terram, ſqualentemque humum ſulcis aſſiduis in noualia fœcunda conuertit, affatim ſemina vitalium mandatorum gremio eius inſinuans.

Venit Brixiam.

V. PLANTAVIT quoque vineam, cum lætaretur ex fructu: quoniam vinum lætificat cor hominis. Oleas etiam pacis agreſtibus indidit oleaſtris, & aſperitati pomorum ſylueſtrium, germina pinguedinis ac ſuauitatis inſeruit, vt haberet Apoſtolicus vir aliquem & in vobis fructum, ſicut & in ceteris gentibus. Et iſte quidem conſummati operis nunc apud Deum fructibus gratulatur, nam dignus eſt operarius mercede ſua: & laborantem agricolam oportet primo de fructibus ſumere. Ego autem minima eius pars, omnibus votis exopto, vt agrum, bene à patre cultum, & non ſatis idonea ſucceſſione ſuſceptum, quoquomodo tueri præualeam. Zelum fidei eius, & magnitudinem laborum pauloante perſtrinximus.

Pſalm 103.

Luc 10.

2. Tim 2.

VI. IAM reminiſcamur, chariſſimi, vehemens ille ardor animi, quantam poſſederit in ſanctis moribus lenitatem: Illa celſitudo ſcientiæ, quanta fuerit humilitate ſublimis: Illa cœleſtium rerum peritia quam fuerit ignara terreſtrium. Erat enim humanæ gloriæ neſcius, & acer diuini honoris exactor: non quærens quæ ſua eſſent, ſed quæ Ieſu Chriſti. Amicitias ſæculi & officia mundana contemnens, ſeruitio Dei iugiter adhærens, inter humana colloquia iugiter occupatus: nimirum

Virtutes eius.

Phil. 2.

Matth. 6.

mirum ibi cor eius erat, vbi theſaurus. Illud etiam quale eſt, quod cum operoſa quæque huius ſæculi ac precioſa deſpiceret, vilium rerum pauperrimos venditores miſericordi ambitione profuſus emptor augebat? Parum ſcilicet computans, quod profeſſus egentibus largiretur. Erat idem ſanctus ita breuis, indulgentia facilis, patientia ſupremus, humanitate deuincens. In corripiendo diſtrictus, in relaxando abſolutus, liber in agendo. Omni ætati & conditioni & ſexui ſtupenda benignitate communis, ac tum humilibus quibuſcunque coniunctior. Ipſe quoque in illo habitu veſtium, tota erat vilitate mundiſſimus. Gratus ſine induſtria, contemptibilis ſine fuco, & plane qui ipſo nil curante, mentis eius panderet puritatem.

Feſtus dies S. Philaſtrii.

Obitus eius.

PAVCA hæc de virtutibus hominis Dei breuiſſimo ſermone memoraui, ne dies iſte, quo ad ſuperna migrauit beatus Philaſtrius patronus noſter, cuius hodie feſta celebramus, triſti ſilentio inglorius præteriret. Nam cum multa meritorum eius præconia, quatuordecim iam per annos ſolennitatis huius cultum renouans, auditui veſtro intulerim, plura quæ prædicari adhuc poſſunt, intacta perſpicio. Quintodecimo autem Calendarum Auguſtarum exuit hominem & migrauit ad eum, quem dilexit. Tam digni igitur memoriam ſacerdotis debito affectu veneremur, vt ipſius quoque ſuffragio bona, quæ poſcimus, facilius impetremus: Largiente Dei filio ſempiterno, cui eſt omnis honor, virtus & gloria, cum patre & Spiritu ſancto in omnia ſæcula ſæculorum, Amen. VII.

ITEM DE EODEM BEATO PHILASTRIO

PER B. RAMPERTVM QVADRAGESIMVM EPISCOPVM BRIXIENſem. Eſt Tractatus de tranſlatione S. Philaſtrii, extatque in ſacrario Brixienſi, in peruetuſto MS. codice.

Altaria antiquitus in honorem ſanctorum dedicata.

TRIGINTA Brixienſes ſunt Epiſcopi, quos meminimus, qui in altari nomini beati Philaſtrii dicato, & ſuper caput eiuſdem poſito, preces Miſſarum celebrauerunt, & diem tranſitus eius venerantes, ab omni terreno opere Brixienſem populum abſtinere iubentes, reuerenter honorauerunt. Hi ſunt, tertius ab eo & ſecundus à Gaudentio Paulus, deinde Theophilus, & Syluinus, & Gandioſus, Optatianus & Vigilius, & Ticianus, Paulus, Cyprianus, Herculanus, Honorius, Ruſticianus, & Dominator. Itemque Paulus, Paterius, Anaſtaſius, & Dominicus, Felix, & Deuſdedit: Item Gaudioſus iterum, Ruſticianus, Apollinaris, Andreas, & Theodaldus, Vitalis & Benedictus, Anſoaldus, Cunipertus, Amſridus & Petrus, venerabilis memoriæ Epiſcopi: Quorum ordine & meritis nouiſſimus ego Rampertus indignus Epiſcopus Brixienſis ſanctæ Eccleſiæ, dum officii aſſiduitas, & abundantia luminaria in eo venerabili loco non eſſent, quo beatiſſimæ memoriæ Philaſtrii corpus iacebat, nō de meis pauxillis præſumens meritis, ſed in Dei ſeruitio, tanto patri honorabiliori famulatu ſeruire cupiens, conſultis vniuerſis ſacerdotibus meis, ieiuniis & orationibus interuenientibus, anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo trigeſimo octauo, indictione prima, ſexto Idus Aprilis, non ſine timore fodiendo, eis mecum ſacerdotibus, de quorum vita credulus eram, venerandum corpus reperiens, maximo cum timore, reputans tam venerabilem glebam tam immeritus contingens, eleuaui, collocans in feretri locello. Deinde quinto Idus Aprilis, congregato Clero, ſtipantibus vtriuſque ſexus immodicis cateruis, maximo cum horrore timoris, ſummaque reuerentia, idem corpus tranſtulimus in matrem Eccleſiam Hyemalem noſtram Brixienſem, penes altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ, vbi præſcriptorum Pontificum erat ſedes. Et hoc diuina prouidente gratia, non ſine miraculo (vt inſtantia produnt exempla) geſtum à nobis eſt. I.

En quanta reuerentia apud priſcos erga ſacras reliquias.

VBI quarto Idus Maii, coadunata Eccleſia, officiis & ieiuniis cum orationibus præeuntibus, maxima cum deuotione, in marmoreo recondentes antro, ſepeliuimus: vt vbi modo pontificum ſedes aderat, ibi tanti patris & Pontificis iaceret corpus: quo ſedes honore, & populus deuotione, & Clerus ſuffragio, eiuſdem meritis interuenientibus, Chriſto in omnibus fauente potiretur. Speramus enim ſanctorum meritis nos omnium foueri, & maxime eorum, quorum amplectimur corpora, quorumque vel natiuitas, vel habitatio fuit cum patribus noſtris. Eorum quippe vel dogmate inſtruimur, vel exemplo martyrum corroboramur. Quamuis enim homines, quorum nobis vita vel paſſio cognita eſt, dum viuerent in hac ærumnoſa proceloſi fluctuatione pelagi, præ omnibus noſtrates imbuerint ſanctis dogmatibus, mirificiſque exemplis, eoſque ſuis ſuffragantibus iugibus precibus tutati ſint, ſupernam implorando clementiam, tamen eoſdem defunctos pro nobis non minus ſperamus, eorum intercedentibus meritis, noſtros eſſe ſub diuinæ pietatis protectione patronos. II.

Fouemur Sanctorum meritis.

QVAMVIS igitur certum ſit, diuinorum præſentia exempla miraculorum, ſuperna radiaſſe prouidentia in noſtri venerabilis papæ tranſlatione, eorum tamen ſcriptionis neceſſitate, noſtra plebs eget. Hæc etenim paſſim affatimque euadens, ægri vulgi turba vndique conueniens, & percepta ſanitate rediens, mille prædicat vocibus. Hæc vicinorum villæ locorum, quarum infirmi varios ſecretoſque habentes languores, inter tantam multitudinem venerabile corpus adeuntes, procurante Dei miſericordia, meritis quoque eiuſdem ſancti promerentibus, eorumque fide ſuffragante, de ſuis inualetudinibus conualeſcentes redierunt, fama nobis renunciante, eis ſuperuum narrant miraculum, qui eorum pridie nouerant infirmitates, & tot teſtes miraculorum Dei ex ſtunt, qui prius nouerant ægros, niſi ægrotantium titubans fides officiat. Sed quia ſuorum teſtium, & noſtrum generaliter debitus imminet obitus, pro futurorum hominum ignorantia, quorum fidei affectionem erga noſtri patris obſequia ſtudioſam futuram eſſe ſperamus, atque audire ardentiſſimam, non ſolum lineæ fama generationiſque narrante, ſed etiam ſcriptura à nobis, quibus Deus hoc videre conceſſit, promulgata teſtante, ſaltem pauca de pluribus miraculis, quæ Chriſtus miſericorditer geſſit, confluentibus cateruis ad feretrum beati Philaſtrii confeſſoris, amatoris & prædicatoris ſui, veraciter & compendioſe ſcribere optimum credimus. III.

Deus operatur miracula per ſanctos, vt veram fidem in nobis confirmet.

CVM igitur, vt à nobis prædictum eſt, plurimis vtriuſq; ſexus inſtructi phalangibus, prius ſanctificato Clero, ſacriſq; veſtibus induto, effoſſo clandeſtino antro, quod ferme centum luſtris beatiſſimum habens occuluit corpus, attoniti ſuper reuelatione, ſanctiſſimum chariſſimumque theſaurum, in ſacerdotum humeros reuerenter detuliſſemus, ad domum ſanctæ ac ſemper Virginis Mariæ ſumma cum deuotione peruenimus. Clero vero necdum ad eius venerabilem aram pertingente, iam primis de populo ſacras valuas aulæ tenentibus, ſacerdotibus quoque, qui obſequium vehiculi circa feretrum ſuccidui famulantes præbebant, infra templi limina ſeptimo ferme greſſu fortuitu ſubſiſtentibus, eo præcipue voto, quo veniens deuotus populus tranſiret ſub feretrum, poſtmodum nec de loco, quo ſteterant, vadere queuntibus, territa plebe & ingeminante, Domine miſerere, clamitante, incredibilis ineffabiliſque ſonitus cœlitus increpuit. Cuius ſonitus tot teſtes ſumus, quotquot tunc illic fuimus. Quo momento fragore ſonitus exterrita quædam mulier, habens aridam dexteram, & ita rigidam & deorſum defluxam, vt foret inualida contingere os aut pectus ſuum, ilico extendens eam, ſignum Crucis Chriſti fronti notauit ſub nomine Trinitatis ſummæ, ipſi gratias agens, qui eſt benedictus in ſæcula, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis. O quam mirabiliter geſſit, introeunte ſancti ſui corpore in eccleſiam, benedictus Deus. Etenim hic ſeptimus Epiſcopus Brixienſem Eccleſiam Chriſto tunc prædicando congregans, ſanctum dogma cuſtodiuit, & areſcentem dexteram fidei Catholicæ Eccleſiæ, pullulante ſiniſtra Arrianæ perfidiæ vbique, quantum potuit, IV.

Ingens ſonus diuinitus auditur. Creberrimum apud maiores noſtros, Cruce ſe conſignare.

potuit, reformare mirifice ſtuduit. Nunc vero circiter ſeptem introeuntium ſacerdotum corpus eius portantium, in Eccleſia reformauit, pariterque Chriſtianæ mulieris aridam dexteram.

V. Sed prius introeuntibus nobis Brixiam, & iam partem aliquam ciuitatis eundo tenentibus, in ſubiectu ſumpti feretri laudibus Altitonantis aëra pulſando, inter eos infirmos, qui producebantur, quatenus imitatores Apoſtolorum tranſeunte loculo, vel vmbra eius obumbraret quenquam eorum, eſt euecta quædam triennis languida, quam bilis tabo ſic madefecerat, vt in lectuli ſui iacens ſtrato, non ſe poſſet aliquo modo in alterum vertere latus, neque cum vna vectrice quomodolibet, niſi grauiter tantum, poni. Quæ dum ſenſiſſet obumbratione feretri quandam auram ſuæ ſaluti ſalubrem, cœpit vectricibus innuere, eaſque expoſcere conſulens, vti illò eam portarent, quò ſanctum deducebatur corpus, cuius conſultus ad nos illatis petitionibus annuentes, præbuimus aſſenſum. Deportata itaque prope feretrum, iacuit in baſilica ſanctæ Dei genitricis perennis Virginis Mariæ, vbi beatiſſimi corporis depoſueramus feretrum. Et dum quotidie ſeſe melius habere profiteretur, omnipotenti grates referens, eumque exorans, vt ſancti eius interuenientibus meritis, ſibi tribueret reſtaurationem ſanitatis: die ſexto conualeſcens erexit ſeſe, & accepto baculo, cœpit huc & illuc templi ambitus teſtudinem perambulare, non egens ſolito comitis vectricisq; ſuffragio. Et deinceps iugiter in melius reſtaurata, ſoſpitatis ſuæ gliſcens, ſine comitis ſuſtentatione & ſine quolibet vectricis iuuamine domum rediit. O mirabilis laudabiliſque medicina Dei, qui in principio cuncta ſimul creata materie, per ſex dies in proprium vniuſcuiuſque formæ produxit opus, ſextoque die ad imaginem ſuam formauit hominem, cuius filiam languidam, quam potuit modo in ictu oculi ſaluam facere, diſpoſuit arcano ſuo arbitrio, paulatim membrorum reformatione recreando vigorem, prope corpus idonei teſtis ſui, patris noſtri Philaſtrii iacentem, die ſexto aduentus eius, ad priſtinum reuocare ſtatum ſalutis. Quod medici per triennium arte ſua cauti facere nequierunt, hoc perfecit omnipotens Trinitas, quam intemeratam vbique prædicauit Philaſtrius: Pro cuius fidei ardore ab Arrianis flagris, corpori ſuo in flagellando manentia ſtigmata notata ſunt. Quorum vulnera nunc Dei prouidentia conficiunt medicinam ſalubrem ſalutemque cupientibus neceſſariam.

Curatur ad eius feretrū paralytica.

Gen. 1.

Philaſtrius ab Arrianis flagellatus.

VI. Post illam beatiſſimi patris noſtri glebæ repertionem delationemque, cuſtodibus in excubando erga venerandi pignoris loculum deputatis, turba languentium immodica conueniebat, ſuperni numinis præſtolans afflationem. Dum quadam die Dominica abſque arbitrio quidam ſe ſubiectis cuſtodum inter iacentia languentium corpora tranſiret, & iuxta altare puellam paruulam iacentem cerneret, & neſcius languoris eius, vt ſurgeret imperauit, ilico ſurrexit, vna manu aram tenens, altera patri gaudendo innuens, vulgari voce aiebat: Atta, Atta, da mihi fuſtem, vt ambulem. Viſo pater miraculo, non acquieſcens precibus filiæ, ſed palmis in cœlum expanſis, voce qua poterat, ſubito, licet procaciter, tamen omnipotenti gratias ingeminans, aiebat: Domine tibi gratias, Domine tibi gratias. Qua voce territi cuſtodes, cucurrerunt ad eum, inquirentes cauſas gratiarum actionum. Qui teſtans reſpondit: Hæc puella, quam altare tenere videtis, mea eſt filia, ſeptem annos à natiuitate habens, quæ nunquam, niſi modo, ſuper pedes conſtitit ſuos, & inſuper quærit à me fuſtem, vt pergat. Tum vnus de circumſtantibus currens, reperto baculo, dedit gaudenti puellæ, & cœpit circa aram deambulare. Quam nos eadem hora ad orandum in eccleſia conuenientes, deambulantem circa aram vidimus. Et deinceps in melius proficiſcens cœpit puella cum baculi ſuſtentatione huc & illuc inſolitum gradatim ſuum tentare greſſum, nobis cunctaque plebe miſericordi Deo gratias agentibus, qui non ſolum anima, ſed etiam corpore ſanat ſperantes in ſe. Euge incomprehenſibilis & immenſus, qualiter inter plura, quæ comprehendi poſſunt miracula, iſtud eſt menſus miraculum ſua diſpoſitione, plenus ſeptiformi Spiritu ſancto, diuidens ſingulis prout vult? Qui dedit Philaſtrio ſpiritum ſcientiæ prædicandi, conceſſit & huic puellæ ſeptem annos habenti, & iuxta corpus prædicatoris ſui iacenti, reſtaurationem compagum pedum atque crurium & feminum eo die, cui ipſe ſua reſurrectione nomen indixit. Et vt detur intelligi, ſuperna id fieri gratia, primo manum cœlo extendit debitam: deinde quaſi deſcendens, totum corpus: poſt hæc, pedum ſanat iuncturas: Et notandum quod pedes puellæ, manuſque curauerit iuuenculæ. Quid aliud, niſi quod ipſe hoc mirabiliter egit, qui mirabiliter fecit hominem, mirabilius redemit? Qui dedit humanæ naturæ in puerilibus annis greſſum, & iuuenilibus exercitium operis, ipſe puellæ reformat greſſum, & iuuenculæ manum aridam reſtaurauit.

Puella ſeptennis quæ nunquam ambulauerat, ſanatur.

1. Cor. 12.

VII. Velvti etenim in edito ſermone à Præſule Gaudentio, vitæ ſcilicet beatiſſimi Philaſtrii Pontificis, legitur fuiſſe eum omni ætati & conditioni & ſexui ſtupenda benignitate communem, immo humilibus coniunctiorem quibuſque: ita nunc omnibus languentium ætatibus (meritis ſuis ſuffragantibus, Chriſto mediante) profuit & ſexibus. Nam inter languentium iacentes cuneos deductus eſt à genitore ſuo ita colobus puer, ſi ſine vectore ſuo nequiret conſiſtere aut ambulare, & dum fide parentis & ſua comitatus, iuxta feretrum beatiſſimi frequentans, diuinæ miſericordiæ præſtolaretur opitulationem, cœperunt neruorum habenæ & fibrarum hiatus, feminis cruriſque ſui Domino reſtaurante, reformari, vſque dum conualeſcens ſuper pedes conſtitiſſet ſuos, & ſolus ſuum tentaret paulatim, opitulante diuino ſuffragio, greſſum inſolitum, ita vt aulæ mœnia ſine cuiuslibet iuuamine, grates opifici ſuo referens, peragraret. Tum vnus presbyter noſter, quem cuſtodibus præpoſueramus, accerſito genitori ſuo inquit: Fili, ne mentiaris, ſed confitere nobis veritatem cauſæ languoris huius pueri, tui filii, vtrum à natiuitate, an poſtea femur aruit ſuum? Qui Deum teſtans, eique grates cum lachrymis gaudendo referens, confitebatur: Hic filius meus ſolito humanæ naturæ more in infantia ſua à Deo recepit greſſum, quo vſus eſt per aliquot annos. Sed cum quodam die propria animalia foras de domo mea trudetem, cœpit, me nolente, cauſa mei amoris hic poſt me currere. Quo curſu accidit ei dolor ſummitatis femoris, & poſt paulùm in poplitem & crus defluens, ſic effectus eſt colobus, vt iam per biennium nullatenus vadere quiret, niſi modo interuenientibus meritis (quod firmiter credo) Domini ſancti Philaſtrii, Dei miſericordia nobis miſerante. Quam bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde: cuius congreſſu eius feminis compago emarcuit, & ſui proſapia claudicauit, aduētu tenus filii Dei. Sed qui per ſemetipſum & miſſos ſuos colobam Iſraëliticam plebem reformauit, quæ à recto tramite deuians claudicauerat, is ad reformationē fidei noſtræ, meritis beatiſſimi Philaſtrii, colobum puerum erigens, pie ſanitatem afferendo reformauit. Iacob enim omni tempore vitæ ſuæ claudicauerat, quoniā genus eius in præceptis legalibus ſecundum literam, quæ occidit, non ſecundum ſpiritum, qui viuificat, viuendo, colobum vſque ad perfectionem Euangelicæ gratiæ manſit. Puer autem iſte originalibus per baptiſma exutus ſceleribus, ſub gratia doctrinæ Euangelicæ degens, eo tempore, quo ad lachrymas cum parentibus ibat ad frequentatam eccleſiam, circa ſanctiſſimum feretrum venit, & fide comitante, cooperantibus meritis præfati vatis, diuina medente miſericordia, habetur incolumis.

Λοχεὺς mutilus.

Claudo greſſus reformatur.

Pſalm. 72.

Gen. 32.

2. Cor. 3.

IIX. Sed cum pluribus diuinitus paſſim circa venerabilem redolentibus vrnam miraculis, reminiſcendo nonnulla recolamus, & difficillimum ſit omnia noſtro comprehendere ſtylo, ſaltem quoquomodo, veluti in marginibus pelagi ſarculo pauxilli ingenioli collatis lapillis aggerem aggregando, ſcropea formā riuulum, quem prata bibere optemus, educere libet & id notare, quatenus diuerſa in eo facta mirabiliter æterni coruſcauerint opificis. Collatum igitur inter cætera eſt (vt ita dixerim) notiſſimum noſtratis adoleſcentis cadauer, ac inter capedinem reclinatum, carentis equidem, excepto guſtu, humani corporis ſenſibus, ſoliti ſcilicet iacere in lecto bigis impoſito, parentibus ſemiuiuo aurigæ famulatu vtentibus, & animalium ſuffragantium in iter agendo. Non ſolum eo ardore, quo alimoniam peterent, ſed magis, vt id nato meritis ſanctorum, omnipotentis gratia eueniret, quod contigit ei, qui ab introeuntibus in templum

gratia

Actor. 5. gratia orationis beatiſſimis Petro Apoſtolorum principe & Iohanne, eleemoſynam petiuerat. Iſti autem cum grabato, à parentibus arbitrio opificis ſui circa vrnam delecto, vt operis operator curam gerat parentis lachrymoſi, & longi oneris odioſi redemptus, ſolers induſtria miſerentium cuſtodum toto corpore deſtituto adhibita eſt in cibando, & ad ea quæ neceſſe habuit inuehendo, & maxime in orando pro ipſo, quin & pro omnibus ibidem ſitis infirmis. Quare decreueramus conſultu & conſenſu boni arbitrii noſtrorum conſacerdotum, quotidie ſuper ipſis ſupernam petere medelam. Is enim corporeis ſenſibus ita defunctus erat, vt viſu nil diſcernere, ore non niſi alio inferente mandere, pedum greſſu neutrorum vadere quiret, manuum nullam ſui, cuiuſquam ve vtilitati habilem gerens, ita vt etiam quidam deliſtantes ei irriderent, credentes eum animæ tantum, corporis minime iam conſequi poſſe ſanitatem. Sed eius clementia ipſum miſerante, apud quem non eſt impoſſibile quicquam, corroborando corda fidelium inſtruendoque titubantium, atque vt

Salus redditur pene omnibus ſenſibus deſtituto. aliorum miraculorum teſtis efficeretur, meritis, vt credimus, interuenientibus beatiſſimi Epiſcopi Philaſtrii, pro cuius reuelationis teſtimonio ipſum credimus vſque ad id tempus in languore defluxum, vt eius in eodem manifeſtaretur gloria, cuius fidei prædicator & per vrbes orbis fidus permanſit Philaſtrius, ſuperna luce viſum, & afflatu loquelam, medelaque tactum cum greſſu, ſic, priuſquam venerabilia oſſa ſepelirentur, à Domino per ipſum accepit, & in eccleſia eius habetur incolumis, vt gradiatur oculis commantibus clauſtra eius & queat ori cibum, & fronti inferre Crucis vexillum, linguaque fidem & orationem promere Dominicam, & quicquid ſibi neceſſe eſt pronunciare. Cuius miraculi tot teſtes ſumus, quot Brixiæ eodem tempore degimus, & prius languidum nouimus. Qualiter autem prius languidus ſeſe habuerit, non ſolum Brixienſes, ſed etiam à Ticino vſque Venetiam, omnes oſtiarii religioſorum locorum, & domus proximæ Flamineis teſtari, ſi memoria retinent, poſſunt.

Luc 10. ATTENTE nunc meminiſſe iuuat, & credere datur, quod is, qui dicente Domino, inter Hieruſalem & Iericho ſe- IX.
miuiuum repertum, iudita medela, ſtabulario, vt curam ſui haberet, commendauit. Quique ob commiſſum protoplaſti necis conditioni deuinctum genus humanum, iudicium deceptori, miſericordiam decepto diuidens, pietate gratiæ ſuæ eripuit, quod poſt diſcipulis curandum commiſit, à quibus ordo paſtoralis curæ emerſit, per vniuerſam eccleſiam maria terraſque repleuit. Cuius officii honore iſque curam beatiſſimæ memoriæ Philaſtrius Epiſcopus ſuſcipiens fideliter ſolerterque exercuit, & Domino Deo noſtro fide immaculata plebem bono exercitio roborauit, modo ad loculum fidelis famulatoris iacentem toto corpore debilem, parentibuſque deſertum, per omnes corporeos ſenſus, ita moderans re-

Cur ſenſus reformati hominis deſtituto. ſtaurauit, vt ſibi, non mundo, viuat. Aperuit enim oculos eius, vt duces gradientis fiant, non vt mundanam conſpiciant vanam gloriam: patefecit aures, quo vtilia intelligant, non vt detractionis ſuſurrones audiant. Soluit vero linguam eius, vt fidem profiteatur, & quæ deliquit, quod hominis eſt, confiteatur, & ſibi neceſſaria quærat: ſed ita parte altera ligatam eam reliquit, vt ad maledicendum & ad detrahendum prorumpere nequeat. Extendit autem arida brachia, ad proprium corpus alendum & tuendum, ſed rapinæ habilia non ſint. Artuum ſiquidem inferiorum ita compages reformauit, vt ad ſibi neceſſaria vadere queat, ſed ad malum currere debilis, colobuſque perſeueret. O Philaſter ſolers ſtabularie, meritis tuis & gratia opificis noſtri, in ſtabulo, vbi corpus tuum iacet, ita ſemiuiuus euaſit, vt ſpeculum humano fiat generi. Datur enim, ni fallor, intelligi, vt ſenſus noſtros inſtar præfati languidi moderemur, vtentes eis in neceſſariis vtilitatibus, tam interioris, quam exterioris hominis, ita moderando, ne exuberent ad quæque mala perficienda. O Admirabilis humani generis opifex, qui in reſtauratione languidi noſtri nos inſtruis ita corporis vti ſenſibus, quo valeamus

Math 25. intemeratos cuſtodire ſenſus interioris hominis, & ſimiles prudentium fieri virginum.

OMNIA ſiquidem, quæ diuina immenſitas in tranſlatione ſui confeſſoris peregit, comprehendere cum difficile X.
ſit, ſaltem vnum, quod poſt diem ſepulturæ eius geſtū eſt, ad memoriam charitatis fidelium reducere, ſicuti poſſum, co-

Duorum aridæ manus ſanantur. nabor. Nona enim die poſt reclinationem venerabilis glebæ in præfatæ hyemalis eccleſiæ ſepultura, vna eademque hora mirabiliter languidorum turba, duorum adoleſcentium aridæ manus extenſæ ſunt. Quos ſubiecti præpoſitorum cuſtodes, ſcientes prius manus ariditate eſſe defluxos, dum vidiſſent ad quæque vellent extendere, percontando geminum reperientes miraculum patefecerunt. Statuentes eos coram, dixerunt vulgari locutione: Nonne videtis ſideratos noſtros, manus extendere, quas tam hodie, quam heri & prius contractas vidimus? Hoc non ſolum ipſi cuſtodes & cæteri ibidem ſiti, ſed etiam vicini & noti eorum, quia per longum tempus manus aridas habuerunt, teſtati ſunt. Atque ea die quoniam crediderunt omnipotentem hoc facere poſſe, non propriis præſumentiis, ſed beatiſſimi Philaſtrii Epiſcopi meritis, Dei medela ſeſe ſanos effectos profeſſi ſunt. Vnde præ gaudio lachrymoſa eccleſia, multimodas Deo retulit grates, quoniam ſaluat ſperantes in ſe. Soletter tamen exiſtimo nobis neceſſarium eſſe ſcrutari, quantum humanius, Domino largiente, capit ſenſus, huius qualitatem miraculi, quia credimus pro totius Eccleſiæ inſtructione hoc geſtum.

Miraculum myſtice interpretatur. Vnde notandum eſt, quod fide comitante, duobus ſimul aridæ manus reformatæ ſunt. Per fidem, quam habuerunt in Domino promeruerunt ſaluari duo ſimul: quo docemur, confidere & ſperare in Domino, & diligere proximum. Per manuum reſtaurationem monemur, vt cum dilectione Dei & proximi bona indeſinenter exerceamus. Hic enim numerus vi & natura ſecundus tetragonus eſt, qui per ternarium conficitur, & in ipſo reſoluitur. Nonne ter tres, nouem faciunt? & nouenarius diuidi æque non poteſt, niſi in tribus ter? Vnde docemur Trinitatem credere in vna diuinitate, & ab ipſa nos eſſe formatos, & per ipſam iuſte reſolui. Ecce in ſecundo tetragono, in ſecunda noſtri Epiſcopi ſepultura docemur cum dilectione Dei & proximi bonis operibus farti, credere patrem & filium & ſpiritū ſanctum, vnum eſſe Deum: Qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

CÆTERVM ne quis æmulus obiiciat, & ſi quis deſiderabilis indagator abs quolibet noſtrum ſtipuletur, vtrum XI.
abſque quoquam miraculo clanculum ſopita antro membra tanti vatis fuerint, an prius quiddam omnino geſſerit ibidem is, cui ſemper extitit fidelis Angelus teſtando, dicere pro pluralitate cuncta quis queat, cum à diuerſis hoſtibus linearis narratio, in Italiam irruentibus barbaris & Gotthis & Longobardis cæteriſque, obliterata fuerit? Sed ne deſidia noſtra quaſi muta priora tempora liquiſſe videamur, pauxilla de pluribus, partim ratiocinando, partim vt ipſi nobis retulerunt, qui colloquio quondam eorum ſunt vſi, qui aut in die annuali feſtiuo eius viderant, aut ad ſepulchrum ſenſerant omnipotentis prouidentia, miraculum vel ſolatium. Intente mi chariſſime confrater, quicunque percontator ex-

*Philaſtrius collega S. Ambroſij. ſor. * Bergomenſis.* titeris, conſidera: qualem eum in Arrianorum nefandæ procellæ temporibus, ſanctiſſimę memoriæ Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus eſſe intellexit, qui ſibi eum collegam habebat: quantique meriti vicini Epiſcopi eundem eſſe exiſtimabant, ſi quartus* Pergamenſis Epiſcopus in epitaphio tertii Epiſcopi, hoc eſt, prædeceſſoris ſui (ni fallor) meminiſſe ſtuduit, quod Ambroſius ipſum Epiſcopum, Philaſtrius conſecrauit Diaconum? Cuius vitæ ſanctitatiſque eum ſapuit Epiſcopus Gaudentius ſucceſſor ſuus, qui per quatuordecim annos, forſan & plus, diem tranſitus eius feriatum ducebat, populo ſiquidem de eo ſermonem faciens; item triginta poſt eum Brixienſes Epiſcopi?

Ecce quomodo ſuper ſanctorum ſepulchra, antiquitus altaria erigebantur. Presbyter QVIBVS putas cauſis, meritorum miraculorumque eius conſcii fuerint, qui impoſito altari ſuper ſepulchrum e- XII.
ius, diuina myſteria celebrabant, annualem feſtum diem tranſitus eius recolentes? Præceſſor namque noſter, hoc eſt, venerabilis memoriæ Petrus Epiſcopus, tantæ venerationis eum eſſe monſtrabat, vt anhelus mœroris, ſui teſtaretur ſeſe tempore presbyterii ſui ita fuiſſe febribus anctum, vt nulla potio, nullumq; vnguētum eripere eum à febri quiuerit, cum etiam ipſe peritus fuerit artis ipſius. Sed cum poſt aliquod tempus ad ſepulchrum beatiſſimi Philaſtrii veniſſet, & ibidē Deū efflagitaſſet, vt meritis ipſius intercedentibus ſibi ſanitas tribueretur, ſic de oratione ſanū ſe profitebatur exiſſe, vt

nullus

nullus rigor acceſſionis eum vltra tetigerit. Sed & rhythmicum hymnum, quem in eius honorem Gaudentium Epiſcopum compoſuiſſe ferunt, cantare de ipſo ſedule conſueuerat. *incurabili febre liberatur*

XIII Sed & temporibus ſanctæ memoriæ Anſoaldi Epiſcopi, dum quidam cuſtos tituli ſancti Petri, qui ſitus eſt in caſtro maiori, in ſuburbano fundo poſſeſſionis ipſius tituli, cognomento Baronica, depoſitionem beatiſſimi Philaſtrii non rite celebrans, tantumque diem inhonorans, familiam ſuam in area laborare coegiſſet, ita vt fatigati ſuo ſudore, flagellis triticum à paleis excuterent, dicentes, Sancti Philaſtrii feſtum eſt, requieſcere ſolito debemus: & ipſe magis, vt operi inſtarent, minans terreret eos, ilico correptus à ſpiritu per aream vexari cœpit amens. Qui ab attonitis famulis ſuis captus & vinctus, & inſulito more turpiter ad præfatum titulum deductus eſt, & tamdiu catenis eſt vinctus, donec ſeſe, inhonorando tantam feſtiuitatem, profeſſus eſt deliquiſſe, & teſtis proprii delicti, & beatiſſimi Philaſtrii honoris effectus eſt. *Vide pœnā violātis ferias S. Philaſtrii.*

XIV. Post aliquod autem huius temporis ſpatium quidam diues Brixienſis eodem die feſto depoſitionis beati Philaſtrii, in ſuburbanum caſale ſuum, quod vocatur Caloniola, pro fœni collectione operarios incante miſit, & iam ſicco fœno, & partim paluſtris, partim aggeribus aggregato, iam procelloſa coruſcatio ſubito, tamque præceps affuit, vt inſtar pulueris, omnis collectio diei ipſius ab oculis eorum elapſa fuerit, intantum vt nec vnus manipulus remanſiſſet. Vnde factum eſt, vt prædictus diues poſt hæc annuam feſtiuitatem ſancti Philaſtrii venerabiliter obſeruaret, & iacturam ſuam profitendo, teſtis noſtri fieret Præſulis. Cui enim Dauid cecinit, Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, & qui iuſto iudicio hoſtem humani generis reprobauit, & vt pia miſericordia condolens, ſuam degeneratam creaturam, id eſt, humanum redimeret genus, formam ſerui aſſumpſit, hoc eſt, omnipotens æternus Deus qui in vna eademque eſſentia, omnipotentia, æternitate, diuinitate, carente initio & fine, auctione & diminutione, variatione atque diuiſione, & gignens, & genitus, & procedens, hoc eſt, pater, & filius, & Spiritus ſanctus, cuius conſilio perſona geniti humanitate perfecta eſt, quam miſericorditer ſuſpenſo iudicio cum noſtratibus, ſic & in omnibus, & cum omnibus in hac re mirabiliter egit. O dilectiſſimi Brixienſes, quorum vnum febribus afflictum, mente humiliatum eripuit: alium ſcienter arroganterque peccantem, in ſeſe corripuit: tertium, vtpote popularem hominem, ignoranter forſan peccantem, in rebus ſuis afflixit, hoc eſt, in materie commiſſi: quoniã vnus oratione obtinuit, quod fide credidit: alius vero, quia inſtanter vi cogens, nec famulo Dei honorem, nec ſuis ceſſit miſericordiam, turpiter publiceque intrinſecus correptus, puta tenus profeſſione eſt, vt ſibimet fieret emendatio, & aliis exemplum: Tertius vero, qui vtpote precio operarios conduxit, & ſobria voluntate famulos miſit, extrinſecus damnum paſſus eſt. Nam totum illud amiſit, quod in illicito tempore operari nixus eſt, cum materie ſiquidem ſua. Habebat enim viridia gramina, & ſine peccato ſicca, vt oportet, habere poterat: ſed quia illicite ſiccare voluit, ipſam funditus amiſit materiam, diſponente vel permittente prouidentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius amator fuit Philaſtrius, & cuius amorem nos cunctos oportet quærere. Qui ſubſtantialiter & coæternaliter & æqualiter indiuiſe viuit & regnat cum patre & Spiritu ſancto per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. *Item aliterius.* *Pſalm. 10.*

DE S. FRIDERICO EPISCOPO VLTRAIECTENSI ET MARTYRE, EX QVODAM INSIGNI EIVSDEM ECCLESIÆ MS. CODICE: SED F. LAVRENTIVS SVRIVS MVTAVIT STYLVM.

An. 810.

I. Sanctvs Fridericus natione Friſo, nobilis quidem fuit genere, ſed nobilior ſanctitate. Is in primis ætatis initiis & teneris annis Angelicam potius, quam humanam in terris viſus eſt vitam degere. Libenter enim ſe adiungebat ad viros Deum timentes, & ludos pueriles prorſus reſpuebat: ad eccleſiam prompta animi alacritate properabat, & quicquid ibi lectum aut cantatum eſſet, intentis auribus accipiebat: domumque reuerſus, matri ſuæ, ſi quid intellexiſſet, referebat. Ea res lætitiam matri attulit, adeo vt inuito patre eum patribus quibuſdam commendarit literis imbuendum, quos etiam tum muneribus, tum precibus ſolicitans obſecrabat, vt eum ſanctæ religionis ſemitam & peccati deuitandi rationem docerent. Interea nocturna quadam, eaque cœleſti viſione ſibi admoneri viſa eſt, vt puerum inde ablatum, ſancto Ricfrido Traiectenſis eccleſiæ antiſtiti commendaret. Et mox ingenti perfuſa gaudio, quod Deo puerum curæ eſſe videret, licet reluctante patre, eum Traiectum adduxit, & memorato præſuli commendauit. Is vero ſpiritu proſpiciens, illum ſe poſt deceſſum ſuum habiturum in cathedra ſucceſſorem, ceu filium & hæredem liberalibus pariter & Eccleſiaſticis curauit diſciplinis accurate inſtituendum. Proficiebat igitur in melius Fridericus, & ſemper in virtutum ſcala ad gradus ſublimiores contendebat. Nam cœleſtibus auctus benedictionibus, cum adoleſcens ſanctiſſimus etiamnum in ſcholis ageret, officium ſuum non prætermittebat, ſed cunctis tum maioribus, tum minoribus luculenta promebat dogmata. Si quem intra domum Dei riſu aut iocis diſſolutum vidiſſet, blande ſuauiterque admonebat, vt ab iis ſibi temperaret: ſimul erudiens eum, quemadmodum diuinum cultum exercere deberet. *Ivlii 18.* *Sanctiſſima eius pueritia* *Literis imbuitur.* *Commendatur epiſcopo Traiectenſi.*

II. Mvltos vero necdum originis culpa abſolutos, catecheſi inſtituebat: & præco lucis ſempiternæ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, teteros ex eis dæmones profligabat. Ad annunciandum populis Euangelium Dei ſemper paratus erat, memor ſcripturæ, dicentis: Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Audiens eum ſapiens euadebat ſapientior, & eo loquente, ori ſuo digitum imponebat. Cum ergo ſic manum miſiſſet ad aratrum, vt non reſpiceret retro, vt regno Dei eſſet aptus, Subdiaconus ordinatus eſt. Eum gradum adeptus, vigiliis, orationibus, & perpetuis ieiuniis pro Chriſti nomine cœpit affligere corpus ſuum, humanamque gloriam pro nihilo ducere, pulchre tenens illud Dauidicum: Cum interierit homo non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Facultates porro ſuas per manus inopum & miſerorum tranſmiſit in cœlum, ne vel ærugine, vel tineis corrumperentur, vel à fratribus effoderentur. Atque ita in cœleſti illo repoſitorio ſemper habebat defixum cor ſuum, vbi ſe ſuos nouerat theſauros condidiſſe. Erat plane verus Iſraëlita, cuius in ſpiritu nullus inerat dolus, ex cuius ore nullum vnquam auditum eſt mendacium. Lædebat neminem, nec cuiquam fraudem fecit: nullum odio proſecutus eſt: nemini fecit, quod ſibi nollet fieri. Ad communionem corporis & ſanguinis Domini, ſacrorum porritor vaſorum, mundum & caſtum ſe ſeruabat, & ab omni carnali immunditia liberum, quemadmodum illis, qui eius ſunt ordinis, per Prophetam præcipit Dominus: Mundamini, qui fertis vaſa Domini. *Iohan. 1.* *Eſa. 58.* *Ordinatur ſubdiaconus.* *Pſalm. 48.* *Multa vitæ innocentia* *Eſa 52.*

III. Postqvam autem egregius vir factus eſt Diaconus, quantopere in cultu & ſeruitio Dei nocte ac die deſudarit, nullus vnquam pro dignitate explicare valebit. Erat, iuxta Apoſtoli doctrinam, pudicus, non bilinguis, non multo vino deditus, non turpe lucrum ſectans, ineptas fabulas deuitans, ſeniores non increpans, minores non contemnens, habens fidei myſterium in conſcientia pura: exemplum ſe præbens fidelibus in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, in patientia, in humilitate, in temperantia, & omni morum integritate: gradum ſibi acquirens bonum & fiduciam multam in Chriſto Ieſu. Tantus illi inerat ardor Spiritus ſancti, vt nec aduerſis frangeretur, nec extolleretur proſperis. Cernens autem Ricfridus Epiſcopus tot eum virtutibus inſtructum, ingenti afficiebatur gaudio, quod talem eſſet habiturus ſucceſſorem: iuſſitque eum ſecundum à ſe locum obtinere, ſacerdotio eum initians, quamuis inuitum. Mox autem *Fit Diaconus.* *1. Tim. 3.* *1. Tim. 5.* *1. Tim. 5.* *1. Tim. 4.* *Sacerdotio initiatur.*

Digitized by Google

autem nomen eius, diuina id agente prouidentia, per omnem terram adeo diuulgatum eſt, vt etiam regias penetraret aures, & ab omnibus ceu vir Apoſtolicus honoratus ſit. Porro Ricfridus antiſtes, vir omni bonitate conſpicuus, leni correptus febre, iam multa ætate grauis, terræ reddidit corpus, cœlo ſpiritum, Angelorum legionibus ſtipatum. Eoque humato honorifice, Clerus & populus, inſtinctu ſancti ſpiritus permoti, nullum alium ſe aiunt eligere aut velle Epiſcopũ, niſi Fridericum, hominem multa veneratione dignum.

Obit Ricfridus Epiſcopus.

INTERIM Ludouicus rex, Caroli Magni filius, in quandam Rheno propinquam vrbem peruenit cum Iudith coniuge ſua conſecranda: quam, ne ab Epiſcopis anathemate feriretur, in Galliis apud ſe retinere non audebat. Is Ricfridi obitu comperto, per legatos ſuos mandauit Traiectenſis eccleſiæ ſenioribus, vt Fridericum ſibi Epiſcopum deligerent, & electum cum ſummo honore ad ipſius palatium adducerent: neſciens iam omnes Traiectenſes id ante decreuiſſe, quod & ipſe & primates eius perceperent. Sed ſimulatque vir Dei iſthuc percepit, ſe tanto honore indignum proclamauit, nec debere ſe hominem ſceleratum, aliorum pontificem fieri. Populo autem contra aſſeuerante, neminem illo magis idoneum inueniri, quem ſibi vellent præfici: vir Dei ingemiſcens obſtupuit, & coram omnibus illachrymans, ait: Cum ſim homo peccator, quo pacto ouium Chriſti poſſim paſtor effici? Quid ita me vultis habere rectorem qui regere non didici, quique me, omnium infimum facile agnoſco? Quæſo ab hac ſententia ceſſate, & ad alium me digniorem oculos animoſque adiicite, in me enim nihil, quod Deo gratum ſit, comperietis. Paulo autem, vt noſtis, affirmante, oportet, Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem: non vinolentũ, non percuſſorem, ſed modeſtum: non litigioſum, non cupidum, non neophytum, ſuæ domui bene præpoſitum. Ego vero, qui domui meæ præeſſe non noui, quo modo Eccleſiæ Dei diligentiam habebo? Qui peccati trabem ex oculo meo educere nequeo, qua ratione ex aliorum oculis feſtucam euellam? IV.

Vide quam recuſet Epiſcopatum.

1. Tim. 3. Qualis debeat eſſe Epiſcopus.

CVM hæc atque alia conſimilia dixiſſet, miſſi denuo ſunt ex palatio Regis viri potentes, qui dicerent ei, ſi quidem velit Regis gratia frui, vt quamprimum cum maioribus natu ad ipſum properet. Tum ille confeſtim ſurrexit, dicenſque non eſſe Regis iuſſa negligenda, ſed parendum eius voluntati, ad Regis aulam proficiſci cœpit. Sperabat enim ſe apud Regem effecturum, ne Traiectenſibus, tanquam indignus, Epiſcopus daretur. Vbi ad palatium peruenit, Ludouicus Rex poſtquam eum conſpicatus eſt: Gratus, inquit, mihi eſt aduentus tuus ſerue Dei: & cum oſculatus eum eſſet, orauit, vt in appoſita ſede ipſi aſſideret. Deinde cunctis aulæ proceribus accitis, Rex Traiectenſes percontatur, quem velint habere antiſtitem, pollicetúrque ſe illum ipſis daturum, quem cuperent. Reſponderunt omnes vno ore: Nos hodie profecto nullum eligimus alium, niſi hunc, qui adeſt, dominum Fridericum. Eum nos nouimus, quippe à puero apud nos verſatum, & quæ Deo ſunt grata, hactenus ſectatum. His dictis Rex præcepit beato viro, vt veſte ſacerdotali indutus, ordinandus accederet: addens, eam eſſe Dei voluntatem, vt id fiat, quod omnium animis ſederet, nec ſe vllo pacto debere obluctari. At vir Dei lachrymabundus ſurrexit, Regemque pronus adorans, Precor, inquit, domine mi rex, ne iſtis aſſentias in eo, quod poſtulant: ſed eligant, te iubente, ſanctiorem aliquem, & ego, ſi id feceris, quicquid iure hæreditario poſſidebo, libens tibi tradam. Non enim poteſt eſſe paſtor idoneus, qui irruenti lupo, nec ſe, nec gregem tueri poteſt. Ego vero quinam gregem Dei aduerſus lupos conſeruare potero, qui nec è meipſo quidem illos arcere noui? Timeo ſane vir probroſus plebis ſanctæ fieri Epiſcopus, eum quod infirmum eſt, ſolidare: quod ægrotum, ſanare: quod confractum, alligare: quod abiectum, reducere: quod perditum, requirere neſciam. Horrendum eſt, teſte Apoſtolo, incidere in manus Dei viuentis, cuius iſta apud Prophetam minitabunda vox eſt: Væ paſtoribus, qui paſcunt ſemetipſos, & item: Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ſanguinem pereuntis in die tribulationis exigam ab eis. V.

Regibus eſt parendum.

Mire detrectat munus antiſtitis.

Hebr. 10. Ezech. 34.

HÆC illi prolixe proſequenti, Rex per nomen Chriſti adiurato pedum tradidit, & coram ſe Epiſcopum eum ordinari præcepit. Tum ille cernens nulla ratione ſe poſſe ſubterfugere, mœſtus ad templum ſe contulit, multa militum caterua ſequente, ibique tales Domino preces gemebundus obtulit, manibus in cœlum ſublatis. Domine Deus omnipotens, qui in Trinitate perfecta dominaris & regnas: cui ſecreta omnia patent, qui ſcrutaris renes & corda: tu ſcis, quod inuitus cogor pontificis munus exequi. Non enim ſic ego ſum corpore & animo conſtitutus, qualem tu me velles. Interim nihilo minus credo, piiſſime & amantiſſime Deus, te volente iſthuc fieri. Iraque totis te viſceribus rogo, quoniam tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci vſque in præſens, vt delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas mihi condones, malorum præteritorum des veniam, à futuris ſerues: vt ad viam veritatis reductus, nocte ac die poſſim meditari & ſcrutari legem tuam, facereque quod tibi ſit gratum & acceptum. Sana me Rex æternæ gloriæ, medice medicorum, medicina male habentium, inſtaurator eorum omnium, qui ſperant in te: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quia tu es laus mea, lux mea, pax mea, ſpes & gloria mea, pulchritudo & beatitudo mea, refugium meum, vita & fortitudo mea, conſolatio, illuminatio & corona mea: qui viuis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Miſericors & miſerator, qui neminem vis perire, ſed omnes ſaluos facere: pœnitet me criminum meorum, quæ hucuſque admiſi aduerſum mandata tua. Itaque recipe me pœnitentem, & de tua miſericordia confidentem, tua enim vox illa eſt: Viuo ego: nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat. Exorabilis Domine, exaudi me deprecantem, ſicut audiſti latronem à cruce pendentem, & prope ſero pœnitentem, & largire mihi ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilii & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis, & ſpiritum timoris tui. Pone verbum tuum in ore meo, vt docere poſſim populum tuum pro voluntate tua, & fac me fortem & conſtantem in cæremoniis tuis: vt tuæ protectionis vallatus armis, omnes meos gregiſque tui mihi crediti viſibiles & inuiſibiles vincam hoſtes. Confirma me in omni opere bono, & dirige greſſus meos in ſemitis tuis: & non veniat mihi pes ſuperbiæ, neque manus peccatoris moueat me. Pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, ne ex eis egrediatur verbum mendax in conſpectu tuo, ſed quod omni tempore placeat tibi. Cuſtodi gregem tuum rex regum & domine dominantium, & paſtor paſtorum, cui ego iam præficior paſtor criminoſus: ne quam lupus rapax ouem ex illo rapiat & dilaniet, ſed tua ſancta dextera ſemper illum foueat ac tueatur. Tu ſcis Domine, quarum ego rerum indigus ſim, & quid petere abs te debeam. Præſta tu id mihi, quemadmodum ego ſpero, & confido tibi. VI.

Cogitur fieri Epiſcopus.

Attende deuotam eius orationem.

Ezech. 18. Luc. 23.

Eſaia 11.

VIX precem hanc abſoluerat, cum ecce Rex cum aliis ſuperuenit Epiſcopis, eumque curauit ordinandum cum multa celebritate. Quas vero laudes & grates Clerus & populus, eius conſecratione mirifice exhilarati, Domino egerint, paucis dici non poſſit. Peractis omnibus, quæ ad eam rem pertinerent, Imperator Clerum & quotquot illic aderant nobiles & ignobiles, ad ſuum inuitauit conuiuium, & pro amore ſancti viri diem illum haud ſecus atque inſignem ſolennitatem, cum multa lætitia ad veſperam vſque exegit. At ſanctus Epiſcopus, memor beatæ Cæciliæ, quamuis corpore videretur intereſſe epulis, ſpiritu tamen cum Domino epulabatur, hos ſecum verſiculos tacite reuoluens: Ciba me Domine pane vitæ, & aqua ſapientiæ, vinoque compunctionis pota me: quoniam dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus. Peracto prandio, more ſuo vacabat eloquiis diuinis, peccatorum ſuorum remedia poſcens à Deo. Nec paruipendendum ſibi exiſtimabat onus pontificium, in ipſius humeros coniectum. VII.

Cõſecratur Epiſcopus.

Inter epulas ſtudet compunctioni.

Pſalm. 59.

ALTERA luce Imperator ſecum animo voluens, propter illicitum matrimonium fieri poſſe, vt quandoque ab Epiſcopo Friderico communione priuetur: iuſſit eum accerſiri, & coram Epiſcopis, qui aderant, eum demulcendo ſic allocutus eſt: Dominus te in ſacerdotem magnum elegit chariſſime, tanto muneri idoneum te ſciens. Oro igitur, vt perſeueret IIX.

ſeuéret in te ſtudium adhortandi & verbum Dei prædicandi apud feroces maritimas gentes. Eſt ſanè inſula Vualacra- Corrupti
na, tibi, vt reor, ſatis cognita, in qua proh dolor, quod nupèr ad noſtras peruenit aures, paſſim ſibi matrimonio iun- mores inſu-
gunt nepotes ſuas, aut etiam, quòd eſt deterius, ſorores, vel ipſas quoquè matres ſuas. In illa autem inſula, vti ſatis con- læ Vuala-
ſtat, anteceſſores tui ſtrenuè laborârunt: quod verò ipſi excolere non potuêre, tibi proculdubiò abſoluendum reli- cranæ.
querunt: Adiuro igitur te per Deum viuum & verum, vt ſi quis ſiue nobilis, ſiue ignobilis, ſiue Dominus, ſiue ſer-
uus, diues vel inops, à Chriſtiana religione aberrans, eiuſmodi ſe facinoribus contaminârit, vbi primùm id reſciueris;
corrigas illum. Quòd ſi reprehenſus abs te, non ſe ad meliorem frugem receperit, & te vel Eccleſiam non audiërit, à
communione fidelium authoritate tibi tradita illum ſepares, ſitq; ceu ethnicus & publicanus, donèc vera pœniten-
tia conuertatur ad Dominum, qui ſemper paratus eſt miſereri.

IX. His ab Imperatore dictis, vir ſanctus ingemuit, aitque ad illum: Grauiter quidem me obſtringis Domine Im-
perator, ſed quæſo, dic mihi, num ſalua tua gratia facturus ſum, quod hortaris. Tùm Imperator, quaſi iam de ſe ſe-
curus. Non ſolùm, inquit, ſalua mea gratia id feceris, ſed ſi voluëris, me quoquè ea in re adiutorem habebis. Mox
vir ſanctus, plenus ſpiritu Dei & memor ſermonis, à Domino ad Ieremiam dicti: Probatorem dedi te in populo meo *Ierem 6.*
robuſtum: & ſcies, & probabis vias eorum: ad Imperatorem ſe inclinans, ait: Dic mihi, oro, Domine Imperator,
ſi ſit edendus piſcis, à capiténe, an à pedibus incipiendum eſt? ſi fabrica conſtruenda, à parietibúſne, an verò à fun-
damento inchoandum? Imperator facilè aduertens, quorsùm iſta ſpectarent, non ſine admiratione reſpondit: Pi-
ſcis pro meo iudicio rectiùs à capite primùm editur, atque indè ad caudam vſque proceditur. Fundamentum quo-
què priùs collocãdum eſt, deindè parietes extruendi, alioqui ſine dubio collapſuri. Rectè, inquit vir ſanctus, mi Do-
mine, locutus es. Et eccè Dominus te voluit eſſe caput & fundamentum Eccleſiæ ſuæ, vt bonum omnibus de te ex-
emplum præbeas. Itaq; à capite mihi ſumendum eſt initium, vt ab illo excluſis vitijs, & fundamento probe colloca-
to, per corpus ad caudam, Deo me adiuuante, pro viribus pertingam, & parietes in ſublime promoueam. Tu ergò mi
Domine ſtare te exiſtimas: ſed quamuis grauem iam ruinam feceris, vide tamen, ne grauiùs cadas. Habes coniugis
locó Iuditham tibi ſanguine propinquam, Guelphi Bauarorum Ducis filiam: quam ſi non repudiaueris, & dignam Hũc Guel-
Deo egeris pœnitentiam, iam antè prædico tibi imminere regno tuo immane excidium, completúmque iri in te ſer- phum qui-
monem illum Saluatoris: Surget gens contrà gentem, & regnum aduersùs regnum. Tradet autem frater fratrem in dam vocant
mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Quæ quidem ſi in tua tempora non primũ Co-
inciderint, poteris ſecurus vti frui iſthac fœmina. Sin autem inciderint, non poteris habere ambiguum, non fuiſſe mitem Alt-
gratas Deo nuptias iſtas. Scriptum eſt enim: Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt reuelet tur- dorffen-
pitudinem eius, & iterùm: Anima, quæ fecerit quippiam ex iſtis, peribit de medio populi ſui. Et Salomon in Pro- ſem.
uerbijs: qui adulter eſt, inquit, propter cordis inopiam perdet animam ſuam. Turpitudinem & ignominiam con- *Luc. 21.*
gregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur: quia zelus & furor non parcet in die vindictæ. Et Apoſtolus ſcribit *Leuit. 18.*
Corinthijs. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque facit homo, extra corpus eſt. Qui autem forni- *Prouer. 6.*
catur, in corpus ſuum peccat. itemque alibi: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Et reuerà etiamſi coniunx ti- *1. Cor. 6.*
bi legitima foret, Domine Imperator, nec tuo ſata ſanguine, at nihilominùs illud Apoſtolicum animaduertere de- *Heb. 13.*
bes, quod ille diuinitùs tradit: Qui habent vxores, quaſi non habentes ſint. Quid verò beatus Gregorius in Cano- *1 Cor 7.*
nibus dicat, quæſo nè moleſtè feras, ſi commemoremus. Si quis, inquit, duxerit neptem in coniugio, anathema ſit. Reprehen-
Iraque ſi vis æternos gehennæ cruciatus euadere, & vita frui ſempiterna, vera ductus pœnitentia, ſperne iſt- dit illicitas
huc coniugium, & ad Dominum conuertere, vt det veniam tibi. Vana eſt enim huius mundi gloria, & omnis Ludouici
caro fœnum. Imperat. nuptias.

X. Cum hæc diceret vir ſanctus, & multi etiam pontifices eius ſententiam confirmarent, atque abolendam tam
inuiſum matrimonium, permulta ſacrarum literarum teſtimonia proferrent, neque ea tamen Imperator irà, vt pare-
rat, animaduerteret, rursùs vir Dei ſic eum compellauit: Nos quidem, Domine Imperator, ſecundùm Apoſtolum, *1 Pet 2.*
Deum timere debemus eiuſq; ſeruare mandata: te autem honorificare, & in rebus bonis conſentire tibi: mala au-
tem non modò non approbare, ſed etiam corrigere, dicente ſcriptura: Si non fueris locutus, vt cuſtodiat ſe impius à *Ezech 3.*
via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem verò eius de manu tua requiram. Nos igitur ſi tibi peccatum
tuum non indicaremus, neq; id reprehenderemus, tu ab illo te non reuocares, nec conniteteris redire ad vitam, noſ-
que vnà tecum propter ſilentium noſtrum æternis ignibus addiceremur. Quamobrèm nobis ex officio incumbit,
ſpiritalibus conſilijs ſanare peccato laborantem.

XI. Vix ſermonem hunc beatus Epiſcopus abſoluerat, & Imperator erubeſcens, ad tempus doluit, defixiſque
humi luminibus, illachrymans dixit: Peccaui, & deflexi à recto itinere: agnoſco erratum meum, veſtroque me iudi- Imperator
cio ſubmittens, libenter quod à me perperàm geſtum eſt, corrigam. Reſpondit Deo dignus Epiſcopus Fridericus: lachryma-
Id ſi tu ex animo feceris, cum Domino redibis in gratiam, qui, vt tu ipſe dixiſti, miſericors eſt, & ſemper paratus miſe- tur, agno-
reri: eritque tibi pater, & tu illi filius, ſi tamen ab illo retrò non receſſeris. Noli ædificare domum tuam ſuper are- ſcens culpã
nam, ſed potiùs ſuper petram: nè irruente imbre, & ventis flantibus, & flumine inundante cadat, & fiat ingens ruina ſuam.
illius. Nos verò non ceſſabimus orare pro te & poſtulare, vt implearis cognitione voluntatis Dei, & ambules dignè *Matth. 7.*
coram illo, per omnia placens ei. Tu autem tenta teipſum, & proba num ſis in fide. Reddet proculdubio iuſtus iu- *Rom 2.*
dex in illo tremendi iudicij die vnicuique iuxta opera ſua. His tandèm confectis, cum cæteris pontificibus Impera- *Apoc. 22.*
tor beatum virum vocauit ad prandium: ac deindè cum ſummo honore à ſe Traiectum dimiſit. Cumque ad Rhe- Accipitur
num ventum eſſet, eius regionis Clerus & populus, qui domi remanſerat, in vnum collectus, illi fuit obuiàm, Deoq; honorificè
pro optato paſtore gratias agens immenſas, ad caſtrum eum cum dignis laudibus deduxit, atq; in templo beatiſſimæ à Traiecten.
matris Dei, vbi cum ſocijs conditus eſt martyr Bonifacius, in Epiſcopi ſede eum collocauit. At ille ſuo more ad S Frideri-
ſingulas ſanctorum aras precaturus acceſſit, & eodem die ſacrificium offerens, cùm ad populum concionatus & ei cus.
benè precatus eſſet, peracto miniſterio, domum abire permiſit.

XII. Mansit autem in eodem caſtello diù ſatis, populum docens, ità vt quicquid illic vetuſti erroris relictum e-
rat, diuinis eloquijs extirpârit. Non efferebatur animus eius pontificia dignitate, ſed conuenientèr ſcripturæ diui-
næ, quanto erat maior, tanto ſe magis humiliabat in omnibus. In præſtandis eleemoſynis æquè, vt anteà, fuit lar-
gus, ad ſuſcipiendos peregrinos ſemper paratus, captiuis & compeditis liberandis dediriſſimus. Viſitabat infirmos,
nudos veſtiebat, cunctis ſe affabilem & amabilem exhibebat, vigilijs & orationibus delectabatur, cum Propheta
ſeptiès in die laudem Domino dicebat. Semper vno & eodem erat animo: odij & iræ planè expers, pacis verò &
concordiæ ſtudioſus, morum integritate nulli ſecundus. Quicquid in muris templi, fratrum domicilijs & in pa- *Eccleſ 5.*
rietibus caſtri collapſum fuerat, inſtaurauit, & religioſioribus quibuſdam clericis & laicis, nè quid erroris aut per- Vacat ope-
turbationis exiſteret, aſſeruandum commendauit. Deindè Diœceſim ſuam viſitare cupiens, ad inſulam ſupradi- ribus miſe-
ctam ſtudio euangelizandi primùm iter intendit ſuum: ſalutatiſque fratribus domûs, nauim conſcendit, & proſpe- ricordiæ.
ro curſu ad Vualachranam appulit. Egreſſus autem in terram, ad eccleſiam ſe contulit, iubens interim in aprici gra- *Pſalm 118*
mine campi ſuum figi tentorium. Eum verò vt eius inſulæ habitatores conſpexêre, multi, quibus ſanior erat It in inſulã
Vualachra-nam.

mens, vndiquè ad eum confluere, & eo, quo par fuit, honore eum excipere cœperunt: porrò complures ijs, quæ antè diximus, polluti flagitijs, iam arma ſua aduersùs eum expediebant, tanquàm prælium inituri, aiebantque ſe, ſi quid ipſis moleſtiæ attuliſſet, illum planè trucidaturos. Id vbi ſanctus Epiſcopus accepit, ſanctam omnibus ſynodum indixit, excommunicationis ſententiam intentans illis, qui nollent ei intereſſe. Illi verò minas eius floccipendentes, in ſua peruerſitate permanſerunt. Porrò ſoli ſeniores ad ſanctam venêre ſynodum, & eam, quam decebat, in omnibus obedientiam declarârunt. Beatus autem antiſtes vt vidit illorum obſtinatos animos, ſeque illis conuertendis fruſtra nauare operam, cum lachrymis obſecrabat ſenes omnes illic præſentes, vt ad deſtruenda inceſta illa connubia pro ſua virili opem ferrent, Dominoque talenta duplicata referre curarent. Non recuſârunt illi, ſed rogarunt refractarios illos, nè tam barbaros ſe exhiberent, ſed ab Epiſcopo, cuius curæ eſſent commendati, veniam peterent, ſuamque culpam faterentur & agnoſcerent: nè, ſi ſecùs facerent, Dominus totam inſulam vel peſte, vel fame, vel hoſtili incurſu perderet, quòd paſtorem ipſis præpoſitum deſpicere viderentur. Interim Epiſcopus cum Clericis in Eccleſia Deum rogabat gemitibus inenarrabilibus, vt illorum cordibus adſpiraret ſanam mentem & voluntatem agendi pœnitentiam, & in operibus bonis eis præſtaret conſtantiam, nè poſt ſuſceptam emendationem rurſùs inſtâr canum redirent ad vomitum. Non deſpexit Deus preces ſerui ſui. Proxima enim luce illo cum Clericis de ſcripturis diuinis colloquia nuſcente, ex pagis vndiquè ad eum accurrêre permulti, ex animo petentes veniam, & dignam ſe acturos pœnitentiam pollicentes. Tum vir ſanctus mirificè exhilaratus, in ſanctum ingreſſus eſt conuentum, dixitque eis, non poſſe illos dignam agere pœnitentiam, niſi fœda priùs connubia diſcinderent & execrarentur, iuramentoque confirmarent, ſe ea nunquam repetituros. Id poſtquàm omnes deuotis animis fecêre, agendamque pœnitentiam ſuſcepêre, vir Dei aliquot dies manſit illic, docens illos ea, quæ Dei ſunt. Cùm autem indè eſſet abiturus, magnæ ſanctitatis presbyteros apud illos reliquit, qui plebem in officio retinerent: atque ita cunctis valefaciens, inter eundum ſuas viſitauit parœcias: cunctiſque rectè conſtitutis, Traiectum venit, & aliquandiù illic moratus eſt. Deindè concionando & Eccleſias ædificando, totam ſuam perluſtrauit diœceſim, Dominoque ſuo non poſtremus agricola, vineam egregiè inſtaurauit, familiæque eius, cui erat præfectus, cibum ſuo tempore miniſtrauit: vt ab eo veniente vigilans & itá faciens, talentumque ſibi traditum duplicans inuentus, ab eo conſtitueretur ſuper omnia bona eius, & in eius gaudium introduceretur.

Indicit ſynodum.

Attende quanti ſit ponderis oratio iuſti iſtius.

Multi priùs refractarij, in inſula ſe corrigunt

Matth 25. Luc 12.

IMPERATOR autem vbi didicit omnia proſperè ceſſiſſe beato viro, nihilque in ea inſula diabolici erroris XIII.
reſediſſe, non auſus fuit diutiùs apud ſuam Iuditham illic hærere: ſed in Gallias proficiſcens, ſalutauit eam, & dixit: Hunc nobis in noſtro negocio aduerſantem Epiſcopum, ſi potes aut vllis flectere precibus, aut muneribus excæcare, nè id quæſo intermittas. Sin minùs id potes, minis eum expugnare contende. Fecit illa, vt erat iuſſa, & modò precibus eum pulſans per epiſtolas, modò innumeras offerens diuitias, ſanctum virum, qui in nullis ſperauit pecuniæ theſauris, eò conabatur inflectere, vt ſua authoritate ipſis faceret poteſtatem in damnato coniugio permanendi. Sed cùm ille ſæpè recuſaret, idque ſine Pontificis maximi & aliorum præſulum iudicio fieri non poſſe aſſereret, Imperatrix bile percita, amoreque inſano obcæcata, etiam iniuſſa ſecuta eſt Imperatorem, multiſque nominibus Deo charum pontificem accuſauit, iam animo pertractans, qua eum poſſet ratione quandoq; tollere è medio. Iam verò non contenta, vt fertur, cum Imperatore præter fas concumbere, etiam Bernardum quendam, quem è ſacro fonte Imperator ſuſceperat, adoleſcentem Deum timentem quondam Ægyptia mulier Ioſeph patriarcham, ſæpè ad fœdam ſecum explendam libidinem prouocabat. Illo verò recuſante, & adulterij immane eſſe crimen aſſeuerante, Iuditha excandeſcens, veritaque nè tanta eius turpido ad aliorum notitiam deduceretur, omni ſpurcitia & dolo plena, iuuenem inſontem crebrò apud Imperatorem detulit, quòd vi ipſam opprimere conatus eſſet. Vbi id cognouit Bernardus, voluit ſe innoxium declarare, idque coram Imperatore & duobus filijs eius Lothario & Ludouico, qui tum erant in Theodonis palatio: ſed nemo erat auſus cum illo ſingulare inire certamen. Porrò vt beatus Fridericus Epiſcopus iſthuc reſciuit, multùm doluit, & inſtâr Samuelis Saulem lugentis, ardentiſſimis precibus rogabat omnipotentem Deum pro Imperatore & perfidioſa coniuge eius, vt illis ſanam mentem largiretur.

Iuditha Imperatoris coniunx, fruſtrà virū Dei expugnare contendit.

Gen 39. Iudithæ in Bernardum calumniæ

1.Reg 15.

PER id tempus ſacerdos quidam Odulphus nomine in Oreſchot morabatur, vir ſanctiſſimus & nobilis gene- XIV.
re, patrem habens Bodgiſum, concionator egregius, diuinarum ſcripturarum lectioni deditus, bonorum operum cumprimis ſtudioſus. Is quadam nocte feſſa membra in lectulo reponens, per viſum angelum Domini multo lumine conſpicuum ſibi adſtantem vidit, & talia roſeo ore verba promentem: Surge ſerue Dei, & ad Traiectenſe caſtrum propera, manſurus illic cum cæteris famulis Chriſti, & beato Friderico Epiſcopo ſtrenuam nauaturus operam in habendis ad populum concionibus, vbicunquè illi viſum erit. Ea viſione perterritus vir Dei Odulphus, nocte ſurrexit, & itineri res neceſſarias parauit, memorque ſententiæ Saluatoris, Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit: relictis omnibus, Dominum eſt ſecutus, & poſt triduum Traiectum peruenit. Proceſſit autem in occurſum eius Fridericus Epiſcopus cum Clero, & tanti viri aduentu exhilaratus, cum multo gaudio & honore eum excepit, & poſt preces ad Dominum in templo fuſas, in Auſtrali parte caſtri dedit ei hoſpicium ſatis commodum, cum adiuncto illi viridario. Ille verò talem ſe præbuit bonis conſectandis operibus, vt tanquàm lucerna coram Domino lucens, omnibus reſplenderet, itá vt tàm à Pontifice Friderico, quàm fratribus, pater monaſterij vocaretur.

Huius vitā quære Iunij 12 die.

Matth.19. Odulphus presbyter venit Traiectum.

EA tempeſtate Friſones, malo dæmone id agente, tam malè de ſacroſancta Trinitate pleriſque locis ſentiebāt, XV.
vt Sabellij Arrijque hæreſes ab inferis excitatæ viderentur. Sanctus Epiſcopus ea re percepta, animo commotus eſt, multumque flens & eiulans, citò ad eos profectus eſt, & pagos atque villas, eos docens, peragrauit. At proh dolor neque per ſeipſum, neque per ſocios ſuos ferocem illam gentem corrigere potuit: & cùm animi dubius eſſet, quidnam agendum foret, tandèm accepto conſilio Traiectum miſit legatum, qui S. Odulphum rogaret, vt quanta maxima poſſet celeritate ad ipſum in Friſiam contenderet. Et nuncio accepto, vir Dei præ martyrij deſiderio lætus efficitur, & tanquam ad epulas inuitatus, iucundo animo ſe dedit itineri, & Staueram, vbi Epiſcopus erat, peruenit. Eo viſo, Epiſcopus mirificè lætatus, cùm eum oſculatus eſſet, cum illo pariter totam regionem prædicando perambulauit. Erant enim ambo gladio ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, armati. populumque illum ferum & belluinum vitali alimonia paſcentes, breui tempore in agnos mutârunt, & ad Catholicam fidem reuocârunt. Scripſit autem beatus antiſtes in chartis de S. Trinitate quædam, eaſq; miſit ſacerdotibus parœciarum diœceſis ſuæ, vt ſi repullularent errores, crebrò populis prælegerentur palàm. Æternus eſt pater, æternus & filius, æternus & ſpiritus ſanctus. Diſtinctio enim in perſonis, vnitas cognoſcitur in natura. Omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens & ſpiritus ſanctus. Trinum quidem nomen, ſed vna virtus & potentia. Filius à patre incomprehenſibiliter genitus: Spiritus ſanctus à patre & filio ineffabiliter procedens: poteſtas non accidens, ſed perpetua & indiuidua manens: ſummitas ſociabilis, regnum ſine fine, gloria ſempiterna. Quæ ſola creat, ſola peccata dimittit, & cœlorum regna concedit.

Friſones arrianizāt.

Fridericus & Odulphus eos conuertunt.

Symbolum S. Friderici.

INSVPER ad placandam ſacroſanctam Trinitatem, Orationem de ipſa compoſitam pro ſalute plebis quoti- XVI.
diè ter, nēpè manè, meridiè & veſperi iuſſit recitari. Porrò beato Odulpho, ex conſilio Cleri & fidelium eius loci lai-

corum,

eorum, quamuis inuito, Stauerenſem eccleſiam curandam commiſit: cunctiſque rectè & ordine conſtitutis, Traiectum ſe recepit. Vt autem impleretur beati viri prophetia, anno ſalutis octingenteſimo triceſimoquinto Murmanus Britonum rex regnum Francorum inuaſit, Imperatori arma inferens, quòd propter fœminam deflexiſſet à recta via, Deiq́ue præcepta & legem neglexiſſet. Erat eius Murmani ingens exercitus, vrbesq́ue ac vicos & pagos in Gallijs cepit & vaſtauit, atque innumeros trucidauit, multiſque auctus ſpolijs, nullo accepto incommodo, in ſua ſe recepit. Imperator quidem magnis coactis copijs illum inſecutus, cum eo conflixit non ſemèl, ſed infelicitèr, permultis è ſuis deſideratis proceribus. Tandem ampliſſima ei offerens munera, pacem ab eo petijt, & hoſtem ſibi conciliauit. Nec latuit populum, cur permiſiſſet Deus ea calamitate affici ſanctam Eccleſiam ſuam, & iam de illicito Imperatoris coniugio multum in eo murmur audiebatur. Anni verò illius circulo euoluto, Imperatrix Bernardum, cuius antè meminimus, ad ſe euocauit, licèt nolentem, vt eius animum placaret; ſtimulanteq́ue eam turpi amore; cum imperatore eum in gratiam reduxit, tanquàm miſerta illius, & plerunque illum apud ſe detinuit. Ità fiebat, vt crebra eaq́ue varia & inania inter ipſos colloquia haberentur, quæ tandèm adeò feruntur iuuenis animum corrupiſſe, vt cum Imperatrice Iuditha dormierit. Ea re in vulgus ſparſa, Pipinus, Imperatoris ex Irmingarde Imperatrice filius, magno animi mœrore affectus, cum Ieſſe Ambianenſium Epiſcopo & Hilduuino Archicapellano, & Magfrido ac Eleazaro Abbate, atque Godefrido alijsq́ue permultis regni primoribus Imperatorem adijt, multa ei obiecit, & reginam adulterij accuſauit. Imperatore verò nihil reſpondente, ſed toruis eos oculis adſpiciente, atque caput agitante, illi reginam Iuditam vi abſtulerunt, & in monaſterium velatam detruſerunt; domumq́ue abiêrunt. Sed poſt menſes non adeò multos Imperator Iudithà receptà, Nouiomagium profectus eſt, & cum multis alijs etiam Ieſſe Epiſcopum captum, qui in cordis ſimplicitate Iuditham velauerat; vt ad meliorem frugem ea ſe reciperet, à ſua ſede mouit, cogens Epiſcopos, vt eum exauthorarent: quæ res cunctis bonis diſplicuit: porrò alios in carcerem coniecit, alios exilio mulctauit.

[Idem habet Abbas Regino in Chronicis. Murmanus rex vexat Franciam. Iuditha accuſatur adulterij. Truditur in monaſterium, ſed id Imperator atrociter vlciſcitur.]

XVII. Vbi Gregorius Pontifex Romanus id comperit; multùm doluit, profectusque ad Imperatorem, durè eum obiurgauit, admonuitq́ue vt cum coniuge reſipiſceret, veniamq́ue illis ſuppliciter petentibus, ieiunium & pœnitendi formam præſcripſit: Epiſcopis verò tum præſentibus, tum abſentibus Apoſtolica authoritate præcepit, vt ipſo recedente, Imperatorem & prophanam coniugem eius admonerent, & ſpiritalibus eloquijs paſcerent: & ſi negligerent ſatisfactionem ipſis impoſitam, nòn alio quàm ethnicorum & publicanorum eos haberent loco, & perpetuo plecterent anathemate. Tum verò Imperator denuò ſe proſternens, faſſus eſt peccatum ſuum, in omnibus morigerum fore promiſit, Pontificemq́ue Gregorium vt pro ſe & regni ſui ſtatu Deum deprecaretur, orauit, multiſque eum regijs muneribus affecit. Sed Pontifex nihil illis muneribus tranſuerſim actus, ſed prudentiam ſerpentis & columbæ ſimplicitatem retinens, Imperatorem propter ea, quæ diximus, reprehendit, multaque tum ei, tum proceribus eius ſanctorum pignora, quæ pro illorum ſalute ſecùm attulerat, elargitus eſt: & cum ſaluberrimis de vita æterna adhortationibus eos inſtituiſſet, vltrò citroq́ue vale dicto, cum ſuis Romam reuerſus eſt. Sed non diù pòſt Imperator redijt ad vomitum, & auxit etiam peccatum ſuum. Interim Epiſcopi Germaniæ & Galliæ, memores præcepti Pontificis, per ſeipſos coràm, & per epiſtolas eum abſentes orabant, nè ità ſe gereret. At ille palàm eos odio proſequebatur, inprimis autem Fridericum Epiſcopum, qui diuino ſpiritu repletus, aperuit ei facinus ſuum, nec quicquam reticuit, quòd æquitas dici poſtularet, atque præ cæteris vrgebat eum, vt ſeſe corrigeret, non odio vllo aut liuore ductus, ſed diuino ipſum timore ſtimulante, nè vnà cum illo periret: dixitq́ue ei: Non licet fœminæ ſacrum acceptam velamen abijcere: idq́ue confirmabat ſententia Zachariæ Pontificis ſanctiſſimi, ità ſcribentis in Epiſtola ad *Gallos*: Qualicunque modo mulier, permittente canonicè viro ſuo, aut eo defuncto, velum ſanctum acceperit in caput aut ſpontè, aut inuita, in eo permaneat omninò, nec dimittat.

[Gregorius Papa pœnitentiam indicit Imperatori. Imperator redit ad vomitum. Odit Fridericum Epiſcopum, ipſum arguentem.]

XIIX. Porro anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo triceſimooctauo, conuenêre filij Imperatoris, & communicato cum Epiſcopis, Ducibus & proceribus conſilio, propter ignominioſum illud coniugium, & quod ſummi Pontificis iuſſa contempſiſſet, in quendam occultum locum eum includere decernunt, donec agat præſcriptam pœnitentiam, & Deum ſibi propitium reddat. Id poſtquàm geſtum eſt, Iuditham ab Epiſcopo Ieſſe velatam, in Italiam ablegârunt, mortis ei minas intentantes, ſi indè reuerti aut aufugere auſa eſſet. Verum enimuerò non multò pòſt Ludouicus Imperatoris filius, ea patris fortuna commotus, collectis quotquot potuit Francis, Imperatorem vixdùm inchoata pœnitentia è cuſtodia eduxit, & Aquiſgrani honorificè in eius ſedem repoſuit & palatium. Mox verò Imperator Ebbonem Rhemenſem Archiepiſcopum, virum ſanè religioſum, vt poteſt animaduerti ex ſcriptis eius, iuſſit comprehendi, & ab Epiſcopis, quos ad id compulit, ſine cauſa deponi. Deinde legatos miſit in Italiam, qui Iuditham indè adducerent, venientemq́ue ſummo cum honore & gaudio excepit: ſed timens Epiſcopos, cum ea rurſùs, relicta Francia, in oppidum quoddam Rheno adiacens profectus eſt, deincèps quotidiè in eorum conuiuijs citharis & lyris, & tympanis, & tibijs perſonantibus.

[Ludouicus Imperator à filijs includitur. A Ludouico filio liberatur. Ebbonem Epiſcopum deponi curat.]

XIX. Cernens igitur beatus Epiſcopus Fridericus induratum eſſe pectus illius, per epiſtolam ſignificauit ei, niſi reſipiſceret, ſe illum excommunicaturum. In ea epiſtola multas habuit ſanctorum Patrum ſententias, & inter cætera ſcribit in hanc ſententiam: Quandoquidèm Chriſti ſeruum te dici & haberi vis, quid ità ſeruos eius, Anſelmum Mediolanenſem, Wolfoldum Cremonenſem, Theodulphum Aurelianenſem, Ieſſe Ambianenſem, Ebbonem Rhemenſem antiſtites ſine vlla ratione condemnâſti? An verò id iuſſit, vt faceres, ille, qui per prophetas ſuos dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei? & rurſùs: Nunquid vos vltionem reddetis mihi? Et ſi vos vlciſcimini cõtra me, citò velociter reddam viciſſitudinem ſuper caput veſtrum. Nôſti Apoſtolum dicentem: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Suo domino ſtat aut cadit. Tu certè non vis niſi à te iudicari ſeruos tuos. Si quis alius id attentet, ſtomacharis & pœnas ab eo repetis. Quod igitur tibi fieri non vis, cur tu id facere Domino dominorum non dubitâſti? Peſſimè quidem feciſti, non enim ab hominibus, ſed à Deo iudicandi ſunt ſummi ſacerdotes, nec à prauæ vitæ hominibus lacerandi, ſed potiùs à fidelibus tolerandi. Prætereà in conuiuijs veſtris quotidiè ſunt cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & opus Dei non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Quamobrèm vindicabit Deus in vobis ſeruos ſuos, & dilatabit infernus animam ſuam, & os ſuum, niſi reſipueritis, aperiet, in eumq́ue vos deſcendetis, & ſublimes veſtri deprimentur oculi, eò quòd poſueritis amarum in dulce, & dulce in amarum.

[Epiſcopi, quos Ludouicus vexauit. *Zach 2. Ioel 3. Rom 14. Eſaia 5.*]

XX. Hviuscemodi verbis Imperator magis etiam in virum Dei ira inflammatus, de eius nece tractare cœpit, reginæq́ue ad eam ſemper inſtiganti id negocij dedit, vt eam conficeret. Atque ità in Gallias proficiſcens, profanam Imperatricem apud Rhenum reliquit, vt eam cædem acceleraret, ac deindè ipſum incunctanter ſequeretur. Multas igitur illa beato viro molita inſidias, cùm eum nec precibus, nec ampliſſimis promiſſionibus flectere poſſet, quadam æſtate illo Traiecti, paucis retentis militibus, more ſolito cum fratribus degente, atque illic ſuum præſtolante obitum, quem impendére ſciebat, Imperatrix ſub dies Caniculares conuocatis vndiquè ad ſe illis, quos ſibi & Imperatori fidos nouerat, ità locuta eſt: Quanta præ cæteris Epiſcopis moleſtia & me & Imperatorem Fridericus Præſul afficiat, vos latére non puto. Itaque modis omnibus oratos vos velim, quos aliqui noſtra capeſſere iuſſa par eſt, vt me de illo vlciſcamini, idq́ue arte quadam, nè res innoteſcat, vndè vobis ingens poſſit creari

Adultera Imperatrix mercede ſicarios conducit, qui S. Fridericũ occidant.

periculum. Eius facinoris ampliſſimam à nobis mercedem expectabitis. Diſplicuit is ſermo omnibus religioſis & probis viris: ſed duo ſuperbi & cupidi iuuenes promiſerunt reginæ ſe eam rem curaturos, modò velit præmium polliceri. Vbi id illa promiſit, & omnes iurârunt ſe Epiſcopo minimè indicaturos, illi cùm ſicas accepiſſent, Traiectum ſe contulerunt. Quò cùm perueniſſent, dixerunt ſe habere in mandatis à regina, quæ Epiſcopo cuperent indicata. Quod vbi Epiſcopo ad ſacrificandum ſeſe præparanti ſignificatum eſt, ille ingemiſcens, erectis ſurſùm oculis & manibus, Deo prolixè gratias egit, quòd tempus optatæ mortis adeſſet. Deindè ad adſtantes vultu angelico conuerſus, Scio, inquit, quid iſti velint: ſed expectare eos iubeo, donèc peractum ſit ſacrificium. His dictis, è cathedra pontificia ſurgens Miſſam cum multa deuotione celebrauit, & poſt lectum Euangelium ſermonem habuit ad populum, obitumque ſuum obſcurè & tectè prædixit, nè illos mœrore afficeret, à quibus ſe haud aliter atquè patrem nouerat amari. Ait enim, ſe illo die eſcam ſempiternam cum ſanctis in cœlis à Domino percepturum: porrigensque eis corpus & ſanguinem Domini, omnibus valedixit, & paſtor fidelis paſtori bono Domino noſtro Ieſu Chriſto oues ipſi commiſſas commendauit. Vidiſſes tum clerum & populum omnem præ dolore lachrymantem, nec tamen ſcientem quid hæc ſibi vellent, quæ ab Epiſcopo fiebant. Abſoluto ſacrificio, ſic vt erat veſtitus, in oratorium ſancti Iohannis Euangeliſtæ, vbi eius ſarcophagus erat, ingreſſus, excluſis omnibus præter vnum Capellanum ſuum, ſanctorum omnium cum lachrymis & ſuſpirijs patrocinia implorauit, & deindè eos, qui ad ipſum miſſi erant, iuſſit introduci. Illis intrantibus, Capellano ſuo præcepit, vt retrò altare Saluatoris ambularet, nec rediret, donèc ab ipſo eſſet accitus. Cumque iam ſolus eſſet cum ſicarijs illis, eoſque trepidantes cerneret, ait ad eos: Facite, quod iuſſi eſtis, intrepidi. Ego enim aduentûs veſtri cauſam ſciui antè, quàm vos huc veniretis. Id vbi illi audiêrunt, cùm eum vltrò mortem expetere viderent, in extis eum ſicis ſuis percuſsêre, atque irridiculè viciſſim dixerunt: Vlta ſe eſt de te regina noſtra.

S. Fridericus prædicit obitum ſuum.

Conſtantia ſancti viri.

Cæditur à ſicarijs, A 838.

XXI. At martyr Dei quibus poterat viribus vulnera compreſſit, nè ſanguis & inteſtina effluerent, dixitque ſicarijs illis, vt properè abſcederent, nè comprehenderentur. Illis celeriter aufugientibus, poſt aliquantam moram accerſiuit vir beatus Capellanum ſuum iuſſitque vt ex muro contemplaretur, num illi nuncij Rhenum traieciſſent, & qua vterentur celeritate, ipſi renunciaret. Fecit ille, vt iuſſus erat, reuerſuſque ad Epiſcopum, vt eum vidit In facie mutatum, penè exanimatus quæſiuit, quid haberet, aut quidnam ipſi accidiſſet. Tum vir ſanctus rogans eum, nè perturbaretur, Percuſſus ſum, inquit, fili mi. Aduoca fratres & commilitones meos, accerſi populum Dei, vt reddant me, vndè egreſſus ſum, terram terræ, orentque vt ſpiritus meus, licèt indignus, dirigatur ad Dominum, pro cuius legibus & amore ſanguis meus hodie fuſus eſt. Id poſtquàm ille audiuit, euellens capillos ſuos & flens, miſerabiles dabat voces. Vbi autem cæteris indicauit, quis planctus, quæ lamenta illic extiterint, nemo pro dignitate explicare queat. Tandem ſancto Odulpho, beati viri cooperatore, cum Clero & populo adueniente, ſimulque omnibus clamantibus, Cur nos pater orphanos derelinquis? glorioſus martyr cum lachrymis prophetico ſpiritu dixit: Fratres & filij mei chariſſimi, ſi qua mihi pars eſt cum ſanctis in cœlo, non vos relinquam deſolatos, ſed pro veſtra ſalute & incolumitate perpetuus ero interceſſor. Sed noueritis tamen propter Imperatoris, coniugiſque & procerum eius peccata, totum regnum, Danorum incurſione vaſtatum iri, & propter iniquitates noſtras etiam hanc vrbem & diœceſim pœnas luituram. His ægre prolatis, cùm populo bene precatus eſſet, viuus in tumulum intrauit, pſalmodiaſque, quæ in funere cantari ſolent, ipſe inchoans, dixit: Placebo Domino in regione viuorum. Deinde crebrò repetens verſum hunc, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, cœlum ſupinus intuebatur. Et cùm dixiſſet, Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam: Domino ſpiritum reddidit. Clericis autem corpus eius humantibus, tanta odoris ſuauitas totam compleuit eccleſiam, vt præſentes omnes nihil ambigerent beatorum ſpirituum illuc multitudinem aduenìſſe, quæ ſancti martyris animam ad cœlos cum triumpho deduxiſſet. Quò nos quoque per eius merita perducat, qui viuit & regnat in infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Prædicit clades regni et Barbarorum incurſione.

Animam agit.

Nortmannorum irruptio in Gallias.

XXII. EODEM autem anno propheticus beati viri ſermo cœpit impleri. Nortmanni enim cum magna claſſe mare ingreſſi, ad oppidum Doreſtadum, quod nunc Vuyck vocant, olim tam amplum, vt ferantur in eo quinquaginta & quinque eccleſiæ fuiſſe, appulerunt, vaſtatumque flammis exuſſerunt, & cum opima præda etiam multos captiuos abduxerunt. Ac deinde omni regione populata & vexata, abiêrunt. Non multis verò interiectis annis reuerſi, Traiectum vi ceperunt, cæſis omnibus eius loci incolis. Inde factum eſt, vt poſt obitum Alfrici, qui fuit pater beatiſſimi Friderici martyris & Lutgeri Epiſcoporum, cunctis ex agro profligatis, Traiectum plane deſertum & euerſum permanſerit, vſque ad Baldrici antiſtitis tempora: quibus etſi non paria priſtinis, noua tamen & bona ſunt mœnia inſtaurata. Porrò Germaniæ & Galliæ Epiſcopi, comperta cæde immerita beati Friderici, vno animo in Imperatorem & Iuditham inſurgentes, dixerunt dignos eos eſſe, qui regno pellerentur, & anathemate percuſſi, melioribus cederent, qui populum Dei regere, non iugulare, ſcirent, eiuſque legem & cæremonias ſeruarent. Quod vbi Imperator didicit, multùm anxius & perturbatus, verebatur ne ab ipſo ad filios deficerent, ipſoque pulſo, illos eligerent. Iurauit igitur cum regina in conſpectu omnium, ſe ab Epiſcopi Friderici cæde protsùs immunes eſſe, & neque voluntate ſua eam perpetratam: ipſos autem ſicarios, qui eum peremiſſent, nullibi poſſe reperiri. Tum verò Epiſcopi, qui conuenerant, domum abiêre, miſſiſque militibus, vbique inquiri illos homicidas iuſsêre. Illi igitur certam ſibi necem impendere videntes, accepta à Inditha mercede tanti ſceleris, è regno in regnum profugi ferebantur, donèc ſubitanea extincti morte, in tartarum demigrârunt. Imperator autem homicida & periurus, dum filium Ludouicum trans Rhenum perſequitur, ſubitò correptus morbo, & in nauim delatus, in inſula iuxta Ingelnheim vita functus eſt. Poſteà Metim translatus, in S. Arnulphi baſilica tumulatus eſt, resq; ipſa declarauit, licèt Pius vocatus fuiſſet, qualis factis fuerit. Quid autem Iudithæ acciderit, aut quo pacto è vita exceſſerit, cùm non ſit literis annotatum, pro incomperto habetur. At beatus Fridericus martyr multis fulſit virtutibus, vt hodieq; fulget, ipſumque inuocantibus & medicum & medicinam ſe exhibet.

Traiecti vaſtatio

Traiectum inſtauratur.

Percuſſores ſancti viri ſubitò moriuntur.

Obitus Ludouici Imperatoris

XXIII. SVNT verò permulti etiamnùm ſuperſtites vtriuſque ſexûs homines, qui teſtentur temporibus Baldrici pij antiſtitis id contigiſſe, quod iam relaturi ſumus. Vir quidam profanus poſt æditum res & omnes veteris eccleſiæ theſauros curabat. Is coram hominibus ità ſe comparare nouerat, vt agnus putaretur, cùm eſſet reuera lupus rapax, clàm auferens, neſciente domino eius, dona, quæ ad aras offerebantur, & cereos truncans ſceleratè & flagitioſè abſumens, qui in venerabili monaſterio ob effugandas noctis tenebras ponebantur. Idem ipſe perſæpè medijs noctibus immania in templo perpetrabat ſacrilegia, veſteſque ſacras, quibus quotidiè ſacrificium Miſſæ peragebatur, in ſacello ſancti Iohannis Euangeliſtæ, vbi beatus Fridericus quieſcit, in lecto ſuo ſibi ſubſternebat, ſanctorumque monumenta impudentiſſimè ventris ſui excrementis & lotio adeò contaminabat, vt quicunque eò vellent orandi cauſa ingredi, accedere præ horrore non poſſent. Interim nocte quadam dormienti ſacer pontifex Fridericus apparet, vultu & veſte mirificè radiante, ſequebanturque eum Alfricus & Ludgerus, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſerant, atque in eodem ſacello humati erant, multa etiam ipſi luce conſpicui, manibus tenentes pedum, vt ſolent antiſtites. Itaque beatus Fridericus pedo ſurſùm adducto hominem illum, potu obrutum, in pectore percu-

Vide hominem ſacrilegum & impium.

Diſce hinc num ſancti ignorent res noſtras.

percutit, expergefactoque dicit: Quid ità frater hîc ſupinus ſtertis? Cur auſus es ſacras veſtes tibi ſubſternere, & noſtros tumulos tam fœdè conſputcare? Effer hinc lectum tuum, & locum repurga: quæ ſanctis furatus es, teſtitue, agens pœnitentiam: ceſſa impiè agere, & ad Deum, à quo receſſiſti, te conuerte. Quòd ſi ità non egeris, vitam hanc cum tormentis amittes, & ibis in ignem ſemper arſurum. Talia vt ille accepit, luce perterritus, timuit quandiù eos vidit: ſed illis recedentibus, pulſo timore, non niſi phantaſmaris loco habuit viſionem illam. Manè ſurgentem æditius interrogat, num quam ea nocte viſionem viderit. Reſpondit ille ſe tres vidiſſe angelos, qui eum iuſſerint deinceps extra templum dormire: at ignorare ſe, num res vera fuerit, an phantaſma, quo permulti illudantur. Quod autem de ſacra veſte, de ſactilegio, de ſactorum tumulorum pollutione eſſet reprehenſus, id ſubricuit, timens pœnas, ſi æditurus reſciret.

Celat impius peccatum ſuum.

XXIV. IVSSIT igitur herus eius, id eſt, ædituus, vt ſi denuò apparêrent, de illorum nominibus perquireret. Ille verò non ſolùm nullas Deo gratias egit pro ea ipſi oblata viſione, ſed etiam in ſuis flagitijs perſeuêrans, cùm ſe potu ingurgitâſſet, media nocte rutsùm ſolus ſuum repetijt lectulum. Mox verò dormitante eo, & penè adhuc vigilante, iterùm adſunt tres Epiſcopi, quos diximus, conſimili habitu: & ſtomachabundus beatus martyr Fridericus pedo illum cædit, dicitque ei: Cur auſus es venite contra iuſſa noſtra? cur non ſolùm celate ea herum tuum, ſed nec exequi voluiſti? Sed collige te tandèm, & cum lacrymis confitere peccata tua, & bonis operibus nouum quendam baptiſmum tibi effice, qui priorem tuis ſacrilegijs perdidiſti. Si aliter feceris, & facinus tuum confeſſus non eris, certa te mors manet. Domino quoquè tuo, ſicuti petijt, nomina noſtra indicato hoc pacto: Fridericus, & eius frater Alfricus, & Ludgerus paſtor probus. His dictis, ea viſio diſparuit. At miſerum illum nullus corripuit tantæ viſionis metus & horror, ſed permanente ſatana in eius pectore, induratum eſt cor eius: ducenſque ea omnia, quæ audierat, pro nihilo, ebrietate obrutus, obdormiuit. Orto autem ſole, æditiuo expoſuit viſionem & nomina ſanctorum: ſacrilegium autem ſilentio preſſit, nec voluit confiteri. Tum verò ædituus ſecum admirans, dixit: Caue, nè quid fortaſſis in ſanctos Dei admiſeris, vndè tibi ſempiternum immineat exitium. Si enim talis eſſet animus tuus, qualis eſt frons tua, equidem puto non fuiſſe iuſſuros illos, vt è templo exportares lectum tuum. Neſcio tamen, vtrùm vera ſint, quæ narras. Sed nè quis meo iuſſu perijſſe te dicat, effer lectum tuum, & præ foribus templi cubato, donèc è pontifice noſtro cognoſcam, quæ ſit eius hac in re volnntas & ſententia. Sed ille propediem periturus id negligens, plus ſolito potitauit, & media nocte in templum dormitum abijt. Quid autem ea nocte geſtum ſit, neſcitur: ſed ſub aurotam cùm nemo ad preces Matutinas pulſaret campanas, fratres oſtiolum ex cardinibus leuantes, cùm intrò ingreſſi eum excitare vellent, inuenerunt miſerum iam ardentem, & lectum eius igne ſulphureo abſumptum: ſacellum autem lotio & ſtercore illius contaminatum. Id illi conſpicati, non dubitârunt ea cauſa fuiſſe cælitus inflammatum: conuocatiſque omnibus eius loci habitatoribus, extra oppidum eum extulerunt ſepeliendum: cumque portaretur, è cadauere eius ignis inſtàr fulgetri procedebat, perſpicuè declarans, quàm immaniter in beatum Fridericum & eius ſucceſſores peccâſſet.

Vide quàm ſit periculoſum celare peccata & vitam non emendare.

Ecce diuinam vltionem in hominem ſacrilegum & ſacra prophanâtem.

XXV. POST eum diem nemo in illo oratorio vel templo venerabili hactenùs cubare auſus fuit: ſed ſtrato ante fores lectulo, cuſtos dormiebat, benè obſeratis oſtijs. O felices illos, quibus beatus hic martyr cordi eſt. Felices illos, qui ſibi apud Deum talem parant interceſſorem. Securus æternam expectat vitam, qui tantæ ſuauitati inhæret. Feliciter nauta obtinebit portum, qui hunc ſibi curauerit adhibere gubernatorem. Sapiens viator eſt, qui eo fruitur ductore. Prudenter bona omnia exequetur, qui eius vult veſtigijs inſiſtere. Qui de facultatibus ſuis eum honorârit in terris, centuplum cum ſanctis in cœlis recipiet. O Traiectenſis ciuitas, tu felicior & ſanctior multis: de tuis apud Dominum Ieſum ſemper lætare patronis. Pugnat aduersùs hoſtes tuos innumerabilis cœlorum exercitus. In quibus precioſus martyr & pontifex Fridericus, diuino accinctus gladio, nocte & die te non deſinit fortiter tueri: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & imperium ſempiternum, Amen.

Anno Chriſti 1362. 28. menſis Iulij, à Folkero Epiſcopo Gibeletenſi, Vicario in Pontificalibus Traiectenſis Epiſcopi, è ſarcophago beati Friderici caput extractum auroque & argento incluſum eſt, ad gloriam & laudem omnipotentis Dei, & ipſius ſancti viri maiorem venerationem & honorem.

VITA ROBERTI SALENTINI ORDINIS SANCTI BENEDICTI, CONGREGATIONIS COELESTINORVM, IOANNE A BOSCO AN. 1300.

Pariſienſi, ac Cæleſtino Authore. ex ijs, quæ Sacerdos quidam B. Roberto coætaneus, & ad ſepulcrum eius ſanatus, collegit.

Reuerendo Patri D. Celſo Amerigo Romano, Generali totius Ordinis Cæleſtinorum Procuratori I. à Boſco Cæleſtinus, S.

PROLOG. QVI te norunt (Reuerende Pater,) non poſſunt quin te amore complectantur, ob præclaras animi dotes, IVL. 18.
quibus te Deus Optimus ac liberaliſſimus, tam profusè ditauit, vt ſi Vatem agere liceat, noſtræ Congregationi quandoque maximum atq; eximium ſplendorem ſis allaturus, ob id præcipuè quod ſumma voluptate afficieris, dum noſtratûm veterum Patrum præclarè acta recitare audis, téque in omni tuæ vitæ inſtitutione, gnauiter ad illorum imitationem comparare ſtudes, quæ duo, Natura & Pietas, tibi fauſto feliciqne Omine, honoris culmen portendunt: ad quod ſola virtus, in omni benè inſtituta Republ. viam ſtruere conſueuit. Quo pede cœpiſti (Amabilis & Amate Pater) ſic benè ſemper eas. Celſuſque vt nomine es, ſic eſto religione, ſic moribus, ſic ingenio. Eris vero, ſi ab illorum, ſub quibus noſtra floruit & effloruit Congregatio, tramite, non recedas: inter quos non infimum locum obtinet, beatus Robertus Salentinus, cuius vitam noſtratûm quamplurimis ſolo de nomine agnitam, è latebris eruo, inque tui gratiam, quem didici ipſam ardenter percupere, ante omnium oculos conijcio. Vt vel tantillus hic meus labor, atteſtetur meo erga te ſtabili inconcuſſóque amori, Quem tua humanitas atque propenſum in me ſtudium, vndecim iam annos aluit fouitq;, quémque præclara vitæ tuæ ratio, ac religioſorum morum excellens dignitas, æternùm alet ac fouebit, ad illius gloriam in quo te diligo, méque viciſſim ipſe in bono diligis. Quod perpetuò facias opto. Vale. Lugdu. Idib. Septemb. 1605.

VERITATIS veraciſſima relatione ſcimus: Arbores bonas, fructus ſuaues proferre conſueuiſſe. Ob quam
I. rem nihil mirum fuit: ſanctiſſimos atque pijſſimos Roberti genitores, tàm precioſum edidiſſe palmitem. Ipſius Patri Thomaſius nomen fuit: Matri vero Beneuenuta, Salenſis oppidi in Apprutio ambo incolæ, quo etiam loco Robertum natum fuiſſe conſtat: ob quod Salentini cognomen, illi attributum narrant. Hi Deo deditiſſimi coniuges, Catholicis pijs ac deuotis operibus, præter ſuos conciues adeo enitebant: vt ipſorum domus aduenrantium eſſet iuge hoſpitium: eorumque facultates cunctæ, pauperum vſibus forent aſcriptæ. Beneuenutæ porro in Deum feruor mirus extitit: quæ à beato Petro Cæleſtino, qui tunc temporis florebat, edocta: quot annis tres quadragenas, atque ſingularum hebdomadarum quartam ſextamque ferias, ſola panis & aquæ epulatione, contenta, ieiunabat, ho-

Thomaſius Pater, S. Roberti, & Beneuenuta mater.

tas canonicas Sacerdotali more quotidie recitans, præter binam Pſalterij Dauidici lectionem, quam deuotiſſimè atque religioſiſſime à Dominica qualiber in Dominicam, ſine vlla intercapedine abſoluebat. Quibus ſtudijs dum mulier aſſidua eſſet: contigit ipſam vterum geſtare; partuique Roberti, cuius vitam pertractamus, vicinam effici: Ante cuius ortum, genitrici viſum, Sphæram quamdam ſe è vulua emittere, quæ totum orbem cingeret, atque ambiret. Quæ res abſque dubio, fœtus ſui magnitudinem, in omnique ſanctitate excellentiam portendit. Nato itaq; Roberto, ſenſim piorum parentum veſtigijs inſiſtere illum cuncti liquido aduertêre: ita vt eximiam vſque ad ætatis ſuæ annum quintumdecimum innocentiam, ac morum puritatem, præ ſe ferret. Aſſidua animi contentione, concupiſcentiæ iuuenilis frena cohibens, ac ſtrenuè ad virtutis arcem anhelans. Poſteaquam vero Clericus effectus, ac aliquali literarum notitia tinctus, miniſterium iuge ac penè continuum, Eccleſiæ oppidi Salenſis exhibuit: mente pertractans Euangeliorum ſacrorum, aliarumuè diuinarum lectionum ſenſa, quibus vti incentiuis ad perfectiora prouehi poſſet, ac minimè nuda ieiunáque rerum ſacrarum, vt plerique, contentus theoria, etiam intellecta ad praxim deduxit. Quadam namque die, dum quiſpiam furoris œſtro percitus, porcum ſororis ephœbi adhuc Roberti; in agro aliena olera depaſcentem repertum, trucidaſſet: fœmineo illa dolore ſtimulata, occiſum ſuem arripiens, ante interfectoris fores proiecit, qui ob id efferatus magis, mulieris in faciem validè illum illiſit, ob quam rem; ipſa ad fratrem ſuum Robertum querelam detulit. Qui lenibus verbis ipſius iram ſedans, Agam, inquit, ſoror, quod è re videro: dabóque operam, vt ipſa placeris. Adueniente itaque Dominica ſequente, dum de more Robertus ſacris miniſtraret: accepto à Sacerdote pacis oſculo, ante omnes, viro qui ſororem iniuria affecerat, ipſe pacis amator, primus oſculum detulit, & leniter obtulit: manifeſtè indicans, quod ab infantia ſua, creuerat ſecum miſeratio. Et quod veritatis ſectabatur veſtigia: quæ inimicos diligi conſulit: non odiri. Ipſo tempore audita celebri fama arctiſſimæ vitæ, quam beatus ducebat Petrus Cœleſtinus: nec non comperto ipſius virtutum, grauitatis morum, ac religionis ab eo inſtitutæ, obſeruantiæ ſplendore, ipſum degentem apud montem Orphontis, ſupplex Robertus adijt: eique facta peccatorum ſuorum confeſſione, atque ab eo conſecuta abſolutione, ſuæ mentis arcanum, quo mundo nuntium remittere ſtatuerat, detexit. Cui vir ſanctus, conſuluit alicuius ab Eccleſia approbati ordinis habitum aſſumere. Ad quem Robertus adoleſcens, ſpiritu feruens infit. Proculdubio Pater, veſtræ religionis me ſacer veſtitus adornabit. Exinque domum repetens, tam excelſa morum venuſtate atque grauitate reſplendebat: vt cuncti præ admiratione ſtupentes, dicerent. Verè hic Adoleſcens, ſuo tempore ſanctus erit: húncque ſanctitatis titulo, Sanctucium patrio idiomate vocitarent: quo nomine ſemper in poſterum, illum Diuinus Pater Cœleſtinus nuncupauit. Elapſis igitur aliquot diebus, dum matri conuiueret: ſtarémque eam in thalamo ac ſolam optimè ſciret: miratus eſt eam cum alia aliqua perſona colloquentem, audire. Quam dein reuerenter interrogans, ad ipſam dixit. Cum quo ô mater antea loquebaris? Atilla. Cum beata, ô fili, Virgine Maria. Quo verbo, mirum in modum Optimus adoleſcens ad pietatem ſuccenſus fuit.

Viſio matris B Roberti.

Sororem iratam placat.

Iob. 31.

Viſitat B. Petrum Cœleſtin.

DECVRSIS vero domi pueritiæ annis, cum iam ſibi ſuccreſcere è carne & mundo bella perſentiſceret, ſtatuit ſarcinam omnium rerum à ſe excutere, vt Chriſtum liber aſſequeretur: ob idq; diuenditis relictiſue cunctis proprijs facultatibus, ad beatiſſimum Petrum Cœleſtinum aduolauit: à quo habitum Cœleſtini Ordinis conſequutus, ipſius mores ſibi veluti ſpeculum conſtituit: ad cuius intuitum, ſuam ipſe vitam componeret Ab initio ſuæ cõuerſionis (dictû mirabile, & penè viribus humanis importabile) nuſquã vitæ aſſumptæ rigorem, ſanus vel infirmus ſoluit atq; remiſit: qui adeo ſeuerus fuit, vt vix alicuius ſancti abſtinentiam eum aut adæquaſſe vel ſaltem præteruolaſſe compertum ſit. Etenim exiguo pane, penéq; ponderis vnciarum octo, atq; hauſtu modicæ aquæ, vitam cotidie ſuſtentabat: quam panis aquæve menſuram, ipſe à Chriſto didicit. Siquidem dũ quadam die ſub ſerotinis horis, orationi ſtrenuè incumberet, paulo poſt monaſtici habitus aſſumptionem, ectaſi nõ ſomno perfuſus, vidit ipſum omnium ſaluatorem, cum ſuis diſcipulis ad menſam recumbentem, atq; eorum cuilibet panem circiter octo vnciarum præbẽtem, quo comeſto, potum ipſis Redemptor propinabat aquæ: in ea quam ſibi præfixerat Robertus quãtitate. Quod is ſagaciter expendens, hanc menſuram, intellexit naturæ neceſſitati, ſufficientem fore. Ac licet aliquando cum fratribus menſæ communi accumberet: nullo tamen poſtea pacto, indictam ſibi victus menſuram præteriuit. Sed & meliora ſemper æmulatus chariſmata, morum grauitate mentis charitate, prompta obedientia, atq; ſedulis obſequijs, ſilentij ſtrenua cuſtodia, necnon orationis aſſiduitate ita reſplenduit: vt in ſui morem beatum Petrum Cœleſtinum, tàm vehementer pelliceret: quod eum ſibi contubernalem, toto quinquennio aſciuerit: donec ad apicem paſtoralis honoris aſſumptus, clanculum à cellula cum eo diffugere conaretur. Verum adhibitis cuſtodijs, fugæq; vtriſq; præcluſa via: Ipſe Sanctus Petrus, præter propoſitum, electioni ſuæ moram gerere compulſus, à Roberto ſolerter perquiſiuit, num dignitatis oblatæ, ſodalis vellet eſſe, ac particeps. A quo Robertus effuſis lachrymis atque obſecrationibus, obtiuuit: Cellæ potius ſancti viri fieri ſucceſſor & ſolitudinis hæres, quàm dignitatis commilito. Inque hũc modum remanens in patris cella deuotus filius, diſciplinam ſui Doctoris eximius ſeruabat diſcipulus: ieiunijs atq; orationibus iugiter operam, prout à ſanctiſſimo didicerat magiſtro fortiter nauans; vſq; ad tempus quo Paparui ceſſit: atq; ad Chriſtum moriens perrexit Cœleſtinus. Etenim ea ipſa hora qua carnis depoſuit exuuias: Fratri Roberto orãti atq; ectaſim patienti, cucullo indutus candidiſſimo, ſtoláq; immortalitatis redimitus, vultu ſereno apparuit: ipſum amplexu oſculóq; ſuauiter demulcens. Quem Robertus ita affatus eſt. Ergone viſum eſt Pontifici, te ad has oras, Pater, vinculis ſolutum mittere? Cui Petrus miti reſpondit alloquio: id ex Regis præcepto actum fuiſſe. Et Robertus, iam verò Pater quò abire fert animus? Et Petrus, Fili Chariſſime quandoquidem Regi id viſum eſt: me decet ingentem conſcendere montem. Sequar te ait Robertus, ô Reuerendiſſime Pater, nec à te diuelli patiar. Non iam, infit Petrus, non iam: at poſtquam merita nactus fueris ampliora. Quo igitur gradum figam, reſpondit Robertus? hîc in Cella remane, quieſce, ſtáq; in pace ô fili, dixit Cœleſtinus. Tuncque ad ſe reuerſus Robertus, vidit ſoluto cellæ laqueario, rectóq; diſrupto: ipſum Patrem ſanctiſſimum cœlos conſcendere, & quarto ab hinc die, didicit eundem Patrem, debitum ſoluiſſe naturæ. II.

Ordini Cœleſtinorum aſcribitur.

Duram in ordine vitã exigit.

Apparet ei Chriſtus.

S. Petri cõtubernalis fit.

Videt B. Petrum Cœleſtinum in cœlos euntem.

CONSVETVM erat licet huic beato Roberto aſſiduè intueri Deum, aliqnãdo tamẽ altero cõſpiciebat in proximum. Nam ſcala virtutũ, aſcenſus eſt contemplatione ad Creatorem; deſcenſus vero cõpaſſione ad creaturam. Ergo dum beatus Robertus moram gereret in cœnobio ſancti Georgij de Rocha Mauritij vel Morici: cellam inibi ſibi cõſtituit, in qua ſoli Deo vacans, per duodecim annos ſe concluſit, nuſquam egrediens; præterquam dum inuitus, de triennio in triennium, neceſſariò ad publica ordinis comitia, quæ Capitulum generale vocant, properaret. In dicta igitur cellula, exercitationi ſpiritali deditus, clam ad carnem, [a] cilicio pilis equorum nodoſis contexto, induebatur: lectiq; loco, ei humus nuda erat: vel ad ſummas delicias remiſſionis gratia, tarò ad tabulam cũ [b] ligneo puluinari, oſſa potiùs collidebat, quàm recubabat. Sex quadragenas, omni prorſus humano carens alloquio quotannis [c] ieiunabat: ita vt miniſtro præciperet, in initio cuiuſq; quadragenæ, ad ſe nullo prorſus edito ſermone, amphoram aquæ, quæ viginti prætaxatas caperet menſuras deferre: atq; viginti alijs diebus elapſis, multo ſilentio & taciturnitate, alteram. Vicibus quingentis, intra diem quemlibet naturalem, abſq; intermiſſione relaxatione ve, genuflexus Deum Creatorem omnium adorabat. Quauiſque nocte media, excuſſo ſomno, perſolutum Eccleſiaſticas preces adibat: quibus decur- III.

In monaſterio Roccæ Morici, per XII. annos ſe concluſit.

[a] Cilicium eius

[b] Lectus

[c] Ieiunium, & ſilẽtium

Vigiliæ.

decurſis, ad primam vſque diei horam, qua Sacrum in fratrum cœtu audiebat: proprias offerens Deo orationes, inſomnis cotidiè durabat. Poſt quam Miſſam auditam, ad horam vſque tertiam pſalterium relegens, vt tertia aduenerat, explicatis ſacra exemologeſi Presbytero noxis, is ipſe Sacrum agebat: quo perfecto, iterum pſalterium recantabat; donec comeſtionis conſueta nona adeſſet hora. A prandio verò, aut ſcribebat: aut exercitio meliori ſe addicebat: vſque ad veſperarum tempus. Veſperis vero Deo perſolutis, totum ſe orationi & profunde vſque ad altam noctem meditationi immergebat: quouſque fatigatum corpuſculum ſomno preſſum, in terram difflueret. Quod tamen corpuſculum, ſepties cotidie aſperrima atterebat diſciplina. Æſtuabat vir ille ſanctus, mortem pro Chriſto perpeti: verum cum iuſta ad id cauſa, minimè ipſi arrideret: vtpotè cui ex ſuorum Maiorum obedientia, nefas erat partes adire infidelium: nullàve occurrebat patiendi in Italia Martyrij conueniens & æqua ratio: ſolers tamen, inuenit viam, qua dolores Chriſti in ſua ipſius carne proferret. Egreſſus námque vna dierum cum ſocio, ad expaſcendum meditationibus animum, dum per quoddam cœnobio contiguum nemus obambularet: vidit fortuitò, arborem in Crucis modum penè biſurcam. Ipſa viſa atque notata, gaudio geſtiens & exiliens, tacitus abſceſſit: nihil omnino ſodali communicans ſuo. Atque altiſſimo noctis ſilentio exurgens, ſiluam petiit: arborem ſuccidit, & propriis ad cœnobium detulit humeris. Hanc dum deferret, humani generis hoſtis, canis nigerrimi obtectus ſpecie illi obuius, morſu & procacitate in eum inſiliuit: horrendo latratu ipſum territare niſus, moleſtiiſque & dura contentione, ab arboris delatione ferè compeſcuit. Verum Robertus fide armatus, iamiam hoſtem adeſſe cogitans, ſignóque ſanctæ Crucis ſe communiens, phantaſma hoc in auras euaneſcere fecit: atque arborem detulit, inque cella defixit, poſitis ex vtraque brachiorum parte cordularum nodis, quibus brachia immitteret: dum in arbore Crucifixi inſtar ſe ſuſpenderet. Ipſam ergo arborem omni die indubiè aſcendens, tamdiu deiecto & demiſſo corpore toto, in ea pendebat, brachiis intra funes immiſſos, quamdiu, Pater noſter, decies recitaret. At ita tractim moroſeque, vt in vno quoque, alter decem perſoluere quiret, vnde centies orationis Dominicæ ſpatium adimplens, inſtar Crucifixi pendebat in arbore. Quantus vero fuerit iſte cruciatus, maximè cum nihil pedibus ſuppoſitum haberet: quiuis ſapiens apud ſe pertractet. Præterquam namque, quod in tam horrendo ſupplicio ſe ipſum Deo mactabat integrum: in tantum vt non guttas, ſed vndas eius oculi emitterent, imo profunderent lachrymarum: omnia eius membra ita ſudore diffluebant: vt riuos diceres aquarum, ſed & tantis diuinis conſolationibus præfundebatur: vt miraculo diuino in corpore ſuſtentatus, ægrè animam propriam, ne emigraret detinere poſſet. Quàm vero grata, quamque accepta fuerit Chriſto Domino, eiuſmodi ipſius paſſionis imitatio; mox poſt eam patrata, quæ iam explicabimus, indicant miracula.

Diſciplina.

Martyrij deſiderium.

Dæmonem ſigno Crucis abigit.

Studium in imitanda paſſione Chriſti.

IV. Quidam Cæleſtinorum Monachus Angelus nomine, cum beato Roberto apud Cœnobium Rocchæ Morici habitans, fiſtulam grauem in manu gerebat: cuius curationem cuncti deſperarent medici. Verum, beatus Robertus manum ægroti Crucis ſigno conſignans, mox ipſam ex integro ſanitati reſtituit. Quidam alius Cæleſtino ordini adſcriptus, leproſus effectus eſt: adeo vt omnis circa eum medicorum langueret efficacia: ob quod, Generalis Cæleſtinorum Abbas, eidem cellulam ſeparatam, famulumque qui ei inſeruiret, ad aliorum euitandum ſcandalum adſignauit. Hunc beatus Robertus crebrò viſitans, ipſius vlcera purgabat: pus eorum atque ſaniem educebat, & preſſabat: propriaque lingua lingebat: eius intuitu qui noſtri amore vt leproſus eſt effectus: in tam horribiles plagas oſcula defigens. Accidit vero, vt ardore charitatis accenſus, ſolito amplius pro eo quadam die feruidas preces emitteret ad Deum beatus Robertus: moxque ab oratione, leproſi vulneribus Crucis ſignum indidit: eumque, nulla mora, integræ & perfectæ ſanitati reſtituit. Alter nomine Petrus, ex illorum claſſe quos Oblatos Cæleſtina conſuetudo vocitat: abſque præuia confeſſione, repentina ægritudinis moleſtia oppreſſus, diem clauſit extremum. Quo defuncto, eo quod loco oriundus hoc in quo deceſſit minimè erat: Fratres eius propinquos atque affines aſciuerunt: vt ſi vellent aduenirent, priuſquam homo tegeretur. Inſepultus ergo, dum illi aduentarent, à noctis medio, ad horam vſque refectionis ſequentis diei iacuit. Verum moras in veniendo nectentibus propinquis, dum prandij adforet hora: Fratres menſæ accumbere beatus præcepit Robertus: remanſit vero ipſemet ad cadauer de more ſeruandum, cum duobus fratribus; circa illud, pſalmos pœnitentiales ac orationes alias Domino perſoluens. Interea autem, ipſi venit in mentem, horroris damnationis defuncti recordatio: cui compatiens, lachrymas & preces pro eo fudit antè Deum efficaciſſimas, ac ſuper eum poſtmodum ſtans, ita defunctum cœpit compellare. Vis, fili Petre, pœnitentiam accipere ſalutarem? Qui illicò reſpondens, dixit. Volo Pater atque continuò, qui mortuus fuerat reſedit: loqui incipiens, ac de ſuis delictis integram ipſi confeſſionem agens. Qua peracta, abſolutione ab eo conſequuta, ſimulque benedictione, poſt diuturnum longumque colloquium, ipſe Petrus ſe iterum in ſarcophagum reclinans, obdormiuit in pace. Quantumuis vero vir beatus, Deo in agendis rebus deſeruiret: eleemoſynarum ſtudioſus, ac de monaſteriorum ſibi commiſſorum ordinatione, atque diſpoſitione ſollicitus, Martham feruenter imitatus: ſtatuta nihilominus ſibi perfixerat tempora, quibus meditationi atque orationi incumberet, ad Chriſti pedes reſidens cum Maria; in quibus, ſæpiſſimè tanto ipſius anima iubilo perfundebatur: vt iam æternæ dulcedinis nectare, Robertus potatus videretur. Verum, eo quod locus in quo vir ſanctus degebat, incolarum vicinia nimia afflueret: ingens turba, ex animi deuotione ad eum confluens, mirum in modum, ipſius ſacras meditationes interturbabat. Cuius rei gratia, diuinum præſidium ſedulò efflagitauit: cuiuſque beneficio, adeo auditu inter orandum meditandúmve orbatus fuit: vt ſi omnis clangor tubarum, ſonitúſve campanarum orbis vniuerſi, ad cellæ ipſius ianuam applicitus adforet: nulla ratione in eius aures penetrare potuiſſet: præter quod, ita à ſenſibus alienari tunc conſueuerat: vt non vocatus, tactúſve, ſed maximis ictibus impulſus, vix ad ſe rediret: quamuis ab orationis vel meditationis ſolutus officio, nullus eo audiendi perſpicacia viuacior eſſet. Quàm affluenter porrò atque exuberanter, diuinis ſolatijs afficiebatur: vel ex hoc illo conijci datur, quod cum ſemel ad eum ipſius miniſter aduentaret, numquid ei deeſſet exploraturus: longo admodum temporis ſpatio, ſuſtinuit eum cum aliquo alio intra cellæ anguſtias colloquentem. Qui demirans, quanam ratione, præter conſuetudinem colloquium protraheret: eo tandem finito, ad ipſum poſt petitam acceptámque facultatem irrupit, atque neminem reperiens, ab eo, territus, ſumma demiſſione, maiorique inſtantia perquirebat: Cùm quo prius longos ſermones duxiſſet. Ad quem ille oculis ſerenis, vultúſque ſolita venuſtate & gratia affabilis, infit. Loquebar, fili, cum noſtro omniumque Seruatore Ieſu Chriſto. At miniſter, Quo Pater in loco, ſacrati ipſius pedes reſederunt? In iſto, ait ſanctus, digito locum ſignans. Ex quo ad quantæ perfectionis culmen euectus fuerit, facilè videri poteſt.

Manum ſigno crucis ſanat.

Leproſum curat.

Mortuum ſanat.

Cum Chriſto familiariter colloquitur.

V. Flamma igitur charitatis in eo vires augeſcens, cor eius ita igniuit: vt iam talentum ſibi à Deo creditum, proximis communicare Inſtitueret: lumenq; ſuum cunctis in domo Dei habitantibus exponere decerneret. Ad examen quippe tremendi Iudicis, ſciens miſericordiæ opera neglectui habita, ſeuerè eſſe diſcutienda: ea proximis, vt ſpiritualiter, ita & corporaliter impendere decreuit. Obſtabat interea, cœnobiticum vitæ inſtitutum quod profitebatur, nec humana ratione inueniebat, quomodo obedientiæ vinculis adſtrictus, atque paupertatis onere preſſus: corpoream opem proximis præſtare quiret. At ad Deum fidenter conuertitur, rogat vt quod infirmitas nequibat humana, bonitas & clementia ſuppleret Diuina. Nocte itaque quadam, dum inſtantius Dominum

precibus ſuper huiuſmodi animi ſui propoſito fatigaret. En ectaſim patienti Roberto, Chriſtus ipſe affuit; qui ad ſe comitantes verſus, ait. An iſte ſeruus meus, negligens eſt & piger, qui quingentis vicibus, poplitibus flexis, omni die me humillimè ſalutat? Quem intuens frater Robertus, & optimè agnoſcens, ante eum in terram corruens, ſe demiſsè proſtrauit: cumque adorans, reuerenti voce reſpondit. Ego ipſe ſum mi Domine. Cui Chriſtus. Aſcende in montem, fili, tibique frumentum & oleum dabo: ac pro te Chriſtum Ieſum rogabo. Ad quod dictum frater Robertus ſubintulit. Tu es Chriſtus, quomodo ergo pro me Chriſtum rogabis? Quibus dictis, continuò ad ſe reuerſus, incredibili exultans lætitia, petita & obtenta à Generali Abbate ordinis Cæleſtinorum venia, cum duobus ſociis, ad locum ſancti Petri Apoſtoli de [b] Monteplano demigrauit. Quo in loco tantam ipſi rerum copiam Deus adminiſtrauit, vt non ſolum multis ſecum Deo ſeruientibus fratribus, quin etiam cunctis in circuitu patriam inhabitantibus, profuſa adiutorij porrigeret ſolatia. Cœpit igitur exercendæ charitatis cauſa, ſancta plurima extruere loca, Fratrum religioſorum multitudinem ampliare, atq; hoſpitales domos inſtituere. Nam [c] quatuordecim monaſteria, à fundamentis erexit: Xenodochiáque ſeptem ad integrum perduxit: in quibus poſſet, vtraque miſericordiæ opere adimplere officia. In quorum erectione, atque eleemoſynarum profuſione, & ſi puſillis atque infirmis aliquibus, minimè defuerit, non data, verum aſſumpta ſcandali occaſione: adſtitit tamen famulo ſuo Chriſtus ipſe, portentis ingentibus æquam iuſtámque cauſam ita ſtrenuè propugnans, vt requieſcere in beato Roberto duplicem Heliæ ſpiritum, cordati quiuis fateri compellerentur. Vt verò aliqua de multis explicem. Dum fabricæ vir Dei aſſiduè inſtaret: certatímque fidelis populus largitione bonorum, ipſius animum ſubleuaret: vt potè qui probè nouerat, nihil eum ſuis vſibus reſeruare, ſed liberali manu omnia in pauperum cibos & veſtem profundere: adfuit quidam, ſe mendicum ſimulans. Exuerat quippe clam nouam qua induebatur tunicam, atque eam inter fruteta ac ruborum vepres abſconderat. Igitur cœnobij ianuam pulſat: aperientíque oſtiario, ſe cum viro Dei colloqui, (qui tum temporis in cella ſpirituali otio perfruebatur,) vehementer cupere indicat. Vocatus vir Dei adeſt: quid nam ab eo velit vir ille, ſciſcitatur. Volo inquit, vt Dei amore, ſolita charitate mihi vt intueris nudo, veſtimentum impertiaris. Spiritu autem, interius mentem Roberti patris illuſtrante Diuino. Sta hîc, inquit, amice, confeſtim namque, pro viribus tibi ſubſidium impendam. Stetit [d] ille, ſanctus vero ad locum ſecretò pergens, in quo tunicam ſimulatus mendicus occultauerat, ipſam capit, homini expectanti porrigit: qua ſe vir protinus veſtiens, vt ipſam ac ſi pro ſe confecta fuiſſet, ſibi optimè conuenientem vidit: miratus, incipit attentius eam ſpectare, ſuámque vt eſſe aduertit: tanto rubore ſuffuſus fuit, vt mox in effuſam fugam ſe conijciens, adeo pedes diſcuteret, ac ſi à pluribus perniciter inſectaretur. Alio itidem tempore, quo beatus Robertus ædificio Baſilicæ Monaſterij ſanctæ Crucis inſiſteret: Architectoſque, vt fornicem abſoluerent, ſedulò adhortaretur: quidam præcipuus operarum Gualterius vocabulo, ab apice ſummi tecti, in aceruum acutiſſimorum atque duriſſimorum, quales humus iſtac gignit lapidum, decidit: atque ſubito colliſus, loquelam, & anhelitus reſpirationem penitus amiſit. Quo [e] vir Dei nunciato, continuò agili curſu ad locum perrexit: & colliſum amplexans, ac de terra erigens, ait. Noli timere fili, iam enim liberatus es. Mirabile dictu. Subitò abſque mora & colliſione vlla, qui defunctus reputabatur ſe eleuans, iteratò ad opus conuolauit. Hoc in eodem loco, dum Monaſterij fabricam ſub quodam ingenti ſaxo effoderetur arena: & illud ſaxum ex omni iam parte excauatum ſubterfodientibus imminentem de proximo ruinam minaretur: ſtaret tamen firmiter, Diaboli vt creditur arte fraudeque, ad cuiuſpiam interitum, Diuinitus vir Dei Robertus periculum præſenſit, atque præuertit. Etenim, vna dierum ſubitò Miſſa peracta, quodam fratre nomine Antonio comitatus, velociſſimè ad ſaxum cucurrit. Ante quod cum appuliſſet. Videnne, ait, aliquid ſupra lapidem? Antonius reſpondit, nihil equidem. En [f] huic inſidet Diabolus. Inclamánſque operam, qui ſubtus arenam effodiebat: feſtinus veloxque, inquit, abſcede fili. Erupit homo, & confeſtim, lapidem ſigno Crucis, in nomine Patris & Filij & ſpiritus ſancti conſignans, ſaxum nullo humano adhibito impulſu corruit.

VoluitChriſtus fortè ex ipſo elicere, vt fateretur ſe ipſum agnoſcere ſicut Matth. 16.
[b] ad Monaſterium S. Petri de Monteplano ſe confert.
[c] XIV. monaſteria & VII. Xenodochia ædificat.
[d] Mendicũ ſimulatum confundit
[e] Colliſum ex caſu architectum ſanat.
[f] Caſum lapidis præcauet.

SVB eadem tempeſtate. Idem beatus Robertus, ſtationem ſibi aliquanto tempore, apud locum ſanctæ VI.
Mariæ de Lamia ad pietatis exercenda opera conſtituit. Vbi dum lapicidæ, ad limen Baſilicæ exornandum, ingens ſaxum exciderent: iámque media parte, à rupe euulſiſſent, laſſi ſubſtitêre. Interea accidit, vt beatus Robertus celebrata Miſſa, baculo præ corporis debilitate ſubnixus, ad eos inuiſendos properaret. Cum ſubitò, ſaxum illud ingens, ac ſi viri deſiderio annuere percuperet, à loco ſe abripiens, in præceps deſilijt: terribilibus deſultibus, ima viæ qua vir Dei aſcendebat, expetens. Animaduerſo Robertus periculo, fugæ præſidium capeſſit. At Deus ipſe, vt ſeruum ſuum doceret, ſpem in diuino collocare præſidio, ipſius fugientis pedem, acutiſſima pungi ſpina permiſit: cuius ictus dolore, in terram corruit. Lapis vero ſubito longè à ſancto in decliui ſubſtitit, ac ſi in terram profundius defigeretur. Subſtitit, inquam, ſuper propriam longitudinem, quem multorum quantumuis ingentes vires, minime ſiſtere quiuiſſent: At dum ſe vir ſanctus erexiſſet, inque auium locum ſe paululum ſubduxiſſet: continuò, per ſe ſaxum curſum repetiuit: donec in ima dilaberetur. Cum quadam etiam vice, inter pauperculos fratres, beatus Robertus, Deo apud Cœnobium ſanctæ Crucis famularetur: Contigit accumbentibus ad menſam fratribus, panem deficere. Cuius ob defectum, Cœnobitæ in murmura reſoluti, vir Deo fidens, ad illos conuerſus, placido & tranquillo vt eſſe ſolebat vultu, dixit. Iactate amici cor veſtrum in Domino, cum eoque voluntariam inopiam ſectamini, ſtatim namque, vobis compatiens, ipſe neceſſaria quæque larga manu ſuppeditabit. Dixit. Et vix finem verbis impoſuerat. Cum ecce homo facie rutilans, triclinium intrat, pulcherrimos recenteſque panes pro edentium numero, ſingulis ſingulos, hilariter & iucunde porrigit. Poſt hæc, cum vir beatus ingentem fratrum multitudinem adunaſſet, quos optimis moribus inſtituebat: aſinoque inſidens, viſitatum eos, qui apud Guiloniſium ſedem fixerant, vt aſſolet, pergeret: ſudumque ac rutilum cœlum, & nullo nubis velamine obtectum, cuncti intuerentur: ad ſodales verſus ait. Iſta † die, coruſcationes, nimbi, grandines, tempeſtates ac tonitrua, nos opidò inuadent fratres. Benedictus vero Deus, qui per Archangelum ſuum Gabrielem, noſtra tuebitur corpora: illæſoſque nos omnes faciet euadere diſcrimen. Vix verba finierat, & extemplo ab Aquilone, à quo gelu oriri expandiq; ſolet: nubecula paruula inſurgere cœpit, quæ ſenſim excreſcens, cœlum vniuerſum obuoluit: dein tonitrua inſonant, emicant fulgetra, aquaque grandini horrido mixta, effluit copioſa. Quæ videns Robertus, exilijt e aſino: fratres adhortans. Oremus ait dilecti. Ac mox, cum ipſis in terram ſe proſternens, manibus ad ſydera erectis valida, & acuta in cœlum precum emittebat iacula. Perſeuranteq; eo in preces, reſiliit grando, retroceſſit nubes, viam qua venerat iterum carpens. Stupendumque: quod cum in circuitu, grando & aquæ colluuies, cuncta operuiſſet: ſolum illud exiguum quo cum fratribus ad orandum vir Dei procubuerat, inpluuium atque ſiccum remanſit. Quo peracto, fratribus ait. Iam in pace pergamus. Progredientibus vero illis, tantam tamẽque denſam grandinis molem repererunt: quod inſtar niuis eam calcãtes, talis eorum ſupereffulgebat. Contigit quandoque virum Dei ad Aquilam, cum quibuſdam fratribus, ob neceſſaria quædam ordinis negotia proficiſci: inter eundum vero, hominem contra legem in boue & aſino arantem, conſpexit. Quem aduocans ait. Cur ô homo, iniuriã aſino facis, illum æquans boui, cum in arando ſimilem haud poſſit perpeti laborem? Cui dum reſponderet homo, quod paupertie coactus id ageret.

Lapis corruens ſubſiſtit ne B. Robertum lædat.
Panis ipſi à Deo ſuppeditatur.
Grandem tempeſtatẽ præuidet & auertit.
Deut. 22.10.

Vir ſan-

Vir ſanctus intulit. Quantum pro emendo boue altero, vt cum duobus ares, eſt neceſſarium? Cui ille, Auguſtale vnum, Domine mi, ſufficeret. Illicò vir benignus, ſocio qui à fidelibus oblatos, in ipſorum vſum pauperumque ſubleuationem, nummos geſtabat, imperauit, vt homini, Auguſtale lubens tribueret. Quod & peregit: ſed tamen tacito intra ſe murmure, factum carpebat beati Roberti. Cuius cogitationi, vir diuinus, in hunc modum palam reſpondit: Ne oro frater dolore afficiaris: nam magis pauperum quam noſtri cauſa, fideles nobis pecunias erogant: neue timore vexeris. Diues quippe Deus eſt, qui noſtros ſcit vbique ſupplere defectus, ac citò tuum pecunijs replebit marſupium. Quibus dictis iter accelerantes, eminus ad ſe quoſdam mercatores accedere viderunt. Quorum aſpectum vir beatus effugiens, ne ſuo itineri moras necterent, paulo à via ſe ſubduxit. Pergentes ergo & obuios quoſque de fratre Roberto ſciſcitantes, necnon cunctos viæ contiguos, audierunt, quod in via cum ſocijs, ipſum debuerant reperiſſe. Nouiſſimè vero repertis duobus Ordinis Magellenſis, hoc eſt Cœleſtini, Monachis, ipſiſque de beato Roberto, perquiſitis, audierunt. Hic quem quæritis, modico interuallo vos præcedit. Igitur gradum vertunt, & feſtinis paſſibus Dei virum inſequuntur & aſſequuntur, atque clàm cunctos, cum eo de ſuis exceſſibus agentes, accepta ſalutari pœnitentia, poſt longa de Deo rebúſque ſalutaribus colloquia, maximam nummorum quantitatem offerunt: atque ita ſancto valedicunt. Ad quæ, vir Dei fratri ait: Diuinam frater agnoſce largitatem, nec in opere pietatis, manum Dei contrahas vſquam. Robertus beatus aliquando Theatinos fines incolebat, videbàtque fidelium maximam multitudinem ad memoriam beatiſſimi Michaëlis* apud Garganum montem, peregrinationis ardore concurſantem: at eum tædebat loci ſterilitatis, quæ vix tenuem victum, atque exilem alimoniam, aduentantibus ex omnibus orbis Chriſtiani regionibus, ſubmittebat. Mente igitur anxius, ac de ijs ſollicitus, quorum ob amorem ſuis Chriſtus mortem oppetiuerat: in Dei, beatæ virginis Mariæ, nec non Michaëlis Archangeli honorem, adque peregrinantium commodum, domum hoſpitalem in itinere ad Garganum figere conſtituit. Cuius pium ſtudium, ingentibus miraculis, Deus ipſe comprobauit. Si quidem cum ſe in preces dediſſet, vt de cœlo auxilium ad effectum ſui propoſiti obtineret: baculo locum atque ambitum Xenodochij, accitis latomis fabriſq; lignearijs deſignauit. Iuſſitque Architectis vt terram ad locanda fundamenta, ſtatim effoderent, atque egererent: fodienteſque operarij pulcherrimum limpidiſſimum ac perpolitum lapidem prægrandem & latum, repererunt, ad menſam altaris collocandam: altiúſque ligonibus terram proſcindentes, alterum inueniunt adeò longum, vt limina præclara Eccleſiæ, per ſe magnificè admodum efficere poſſet, cuius intuitus, vſque ad noſtram ætatem, merita beati Roberti conteſtatur. Perfecta itaque eccleſiæ, lampas vitrea in ea dependens oleo plena & flamma coruſcans, ab alto in pauimentum coram viro Dei, pleriſq; alijs adſtantibus, decidit: quæ nec confracta fuit, nec oleum effudit, lumenque perdidit. Hoſpitalis hæc domus in montis dorſo ſeu accliui eſt conſtructa, ob quam cauſam, initio aquis omnino carebat: quod fratres cunctos hoſpitijque eius Præpoſitum, mœrore graui conficiebat. Adunati itaque omnes, ad virum Dei veniunt, neceſſitatem quam patiuntur explicant, dicentes. Quid pater nobis agendum, qui aqua caremus? Quibus ille, Ne fratres ſpei anchoram erga Deum abijciatis, poteſt noſtræ ipſe mederi ſiccitati, Abeunt cuncti. Vir verò Dei elapſis paucis diebus, ambulatum quaſi ad iactum lapidis, ab hoſpitali, pſalmos & hymnos cum ſocio canens, vadit: dumque hac illacque oculos verteret: inter opaciſſimos rubos, duas petras ſibi inuicem cohærentes aduertit, & continuò Præpoſito Xenodochij adeſſe iuſſo, ſpinarum inquit ſuccide denſitatem, tolleque lapides: præſto etenim eſt, qui nobis opem ferat, fecit quod iuſſus fuerat, & elegantem puteum reperit. Quod cum viro Dei indicaſſet, auffer ait ille terram, quæ longo temporum vſu, in puteum defluxit. Abſtulit, atq; etiam profundius fodit, nullum interea, vel tenuè, aquæ deprehendens veſtigium. Qua de cauſa ad virum Dei iteratò aduenìens ipſe & cum eo alij operæ, dixerunt. Caſſo profecto, pater atterimur labore. Tunc Robertus manus ad cœlum tendens, & ſe intra ſe colligens, ardenter Deum deprecabatur: vt de rupe aquam educeret, qui olim Moſis ſerui ſui miniſterio, ſitientem populum potauerat. Et ecce medio Iulio menſe, quo in his oris torrente ſydere, cuncta exſiccantur irriguo: aqua clariſſima tam copioſè erupit è puteo, quod ab imo vſque ad ſummum, cubitorum quindecim menſuram exſuperabat. Regreſſus vir Dei ad cœnobium ſanctæ Crucis, aliquando in eccleſia diuinis intentus vacabat, quorum dulcedo in corpus etiam eius redundans, paulatim cœpit in ectaſim fieri, atque cernentibus cunctis, plus cubito à terra in aërem ferri: quo ſtatu diu conſtitit. Donec illum intuens, ipſius diſcipulus, apprehenſum eum incautè commouit, atque excuſſit, dicens: Quid hoc eſt Pater? At illicò ad ſe reuerſus Robertus, diſcipulum leniter obiurgas, malè inquit egiſti, fili mi, nam mente dulciſſimè in Deum iam ferebar. Poſt hæc ad ſancti Ioannis de Monteplano monaſterium pergens, quadrageſimam maiorem arctiſſimo ſilentio ibi excolebat: ac cotidie profunda nocte ſoluto completorio, quadragies Dominicam orationem in laudem ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, maxima cordis effuſione orabat. Orante igitur eo, & Trinitatem Beatiſſimam ſalutante; cogitatio ſe eius menti ingeſſit: quomodo Deo in æterna patria adſiſtentes, Diuina perfruantur viſione, quidue agant, Deum dum ita vident ac contemplantur, Et ecce abſque interuallo extra ſe raptus, & in ectaſi poſitus, alta & ſonora admodum voce, cœpit Kyrie eleyſon decantare, atque alternando Sanctus ſanctus, modulari. Quo clamore excitati fratres, mox irruunt, quos nec ipſe aduertit, ac ſi iam corpore exemptus eſſet: Oculis tamen apertis, totam cellam quaſi fornacem flammis luciđiſſimis illuſtratam videbat, intraque illud ineffabile lumen, Chriſtum Cruci affixum contemplabatur: viſceribus præ compaſſionis affectu omnino reſolutis. In quem viſus aciem immobiliter defixit, quouſque diuina illa & mirabilis viſio abſceſſit, ac tunc primum ad ſe rediens, à fratribus ſuis exploratas eſſe, atque perluſtratas delitias, vehementer erubuit.

* Mons Garganus à fidelibus frequentatus, ad quẽ Xenodochium conſtruit.

Aquam impetrat.

In aerem orans eleuatur.

VITABAT Robertus Beatus aliorum ſcandalum ſumma animi ſagacitate; nec tamen vt Dei ſeruus, à perſequutione externa, exemptam potuit ducere vitam. Princeps quippe tenebrarum, ipſius ſanitatis tabeſcens liuore, grauiſſimorum erga eum odiorum, in corde Theatini Pontificis, ſuperſeminauit zizania. Cum enim non tantum è propinquis locis, verum etiam è remotis valde terrarum finibus, fidelium cateruæ ad virum Dei eleemoſynis pro ſuorum redemptione criminum onuſti, affluerent: eo quod exploratum cunctis erat, Robertum pauperum plurimos alere, veſtireque greges, hoſpitio peregrinos excipere, nec non maximum Monachorum numerum, qui pro plebis peccatis Deo ſoletter iugia offerebant libamina, adunaſſe. Epiſcopus Theatinus reputans ipſum multas gazas atque theſauros coacervaſſe, iubet hunc citari, atque ad ſuam præſentiam ſiſti: vt ſibi acceptarum à fidelibus eleemoſynarum rationem, à magno iam tempore, nempe à Viennenſi Concilio redderet. Petiitque, vt Canonicam ſibi de acceptis portionem daret: maximè cum plurium teſtamentorum effectus fuiſſet exequutor, quod tamen à veritatis penitus tramite recedebat, teſtamentis namque nullo vnquam tempore ſe immiſcuerat. Verum Robertus, quia ſtatim accepta in pios profundebat, vti dictum eſt, vſus: nec acceptorum datorúmve codicem ſcribebat: Epiſcopo morem gerere, haud potuit. Authoritatem nihilominus Epiſcopalem reuerenter amplectens, non vermem propriæ conſcientiæ pertimeſcens, Calicem venumdedit: cuius pretium vexationem redempturus, Pontifici obtulit: atque cum eo de omnibus præteritis cauit. Non tamen Theatinus Pontifex iram remiſit, at in cunctis, impulſione Clericorum, quibus videbatur, fidelium erga virum Dei ſtudium, eſſe ipſorum detrimentum: Robertum, cùm verbis, tùm operibus, grauiſſimis afficiebat moleſtijs. Quia vero ſcriptum

A Theatino Epiſcopo perſecutionem ſuſtinet.

eſt, itæ

eſt iræ à iuſtis locum dare debere, exemplum patris Benedicti æmulans Robertus, à Monaſterio ſanctæ Crucis, ſeceſſit ad locum ſanctæ Mariæ de Lamia, quem ipſe à fundamentis erexerat. Nec tamen ipſius abſentia, Epiſcopi animum mitigauit. Cum enim in mandatis habuiſſet à * Iohanne Romano pontifice, vt contra fratricellos iudicium inſtitueret, præmiſſa tamen monitione, quam in Cleri Cœnobitarúmque cœtu, publicaret: hanc anſam vexandi Robertum arripuit: eum iteratò acciri, perquiri: & ad ſuum tribunal adduci, præcipiens. Vir vero Domini, vt ei Pontificis Theatini edictum innotuit: cum lecto decumberet languore perculſus, ſocium ad eum direxit. adde, quod perpendebat ſe antiſtiti inuiſum fore, & ingratum. Gauiſus ergo Pontifex Robertum non adfuiſſe, atque hac occaſione malitiam ſuam explere pergens: Romani Pontificis abutens authoritate, in exemptum, ſententiam excommunicationis promulgauit: Quo comperto, Robertus intimo dolore affectus fuit: tum quia claues Eccleſiæ, ſiue iure ſiue iniuria prolatas, vti conſentaneum erat, ſuſpiciebat ac reuerebatur: tùm quia cum tempus eſſet quadrageſimæ, præter ſolitum in adeundo Epiſcopo, oportebat, ipſius ſolui ſilentium. Aſſumpto tamen venerabili quodam ſui ordinis viro, Epiſcopum ſupplex adijt: abſolutionis ab eo deprecaturus beneficium. At Epiſcopus toruo eum vultu intuens, aſperaque & procaci voce laceſſans. Hypocrita inquit & ſimulationis nequam artifex, vt quid meorum Clericorum exhauris eleemoſynas? Qua ratione ad peruertendum homines, tot patras præſagia? Quid nam ita ſolerter, alienas facultates expiſcaris? Hæc & alia plurima, & dicentis grauitate, & audientis ſanctitate indigna, Epiſcopus protulit. Cuius furorem Robertus columbina ſimplicitate, affabili atque demiſſo vulto, necnon placida & manſueta mente, deliniens, in hunc modum reſpondit. Bene dicis Reuerende Præſul, ob mea enim peccata, talia multoque duriora perpeti atque audire, & antea promerui: & iam nunc promereor. Móxque ſe ante ipſum in terram proſternens, emendationem delictorum ſuorum ſpondebat: atque abſolutionem rogabat, cum pœnitentiæ iniunctione, ſibi ab Epiſcopo impendi. Hanc verò poſt plurimas preces vt obtinuit: ad Cœnobium ſanctæ Mariæ de Lamia reuerſus, iuxta conſuetum morem, orationi inſiſtebat, Oranti autem; apparuerunt Patres ſui, quorum ipſe cauſam agebat & ſectabatur veſtigia: Beati nempe Benedictus & Petrus Confeſſor, inter quos Epiſcopus Theatinus conſidebat. Ad quem aſpero & irato intuitu, conuerſus ſanctus Benedictus ait: Vt quid, ô Epiſcope, amatum noſtrum alumnum atque ſequacem, à pacis quiete & contemplationis otio deijcis & deturbas, vt quid illum tam pertinaciter diuexas, mala malis, & moleſtias moleſtijs, accumulando? Beatus autem Petrus Cæleſtinus interea Epiſcopum lento ictu, tertiò in maxillam percuſſit, dicens ac quintò repetens. Certè Epiſcope, admodum præclarè te in negotio geſſiſti. Horrendum relatu! Compertum eſt manè, Epiſcopi os verſus partem aurium quam ſanctus Petrus ferierat, adeò contortum, vt ipſius facies tota deformis effecta, timore quoſque videntes non minimùm percelleret.

* Ioannes Papa 22.

Apparent illi SS. Benedictus & Petrus Cœleſtinus obiurgantes Theatinũ Epiſcopum

IIX. Calamvm exceſſerat noſtrum, beati viri in pauperem quemdam benigna miſeratio. Nam dum in cella Patris ſui Cæleſtini, Robertus longo ante tempore pœnitentia laboribus inſudaret; relatum eſt cuidam pauperculo, ipſum eximiæ eſſe erga pauperes miſericordiæ. Hic cum filiam ſuam nuptui iam idoneam, cuidam adoleſcenti ſponſaſſet: at rei familiaris coarctatus anguſtia, minimè eius nuptias perficere valeret, fidenter virum Dei adijt: inopiam depromit, atque ab eo ſibi ſubueniri rogat. Quantum vero peteret, vir Dei perquiſiuit. Florenus inquit aureus magnus, mihi, pater, ſatis foret. Vade, ait Robertus, & octaua abhinc die reuertere: nec enim iam in promptu eſt florenus quem tibi erogem, diſcedente homine, ipſa eadem die cum vir ſanctus expleta hora nóna, ſe in orationem pro hominis paupertate proſterneret: mox è regione ante ſe florenum vnum fulgenti metallo radiantem vidit, quem cum gratiarum actione accipiens, venienti condicta die pauperi, libentiſſimè tribuit. Cùm verò Robertus pro officio frequenter Fratres viſitaret, verbo & exemplo deuotioni deditos, ad meliora anhelare ſuadebat: deſides vero atque ſtertentes, aſperius ſermone verberabat. Nam & ſi in exhortando exſtaret modeſtus, erat tamen in corrigendo auſterus. Et prudenter ſibi commiſſi pecoris vultum agnoſcens, ſi quandoque diſcipulis diſciplinam infligeret, illique eam non ita placido & lubenti reciperent animo: ſtatim mutata corripiendi methodo, quos baculo timoris ad officium reducere nequibat: virga amoris leuiter in ſemitam iuſtitiæ deducere ſatagebat, ita ipſos alloquens. Certè, dilecti Fratres, forſitan diſcretionis limites exceſſi, vos tamen eſtote mente tranquilla, & veſtros greſſus ſolito cautius atque prudentius dirigite. Porro tanto ad animas Chriſti ſanguine redemptas, affectus ardore incendebatur: vt ſi quando videret aliquem per abrupta diffluere vitiorum, profuſiſſimos effunderet riuulos lachrymarum. Nemini vero vmquam ſubſidium denegauit, cuius rei fidem faciunt, miracula quæ ſequuntur. Cùm moram faceret in Caſtro Murroni, quidam nomine Robertus de Galterio, tantis furiis in ſe & alios debacchabatur: quod ad retundendam eius peruicaciam, ipſius affines duris cum vinculis coarctauerant: Ad quem, ab illius cognatis rogatus vir ſanctus, acceſſit. Qui fortiter à furente in maxilla percuſſus, ictum patientiſſimè tolerauit: atque ſuper ægrotum librum precum explicans, pro eo Dominum, edito prius Crucis ſigno, orauit. Quo [a] facto vir in ſomnum reſolutus, ſuauiter obdormiuit: ac ſomno excuſſo, priſtinæ mentis integritati eſt reſtitutus. Quædam mulier vocabulo Maria, dum ad matris latus adhuc puerula dormiret, fortuitò, lateris ac manus dextræ vſum perdidit: adeo vt annorum duodecim ſpatio, nihil è dextro latere potuerit operari. Illa autem iam grandior effecta, ad beatum Robertum in Cella ſancti Petri de Murrone ſtantem, accedit, vtque pro ea Deum precaretur, quanta potuit ſedulitate rogauit. Annuit [b] vir benignus, & ad celebrandam Miſſam pro ægrota ſe comparans, abſoluto ſacrificio, mulier ſanitatis optatæ gratiam reportauit. Alter quidam iuuenis dictus Robertus Gulielmi, iudicis Murronenſis filius, à cunabulis in dextro latere rupturam patiebatur, hoc poſt plures annos, ab auunculo ſuo, ad beatum Robertum deductus: cernentibus pluribus, ſanus eſt effectus, poſtquam [c] ſigno Crucis, locum doloris vir beatus conſignauit. Quædam iuuencula nomine Margareta, Patre Nicolao de Oliuerio progenita, contracta in lecto per annos decem iacuit: ita vt abſque alieno auxilio, membrorum ſuorum nullum moueret, aut ſe in alteram partem vertere poſſet. Hanc Pater diuinitus inſpiratus, ad Cœnobium ſancti Petri de Maiella, in quo vir ſanctus reſidebat, deportauit: virique ſancti obtutibus præſentauit. At vir beatus, ad preces in genua procumbens, vt ab oratione ſurrexit, ſigno eam ſanctæ Crucis ſignauit, dixitque. Hæc [d] filia Dei erit, atq; ſtatim exurgens fœmina, abſque humano penitus adminiculo, ſtupentibus vniuerſis, ambulare atque incedere cœpit.

S Robertus in exhortando modeſtus, in corrigendo auſterus.

a Furioſum priſtinæ mentis ſanitati reſtituit.

b Mulieri lateris dextri vſum reddit.

c Crucis ſigno iuuenem ruptũ curat.

d Item fœminam cõtractam.

IX. Vir Dei Robertus, aliquando apud Campobaſſum morabatur. Et ecce quidam Ricardus nomine Notarij Bartholomæi de Moliſio genitus, aſtmatis adeo acerbam ægritudinem incurrit: vt nec anhelitum, nec verba foras emittere poſſet. Poſteaquam vero omnis medicorum ars adhibita, morbum inſanibilem oſtendit: vt idcirco genitor & propinqui, mortem adoleſcentis iamiam adeſſe crederent. Pater adoleſcentis, Dei nutu ad virum Dei acceſſit: ante eum lachrymas pro filij impetranda ſanitate multas fudit, precéſque congeminauit. Cui compaſſus Robertus, ante altare ſe ad orandum proſtrauit: atque poſt abſolutam orationem, cum quodam libro quem tunc fortè manu gerebat, Cruce infirmum ſignauit, guttur ipſius ſua manu tangens, atque iteratò Cruce conſignans: qui intuentibus cunctis, confeſtim amiſſam ſanitatem lætus recepit. Eiuſdem Campobaſſi fœmina Giburga, menſibus nouem omnium membrorum vſu deſtituta, in tantum vt inſtar lapidis iaceret immobilis, ſuis

Item adoleſcentem aſtmaticũ ſanat.

perſuaſit:

Perſuaſit: vt ſe ad Dei virum deferrent; quem appellans Homo Dei ait miſerere mei, ac pro me Chriſtum ora. Orauit, fœminam manu Cruce ſignauit, eique dixit. Confide filia, quia dimiſſa es ab infirmitate tua. Eam igitur poſtea ſui ad domum reportant; quæ biduo tranſacto, exiliens perfectiſſimè, atque laudans Deum, ſana effecta fuit. Quod cum ad Robertum, per fœminæ Patrem delatum fuiſſet. Iube ait filiæ vt Deo gratias agens, incipiat ad ipſius laudem, quarta & ſexta feriis quarumque hebdomadarum ieiunare. Ioannes quidam in iuuentutis flore conſtitutus, Patrem Nicolaum nomine habens, longo tempore calculi doloribus propemodum intolerabilibus affligebatur. Hunc pater aſſumens, ad beatum geſtauit Robertum: cum quanto potuit deuotionis, lachrymarum, & ſuſpiriorum affectu poſtulans, vt filio orationis ſuæ fauorem impertiret. Fecit, & poſt preces ad ægrotum verſus, fili inquit confortare, iam enim Dei munere liberatus es. Fidem ſancti dictis Pater & filius adhibentes, domum reuertuntur: & poſt duos dies, Ioannes calculum abſque dolore eijciens, perfectè conualuit. Guilelmus autem Bordonus quidam, aridus & contractus ita effectus eſt, vt pedes natibus adhærerent: hic poſt perlatam huiuſmodi integros ſex menſes ægritudinem, rogatum beatum Robertum mittit, vt eum inuiſeret. Venit vir Dei, & ita Guilielmum eſt alloquutus. Fide in Deo fili, & ad eum cor tuum verte, nam proculdubiò ſanaberis. Et fuſa pro eo oratione, ſigno Crucis hominem muniuit, qui exemplo pedes extendens aliorum more, Deo & liberatori ſuo gratias referens, ambulauit. Alter Guilielmus de Pratacatellis, filiam habebat vocabulo Mabiliam, ſcrophulam groſſitudinis oui gallinacei ſub gutture, in inferiori parte maxillæ à matris vtero geſtantem, quam ad beatum virum ferens, continuò vt ille ſcrophulam Cruce ſignauit, ſcrophula diſſoluta atque carni reliquæ æquata fuit. Decem erant cum beato Roberto apud Campobaſſum degentes Fratres, quorum gratia modicum dolium vinum impleri iuſſit: quo ipſi à vindemiis, cum aduentantibus ad virum Dei fidelibus, potabantur. Die autem feſto ſanctæ Luciæ, cum iam vinum fluere deſineret, Promus ad beatum Robertum accedens, tem ei indicat. Pergit ad Cellarium Robertus, dolium Cruce ſignat & abſcedit: & ex illo, per totum annum à Monachis ac hoſpitibus innumeris abundanter bibitum fuit, nec defecit. Ludouicus à Montano, in latere dextro tam grauem perferebat rupturam: vt nulla ratione abſque lumbari valeret incedere. Hic archipresbyteri Caſtri Limoſani, in quo vir ſanctus tunc reſidebat, vſus conſilio, beatum Robertum conuenit, obſecrans vt ſibi opem ferret. At vir Dei oculos ad cælum eleuans, & locum rupturæ Cruce muniens, illicò eum ex integro ſanauit. Alius Ordinis ſui Monachus, Stephanus dictus, poſt factam beato Roberto in cœnobio de Lamia conſiſtenti, peccatorum confeſſionem, acceptamque abſolutionem atque benedictionem: mox à ruptura grauiſſima, eſt liber effectus. Robertus Deo plenus, poſt decurſam ætatem, nimia carnis maceratione à principio ſuæ conuerſionis illibatè cuſtodita: cœpit viribus deſtitui, in tantum vt ad decrepitam perueniſſe putaretur ætatem. Deus autem prælibamen diuinæ gloriæ, ita ei contulit. Languebat vehementiſſimè, ſibique & cæteris cunctis, moriturus videbatur. Fratribus vero adſtantibus, dixit Hac nocte, oro, me ex vobis duo ſollicitè cuſtodiant: cæteri vero in cellis quieſcant. Poſt quæ, ſe altiſſimæ contemplationi immerſit, omnes fidei articulos, ſacræ ſcripturæ authoritates, atque ſanctorum ſententias quibus fulcitur Chriſtiana fides, ſedula mente verſans & reuoluens. Cumque iam altiſſimam in noctem, huic ſe exercitio applicaſſet: & eo abſoluto, modicum quieſcere cogitaret. En Diabolus ipſi in Hericij adeſt forma, ipſum morſu & laceratione appetere temptans: in quem vir Dei ſputa excreans, dicebat. Abſcede hinc beſtia maligna, funeſtum in me reperies nihil. Qui confuſus euanuit. Mox vero nigerrimæ & macie confectæ vaccæ formam aſſumens, ad Robertum accedit: cornibus ventilare nititur, dentemque ipſi infigere. Cùm vir fide firmus, Recede, dixit, Maligne, tibique Deus maledicat. Vetum proteruè & procaciter dum Dæ non inſiſteret, & ſtrenuè in ipſum inſiliret: alta admodum voce vir ſanctus exclamauit. Maledicat tibi Deus Pater. Ad cuius clamorem excitati Fratres, qui ſomni grauedine iacebant oppreſſi: aduolant, quidue patiatur ſtudioſè perquirunt. Quibus ille & viſa retulit, & vt vultum ipſius ad illorum ora verterent, iuſſit, inquiens, Oremus Fratres, Diuinum officium pſallentes Domino. Quo finito, & pſalmos pœnitentiales adiecerunt cum Litaniis, peruento autem ad locum vbi dicitur, Te rogamus audi nos: quaſi in extaſi poſitus fuit, ac ſuper eum Crux ſolem claritatis ſplendore ſuperans apparuit: cuius iubare, humani viſus acies obtundebatur. erátque magnitudinis octo ferè pedum ſub verò Crucis brachijs, duodecim miræ ſpeciei ac fulgoris viri vtrimque viſi ſunt: quorum vultus præ maieſtate haud poterant conſiderari: poſt quos hinc & inde in chori morem, quadraginta, & quadraginta alij ſtabant, paulo minoris decoris. Quæ viſio vſque ad letaniarum finem perdurauit. Ipſo vero vidente & carneis oculis optimè conſpiciente, Crux ſplendida, & fulgidi homines cælum penetrarunt: & illicò infirmitas omnis ab ipſius corpore diſcuſſa fuit. Qua de cauſa, incolumis è lectulo proſiliens, immenſas Deo grates, tam de viſione, quam de recuperata ſoſpitate perſoluit.

Et mulierē ægrotam.
Item calculoſum.
Item contractum.
Scrophulā puellæ ſigno crucis tollit.
Vinū multiplicat.
Ruptum ſanat
Item alium.
Infirmatur.
Sanatur.

X. PROGRESSV vero temporis poſtea haud modico, videlicet anno Domini milleſimo treceteſimo quadrageſimo primo, Iulio menſe, nona indictione, ſuæ ætatis anno ſexageſimo nono, ab aſſumptione vero Cæleſtini habitus per eum, anno quinquageſimo tertio: Pontificalem Romanæ Vrbis Cathedram regente, bonæ memoriæ Benedicto Papa duodecimo: vir ſanctus iam ſenio confectus, auſteritateque confoſſus, cœpit viribus deſtitui, ac robore reſolui, nam conſumptis carnibus, pelli ſuæ nuda ipſius oſſa adhærebant, tenuíſque tantum Spiritus vitalis, ſub ipſius pectuſculo ſentiebatur palpitare, & tamen inuictum erga noſtræ ſalutis hoſtem gerebat animum. Petiit namque ipſemet, & ſuſcepit cuncta Eccleſiæ ſacramenta. Et ad generoſum in illa extrema hora ſe comparans certamen, ſcutum fidei inimico oppoſuit, galeáque ſe ſalutis armauit. Ac ſe ita vt ſederet erigi præcepit, vno fratre ponè eum ſtante, atque ſuſtentante ne recideret. Igitur in hunc modum poſitus, eleuatis ad cælum oculis, hilari admodum vultu ſerenaque & ridente facie: altiſſimum magnificare cœpit Dominum. & viua atque ſonora voce, profluuio madens lachrymarum, Apoſtolorum Symbolum tractim & grauiter recitare, ſingulos ipſius diſtinguendo articulos, & dicendo. Hanc particulam pronunciauit Petrus, hanc Paulus, hanc Ioannes, quibuſque Apoſtolis ſigillatim ſuam attribuens. Poſt hoc, decem præcepta legis enumerauit. Septemque eccleſiæ ſacramenta: atque adiecit. Credo & credidi, teneo & tenui, confiteor & confeſſus ſum, fidem illam ſanctiſſimam, quam Chriſtus docuit: quam Apoſtoli prædicauerunt, quamque ſancta Dei Romana Eccleſia in qua nunc præſidet Domnus Benedictus Papa XII. tenet & docet. Et his dictis adiunxit. Deo & beatæ Mariæ, ac beato Ioanni Baptiſtæ: committo Spiritum meum, ac me Domno Abbati noſtro, & omnibus fratribus recommendo, vt pro me debeant Dominum ſuppliciter exorare. Hæc vt perorauit, ipſe pauperum Pater, macie confectus iam iamque ad mortem feſtinans, eleuata, vt potuit voce, adſtantibus ac circumſtantibus fratribus, de ſancta Obedientia, obſeruantia religionis, vigilantia caſtitatis, amoreque paupertatis eruditum atque feruentem ſermonem faciens, in fine lætis oculis in cœlumque directis, rutilanti vultu: omnibus fratribus præſentibus & abſentibus benedixit: ſignans eoſdem ſigno ſanctæ Crucis, & dicens. Benedicat nos Omnipotens Deus, Pater & Filius & Spiritus S. Tandem vero ad nouiſſimum agonis terminū accedens, die decima octaua Iulij, Crucem ſæpiſſimè amplexus, in qua ſe pro Crucifixo ſæpe ſuſpenderat, ob cuius amorem ligneam Crucem ab initio ſuæ conuerſionis, ſupra pectus nudum ſemper geſtauit, & expanſis in lectulo ſuo in modum crucis brachiis, coram omnibus fratribus pro eo Domino pſal-

Anno 1341. obijt B. Robertus Cæleſtinus ætatis ſuæ anno 69 aſſumpti vero habitus 53.

In Monaſterio S. Spiritus propè Sulmonem requieſcit.

no pſallentibus, anima illa ſanctiſſima carnis relinquens ergaſtulum, ad Chriſtum quem iugiter amauerat, circa horam diei Nonam fœliciter tranſmigrauit. Cuius laudabilem conuerſationem, vt in vita Deus miraculis approbaret; ſic & poſt obitum prodigijs maximis illuſtrauit. Ipſius vero Corpus in Monaſterio Sancti Spiritus prope Sulmonem, Ordinis Cæleſtinorum Primario, intra arcam cancellis ferreis clauſam, ad meridionalem eccleſiæ plagam reconditum, fidelium venerabili concurſu honoratur. Quo autem tempore humo elatum fuerit, non reperio. Sunt & alij plerique eiuſdem Ordinis Cæleſtinorum beati, inter quos Thomas à ſancta Cæcilia, atque Franciſcus Cardinalis, Onufrius Primus Cæleſtinorum Abbas generalis, & Bonanus, Itali omnes: cum Ioanne Baſſando, Petro Pocqueto, & Petro Bardo Gallis, & Gallicanæ Prouinciæ Prouincialibus, præcipuas partes ſibi vindicant, quorum omnium Vitas, atque Illuſtrium ſanctitate & ſcriptis Ordinis noſtri cæterorum virorum, publicare fert animus: ſi & Reuerendus Abbas generalis, & Franciæ Prouincialis, ad quos maximè Ordinis decor ſpectat & fama: meum in ſuppeditandis veteribus Congregationis monimentis, incendant alántque propoſitum atque ſtudium. Nec enim etiam Zeuxius aut Appelles ipſi, abſque coloribus penicillos intingere poſſunt. Cæterum iam ad beati noſtri Roberti Miracula, ſtylum verto.

Thomas à S. Cęcilia & Franciſcus Cæleſtini Cardinales Beati. B B. Onuphrius Bonanus, Ioannes Baſſandus, Petrus Pocquetus & Bardus Cæleſtini.

* Mortuus mulieri laterum dolorē ſanat. Duobus ſ. ilius dolorē iliacum. Claudam item. Contracta ſanatur. Ruptu duo curantur. Apoſtema ſanatur. Item gutta ſalſa.

PRIVSQVAM * beati Roberti corpus humo operiretur, Matrona quædam de Caſtro Murroni Aldoiſia nomine miro lateris dolore conſtringebatur, qui ei omnem gradiendi facultatem adimebat: iuſſit verò ad beati viri XL
corpus ſe deferri, cuius contactu, continuò expeditiſſimè ambulauit. Poſt eam Bartholomeus Lymoſani habitator, iliaco ingenti dolore ſex menſibus diſcruciabatur; hic ergo recuperandæ ſalutis cauſa, ſepulchrum beati Roberti adiuit, ac tetigit: & ſtatim valens effectus fuit. Quo etiam modo Archipresbyter de Sicarola, eundem dolorem patiens, curatus exſtitit. Claudicans ſiniſtro pede puella, vocabulo Maria, vici ſanctæ Mariæ de ſtrata incola, ad ſepulchrum beati viri per Ioannem ſuum genitorem deducta, mox vt illud tetigit: recta inceſſit. Altera Mulier Guelialda, dextram manum abſque alicuius operis efficacia contractam per annum gerens, tactu ſepulchri beati Roberti conualuit. Quidam cœnobita ordinis Cæleſtinorum, Guilelmus de Lincio, Limoſano oriundus, adhuc in humanis degente patre Roberto, rupturam grauiter patiebatur, ad quem cum acceſſiſſet, & eum rogaſſet vt pro ipſo preces funderet: vir ſanctus reſpondit, geſta, ô fili, animo inuicto dolorem, poneque tibi adſit diuinum medicamen, lumbare gere: geſſit, & interea vir Dei Robertus ex hoc ſæculo migrauit, ad cuius exequias cum ex omni Italiæ parte, fratres Cæleſtini accederent: ipſe Guilielmus cum eis acceſſit, & flexis genibus manum ipſius deoſculans, immunem ſe à dicta infirmitate perſentit. Tactu etiam ſepulchri viri Dei, Ioannes adoleſcens Caſtri Murroni, rupturam quam annis vndecim pertulerat euaſit. Sacerdos quidam Anglicus nomine Ioannes, anno & dimidio graue Apoſtema in femore ferens, quod nulla arte medica ad maturitatem perducere valuit, votum vouit ſe ſepulchrum beati viri viſitaturum, viſitauit, tetigit, ac integræ ſanitati fuit redditus. Mulier Maria, vxor Nicolai Deodati, de Caſtro Murroni, gutta ſalſa medicorum iudicio immedicabili laborans, ad tactum ſepulchri viri Dei conualuit. Altera eiuſdem loci mulier Troeta vocata, paralytica ac per quinque annos integros perpetiens acutiſſimos toto corpore dolores, quibus & latratus, canum ritu, edere cogebatur, hominuméque aſpectum præ mentis tædio effugere: contactu monumenti beati Roberti ſana extitit. Ricardus etiam Diaconus, guttam ſalſam quæ quinquenni medicamine haud ſanata fuerat, tactu ſepulchri B. Roberti perdidit. Ioannis Fœmina Maria iudicis de Mirabello coniunx, dextri brachij vſum perdiderat: poſt tres vero menſes, voto ad beatum Robertum emiſſo, ſine mora conualuit. Apud Caſtrum Perracacellis, iuuenis Nicolaus, Caſtro Montis viridis ortus, manum aridam tribus menſibus portauit, qui ad ſepulchrum B. Roberti ſupplicans, ſanitatem obtinuit. Simileque beneficium Deus ad tactum ſepulchri B. Roberti Floræ de Iuppino coniugi Roberti de Mirabello, largitus eſt. Sed & meritis viri Dei, Sebaſta de Ripua Limoſani, per octo annos contractione capitis ad collum, & tremore continuo fatigata, atque brachij motu deſtituta, curata fuit. Thomas etiam de Ferraria, tribus menſibus cæcitatem oculorum ſuſtinens, ad ſepulchrum viri Dei lumen recepit. Vti mulier Bartholomea de Caſarcalenda, ibidem brachij ſiniſtri vſum recuperauit. Quo etiam modo Purpura fœmina, loci ſancti Martini, auditu donata fuit. Iuuenis quidem Nicolaus, Ioannis Iudicis filius: ad ſepulchri beati Roberti tactum, quartanam depoſuit. Energumena mulier Gemma Gualteria nomine, de terra ſancti Felicis, ſolo intuitu ſepulchri beati Roberti liberata fuit. Tactu etiam eiuſdem ſepulchri fœmina Florentia de Quieranno, triennio iam aridum brachium geſtans, conualuit. Duo Gualterij prior de Quieranno, à ruptura quinquennij, alter de Ciuitella, à tremore neruorum, decoloratione membrorum, & oris verſus aures contorſione, tactu ſepulchri beati viri liberati ſunt. Robertus de Turre de Iapis, à quartana annua, ác dyſenteria, voto ad ſancti viri ſepulchrum viſitandum facto, eſt liberatus. Quidam Campobaſſi Sacerdos Sebaſtianus, poſtquam celebrem famam miraculorum beati Roberti auditu hauſit, non ſolum credere renuit: verum & ore blaſphemo, ea minimè fore vera aſſeruit. In quem Deus ſeuerè animaduertens, brachium ipſius dextrum perculſum effecit: quouſque culpam agnoſcens, votum vouit adeundi ſepulchrum, quo adito conualuit. Puer Nicolaus Franciſci de monte Vayrano, filius apud Colleiocundum grauiſſima Epilepſia ter quaterque in ſingulos dies cadens, ita vt morti propinquus reputaretur: voto ad beatum Robertum emiſſo conualuit, ob quod reliquo vitæ tempore, Robertus dici voluit. Robertus etiam de Guido, per annum & dimidium luminibus orbatus, ad ſepulchrum hominis beati viſum promeruit. Quo etiam modo Stephanus de Peſculo Langani contractus, erectus fuit. Hilaria mulier, peſſimo Dæmonio affligebatur, qui eam ſæpe perdere niſus, vel igne interimere vel ſuſpendio ſatagebat: moreque canis latrare, dum in ſiluas aufugere poterat, faciebat. tactu ſepulchri beati Roberti, à vexatione immunem ſe ſenſit. Ludouicus Romanus, nocturno terrore perculſus, dextrum brachium perdidit: hic audiens miraculorum beati viri famam, vouit eius inuiſere ſepulchrum, & reliquo vitæ ſuæ tempore, diem tranſitus eius in pane & aqua ieiunando, excolere, necdum locum attigerat, & ecce in itinere, eſt ad valetudinem priſtinam reuocatus: Franciſcus de Aſiſio, inter equitandum verendorum dolorem mortalem incurrit: vouit ſe viri Dei ſepulchrum viſitaturum, viſitauit, & præter omnium ſpem, ad ipſius tactum, ſanitatem conſequutus fuit. Apoſtema per annum nullo medicorum opere curabile perpetiens Nicolaus Hugonis de Cobacta, ad viri Dei ſepulchrum morbum euaſit. Cum Nicolaus de Bonoſano adhuc puer, rupturam grauem ſuſtineret: à Matre quæ ſancti Roberti memoriam excolebat, beato viro deuotus fuit. Cui Robertus nocte ſequenti apparens, nati liberationem promiſit: eamque præſtitit. Quidam etiam Sacerdos, anno ipſo quo beatus Robertus ad Deum, migrans, properauit, ipſius meritis à grauiſſima febre atque lethali morbo eius meritis voto facto, liber effectus eſt. Qua ratione, quæ de illius vita & miraculis agnouerat, in ſcripta redegit, à quibus cuncta quæ hîc non adeo ſublimi ſtylo narrauimus, ſumma fide accepta, ad laudem & honorem Omnipotentis Dei, omnium fidelium oculis expoſuimus.

Paralyſis. Gutta ſalſa. Brachium contractū. Manus arida. Capitis tremor. Cæcus. Brachium aridum. Surda. Febris quartana. Energumena. Brachium aridum. Ruptura. Tremor neruorum. Febris quartana cum dyſenteria. Brachium aridum. Epilepſia. Cœcus. Contractus. Dæmoniaca. Brachium aridum. Verendorum dolor. Apoſtema. Ruptura. Febris.

* * *

VITA

VITA S. ARNOLDI CONFESSORIS, CVIVS CORPVS REQVIESCIT IN VILLA QVONDAM GENETZVVYLRE, MODO * VVYLRE SANCTI ARNOLDI *dicta, ex Matutinali eiuſdem Villæ.* An. 800.

* vulg. Arnſvvylre.

I. GLORIOSI equidem magni Caroli Regis temporibus, aduenit quidam in hanc prouinciam è Græciæ partibus vocabulo Arnoldus, arte lyricus. Qui dum ob artis ſuæ gratiam in regiā ſuſceptus eſſet aulam, velut alter Dauid cytharyzando diuerſoq; genere muſico ſuauiter modulādo regias frequenter demulcebat aures, cunctiſq; in ſpatio breui temporis gratus extitit & amabilis. Studuit itaq; præfatus Arnoldus vitam mutare, mores corrigere, tamq; Deo interius, quam hominibus exterius placere. Maximè autem inter cætera quæ agebat, pauperum & orphanorum curam gerebat, quidquid plectro ſuo acquirebat, ijſdem fideliter impendebat. Cæterum qualis quantuſue fuerit, nouit qui hanc gratiam ſibi contulit. Sed nos ea quæ de ipſo veris teſtibus narrantibus didicimus breuiter perſtringamus. IVLII 18. S. Arnoldi patria & profeſſio.

II. MORABATVR tunc temporis prædictus Rex Carolus cum ſuis comitibus apud villam vocabulo Genetzwilre venandi gratia, à qua non longè aberat ſylua Burgela vocitata, q̄ circumſedebant incolæ plurimi penuria lignorum valdè afflicti, qui nequaq̄ inde auſi erant quicquam tollere, quoniam ſylua ipſa fiſcum ſpectabat ad regium. Super quos vir Domini Arnoldus pietatis viſceribus motus cogitabat quo eos iuuamine poſſet iuuare, quos ſic videbat egere. Cuius pietatem animi reſpiciens pietas Chriſti dedit eidem quod pio geſtabat in pectore celeriter affectu implendum fore. Quadam enim die Rege ad prandium diſcumbente, cum miniſter Principi aquā funderet manibus, prædictus affuit Arnoldus orans Regē humilibus precibus. O Rex sereniſſime peto vt audias verba petitionis meæ, & quod concedes, clementi concedas largitate. Rege itaq; reſpondente cauſamq; ſciſcitante. Peto inquit mi Domine Rex vt tantundem mihi partis vicinæ reddatur ſyluæ, quantum potero equo ipſe ego in ſpacio menſæ veſtræ cōprehendere. Cui Rex: Concedo, inquit, vt petis, & tantū te habiturū quantum valueris me interim conuescente itineris conficere. Mox ſine dilatione ſumpta autoritate ſine faſtidio faſtidioſum arripit iter, cauſam ſuam cupiens adimplere, qua celeriter nimio ardens deſiderio ſubuenire quamplurimis ſine alicuius diſpendio conatus eſt. Collectis igitur iam pridem equis fortiſſimis curſuq; rapidiſſimis, & circa ſyluam quam deambulaturus erat hoc modo diſpoſitis, vt inter equum & equum adinſtar ſtadij intereſſet ſpacium, mira vſus aſtutia, vt nulla in iter agendo impediret mora, nec ſibi inuicem ſuccedentia deeſſent iumenta, & vno curſu fatigato, alterius ſtatim inſideret tergo. Quid plura? Circuitur ſylua ſumma cū celeritate quæ duobus miliaribus extendebatur in longitudine, & vno in latitudine. Per ſingulos deſcenſus in ipſis excelſis ilicibus ictibus gladiorū indicia relinquebat greſſuum ſuorum, quæ hodie videntur ab ijs qui huius rei indices eſſe noſcuntur. Circuita itaq; ſylua gaudens & exultans, quaſi pro peracta victoria lætus redit ad Regem, quem adhuc repperit conuiuijs accubantem. In cuius ingreſſu ſtupefactus nimium Rex, mirari cæpit de tam celeri reditu viri. Ad quem vir Domini Arnoldus: Quid inquit mi Domine Rex miraris; nam me ſeruum tuum vt promiſi ſyluam tranſiſſe noueris. quod ſi diffidis, mitte aliquem ex tuis fidiſſimis, qui tibi veritatem rei certo referant indicio. Eius verbis Rex credulus quod petebat, imò quod ipſe promiſerat, negare non potuit diutius, extractoq; annulo, quem manu geſtabat more regio coram cunctis optimatibus ſuis prædictam ſyluam Arnoldo tradidit in ius poſſeſſionis. Qui Deo gratias agens prænunciauit præfato Regi à Domino vitam cæleſtem in remunerationem. Et adiecit: Noueris, inquit, mi Domine Rex hoc magnificum munus perpetuum tibi fore memoriale, quod ego quidem cæleſti Regi offerre cupio tam pro tuæ animæ, quam pro meæ remedio. Accepta igitur regali poſſeſſione annulari traditione diſtribuit prædicta ſyluam adiacentibus villis, quarum nomina nobis placuit hic interponere, ne alienus & ab hoc dono extraneus audeat ſibi quicquam inde vendicare. Sunt igitur nomina hæc earum Wylre, Ellem, Cirim ſuperior, Cirim, Lichg, Embe, Angelſtorp, Egilsdorp, Baſſendorp, Glerſch, Eppendorp, Sidendorp, Manheim, Kerpen, Bladesheim, Godelshē, Bütin, Morſzam, Merzenich. Nunc autem admonendi ſunt qui hoc beneficium à tanto viro Principe meruerunt, vt aſſiduis orationum ſuffragijs, eleemoſynarumque beneficijs largitori omnium bonorum grates nō deſinant reddere, eiuſdemque viri impetratoris memoriam in diuinis laudibus ſemper habeant continuam. Reſtat nunc igitur, vt qualiter poſtmodum reſiduo ſuperuixerit æuo, breuis percurrat ſermo. Syluam à Carlo Magno impetrat, quam vicinis pagis donat.

III. VIR itaq; Domini Arnoldus poſtquam cuncta quę videbatur habere, pauperibus erogaſſet, aſſiduis Dominum flagitabat precibus, ne prius à corporis reſolueretur nexibus, quam ſibi in vita præſenti, cunctorū indulgentia tribueretur peccatorū. Diuino itaq; tactus timore & ſucceñſus amore, decreuit adire partes Hiſpaniæ, ea nimirū intentione vt Beati Iacobi Chriſti Apoſtoli fratris quondam Beati Ioannis Euangeliſtæ & Apoſtoli expeteret ſuffragia, cuius illic ſpecialia quędam refulgēt patrocinia. Et hæc quędã illi voluntas inerat. Sed Dominus qui futurorum eſt pręſcius, qui nouit omnia antequam fiant, inq; cuius manu humana ſunt tempora, ſciens quæ ei erant futura, & nolens famulum ſuum peregrinum habere ſepulchrum, à cępto eum reuocauit itinere, & p famem communem, qua tunc pro peccatis afficiebatur orbis. Videns itaq; ſe vlterius progredi non poſſe fame vehementer inſiſtente, & intelligens hoc Domini actum voluntate, ſollicitus de die vocationis ſuæ arreptū cępit iter deſerere & ad propria remeare. Perueniens itaque ad quandam aquam Gerundam dictam, orauit ad Dominū vt ſi præſenti deceſſurus eſſet anno quoquo ſibi indicaret indicio. Sumens itaq; annulum quem apud ſe habebat, per quem dudum regium acceperat donum, miſit in flumen, iterum orans, vt ſi in ipſo anno ſuum deſignaſſet tranſitum, annulum ſuum prædictum mereretur recipere. His dictis recedebat gaudens à Domino, euentum rei ſuſtinens. Confeſtim aūt ad quandam religioſam ſe contulit viduam, velut Helias, quondam ad mulierem Sarepthanam, non autem qui paſceretur, ſed quæ ab ipſo paſceretur. Nemini incongruum aūt videatur quod in hac parte beatum iſtum ſancto aſſimulamus Prophetæ, quoniam etſi diſpar in vtriſq; fortè meritum nō tamen diſſimile in ambobus extitit factum. Ille enim domino obediens externi alitur pabulo cibi: hic vero nutu, vt credimus, diuino, religioſe acceptus feminæ hoſpitio, contentus erat pauco & ſimplici cibo. Ille orationibus ſanctorum interdum forte & operando manibus ſuis paſtricem ſuam ſuſtentauit: hic aūt labore proprio & iugi obſequio quotidie ſeipſum paſcebat & ſuſceptricē ſuam non modico ſolamine iuuabat. Studebat enim iuxta Apoſtolum, ne panem ocioſus comederet: timens eiuſdem Apoſtoli pręceptum dicentis: Qui non operatur nō manducet, memorans illam ſententiam protoparenti propalatam: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Ideoq; laborabat manibus ſuis, ne alicui eſſet grauis, aut panem alicuius comederet gratis. De ijs autē quæ ſibi ex quotidiano victu ſupererant aut quod loco mercedis accipiebat humiliter pauper ipſe pauperibus miniſtrabat, nil enim in terra poſſidebat, habens victum & veſtitum his contentus erat, quoniam ſe alibi à Chriſto ditari ſperabat. His igitur & alijs bonis operibus deditus mala præterita diluebat & futura præcauebat, & ante ſupplicium de ſupplicio cogitabat, peruigilq; & ſollicitus horam ſui præſtolabatur tranſitus: neſciebat enim quamdiu ſubſiſteret vel poſt modicum eum factorum finis tolleret. Sed miſericors & miſerator Dominus, qui ſemper voluntatem timentium ſe facit & deprecationem eorum exaudit non immemor petitionis famuli ſui, qua eum ſummopere vt præſcripſimus orauerat innoteſci videlicet ſibi diem ſuæ vocationis, dignatus eſt deſiderio eius ſatisfacere. Cōgnoſcit tempus mortis. Epheſ. 4. 1. Theſſ. 3. Geneſ. 3.

QVADAM enim die ſolito more aduenerunt pauperes eleemoſynam petentes, quibus vir Domini dum ad manum non haberet vnde eos reficere poſſet, dedit eis quantitatem argenti, vnde ſibi comparare poſſent victum vnius diei, qui cum accepiſſent pretium adierunt forum rerum venalium, & exinde ſibi ad refectionem comparauerunt piſcem non fortuitò caſu vt creditur, ſed ignari rei, diuinæ parentes voluntati. Quem quidem piſcem cum exenteraſſent & particulatim diuiderent, inuenerunt in ipſo annulum, quem ad ſeruandum acceperat, nō deuorandum Vehementer igitur ſuper tali facto ſtupentes, & ex inaudito caſu mirantes arbitrabantur quaſi inſolito modo pro hamo captum piſcem annulo. Læti itaq; de inuēto theſauro decreuerunt omnium conſilio hoc ipſum munus deferre ſuo datori, cuius beneficio abundanti ſe pauerunt cibo. Venientes igitur ad virum Dei, offerunt pretioſum munus annuli, gratias pro gratia agentes, precium pro precio referentes, aurum pro argento reddentes. Recognoſcens igitur vir Domini ſæpe dictus Arnoldus chariſſimum munus, gaudio gauiſus non modico gratias immenſas retulit omnipotenti Deo, quoniam intellexit iam preces ſuas eſſe exauditas ab ipſo, & vocatis pauperibus ad ſe miſſos diuinitus, dedit eis pro mercede annuli, argenti pondus quanti valebat annulus ipſe. Sciens deniq; adeſſe diem migrationis ſuæ accelerauit quantocius ad ſolum proprium remeare. Tandem veniens ad ſupradictam villam quæ tunc Genetzwylre, hodiè Wylre ſancti Arnoldi nuncupata eſt ex ipſius nomine. Cunctis rebus pauperibus erogatis in præfata villa beato fine quieuit in pace. Sepultus itaq; in eodem loco in quodam oratorio, vbi & annulus ipſius de quo ſupra memorauimus diligenter reconditus eſt: quem hodie cernere licet. Ibi præſtantur ipſius beneficia omnibus, qui eius exquirunt ſuffragia fide non ficta. Cuius dies anniuerſarius ab incolis illius loci decimoquinto Kal. Auguſti ſumma recolitur veneratione non ſine eius laude, cuius maieſtas & imperium nec incipit, nec deſinit in ſæcuculum ſæculi, Amen.

Moritur & ſepelitur in Arnſwylre

AN. 280.

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS CHRISTI MAVRITII, ET SEPTVAGINTA MILITVM, QVI ERANT *etiam eius diſcipuli: ex Simeone Metaphraſte.*

18. IVLII. Paſſi ſunt hi martyres menſe Iulio, ſed incertum quo die.

MARTYRVM memoria, eſt oſtenſio pietatis in Deum: & mentis, quæ tenetur amore ſapientiæ, cum I.
Deo coniunctio: materiæ commixtio cum rebus expertibus materiæ: & pax impatibilitatis, quæ refrenat animi perturbationes. Quis enim venerandum & diuinum eorum certamen mentis intuens oculis, non erit remotus à carne & à mundo, conculcatam intelligens eorum carnem propter ſuam in Deum pietatem? Non enim caro his concupiſcit, neq; puluis terræ rebellat contra Dei imaginem. Sed ſapienter ducebatur id, quod eſt deterius, gubernatum ab eo, quod eſt præſtantius, & habens mentem, quæ dimoueri non poterat à meta cæleſti. Tale certamen aliquandò proponitur ſeptuaginta martyribus, quorum precioſum & Chriſti amantem ſanguinem, Apameenſium excipiens ciuitas, ſanctum & Deo gratum emiſit ſacrificium, pro precioſo vnguento, totum corpus Chriſti, nempe ſanctam eccleſiam, in eorum ſanguine inungens.

MAXIMIANVS enim imprimis impius & iniquus Imperator, quamlibet, quantumuis magnam, crudeli- II.
tatem contendens ſuperare, ſtudebat vt omnes, qui ſubiecti erant eius Imperio, offerrent execrandis & immundis ſimulacris: vt per eorum adorationem & deorum, qui falsò nominantur, falſam religionem, ſuo imperio acquireret præſidium & magnificentiam. Cùm hoc ergo facere ſtatuiſſet, ipſe ſeipſum ad hoc ſedulum & induſtrium conſtituit miniſtrum. Non enim ſuſtinebat iubendo ſcribere ad locorum Præſides, vt Imperatores qui eum præceſſerant, vt idolorum cultûs curam gererent: ſed ipſe impigrè & diligenter obibat orbem terræ, effectus velox miniſter altarium dæmonum, ſperans infelix per ſuum aduentum ſe effecturum, vt qui defecerant ab eius ſuperſtitione, & acceſſerant ad veritatis Chriſti cognitionem, transfugerent ad errorem ſuorum immundorum & execrandorum deorum. Tali ergò animo Romam relinquens Maximianus impius Tyrannus, & per Orientis partes iter faciens, peruenit Apameam, quæ eſt metropolis ſecundæ prouinciæ Syrorum. Quo in loco idolorum ſacerdotes ad eum accodētes, accuſabant Chriſtianos, dicentes ei: O diuiniſſime Imperator, cùm dij nobis dederint loquendi libertatem apud tuam pietatem, deferimus ad tuam inuictam potentiam, quòd vnuſquiſque eorum, qui ſunt apud nos, cum timore & deſiderio honorat maximos & patrios deos: maximè autem Iouem patrem deorum, & Apollinem admirabilem, qui ſunt alijs dijs ſuperiores, & imperium tuæ poteſtatis valdè conſeruant & tuentur. Mauritius autem & qui ſunt cum eo ſeptuaginta milites tuæ potentiæ, in altum elati honoribus tuis & muneribus, & qui ditia & magnifica dona ex te perceperunt, deos habent contemptui, & aduerſus magnum tuum & inuictum imperium exercent tyrannidem, abducti ab errore Chriſtianorum.

Maximiani ſtudiū erga cultum dæmonum.

Accuſatur Mauricius & milites eius.

Ardet Imperator mēte magis quam fornax.

HÆC ergò cùm audiſſet tyrannicus Imperator Maximianus, animo valdè fuit iratus, & præcordijs incenſus, III.
& mente magis arſit, quàm fornax: præcipuè cùm accepiſſet, quòd in ſuo exercitu tales eſſent milites. Et cùm diem obſeruâſſet inſignem, & locum inueniſſet aptum ad populi ſpectaculum, in medio portarum ſeptentrionalium metropolis Apameenſium, quæ dicitur Vicinia Amaxica, & iuſſiſſet illic parari iudicium, iuſſit duci inclytos martyres. Cùm in alto autem tribunali impius ſediſſet tyrannus Maximianus, concurriſſet verò vniuerſa ciuitas & omnis ætas ad eos ſpectandos, adeò vt nec virgines quidem, quæ degunt in thalamis, remanſerint in ſuis habitaculis, duxerunt ſatellites ſeptuaginta Chriſti milites. Quos cùm adſpexiſſet Imperator, dixit eorum Duci: Nos ſperabamus, ô Maurici, quòd noſtris fruentes donis, & alimento educti imperatorio, primoſque honores & dignitates à nobis conſequuti, inſiſteretis veſtigijs noſtræ tranquillitatis, & eos, qui conarentur reſilire à noſtra deo grata legione, fortibus factis & omne genus doctrinis conuerteretis ad ſanitatem, quod ægrotaret curantes, & quod claudicat corrigentes, & quod bellum gereret pacificantes: & vt ſemel dicam, quicquid ſe non ex noſtro haberet inſtituto, tanquàm inimicum & hoſtile ſubijcientes. Sed de vobis, vt videtur, contrarium accepimus. Non ſolùm enim non conuertiſtis eos, qui aduerſus noſtram rebellârunt religionem, ſed etiam ipſi aduerſus deos noſtros omnipotentes tyrannidem exercentes, & qui eis ſunt conſtituti honores & ſacrificia ac libamina abolentes, alijs fuiſtis duces ad barathum interitûs: ſi vera ſunt, quæ de vobis ad noſtras aures peruenerunt.

Præclarum S. Mauricij reſponſum

DIXIT ſanctus Mauricius: Imperator, quæ à nobis exercetur tyrannis aduerſus deos, qui ſunt nullo ſenſu IV.
præditi, nobis validam acquirit victoriam à vero Deo, & coronam gloriæ Non enim aſpernamur & nihilifacimus Deum, qui nos finxit, vt ſtulta eſt tua traditio: ſed glorificamus eum, qui eſt ſolus verus Deus, qui fecit cælum & terram & mare, & omnia, qui in eis ſunt. Improbos autem & immundos dæmones & qui hominibus afferunt exitium, quæ ſunt ſurda & cæca ſimulacra, & nullo ſenſu prædita, non conuenit deos vocare ô Imperator Dixit Imperator Maximianus: Cùm honorem à dijs ſis conſequutus, & militiæ primum locum ſortitus ô Maurici, eis pulchram refers gratiam. Dixit ſanctus Mauricius: Nunquàm honorem accepi à dijs veſtris, neque volo eos honorare. Quis enim vnquàm ex hominibus, qui Dei habet cognitionem, ſuſtinuerit honorare materias nullo ſenſu præditas? Sed quibus non eſt mens, quæ rectis gubernatur rationibus, propterea quòd iumentis comparati ſunt inſipien-

Pſalm 48.

Digitized by Google

ſipientibus, & ſimiles facti ſint eis, ij lapides & ligna in deos referunt, mentemque eis tribuunt, & honorant tanquam deos. Dixit Imperator Maximianus: Quoniam primas partes obtinuiſti in ordinibus noſtræ adminiſtrationis, ô Maurici, id tibi magnam præbuit confidentiam, & effecit audaciorem: adeò vt ſplendidè & citra vllam conturbationem reſpondeas noſtræ ſerenitati. iubetque, eo ſeparato, reliquos interrogari, & blande eis dicit Imperator: Quis vobis tantam fecit iniuriam, ô fratres, vt deficeretis à dijs ſeruatoribus: accederetis autem errori hominum, qui adorant hominem Crucifixum tanquàm vnum homicidam? Non enim ſic vos erudijmus, neque in tali doctrina eduximus.

V. Tvnc verè beati Theodorus & Philippus, tanquàm ex ore ſanctorum ſeptuaginta martyrum, dixerunt Imperatori: Nos, ô Tyranne Imperator Maximiane, tantum abſumus ab errore, vt te quoque optemus liberari ab errore, à quo nos quoque fuimus liberati, vnum & ſolum adorantes verum Deum, patrem omnipotentem, & vnigenitum eius filium Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia: & ſanctiſſimum eius ſpiritum, qui nobis inſpirauit cognitionem & intelligentiam, vt confitearis quidem Trinitatem, quæ eſt eiuſdem eſſentiæ: abomineris autem immundam tuam religionem: & hanc quidem abijcias, quæ eſt ad tempus, militiam: Deo verò milites, qui eſt Rex exercituum. Dixit Maximianus Imperator: Video ô Philippe te ſenectutem quidem habere reuerendam: intelligentia autem multùm cedere iuuenibus. Confuge ergò ad deos, & ſis bonus conſiliarius reliquis tuis militibus de dijs adorandis, vt maiora dona & honores à nobis conſequaris. Dixit ſanctus Philippus: Notum tibi ſit, ô Imperator, me non futurum malum conſiliarium ijs, qui ſua ſponte deducti ſunt ad timorem veri Dei. Scriptum eſt enim: Væ ei, per quem malum venit. Dixit Imperator Maximianus: Lenitas noſtræ patientiæ te audaciorem effecit, ô Philippe. Nolite ergò in his inſiſtere, nè iuſtas pœnas in vos irritetis, & euadatis exemplum noſtræ indignationis, audentes nominare hominem, qui à vobis eſt relatus in deos. Reſpondentes verò ſancti ſeptuaginta Martyres, dixerunt tyranno Imperatori: Vanæ & inanes minæ, ô Imperator, tuæ abominationis, virtutem nobis ex alto largiuntur. Non enim ingreditur aut inhabitat metus tormentorum in bona mente & ſtabili eorum, qui diligunt Dominum.

Conſtans vox militū ſeptuaginta *1. Cor. 1.* *Matth. 18.* *Conſtantia ſanctorum martyrum.*

VI. Tvnc Maximianus Imperator valdè iratus, iuſſit auferri à ſanctis ſeptuaginta militibus habitum militiæ, et eis abſcindi zonas, & deindè ſic eos ad ipſum adduci cum magna ignominia. Cumque hæc magna celeritate effeciſſent ſatellites, dixit eis Tyrannus: Videte, à quali gloria & honore excidiſtis, & quale vobis obtigerit dedecus & contemptiò propter veſtram inobedientiam. Sancti dixerunt Tyranno: Etiamſi tu, vt exiſtimas, nos exuiſti habitu militiæ, & abſcidiſti zonas noſtras, eſt Deus noſter in cælis, quē colimus, qui nos induit veſtibus & zonis incorruptæ & æternæ eius gloriæ, quam ipſe non eſt dignus videre aut audire propter ſatanam patrem tuum, qui in te loquitur & operatur. Tunc valdè iratus Tyrannus, dixit Sanctis: O execrandi & indigni deorum beneuolentia, vos veſtram ignominiam vobis conciliaſtis. A nobis enim honore affecti, maximos deos affeciſtis contumelia, & noſtram contempſiſtis amicitiam. Decæterò accipite conuenienter veſtris factis. Reſpondentes autem ſancti, dixerunt Tyranno: Imperator, hæc militia tua, vt quæ nihil ſit, præterit: & qui adeſt honor, eſt tibi dedecus: quoniam oblitus es Dei, qui hanc tibi dedit poteſtatem. Vana verò & inania ſimulacra, quæ te nihil iuuant, quòd ea non cognoſcant eum, qui ipſa honore afficit aut contumelia, in deos ſtolidè, vt qui planè ſenſu careas, refers. Dixit Tyrannus: Propter noſtri imperij clementiam vobis parcens, & volens vitam vobis eſſe ſaluam, adhuc vos patior. iuſſitque eos tres dies includi in carcere, vt caperent conſilium, quod eis expediret.

Habitu militari & zonis priuantur. *Chriſtiana planè vox.* *Carceri mancipantur.*

VII. Cvm autem ſatellites impleſſent iuſſum Imperatoris, & eos in cuſtodia incluſiſſent cum collaribus, Sancti dixerunt inter ſe: Fratres chariſſimi, paremus omnes noſtras animas ad orationem, & intensè oremus benignum & clementem Deum noſtrum, vt det nobis ſapientiam & cognitionē per ſanctum Spiritum, & inijciat in os noſtrum, quid reſpondeamus Imperatori: vt admiretur ipſe quoq; Tyrannus veritatem noſtræ fidei. & ſe ad precandum conferentes ſancti ſeptuaginta Chriſti Martyres dixerunt tanquàm ex vno ore & vna anima: Domine Ieſu Chriſte, Deus omnipotens, cuius poteſtas æterna, & regnum non interibit, mitte ad nos ſanctiſſimum tuum Spiritum, & nos per eum erudi, vt in ipſo exultemus & lætemur, & vincamus erroris nequitias, & extollamur in vera tua fide per ſanctum Spiritum, qui loquitur in nobis, conuenienter tuæ veræ & à mendacio alienæ promiſſioni, & pro à nobis ablata mundana dignitate, efficiamur milites in ſancta tua ciuitate, & adſcribamur in numerum ciuium cum omnibus tuis ſanctis, qui tibi à ſæculo rectè in fide placuerunt. Quoniam tu es ſolus Deus, & te decet gloria & potentia in ſæcula, Amen.

Orant Deū pro auxilio. *Matth. 10.*

VIII. Completis antem tribus diebus, præſidens rurſùs Maximianus, in eundem locum portæ Amaziæ rurſùs concurrente vniuerſa ciuitate, accerſijt ſanctos. Sancti verò martyres acceſſerunt tracti à miniſtris, & ſteterunt ante impium. Iniquus autem Imperator minas temperans clementia, dixit eis: O viri, diſcite tandem quid vobis expediat: & accedentes, dijs ſacrificate, & vitam accipite, & non mortem acerbam. Dixerunt ſancti martyres: De hoc bonum conſilium cepimus ô Imperator. Audi attentè, & nè nos ampliùs cogas, aut vim nobis vllam afferas. ſtatuimus enim odio habere hanc vitam, quæ eſt ad tempus: diligere verò mortem propoſitam, propter Chriſti deſiderium. Per ipſum enim vitam æternam ſperamus lucrifacere. Decæterò ergò fac breuiter in nos, quod vis. Nos enim non negamus Deum noſtrum, neque dæmones tuos vnquàm adorabimus. Nam in condemnatione huius mortis, quæ eſt ad tempus, liberamur ab æterna condemnatione. Hæc cùm dixiſſent ſancti Martyres, videns Tyrannus in medio eorum adoleſcentem. dixit ei: Dic adoleſcens, quod eſt tibi nomen, & cuias es genere? Dixit adoleſcens: Nominor quidem Photinus, à vera luce accepto nomine. Sum autem miles Chriſti, qui pudore affecit patrem tuum ſatanam. Et ſum genere quidem Romanus: filius verò & carnalis & ſpiritalis Mauricij clariſſimi. Ex eo enim ortus, & ab eo accepta Dei cognitione, in Chriſti fide ſum educatus. Quem tu negans ô Imperator, comparatus es iumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis.

Photini adoleſcentis fortitudo.

IX. Dixit Tyrannus: Stultus es adoleſcens, & ſunt tua verba ætate digna. At iam diſce, quod eſt tibi conducibile: & accedens, ſacrifica maximo Ioui, & parce tuæ iuuentuti. Dixit adoleſcens: Propterea quòd non facio, quod vis, neque ſacrifico ſimulacris, dicis me ſtultum eſſe. Nam quòd attinet quidem ad fidem Domini mei Ieſu Chriſti, valdè ſapio. Tunc dixit Tyrannus rurſùs Sanctis: Quouſque importunitatem veſtram ſuſtinemus ô miſeri, & tormenta differimus ex benignitate incomparabili? Sacrificate ergò dijs, nè in vos armeris iuſtitiam. Dixerunt ſancti Martyres Tyranno: Scelleſte & adminiſter immundorum dæmonum, Si quid ingenij habeas aut ſcientiæ, didiciſti à Photino noſtram fidem & vires noſtras. Si enim ille, cùm ſit ætate iuuenis, pudore affecit impiam tuam mentem & nullo ſenſu præditam, per ſynceram ſuam fidem, & Chriſti cognitionem: quanto magis nos contendemus tormenta omnia ſuſtinere, vt pudore afficiamus patrem tuum diabolum, & placeamus Chriſto noſtro & Deo? Tunc iratus Tyrannus, iuſſit ſanctos verberari crudis boum neruis: & cœperunt miniſtri eos cædere, donec carnes eorum diſcerpſerunt: & cùm valdè emanaret eorum ſanguis, Sancti ſurſùm adſpicientes in cælum, clamabant Chriſto ſupplicantes, vt eis vires adderet, & leuaret eorum labores. Qui cùm audijſſet intenſam eorum precationem, ad eos acceſſit poteſtate, quæ non cadit ſub adſpectum, & alleuauit labores tormentorum, & confirmauit corda eorum in charitate in ipſum.

Cæduntur crudis boū neruis martyres,

Cvm defeſſi autem eſſent tortores, Tyrannus dixit Sanctis: Cognouiſtis ô audaces homines & temerarij, X.
quàm ſit mihi facile vitam veſtram perdere? Decætero ergò dijs ſacrificate, nè acerbiora tormenta ſentiatis. Sancti verò reſpondentes, dixerunt Tyranno Imperatori: Hoc cognoſce ô impie & aliene à vero Deo noſtro, quod quomodò tu Chriſti charitatem non ſentis & eius ſplendorem, propter tenebras quæ mentem tuam operiunt ex errore dæmonum: ita neque nos tormenta tua ſentimus, proptereà quòd mens noſtra ſit illuminata à fide & charitate Chriſti Dei noſtri. Excogita ergò, ô Tyranne & inſane canis, alias in nos nouas machinas tormentorum. Sitit enim mens noſtra, & deſiderat, quæ eſt ex Chriſto, charitas, per tuam in nos ſententiam, contemplari Deum viuum & regnantem in ſæcula. Hæc cùm audijſſet Tyrannus & valdè fuiſſet iratus, iubet accendi rogum maximum, & in eum iaci ſanctos martyres. Cùm impleſſent verò ſatellites acerbum & inhumanum eius iuſſum, ſancti ſua ſponte acceſſerunt ad rogum, ſe inuicèm adhortantes, vt ad ignem tanquam ad aquam accederent: neque vllam ducentes rationem carbonum exuſtionis, magno & conſtanti ſpiritu dixerunt Tyranno: Nos, ô Imperator, conſiderantes cæcitatem tuam & ſensûs egeſtatem, lapidei tui cordis miſeremur, quòd fueris miniſter erroris improborum & immundorum dæmonum, non valens reſipiſcere, aut cognoſcere Deum cæli & terræ, qui tantam nobis fortitudinem dedit & tolerantiam. Quis enim abſque diuina refrigeratione, aduersùs omnia exedentem flammam decertauerit? Qui autem ſpiritu feruent & Deum induerunt, ignis conſumens illos, qui ſicut tu ſunt impij, nequaquàm pios lædere poterit. Flammæ enim non eſt à natura ingeneratum, vt conſumatur à flamma, quæ eſt ad tempus, & in quam cadit interitus. Quamobrèm fruſtrà laboras, ô ſtolide Tyranne, qui nos, qui Chriſti conflagramus charitate, igne contendis conſumere. Nos enim ignis candefecit, ſicut candefit argentum.

Sponte cũt in ignem.

Ignis eos non læſit, ſed probauit.

Cvm omnes autem, qui audiebant, propter hæc verba admirarentur, Tyrannus, qui ab initio erat vas interi- XI.
tûs, perſeuerauit velle ſanctos perdere, & neque perſuaſus fuit verbis glorioſorum martyrum, neque rebus ipſis fuit obſtupefactus. Quamobrèm iubet eis rurſùs palis affixis, ferreis vnguibus latera fortiter cædi. Cùm ergò ſancti & generoſi martyres hoc quoque certamen ſtrenuè decertarent, & omnes admirarentur Imperatoris amentiam & furorem, præclarus martyr Mauricius dixit Tyranno: Non ſentis tuam imbecillitatem & miſeriam, ô immunde & profane Tyranne, quòd Photinus paruus hic adoleſcens tui imperij fregerit audaciam? Talia enim & tam multa ſubijſſe tormenta, eſt tui crudeliſſimi imperij confractio. Quomodò ergò vniuerſam noſtram phalangem frangere poteris, qui à tantillo adoleſcente fueris ſuperatus? Propter hæc verba ira percitus ſceleratus Maximianus, & ardentibus eum intuens oculis, & ſtridens in eum dentibus, & volens ſanctum & beatum Chriſti martyrem Mauricium acerbè vlciſci, iubet ſpiculatori, vt ante oculos patris filium conficiat & occidat. Eo itaque præſente, & filium adſpiciente, eius caput abſcidit ſpiculator.

Ferreis vnguibus eorũ latera cæduntur.

Photinus decollatur.

Cvm ergò hoc modo beatiſſimi Photini caput venerandum fuiſſet amputatum, iſq; pulchrè & glorioſè mi- XII.
grâſſet ad Dominum, dixit præclarus Mauricius: Noſtrum deſiderium impleuiſti, ô Tyranne, & decætero firmum & [illegible] habemus curſum cæleſtem. Quis enim ex noſtra multitudine ſuſtinebit ſuperari à Photino Chriſti milite, qui migrauit in cęlum, & pudore affecit patrem tuum diabolum? Ad hęc maiori ſtudio & contentione tormentorum in nos excogita cruciatus, & nihil à te prætermittatur eorum, quæ probant, an firmam & immobilem fidem Chriſto ſeruemus. Quandò autem vidit Maximianus ſanctos Chriſti martyres prompto & alacri animo perpetientes, & rectam ſuam fidem non deſerentes, conuocato ſuo belluino & inhumano Senatu, cum eis conſultabat, quemadmodum ſanctos martyres morte afficeret acerbiſſima, per quos terrorem afferret Chriſtianis, qui erant in toto orbe terrarum, & efficeret, vt deficerent à ſancta & nulli affini reprehenſioni religione Chriſtianorum. Tunc cùm ipſi multa conſultâſſent, & alius alia dixiſſent: quidam ex ijs, qui in ſenatum conuenerant, qui erat radix acerbitatis, & fructus nequitiæ, & cuiuſuis alterius malitiæ & iniuſtitiæ arbor feraciſſima, conſuluit Tyranno, dicens: Imperator, hic menſis eſt tempus maximi æſtûs: (erat enim tunc menſis Iulius) ſitus eſt verò extra ciuitatem versùs occidentem inter duos, qui propter eam ſiti ſunt, fluuios & lacum, locus poſitura quidem planus, fœno autem plenus & infinita alia materia: quem, qui in eo loco habitant, vocant Rogam, proptereà quòd ſit veſparum ac crabronum acerbum habitaculum, quos meridie ne facilè quidem poteſt aliquis tranſire ſine periculo. Iube ergò eorum corpora vngi melle, & in eo alligabuntur animalcula, vt in hoc cruciatu ſentiant interitum grauiorem tormentis omnibus, quæ præceſſerunt, & cognoſcant, non eſſe maledictis inceſſendos inuictos noſtros & æternos deos.

Conſilium iniquiſſimum filij diaboli.

Hæc ergò cùm dixiſſet peſſimus & ſceleratiſſimus ille ſenator, eius conſilium placuit Imperatori & vniuer- XIII.
ſo Senatui, & iubet Imperator eos tradi huic ſupplicio. Cùm itaq; meridiem obſeruaſſent miniſtri iniquitatis, & tempus quietum, in quo, flatu ventorum carentia animalia, corporibus, quæ incidunt, grauem & moleſtam efficiunt perforationem, catenis vinctos deduxerunt ſanctos in priùs dictum locum: & cùm obijſſent & elegiſſent locum humidum, ſitum prope fontem perennem & limoſum, ex quo naſci ſolent limoſæ lacunæ & voragines, vbi etiam ſolet degere multitudo eiuſmodi animalculorum, melle quidem vngunt ſanctorum veneranda corpora: lignis autem eos vehementer alligant in eo loco, iacientes etiam venerandum corpus inclyti martyris Photini ante faciem patris ſui benedicti Mauritij, reputantes ſe ex eo ei maius allaturos ſupplicium. Hæc ergò cùm feciſſent, quamprimùm receſſerunt, vt qui venenatorum animaculorum minimè ferrent impetum. Cùm itaque ſancti decem dies & noctes hoc intolerabile & acerbum pertuliſſent ſupplicium, ſublatis ad Deum oculis, Dominum precati ſunt, dicentes: Domine Deus noſter, qui nos creâſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, & deduxiſti nos ad agnitionem tuæ veritatis & diuinitatis, & vnigeniti tui filij, & ſanctiſſimi & viuifici ſpiritûs, apud te noſtras animas deponimus, & rogamus vt eas colloces cum omnibus ſanctis, qui tibi placuerunt à ſæculo. Quoniam te dileximus, & te deſiderauimus ex toto animo noſtro, & pro te nosipſos ad mortem tradidimus. Tu es enim Deus ſolus benignus & clemens, & te decet gloria in ſæcula, Amen. Hæc cùm dixiſſent, Deo tradiderunt beatas & diuinas animas, & ſic dignati fuerunt coronis decertationis.

Immaniſſimæ crudelitatis ſupplicio ſubduntur Sancti.

Vide diuturnũ cruciatum.

Feliciſſimè decedunt.

Sceleratvs autem & tyrannicus Imperator Maximianus, etiam poſt mortem iraſcens ſemper viuentibus XIV.
martyribus, (Deo enim viuunt, qui ex Deo emigrârunt, etiamſi hinc exceſſerint) cùm audiuiſſet eos emiſiſſe animas, iubet aſcindi veneranda & ſancta eorum capita, & iaci in eundem locum. Peſſimi verò miniſtri ſcelerati Imperatoris, cùm è ligno depoſuiſſent venerandas & glorioſas eorum reliquias, non veriti ſunt amputare colenda eorum capita. Cùm ea autem abſcidiſſent, vbique per illam ſyluam proiecerunt ac diſſipârunt. Quidam verò fratres fideles, noctù cum magno timore accedentes, collegerunt veneranda eorum capita & ſanctiſſima & honoranda eorum corpora, & cum eo, quo par eſt, honore, & multo ac ſuaui odore, diuinaque pſalmodia, & intenſis precibus, in terra fodientes, depoſuerunt ipſa in eo loco, vbi decertauerunt præclari & fortes Chriſti milites. In quo etiam apparent tanquam luminaria in mundo. Quorum nos quoque omnes dignemur eſſe celebris conuentûs participes & gratiæ, vno animo & conſenſu fruentes, quæ ab eis proficiſcitur, curatione: In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & potentia, cum patre & ſancto ſpiritu nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Sancti quãuis vita exceſſerint, Deo viuũt.

DE SS. IVSTA ET RVFFINA, AVTHORE JOANNE MALDONATO. CONSENTIVNT MSS. CODICES & antiquiſſima Martyrologia.

An. 300.

IVSTA & Ruffina vitam agebant Hiſpali pudicè ac ſanctè, mercimonio fictilium vaſculorum victum quæritantes, pauperum mendicitatem ſua illa tenuitate iuuantes; * ſucceſſiua tempora diuinis laudibus impendens, cùm hoſtis ille humani generis truculentus ac ferus medius interuenit, honeſtumq; viuendi modum perturbauit ac ſuſtulit. Quædam ſiquidem matronæ Salambonem (ſic Venerem Babylonij vocant) circunferentes, vas in eius ſacrorum vſum à ſanctis fœminis poſtularunt. Illæ facete ſe nolle dixerunt, cauſantes, Deum Chriſtianos, non lapides, venerari. Peſſimæ tum fœminæ, dimiſſo ſimulacro, vaſa pleraque confregerunt. Quare Iuſta & Ruffina, integerrimæ quidem matresfamiliâs, factum peſſimum improbantes idolum confregerunt, ac omninò deformârunt, mediam in viam prouoluentes. Quod adeò plebem concitauit, vt comprehenſæ mox traherētur ad præſidem Diogenianū. Qui Chriſtianas eſſe cognoſcens, eculeo extendi, ferreiſq; vngulis laniari præcipit: pòſt tetro carceri mancipatas, nouis exquiſitiſq; modis excruciari. Productæ tandem ad præſidem, dijs ſupplicare litareq; iubentur. Illæ Chriſto eum honorem deberi contendunt. Cumque per cautes & montium prærupta poſt Iudicem nudis pedibus ductæ, non mouerentur, Iuſta tandèm in carcere vitam dedit. Corpus in puteum miſſum, à Sabino eſt Epiſcopo ſublatum, ſepulturæque traditum. Ruffinæ, pleno Deum ore fatenti, gula eſt fracta, corpuſq; combuſtum: ſed à Sabino oſſa collecta, cum Iuſtæ reliquijs Hiſpali ſepulta ſunt.

19. IVLII. * ſtr. ſucceſſiua. Salambonē Babilonij Venerem dicunt. SS Iuſta & Ruffina diré cruciantur. Iuſta in carcere obit. Ruffina iugulatur.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI ARSENII, EX SIMEONE METAPHRASTE.

An. 390.

I. NON ſolùm res geſtæ virorum bonorum & virtute præditorum proſunt ijs, qui tenentur ſtudio boni & honeſti. Nam eorum quoque ſermo ad ſuadendum & admonendum accommodatus, magnam ijs animæ affert vtilitatem: vt qui immittat veluti quendam virtutis ſtimulum, ad eius ſtudium paulatim prouocans & incitans, quomodò clarè ſe habere oſtenduntur res diuini patris Arſenij. Non ſolùm eius vita laborioſiſſima & ſtudioſiſſima, ſi vel nudè tantùm ſic memoretur, iuuat eos, qui virtutem concupiſcunt: ſed etiam ſermo: quem ille habuit, adhibito ſtudio, perindè ac aliquid memoriæ mandandum, aut egregium dictum, poteſt reuerà multùm conducere ijs, qui ſunt attentiores. Dicantur ergò res illius, & ſcriptis rectè mandentur: & quæcunque priùs ad exercendum conſcripti, & paterni libri ſparſim poſita habebant, ea nunc ſimul collecta, & veluti partes ac membra coniuncta ac compacta, & in vnum corpus conformata, piorum credantur auribus. Res enim eius valdè decantantur, & ſunt celebratæ ab omnibus: pulchriſque ac præclaris eius rebus non ſolus eſt plenus inſignis ille mons Scetes, vbi ille illuſtria peregit certamina: ſed etiam vetus Roma, ex qua ſcilicet dicitur eſſe ortus, & etiam hæc ciuitatum regina Roma noua, in qua ille priuſquàm vitam ſubiret monaſticam, non obſcuros nec euanidos, ſed vel ſole clariores, quandiù in hac vita mundana verſabatur, virtus effudit radios: qui non ſolùm reſplendebant, ſed ijs etiam, qui erant ad virtutem frigidiores, calorem immittebant, & ad eam parandam incitabant.

19. IVLII. Res geſtæ præclarorū virorum quantum afferat vtilitatis legentibus. Arſenius & Romæ & Conſtantinopoli celebris.

II. ADMIRABILIS ergò hic Arſenius, qui, vt fert eius nomen, nihil muliebre, nec ignauum & abiectum attulit ad labores virtutis, ſed omninò maximè maſculus, in primiſque generoſus & ſtrenuus in his apparuit, patriam quidem habuit Romam veterem, vt iam antè diximus: Græcæ autem fuit diſciplinæ particeps non mediocriter, nec tanquàm aliud agendo leuiter, nec ita non ſolùm guſtârit, & vſque ad eius veſtibulum peruenerit, ſed etiam interiùs proceſſerit, & intrà ipſa adyta penetrauerit, præclariſque & ſplendidis rebus illius fuerit exatiatus. Vt qui non vnam ſolam artem obiërit & ſcientiam, & ad eam vſque ſolam ſuum ſtiterit impetum: ſed per omnes ingreſſus, vſque ad ſummum peruenerit animi magnitudine & ingenij celeritate, & nihil ſibi deeſſe ſtuduerit. Sed neque eò, quòd doctrinæ & eloquentiæ operam daret in iuuentute, ideò exercendæ virtutis nullam curam habuit. Atque hoc quidem decantant & veteres ſermones: teſtatur autem & vita, quæ eſt poſteà conſequuta. Nam domûs quoque fundamentum non eſt admodùm ad ſciendum difficile, nec eſt arduum ijs, qui fecēre periculum, ex ædificio & tecto id cognoſcere. Omninò enim principia & iacta vitæ fundamenta, talis quoq; finis conſequitur. Si quid autem præter hæc factum fuerit in nonnullis, id omninò rarò fit, & præter conſuetudinem. Nec plantæ quoque poterunt cognoſci non difficiliter, quæ fructum ſunt laturæ. Ille autem cùm Græcam poſtremò doctrinam contempſiſſet, & nihili feciſſet, diuinitùs inſpiratæ ſcripturæ totum ſe dedicit, & ei vni nauat operam: vt qui præter vitam puram & generoſam, voluërit quoq; doctrinam habere generoſam, ſimilemque apertiſſimè obtineret ſplendorem, & ex vitæ inſtitutione, & ex eruditione. Propter hæc ergò eum quoque diaconum ordinat Romana Eccleſia. Idq; facit illa, non magis ſeruans ordinem graduum, quàm honorem præbens dignum virtuti. Ipſe verò apertè oſtendit, ſe præſtitiſſe vitam dignam ſacerdotio. Atque erat quidem apertè hic Arſenius inſignis in ſacrato ordine: quem non minùs vita ſua ornabat, quàm ipſa ab eo ornabatur: & verè oſtendebat ſe eſſe dignum vnguenti receptaculum.

Patria eius. Doctrina Philoſophica. Callet artes omnes. Totum ſe dat ſacræ lectioni. Ordinatur Diaconus.

III. POSTQVAM autem Theodoſius primus, qui non tempore, inquam, & ordine, ſed moribus primas partes obtinuerat, poſt Valentem illum impium, vir maximè pius aſcendit ad ſedem imperij: is reliquæ ſuæ vitæ conſequenter ſe gerens, & in hoc quoq; ſibi ſimilis de ſuis liberis multùm fuit ſolicitus, vt nec cernerentur inſolentes & immoderati, & non doctrina culti & diſciplinis liberalibus, iuuentute & regia indole multùm ad hoc conferente. Quærebat ergò curatorem, præceptorem & magiſtrum, cui hos in manus traderet. Volebatq; eum non ſolùm vita præclarum iure propoſita ad imitandum, ſed etiam qui ad ſummum doctrinæ perueniſſet, non ſolùm externæ, verùm etiam noſtræ, & huius potiùs, quàm illius, & ad informandas & effingendas iuuenum animas maximè idoneum, ad moreſq; rectè componendos ac moderandos, & ad ſe extollendi deijciendiq; modū imponendum, & ad contemperandam magnificentiam cum moderatione animi affectionum. Sic quærens & pulſans non eſt fraudatus ſuo deſiderio: ſed inuenit eum, qui erat in omnibus optimus & probatiſſimus. Is autem fuit, qui erat in omnibus egregius, Arſenius. Quomodò verò inuenit? Ardens & vehemens rei amor perſuadet Imperatori, vt ſcribat etiam ad Gratianum, qui tunc veteris Romæ tenebat dominatum, & vt ei virum mandet inquirendum. Is verò Eccleſiæ Romanæ Præſuli (Papam eum ſolent vocare) eum committit inquirendum. Is autem cùm (vt eſt in prouerbio) omnem mouiſſet lapidem, inuenit eum, qui omninò nolebat inueniri, mundo autem & mundi ſplendori faſtuiq; vale dixerat: tenuiter autem & minimè curioſè ſub Deo viuebat cum vna ſorore, & ei ſoli ſuam vitam permiſerat. Docet ergò Papa de eo Gratianum, & de eo ſignificat, cùm ipſe res illius pulchrè antè didiciſſet, & quòd is talis eſſet, qualem

Quales magiſtri & præceptores ſint quærendi ad inſtituendam iuuentutē. Cum ſola ſorore viuit Deo & ſibi.

Digitized by Google

qualem cùm diuinus vidiſſet Theodoſius, & examinaſſet accuratiſſime, laudaret qui eum miſiſſent, & de ſuis liberis
ceſſaret eſſe ſolicitus. Cæterùm ipſe quoque cùm eum vidiſſet & conueniſſet Gratianus, & eam quam par eſt, feciſſet
coniecturam, aſſenſus eſt ijs, quæ de ipſo dicebantur.

Postqvam ergò hæc ille audiuiſſet, acceſſit ſtatim diuinum Arſenium. Cumque vidiſſet vultum modeſtum, IV.
& virtutis in ipſo cognouiſſet apparere veſtigia, pudicoſque & ſtabiles oculos, & quos ſæpè in terram ſolebat defige-
re, totumq; viri habitum admodùm honeſtum, & qui à vita philoſophica nihil omninò diſcrepabat: Deindè cùm
etiam verba audijſſet, quæ non inconſideratè profundebantur, neque multiplidabantur ad oſtentationem, ſed quæ
potiùs optimè ſuperabant ſilentium: vt quæ progrediendi quidem ſolam cauſam haberent interrogationem, & ta-
men ſic quoq; parcè proferebantur, & deindè rurſus facilè cedebant ſilentio. Hæc, inquam, cùm audijſſet & vidiſ-
ſet Gratianus, valde eſt lætatus, & tacere minimè ſuſtinuit: ſed diuino protinùs Arſenio, Sicut audiuimus, inquit,
& vidimus: nihil diſcrepat à tua fama, neque omninò eſt diſſimile, nec quod ea ſit minus: imò verò quæ audiuntur,
cedunt ijs, quæ cernuntur oculis. Reſtat ergò, vt quod magnus deſiderat Imperator, ad finem perducatur, & tu ad
ipſum venias, & tuæ fidei eius credantur liberi, & tu ſis eis vitæ exemplar, ſiſque egregius præceptor, non verbis ſo-
lùm, ſed rebus magis docens. Hæc dixit Gratianus. cum vna quoque cum eo eſſet Papa, & ſuffragaretur ijs, quæ di-
cebantur. Renuebat autem magnus Arſenius propter inſignem humilitatem, dicens, eos in ipſo eligendo erraſſe iu-
dicio, nec ſe eſſe talem, qualem vult Imperator. Et alioqui, inquit, eſt longum tempus, ex quo Græcas contempſi di-
ſciplinas. Ex quo enim ſum in Eccleſiaſticum relatus catalogum, & promotus ſum in Diaconum, renunciaui illis
omnibus, meq; eorum omnium apertè ſubijt obliuio: adeò vt etiam ſi maximè velim, ſit mihi difficile ſuſcipere do-
cendi prouinciam: nec ea eſt rectè ſucceſſura. Cùm hæc ab admirabili dicerentur Arſenio, illi non ignorantes cauſam
cur renueret, nempe modeſtiam, & quietis amorem minimè tolerabilem, perſuadent ei vel nolenti viam ingredi,
propemodum cogentes, non tamen priùs, quàm (vt erat honeſtum) res ſororis ordinaſſet, virginibuſq; & quæ vitam
pudicè & honeſtè agebant, traderet virginem.

Valdè placent eius more Gratiano Imperatori.

Eius inſignis humilitas.

Postqvam autem ad hanc vrbem regiam ille procedens peruenit, & hoc reſciuit Imperator: cumque lite- V.
ras, quæ Romæ datæ fuerant, priùs quæſijſſet & legiſſet, quarum ipſe Arſenius vnum erat argumentum, & longæ lau-
des Arſenij: deindè etiam eum acceſſijſſet, eiuſque vultum vidiſſet & habitum, & verba audijſſet, non ſecus quàm
Gratianus, deprehenſus eſt & ipſe affici, ea ſcilicet, quæ cernebantur: eorum quæ ſcripta fuerant, ducens eſſe ſignacu-
lum. Atque primùm quidem Deo egit gratias, qui eius voluntatem noluerit eſſe irritam: ſed effecerit vt id quod vo-
lebat, conſequeretur. Deinde cùm ſuos adduxiſſet liberos, commendat Arſenio, ipſe ei dicens: Poſt hæc eris potiùs
pater eorum, quàm ego: quandò benè eſſe, eſt magis proprium & magis paternum, quàm eſſe ſolummodò. Eos
magni tui ingenij committo excellentiæ, Deum inſpectorem & teſtem ſimul adducens, vt ij mihi tales per te eua-
dant, quales ego volo & opto: ſintque ipſi expreſſiſſima imago tuorum certaminum, & ſermonum, & morum:
& patris ſpiritalis euidentes conſeruent characteres, nulla, ô Domine Deus, eos iuuenili corrumpente cupiditate,
aut offundente tenebras. Ita tibi tua proſit in Deum ſpes, mihi amiciſſime Arſeni: da, vt gaudeam inculpata eorum
educatione, & Deo agam gratias. Cæterum hoc quoque tuo animo inſideat, nec hoc præceptum negligas: propterea
enim hæc tibi mando his præſentibus. Nolo tuam virtutem attendere Imperatoriam eorum dignitatem, aut tan-
quàm filios ſi eos reſpicientem, eis metum non incutere. Volo enim eos eſſe tanquàm filios tuos & diſcipulos, & tibi
eſſe ſubiectos, & morem gerere, tanquàm patri germano & magiſtro. Quòd ſi quid præter hæc fecerint, (quod ab-
ſit) ipſi ſe inſimulabunt, vt qui ſint à nobis pulſuri, quæ cordi ſibi non erunt: & fructus operum ſuorum, vt diuinus
Eſaias dicit, ipſi comedent. Sic dixit, & ſcholæ literariæ domum iubet eſſe prope ſuum cubiculum: vt ſic eos fre-
quentiùs conueniens, ſocordiam, quæ iuuenes ſequi ſolet, repelleret, nihilque non videret & audiret ex ijs, quæ
ab ipſis rectè aut ſecus fierent. Arſenium autem maximo apud ſe dignatus eſt honore & familiaritate. Primùm enim
eum eſſe decreuit ex ordine ſenatorio, & patrem non ſolùm filiorum ſuorum, ſed ſuum quoque eſſe & nominari.
Quod quidem factum apud eos, qui rectè iudicant & ſentiunt, maiori afficiebat honore Theodoſium, quàm Ar-
ſenium.

Venit Conſtantinopolim ad Theodoſ. Imp.

Theodoſius ei ſuos liberos tradit erudiendos.

Eſa. 3.

Magnos honores accipit ab Imperatore

Vide Baron anno 383.

Divinvs itaque Arſenius, acceptis filijs Imperatoris, qui vocabantur Archadius & Honorius, de eis ſummè VI.
erat ſolicitus, & maximam eorum curam gerebat. Aliquandò quidem eos excipiens magnificis Græcæ doctrinæ
epulis: aliquandò autem, & multò magis etiam ſcripturarum, quæ cum delectatione habent etiam voluntatem, lau-
tis implens ferculis: nonnunquàm autem etiam ſuæ linguæ, tanquàm hymettio aliquo melle, ſuauibus impertiens
admonitionibus. Quorum omnium plura & copioſiora ea fuerunt, quæ erant pro ipſorum patre & imperatore,
eos deducentia ad veram beneuolentiam, & acriorem, quàm ſit ſeruorum. Suggerebat etiam in ſubiectos curam
& benignitatem, docens beneuolentiam eſſe in imperio firmiorem & ſtabiliorem, quàm metum. Adhæc ſuadebat,
nè ſibi magnoperè placerent de diademate, nec de purpura: ſed magis eſſe proprium ducerent ornamentum, diſci-
plinam & virtutem. Illa enim ſæpè malorum & ſceleratorum fuerunt Imperatorum, & quod eſt deterius, nec quan-
diu quidem vixerunt, ijs manſerunt, qui ſe de ijs iactabant, & ſe magnificè, circumſpiciebant. Hæc autem ſunt tan-
tùm bonorum: nec ſolùm ſunt cum eis toto vitæ tempore, ſed etiam quæ extingui non poſſit, conſeruant eorum
memoriam, & quæ ſimul cum toto ſæculo extenditur. Et talia quidem erant monita, quæ diuinus Arſenius dabat
filijs Imperatoris. Sed non adoleſcentibus vtebatur, vt diſcipulis, neque cum eis ſtantibus ſedens ipſe loquebatur,
vt iuſſerat Imperator: ſed contrà, ſimul & Imperatoriam obſeruans authoritatem, & quæ ſibi erat amica, conſeruans
moderationem.

Stans docet filios Imperatoris.

Id indignè fert Imperator.

Vervm cùm Imperator præter ſpem in ſcholam acceſſiſſet, & ſic vidiſſet quidem pueros in ſedibus conſi- VII.
dere: illum autem ſtare, & cum eis diſſerere, id non leniter tulit, & verbis grauioribus animum tetigit Arſenij, ei obij-
ciendo & quod priùs dederat mandatum, & exprobrando, quòd id minimè ſeruaſſet. Is autem illi dixit cum qua par
fuit reuerentia: O Imperator, rebus rectè vti oportet, & cum recta diſtinctione eis ea, quæ conuenit, tribuere, nem-
pe adoleſcentiæ quidem doctrinam & admonitionem, Imperio autem honorem. His verò magis irritatus Impera-
tor: Quis autem, inquit, eos elegit Imperatores? nunquid tu, qui etiam conſequenter eis honorem tribuis? Quæ
cùm dixiſſet, ab eis quoque abſtulit inſignia Imperij: & diuinum quidem Arſenium vel inuitum in throno collo-
cauit: illos autem ſic nudatos adduxit in eius conſpectum. Deindè etiam illud præclarum & Imperatore dignum
eſt elocutus: Si ſe quidem ita inſtituerint, vt ſint digni imperio, hoc eſt, perfecti in doctrina, legibus, & Dei voluntate,
poteſt illis Deus tradere Imperium compoſitum & conſtitutum ad vtilitatem eorum, quibus imperabunt. Sin mi-
nùs, melius eſt eos ſic viuere, quàm imperare ſtultè & periculosè. His auditis, admiratus quidem eſt diuinus Arſenius
piam mentem Imperatoris, & eum exiſtimauit beatum inter Imperatores: Ipſe autem curam geſſit puerorum, vt
iuſſit Imperator, eis potiùs vtens, vt decebat rectorem, quàm vt Rhetorem: adeò vt ille quidem ſederet honorificè,
& ſic doctrinam traderet: ipſi verò adſtantes audirent, quæ dicebantur. Verumenimuerò cùm in has curas incidiſſet
Arſenius, ægrè ferebat, vt qui eſſet ab ocio remotus, & eſſet huiuſmodi, vt curas ſummo haberet odio, & alioqui à tu-
multu & ſtrepitu eſſet alieniſſimus. Quinetiam cathedra & ipſe thronus, gloriæq; ſplendor & dignitas, grauiter con-
turba-

Cogit ſedere Arſeniũ filios ſuos ſtare.

Vox digna Imperatore.

turbabant Arſenium, vt quæ ab ipſo iam abiurata fuerant, & quæ ab inſtituto ſuo & amore, quem iamdiù parturiebat, admodùm diſcreparent. Vitam enim monaſticam, & à gloriæ faſtu alieniorem amabat vitam. Proptereà ergò & precibus vſus eſt ad Deum vehementiſſimis, vt præberet cauſam & honeſtam occaſionem ſe relaxandi à vinculis præſentibus. Et precatus quidem eſt Arſenius: Deus autem ſurda aure eius preces minimè præterijt, ſed optima, ſicut ipſe rectè nouit, et ratione prouidit. Hic verò fuit modus.

VIII. NON paruum aliquod delictum commiſerat Archadius Imperatoris filius, & quod non merebatur veniam: flagris eum cecidit caſtigans diuinus Arſenius. Ille non tulit hoc leuiter, iniuriam potiùs, quàm caſtigationem hoc eſſe arbitratus. Ipſe certè indignabatur, iram apud ſe alens, & præceptori ſuo mortem moliens. Cùm itaque quendam haberet ſpatharium, qui ei miniſtrabat, quique ei videbatur benè velle, dignuſque eſſe, cui ſua ſecreta communicaret, ei aperit quæ in animo habebat, incitatque vt quibus poſſit modis, de medio tollat Arſenium. Hæc in animo verſans Archadius, Deum latére non potuit, qui erat Arſenij cuſtos fideliſſimus. Hæc ergò duo validiſſima immiſit in mentem ſpatharij, & Arſenij virtutis reuerentiam, (vir enim erat pietati deditus) & ingentem metum Imperatoris. Accedens ergò, arcanum detegit Arſenio. Deindè etiam ei ſuadet, vt ſe clanculùm è regia ſubducat, & aſtris, vt dicitur, viam ſignet. Neque enim aliter, inquit, eris ſecurus minarum. Erat autem hoc, vt diximus, diuinæ prouidentiæ, quæ mirabiliter procurabat, vt conſequeretur ea, quæ deſiderabat, & quietè deduceretur ad vitam monaſticam. Deum itaque rogat vehementer Arſenius, vt euadat inſidias, & ſalutem animæ omninò aſſequatur. Ei ſic precanti, vox quædam supernè reſonat, dicens: Arſeni, fuge tumultus, & ſalutem aſſequêris. Hæc cùm ille audiſſet, quæ erant iucundiſſima, & voluntati ſuæ congruentia, nihil cunctatur, nec moratur: ſed ſtatim illas quidem veſtes & ſuperbum amictum exuit: eum autem, qui pauperi & inglorio conueniebat, indutus, citò proceſſit ad litus, nauemque nactus (nec id ſine Dei numine) quæ parata erat nauigare Alexandriam, eam aſcendit, & illic ſeruatur quam celerrimè. Deindè quod etiam parturiebat deſiderium, ad finem properans deducere, & alioqui ſpei Imperatoriæ omnem amputans occaſionem, ſtatim tondet comã capitis, & cum ea, ſi quæ adhuc remanebant, reliquiæ curarum humanarum. Monaſticum verò induit amictum, & ſcopum, qui conuenit monachis, & ad Scetem, de qua iam priùs diximus, (erat autem mons valdè excelſus, & quietæ vitæ conueniens) rectà proficiſcitur, ſeq; inſerit in numerum patrum, qui illic ſe exercebant. Atq; ille quidem ità ſe habebat.

Caſtigat Archadium Arſenius, & ille necem ei parat.

Notæ factæ ſunt ei inſidiæ Archadij.

Arſenius cœlitùs audit vocem.

Clàm fugit ex aula.

Fit monachus.

IX. CVM autem Imperator illius fugam non tuliſſet ſilentiò, ſed multi, vt eſt conſentaneum, ſæpè ad eum quærendum mitterentur, omnes ſolitudines, inſulæ, ſpeluncæ, petrarum fiſſuræ, atque adeò ea etiam, quæ ſunt ſub terris, quærebantur. Nuſquàm autem apparebat, nec inueniebatur Arſenius, Deo eum occultante, vt dixit diuinus Dauid, in occulto ſui tabernaculi, & eum ſuis alis fouente. Sic per totam vitam magni Theodoſij latuit Arſenius. Poſtquàm autem poſt deceſſum patris Archadius ſucceſſit Imperio, ei ſignificatur vbinàm ſit Arſenius, & quamnam vitam agat, Angelicam ſcilicet & cœleſtem. Eum certè literis quoquè ſalutat, quæ magnam habebant ſubmiſſionem & moderationem. Quæ verò literis continebantur, hæc erant: Vehementer rogabat ſanctum, vt ſuis precibus opem ferret imperio, vt id ità regeret, vt Deo erat gratum. Præcipua autem epiſtolæ cauſa erat inſidiarum enunciatio, propter quas etiam enixè rogabat, & eum placare contendebat, donum etiam liberale & magnificum offerens. Hoc autem erat totius Ægypti vectigalia: & honeſta cauſa, vt ea pauperibus ab ipſo diſtribuerentur, & ſacris monaſterijs, quibus deerant, quæ erant neceſſaria. Sic ſcripſit Archadius, & obnixè rogauit, vt reſcriberet. Arſenius verò ea accepta epiſtola, reſcribere quidem minimè annuit: ſine ſcriptis autem ei ſignificauit: Deus, dicens, ſit nobis omnibus propitius, & condonabuntur peccata. Pecuniæ autem diſtributio nequaquàm ad me pertinet, qui iam ſum mundo mortuus. Mortui verò nulla eſt actio. Sed ſic quidem à mundo diſceſſit Arſenius, & cooptatus eſt in numerum monachorum, qui erant in Scete. Cum quibus ſe exercens, & cum eis contendens, nulli ſuſtinuit eſſe ſecundus in virtutis ſudoribus, ſed potiùs vel primas obtinuit. Neque enim erat eiuſmodi, vt qui labores anteà non guſtaſſet, nec in eis eſſet verſatus. Neque enim Scete & habitus monaſticus eum primùm cognouit laborantem in ijs, quæ ad virtutem pertinebant: ſed anteà curam geſſerat, vt honeſtam Deique voluntati congruentem vitam ageret. Quinetiam ſplendor veſtis & magnificentia nihil in ſe habebant, quòd cor ex eis vllam acciperet voluptatem. Erat enim Dei metu alligatus, & virtutis curam gerebat, & aſſueuerat laboribus: adeò vt ex ſententia beati Dauid, licèt degeret in tot & tantis tumultibus, & tanta multitudine, Singularis ego ſum, audacter diceret. Ea ergo ratione, vt pauloantè ſignificauit oratio, primas haud ità multò pòſt obtinuit. Verùm enimuerò etſi ita ſe haberet Arſenius, exiſtimabat ſe omnium vltimum: cumq; eſſet plenus omni eruditione, videbatur eſſe quidam ruſticus & indoctus, & præ ſe ferebat nihil ſcire, niſi, vt dixit Paulus, Ieſum Chriſtum, eumq; crucifixum.

Pſal 26.

Archadius Imperator offert ei totius Ægypti vectigalia, ſed renuit.

In ipſa aula quã ſanctè vixerit

Pſalm. 140.

1 Cor. 2.

X. CVM autem ad ſummum virtutis perueniſſet, & præter alia eſſet quoque exornatus maxima diſcernendi facultate, quæ iudicatur aliarum eſſe præſtantiſſima, conuenientibus aliquandò monachis, (mos enim erat ipſis, cùm certis temporibus ſoli eſſe intermiſiſſent, ſimul conuenire, & de vtilitate animæ ſermones agitare. Hoc autem eſt, vel quædam laborum mutatio ad recreandum animum, nec ſuperuacanea, nec inconducibilis:) poſtquàm fuerunt omnes ſimul congregati, rogatus eſt ab eis Arſenius aliquem incipere ſermonem, qui aliquam afferret vtilitatem. Is autem patribus potiùs obediens, quàm aliquid faciens ad oſtentationem, neque volens oſtendere doctrinam, quam collegerat, & alioqui expedita quadam & ſimplici vtens oratione: Fratres, inquit, & patres, omnem rem, quam quis aggreditur, præcedit cauſa aliqua & ſcopus, propter quem agitur. Cauſam verò, cur nos ex mundo fugerimus, nullam aliam dixerimus, niſi vt purgemus animam, & quæ eam conſequitur, ſalutem adipiſcamur. Studendum eſt ergo nobis, vt nos purgemus pro viribus, & maximè interiorem hominem, vbi & maius eſt bellum, & victoria difficilior. Multi enim ſunt, qui, quòd attinet ad carnis pollutionem, & peccati operationem, magnam oſtenderunt continentiam, & vſi ſunt ieiunijs & alijs afflictionibus. De pollutione autem cogitationis, & perfecta purgatione nihil omninò cogitauerunt, etiamſi ſit præceptum non de purgatione ſolùm carnis pollutionis, ſed etiam ſpiritûs. Quinetiam multis quidem curæ fuit, vt fugerent fornicationem aliaſque voluptates: vt autem vitia occultiora, nempe inuidiam, gloriæ cupiditatem, nimiam de ſe perſuaſionem, pecuniarum amorem, & quæ eſt omnium peſſima, ſuperbiam: vt has, inquam, effugerent perturbationes, pauci admodùm curarunt. Ea ratione hi dimidiam habent purgationem, vel potiùs maiori & præſtantiori parte manent impurgati, ſuntque veluti ſtatuæ, quæ ſæpè quidem extrinſecùs auro vel ære refulgent, interna autem plena ſunt immunditia, & quauis alia viliſſima materia. Ab his ergò non manifeſtis vitijs nos vel maximè ſtudeamus expurgare. Porrò autem hoc quoque nos non lateat, ô fratres, quòd noſter inimicus diabolus, multis & varijs vtens machinis, nos conatur decipere, & boni prætextu in mala impellere: vt verbi cauſa, ſuggerens hoſpitalitatem, & conſequenter fratrum, qui accedunt, gratam & benignam exceptionem, efficit, vt ſimul comedant & compotent. Cauſa autem eſt bonum charitatis, deindè ſic paulatim ſuffurans & attrahens, imprudentes nos trahit, vt ventri ſeruiamus, & deinde nos ad ſatietatem libidinibus polluit & voluptatibus. Alijs rursùs ſubmittens in animum eleemoſynam & benignitatem, & in pauperes beneficentiam, immittit amorem pecuniæ, & in furorem impellit auaritiæ. Alijs autem multorum vtilitatem tanquàm eſcam porrigens, efficit vt ſilentium & quietem relinquant, tanquàm rem inutilem, & vt cum multis quidem mundanis

Oratio eius ad monachos

Scopus Monachi.

Occulta vitia extirpanda.

Sub ſpecie boni fallit ſatan.

habeant conſuetudinem, & nonnunquàm etiam cum mulieribus incautè hoc faciant perſuadet, tanquàm qui iam
Multiplices dæmonum inſidiæ.
eò peruenerint, vt ſint impatibiles: & ſic miſeros reddit libidinoſos, & ſeruientes animi perturbationibus. Alijs nullam exhibens moleſtiam, & vt à nullo capiantur vitio, inſidioſè procurans, extulit in ſuperbiam, & ſic facilè præcipitauit. Nonnunquàm autem faciens, vt à bellando abſtineant, & maximè ij, qui ad ſuſcipienda exercitationis certamina ſe paulò antè exuerant, decepit, efficiens, vt eſſent ſecuri, & de nulla re ſoliciti. Ex quo factum eſt, vt cùm eos iniecerit in ſocordiam, & vt labores negligerent effecerit, repentè eos inuaderet tanquàm expugnatu faciles & inermes: & ſic maxima tempeſtate eorum mentem labefactaret & conturbaret, & ſæpè etiam in vitiorum profundum immergeret. Alios rursùs cùm vt ſibi fiderent perſuaſiſſet, vt qui iam ad maiorem perueniſſent menſuram, ſuggeſſit vt eis crederentur aliorum cogitationes, vitiorumque & bellorum annunciationes. Quibus cùm nondùm rectè ſua vitia abluiſſent, primùm quidem recordationem & informationem eorum, quæ audiuerunt, immiſit non abſque animi perturbatione. Deindè verò etiam miſerè impulit ad carnis pollutionem. Quoniam ergò tentatoris inſultus ſunt tam varij, tamque multiplices, & tam difficiles ad deprehendendum, nobis quoquè multa cuſtodia ſobrietateque opùs eſt, & ad bonum attentione: vt ab ipſo illuminati, imprudentes malo tanquàm bono non vtamur, & non animaduertentes in noxia incidamus: ſed vigilemus & ſobrij ſimus, conſiderantes vndenàm, & quandò, & quomodò ille facit inſultus: & in nullo offendamus, propterea quòd animum minimè adhibuerimus.

Cvm hæc & alia his ſimilia diuinus diſſeruiſſet Arſenius ad monachos, qui erant congregati, humilitate ad- XI.
huc magis vtebatur, & ſeipſum reputabat tanquàm qui nihil ſciret, & id alijs præbebat exiſtimandum. Optimè autem nôrat inſultus dæmonum, vt qui fuerat examinatus à multis eorum tentationibus. Cumque aliquandò ad eius cellam aduenìſſent dæmones, (hoc autem narrauit monachus Dauid, vir qui cum hoc beato plurimùm fuit verſatus, & in multis monaſticis ſudauit laboribus) multisque afflictionibus & viſionibus eum vexarent, & moleſtia afficerent: ipſe quietè tolerabat, ſe nihil pati præ ſe ferens: ſed hoc tantùm ſubmiſsè dicens, vt ſignificatum eſt ex ijs, qui
Dæmones vincit humilitate, valdè ab eis vexatus.
ipſi miniſtrabant & aſſidebant: Deus, ne relinquas me: quoniam nihil boni fecerim coram tuis oculis: ſed ſecundùm tuam bonitatem da mihi ô Domine, vt bonæ vitæ attingam principium. Si autem res mundi eſt aſpernatus, & nihil omninò eſſe duxit, vt nihil ex ijs, quæ ad hanc vitam pertinent, ſuſtineret omninò adſpicere: potiùs verò veluti vicem rependens, & ſe directò opponens ſplendoribus & veſtibus, quibus indutus fuerat cùm eſſet in palatio, tam
Vilitas veſtium eius
contemptis & tam vilibus vteretur indumentis, vt in ijs nihil differret à paupere ruſtico, laceris pannis & contritis induto. Sed ille his vilibus & abiectis magis exultabat, & in his ſibi placebat: vt qui mundum internum, & qui non cernitur, ſibi vendicaret, & ſeipſum potiùs, quàm res ſuas vellet ornare. Externæ autem eruditionis, quæ tanta con-
Euagrius monachus.
tentione petitur, elegantia ab eo adeò nihili ducebatur, vt cùm quidam monachus nomine Euagrius, qui de Græca valdè ſe iactabat doctrina, quoniam Arſenij ſapientiæ fecerat periculum, de Ægyptijs interrogâſſet monachis: Quomodò ij, dicens, cùm ſint indocti & rudes, ſunt tot & tantis inſignes virtutibus: nos autem, qui ſumus non paruam
Tacitè irridet Euagrium.
doctrinam conſecuti, ne mediocria quidem rectè gerere poſſumus? diuinus reſpondit Arſenius: Nos quidem, qui alienis ſcilicet confidimus laboribus & diſciplinis, ideò ex bonis tanquàm proprijs non facilè poſſumus fructum aliquem percipere. Ij autem, qui ſunt in ſolis proprijs occupati laboribus, meritò proprios quoquè fructus colligunt.
Egregia humilitas S. Arſenij.
Hoc verò dixit, tacitè irridens Euagrium, qui non rectè de Græca gloriabatur ſapientia. Erat verò eius tam inſignis humilitas, vt ne agreſtiores quidem eum puderet rogare, & ex eis vtilitatem accipere pro viribus. Cumque aliquandò eum vidiſſet quiſpiam rogantem & percontantem quendam monachum Ægyptium de cogitationibus, is miratus, cauſam eſt ſciſcitatus. Ille verò reſpondit: Non nego me eſſe doctrina mediocri præditum. Huius autem, inquit, ruſtici illiteratam planè inſtitutionem fateor me nondum didiciſſe: Eam, quæ fit ex Deo, actionem & cogitationem tacitè innuens per hanc reſponſionem. Non ſolùm autem erat dignus, qui adſpiceretur ab ijs, qui propè erant, & cauſa vtilitatis ijs, qui ad ipſum veniebant: ſed etiam non pauci procùl venientes, tenebantur magno deſiderio videndi Arſenij, & ſe eius linguæ epulis recreandi. Illius enim virtutis fama totum orbem peruaſerat, & aures omnium im-
Theophilus Alexandriæ Epiſcopus eum inuiſit.
pleuerat. Propter quam cauſam ex Alexandrinis quoque multi ad eum venerunt, adeò vt ille ipſe quoque Theophilus, Archiepiſcopus inquam, rem magnam arbitratus, & vitæ labores negligens, venerit vnà cum præſide ciuitatis: eumq; rogauit, vt ſui ſermonis vtilitatis eos faceret participes. Is autem cùm parumpèr tacuiſſet, deindè reſpondit: Et ſi quid vobis dixero, promittitis vos id eſſe ſeruaturos? Ipſi verò protinùs ſunt aſſenſi. Is autem: Vbi, inquit, eſſe Arſenium audieritis, hoc eſt vobis cauendum, nè velitis ampliùs eò venire. Placuit eis dictum, nec eis fuit mole-
Vide quàm cupiat neſciri.
ſtum eius ſilentij deſiderium, vt qui eius modeſtiam ex eo pulchre didicerint. Cæterùm cùm poſteà Archiepiſcopus quæſiſſet ad eum venire, & per quendam eſſet ſciſcitatus, an, ſi veniret, ei aperiret oſtium: Si veneris, inquit, aperiam. Quòd ſi tibi aperuero, clarum eſt, fore vt alijs quoque multis aperiam. Reſtat autem, vt ego hinc longe recedam. Hęc cùm audiſſet Archiepiſcopus, nihil tale ab eo poſteà petiji.

Aliquot præclaræ eius ſententiæ & inſtitutiones.
Rogantı verò cuidam monacho, vt ſermones ab eo audiret vtiles: Pro viribus, inquit, contende, vt quæ XII.
eſt intrà te & in mente tua operatio, Deo placeat, & ſic vinces externa vitia: hoc ei ſignificante Arſenio, quòd niſi ea ità fiat, vt Deo placeat, ſunt omninò inanes & inutiles labores corporei. Cùm ij autem ſunt tales, excitatur bellum vitiorum carnalium. Admonenti verò eos, qui accedebant, & ea diſſerenti, quæ faciunt ad ſalutem, ei mos erat quoque eis dicere: Si ſicut oportet Deum quæſierimus, is veniet, & à nobis omninò videbitur: & ſi eum per mundam vitam detinuerimus, is nobiſcum permanebit. Ad eum accedens aliquis alius ex patribus ſenioribus, ait: Me opprimunt, ô pater, cogitationes ſic mihi ſuggerentes: Quoniam fieri non poteſt, vt ieiunes & labores propter ſenectutem, ſunt ſaltem tibi viſitandi ij, qui laborant & ægrotant. Nam hoc quoque eſt ſignum non obſcurum charitatis Ad hæc autem diuinus Arſenius: (Non erant enim ei ignotæ malæ artes & fraudes dæmonum) Vade, inquit,
Non debet monachus inire familiaritatem cum ſæcularibus
comede & bibe, nec recuſa deinceps eſſe ſomni particeps: tantummodo ne in animum inducas, vt à tua cella recedas. Aliquando autem rogatus, quomodo oporteret verſari in regione externa: Si contigerit, aiebat, monachum regionem ingredi externam, aut ciuitatem, hoc eſt principaliter cauendum, ne alicui notus euadat, vt cum nullo omnino libere loquatur, nec familiaritatem cum vllo ineat. Hoc ſi fuerit ſeruatum, omnino ei maxime proderit. Alius monachus, nomine Marcus, virtute clarus, cum ſciret quàm eſſet ſolitarius Arſenius, & auerſaretur hominum conſuetudinem. Cur nos quoque fugis, rogauit? Nam ipſe quidem omnino nihil læderis ex noſtra conſuetudine & collocutione: nos autem potes iuuare plurimum. Cui diuinus Arſenius: Deus, inquit, nouit, multum à veſtra pendeo charitate. Sed quid agam? Non poſſum me diuidere Deo & hominibus. Eſt enim facilius ei placere, quàm illis. Angelorum enim millibus & decies mille millibus vnus eſt ſcopus & vna voluntas. vt Deum laudent, illiusque mandatis ſeruiant. Hominibus autem alijs aliæ ſunt voluntates, ſcopique & inſtituta diuerſa: & ideo eſt eis, vt dixi, placere difficilius, quàm Deo. Humanis autem afflictionibus vſque adeo erat ſuperior, & neceſſitatibus fortior Arſenius, vt non ſolum fami & ſiti non facile cederet, ſed etiam ſomnum valde ſuperaret, quo nihil violentius, neque ad opprimendam & morti tradendam carnem eſt validius.

Somno vtitur breuiſſimo.
Cvm itaq; totas noctes peruigilaret, & intentus eſſet precibus, vbi iam mane veniſſet, ne corpus haberet o- XIII.
mnino diſſolutum, & ad quamuis actionem defatigatum: Adesdum aiebat, ſerue nequam, ſomno tanquã ſeruo vtêſ:
Deinde

Deindè cùm parùm dormitâſſet, rurſùm ſtatim ſurgebat, & rurſùs ad Deum inceptas perſequebatur orationes, dictitans ijs, qui aderant: Monacho ad ſomnum vna hora ſufficit, ſi ſit egregius athleta. Solebat autem Arſenius aliquandò quidem patrum actionibus, aliquandò autem etiam ſermonibus iuuare proximos. Aliquandò verò ſuas narrare actiones & contemplationes ſub perſona alterius, nè eum inuaderet vitium arrogantiæ. Cuiuſmodi eſt id, quod eſt propoſitum. Dicebat enim: Quidam ſenex monachus in ſua cella ſedens, audiuit supernè vocem dicentem: Adesdùm, & oſtendam tibi quomodò ſe habeant opera hominum. Surrexit ergò & exijt, & ducentem ſequẽs Angelum, ambulabat. Cùm autem is, qui apparuerat, in quodam loco ſubſtitiſſet, ei Æthiopem oſtendit ligna ſcindentem, quibus alligauit quidem onus non facile ad tollendum humeris. Cùm autem alligâſſet & conaretur tollere, non potuit propter pondus. Is verò alia quoquè adijciebat. Deindè cùm eum paululùm traduxiſſet, oſtendit rurſùs alium, qui ex quodam lacu aquam hauriebat, & eam in perforatum canalem infundebat: ex eoq; effluebat aqua, & diſpergebatur Præterea oſtendit ei templum maximum, in quo duo viri equis inſidentes, & maximum quoddam lignum tranſuerſum inferentes, ſic quidem conabantur ſtatim per portam ingredi: ſed non poterant, quoniam, vt dixi, lignum ferebant obliquè: neuter autem volebat id ex altera parte dimittere, & ſic introducere. Horum ſolutionem aperuit is, qui ſeni apparuerat, ſic dicens: Qui lignum quidem portant, ij ſunt qui propriæ confidentes iuſtitiæ, ad viam humilitatis omnem ſibi obſtruunt aditum: & ideò, vt foris maneant, & vt à regno cœlorum arceantur, ij ſibi cauſa ſunt. Qui verò fundit aquam in canalem perforatum, bona quidem facit opera, ieiunat, orat, benefacit: ſed cùm ea nolit ità facere, vt fiant ſolùm coram Dei oculis, ſed ſtudet etiam videri ab hominibus, & ideò fruſtrà operatur, & mercede quæ debetur, priuatur. Qui autem ligna ſcindit, & onus conficit, is eſt qui multis quidem grauatur peccatis. Pro eo autem, quòd ea deberet reſecare pœnitentia & diligentia, oſtenditur alia potiùs addere. Hæc dicens diuinus Arſenius, quodcunq; vitium, quod cuiq; auditorum afferebat moleſtiam, abſque vllo dolore & tacitè curauit. Non ſolùm autem hoc modo fictis perſonis conſueuit curare, ſed etiam quod verè ab alijs factum fuerat, tanquàm ab alijs factum narrabat, quandò ad vtilitatem redibat narratio, cuiuſmodi eſt ẽt illud.

Angelus ei oſtendit hominum opera & ſtudia.

XIV. Monachvs quidam ſenex (aiebat) qui vixerat in Scete, actione quidem vel valdè mirabilis, educatus autem in ſimplicitate & ignoratione, non mediocriter peccabat circa myſterium diuini ſacrificij. Dicebat enim ille & aſſerebat, quòd quem participamus diuinum panem, non eſt ipſum corpus Chriſti & Dei noſtri, ſed traditur in quadam figura & imagine. Quod quidem nonnulli alij ſenes, qui audiuerant, & ſenis propter hanc abſurdam opinionem miſerti fuerant, ad eum vadunt, alienam hanc ſententiam alicui attribuẽntes, & ei dixerunt: Audiuimus de quodam monacho, qui errabat in iudicio de ſacris myſterijs, & exiſtimabat illud nõ eſſe corpus Chriſti, ſed in illius figuram panem, qui ſumitur, benedici & tradi à ſacerdotibus. Ille autem nihil celans: Ego ſum, inquit, & in hac perſiſto ſententia, nec poſſum dimoueri. Illi verò non dimiſerunt, ſed multis & validis argumentis conati ſunt ſeni perſuadere, affirmantes illud ipſum eſſe Chriſti corpus: Similiter autem vinum quoquè, eius viuificum ſanguinem & intemeratum. Nam etſi, aiebant, eſſet panis & vinum, precum tamen inuocatione, & diuini aduentantis ſpiritùs benedictione, mutantur in illud ipſum corpus & ſanguinem Chriſti. Eſtq; caro & ſanguis Domini, qui à nobis ſumitur. Qua de cauſa ſacerdotem quoquè dicebant conuenienter voci Domini, ſcilicet illius perſonam ſubeuntem, dicere: Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt meus ſanguis. Quoniam enim difficiliter fieri poterat, vt qui ſumus homines, cruentam carnem ſumeremus inſtàr ferarum, quæ carnem crudam deuorant: prouidit ille ipſe, qui participatur, vt per ſimilem & conſuetum panem, in hoc ipſum corpus Domini non manifeſtè mutatum, perageretur ſacrificium. Vide enim quemadmodum etiam baptiſma eo quidem, quod appàret, eſt aqua · ſed precibus & ſacra operatione dignatum, diuino impletur ſpiritu, & deinceps non eſt aqua ſolummodò. Quomodò enim, quod regenerat & transformat eum, qui baptizatur, & reddit perfectè liberum à peccato? Cùm hæc & huiuſmodi alia dicta eſſent à ſenibus, ſurdo videbantur cani, quæ dicebantur. Ille enim adhuc erat incredulus, & exigebat ſolam ex rebus ipſis probationem. Cùm ergò videretur ſenibus abſurdum & admodùm ignaui puſillique animi, negligere ſenem, qui ſic labebatur præ ſimplicitate: ipſi & diligenter orabant, & illum pro ſeipſo orantem aſſumebant, ne tot labores & ſudores exercitationis fruſtà videantur ſuſcepti. Deinde cùm tranſîſſet dictum hebdomada, in templũ ſimul conuenêre. Cumq; ſacra perageretur myſtagogia, diuinusq; panis eſſet propoſitus, (ô tuam Chriſte potentiam & benignitatem) infans viſus eſt eodem tempore tribus ſenibus is panis, qui in ſacra menſa erat propoſitus Deinde cùm ſacerdos ad hoc, vt panem in fruſta diuideret, iam manum extendiſſet, viſus eſt eis Angelus, qui ſupernè deuolauerat, & gladium in manu habebat. Qui cùm propoſitum infantem ſacrificâſſet, deinde eius ſanguinem fundebat in calicem, & quandiù ſacerdos panem in parua fruſta frangebat, tandiù quoq; poterant videre Angelum ſecantem partes ex carne pueri. Cùm autem acceſſiſſet is, qui errabat ſenex, vt eſſet particeps ſacrificij, carnis mundæ & cruentæ apertè fuit particeps Hoc viſum ab illo ſene, & illius non ſanum correxit iudicium, & effecit, vt Deo offerret gratiarum actionem cum lachrymis: alijsq; ſenibus illius correctio fuit argumentum lætitiæ. Hoc narrauit pulchra lingua Arſenij, quod omnino productum fuit ad magnam vtilitatem eorum, qui audiebant.

Error ſenis monachi circa Euchariſtiam.

Sancti patres illum errorem confutant.

Nota hæretice, & crede tandèm corporaliter haberi Chriſtũ in Euchariſtia.

Senis error corrigitur.

XV. Cvm barbari autem aliquandò in Scete feciſſent excurſiones, alij quidem ex patribus conuerſi ſunt in fugam, & ea ratione euaſerunt ex manibus barbaricis: Arſenium autem nullus inuaſit metus. Quomodò enim, qui etiam ipſos ſuperabat dæmones, & erat eis formidabilis? Sed ſic manens in cella: Si meî, aiebat, Deus curam non gerit, cur nàm ego velim viuere? Sic dicẽs & ſentiens, ſurrexit & tranſijt p medios barbaros, & nihil mali paſſus, ſaluus euaſit: cùm eis nullum omninò ſui ſenſum dediſſet. Deindè cùm cogitâſſet hoc eſſe effecturum, vt fieret maior alijs, & maiorem aliam à Deo curam conſequeretur, màluit propter modeſtiam vnà fugere cum alijs. & ad eos abijt. Sed enim hic vir diuinus, etſi eſſet huiuſmodi, vt nulla res mala & abſurda eum vinceret, immò verò rebus bonis & ex virtute geſtis adeò eſſet plenus, vt ne verbis quidem poſſit exprimi: in eos tamen, qui labebantur, magna mouebatur miſericordia. Nam inter montis monachos erat fur quidam, qui & alia, quæ erant apta ad conſumendum, quinetiam ipſa vaſa auferebat aſſiduè. Arſenius autem eius malam miſeratus conſuetudinem, aſſumpſit eum in ſuam cellam, & apud eum multis vſus eſt admonitionibus: nec id ſolùm, verùm etiam eum conſolabatur, dando obolos & veſtimenta, cupiens eum hanc improbam dediſcere conſuetudinem. Sed tamen etſi multis admonitionibus, non ſecùs ac aqua Æthiops perfunderetur, erat tamen Æthiops, & nigredinem minimè exuërat. Furans enim rurſùs deprehendebatur, malam ſequens conſuetudinem. Ea de cauſa ſenes quoq; murmurabant aduerſùs diuinum Arſenium: Illorum, dicentes, debemus ferre infirmitates, qui ducuntur pœnitentia, & ſeipſos conferunt ad correctionem. Cùm autem credebatur, hunc eſſe immedicabilem, eum potiùs expellere oportet & procùl mandare: vt qui ſit valdè pernicioſus in cohabitatione. Atq; talis quidem erat Arſenij in peccantes miſericordia.

Magna S. Arſenij fiducia in Deum.

Eius humanitas in fratrem furacem.

XVI. Erat verò ei quoq; admodum grata quies & ſilẽntium, idq; tanto ſtudio ſectabatur, quanto aliquid aliud: vt iam ſæpe prius ſignificauit oratio. Ea de cauſa eorum, qui accedebant, ægre ferebat congreſſiones, cum Deo ſolo aſſiduè loqui deſiderans. Quocircà illius quoq; cella triginta milliaribus aberat ab alijs. Fratrem itaque quendam, qui procùl venerat neque ſciebat vbinàm habitationem haberet Arſenius, deinde ſciſcitatus vix eam inuenerat: poſtquàm eum ad ſe venientem magnus nouit Arſenius, cœpit petere lapidibus, & ità eum à ſe repellere:

Studioſiſſimus eſt ſilentij.

non

Frequentes viſitationes vitandæ à monachis.

non odio habens fratrem, vt dixerit aliquis, (Quis enim cum alijs illo ſe geſſit melius in charitate vtenda in proximum?) ſed quietem, vt dictum eſt, ſibi puram conſeruans, & per id indiuulſam contemplandi facultatem. Neque tamẽ hoc abſolutè faciebat, ſed ſciebat quoſnam quidem oporteret expellere, vt qui poſſent eius quietem interturbare: quoſnam autem admittere, & cum quibus conferre ſermonem: & quoſnam quidem admittere, ſed non cum eis colloqui, ſed inter eos exercere ſilentium: vt patebit ex ijs, quæ his ſunt poſita capitibus. Frater verò triſtis admodùm, quòd cum non potuiſſet conuenire, mentem quoquè putabat Arſenio eſſe læſam, & ideò eum etiam iaculari lapides. Cum ad ſe rurſùs alios venire reſciuiſſet, ſtatim dixit eis, qui vnà conuerſabantur: Interrogate eos, & diſcite quanam de cauſa venerint. Cùm vero interrogantes intellexiſſent eos ire Thebaidem propter aliquod ſuum negocium, & id renunciaſſent Arſenio, is veluti arrepta occaſione, nè interrumperetur ſilentium: Quoniam, inquit, non propter me venerunt, nec me, inquit, videbunt: ſed vbi ſe apud vos refecerint, deindè cœptum iter perſequantur. Quando autem propter barbarorum incurſiones deſerta fuit Scete, ipſe quoquè egreſſus eſt vnà cum alijs patribus: Perdidit, dicens, mundus quidem Romam, Scetem verò monachi. Hæc dicens, & lachrymas emittebat

Locorum mutationes exitioſæ monachis

ex oculis, & vehementer dolebat, ardens quietis deſiderio. Sciebat enim, quòd translationes, & ex alijs locis in alia tranſmigrationes, reuerà ſunt monachis ipſa mors, & eorum, quæ ex quiete compararunt, bonorum diſperſio & interitus. Sæpenumerò enim eos, quos nolunt, conueniunt, & vident quæ non oportet, & audiunt quæ non decet. Hoc autem pulchrè teſtatur Arſenij amor quietis. Nam cùm ille ad quoſdam acceſſiſſet monachos, prope quos erant quædam arundines, quæ vento leuiter agitabantur: Quænam, inquit, ô fratres, eſt hæc agitatio? Ei enim, qui verè amat quietem, ne paſſeris quidem vox eſt omninò tolerabilis. Quomodò ergò vos, qui talium motuum ſonitu conturbmini, purè poteritis quieſcere.

NEC hoc quoq; eſt minus teſtimonium Arſenij, quòd ille quietis & ſilentij magno teneretur amore, & ſimul XVII.
etiam puritatis ac ſynceritatis cogitationum. Nam cùm ipſe circa Canopum verſaretur, (eſt autem hoc vnum ex ſeptem oſtijs Nili) venit Roma quædam mulier, ex ijs nata, qui erant ordinis ſenatorij, valdè quidem diues, & valdè etiam pia ac religioſa. Aduentùs autem eius ſcopus & inſtitutum erat, vt videret Arſenium, & ſimul quidem, vt

En quam fugit etiam Senatoriæ fœminæ colloquiũ.

aſſequeretur vtilitatem, & ſimul eum benignè ac liberaliter, Dei iuſſa ſequendo, acciperet. Ipſa Archiepiſcopum Theophilum, qui eam hoſpitio exceperat, enixè rogabat, vt ſancto perſuaderet, vt eam ſuis dignaretur oculis. Ille ergò iuit, & accedens vehementer rogauit. Is verò non ſuſtinuit, etiamſi Archiepiſcopus præter alia quæ adduxit, vt ei perſuaderet, illius quoquè longæ viæ laborem propoſuiſſet, & ſic ſcilicet tentaret flectere Arſenium. Non tulit hoc mulier Senatoria. Eam enim incitabat fides, quam habebat in ſanctum, & deſiderium. Labore certè, & pudore, & omnibus deſpectis, iter ad eum inijt, volens videre. Cùm ergò acceſſiſſet ad ſanctum, qui agebat extra cel-

Durè eam accipit.

lam, ſe ad eius pedes deijcit. Is vero ſurrexit iratus, & ſtans ante eam. Si vis, inquit, meam videre faciem, eam adſpice. Metus autem, qui eam inuaſit cum pudore, ne permiſit quidem, vt eum fixis intueretur oculis. Deindè rurſùs adiecit: Non audiuiſti vtiquè mea opera: & ideò ad nos veniendi te cepit deſiderium. Quomodò autem auſa es tantam ſuſtinere nauigationem, & huc venire? Neſcis te eſſe fœminam, & non licere tibi egredi: Sed hoc, inquit, tibi, vt videtur, venit in mentem, vt rurſùs Romam reuertaris, & alijs ſignifices mulieribus, te vidiſſe Arſenium, & deinceps mare impleas mulieribus, ad nos venire nunquàm ceſſantibus. Illa verò: Non ſinam, inquit, ô pater, Deo mihi opem ferente, huc vllam venire mulierem Sed nè ceſſes, quæſo, pro me orare, & meî meminiſſe. Is verò dixit:

Nota hoc reſponſum.

Consolatur eam Archiepiſcopus.

Deum magis oro, inquit, vt tuî memoria de meo corde deleatur. Hoc cùm audijſſet illa mulier, graui animi dolore eſt affecta, eamque inuaſit febris, & ſtatuit reuerti Alexandriam Quod quidem vbi veniſſet ad aures Archiepiſcopi, venit quam ocyſſimè ad eam viſitandam. Deindè cùm rogaſſet, & ſciuiſſet quænam eſſet morbi cauſa, eam placidè & leniter eſt aggreſſus, dicens: Non oportebat te ità cruciari ijs, quæ audieras. Non erant enim verba odij, ſed cautionis & puriſſimæ temperantiæ. Neque enim ignoras, qualia ſoleat malignus bella ſuſcitare propter mulieres ijs, qui Deo ſeruire conſtituerunt. Quod ergò tibi dixit ſenex, ideò dixit. Nam ille quidem non ceſſabit aſſiduè orare pro tua anima. Cùm his verbis mulieris curatus eſſet dolor, ea domum eſt reuerſa. Par eſt autem admirari huius ſancti cautionem & diligentiam. Non eſt enim incredibile, mulierem à maligno ſubmiſſam, tantum laborem contempſiſſe, & ad eum veniſſe, prætextu quidem benedictionis, ſed reuerà cauſa belli & tentationis. Is eſt enim mos illius, vt cùm per bonitatem irrepſerit, ſuggerat quæ mala ſunt. Qua de cauſa fuit ille Sancti cum ira fremitus, & preces, vt è corde ſuo illius deleretur memoria.

EST autem hoc quoquè lepidum, & præclaræ humilitatis Arſenij certum ſignum, atque etiam non paruam XVIII.
afferens vtilitatem. Scete enim ſenes dicebant, quòd cùm aliquandò à quodam viro bono facta fuiſſet fratribus caricarum diſtributio, ſolus remanſerit Arſenius, qui nihil acceperit, non ex obliuione, vt dixerit quiſpiam, nec ex contemptu: ſed potiùs, quòd is qui diſtribuebat, erubeſcebat huius viri dignitatẽ, non ſolùm, quæ olim, ſed potiùs

Magna humilitas.

quæ erat hodiè, tam vili largitione proſequi. Quod cùm magnus ille audijſſet, ægre tulit, & ne venit quidem ad ſynaxim. Significauit autem ſenibus, ſe omninò non fuiſſe dignum, vt ipſe conſequeretur cum alijs fratribus benedictionem: & ideò ſolum fuiſſe relictum. Quod quidem ſignificatum ſenibus, iniecit magnam admirationem eius humilitatis. Mittunt ergò Arſenio partem, quæ ad ipſum pertinebat. Quam cùm accepiſſet, & eiecit dolorem, & ſtatim venit ad ſynaxim. Nemo autem ex ijs, qui ſunt procliues ad reprehenſionem, id omninò aut gulæ tribuat, aut puſillo & abiecto animo, quòd propter caricas tantum dolorem acceperit, vt ne ad ſynaxim quidem accederet. Vbi enim ſunt hæc parua Arſenij, & quæ ijs conueniunt, qui ſunt puſilli animi? Sed ſunt, vt dictum eſt, ſigna extremæ humilitatis. Se enim ne minimùm quidem putabat alijs antecellere, ſed eſſe vnum ex multis, vel, vt magis verum dicatur, eſſe omnium vltimum: & ideò tanquàm Dei iudicio deſpectus, & eo reputatus indignus, oſtendit ſe angi a-

Admiranda eius inedia.

nimo, quòd donum commune non eſſet aſſecutus. Sed nec ſumma illius in ieiunio tolerantia, inter cætera illius bona prætermittatur. Dicebant enim Daniel, & alij, cum quibus ille verſabatur, eum inediam euſquè protraxiſſe, vt vnum frumenti thallium (oportet enim his vti patrijs nominibus) ei totum annum ſufficeret. Nam aduenientibus aliquibus, tunc dixerunt eum fuiſſe huius alimenti participem. Cùm eſſet autem tempus fructuum, ſolebat ex eis ſolùm guſtare. Simul quidem hoc faciens, vt Deo ageret gratias, & ſimul etiam, vt ſe demitteret. Dixerunt autem

Nunquàm eſt ocioſus. Ferè perpetuò eſt in precibus.

hoc quoquè, qui res Arſenij ſciebant accuratiſſimè, eum nunquàm viſum fuiſſe ocioſum: ſed quandò vel paulùm ceſſaſſet à precibus, quæ fiebant diù & noctù, operabatur. Opus autem eius erat catenæ, quæ per ramos palmarum contexebantur: Cùm in eo paululùm fuiſſet occupatus, reuertebatur rurſùs ad orationem. Aqua autem, qua palmarum ramos madefaciebat, vt fierent molliores, quæ nunquàm ab illo mutabatur, ſed ſic diù manebat, corrumpebatur, maleque olebat, & tetra erat adſpectu: adeò vt quidam ex patribus ſenem rogarent, cur hoc faceret, & ei

Contraria ſunt contrarijs cur[illegible]

Summa eius paupertas.

exprobrarent ſocordiam. Is verò: Cùm, inquit, ſuaueolentia & aromatibus priùs ſim vſus, odoratûs damnum modò corrigo contrarijs. Quomodò verò tetrum odorem prioribus vnguentis & bonis opponebat odoribus: ità etiam ſuperfluis poſſeſſionibus, quod eſt inſtàr magnarum diuitiarum, nempe nil poſſidere, & nihil omninò habere: adeò vt cùm aliquandò ægrotaret, & lucerna opùs haberet, quoniam nihil habebat, quod pro ea emenda ſolueret, petitum acceperit, & ità emerit, quod erat ſibi vſui.

AD

XIX. Ad hunc virum admirabilem acceſſit aliquis ex patribus, nomine Marcus, virtute ſummus, qui diligenter rogauit: Num bonum eſt, dicens, nullam in cella habere conſolationem? Vidi enim, inquit, quendam ex fratribus, qui parua quædam, quæ habebat, olera, ipſa quoquè euellebat radicitùs. Is autem bonum quidem eſſe aſſeruit, ſed ſi omninò referatur ad virtutis habitum, atque adeò ad vniuſcuiuſque menſuram. Niſi enim perfectiorem habitum fuerit conſecutus, etiamſi illa euulſerit radicitus, is rurſùs plantabit alia. Cæterùm qui virtute & vi diſcernendi erat ſummus Arſenius, viſus eſt etiam poſtquàm ad vitam acceſſiſſet monaſticam, veluti quaſdam apud ſe ſeruare reliquias aulicæ arrogantiæ & ſuperfluitatis. In ſedendo enim ſublimem vnum tenens ex pedibus, imprudens ſæpe imponebat alteri. Quod quidem à Græcis dicitur ſedere ἀνακλάδην id eſt, ſurſùm erectis pedibus. Hoc viſum à patribus, nequaquàm videbatur eſſe contemnendum: ſed potiùs eum eſſe eius opportunè admonendum, vt id corrigeret. Sed magna viri dignitas & reuerentia eos abducebat ab eo, quod ſtatuerant. Poſtquàm autem hoc quoquè nouit monachus Paſtor, qui erat prudentia ſimul & virtute incomparabilis, vide quàm ſapienter illius excogitat remedium. Cùm ego, inquit ad monachos, acceſſero ad ſynaxim, & vobiſcum conſidens, ſedero in eodem habitu, vobis adſpicientibus videatur hæc res non toleranda: ſed ſtatim procedatis ad me reprehendendum: & ego ſtatim cedam, & vt qui perperàm in hac re me gerã, me corrigã. Quod quidẽ factũ cùm diuinus intellexiſſet Arſenius, & mente citò agnoſſet; demiſit pedẽ, & deincèps omninò abſtinuit à turpi hac ſeſſione. Sed vide mihi virum egregium, qui indecorum hunc habitum non ſolùm in ſeipſo correxit, ſed alios quoque, qui vel quòd non aduerterent, vel, vt meliùs dicam, quòd imbecilli eſſent, ità ſe gerebant, prudenter ſimul & iucundè correxit. Monachum enim Alexandrum, (erat autem hic quoquè clarus inter monachos) cùm quodam aliquandò dolore teneretur, contigit ſeipſum ſupinum porrigere, & ità iacere victum à doloribus. Ad quem poſteà accedens Arſenius: Quis erat, inquit, ille mundanus, quem pauloantè hîc vidi porrectum ſupinum? Is autem: Et quandò, inquit, eum vidiſti? Diuinus verò Arſenius: Cùm, inquit, de monte deſcenderem. Ipſe eram, dixit Alexander. Sed ignoſce mihi, inquit: dolore enim victus, ſic me collocaui, quàm potui ſcilicet honeſtiſſimè. Moderatè autem ſubridens Arſenius (erat enim Alexander ei familiaris) Satis ergò, inquit, veriſimiliter exiſtimaui, mundanum eſſe eum, qui iacebat porrectus.

Quoſdam aulicos ſibi reſeruauit mores.

Paſtor Abbas mira arte corrigit eos.

XX. Fratrem quendam ceperat deſiderium videndi Arſenij. Cùm itaque veniſſet in eccleſiam, rogabat, vt magnum illum videret. Illi autem: Paululum, inquiunt, reficere, & paulo pòſt eum alloqueris. Is verò contendebat, niſi eum videret in præſentia, ſe æque cibum eſſe omninò ſumpturum, neque ſomnum viſurum. Mittunt itaque ex fratribus vnum, cellam indicaturum. Longè enim aberat, vt iam prius diximus. Et ambo quidem pulſant oſtium. Cum autem aperuiſſet Arſenius, introduxit & ſalutauit. Deindè verò ſederunt, vtentes ſilentio, nihil neque ipſis Arſenium, neque Arſenio ipſos alloquentibus. Cum ergo multum præteriſſet temporis, & nullum verbum ſenex ederet, qui datus fuerat ad cellam oſtendendam: Sed ego, hoſpiti inquit, reuertor. Et ille: Ego quoquè, inquit, te ſequar: fruſtrà enim hîc mora trahitur. Ambo ergò egreſſi, receſſerunt. Rogauit autem hoſpes fratrem, vt eum deduceret ad Moyſem Æthiopem, qui prius fuerat latro. Venientes vero accepit admodum hilariter, & excepit hoſpitio, & liberè admodum cũ eis eſt collocutus, refecitq́; & ſic remiſit. Dicit ergo frater hoſpiti: Quis ex duobus tibi eſſe videtur virtute ſuperior? Ille vero: Qui nos, inquit, hoſpicio accepit & refecit. Auditum eſt hoc à quodam ſene, qui erat ex magnis. Is cum eſſet dubius animi, nec poſſet ſcire, cuinam daret calculum victoriæ, rogauit Deum, vt id ſibi ſignificaret. Videt ergo in ſomnis duas naues, quæ ferebantur in fluuio: quarum altera quidem habebat diuinum Arſenium, qui quietè nauigabat, & Dei fouebatur ſpiritu: Altera vero Moyſem, & Angelos Dei, qui vnà verſabantur, melleque & fauo eum paſcebant. Cognouit ergo qui viderat, ambos quidem eſſe maximi precij apud Deum, ſed maius eſſe ſilentium Arſenij Moyſis hoſpitalitate: quod cum Arſenio quidem verſabatur diuinus ſpiritus, cum Moſe autem Angeli. Ipſum autem paſci ab Angelis, tacitè ſignificat bonum hoſpitalitatis.

Fratri cupidè illum inuiſenti nihil loquitur.

Secùs facit Abbas Moyſes vterq; tamẽ benè.

XXI. Ægrotanti vero aliquando admirabili Arſenio, ſacerdos eccleſiæ vile ſubſtrauit ſtragulum, & capiti quoque puluinar ſuppoſuit propter morbi afflictionem. Cum autem vnus ex ſenibus veniſſet ad illum viſitandum, & illum ſic vidiſſet vtentem ſtragulis & puluinari, ei dubitatione commotus eſt animus. Quod cum deprehendiſſet ſacerdos, & eum ſeorſum abduxiſſet: Qualis, inquit, erat vita tua, priuſquàm eſſes Monachus? Ille vero: Magna, inquit, me premebat inopia rerum neceſſariarum, egeſtatiſque mala me cruciabant. Cui ſacerdos: Sed hic, inquit, quem vides, Arſenius, erat pater Imperatorum, quando erat adhuc in vita mundana, magnaſque habebat opes, & abundabat delicijs, iacebatque in ſamptuoſis & mollibus ſtragulis. Quocircà tibi quidem, qui nunc es inter monachos, eſt facilior vita, & minus obnoxia moleſtiæ, vt qui ſis à prioribus liberatus anguſtiis. Qui autem ex tantis diuitiis & deliciis ſua ſponte venit ad tantam humilitatem, & nunc eam ſuſtinet, quomodo non eſt dignus, qui habeatur in admiratione? Hæc cum audijſſet & intellexiſſet ſenex, & ſeipſum condemnauit, & petijt veniam à ſacerdote, propterea quod non rectè cogitâſſet.

Senex monachus malè ſentiens de Arſenio, corrigitur.

XXII. Alexandria venerunt quidam aliquando viſuri beatum illum, qui tunc in petra Stromes degebat. Cum quibus erat etiam patruus, Theophili Archiepiſcopi. Is autem partim quidem quòd tunc ægrotaret: partim vero, ne alij quoquè ſimilia poſtulantes, eius quietem interturbarent, non proceſſit eis obuiàm venientibus. Illi quod factum fuerat, ducebant eſſe contumeliam, ſtatimque receſſerunt. Poſteà vero, barbarorum facta incurſione, illinc tranſiens, habitauit in inferioribus partibus. Quod vbi reſciuit Theophili patruus, venit rurſum eum viſurus. Is vero eum excepit cum magna voluptate & lætitia. Vnus autem ex ijs, qui cum ipſo erant, in animo habens eam, quæ eis viſa fuerat, illius magni veluti contemptionem: Scis, inquit illi, nos prius veniſſe in Stromem, cum tu illic ageres? Tu autem, neſcio quanam de cauſa, tuum nobis offerre adſpectum noluiſti. Certè, inquit: Sed vos & panem comediſtis, & aquam bibiſtis. Ego autem nihil horum. Quomodo enim? qui nec ſedere quidem ſuſtinui, donèc conieci vos perueniſſe in locum proprium, propterea quod laborem propter me paſſi eſſetis. Cæterum ſic vos quoque mihi ignoſcite. Sic diuinus Arſenius non abſolutè & indiſcriminatim eos, qui accedebant, videbat, & non videbat, ſicut prius dictum eſt: ſed pia conſideratione, & diuino quodam iudicio. Cæterum eorum quoque, qui ſic reuertebantur, & nec eum viderant, nec conuenerant, magnam habebat rationem: vt nunc oſtendit ex hac ſuî excuſatione ad eos, qui non viderant.

Non vult videri à patruo Theophili Epiſc. Poſteà hilariter eum excipit.

XXIII. Nec hoc quoquè exiſtimo carere gratia & vtilitate. Is cum ſuos diſcipulos aliquando vocâſſet Alexandrum & Zoilum: Quoniam, inquit, dæmones & alijs, & ſomni cupiditate non ceſſant me vexare, ſuſtinere vnà mecum hac nocte laborare, & noſſe quemadmodum in vigilando ipſe à ſomno ſuperor. Illius ergo iuſſu, cum ei aſſediſſent, vnus quidem à dextris, alter vero à ſiniſtris, ſic permanſerunt tacentes, & oculos in eum alternatim defigentes à veſpera vſque ad aurorám. Qui quidem alijs declarauerunt, dicentes: Nos quidem viciſſim & dormiuimus, & ſurreximus: illum autem non ſenſimus omnino dormitâſſe, donec vidimus ſplendorem lucis. Circa auroram vero præ ſe tulit ſe ſomno cedere: ſi quidem re vera erat ſomnus. Cognouimus eum ter ſpuâſſe, deindè eum ſic ſurrexiſſe & rogâſſe: Dormitaui certè? Cui nos: Neſcimus quidem, pater. Ità Arſenij omnia erant maiora, quam aut oratio, aut cogitatio ea poſſet aſſequi. An enim volens docere diſcipulos, vt ſe à ſomno continerẽt, an potius docere,

Nota vigilias eius.

quod

Digitized by Google

quòd meditatiò & exercitatio dat etiam naturales vincere affectiones, tunc eos aduocauit teſtes ad vigilandum, nunc mittit dicere oratio. Apertum eſt autem hoc indicium, vel potiùs veluti quidam guſtus totius virtutis Arſenij, & eius, quæ ei cum Deo intercedebat, coniunctionis & familiaritatis.

Accessit ad eum quidam ſenex, volens eum conuenire, & ab eo aliquam vtilitatem conſequi. Quoniam XXIV.
autem incluſum inuenit Arſenium, & manentem quietum, non pulſauit quidem oſtium, nè ei eſſet moleſtus: ſed per minimam adſpiciens feneſtram, videt ſanctum totum igneum. Omninò autem is quoquè, qui conſpexit, fuit dignus eiuſmodi ſpectaculis. Cùm verò ille poſteà pulsâſſet oſtium, egreditur Arſenius: cumq; eum vidiſſet obſtupefactum, rogauit: Quantum eſt, inquit, tempus, ex quo huc veniſti? num quid adſpexiſti? Ille verò negauit. Sed quod iam quidem dictum eſt, eſt in ſumma teſtimonium ſummæ virtutis Arſenij, ſicut diximus. Quod nunc autem dicendum eſt, apertè declarabit, quantùm ille mundum eſt auerſatus, & ea quæ ſunt mundi, & quòd ipſe, vt dicit Paulus, mundo erat crucifixus, & ei mundus.

Totus igneus videtur.

Galat. 6.

Venit Roma quidam ex magiſtrianis, afferens teſtamentum cuiuſdam ex ijs, qui erant genere proximi Arſe- XXV.
nio. Hoc cùm in manus ſumpſiſſet ſenex, erat rupturus, niſi occupans magiſtrianus, & ſe ad illius pedes deijciens, eum retinuiſſet, docens id futurum periculo ei, qui attulerat. Reddito ergò teſtamento Arſenius: Ego, inquit, ante illum ſum mortuus, & non ſum ampliùs inter viuos. Obſtupefaciet autem, ſat ſcio eum, qui eſt auditurus, id quod iam eſt dicendum. Dicitur enim, quòd cùm veſperè inciperet orare, & poſt ſe ſolem dimitteret occidentem, ſic tota nocte ſtaret, donèc Sol rursùs oriens eius vultui illuceſceret. Vanæ gloriæ contemptio, amorque quietis & ſilentij, vtriſque inerat, Arſenio admirabili, & Theodoro, qui ſe Pherinæ exercuit. Sed in aditu ad ipſos, maximè autem nobiliorem, Arſenio quidem nec citus, nec facilis erat occurſus: Theodoro autem citus quidem erat occurſus, ex æquo autem citus etiam receſſus. Cùm aliquandò fuiſſet propè fluuium admirabilis Arſenius, & iam eſſet nauigaturus, quædam mulier Æthiops apprehendit eius pellem ouillam. Cùm is autem eam grauiter & acerbè reprehendiſſet, illa: Si monachus es, inquit, Arſeni, vade ad montem. Quod quidem verbum non affert nullam alijs vtilitatem. Hoc quoquè cauit Arſenius admirabilis, vt neque in ſcriptis proponeret quæſtiones, neque mitteret: non quòd non poſſet, (Quomodò enim, cui eſſet tam facile rectè dicere, quàm dicere alijs tantummodò?) ſed ſilentij aſſuefactio & odium oſtentationis, erant cauſa eorum, quæ dicta ſunt. Et ideò & in eccleſijs. & in congregationibus hoc diligenter agebat, vt nec alios videret, nec ipſe videretur ab alijs: ſed ſtabat, & ſe abſcondebat, vel poſt aliquam columnam, vel poſt aliquod proiectum, & ſe ſeparabat ab aliorum congreſſione, vt qui ſibi vellet perpetuò attendere, & mentem interiùs cogere, & itá ad Deum facilè tollere. Mos autem erat Arſenio, hoc ſibi carmen aſſiduè canere: Arſeni, cur egreſſus es? Quod eſt: Quis fuit tuus ſcopus, vt te à mundo ſubduceres? An non, vt omninò Deo placeres, non autem ijs, quibus ille te nouit placere? Huius rei curam gere. Quinetiam aliud quoquè ab eo cani ſolebat: Me ſæpè pœnituit dixiſſe, nunquàm autem tacuiſſe.

Totus eſt mundo mortuus.

Odit oſtentationem.

Quid monacho aſſiduè cogitandum.

Cvm autem hic vir inſignis teneretur amore beatitudinis lugentium, & conſolationis, quæ eſt eis promiſſa, XXVI.
non ceſſauit omninò ſeipſum lugere, & hoc perpetuò facere, & abſque vlla intermiſſione. Quocircà gremio ſuo ſuberat pannus, quo abſtergebat lachrymas, quæ fluebant ex oculis. Quinetiam cùm Paſtor, qui erat inſignis inter monachos, hoc adſpiceret, dixit: Beatus es Arſeni, quòd cùm in hoc mundo teipſum luxeris, non opus erit eis, quæ illic erunt, lachrymis. Cuius etiam dicunt Theophilum, qui fuit Epiſcopus Alexandriæ, cùm vita excederet, fuiſſe recordatum, & dixiſſe: Beatus es Arſeni. Nunquàm enim ceſsâſti huius horæ recordari. Hæc ſunt diuini Arſenij magnæ reuerà animæ, quæ in hodiernum vſque diem habebant libri patrum, non certo ordine & ſerie, ſed poſita ſparſim & ſeparatim, vt hic quidem huius, ille verò illius recordabatur: in vnum autem collecta, & quæ vita Arſenij eſſent & nominarentur, in hodiernum vſque diem nondùm vidimus: quoniam ne inuenta quidem eſt illius vita ab vllo compoſita, etiamſi nunc ſit compoſita vnius viri pij, & qui erat eiuſdem nominis. Et hoc quoquè fortè factum eſt ex ſententia Arſenij, quod nollet ſe ne poſt mortem quidem fieri manifeſtum. Etenim ſicut dum viueret, ſtuduit latere: itá etiam, vt mortuus ignoraretur, ſtudium adhibuit. Quomodò enim ſe dignum cenſuit, cuius fieret memoria, & qui apertè cognoſceretur, qui ne iuſta quidem ſepultura ſe dignum eſſe ſtatuit? Vt iam eſt narratura oratio.

Matth. 5.

Perpetuò lachrymatur.

Voluit non ſolùm in vita latere, ſed etiam poſt mortem.

Nam cùm tempus appropinquaret ſui ad Deum exceſsûs, prædicit hoc ſuis diſcipulis. Cùm ij autem eo ſer- XXVII
mone fuiſſent perculſi, & commoti ad luctus & lachrymas, pater, non ſecùs ac pater, miſertus doloris filiorum: Non ſic, inquit, ô filij. Nolite iam puſillo & abiecto animo, & tam turpiter lamentari. Nam nec tempus quidem propè eſt: & quandò appropinquârit, de eo ego vos reddam certiores. Sed hoc vobis mando, & diligenter præcipio, vt poſt mortem nulli velitis vllas meas dare reliquias. Sin minùs, ſcitote quòd vobiſcum contendam in iudicio ante Chriſti tribunal formidabile. Cùm autem illi dixiſſent, Et quid ergò nobis, & quomodò eſt faciendum? Alligato, inquit, fune meis pedibus, ſic me ſtatim trahentes, properate in montem abducere. Sic ille vel poſt mortem effugit cognoſci & omninò dignus cenſeri nomine. Veritus fortaſsè, nè honor, qui hîc offerretur, iudicaretur eſſe remuneratio: & ſic illic minuerentur mercedes, quæ præbentur à Deo. Poſtquàm autem iam adfuit tempus tranſlationis, licuit videre illum ipſum, qui erat pauloantè vel Angelis virtute ſimilis, metu pulſari & opprimi, & ad lachrymas effundendas moueri. Rogantibus ergò diſcipulis, Et tu pater times mortem? Reuerà, inquit, hic metus, quo nunc me vides affici, nunquàm omninò à me receſſit, ex quo factus ſum monachus. Hoc cùm dixiſſet, & præſentibus patribus quàm fieri potuit iucundiſſimè, quæ in exitu dici ſolent, verba eſſet elocutus, ſanctorum Angelorum manibus verè beatam tradidit animam, cùm vixiſſet quidem inter monachos quinquagintaquinque annos, omnes autem centum & viginti, nulla parte corporis vllo morbo mutilatus, ſed id habens integrum, & propter continentiæ labores firmum & ſaniſſimum, promiſſa barba vſque ad ventrem, gracilior verò & ex abſtinentia, & ex laboribus, quibus ſe exercuit: procera quidem ſtatura corporis, ſenio autem paululùm incuruatus: multis verò lachrymis ei effluxerant pili ſuperciliorum. Atque mortuum quidem corpus in ipſis, quibus fuerat indutus, veſtibus, cilicio, inquam, & pelle ouilla eius diſcipuli, cùm pſalmos pro more cecinisſent, in quodam loco Stromes depoſuerunt. Pro tali ergò vita & tantis laboribus, quænam & quanta reddetur merces? etiamſi dictum ſit à ſapienti Paulo: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad eam, quæ eſt beatis reddenda, beatitudinem.

Vide eximiam viri perfectiſſimi humilitatē.

Sub mortē metuit.

Decedit è vita valdè grandæuus.

Veſtes eius quales fuerint.

Rom. 8.

Hvivs vitam, quicunque vult ex Deo vitam agere, ſtudeat quoàd eius fieri poteſt, habere tanquàm exem- XXVIII
plar, & maximè quicunque ſunt relati in ordinem monachorum. Huius tenuitatem, & vtenſilium impedimentorumque omnium vacuitatem, quietem, taciturnitatem, vanæ gloriæ fugam, à ſomno abſtinentiam, in laboribus ferendis diligentiam: mundum itá auerſari, vt ne dolorem quidem, vt ſemèl dicam, ſuſtineret eorum, quæ ad hanc vitam pertinent: mortis itá meminiſſe, vt ne ſe putaret quidem viuere, ſed ſe iam referret inter mortuos: adhærere Chriſto per dilectionem, & ſub ipſo viuere, & eum omnia ducere, eum & habere patronum, & ad Deum aduocatum. Qui multis capti ſunt peccatis, & Deum ad iram concitauerunt, & per pœnitentiam ſibi volunt eum reddere propitium, confugiant ad benignum, humanum ac miſericordem, vt qui apud ipſum magnam ſibi parauit cõiunctionem & familiaritatem. Etenim hic curſum peregit martyrij, non eius quod concedit vnus ictus gladij, ſed quod perficiunt

Vita monaſtica verum eſt martyrium.

quin-

quinquagintaquinque anni ſudorum & laborum, & non dicto citius impleti. Eo factum eſt, vt martyricis quoque coronis & præmiis dignus fuerit habitus: Cuius interceſſionibus nos quoq; mereamur conſequi remiſſionem peccatorum, Chriſtique benignitatem & clementiam, cuius miſericordia melior eſt ſuper vitas: Quem decet omnis gloria, honor & adoratio nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. *Pſalm 62.*

Plura de S. Arſenio qui volet, legat Vitas Patrum recognitas à P. Heriberto Roſvveydo S. I. libro 3. §. 37. & ſeq. & libro 5. libello 11. §. 5. e. item libello 18. §. 1. e. denique libro 7. cap. 18 & 34.

VITA BEATÆ MACRINAE VIRGINIS, SORORIS D. GREGORII NYSSÆ PONTIFICIS, PER EVNDEM SCRIPTA, PETRO autem Franciſco Zino Veronenſi interprete.

An. 360.
Eſt Epiſtola eius ad Olympium monachum ſcripta Ivlii 19.

I. HOc quidem voluminis genus ex inſcriptione epiſtola videtur eſſe: ſed eius longitudo modum epiſtolæ ſuperat, & iuſtam libri complectitur magnitudinem. Me tamen rei, quam vt literis conſignarem, impetaſti, defendit argumentum. Eſt enim maius & vberius, quam vt epiſtolæ terminis concludi poſſit. Omnino conſuetudinis illius oblitus eſſe non debes cum ad vrbem Antiochi congreſſi ſumus, quo tempore petebas Hieroſolymam, vt monumenta Chriſti peregrinationis, dum in carne eſſet, inuiſeres, eorumq; ſermonum, quos variis de rebus inter nos contulimus. Neque enim congreſſus ille tacitus eſſe potuit, cum prudentia tua multiplicem colloquendi occaſionem ſubiiceret. Inter diſputandum igitur, vt in eiuſmodi congreſſionibus fit, in mentionem probæ cuiuſdam mulieris incidimus Si tamen ex natura mulier à nobis appellanda eſt, quæ naturæ conditione præſtantior fuit. Non autem ex alienis ſermonibus narrationi fidem faciebat oratio: ſed diligenter ea, quorum experientia magiſtra fuerat, perſequebatur, & nihil fere alieno auditus teſtimonio confirmabat. Neq; enim virgo, quâ de verba faciebamus, genere nobis erat peregrina, vt quæ admirabilia de illa dicenda erant, per alios cognoſcere nos oporteret: ſed eiſdem orta parentibus, quippe quæ tanquam fructus primitiarum ex materno vtero prima pullulauerat. Quoniam igitur bonorum hiſtoriam eſſe frugiferam cenſuiſti, ne vitæ illius virginis, quæ ad humanæ virtutis faſtigium per ſapientiæ ſtudium peruenit, exemplum poſteros lateat, neve ſine fructu ſilentio tranſeat inuolutum, mihi faciendum exiſtimaui, vt tibi parerem, & incompoſita ſimplicique oratione vitam eius quam breuiſſime poſſem, explicarem.

En quam antiquum, peregre proficiſci religionis ergo.

II. Macrinæ virgini nomen erat, ſic à parentibus appellatæ, quod olim inſignis quædam in noſtra familia Macrinà fuerat, patris noſtri videlicet mater, quæ tempore perſecutionum pro Chriſti confeſſione pugnauerat. Hoc quidem vulgato nomine à familiaribus vocabatur, ſed arcanum & reconditum alterum habebat nomen, quo per viſum fuerat inſignita prius, quam in lucem à matre per dolores ederetur. Nam ipſa quoque mater ea virtute erat, vt conſilio Dei ſeſe in omnibus regeret, puramque & integram viuendi rationem inprimis diligeret, adeo vt non ſponte, ſed inuita quodammodo nupſerit. Etenim quum vtroque parente orbata, in ipſo eſſet ætatis flore, famaque pulchritudinis multos, vt eam ſibi vxorem cuperent, incitaret, & periculum eſſet, niſi volens in matrimonio cuipiam collocaretur, ne per vim aduerſi aliquid ei contingeret: (Nam eius forma capti, ad rapinam ſpectabant) vt ſaluti conſuleret, vitæ grauitate ſpectatum commendatumque virum elegit, primoque partu huiuſce facta eſt mater. Verum cum pariendi tempus inſtaret, ſomno conſopita, manu geſtare ſibi viſa eſt id, quod adhuc intra viſcera continebat, & quendam humana ſpecie, & forma auguſtiorem intueri, qui Theclæ nomine filiolam appellauit, Theclæ, inquam, illius, inter martyres celeberrimæ. Id autem cum ter repetens teſtatum reliquiſſet, diſceſſit. Ea vero ſtatim ſomno ſoluta eſt, & partu facile leuata, vt & ſomno ſimul excitata ſit, & quod in quiete viderat, effectum inſpexerit. Arcanum igitur nomen hoc illi fuit. Videtur autem mihi is, qui per quietem apparuerat, eam vocem pronunciaſſe, non tam, vt quo nomine appellanda eſſet, indicaret, quam vt ſimilitudine nominis idem oſtenderet viuendi ſtudium & inſtitutum.

Macrina cur ſic appellata.
Mater S. Macrinæ admodum religioſa de qua 29. Maii.
Viſio eius.

III. Edvcatvr ergo puellula, & quanquam propria illi nutrix aderat, tamen in manibus fere matris enutriebatur. Cum autem infantiæ ætatem eſſet egreſſa, docilem admodum naturam in perdiſcendis puerilibus illis inſtitutis præ ſe tulit. Quicquid enim ei diſcendum parentes iudicabant, in eo puellæ ingenium excellebat. Studebat autem mater, vt filia quidem erudiretur, ſed non iſta tamen externa diſciplinarum ſerie, qua plerumque ex poëtarum lectione primæ diſcentium ætates imbuuntur. Turpe enim & indecorum prorſus exiſtimabat, vel tragicis fœminarum perturbationibus, vnde ſcribendi principia & argumenta poëtæ ſumpſerunt, vel comœdiarum fœditatibus, vel pudendis eorum, qui tot ærumnas ad Ilium pertulerant, factis tenerum & bene formatum animum infici, & minus grauibus de fœminis narrationibus quodammodo coinquinari. Proinde quæ ex diuino ſpiritu dictata ſcriptura primæ illi ætatulæ faciliora aptioraq; videbantur, diſcenda proponebat. Cumprimis autem Sapientiam Salomonis, idque ex ea potiſſimum, quod ad vitam & mores maxime conducebat. Erat etiam pſalmorum haudquaquam ignara, præfinitamq; eorum partem ſtatutis temporibus percurrebat. Nam ſiue ſurgeret è lectulo, ſiue ad ſtudia accederet, ſiue diſcederet ab eis, ſiue cibum ſumeret, ſiue à menſa recederet, ſiue cubitum ſe conferret, ſiue ad precandum exurgeret, ſemper vt bonam, ſeque nullo tempore deſerentem comitem, pſalmorum habebat cantilenam.

Macrina quibus ſtudiis applicuerit animum ad huc puella.

IV. Dvm his & ſimilibus inſtitutis educatur, manumque tractanda lana excellenter exercet, ad duodecimum ætatis annum peruenit. Quo quidem tempore iuuentæ flos mirifice ſplendere cœpit, &, quod admiratione dignum eſt, quamuis celaretur puellæ pulchritudo, latere tamen non potuit. Nec in patria quicquam æque admirabile videbatur, atque forma & venuſtas illius, vt ne pictorum quidem manus eius decorem aſſequerentur: & quæ ars nihil non machinatur & effingit, maxima quæque audens, & ipſorum etiam imagines elementorum imitatione exprimens, ea illius formæ felicitatem imitari non poſſet. Quamobrem magnum iuuenum, nuptias eius ambientium, examen parentes circumſtabat. Pater autem, qui ſane quam prudens, & in rebus honeſtis diiudicandis expertus erat, quendam tum genere, tum moribus honeſtum probatumque adoleſcentem reliquis prætulit, eique ſi ad ætatem perueniſſet, filiam deſpondit. Interim ille magnam de ſe expectationem concitare, in iudiciiſque reos defendendo egregiam dicendi facultatem præ ſe ferre, atque ita patri puellæ tanquam gratum dare ſponſalium munus. Quam tamen præclaram ſpem interrupit inuidia, eum vitæ in ipſa miſeranda ſurripiens adoleſcentia.

Præſtans forma eius.
Deſponſatur vni adoleſcenti honeſtiſſimo.
Sponſus eius obit.

V. Qvæ autem à patre ſtatuta fuiſſent, puella non ignorabat, nam adoleſcentis obitu cognouit conſilium patris. Itaque iudicium illius connubium vocans, tanquam id, quod pater decreuerat, effectum eſſet, in reliquum vitæ tempus apud ſe manere conſtituit, In ſententiaque permanſit conſtantius, quam ab illa ætate poſtulabatur. Etenim cum ſæpenumero parentum ad eam deferrentur ſermones, propterea quod multi erant, qui fama pulchritudinis eius adducti, illam ſibi cuperent vxorem adiungere: abſurdum & iniquum eſſe dicebat, ſibi non permitti, vt illud coniugium coleret, quo ſemel à patre deuincta eſſet: ſed ad alterum cogi reſpicere, cum vnum natura ſit matrimonium, quemadmodum vnus ortus & vna mors. Eum vero, cui à parentibus fuiſſet deſponſa, non eſſe mortuum contendebat, ſed ſpe reſurrectionis Deo viuere. Quapropter eum ſe non obiiſſe, ſed peregre profectum eſſe iudicare, & nefas fore, ſi peregrinanti ſponſo fidem non ſeruaret. Eiuſmodi rationibus repellens eos, qui ſibi perſuadere conabantur, decreuit in eo, quod ſibi propo-

Reſpuit plane coniugium.

Digitized by Google

Eius pietas & obſeruãtia in matrem. Et matris erga filiam affectus.

ſi erat, perſtare, ac ne momento quidem temporis à latere matris vnquam diſcedere. Quamobrem ei ſæpe dicebat mater, ſe reliquos liberos in vtero tempore quodam præfinito geſſiſſe, illam vero perpetuo in viſceribus ſuis quodammodo circumferre. Filiæ tamen conuictus, nec laborem matri, nec damnum afferebat. Quin etiam officioſa eius ſedulitas multarum ancillarum inſtar erat, & mutua quædam inter eas vigebat remuneratio. Siquidem altera cuſtodiebat animum filiæ, altera corpori matris inſeruiebat, eique in reliquis officiis omnibus miniſtrabat, vt propriis etiam manibus matri panem præberet: Quæ tamen illi præcipua cura non erat. Sed poſteaquam ſacris officiis ſatisfecerat, exiſtimans id ſuo vitæ inſtituto conuenire, ex labore ſuo matri victum ſubminiſtrabat. Idque non ei ſolum ab ea, ſed tribus præterea principibus præſtabatur: quoniam eius poſſeſſio in tot gentibus diſſeminata erat.

Cum igitur mater variis curis diſtringeretur: (pater enim iam naturæ conceſſerat) in omnibus laboribus matri ſe VI.
ſociam præbebat, & ſolicitudinum partem ipſa ſubiens, eam graui moleſtiarum onere leuabat. Simul autem & matris diſciplina vitam ab omni reprehenſione integram ſeruauit, cum in eius oculis ſemper ageret, eiuſdemque teſtimonio probaretur: & ſe viciſſim ei magnam ad parem philoſophiæ ſcopum exemplo vitæ ſuæ ducem præbuit, paulatim ipſam ad puriorem perfectioremque vitam trahens. Cum autem reliquæ ſorores honeſtè collocatæ eſſent à matre, à publicis literarum gymnaſiis, in quibus diu verſatus fuerat, reuertitur Magnus Baſilius, ipſius Macrinæ frater: quem illa, ſcientia & eloquentia vehementer elatum exiſtimans, omneſque deſpicientem dignitates, & faſtu ſuperantem eos, qui in magiſtratu eſſent, tanta celeritate ad idem ſapientiæ ſtudium incitauit, vt mundi poſthabita claritate, deſpectaque eloquentiæ gloria, laborioſum hoc operoſumque viuendi genus per paupertatem perfectam amplexus, expeditam ſibi ad virtutem viam ſtruxerit. Cæterum illius vita ac inſtituta, quibus in omnibus orbis partibus quæ illuſtrantur à Sole, celebratus, gloria ſua ſplendorem omnium virtute illuſtrium obſcurauit, longam ſcriptionem & multum temporis deſiderant. Quapropter illuc, vnde digreſſa eſt, noſtra reuertatur oratio.

Macrina Baſilium Magnum ad ſtudium perfectionis incitat.

Cum ipſa à ſe omnem turbulentioris vitæ materiam amputaſſet, perſuaſit matri, vt relicta priſtina vitæ conſuetu- VII.
dine, elatioreque viuendi modo, quas are ſubditas, & ancillas ad vſus proprios adhibuerat, ſecum eiuſdem ſortis atque ordinis eſſe vellet, atque vna cum illis vitam cum virginibus traduceret. Sed narrationis filum volo parumper intermittere, ne rem, qua ſublimitas virginis magis declaratur, ſilentio tranſeamus. Ex quatuor fratribus is, qui ſecundum Baſilium natu maximus erat, Naucratius vocabatur, iuuenis eximiis tum ingenii, tum corporis dotibus præditus. Nam & pulchritudine, & robore, & celeritate, & habilitate quadam ad omnia peragenda reliquis præſtabat. Qui cum vigeſimumſecundum ætatis annum confeciſſet, dicendoque publice tale ſtudiorum ſuorum ſpecimen dediſſet, vt omne audientium theatrum ipſius admiratione commoueretur, diuina quadam prouidentia magno mentis impetu ductus, ſpretis omnibus, quæ in manibus habebat, ad ſolitariam & inopem vitam ſe contulit, nihil ſecum præter ſeipſum ferens. Secutus eſt eum è domeſticis vnus, Chryſaphius nomine, qui & illum diligebat, & eodem vitæ ſtudio tenebatur. Nactus igitur ſeceſſum quendam propter Iridem (Eſt autem Iris fluuius, qui per mediam Ponti prouinciam labitur, ortus principium ab ipſa ducens Armenia, per regionemque noſtram influit in Pontum Euxinum) Apud hunc fluuium nactus adoleſcens locum quendam, denſis nemoribus conſitum, & collem dorſo præcelſi montis ſuperextenſo reconditum in eo procul ab vrbanis tumultibus, omnibuſque tum militiæ, tum iudiciorum perturbationibus & ſtrepitu conſtitutus, vitam agebat, ſeque ab illis moleſtiis quibus humana vita vexatur, liberans, ſenes quoſdam ſimul viuentes, egeſtate & morbo laborantes curabat, ſtudium & negocium illud putans à ſuo viuendi inſtituto non abhorrere. Venando igitur (quoniam ad omne genus venaticæ induſtriæ ſolertiſſimus erat) victum ſenibus quæritabat, & his laboribus pariter domabat adoleſcentiam: nec ob id alacri animo maternæ voluntati parere deſinebat, ſi quid ab ea aliquando mandabatur, duplici ſtudio recte vitam inſtituens, vt & labore feruorem ætatis extingueret, & obſequendo matri, recta via ad Deum per diuina mandata contenderet.

Naucratius frater Macrinæ, inſignis iuuenis, vitam cõplectitur ſolitariam. Eum ſequitur Chryſaphius.

Senes morbidos & inopes ſuſtentat labore ſuo.

Sic igitur philoſophans, & vita ſua matrem beatam reddens, quintum annum exegerat, cum & temperantia pe- IIX.
ctus inſtrueret, & totis viribus matris obſequeretur voluntati, quando miſeræ dolis, vt opinor, aduerſarii graue & tragicum vulnus inflictum eſt, quod calamitate & mœrore totam familiam affecit. Repente enim adoleſcens vitæ ſurripitur, non morbo aliquo, aut ſolita vlla ratione, immatura morte ſublatus: ſed cum ad venationem profectus eſſet, qua induſtria ſenio confectis illis victui ſuppeditabat neceſſaria, mortuus domum reportatur vna cum illo ipſo ſocio, & in omni via coniunctiſſimo Chryſaphio. Procul autem aberat mater, trium dierum itinere ab ea remota calamitate. Quæ licet in omni genere virtutis perfecta eſſet, tamen cum tam acerbum nuncium à quodam accepiſſet, natura, vt par eſt, ſuperante, collapſa exanimataque, tantum non ſimul cum voce ſpiritum amiſit. Ratio enim doloris magnitudine victa, ſuccubuit, ipſaq; veluti generoſus quidam athleta improuiſo vulnere afflicta iacuit. Hîc magnæ Macrinę virtus apparuit. Quæ non ſolum ſe inuictam atque erectam ſanauit, verum etiam matris imbecillitatem fulſit atque ſuſtinuit. Nam animum eius grauiſſimo caſu deiectum excitans & recreans inuicto robore ſuo, ad fortitudinem & tolerantiam inſtituit. Sic igitur tandem mater dolori reſtitit, nec indignum aut effœminatum quippiam admiſit, vt vel vociferaretur, vel pallium ſcinderet, vel eiularet, vel luctuoſis clamoribus lamentationes intenderet. Sed ratione ſenſim impetus naturæ depulit, tum propriis tum filiæ conſiliis, ægritudini medicinam afferentibus. Tunc enim maxime virginis animus excelſus & ſublimis extitit. Etenim quamuis in ea vim ſuam natura exerceret, (Erat enim frater, & fratrum chariſſimus, qui tam acerbo genere mortis extinctus fuerat) tamen natura ſublimior facta, rationibus ſuis matrem ſubleuabat, exemploque ſuo ad patientiam & virtutem erudiens perficiebat, vt dolore ſuperior exiſteret. Quanquam & eius vita virtute ſemper excellens, nullum ſinebat eſſe tempus quo mater propter mœſtitiam potius angeretur, quam præſenti bono gauderet.

Obit Naucratii & ſocii eius.

Macrinæ plane maſcula virtus.

Cum igitur iam & nutriendorum liberorum cura, & educationis atque collocationis eorum eſſet ſolicitudine li- IX.
berata, & moleſtiæ domeſticæ maiore ex parte inter ipſos filios diuiſæ forent: author, vt dictum eſt, matri virgo fuit, vt ad ſapientiæ ſtudium & puram viuendi rationem ſeſe conferret, eamque à reliquis omnibus rebus, & priſtina conſuetudine ad propriam humilis abiectæque vitæ moderationem adduxit, vt in ea virginum multitudine eadem cum illis conditione viueret, vnaque menſa, ſimili lectulo, pari denique & æqua rerum omnium, quæ ad vitam pertinent, ratione vteretur, omni ex ipſarum vita dignitatis differentia ſublata. Quamobrem talis erat vitæ ordo, tantaque in ſapientiæ ſtudio præſtantia, & tam grauis viuendi diſciplina, vt nulla deſcribi poſſit orationis facultate. Quales enim ſunt animi, qui corporis vinculis ſoluti moleſtiiſque liberati, ex hoc vitæ carcere auolauerunt: talis erat earum vita, quippe quæ ab omni rerum humanarum vanitate aliena, ad Angelorum vitæ ſimilitudinem proxime accedebat. Non ira, non inuidia, non odium, non ſuſpicio inter eas cernebatur: omnis honoris, gloriæ & aliarum id genus inanium rerum cupiditas, omnis faſtus & ſuperbia, & reliqua ſimilia vitia inde reiecta erant. Delicias ſuas in temperantia collocabant: gloriam ſuam in eo putabant ſitam, quod notæ eſſent nemini: diuitias, quod nihil poſſiderent, quodque terrenas omnes copias tanquam puluerem à corporibus ſuis excuſſiſſent. Nullum autem non inane ſtudium eſſe ducebant, quod in hac vita curanda colendaq; poneretur. Sola illic rerum diuinarum vigebat cura, perpetuumque precandi ſtudium, & aſſidua pſalmorum decantatio, quæ nullo vnquam tempore, nec die, nec nocte, intermittebatur: vt in ea re & opus ipſarum pariter, & quies conſiſteret. Quænam igitur humana dicendi vis hanc viuendi rationem explicare queat? Erat ipſarum vita inter humanam cœleſtemque naturam interiecta, vtriuſque particeps, vtrique finitima. Etenim quatenus ab huma-

Perſuadet matri, vt agat monaſterium

Nota ſanctimonialium miram ſanctitatem

Digitized by Google

ab humanis perturbationibus ſe vindicarat, hominis conditione præſtantior erat. Quatenus autem in corpore cernebatur, & hominis continebatur figura, & ſenſuum inſtrumentis vtebatur, Angelicæ & corporis experti naturæ cedebat. Auſit forſitan aliquis etiam non inferiorem eſſe contendere. Quandoquidem cum carne viuentes, ad ſimilitudinem vacantium corpore Poteſtatum, onere corporis non premebantur: ſed excelſa & ſublimis erat earum vita, quippe quæ alto erectoque animo cum cœleſtibus illis Poteſtatibus verſabantur. In hoc viuendi inſtituto non paruo tempore vixerant, cum aſſiduis inuentorum bonorum acceſſionibus, ſapientiæ ſtudium augentes, ad maiorem animi munditiam appropinquarent.

In carne ſpiritualiter viuere angelicum eſt.

X. Ad hunc autem tam præclarum ſcopum aſſequendum magno erat adiumento frater quidam, eodem ex vtero editus, qui Petrus appellabatur, in quo pariendi dolores finierat mater. Hic enim vltimus à parentibus ſuſceptus eſt filius. qui ſimul & natus, & orbus fuit. Quo enim tempore ipſe in lucem edebatur, pater è vita deceſſit. Hunc, quæ inter liberos erat natu maxima, qua de inſtituta hæc eſt oratio, paulo poſt eius ortum ab vbere nutricis ſublatum, ipſa ſtatim enutriit, excellentique diſciplina educauit, ſacris inſtitutis à puero ipſum erudiens adeo, vt nihil ocii conceſſerit, quo poſſet ſtudiis inanibus vacare. Nam illi ſe patrem, & magiſtrum, & cuſtodem, & matrem, & ad optima quæque conſultricem, præbuit: talemq; reddidit, vt antequam excederet è pueritia, in tenero illo ætatis flore ad excelſum philoſophiæ gradum aſcenderit. Ea quidem erat ingenii bonitate, vt ad omnia artium genera, etiam quæ manibus exercentur, perdiſcenda natus eſſe videretur. Quare nullo duce perfectam eorum peritiam eſt aſſecutus, quæ cæteri multo tempore, & labore diſcunt à præceptoribus. Is ergo ſtudiorum externorum occupationes aſpernatus, & ingenium ad omnes bonas diſciplinas percipiendas aptum habens, ſemperque reſpiciens ad ſororem, quam ſibi tanquam totius boni ſcopum propoſuerat, eos ad virtutem progreſſus fecit, vt in reliqua vita Magno Baſilio virtutis præſtantia nihilo inferior fore iudicaretur. Tunc autem ſorori & matri erat inſtar omnium, & vna cum illis ad angelicam illam vitam contendebat.

Petrus à Macrina ſorore educatus, & ſtudiis ſacris inſtitutus, non profanis.

Nota, ingenuus quæ fuerit magiſtro.

XI. Cvm autem quodam tempore graui laboraretur inopia & fame, multique fama beneficentiæ excitati, vndique confluerent ad eum receſſum, quem incolebant, tantum induſtria ſua cibariorum pauperibus ſubminiſtrauit, vt aduentantium frequentia locus ille non ſolitudo videretur eſſe, ſed ciuitas. Interim ſenex admodum mater, in vtriuſq; filii manibus moriens, migrauit ad Deum. Cuius, quæ benedictionis vox fuerit illius, qua erga liberos vſa eſt, commemorare non erit alienum. Nam cum de abſentibus ſingulatim amanter mentionem fecit, vt nullus eſſet expers benedictionis: tum præcipue præſentes ipſa precibus ſuis obtulit Deo. Etenim cum ei ex vtraque parte lectuli aduerſi aſſiderent, altera manu vtrumque tangens, hiſce verbis poſtremis Deum allocuta eſt: Tibi, Domine, & primitias & decumam dico fructuum vteri mei. Primitiarum enim locum hæc mihi obtinet primogenita: decumæ vero, extremus hic decimus filius. Tibi autem lege vtraque debentur, & tua ſunt munera. In hanc igitur primogenitam meam, & hunc decimum veniat ſanctimonia: oratione perſpicua deſignans filiam & filium. Ita benedictioni ſimul & vitæ finem ſtatuit, cum prius mandaſſet filiis, vt ſe in ſepulchrum paternum inferrent. Id illi, vt iuſſi fuerant, cum præſtitiſſent, in reliquum tempus ad ſapientiæ faſtigiū, ſemper cū anteacta vita pugnantes, & præterita benefacta poſterioribus ſuperare ſtudentes, contendebāt.

Petrus multos alit pauperes.

Moritur eorum mater circa An. 369 inter manus Macrinæ & Petri.

XII. Interea inſignis inter ſanctos Baſilius, magnæ Cæſareæ declaratus eſt antiſtes, & myſticis ſacrificiis ſuis [a] fratrem conſecrans, ad ſacram preſbyterii dignitatem prouexit. Atque hic ruſus eius vitæ curſus ad grauiora ſanctioraque dirigebatur, cum ſacerdotii dignitas, ſapientiæ ſtudio coniuncta, cumularetur. Poſt autem annis octo tranſactis, & nono inchoato, per totum orbē celeberrimus Baſilius ab hominibus ad Deum conceſſit, communē patriæ & Eccleſiæ luctus occaſionem præbens. Hanc calamitatem cum ad Macrinam rumor detuliſſet, animo illa quidem non potuit in tanto detrimento non commoueri. (Qui enim ſororem non tangeret dolor, quo ipſi quoque inimici afficiebantur?) Attamen vt aurum diuerſis aiunt fornacibus explorari, vt, ſi primam euaſerit, in altera diiudicetur, & ruſum in extrema omnes eius materiæ commiſſæ ſordes eleuantur: exquiſitum autem optimi auri indicium eſſe, ſi per omnes tranſiens, nihil emittat ſordium: ſic ei contigit, vt variis moleſtiarum caſibus explorata, præſtantiſſimi illius animi probitate, nihil vſpiam in ea [illegible]didi, nihil adulterini reperiretur. Ac primo quidem periculum factum fuerat in obitu alterius fratris: deinde in [illegible] funere, quando commune generis decus Baſilius deceſſit. Stetit igitur tanquam inuictus pugil, nulla calamitatum impetu labefactata. Erat poſt hanc iacturam nonus menſis, aut paulo amplius, cum Epiſcoporum concilium indictum eſt Antiochiæ, cui nos item interfuimus. Sed poſtquam domum quiſque ſuam diſceſſimus, antequam annus præteriret, mihi Gregorio cupiditas incidit, vt ſororem inuiſerem. Magnum enim interceſſerat temporis interuallum, quo mutuo inter nos conſpectu non potueramus frui, prohibentibus tentationum moleſtiis, quas ab hæreſis principibus patria pulſus, vbique ſuſtinueram. Nam dimetienti mihi temporis ſpatium, quod interim fluxerat, dum eiuſmodi perturbationibus congreſſus noſter impeditur, octo plus minus annorum videbatur. Cum igitur multum itineris iam confeciſſem, nec amplius quam vnius diei via reſtaret, viſio mihi per quietem manifeſtum eorum, quæ tandem euentura, indicium oſtendit. Videbat enim mihi manibus geſtare martyrum reliquias, ex quibus ſplendor elucebat, qualis è lucido ſpeculo, ſi aduerſo ſoli opponatur, egreditur: quo quidem luminis fulgore oculi mei perſtringebantur. Hoc autem viſum mihi ter occurrit eadem nocte, nec plane, quid portenderet, conii cere poteram. Solicitus itaque animo agitabam, obſeruabamque, vt eius ſignificationem exitu iudicarem.

[a] Petrum Baſilius fit Cæſareæ Epiſcopus, an. 369 iuxta Baron. Emoritur An. 378 I. Ianuarii.

Concilium Antiochenum.

Gregorius Nyſſenus multos [illegible] ab hæreticis paſſus.

Eius viſio.

XIII. Cvm iam ad receſſum, in quo illa angelicam cœleſtemque vitam degebat, appropinquans, familiarium quendam interrogaui primum de fratre, an adeſſet: quo reſpondente, illum quarto iam die diſceſſiſſe cognoſcens, cum altera nobis via prodiiſſe obuiam, tum etiam de magna illa percontatus ſum. Cumque ille reſpondiſſet, eam morbo quodam laborare: maiore incenſus ſtudio, quod reliquum erat viæ, feſtinanter arripui. Nam timore etiam quodam perterritus animus, futurum præſagiebat. Sed cum ad locum accederem, conuentus hominum (fama enim me iam adeſſe fratribus prænunciauerat) ex locis, in quibus habitabant, ad nos confluxit. Nam honoris gratia amicis obuiam procedere conſueuerunt. At virginum chorus ad eccleſiam modeſte noſtrum aduentum expectabat. Verum cum feciſſemus & precandi, & benedicendi finem, atq; illæ inclinato prius capite benedictioni, honeſte diſcedentes abiiſſent ad loca ſua, nec vna quidem earum apud nos relicta eſſet, facile id, quod erat, conieci, non eſſe inter eas ipſarum ducem: & præcedente quodam atque oſtium aperiente, ſacram illam domum, in qua inerat illa magna, ingreſſus ſum. Vehementer autem tum ægrotabat. Neque vero in lecto, aut ſtrato quopiam, ſed humi quieſcebat, ſubiecta ſacco tabula, & altera caput eius ſuſtinente tabula, quæ puluinaris loco inſigni figura collum eius ſubibat, & ceruicem ipſius in ſe decore recipiebat.

Epiſcopalis benedictio antiquitus vſitata.

Nota lectū & puluinar Macrinæ.

XIV. Cvm igitur vidiſſet me prope fores eſſe, ſeſe in cubitum erigens, accurrere illa quidem non potuit, (nam febri deſecerant vires) ſed tamen ſolo manus affigens, ſeque, quantum poterat, ex humili lectulo promouens [illegible]norem habuit, quem mihi obuians præſtare non poterat: ſed ego accurrens, manibuſque ſuſcipiens, humi deiectam excitaui, & cubili ſolito reſtitui. Hic illa manibus ad Deum ſublatis: Gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus, qui & hoc mihi largitus es, nec quod optabat animus meus, ei denegaſti: ſed impuliſti ſeruum tuum, vt me tuam ancillam inuiſeret. Ac ne quam animo moleſtiam adſpergeret, gemitum molliebat, & celare difficultatem ſpirandi conabatur, ſeque ad hilaritatem omni ratione reuocabat, iucundi ſermonis & ipſa quærens occaſionem, & nobis interrogationibus ſuis materiam præbens. Sed cum ſeries ipſa ſermonis nos ad mentionem de Baſilio perduxiſſet, mihi quidem commotus eſt animus, & præ mœſtitia vultus concidit, & ex oculis lachrymæ defluebant. At illa tantum abfuit, vt eadem perturbatione nobiſcum deiiceretur,

Macrinæ fortiſſimus animus.

ceretur, vt ex Baſilii memoria ſublimioris philoſophiæ materiam arripiens, ea diſputarit, rerum humanarum cauſas exquirens, & occultam in rebus aduerſis prouidentiam Dei dicendo aperiens, & quæ pertinent ad vitam futuram, tanquã diuino ſpiritu afflata, percurrens, vt animus meus dictis illius excitatus, & oratione in cœleſtibus adytis conſtitutus, extra naturam hominis poſitus eſſe videretur. Ac quemadmodum Iob, vt in eius hiſtoria legimus, quamuis totum corpus, vlceribus vndique putreſcentibus, ſanie contabeſceret, ſenſum ad dolorem ratiocinando non demittebat: ſed corpore quidem ſentiebat dolorem, animo vero ad propriam actionem nihilo factus erat imbecillior, nec ſermonem altioribus de rebus inſtitutum interrumpebat: ſic in magna illa cernebam. Etenim licet febris omne robur ipſius exiccaſſet, & corpus eius tanquam rore quodam frigefaciens, ad mortem compelleret: mentem tamen expeditam, & tanquam morbo illæſam, in rerum ſublimium contemplatione detinebat. Quod niſi vererer, ne in immenſum oratio protraheretur, ordine cuncta perſecutus eſſem, quomodo dicendo prouecta ſit, vt & de hominis animo diſputaret, rationemque vitæ huius in carne percurreret, & quem ad finem homo, & quomodo mortalis, & qua de cauſa immortalis, & quæ hinc ad alteram vitam reſolutio. Quæ quidem omnia, tanquam vi ſpiritus rapta, ſapienter diſtinctéque declarauit, oratione ipſius facile tanquam aqua ex aliquo fonte defluente, & ſine vllo impedimento per pronum delata.

Iob 1. &c.

In moribun[d]o eius corpore mirabilis animi vis.

XV. Facto autem dicendi fine, Tempus eſt, inquit, pater, vt pauliſper quieſcas, & corpus cures: quippe qui de via longa feſſus ſis. Ego autem quamuis in eius adſpectu & ſermone tam grauibus de rebus vehementer vereque conquieſcerem: tamen, quoniam ſic ei gratum erat, ne non in omnibus magiſtræ parerem, in hortis proximis gratum quoddam diuerſorium inſtructum nactus, ſub arbuſtorum vmbra quieſcebam: ſed nullam ex rebus iucundis poteram oblectationem percipere, cum animus intus rerum triſtium expectatione premeretur. Nam eorum, quæ per quietem adſpexeram, ænigma ex præſentibus explicari videbatur. Spectaculum enim propoſitum, vere Martyris ſancti reliquias referebat, quæ peccato quidem mortuæ, inhabitantis ſpiritus gratia ſplendeſcerent. Et hæc cuidam eorum, qui ante ſomniũ meum audiuerant, expoſui. Cum autem demiſſiore animo triſtia expectaremus, illa neſcio quomodo cogitationes noſtras coniiciens, miſit qui lætiora denunciaret, iubens nos bono eſſe animo, & meliorem de ſe ſpem concipere, ſenſiſſe enim morbum in melius verti. Hæc autem non ad nos decipiendos dicebantur, ſed ex vero, licet eo tempore nos id ignoraremus. Reuera enim tanquam curſor aliquis aduerſario ſuperato, & iamiam ſtadii metam attingens, & ad præmiũ appropinquans, victoriæq; coronam adſpiciens, tanquam voti iam compos effectus ſit, lætatur, ſibique & amicis lætum victoriæ nuncium affert: ſic illa quoq; affecta, meliora de ſe iubebat ſperare. Iam ſupernæ vocationis præmium ſpectans, ac tantum non illa Apoſtoli verba de ſe etiam dicens: De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex, quandoquidem bonum certamen certaui, & curſum conſummaui, & fidem ſeruaui.

2. Tim 4.

XVI. Ad bonorum igitur nuncium recreati ſurreximus, vt iis præſentibus frueremur. Erant autem hæc varia, & lætitiæ plenus apparatus. Nam huculque ſtudio Magna illa deſcenderat. Verum cum rurſus in eius conſpectum veniſſemus, non permiſit inaniter tempus conſumere: ſed à pueritia ſua memoriam eorum repetens, quæ contigerant, tanquam de ſcripto omnia recenſebat, neque illa prætermittens, quæ de parentum noſtrorum vita recordabatur, quæque vel ante vel poſt ortum meum euenerant. Narrationi autem is erat propoſitus finis, vt Deo gratias ageret. Ipſorum enim parentum vitam, non tam opibus claram & illuſtrem, quam diuina benignitate auctam cumulatamque demonſtrabat, cum propter confeſſionem Chriſti, patris genitores fuiſſent oppugnati atque vexati: auum autem maternum indignatio regia ſuſtuliſſet, omniaque illius bona aliis dominis diſtribuiſſet. Attamen adeo per fidem creuiſſe, vt eo tempore nullus eis clarior extiterit. Rem autem familiarem, quamuis pro numero liberorum multiplici ratione fuiſſet diuiſa, tamen eum cumulum diuina clementia ſuſcepiſſe, vt parentum opes, ſingulorum filiorum ſors ſuperauerit: ſibi autem ex æqua in fratres partitione reliquum fecisse nihil, ſed omnia manibus ſacerdotis diuino mandato diſpenſaſſe, & Deo ſuppeditante talem ſibi fuiſſe vitam, vt neque tunc iuxta præceptum manibus deſierit laborare, neque ad hominem vnquam reſpexerit, aut in cuiuſquam beneficentia honeſte viuendi ſpem collocauerit. Quinetiam vt nunquam petentes repulerit, ſic dantes nunquam quæſiuiſſe: cum Deus occulta quadam ratione paruos labores ſuos tanquam ſemina ad fructum multiplicem benignitate ſua perduceret. Sed cum proprios ego labores, quos ſuſtinueram, recenſerem: primum, cum à Valente Imperatore propter fidem fuiſſemus in exilium pulſi: deinde, cum eccleſiarum perturbatio nos ad certamina & ſudores euocaret: Non deſines, inquit illa, diuinorum beneficiorum immemor eſſe ingrati animi vitium non cohibebis? non comparabis parentum rationibus tuas? Atqui ſi quantum pertinet ad hanc vitam, ea re gloriamur, quod claro genere nati & honeſtis orti parentibus ſumus, pater quidem illis temporibus & iuuenis eatenus floruit, vt inter ciues & in iudiciis eius gloria conſiſteret. Poſt autem eruditio quidem ipſius ſe longius extulit, fama tamen Pontum non eſt egreſſa. Satis enim illi fuit in patria clarum eſſe. Tu autem, inquit, ciuitatibus, populis, nationibus celebris es. Te ad ferendum auxilium, te ad res conſtituendas eccleſiæ mittunt, & Dei munus non adſpicis? nec talium bonorum cauſam agnoſcis? Parentum enim preces te ad hoc faſtigium tollunt, nihil aut perexiguum ad eam rem opis habentem domeſticæ.

Eius ſub mortem memorabilis narratio.

Gregorius Nyſſenus à Valente pulſus in exilium.

XVII. Hæc illa cum perſequeretur, diem equidem produci longius optabam, ne dulci ſermone aures noſtras deſiſteret oblectare: ſed cantantium vox me ad gratias agendas veſpertinas vocabat. Quamobrem cum me ad eccleſiam dimiſiſſet, rurſum Magna illa precibus ad Deum acceſſit. Ac nox quidem ita tranſacta eſt. Cum autem diluxiſſet, mihi quidem ex indiciis manifeſtum erat, diem illum ei huius vitæ terminum fore, cum quicquid in natura virium inerat, febris conſumpſiſſet. Sed illa cogitationis noſtræ reſpiciens imbecillitatem, præclaris illis ſermonibus effundens, quod reliquum erat afflictæ animæ, in ſumma ſpirãdi difficultate nos à triſtiore ſpe abducere conabatur. Tum vero animus meus præſenti ſpectaculo variis afficiebatur modis. Nam & natura ipſa me, vt par eſt, ad mœſtitiam impellebat, cum non ſperarem amplius me talem vocem auditurum, ſed quamprimum communem gloriam noſtri generis ex humana vita migraturam putarem, & mens ex iis, quæ videbat, erat tanquam numine afflata, eamque vere ex communi natura exceſſiſſe arbitrabatur. Etenim cum extremum quidem ſpiritum duceret, in ſpe migrationis nihil noui ſentire, neque timere in ipſo vitæ exitu: ſed animo excelſo de hac vita iudicantem, quoad animam ageret, philoſophari, mihi non hominis amplius videbatur, ſed cuiuſdam Angeli, qui diuina prouidentia formam ſubiiſſet humanam, nec vlla cognatione aut neceſſitudine cum hac vita mortali coniunctus eſſet: atque ita nihil indecorum admittens, ſine perturbatione permaneret, carne ad proprias affectiones non attrahente. Itaque mihi videbatur diuinum illum & purum ſponſi cœleſtis amorem, quem in animi arcanis abſconditum aluerat, tunc iis, qui aderant, oſtendere, & cordis affectionem indicare, ad eum, quem deſider[illegible]r, feſtinans, vt corporis vinculis liberata, celeriter illum conueniret. Vere enim ad virtutem curſum intendebat, cũ nihil eorum, quæ iucunda ſunt in hac vita, oculos eius ad ſe conuerteret.

Nota hæc de veſpertinis precibus.

In ipſo mortis agone vt ſe geſſerit.

XIIX. Iam maxima diei pars præterierat, & ſol ad occaſum appropinquabat. At illa mentis alacritatem non remittebat: ſed quo magis ad exitum appropinquabat, eo clarius ſponſi intuens pulchritudinem, maiore feſtinatione ad amatum contendebat, non amplius nos præſentes, ſed illum ipſum alloquens, quem defixis oculis contemplabatur. Nam lectulus eius ad Orientem vergebat. Deſinẽs igitur nobiſcum loqui, precibus deinceps loquebatur cum Deo, manibus ſupplicans, & tenui voce ita ſubmurmurans, vt quæ dicebantur, mediocriter à nobis exaudirentur. Talis autem erat precatio, vt dubium nõn eſſet, quin funderetur ad Deum, & ab illa Deus audiretur. Tu, inquibat, Domine, mortis metum

Digitized by Google

metum nobis abſterſiſti. Tu effeciſti, vt huiuſce vitæ finis, veræ nobis eſſet principium vitæ. Tu noſtra corpora ad tempus ſomno tradis, ruſumque è ſomno ſuſcitas extrema tuba. Tu terram noſtram, quam manibus formaſti, tanquam depoſitum terræ committis, & quod ei dederas, rurſum repetis, quod in nobis mortale atque deforme eſt, immortalitate & gratia decorans. Tu nos ab execratione peccatoque liberaſti, vtrunque pro nobis effectus. Tu draconis capita colliſiſti, qui per voraginem contumaciæ faucibus hominem corripuerat. Tu portis tartari confractis, & debilitato, qui mortis habebat imperium, nobis ad reſurrectionem aditum patefeciſti. Tu ad hoſtis perniciem, & vitæ noſtræ ſecuritatem dediſti ſignum metuentibus te, notam ſanctæ Crucis. Æterne Deus, cui addicta ſum ex vtero matris, quem ex totis viribus dilexit animus meus, cui & carnem & animum ab adoleſcentia mea ad hoc vſque tempus conſecraui: Tu mihi adhibe angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerii, vbi quietis eſt aqua, in ſinus ſanctorum Patrum. Tu qui flammeum fregiſti gladium, & paradiſo reddidiſti hominem, qui tecum cruci ſuffixus erat, & ad miſericordiam confugerat tuam, memento etiam mei in regno tuo. Siquidem & ego crucifixa ſum tecum, configens timore tuo carnes meas, & ab iudiciis tuis metuens. Ne ſeparet me chaos illud formidandum ab electis tuis. Ne impediat inuidus iter meum. Ne repetiantur ante oculos tuos peccata mea, ſi propter naturæ infirmitatem collapſa, aut verbo, aut opere, aut cogitatione peccaui, condona id mihi tu, qui habes in terra dimittendi peccata poteſtatem, vt refrigerer, & in corporis ſpoliatione ante conſpectum tuum inueniar non habens maculam in forma animi mei. Sed ſine reprehenſione & labe ſuſcipiatur animus meus in manibus tuis, tanquam incenſum in conſpectu tuo. Hæc dicens, oculis, & ori, & cordi Crucis ſignum appoſuit. Lingua vero paulatim febri penitus exiccata, verba amplius non exprimebat, & vox implicabatur. Quare ſola labiorum dilatatione, & manuum motu, eam precationi incumbere cognoſcebamus.

Precatio eius in ſupremo ſpiritu conſtitutæ
Gal. 3.
2. Cor. 5.
Pſalm. 73.
Luc. 23.
Nota antiquiſſimum morẽ Crucẽ ſe conſignandi.

XIX. Cvm interim veſper aduenisſet, & lumen illatum eſſet, illa oculorum orbem explicans, & ad ſplendorem reſpiciens, ad veſpertinam gratiarum actionem pronunciandam promptum animum præ ſe ferebat: ſed voce deficiente, corde & manuum motione propoſito ſatisfaciebat, & ad interiorem affectionem labra commouebat. Abſoluta autem gratiarum actione, manum ad faciem ſignandam admouit, & voti finem adeſſe declarauit, & magnum quendam ac profundum ſpiritum ducens, precationem ſimul & vitam terminauit. Cum igitur nec ſpiraret amplius, & iaceret immobilis, ego memor eorum, quæ in ipſo primo congreſſu mihi mandauerat, dicens ſe velle, vt manus mea ſibi oculos clauderet, & ſolitum ori ſuo præſtaret officium: ſancto vultui dolore languentem manum adhibui, ne mandatum eius negligere viderer potius, quam quod eiuſmodi officium oculis eius eſſet neceſſarium: quippe qui quemadmodum fit in ſomno naturali, palpebris decore contecti erant. Et labra itidem clauſa, manuſque venuſte pectori cohærentes. Totus deniq; corporis ſitus ea dignitate compoſitus, vt ornantium manu non indigeret. Meus autem animus dupliciter angebatur, tum ob ea, quæ cernebam: tum ob luctuoſas virginum voces, quibus aures meæ circumſonabant. Hactenus enim illæ quieſcentes, ſe fortiter geſſerant, animoq; dolorem incluſum continentes, fletus impetum compreſſerant, obſeruantes eam, verentesque, quamuis corpus eius iam conticeſceret, ne increparentur: aut ſi qua vox contra præſcriptum erumperet, ne magiſtra ex ea re moleſtiam caperet. Vbi vero ſilentio dolor non potuit amplius coerceri, non aliter, quam ſi victos earum animos quidam ignis exureret, ſtatim in acerbum & incredibilem luctum proruperunt: adeo vt ratio mihi non conſiſteret amplius in propoſito: ſed tanquam alicuius obruta torrentis impetu, cederet perturbationi, ſeque totam lamentationibus daret. Æquam autem ac iuſtam mihi dolendi lugendiq; cauſam habere virgines videbantur. Non enim ſe conſuetudine, aut gubernatione quapiam humana, aut aliis eiuſmodi rebus, quas in calamitatibus ſuis homines grauiter ferunt, orbatas dolebant: ſed tanquam ab ipſa in Deum ſpe, & animorum ſalute ſeiunctæ eſſent, plorabant. Hæc in lamentationibus ſuis conquerebantur, dicentes: Extinctum eſt lumen oculorum noſtrorum: erepta eſt lux, quæ animis noſtris in itinere præcedebat: diſiectum eſt vitæ noſtræ præſidium: ſublatum ſpecimen integritatis: abſciſſum concordiæ vinculum: contritum imbecillum firmamentum. Te duce nox erat nobis diei loco, vitæ tuæ ſplendore illuſtrata: Iam vero vel dies in tenebras conuertetur. Grauius autem præter cæteras luctum intendebant, quæ matrem ipſam & nutricem appellabant. Erant autem illæ, quas penuriæ famiq; tempore in alimentorum largitione proiectas in viis ſuſtulerat, aluerat que, & ad caſtam atque incorruptam viuendi rationem informauerat.

Abit è corpore ad cõcupitum diu Saluatorem An. 378.
Eius morte ſumme dolent ſacræ virgines.
Item pauperes quos in vita aluerat.

XX. Vervm poſteaquam animum tanquam ex profundo quodam angore collegi, in ſacrum illud caput intendens aciem oculorum, quaſi reprehenſus ab ea propter inconditum illum tumultuantium ſtrepitum, magna voce clamans: Ad hanc, inquam, reſpicite virgines, & præceptorum eius recordamini, quibus ab ea ad omne decus & honeſtatem eſtis inſtitutæ. Diuinus ille animus vnum nobis lachrymarum tempus præſcripſit, id fieri iubens, cum vacaretis precationi: quod nunc etiam poteſtis efficere, lamentationis clamorem pia pſalmorum decantatione commutãtes. Hęc, quam maxime poteram, clara voce dicebam, vt ſuperarem ſtrepitum conquerentium. Deinde cohortatus ſum eas, vt in proximã domum ſecederent, relictis duntaxat aliquibus, quarum opera libentius illa, dum viueret, vtebatur. In earum erat numero quædam fœmina nobiliſſima, diuitiis, & genere, & corporis forma, atque aliis nominibus illuſtris, in ipſa adoleſcentia conſtituta. Hæc viro cuidam honeſtiſſimo in matrimonio collocata fuerat, ſed breui tempore cum illo vixerat. Quare coniugio liberata, viduitatis ſuæ cuſtodem & magiſtram magnam Macrinam elegerat, & cum virginibus plurimum verſabatur, vt ab eis rectam & ex virtute viuendi rationem ediſceret. Veſtiana illi erat nomen: Pater Araxius vocabatur, vnus è numero ſenatorum ſummi conſilii. Ad hanc ego: Nunc quidem, inquam, inuidioſum non erit, ſi defunctæ ſplendidiorem adiecerimus ornatum, & puram illam immaculatamque carnem elatioribus veſtimentis induerimus. At illa intelligere reſpondit oportere, quidnam illi ſanctæ in hoc genere probatum foret. Nihil enim à nobis geri fas eſſe contra voluntatem ipſius. Omnino autem, quod Deo gratum acceptumque eſſet, idem ei iucundum futurum.

Veſtiana fœmina nobiliſſima.

XXI. Erat quædam præfecta virginum choro in miniſterii gradu, nomine Lampadia, quæ ſententiam eius de funerum pompis ſe plane ſcire dicebat. Hæc à me his de rebus interrogata, (forte enim interfuerat conſultationi) cum lachrymis reſpondens: Integre & pure viuendo, inquit, ſancta ſibi ornamentum parauit, quod & vitam ipſius decoraret, & ſepulturam. Nam quod ad corporis ornatum ſpectat, nec dum viueret accepit, ne in hunc vſum reſeruauit. Quare ne ſi velimus quidem, amplius licet, cum ad hanc rem non ſuppetat apparatus. Nihilne, inquam, reconditum eſt, quo iuſta & exequiæ poſſint adornari? Quid, inquit illa, reconditum narras? Quicquid reconditi eſt, in manibus habes: ecce pallium, ecce capitis tegmen, & trita pedũ calceamenta. Hę ſunt opes, hęc ſupellex. Nihil pręter id, quod cernis, in arculis aut thalamis conditum latet. Vnam diuitiarum ſuarum cellam nouerat, theſaurum cœleſtem: illic omnia collocauit, nihil reliquit in terra. Tum ego: Quid, inquam, ſi ad funus ornandum ex iis, quæ mihi parata ſunt, aliquid proferam, num inconſulte factũ exiſtimabit? Id præter ſententiam eius futurum, ſe non arbitrari, reſpondit. Nam etſi, inquit, viueret, duabus de cauſis non repudiaret honorem tuum, vel propter ſacerdotii dignitatem, quam ſemper venerata eſt: vel propter naturæ neceſſitudinem, neq; enim alienum duceret id, quod à fratre eſſet. Idcirco manibus etiam tuis corpus vt curaretur, mandauit. Cum igitur ita viſum eſſet, & ſacrum illud corpus tegi veſtibus oporteret, ſtudium inter nos diuidentes circa ipſam, alius aliud cogitabamus. Et ego quidem iuſſi cuidam ex meis, vt veſtem afferret: Illa vero, qua de mentionem fecimus, Veſtiana propriis manibus ornans ſanctum illud caput, cum eius ceruici manum ſubmiſiſſet, Ecce, inquit, ad me reſpiciens, quale è collo ſanctæ monilis ornamentum pendet. Et hæc dicens, ſolutis pone vinculis, prætendit manu ferreum Crucis ſignum, & annulum quendam ex eadem materia. Quę quidem vtraq; cordi ſemper adhærebant. Et ego:

Nota ſummam Macrinæ paupertatem.
Ecce tibi ferreũ Crucis ſignum, q̃ illa ſemper ad pectus habuit.

Communis,

Communis, inquam; ſit hæc poſſeſſio. Ac tu quidem habeas Crucis inſigne: mihi autem hæreditas annuli ſatis erit, ſiquidem in huius etiam pala Crux erat impreſſa. At eum mulier intuens, rurſus ad me, In deligendo, inquit, non aberraſti. Etenim excauatus eſt annulus ſub ipſa pala, ibique de ligno vitæ particulam conditam habet, quod ſuperadiacens pala ſimili nota ſignificat.

In ferreo annulo particulam S. Crucis geſtauit.

CÆTERVM cum tempus poſceret, vt caſtum corpus veſte tegeretur, quod quidem officium ex Magnæ mandato XXII.
ad me pertinebat neceſſario, cumque præſens eſſet, ac ſimul contrectaret ea, quæ mecum magnæ illius hæreditatis particeps fuerat, Ne prætermiſeris, inquit, intueri rei admirandæ ab hac ſancta perfectæ magnitudinem. Quidnam iſtuc eſt, inquam? At illa pectoris partem denudans, Vides hoc, inquit, tenue & obſcurum ſub collo ſignum? (Videbatur autem puncto ſimile, tenui acu confecto) ſimulque lucernam propius admouit ad locum mihi demonſtratum. Quidnam, inquam, admirandum, ſi tenue ſignum in hac parte eſt? & hoc, inquit, diuini auxilii in magnam Macrinam monumentum, in eius corpore relictum eſt. Etenim cum acerbe intumuiſſet olim hæc pars, & periculum eſſet, ne tumor ſecandus eſſet, aut ne latius ſerpens malum, fieret immedicabile, ſi ad loca cordis appropinquaſſet, rogauit ſæpius & obſecrauit mater, vt medici manum admitteret: & eam namque artem à Deo pro ſalute hominum oſtenſam eſſe. Illa vero cum aliquam corporis partem alienis oculis aperire morbo ipſo grauius iudicaret, ad veſperam, cum ſolitam matri propriis manibus nauaſſet operam, in ſacellum ſanctiſſimum ingreſſa, totam noctem proſtrata, curationem Deo ſupplicauit, &, quæ ex oculis defluebat, aquam cum terra commiſcens, lachrymarum lutum, morbo medicamentum adhibuit. Matri autem exanimatæ, hortantique vt medico vteretur, ſibi ad expellendum morbum ſatis eſſe reſpondit, ſi manu ſua mater ipſa locum ſancto ſigno muniret. Quum igitur mater in ſinum eius manum intuliſſet, vt eam partem ſignaret, ſignum quidem egit, morbus autem abiit. Sed hæc parua nota, loco horribilis tumoris apparuit, & ad finem vſque permanſit, vt eſſet, quemadmodum arbitror, diuinæ opis indicium, quo ad agendas gratias Deo continenter moueretur.

Vide pudicitiam.

Vide efficaciam ſigni Crucis.

POSTEAQVAM ſtudio noſtro finem impoſuimus, & ex domeſticis copiis corpus exornauimus, non decere dixit XXIII
miniſtra illa, corpus ad ſponſæ ſimilitudinem ornatum ante virginum oculos poni. Sed eſt, inquit, mihi ex veſtiæ matris veſtimentis nigrum pallium, quod recte, vt ego quidem ſentio, poterit ſuperinici, ne externo & aduentitio iſto veſtitus ornatu, ſacra hæc pulchritudo illuſtretur. Quæ ſententia cum valuiſſet, & pallium adiectum eſſet, ipſa tamen in amictu pullo, diuina, vt arbitror, potentia & hanc corpori addente gratiam, ita ſplendebat, vt quemadmodum in quiete viſum oſtenderat, radii quidam ex eius pulchritudine plane elucere viderentur. Interim dum hæc agebamus, & virginum cantu lamentationibus commiſto reſonabat locus, fama neſcio quomodo vndique diffuſa, omnes finitimi ad funus confluxerunt, adeo vt concurrentes veſtibulum non caperet. Cum igitur nocturna peruigilatio, vt in Martyrum celebritate, canendis pſalmis perfecta eſſet, & crepuſculum aduenisset, confluentium vicinis è locis omnibus virorum & mulierum multitudo, pſalmorum decantationem fletibus interpellabat. Ego autem quamuis propter calamitatem animo eſſem conſternatus, tamen ex rebus præſentibus, quoad fieri potuit, operam dedi, vt nihil in tali funere deſideraretur. Itaque confluentem populum in genera diſtribuens, mulierumque multitudinem admiſcens virginum choro, virorum autem turbam adſcribens monachorum cœtui, vnum quendam ex vtriſque ſtudui aptum concinnumque, tanquam in pſalmos canentium congreſſu, ex communi omnium concentu apte coniunctum ordinem conſtituere. Verum cum paulatim progrederetur dies, & locus præ confluentium multitudine anguſtus redderetur, ſurgens qui ei regioni præfectus erat Epiſcopus, Ataxius nomine, (aderat enim cum vniuerſa multitudine ſacerdotum) præcepit, vt ſenſim præcederet tabernaculum: Nam & ſatis longum viæ interuallum intercedebat, & multitudo alioquin ob motum incitatiorem impedimentum attuliſſet. Deinde omnes, quos in munere ſuo obeundo miniſtros habebat & adiutores, vt ſua præſentia corpus decorarent, cohortatus eſt.

Splendor corporis eius exanimis.

Vigiliæ in celebritate martyrum.

Ataxius Epiſcopus venit ad eius exequias.

CVM autem hæc ita conſtitura ſtudioſe gererentur, ego feretrum ſubiens, illum aduocaui, vt alteram partem ſu- XXIV.
ſtineret: poſteriores vero feretri partes ſubierunt alii duo de Clero inſignes viri. Senſim igitur procedebatur, cum & qui præibant, pedetentim incederent, & nos item gradatim ſequeremur. Etenim cum frequens populus feretrum circumſtaret, nec tam mirabili & ſacro ſpectaculo poſſet expleri, non erat facile nobis iter facere. Ex vtraque autem parte præcedebat non exiguus diaconorum miniſtrorumque numerus: qui omnes ordine progredientes, accenſos cereos manibus geſtabant. Quæ quidem pompa non carebat myſterio, cum à principio ad finem vſque decantatio pſalmorum eadem voce, triplicique canentium ordine, ſicut ille trium puerorum cantus, abſolueretur. Porro cum inter ſeceſſum & ſanctorum martyrum ædem, in qua parentum etiam corpora quieſcebant, ſeptem octove intercederent ſtadia, totum prope diem in eo ſpatio conficiendo, conſumpſimus, congredientium enim multitudo, quæ aſſidue magis augebatur, non ſinebat nos ex ſententia progredi. Sed vbi intra fores templi conſtitimus, demum, depoſito feretro, nos ad precationem conuertimus. Quæ quidem precatio populo luctus materiam præbuit. Silentio enim pſalmis canendis impoſito, cum ſacram illam faciem virgines adſpexiſſent, & parentum iam eſſet patefactus tumulus, in quem illam decreueramus inferre, vnaque earum nos poſt eam horam diuinum illud caput non amplius inſpecturos, perturbatius exclamante, & reliquis deinceps virginibus eadem vociferatione ſubſequentibus, incondita quædam confuſio recte conſtitutum & ſacrum illum pſalmorum cantum eſt conſecuta. Nam virginum luctu fracti, omnium animi commouebantur. Itaq; nobis nutu ſilentium imperantibus, & præcone præeunte, & ſolitas Eccleſiæ voces inclamante, vix tandem populus ſe ad precandum compoſuit.

Accenſi cerei geſtātur ad funus

Canuntur pſalmi.

Dan. 3.

Leuit. 18.

CÆTERVM conuenienter facto precandi fine, me timor quidam inuaſit, conſiderantem præceptum illud, quo XXV.
prohibemur patris aut matris turpitudinem aperire. Et quomodo, inquam, hoc ego iudicium effugiam, ſi in parentum corporibus videro communem humanæ naturæ turpitudinem, cum veriſimile ſit, ea collapſa diſſolutaque, ad turpem & inconditam perueniſſe deformitatem? Hæc autem mihi cogitanti, formidinem auxit indignatio Noë: cuius hiſtoria me, quid facto eſſet opus, admonuit. Priuſquam igitur corpora noſtris oculis eſſent expoſita, pura ſindone operta ſunt. Nam cum operculum eſſet ſublatum ex vtraq; parte ſumma, linteum iniectum eſt: quo linteo contectis parentum corporibus, ego & regionis Epiſcopus ille, cuius mentionem feci, ſacrum illud corpus è feretro tollentes, iuxta matrem appoſuimus, atque ita votum vtriuſque compleuimus. Vno enim conſenſu ſemper orauerant Deum, vt corporibus poſt mortem copularentur, vt quæ inter ipſas fuerat in vita coniunctio, ne in ipſa quidem morte diſſolueretur.

Geneſ. 9.

Sepelitur Macrina iuxta matrem.

CVM autem iuſtis legitime peractis recedendum eſſet, proſtratus ad tumulum & puluerem oſculatus, triſtis & la- XXVI
chrymans diſcedebam, cogitans quanto bono vita eſſet orbata: cum mihi in ipſo itinere vir quidam illuſtris in re militari, qui in ciuitate Ponti, cui nomen Auguſtæ, dux exercitus erat, audita calamitate, atque ægre ferens, cum ſubditis humaniter obuiam proceſſit. Erat enim mihi & ſanguinis, & amicitiæ neceſſitudine coniunctus. Hic mihi de ipſa miraculum narrauit, quod vnum adiungens hiſtoriæ, faciam ſcribendi finem. Etenim cum lachrymis modum adhibentes, colloqui cœpiſſemus, ille ad me, Audi, inquit, quantumque bonum migrauit è vita: atque ita ſermonem exorſus eſt: Magna mihi, vxorique meæ quondam cupiditas incidit videndi Virtutis Gymnaſium. Sic enim, inquit, locum illum in quo beatus ille animus degebat, appellandum arbitror. Nobiſcum autem erat filiola, cuius oculum ex peſtilenti morbo calamitas occuparat, adeo vt obducta tunica circa pupillam, contractoque albore, fœdum eſſet miſerandumque ſpectaculum. Diuinam igitur illam domum ingreſſi, ita ſeperati ſumus in eo ſapientiæ vacantium loco, vt ego quidem d uer-
teretem,

Petrus fra-

terem, vbi habitabant viri, quibus præerat Petrus frater tuus: illa autem intus, vbi erant virgines, cum ſancta Macrina verſaretur. Hic cum aliquantulum eſſemus commorati, tempus eſſe duximus, vt diſcederemus. Iamque diſceſſum adornabamus, cum vtrinque nobis humana quædam vis illata eſt. Nam & frater tuus mihi iubebat, vt manerem, & ſtudioſorum menſæ particeps fierem: & beata illa non dimittebat vxorem meam, ſed filiolam in ſinu gerens, non prius illam ſe reddituram aiebat, quam menſam apparaſſet, & nos philoſophiæ diuitiis accepiſſet. Puellulam autem exoſculata, & admouens os oculis eius, vbi pupillam affectam vidit: Si hoc mihi, inquit, conceſſeritis, vt apud nos eſſe velitis, gratiam vobis tali honore non indignam referam. Ecquam, inquit puellulæ mater? Eſt mihi, reſpondit Magna, medicamentum, ad curandum hunc oculum, appoſitum. Quæ quidem promiſſio cum mihi à quodam ex virginum conclaui nunciata eſſet, libenter manſimus, poſthabita, quæ nos vrgebat, proficiſcendi neceſſitate.

Ter S. Macrinæ præfectus virorum, Macrina vero virginum.

XXVII. Cvm igitur conuiuium, quod Petrus humanitate & gratia ſua condiuerat, haberet finem, vxorque nobis à ſancta Macrina omni conuenienti iucunditate recreata remiſſa eſſet, lætitia & gaudio pleni, nos in viam dedimus. Et quæ vtrique noſtrum contigerant, inter eundum narrabamus: ego quidem quæcunque in virorum conclaui vel videram, vel audiueram, recenſebam. Et illa viciſſim tanquam ex hiſtoria ſingula repetens, nihil omnino, quantumuis paruum, omittendum exiſtimabat. Itaque cum non aliter, quam ex ſcripto tanquam in altera lance appendens, ordine cuncta percurreret, iamque ad eam peruenisſet partem, quæ curationis oculi promiſſionem continebat, narrationem intermittens: Quidnam, inquit, egimus? quomodo neglexímus promiſſam ipſius? collyrium, inquam, illud, quod nobis promiſerat? Cumque ego item negligentiam incuſarem, iuberemque vt celeriter aliquis ad illud poſcendum excurreret, infans interim, quæ in manibus nutricis erat, matrem reſpicit: etiam mater ad eius oculos aciem intendens, Negligentiæ, inquit, noſtræ deſinas ſuccenſere. Ecce tibi bona fide ſolutum, quod illa promiſerat. Veram enim morborum medicinam, quæ precibus fit, nobis exhibuit, cuius ea vis fuit, vt ne veſtigium quidem morbi in oculo relictum ſit: adeo diuino illo medicamento plane curatus eſt. Atque ita loquens, filiolam ſuſcipiens, mihi in manus tradidit. Tunc ego miracula, quæ in Euangelio narrantur incredibilia, cogitatione complectens, Quid mirum, inquam, è manu Dei cæcos videndi poteſtatem accepiſſe, quando nunc eius ancilla per fidem in ipſum præſtat illas curationes? opus enim cernimus, haud multo miraculis illis inferius. Hæc ille mihi dum narrat, ſingultus vocem eius intercepit, & ſubſecuta eſt copia lachrymarum. Atque hæc quidem à milite.

Oculum male affectum ſanauit S. Macrina.

XXIIX. Qvæ autem ab illis, qui ſimul cum ea vixerunt, quique omnem illius vitam plane perſpectam & cognitam habebant, acceperim, huic narrationi attexenda non cenſeo. Plerique enim pro eo, quantum ipſi poſſunt efficere, credunt ea, quæ dicuntur. Quæ vero audientis ſuperant vires, tanquam à veritate remota, mendacii ſuſpicionibus inſectantur. Proinde mirandam illam in penuria & fame agriculturam prætermitto. Quomodo in pauperum vſus proiectum frumentum, nec dum diſtribueretur, nec poſt imminutum ſit, ſed eadem menſura numeroque permanſerit, aliaque his longe magis admiranda, morborum curationes, expulſiones dæmonum, & veras futurorum prædictiones: quæ quidem omnia iis, qui diligenter explorarunt, vera eſſe conſtat, licet fidem ſuperare videantur, nec fieri potuiſſe iudicentur ab iis, qui carni magis addicti ſunt, qui neſciunt proportione fidei munerum fieri diſtributionem: & parua quidem dari habentibus paruam fidem, magna autem illis, qui ingenti fide præditi ſunt. Quamobrem ne offendantur, qui ad credendum diuinis muneribus ſunt imbecilliores, ſublimiora illius miracula ſilentio præterimus, ſatis eſſe exiſtimantes, iis, quæ dicta ſunt, eius hiſtoriam concluſiſſe.

Multa eius miracula propter incredulos noluit ſcribere Gregorius.

VITA S. AVREÆ VIRGINIS ET MARTYRIS SCRIPTA A S. EVLOGIO LIB. III. MEMORIALIS Sanctorum cap. 17.

An. 856.

I. Virgo quædam nobilis, nomine Aurea, ſanctorum Adulphi, & Ioannis Martyrum, ſoror, quæ à tempore colliſionis eorum deuotionis præmio fungebatur (cum reuelatis ſacræ religionis ſtudiis in cœnobio Cuteclarienſi, quod antiquitus ſanctæ & glorioſæ virginis Mariæ nomine dedicatum eſt, commaneret per annos ferme triginta, & amplius) cunctis fidei ſuæ notitiam donans, nec vllis adumbrata pauoribus, conuerſationem Chriſtianiſmi ſui patulo gerebat congreſſu. Et quia erat ſtemmatis ortu præcincta, grandique faſtu Arabicæ traducis exornabatur, nullus exterorum virginis fidem incurſare audebat, donec quidam ſuorum ex prouincia Hiſpalenſi, vnde genus trahebat, diuinitus vt arbitror concitati, quo iam debita ante mundi conſtitutionem virgini corona martyrii pararetur, & præſtantius in cœleſtibus de conſummato lætaretur triumpho, cauſa explorandi ad ſe perlati rumoris fidem, ac propoſitum virginis venientes, callide contribulem ſuam gratia hoſpitandi ſeſe inuiſere mentiuntur. Quam non ſolum Chriſtianam, verum etiam ſacræ deuotionis inſignitam [a] ſtigmate contuentes, confeſtim de ea iudici referunt quæſtionem. Qui & ipſe iure natiuitatis eidem virgini concretis adhærebat proſapiis. Tali ergo ſtimulatus relatione, ſuis eam aſſiſtere iubens obtutibus, quare ſe tam nobiliter auctam famulatu fidei Chriſtianæ degenerem reddiderit, vilique propoſito tam præcelſi generis infecerit infulam clementi admodum exhortatu compellat. Sed poteris (inquit) quam propere totis abſolui pædoribus, debitamque interpolatæ originis recipere claritatem, ſi tui gerens conſultum fidei noſtræ cultibus intimis te votis admittendam elegeris, ſummiſque nobis affectibus parens, quod ſequimur ſequaris, & quo ducimur ire contenderis. Si vero & contemptos nos, & etiam quæ colimus abrogaueris, & illos quos hactenus æmulata es, intuitu fidei ſectare decreueris: poſt varia diræ cruciationis tormenta, poſt multiplicium dolorum immenſa ſupplicia, quæ merito tanti criminis rea rependes, poſtremo turpiſſimæ mortis ſupplicium incurres. Ferunt eodem momento virginem ſub iudicis obiurgatione ceſſiſſe, & omne ſibi imperatum libenter exequendum polliceri. Et quia melius de rebus non expertis ſilendum eſt, quam procaciter incognita ventilare, cuius rei obtentu hæc ipſa negatio Martyrem futuram ſubrepſerit, vtrum formidine carnis, an cauſa diſponendi rem familiarem, incompertus teſtificare nequeo, nisi forte ex ſubſequutis euentibus, quibus poſtmodum obſtinanter in profeſſione perdurans, promeritam adepta eſt lauream, vt ſeſe coniectura arbitratus humani habet, carnis illam infirmitate non ſubcubuiſſe credamus.

Ivlii 19. Adulphus & Ioannes Martyres. Aurea ingreſſa monaſterium.

a Velum capitis intelligit, ſacratarum virginum inſigne, vt ſic Morales.

Iudex Aureæ conſanguineus.

Aurea fidẽ abnegat.

II. Igitvr poſt auditam iudex oris eius profeſſionem, qua iuxta omnes ritus legis ſuæ degere ſpoponderat: illico abeundi, quocunque vult, ſibimet libertate collata, è veſtigio domum regreditur. Ac ſicut prius militans Chriſto nullatenus à propoſito ſanctæ fidei deſueuit, nec à fidelium contubernio ſe paſſa eſt diſgregari, quin potius illorum per ſæpe ſe cœtibus conferens, quos pietatis religio perluſtrabat, condignis fletibus affectuque interno lapſum linguæ deplorans, ſpei ſuæ veram fiduciam ad redẽptoris alligat indulgentiam, ſi forte reatu præuaricationis obnoxiam famulam non repellat, qui adulteram ab exitio lapidationis eripiens, Petrum à maris fluctibus incubantem Apoſtolico functurum primatu receptat, furemque parricidio coinquinatum ſuo comitatui paradiſum luſtraturus admittit. Nec obeſſe fidebat prælargæ, & incomparabili Domini pietati inutilis famulæ momentaneum crimen, apud quem multimoda miſeratio, & redemptio copioſa & exuberans, præuenit gratiæ dono indignos, & quibus ſtrenui laboris ſtipendia nulla ſuppeditant, conſulta pietate iuſtificat. Auget præterea virgo ſancta compunctionem, ſtudium lamentationis multiplicat, votis

Aureæ pœnitentia.

vota congeminat, & duplicato mœrore affectuque mentem perurgens, ne ſupremo examine aut de ſcelere condemnata, æterno manciparetur ſupplicio, aut à conſortio fratrum ſuorum Adulphi ſcilicet, & Ioannis Martyrum beatorum congruis meritorum repagulis detrudatur, felicibus votis admittitur.

Exin claro intrepidoque proceſſu frequenter Eccleſiam adiens, iamiamque in virtute Domini roborata, terrenis abſtracta contagiis, & cœleſti curiæ anhelat aſcribenda, ſi forte cuiuſquam recidiuo conteſtationis euentu in ius denuo mitteretur. Sed hæc callidus veterator nō leniter ferens cum fideliori conciliatu, nuper elapſam creatori ſuo, nunc, quam antea, militare intelligit, nec in aliquo penitus profuiſſe circumuentionis ſuæ præſtigium contuetur. quin iniecto ſtupore neſcio cuius hebetudinis tranſuerſam virginis linguam à profeſſione veritatis leuiter & perfunctorie conteſtanda ore, non corde fuiſſe ſublatam aduertens: haud dubie cum dæmonibus de extenuato curſu conqueritur dicens. Hæc celebs pridem me labiis fortuito honorans, modo cor eius præcinctum virtute ſuperna, grandi obiectu à meis diſparatur illecebris. Et iccirco quendam in perſequutionem Beatæ Virginis, pruritans denuo, ad perquirendam tyronem fidei ſuæ compulit. III.

Aurea iterū accuſatur. Nonnulli interea gentilium eius explorantes conuerſationem, nihilominus iuxta priorem habitum Chriſti famulam reperientes, illico de ea coram iudice queſtum deponunt, crimen aſſerunt, doloſque prætendunt, & vt tanti abuſus præſumptioni vindex occurrat, taleſque auſus legali auctoritate percellat, peruerſis linguis contendunt. Qui protinus vehementi ira commotus, ferocium truculento ſatellitum miniſterio ſuis eam attrahere conſpectibus iubens, illico exhibitam de contemptu nuper adepti cultus redarguit, de neglectu promiſſi cōminatur propoſiti, & cur tanti viri, decretum non reuerita ſit horriſonis percontatur clamoribus. Tum virgo, quæ ſe nouerat ad tale iam diuinitus electam certamen, vt erat prudentioribus diſerta facundiis, ſancto iam perluſtrata reſpectu, iudici refert. Nunquam à Chriſto Deo meo ſeparata ſum, nunquam à religione pietatis eius diſceſſi: nunquam prophanationibus veſtris vel ad momentum inhæſi, licet dudum coram te, lapſu quodam ſermonis, lingua ſuccubuerit. Erat autem cor meum fiduciam habens IV.

Ioan. 11. in Domino, qui me ſuarum promiſſionum introrſus adminiculis erigebat dicens, Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet. Inde quamuis verbotenus laqueum præuaricationis incurrerim, viuido tamen ſanctæ credulitatis tenore cor præmunitum gerebam. Nam ſtatim quo à te digreſſa ſum, & votis & affectibus lachrymoſis, quem ab infantia mea didiceram, cultum exercui, fidem ſeruaui, propoſitum geſſi. Reſtat ergo iam nunc, vt ſecundum profanationis veſtræ ritum, aut gladio vindice puniar, aut ſi inultum præterire factum huiuſcemodi poteſt, de reliquo tota me libertate ad cohærendum Chriſto domino prætermitte. Tunc immaniſſimus arbiter virginis aſſertione ſuccenſus factus de ea regi

Aurea iugulatur. relationem ergaſtulis mancipauit, ingentique vinculorum onere coarctauit. Quam alio die per decretum principis gladio trucidans, confeſtim exanime corpus eius cuiuſdam homicidæ patibulo, qui ante paucos dies affixus fuerat capite deorſum ſuſpendi præcepit: cuius beatum cadauer cum cæteris ſanctorum membris, qui tunc ob flagitium interempti ſunt Bæticis immerſum gurgitibus nullum hactenus comparendi veſtigium præbuit. Chriſtus autem Deus, & Dominus noſter qui eſt adiutor bellantium, & Martyrum coronator, qui dat laſſis virtutem, ſe quoq; requirendi affectum inſinuans, prouidam pulſandi ianuam miſericordiæ ſuæ confert intentionem, multimodo rerum effectu ſecundum placitam ſibi diſpenſationem præſcitam, & prædeſtinatam ante mundi principium, ad coronam Martyrii famulam ſuam in pace ſuſ-

Annus Domini 816. dies Iulii 19. cepit. Cui eſt honor & gloria, virtus, & poteſtas in ſæcula ſæculorum, Amen. Coronata eſt hæc virgo XIV. Calendas Auguſti, Era qua ſupra.

MARTYRIVM SANCTÆ ET EGREGIÆ ET CVRATIONVM VIRTVTE PRÆDITÆ MARTYRIS MARINÆ, QVAM LATINA ECCLEſia Margaritam vocat. Habetur autem in Simeone Metaphraſte.

Ivlii 20. Vide Baron. in notis. Nihil æque lætificat & exhilarat animam bonam & fidelem, vt quod victoria potitorum athletarum legitur I. martyrium: & eo magis delectat auditorem, quo meliorem habuerit compoſitionem, aptamque & probabilem narrationem, & ea recenſentem, quæ & perſecutoris improbitati, & eorum, qui decertabant, animi magnitudini, quinetiam eius quoque, qui vna decertabat, Chriſti potentiæ apta ſint & conuenientia. Sit namque oportet omni ex parte eiuſmodi, vt & nihil habeat offenſionis, & rem rectis auribus oſtendat

Sanctorum hiſtoriæ quædam ab impiis contaminatæ. credibilem. Etenim ſcire oportet, non paucas ex iis, quæ martyrum res geſtas continent, narrationibus, ab initio fuiſſe adulteratas, vt quæ à gentilibus forte, aut ab hæreticis, & profanis, & veritatis intelligētia priuatis viris corruptæ, & aut nugis & vaniſſimis ineptiis ſordidatę ac conſpurcatę, & euidentiſſimis dæmoniorū doctrinis, prauæq; ac ſceleratæ mentis execrandis figmentis profanatæ, & ad Chriſti & Sanctorum eius contumeliam compoſitæ fuerunt. Et ideo fidem de cætero adeo labefactant, & tantum ei detrimenti afferunt, vt propterea ne veriſſimis quidem deinceps aſſentiatur: ſed aut omnino ea reiiciat ac repudiet, aut, vt quæ ſint dubia, deſpiciat, & ea minoris faciat. Quomodo etiam egregiæ virginis & Martyris Marinæ quadam hoſtis noſtri contumelia fuit adulteratum martyrium, veræ per paſſionem eius narrationi, tanquam puro frumento, à communi omnium inimico iniectis zizaniis: illo, inquam, dæmone, qui illic fingitur fuiſſe in medio eius certamine, & illius vocibus: adeo vt qui audiunt, attendentes quam ſit ridicula & abſurda dictio illa dæmoniaca, dubitent de ipſo quoque martyrio egregiæ victricis Marinæ. Etenim qui adhuc viuos Ieſu martyres inuaſit, & eos morte afficiendi inſatiabili tenebatur deſiderio, nihil mirum, ſi poſtquam exceſſerunt ad Agonothetam, & ſunt pronunciati victores, eorum gloriæ conetur inſidiari per impios, qui falſa loquuntur, admiſcens mendacia ſanctorum rerum geſtarum commentariis. Inanes ergo omnes fabulas & nugas, tanquam maligni ludibria, abiiciens, ſolis autem veris præclaræ huius martyris tam in verbis quam in factis decertationibus ſub ea, quæ conſiſtit, veritate illuminante, mentem adhibens, breuemq; orationem, & quæ nihil ſuperuacanei contineat, componens, ſic magnæ & præcipuum nomen ſortitæ Marinæ ordine proſequar decertationem.

S. Marinæ patria & parentes. Hæc ergo beata puella Marina, fuit quidem ex ciuitate Antiochia Piſidiæ: parentibus autem, quod ad corpus II. quidem attinet, claris. Filia enim erat Ædeſii, qui fuit illis temporibus vel maxime inſignis ſacerdos idolorum. Cum autem eſſet vnica, quoniam matrem cito mori contigerat, extra ciuitatem ad quindecim milliaria tradita fuit alenda eius nutrici. Cum vero ætate creſceret, & honeſtate morum, intelligentiaque & prudentia ſupra ætatem proficeret, & honorifice à ſua nutrice aleretur & educaretur, audiuit verbum fidei Chriſti, & id ſtatim in ſua defixit cogitatione. Quæuis enim bona anima prompte ſuſcipit eos, qui de bono ſunt, ſermones, & eo citius, quo eſt meliori ingenio prædita, aut fide acriori. Marina ergo cum eſſet adhuc admodum iuuenis, molliſque & delicata adoleſcentula, vt corpore ſpecioſa & omni ex parte pulchra, ita etiam mente & anima valde bona, poſtquam ſolum audiuit Deum bonum, & qui vere eſt &

Fidē Chriſti confitetur viuit, pro ſalute hominum ex puella coniugii experte naturā hominem, crucifixumque & ſepultum fuiſſe, & reſurrexiſſe, & cum ad cœlos hominum naturam ſuſtuliſſet, eam conſenſu paterno honoraſſe, ſtatim corde credens, ore quoque eſt confeſſa ſe eſſe Chriſtianam. Et ſic indies in Dei filium confeſſione & fide proficiens, optabat Chriſti confeſſorum effici particeps & ſocia.

III. Atqvi Ædeſius quidem, qui falſo nomine appellabatur eius pater, eam propterea auerſabatur & abhorrebat. Ea autem Deum cœleſtem colens ſupra omnia, eos, qui pro pietate torquebantur & interficiebantur, valde venerabatur, & cordis propoſito eorum miſerens, vna cum eis dolebat, & vna patiebatur. Oportebat autem deinceps ipſam quoque ſicut verbis & cogitatione, ita etiam factis Chriſtum glorificare. Oportebat fidem quoque eius tentari & probari: & cum proba apparuiſſet, ſimul cum regni filiis commiſceri. Etenim quæ ſicut granum ſinapis cœleſtem ſementem ſuſcepit anima, non patitur non in magnam augeri altitudinem, adeo vt cœleſtes quoque virtutes in ea habitent. Olybrio ergo, qui tunc erat Præſes Orientis, viro audaci, crudeli & cædem ſpiranti traditur hæc beatiſſima adoleſcens, vt tentaretur. Non enim piis & bonis, ſed impiis & malis, filiis diaboli, filii Dei omnino traditi & accenſi, & per tolerantiam vincentes aduerſarium, ſic in exultatione, quæ dici non poteſt, & gloria, patri cœleſti offeruntur. Hæc ergo pulchra virgo Marina, à partibus Aſiæ Antiochiam verſus contendente Olybrio, ab eo in tranſitu conſpecta (contigerat enim, vt tunc exiret beata ad gregem paternum adſpiciendum) cum eximia ſua pulchritudine eum obſtupefeciſſet & sauciaſſet, ſtatim capta fuit à parricidæ manibus. Simulatque enim eam adſpexit ſæuus ille Præſes, eam vxorem ducere habuit in animo. Cum autem eam prope ſtitiſſet, nomen & conditionem eius & religionem ſciſcitatus eſt. Ipſa vero cum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt ſibi eſſet adiutor, liberator & redemptor inuocaſſet, aperto ore dicit: Nomine quidem mihi à parentibus impoſito vocor Marina: cum ſim autem nata ingenuis parentibus, glorior me eſſe ancillam Domini mei & Dei & ſeruatoris Ieſu Chriſti, qui fecit cœlum & terram. Cum ſic audiuiſſet Olybrius, & ſtatim ex prima reſponſione puellæ eſſet admiratus prudentiam, & anxio fuiſſet animo, vt eſt conſentaneum, denunciat ſequentibus eum ſatellitibus, vt eam ſibi ſeruarent honorifice.

Ædeſius eius pater.

Olybrius Præſes eam vult habere coniugem.

IV. Postqvam ergo fuit intra ciuitatem Antiochenam, & diis ſuis pro more ſacrificauit, & laudes, vt mos eſt, in honorem victoriæ Imperatoris celebrauit. Cum autem mane ſurrexiſſet, & tota ei aſſiſtente ciuitate in tribunali præſediſſet, iubet ſanctam ſiſti Marinam. Cum ea autem eſſet ingreſſa, & conſtanter ſtaret in medio, ipſe in eius vultum defixis oculis, & eius formæ venuſtate reſolutis præcordiis, corde vero ab eum obſidente amore incenſus & liquefactus, ſic dixit Olybrius: Sciunt omnes dii, ô pulchra puella, ſcias autem tu quoque, me moueri miſericordia tuæ teneræ ætatis, & tui delicati corporis. Quamobrem rogo te, mihi morem gere, & diis ſacrifica, meliuſq; tecum agetur, quam cum omnibus tuis æqualibus. Pecuniarum enim & poſſeſſionum tibi immenſæ accedent diuitiæ. Eris autem clarior & illuſtrior, quam omnes fœminę ciuitatis. Sancta autem Marina dixit: Ego, quæ didici Deo cœli vero & viuo, & vnigenito eius verbo rationalem cultum & ſacrificium laudis in ſancto ſpiritu perpetuo offerre, deos, quos non noui, neque placabo ſacrificiis, cum ſint inanimi & nullo ſenſu prædíti, & quorum nihil intereſt, honorenturne, aut contumelia afficiantur: neque quæ meo effectori debetur, adorationem rebus tribuam inanibus. Præſes dixit: Rurſus rogo te, Marina, mihi morem gere, & adora deos inuictos, hoc aperte ſciens, quod ſi meum audiueris conſilium, eris mihi vxor honoranda & dilecta, & iam coram tota ciuitate te mihi accipiam coniugem: & ego quidem ero tibi in perpetuam laudem & lætitiam: tu autem eris mihi in iugem ſpiritus recreationem, voluptatemque & delectationem. Quod ſi non parueris, ſcias fore, vt in multas incidens afflictiones, igne & ferro conſumaris. Dixit ſancta martyr: Ne exiſtimes ô Præſes, te meæ in Chriſtum fidei ratione inflexurum, aut blanditiis emollitururn, vt te ſequatur. Sum enim ancilla Domini mei Ieſu Chriſti, qui pro me ſuſtinuit voluntariam paſſionem & crucem. Si ergo ille pro me, omnino ego quoque pro ipſo debeo mori. Ne putes ergo me eſſe minis perterrefaciendam. Adſum tibi ad omnia tormenta, ſupplicia & mortes, impauida & interrita. Habeo enim, qui me confirmet & roboret, & ignominia afficiam omnes tuas machinas.

Blanditur ei diaboli filius.

Conſtans reſponſum S. Marinæ.

Contemnit cruciatus omnes.

V. Tvnc ita plenus Præſes Olybrius, iubet ſanctam virginem Marinam humi extenſam virgis cædi immiſericorditer. Cum eius autem corpus dilaniaretur, & ſanguis quidē terram rigaret, propter ipſam vero cetus adſpiciens illachrymaretur populus, dictaret autem præco: Marina, diis ſacrifica, & ne tantam perdas pulchritudinem inconſiderata perſuaſione: ipſa manſit firma, & minime cedens. Etenim cum oculos in cœlum ſuſtuliſſet, & mente Dominum contemplaretur, & rogaret, vt ei ferret auxilium, æque abſque vllo ſenſu ferebat plagas, ac ſi alius pateretur. Deinde ad Præſidem conuerſa, dicebat: Quæcunque à patre tuo diabolo tibi ſuggeruntur, in me fac quamprimum. Habeo enim Chriſtum, qui me roborat & confirmat, neque timebo mala, quoniam ipſe mecum eſt ſemper.

Cæditur virgis.

Non ſentit plagas

VI. Cvm itaque ira ebulliſſet Olybrius, ferreis eam laminis concluſam, & clauis affixam, iubet ferreis cædi fuſcinis. Cum diu autem laniaretur, & flacceſceret pulchritudo corporis, auertit quidem ab ea faciem Olybrius, & vultum operuit chlamyde, ne videret: vix tandem vero tortores reprimens, iuſſit vt ea abduceretur in cuſtodiam. Cum illic ergo ſeorſum fuiſſet egregia illa martyr, mente quidem per preces à ſe excedens, & ad Deum erecta, clamabat: Domine Deus excelſorum, à cuius facie labant omnes cœlorum virtutes, & omnes principatus & poteſtates horrent & contremiſcunt, omniſq; creata, quæ in te continetur, natura omnipotente tuo nutu alteratur, & tua voluntate recreatur & renouatur: tu Domine altiſſime, reſpice è ſuper cœleſti tuo throno ſuper me inutilem & indignam tuam ancillam, quoniam ſum deiecto animo, & humiliata nimis: quandoquidem ſperaui in te, & ad te meipſam conieci, propter namque nomen tuū ſanctum & terribile hæc patior. Intuere, ô ſancte, attende mihi ſapienter, & recrea hoc meum, quod effluxit, corpuſculum, & renoua meam animam, eamque tuere & conſerua ad regnum tuum ſupercœleſte: quoniam te adoro, & rogo tuam omnipotentem virtutem & potentiam, audienſq; à te ſupplex peto: Da mihi Domine Deus meus, vt ipſis oculis poſſim videre inimicum meum, qui me ex alto oppugnat: & oſtende mihi eius mala machinans & auerſandum caput: & vt ipſe à meis conculcetur pedibus, & vt tanquam lutum platearum comminuatur & deſpiciatur, præſta, ô omnipotens, vt in me quoque glorificetur ſanctiſſimum & terribile nomen tuæ bonitatis & clementiæ in ſæcula ſæculorum, Amen.

Fuſcinis laniatur.

Oratio eius quæ fuerit efficax.

VII. Hæc ſancta martyre Marina orante in carcere, repentè fit magnus terræmotus: & ecce ipſe diabolus ſuſcepta forma & ſpecie terribilis draconis, qui colore quidem apparens varius & multiplex, multis autem, iiſque ſæuis ſerpentibus per totum corpus cinctus & circumdatus: & corpore quidem edens exectandum ſibilum, tetrum autem emittens odorem & intolerabilem, Sanctæ oculis adſtitit. Celeriter autem eam circumcurſans, maximum ei attulit timorem & perturbationem: vaſto autem oris hiatu eam circumiens, exiſtimabatur eam integram eſſe deuoraturus. Illa vero mente firma & ſtabilis, & vt quæ ad Deum omni ex parte intueretur, interrito & conſtanti animo precibus, quæ dici non poſſunt, & intenſiſſimis cordis vociferationibus mente rapta ad altiſſimum, & ſimul ſigno Crucis ſignata, diſruptum quidem ventrem draconis viſa eſt videre ante ſuos oculos: illinc autem animaduertit ſe exire integram & illæſam. Nam quæ eius vitam adminiſtrabat virtus ſancti Spiritus, ei & inimici oſtendit ſæuitiam, vt poſtulauerat, & præbuit, vt ab eo ſtatim liberaretur & redimeretur.

Diabolus ſpecie draconis ei apparet.

Virtus S. Crucis.

XII. Præter opinionem ergo, quæ nulli culpæ erat affinis, martyr Chriſti Marina à ſæuo illo & pernicioſo ſerpente liberata, videt magnam lucem refulſiſſe in cuſtodia. Crux autem à terra in cœlum vſque peruadens, oſtendebatur, tanquam fons illius luminis: ſupra Crucē vero conſpecta fuit alba columba & tota pura, lucidos emittens ſplendores, Trinitatis, vt mihi videtur, myſterium apertè oſtendente viſione. Nam per lucem quidem erat oſtēdi aperte paternam gloriam: per Crucem autem, Crucifixum ſignificari vnigenitum: per columbam vero, conſpiciebatur ſancti Spiritus diuinitas, quæ & ancillam Dei alloquebatur, & conſolans animum addebat, dicens: Aue Marina, ratione prædita Dei columba, quod viciſti malignum, & bono adhæſiſti. Aue & lætare, & delectare ex toto corde tuo, filia ſupernæ Sion: quoniam venit

Viſio S. Marinæ.

Eam alloquitur Spiritus ſanctus.

Sanatur eius plaga diuinitus.

venit dies, in qua pro tuis meritis ornata victoriæ coronis, & intelligentem Dei requiem cum prudentibus ingreſſa, apud
ſponſum & regem tuum habitabis. Simul autem hæc de cœlo eam alloquebatur, & caruncula renouabatur, & rore ſpi-
ritus omnino curata, à plagis fuit omnino mundata. Maxima vero exultatione & lætitia beata repleta: Benedicam
te, Domine, magna voce confitebatur: laudabo te, Domine Deus meus, & glorificabo nomen tuum, quod feciſti me-
cum res admirabiles. Extollam te, Domine, & te laudabo, quod meæ miſeriæ ſis miſertus, & me viſitaueris, & meum
corpus curaueris & animam, & me non tradideris in manus inimicorum: ſed etiam defectoris & perniciosiſſimi draco-
nis vaſtam ſpeciem oſtenderis ancillæ tuæ, & eum in chaos infinitum cum venenatis, qui eum ſequebantur, ſerpentibus
& dæmoniis, ad abyſſos amandaueris, & eos in profundum inferorum damnaueris, & eorum terrorem, vt bonus Deus,
procul à me abieceris. Et nunc ſpiritu lætans & exultans in Deo ſeruatore meo, rogo tuam ſumme bonam benignita-
tem, vt me digneris tua per lauacrum regeneratione, & aqua ſancti tui baptiſmatis: vt quomodo ſancto tuo ſpiritu &
ſanguine decertationis, ita etiam aqua baptiſmatis expiata & conſummata, digna fiam ingreſſu tuorum ſanctorum.
Quoniam tu ſolus vere ſanctus, & in ſanctis requieſcens, & glorificatus ſimul cum Patre principio carente, & viuifico
ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Rogat per aquam baptiſmatis renaſci.

In his ſancta virgine & martyre Marina per totam illam noctem exultante, & Deum glorificante, mane ſurgens
Præſes, & in tribunali ante totam ciuitatem & populum præſidens, iubet ſacram ſiſti virginem. Cum vidiſſet autem eam IX.
adſtare totam ſanam, & læto vultu Olybrius, & eſſet admiratus, ſic dixit: Vides, ô Marina, quemadmodum magni dii tui
curam gerunt, qui tuæ miſerti pulchritudinis, te ſanam reddiderunt à tuis vulneribus? Æquum eſt ergo, vt tu quoque pro
accepto beneficio referens gratias, eis ſacrifices, & eorum, ſicut tuus pater, conſtituta ſacerdos, ſacerdotio fungaris, &
eos colas. Sancta Marina dixit: Mihi quidem fas non eſt nec honeſtum, vt vero relicto & viuo Deo, qui mortuos viuifi-
cat, deos colam, qui non viuunt, & iis ſacrificem. Te autem maxime decuerit, fueritque ſanctiſſimum, vt abſtinens ab
errore in rebus huiuſmodi, verum Deum agnoſcas, qui corporibus medetur & animis: & ei ſoli offeras ſacrificia & cul-
tus ſpirituales.

Vruntur pectus & latera eius.

Tvnc Præſes iubet, vt ei nudatæ, lampadibus pectus vratur, & latera. Cum diu ergo vreretur, & ſupplex tacite X.
preces emitteret ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in corde ſuo, dolores facile ſuſtinuit. Cum eam autem de li-
gno depoſuiſſet, iuſſit magnum lebetem afferri in medium, & eum aqua repleri, & Marinam vinctam in aquam immit-
ti, vt in ipſa ſuffocaretur. Cum id autem celeritate maxima factum eſſet, ſancta Martyr vincta, & in vas aquæ iniecta, ex-
clamauit magna voce: Domine Ieſu Chriſte, qui eduxiſti vinctos in fortitudine, qui ſoluiſti vincula mortis & infero-
rum, & eos, qui habitabant in ſepulchris, excitaſti tuæ poteſtatis nutu omnipotenti: Tu Domine altiſſime, adſpice ad
ancillam tuam, & rumpe vincula mea, & fiat mihi hæc aqua in vitam æternam, & in ſupplementum baptiſmatis à me de-
ſiderati, ad depoſitionem quidem veteris hominis, & qui corrumpitur ſecundum deſideria deceptionis: indumentum
vero & amictum noui, qui ſecundum Deum creatur in veritate & iuſtitia. Sic orans, iniecta eſt ſancta illa adoleſcentula
in vas illud plenum aqua. Cum primum autem ingreſſa fuit lebetem, ecce fit magnus terræmotus: & rurſus prima co-
lumba coronam ore tenens, volauit ipſa hora ſuper aquam, & ingens ignis columna, & Crux ſuper eam, eadem qua pri-
us figura apparuit beatæ: Et columba quidem cum tetigiſſet ſacrum caput Martyris, & repente ſurſum volaſſet, ſedit ſu-
per ipſam Crucem. Quæ etiam athletam placida voce eſt allocuta: Pax tibi, dicens, ancilla Dei. Nunc confide, cœleſtem
accipiens coronam à manu altiſſimi. Simul autem atque hoc dixiſſet, ipſa quoque ſoluta à vinculis, & ex aqua emergens,
eum, quæ explicari non poteſt, exultatione ſpiritus diuiniſſimi magnificans laudabat Trinitatem, vt citra medium ba-
ptizata, & mirandum in modum ab ipſa illuminata.

Pſalm 67.
Epheſ 4.
Mergitur in aquam, & regeneratur ſancto ſpiritu caput eius attingente.

Illic dicitur fuiſſe factum miraculum valde admirabile, mihi quidem & omnibus piis valde credibile: nempe a- XI.
lias quidem ſatis expandiſſe, tanquam iis, quæ fiebant, exultantem, diuinam illam columbam, conſpectam ſuper illam
lucidam, quæ apparebat, Crucem. Cum in voce autem erupiſſet, apud ſanctum martyrem, audientibus omnibus, ſic
fuiſſe locutam: Huc adſis nunc, ô ſponſa Chriſti Marina, in ſupernis manſionibus: & accepta corona incorruptionis, in
dilectis Dei tabernaculis cum primogenitis filiis patris choros ducens & lætans, requieſce in ſæculum. Hanc tanquam
Dei vocem cum totus populus exaudiſſet, & obſtupuiſſet, ſtatim Chriſto crediderunt viri ſimul & mulieres in magna
multitudine: & ſeipſos quoque eſſe Chriſtianos magna voce exclamauerunt, paratos vero ſe quoque eſſe mortem ſubi-
re pro Chriſto. Erant autem virorum quidem, vt aiunt, ad quindecim millia, & multæ mulieres. Qui quidem omnes
Chriſtum eſſe verum Deum & regem confitentes, deos autem, & dæmones, & eos, qui ipſos colebant, Imperatores a-
ſpernantes, & nihili facientes, neci fuêre dediti. Totum enim, qui erat in eius poteſtate, exercitum in ipſos immittens O-
lybrius, omnes interfecit, tanquam oues ad occiſionem ſe dantes propter fidem in Chriſtum. Atque hi quidem ſic ſuo
ſanguine baptizati & expiati, Deo offerebantur.

Vox fit diuinitus ad illam.
Multi interficiuntur Chriſtiani.

Hæc autem cum impius vidiſſet Olybrius, pronunciauit capitis ſententiam in agnam Chriſti Marinam. Cum ea XII.
ergo abducta fuiſſet extra ciuitatem, in eo loco, in quo interempta fuerat ea, quæ dicta eſt, multitudo, vnus ex militibus
apprehenſo eius ſuperhumerali, & enſe ſtricto: Extende, inquit, collum tuum, & tunc accipe à Deo tuo deſideratum
brauium victoriæ: ſed memento (rogo te) mei ſerui tui, quando fueris in regia cœlorum. Reuera enim vidi hodie in-
numerabilem Angelorum Dei multitudinem, te in orbem circumſtantes, & tuam cuſtodientes ſanctitatem. Sancta au-
tem dixit: Suſtine, ô fili, parumper, vt adſtantes parum alloquar, & precer: & ſic implebis id, quod tibi fuit imperatum:
Cœpit itaque alloqui eos, qui aderant: Fratres, dicens, & amici, rogo vos, tanquam indigna altiſſimi ancilla, audite pru-
denter hanc meam modicam verborum ſuaſionem. Tranſcendentes ergo omnem creatam naturam eorum, quæ vi-
dentur, agnoſcite patrem luminum, & vniuerſorum creatorem & Deum. Agnoſcite autem eius quoque vnigenitum
Deum verbum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: & ſanctum & viuificum ſpiritum. Non eſt enim aliud nomen, in
quo poſſit aliquis eſſe ſaluus. Neque eſt vllus alius Deus, niſi vnus, qui in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto conſideratur, &
adoratur in ſæcula, Amen.

Oratio S. Marinæ ad populum.

Hæc cum eſſet martyr locuta iis, qui aderant, ſuſtulit in cœlum cordis oculos, & in gemitibus inenarrabilibus XIII.
clamauit ſpiritu: Principii expers, immortalis, carens tempore, increate, qui non potes comprehendi, infinite, & qui non
potes inueſtigari, Domine Deus vniuerſorum, & vniuerſæ creatæ naturæ, tam quæ videtur, quam quæ intelligentia per-
cipitur, opifex & adminiſtrator, & Saluator omnium, qui ſperant in te: ago tibi gratias, quod me ad hanc horam dedu-
xeris. Benedico tibi, quod appropinquauerim coronæ tuæ iuſtitiæ: laudo & celebro tuam inenarrabilem benignitatem
& clementiam, quod tibi viſum ſit me cooptare cum electis tuis filiis. Et nunc Domine Deus miſericordiæ, omnipo-
tens, omnia intuens, adſpice ad me miſeram & abiectam, & exaudi meam deprecationem, & imple meas petitio-
nes ad laudem & honorem & gloriam ſanctiſſimi & adorandi tui nominis. Et nunc Domine Deus meus, omni-
bus, qui propter te mei corporis tabernaculum, quod pro te decertauit, ſunt veneraturi, & omnibus, qui ædifica-
bunt oratoriam domum in nomine ancillæ tuæ, & ſacrificia ſpiritualia, oblationeſque & preces tibi in ea offerent, &
omnibus, qui ex fide deſcribent martyrium meæ decertationis, legentque & meminerint nominis ancillæ tuæ, da eis,
Domine ſancte, bonorum amator, & animarum amice, remiſſionem peccatorum: propitiationem & miſericordiam
eis ſuppedita pro menſura eorum fidei: neque eos tangat vltrix manus, non mala fames, non peſtis execranda, non graue
flagellum:

Preces eius ſub mortē, quibus liquet quam ſit gratum Deo ſanctos inuocare, & in eorum memoriam eccleſias extruere.

flagellum: neque eis eueniat alius immedicabilis animæ & corporis interitus. Omnibus autem, qui in fide & veritate domui meæ, aut nomini meo adhærebunt, & glorificationem & laudem tibi Domine offerent, & ſacrificium in memoriam ancillæ tuæ, & per me ſalutem petent & miſericordiam, largire eis, Domine, affluentem bonorum copiam: quoniam ſolus es bonus, & benignus, & dator omnium bonorum, in ſæcula ſæculorum, Amen.

XIV. Hæc ea apud ſe precante, ecce rurſus factus eſt magnus terræmotus, adeo vt non pauci ex iis, qui illic ſtabant, humi ceciderint: quinetiam ipſe quoq; miles, qui volebat ei caput amputare. Ipſe autem Dominus cum multitudine ſanctorum Angelorum exercitus, ita vt mente poſſit percipi, aſſiſtens: Bono animo eſto, inquit, Marina, & noli timere, quoniam exaudiui preces tuas, & quæcunque petiiſti, impleui, & opportune implebo, ſicut tu petiiſti: Et nunc ideo tibi apparui, vt te ad me è terra recipiam, Tuq; es beata, quod meminiſti peccantium, quodq; coram me pura apparuiſti, & apud me gratiam inueniſti. Quamobrem erit tua merces copioſa in cœlis. Tunc beata Marina impleta gaudio & lætitia, conuerſa dicit militi: Agedum fac deinceps frater, quod tibi eſt imperatum, vt mihi faceres. Ille autem correptus tremore, nolebat enſem in eam tollere. Ipſa vero eum adhortans, & ei animum addens, vix perſuaſit beatiſſima virgo, vt caput ſibi amputaret. Sic præclara virgo & martyr Marina, cum de certationis curſum pulchre peregiſſet, legitimumq; & perfectum & admirabile ſubiiſſet martyrium, quomodo magno dedecore affecit inimicum, ita etiam inſigniter Chriſtum glorificauit. Cuius beatam & ſanctam animam, per ſanctos archangelos glorioſe ſublatam, ſupercœleſtis & quæ intelligentia percipitur, Dei domus, quæ eam ſuſcepit, habet intus pro nobis aſſidue orantem Chriſtum Dominum noſtrum: Quem decet gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Chriſtus ei apparet.

Capite cæditur.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM MAGNI PROPHETÆ ELIÆ THESBITÆ: EX SIMEONE METAPHRASTE.

An mundi 3123.

Iulii 20.

I. ALIQVANDO quidem duodecim tribus Iſraël erant ſimul inter ſe, nec poterant à ſe inuicem diuidi, vt quæ erant beneuolentiæ vinculo colligatæ, & cedentes Dei præceptis. Nam cum poſt Moſem & Ieſum Naue, & qui poſt illos fuerunt, populi Iudices, Dauid Propheta eis vnctus eſſet in Regem, & ad Salomonem filium, is regnum traduxiſſet, vſque ad illum tribus manebant indiuiſæ, vna nequaquam diuulſa ab altera: ſed vnaquaque conſeruante eam, quam ab initio elegerat, concordiam. Poſtquam autem eius filius Roboam patris regnum ſuſcepit, &, vt qui eſſet iuuenis, & non ſatis nobilis prudentiæ, iis, qui eius parebant imperio, inſolenter eſt vſus, non tam ad ſe attrahens, quam abſtrahens & auellens, ab illo fuerunt tribus diſruptæ, & aduerſus eum inter ſe inſurrexerunt. Nam cum decem earum defeciſſent, & Hieroboam ſeruo Salomonis adhæſiſſent, cum eo habitarunt Samariam, ſolas duas tribus habitare relinquentes Hieruſalem. Is autem cum eos inueniſſet moribus diſſolutos, ventrique, & iis, quæ ſunt ſubter ventrem, ſeruientes, inſtituit quidem ad omne genus intemperantiæ, exercuit autem ad omnem impietatem. His cum & templum conſtruxiſſet, & in eo duas iuuencas poſuiſſet, vt quæ manibus facta erant, facile poſſent colere, vt qui ad ea erant propenſi, eis ſtatim adſuere præmia malorum, dum & obſidetur ab accolis & finitimis, & à Babyloniis & Perſis ſunt euerſi, & ſuis moti ſedibus, & paſſi quæ ſunt omnium grauiſſima. Interim autem etſi facerent ea quæ ſunt peſſima, non eos tamen omnino reliquit bonus Deus: ſed & eos ſua dignatus eſt curatione, & manum præbuit adiutricem. Quinetiam deſuper eis dabat reſponſa, & futuri prædictiones: & quod eſt maximũ, ad eos mittebat Prophetas & Propheteas, vt aliquo quidem modo eos ad ſe captos traheret. Sed enim cum ante alios, & cum aliis Prophetam miſiſſet Eliam, iuſſit eum videre & inſpicere, & vlciſci ea, quæ ab ipſis fiebant. De quo nos quoque oportet pauca dicere, vt plurimum eius verbis vtentes, & iis, quæ ille loquebatur diuino zelo accenſus.

3 Reg 14.

4. Reg. 17.

II. ERGO is quoque adſit orationi, & proponatur argumentum & maxime cum ſit eius dies, quem iam celebramus, & quem anniuerſariis laudibus honoramus. Hic ergo vir ſacroſanctus & diuinus, cum eſſet ex tribu Aaron, & natus in Arabia, tempore ortus ſui, quo eſt in lucem editus, viros candidis veſtibus indutos vidit eius pater, & eum in igne ligantes faſciis, & dantes flammam ignis, qua veſceretur. Quod cum dixiſſet ſacerdotibus, ii dixerunt eum magnum futurum Deo puerum, vt qui futurus eſſet ſemper luce plenus, & iudicaret Iſraël in rhomphæa & igne: qui etiam ab eis appellatus eſt Theſbites, quod eſſet domus, quæ ſorte obtigerat ſacerdotibus, in qua is habitabat, virtutem exercens ab adoleſcentia, & flammeam efficiens animam per ignem ſpirantem ſancti Spiritus gratiam.

Hæc eadem habet Epiphanius.

III. NEMO autem omnino contradicet, eum virum fuiſſe tantum & talem, qui poſſet & flammam, & rhomphæam, & ignem, & aquam, aliaque admirabilia & habere apud ſe, & ad alios, cum vellet, immittere. Horum autem ſingula explicabit oratio. Poſtquam poſt Hieroboam & eos, qui deinceps, in Samaria conſecuti ſunt, Reges, Achab accepit imperium, vir moribus prauus, & ab impietate poſſeſſus, cui coniuncta erat mulier, quæ ei erat par improbitate, vel etiam ſuperabat: (Mulieri nomen erat Iezabel) Ambo vero ſtudebant, & diuinos Prophetas malis affligere, & eos, qui erant in illorum poteſtate, deterioribus aſſuefacere, vt qui à via recta iam olim declinaſſent, zelo diuino repletus Elias, qui etiam reuera & digne hoc nomine fuerat vocatus, talia Achab libere loquitur: Viuit Dominus Deus exercituum, coram quo adſto, ſi erit his annis ros & pluuia, niſi per os meum. His enim iratus Deus vniuerſorum, tres annos & dimidium pluuiã è cœlo retinuit, imbris defectu terram exiccans & immittens famem omnium grauiſſimam. Hinc ſuum Prophetam honorans, cœlum claudendi aut aperiendi, & pluuiam continendi, aut demittendi, ei dat poteſtatem. Qui etiam illa Achab dixerat ex poteſtate, quæ poterat facere, & quæ propter virtutis magni udinem à Deo acceperat. Deinde illo relicto, ob diuinum reſponſum accedit ad torrentem, qui erat ad Orientem ex aduerſo Iordanis. Vade enim illuc, audit à voce ſuperna, & illinc bibe aquam: vt præcipiam coruis, & alimentum ad te afferant. Certe corui, animal valde gulæ deditũ, & longe rapaciſſimum, panes quidem mane Dei iuſſu, veſpere autem carnem ad Prophetam afferebant, & erat ei ſufficiens deinceps alimentum, vt cui nec obſonium, nec aqua deeſſet ad potum.

3. Reg. 18.

Iſta Ieſabel fuit filia Regis Sidoniorum.

4 Reg 17.

Ibidem.

Eliam paſcunt corui.

IV. POSTQVAM autem aliquot poſt diebus torrens, cuius aquam bibebat, eſt exſiccatus, rurſus reſpondens, tanquam amicus amico, dicit Dominus ſeruo: Vade hinc in Sarepta Sidoniæ: & illic incides in viduã, à qua aleris: & nullo opus habebis ex iis, quæ ſunt neceſſaria. Ille autem cum veniſſet, (ſciebat enim vocanti parere in omnibus) ligna inuenit colligentem viduam, & cocturam panem ſubcinericium, habebat enim ſolũ pugillum farinæ, & modicum olei in lecytho, quibus & ipſa, & filii parce vti volebant. Quam etiam alloquens: Mihi, inquit, primum, ô mulier, appone hunc panem, & modicum olei lecythi. Deinde tibi & filiis appones, quæ remanſerint. Neque enim tibi deceteto hydria farinæ deficiet, neque olei lecythus minuetur, donec fuerit deſuper pluuia ſuper terram. Et fecit quidem vidua, ſicut ei præceptum fuerat, benigne prius Prophetam conuiuio excipiens, & ſecundo ipſa & filii veſcentes eo, quod remanſerat. Quæ quidẽ ſtatim accepit admirabilem mercedem hoſpitalitatis, videns vaſa plena & redundantia. Quod enim dictum fuerat à Propheta, ſtatim peruenit ad effectum valde mirabiliter. Quid deinde conſequitur? In morbum incidit filius viduæ: & paulo poſt ſubit animæ defectionem. Quem cum repente mater vidiſſet mortuum, toto animo perturbata: Quid hoc eſt clamabat ad Prophetam. Cur huc es ingreſſus, vt mea peccata reuocares in memoriam, & morte afficeres meum filium, ô homo Dei, qui mihi & viduitatis, & omnium erat ſolatium.

Ibidem.

Farina & oleum non minuuntur.

Ibidem.

V. ELIAS autem petiit, & accipit mortuum: & cum eum ſuſtuliſſet, ponit in eo, in quo manebat, cœnaculo, & eum componit

Excitat puerum mortuum.

ponit in lecto. In quem cum ter inſufflaſſet, hanc ad Deum facit inuocationem, dicens: Domine Deus meus, conuertatur anima huius pueri ad ipſum. Et ſtatim (O magnam Prophetiæ gratiam) is qui fuerat mortuus, viuebat, & mouebatur, iucundiſſimum ſimul & admirabile matri factus ſpectaculum. Multi ex illo tempore dies præterierant, &

3 Reg. 18.

factum eſt verbum Domini rurſus ad Eliam, cùm iam eſſet elapſus famis annus tertius, iubens vt & veniret in conſpectum Achab, & futuram pluuiam ei ſignificaret. Nam qui natura eſt clemens, eorum qui patiebantur erat motus miſericordia: & ſuum iam incitat Prophetam, ne eos videat amplius malis affectos: ſed de magno zelo aliquid remittat, &

Iſte Abdiu, alias Abdias quartus eſt inter prophetas minores.

eos benigne adſpiciat & recreet. Qui iuſſu Domini alloquitur Achab, cum prius eſſet allocutus Abdiu, qui cum eo etiã res adminiſtrabat, & qui multos ex prophetis, quos perſequebatur Iezabel, occultabat in ſpeluncis terræ. Quem cum vidiſſet Achab, quam in eum conceperat, parturiens acerbitatem: Tune is es, qui peruertis Iſraël? ei dixit aperte. Atqui oportebat, ſi nihil aliud, certe propter nimis diuturnam & admirabilem pluuiæ ceſſationem, habere eum ad Deum ſupplicantem, qui poteſt pluuiam è cœlo pluere, ad quod etiam venerat, & quod ſcilicet erat ſignificaturus. Sed ipſe, cum eſſet inflatus eius in illum animus, apud illum ſtatim eſt vſus verbis aſperioribus. Ad quem Propheta ſermones opportune conuertens: Non ego, inquit, ſum qui peruerto Iſraël, ſed tu & domus patris tui, qui vniuerſi, Domino & Deo relicto, poſt Baalim (erat autem hoc execrandum idolum) ambulaſtis. Sed enim hoc tibi ſit curæ, ſi te vlla Dei ſubit cogitatio, vt huc deducas & congreges quadringentos eos, qui numerantur, Prophetas ad inuocandum Baal. Quinetiam alios

Multi pſeudoprophetæ Ieſabelis.

nemorum ſeu excelſorum, qui præter hos dicuntur. Numerantur autem ipſi quadringenti & quinquaginta, qui ſunt etiam perpetuo ſocii menſæ Iezabel. Cura autem, vt hi omnes veniant in montem Carmeli, vt ipſe quoque cognoſcas, qua de cauſa conuenerint.

ACHAB autem, cum ſic viſum eſſet, omnes illic congregat. Cum quibus etiam conuenit magna populi multitudo, auditura ſermones Prophetarum. Quibus Elias ardenti zelo dicit: Quamdiu vos vtriſque tibiis claudicabitis? Si VI.
Dominus eſt Deus, & ipſum ſcitis colere, ambulate poſt ipſum: Sin autem Baal ipſe eſt, & eum colendum ſtatuitis, poſt eum ſimiliter ambulate. Populus autem ad hæc nihil reſpondit. Quos cum vidiſſet nihil loquentes, illis rurſus intulit: Ecce ego ſum relictus, vt vos quoque ſcitis, ſolus: ſunt vero quadringenti, qui ſunt apud vos, prophetæ Baal. Præterea autem excelſorum quoque quadringenti & quinquaginta, vt iam ante dixeram. Duo boues ad nos deferantur, & ipſi quidem vnum accipiant ad ſacrificium, & eum ſecent membratim, & ſeorſum ponant ſupra ſtruem lignorum. Alterum autem cum ipſe membratim conſcidero, imponam ſtrui lignorum, ignem nequaquam accendens. Vnuſquiſque ergo

* *exaudiet.*

noſtrum Deum ſuum inuocet, & qui in igne * exaudient, is ſcilicet erit Deus. Viſumque eſt hoc verbum vtile toti populo. Atque illi quidem quomodo ab Elia iuſſi fuerant, cum ſacrificaſſent bouem, qui ſorte obtigerat, ſuper ſtruem lignorum poſuerunt abſque igne. Qui quidem & deos ſuos, & Baal inuocabant, vt ii ferretur ignis in ſacrificium, & ipſum conſumeret. Fuerunt autem à mane vſque ad meridiem inuocantes ſtulti eos, qui ſunt inanimi. Fuerunt econtra illi, ſic

Elias irridet pſeudoprophetas.

ut reuera erant, ſurdi, & nullo ſenſu præditi. Quos etiam ſubſannans Elias, dicebat: Dii veſtri dormiunt, & vos oportet magis clamare, vt videatis num ſint intellectum, aut è ſomno excitandi. Quibus etiam voces extollebantur altius, & furore incitabantur, & ſe incidebant gladiis.

POSTQVAM autem apud illos nihil erat, niſi riſus & ludificatio, (Quid enim eis profuiſſent ii, qui inuocabantur, VII.
qui ſint ſtatuæ, & reuera lapides?) Tunc Elias dixit populo: Venite etiam huc ad me, & Dei mei cognoſcite potentiam. Et omnibus ad ipſum collectis, accepit duodecim lapides, conuenienter numero duodecim tribuum, & ex ipſis extruxit aram. Deinde ei ligna impoſuit, ſcindens etiam holocauſtum in partes. Quoniam vero erat effecturus ſacrificium magis admirabile, aqua locum impleuit, & interius in profundo, & circumcirca, & ſuper ligna, & vbique eam dimittens fluere. Quid is enim? Accipite, inquit, mihi quatuor hydrias aquæ, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Et dixit: Secundo hoc facite. Et ſecundo hoc fecerunt. Et rurſus: Tertio hoc facite. Et tertio fecerunt. Et erat deinde aqua, tanquam mare fluens circum altare. Tunc Elias oculis in cœlum ſublatis tam ſenſus, quam mentis, clamauit: Domine Deus meus, Deus Abrahæ & Iſaac & Iſraël, exaudi me hodie in igne, vt hic quoque agnoſcat populus, quod tu es Deus ſolus, & ego tuus cenſear eſſe ſeruus, & tuum nomen inuocans. Licebat autem ſtatim videre (ô arcanum miraculum)

Ignis cœleſtis abſumit holocauſtũ Eliæ.

ignem deſuper deſcendentem, & omnia penitus conſumentem. Tunc enim holocauſtum, & ligna, & aquam, quæ erat circumcirca, & alia omnia exedit. Porro autem lapides quoq;, & puluerem, & ſi quid aliud inuenit, elixit, & vere oſtendit non eſſe ſolummodo ignem, cui aquæ repugnaſſet natura, ſed diuiniorem quandam potentiam & maiorem, quam vt ignis eſſet operatio.

Nota cædẽ pſeudoprophetarum.

QVOD cum vidiſſet totus populus, procidit in faciem, & clamauit: Vere Dominus eſt Deus: ipſe eſt ſolus. Quibus IIX.
etiam iubet Elias, vt comprehendant falſos illos prophetas, daturos ſupplicium. Iiq; ilico eos comprehenderunt. Quos cum deduxiſſet ad torrentem Ciſon, omnes omnino de medio ſuſtulit, igne diuino inflammatus corde propter deceptores. Et ipſi quidem talia præmia acceperunt. Elias autem tunc dixit Achab: Aſcende, & ſecurus veſcere, etenim iam aderit ſonus pluuiæ quam ego verbo vobis ſignificem, & quam videbis deorſum deſcendere. Et ille quidem aſcendit, vt comederet, maxima lætitia affectus propter nuncium. Propheta autem aſcendens Carmelum, & ſe in terram reclinans contulit ad precationem, poſita facie inter genua. Porro autem puero quoq; præcipit, qui cum eo erat, vt aſcenderet ſuperius & adſpiceret viam, quæ tendit ad mare. Qui cum aſcendiſſet, tunc quidem nihil vidit eorum quę expectabat vi-

Orationibus Elię dedit Dominus terræ pluuiã poſt 3 annos cũ dimidio.

dere, pluuiam, inquam, in nubibus. Et rurſus iubet ei, vt rediret ſepties ad eandem viam. Etiam cum ſepties rediiſſet, videt nubem condenſari, & aquam è mari extollere. Tunc enim ſignificat Achab per puerum, vt vehatur curru, & deſcendat in ciuitatem, ne eum apprehendat, quæ futura eſt pluuia. Cum primum autem hoc dixiſſet, cœlum denſabatur nubibus, contenebrans, & aquam emittens vehementem, & terram, vt ita dixerim, ſitientem pinguefaciens & abunde irrigans. Quamobrem emittebat Achab lachrymas præ gaudio, Elia ante eum proſiliente, & ſuos lumbos fortiter obſtringente. Et ſic quidem pluuia poſt tres annos, & alium dimidium, per Prophetæ interceſſionem delata eſt in terram.

3 Reg 19.

IEZABEL autem ne ſic quidem deſiſtit ab improbitate, neque vitium omnino dimiſit: quoniam neque Æthiops IX.

Iezabel minatur necem Eliæ.

nigrorem, aut Pardus varietates. Sed etiam poſt factum miraculum iraſcebatur Prophetæ, & eo magis, quod intellexerat ſuos prophetas, fuiſſe ab eo interfectos. Ei enim inſidiabatur, & moliebatur ei malefacere, minitans ſi eum acciperet, fore vt eum morte de medio tolleret, & ſicut eorum, qui ab illo fuerant interfecti, illius poneret animam. Quid ergo Elias? Timet mulierculam, (Sic enim de eo traditur) vt humanam oſtendat naturam eſſe perturbationi timoris obnoxiã,

Ibidem.

neque ipſe aliud, quam ſit, exiſtimetur propter diuina ſigna, quæ fecerat. Quo tempore venit Berſabee, quæ eſt terra Iuda, & ambulat iter vnius diei per illam ſolitudinem. Cumq; fuiſſet defeſſus ex itinere, ſedit humi, veluti cum Deo miſere expoſtulans, & dicens: Accipe, Domine, à me animam meam: quoniam non ſum melior, quam patres mei. Quem cum

Apparet ei angelus

corripuiſſet ſomnus, dormit ieiunus prope quandam arborem. Et ecce quidam eum tetigit, (Angelus autem Domini miſſus fuerat) & dicit ei: Surge, & comede quem ad caput vides ſubcinericium panem: iuxta quem eſt etiam vas aquæ, quam bibas. Ille vero ſurrexit, & comedit ea, quæ erant appoſita: & conuerſus, rurſus obdormiit. Rurſus ſecundo Ange-

40 dies ieiunus permanet Elias

lus: Surge, inquit, & iterum comede, grandis enim tibi reſtat via, quam es confecturus. Qui cum iam comediſſet, & firmus valenſque euaſiſſet, permanſit de cætero ieiunus totos quadraginta dies, donec venit ad montem Horeb, illic diuerſaturus, & Deum compellaturus. Cum enim iam illuc veniſſet, factum eſt protinus ad eum verbum Domini: Quid tu hîc

tu his agis, Elia? veluti eum pronocans ad reſpondendum. Ille verò: Zelans, inquit, zelatus ſum pro Domino, quod te dereliquerunt filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt, & relictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt eam à me auferant. Rurſus autem, quæ audita fuerat, vox ei dicit: Cras egredieris, & ſtabis in monte coram Domino. Ecce ergò tranſibit Dominus: & ecce ſpiritus validus, diſſoluens montes & conterens petras. Non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus; & poſt commotionem ignis: & poſt ignem vox auræ tenuis, & illic Dominus.

Viſio Eliæ.

X. Hæc cum audiiſſet Elias, & à ſe veluti diſceſſiſſet, (nam vel parua Dei viſio poteſt mentem ſede ſua dimouere, nedum talis Dei aduentus, & præſentia, ſeu operatio) vultu operto egreditur, & ſtat in oſtio ſpeluncæ. Et vox rurſus extitit, quæ ei reſpondebat, dicens: Quid tu Elia? ſicut prius. Ille verò interno adhuc zelo incenſus, eadem recenſet, quæ prius fuerat perſecutus: altarium, inquam, deſtructionem, Prophetarum euerſionem, ſe ſolum fuiſſe relictum, ſeipſum quoque fuiſſe propemodum cum aliis interfectum. Cuius animi ægritudinem conſolans, qui eſt diues in miſericordia: Nè putes, inquit, te ſolum eſſe relictum, neque manſiſſe ſolum à malo intactum. Qui enim apud me manent, numerantur ſeptem millia, qui genu nunquam flexerunt ante Baal, & nec animo, nec corpore tribuerunt ſimulactis adorationem. Poſtquam autem quæ audita fuit vox, ad alia conuertit prophetam, nempe & ad vngendum Regem Azaelem illum, & Iehu, quinetiam Eliſeum in Prophetam, qui etiam illi erat comes futurus: ipſe ea executus, quæ ei imperata fuerant, abiit eò profecturus. Atque Eliſeum quidem inuenit cum bobus arantem: erant enim ei duodecim iuga. In quem cum inieciſſet pallium, ex ouilla pelle confectum, is ſtatim omnibus relictis, & domo, & agris, & bobus, illum eſt ſecutus, miniſtrans in omnibus, totus toti adhærens.

3 Reg. 19.

Eliſeus, relictis omnibus, adhæret Eliæ.

XI. Non parum deinde temporis prætererat, & rex Achab mente inſatiabili, vineam Naboth petiit ſibi dari ad faciendum hortum olerum. Ille verò non dedit, & quòd eam hæreditatem haberet à parentibus, & quod tanquam aliquid magnum, eam poſſideret vineam. Ille verò animi affectus ægritudine, vxori Iezabel renunciat id, quod factum fuerat. Illa verò, vt quæ ſciret & dolos ſtruere, & inſidias componere: Nè ſit tibi curæ, dicit marito. Ego enim te dominum vineæ efficiam, & medebor omninò dolori, quem ex ea re accipis. Scribit autem libellum nomine Achab, & eius obſignatum ſignaculo: quem mittit ad eos, qui habitabant cum Naboth. Continebant autem ea, quæ ſcripta fuerant, vt & ipſi ieiunarent, & in medio populi ſedere facerent Naboth. Deindè aduerſus eum duos falſos teſtes producerent, quòd is Deum & regem benediceret (quod quidem videbatur eis eſſe exectandum) deinde vt lapidibus appeteretur, & mortis ſubiret ſupplicium. Et mali quidem vicini, Iezabelis conſilio & actum compoſuerunt, & Naboth intetemerunt, eum obruentes lapidibus. Poſtquam autem impudens hæc audiuit fœmina, marito dicit: Surge, & eſto hæres vineæ: mortuus eſt enim Naboth, qui tibi non conceſſit, quod volebas. Achab autem cum reſciuiſſet interfectum fuiſſe Naboth, dolore affectus, & diſrupit tunicam, & ſe ſacco induit, ſeu verè, ſeu fictè. Non enim tceſſit ab ea, quam deſiderauit, vinea: ſed ſtatim profectus eſt, vt eam poſſideret, & cædem omninò ſibi aſſcriberet, quæ iam propter vineam perpetrata fuerat.

3 Reg. 21.

Benedicere pro maledicere in ſcriptura vſitatiſ.

Naboth iniqua cædes.

XII. Sed enim Dominus ſtatim dixit Eliæ Thesbitæ: Dic hæc Achab, ei factus obuiam: Quoniam occidiſti, & quæ non eſt fas, poſſediſti, ſcias quòd in quo loco linxerunt canes ſanguinem interfecti, tuum quoque lingent. Quinetiam in eo lauabuntur meretrices. Et alia prætereà, quæ Propheta ſingulatim perſequitur. Qui quidem cum ei occurriſſet, ille, vt qui noſſet cur veniſſet: Num inueniſti me, inquit, inimice mi? Ei autem dicit Elias: Inueni, quoniam malum feciſti in conſpectu Domini, & prouocaſti eum ad iracundiam. Quamobrem exterminaberis, & eris deſertus ſimul cum domo tua, adeò vt omnes intereant, & nullus relinquatur, qui mingat ad parietem. Quinetiam tuum cadauer canes & cæli volucres ſimul edent, & paſcentur deuorato ſanguine. Eadem autem, quæ tu, patietur quoquè Iezabel: Nam præter alia, in propugnaculo exedetur pariter à canibus, vt ſit eius ſupplicium omnibus manifeſtum. Et Propheta quidem hæc dixit Achab: ille autem cum audiiſſet, & corde ſauciatur, & ſuam rumpit tunicam, corpus quoquè affligens ieiunio, & ſe ſacco cingens: quæ erant omnia ſigna internæ animæ compunctionis. Dicit itaque Dominus Eliæ: Vidiſti quomodò compunctus ſit Achab à facie mea? Non inducam ergò malum in diebus eius, ſed in diebus filij eius. Quem, cum ipſe quoquè malus fuerit, & quæ ſunt deteriora, facere elegerit, è veſtigio etiam conſequetur iuſtitia.

Vltionem diuinam prædicit Elias Achab.

En quid poſſint opera pœnitentiæ.

3 Reg. 21.

XIII. Non multum intercedit temporis, & moritur Achab. Imperium autem ſuſcipit eius filius, qui vocabatur Ochozias, vir impius, & qui Baal habebat pro Deo. Qui etiam cum in morbum incidiſſet, miſit ad eum ſciſcitatum, an à morbo conualeſceret: quin etiam ad Myan deam Accaron, vt ex ea ſciret, an ſanitatem eſſet perfectè recuperaturus. Quod Deus ægre ferens, iubet Eliæ, vt dicat ijs, qui ab illo miſſi erant: Quoniam rex veſter, Domino Deo derelicto, miſit ad inanima de ſanitate interrogaturus, ſciat fore: vt nec liberetur ab ægritudine, neque deſcendat ab eo lecto, in quo nunc iacet: ſed in eo moriatur, & abrumpat animam, ſuæ improbitatis colligens manipulos. Cum his autem Elias in via occurriſſet, & quæ Deus dixerat, ad verbum renunciaſſet, ij reuerſi omnia dixerunt Ochoziæ, nihil celantes eorum, quæ dicta fuerant. Ille verò cum de eius figura & forma, & zona eſſet ſciſcitatus, cognouiſſet autem eſſe Eliam, mittit ſtatim quinquagenarium cum ijs, qui ei parebant, vt eum comprehenderent, & ad ipſum deducerent. Ille autem cum veniſſet & ſolum in monte offendiſſet: O homo Dei, inquit illi, Rex te vocat: Deſcende. Propheta autem: Si homo Dei, inquit, ego ſum, deſcendens ignis de cælo, comedat te cum eo, qui te ſequitur, populo. Et protinus ignis inuadens iuſſu viri iuſti, omnes ſimul conſumpſit. Ochozias autem rurſus alium miſit quinquagenarium: qui cum ipſe quoquè renunciaſſet Prophetæ ea, quæ Rex iuſſerat, eaſdem quoque ſubiit pœnas, vt qui ipſe quoque fuerit ab igne conſumptus. Sed Rex inſipiens, adhuc in ſuo cœpto perſeuerabat: needum eius coercebatur voluntas. Quocirca nec deſtitit quidem tertium mittere quinquagenarium. Qui cum metu accedens ad Prophetam, illius apprehenſis pedibus, petiit veniam, quod nolens eo veniſſet, & ei ſignificauit, quod eum Rex acceſſeret, ſupplex petens, ne eaſdem pœnas lueret, quas priores, nec diuinitus immiſſi & ardentis ignis fieret materia. Propheta autem iuſſus ab Angelo deſcendere ad Regem, venit ad eum, illæſo conſeruato quinquagenario. Cui etiam dixit, vt res ſe habebat: Quoniam Deum quidem dereliquiſti, à Baal autem petiiſti auxilium, idolo inanimato, & prætereà ſciſcitatus es muſcam Accaron, quæ ipſa quoque eſt moleſtum animal, quæ oritur ex ſtercore, ſcias fore, vt non deſcendas de lecto, in quo æger decubuiſti: quod etiam tibi nuper ſignificaui: ſed morte in illo moriaris, vt etiam tibi ſit ſupplicium ineuitabile. Et eius quidem fuit talis vitæ exitus.

Ochozias ſuccedit patri in regno.

Ignis deuorat duos quinquagenarios

Ann. mundi 3118 Vide Torniellū ibid. nu 6.

Muſca, dea Accaron

XIV. Tribuum autem, quæ erant in Samaria, Rex fuit eius frater * Hieroboam, ad quem etiam tranſlatum eſt imperium. Sed enim Elias, qui abhinc verſabatur cum Eliſeo, quem etiam, vt dictum eſt, diuino reſponſo vnxit in Prophetam, erat deinceps cum illo, ſub eodem tecto ſimul, & eodem vtens vitæ genere, & omninò inſeparabilis. Cum autem eſſet igneos currus mox aſcenſurus, & cum eo, quod deorſum deprimit, pondere ad ſuperos venturus & aſſumendus, iam tandem tranſiens Galgala, & in Bethel venturus, & cum ſe ſolo & deo verſaretur, iubet Eliſeo manere in Galgalis. Ille verò non parebat ei, neque ab eo recedebat: eius enim ſermones eum ceperant, & planè vinctum tenebant. Quamobrem inuitus quidem, ſed eum tamen ſecum aſſumit Elias. Qui cum ambo veniſſent in Bethel, & dies aliquot in eo loco ſimul verſati eſſent, rurſusq; ſtatuiſſet Elias ire Hiericho, iterum præcipit Eliſeo, ne

* Ioram.

4 Reg. 2.

veniat cum ipſo. Ille autem, ſicut prius, parere noluit, fuitq́; firmo & conſtanti animo, vt qui ſentiret ſe futurũ quodammodo dubium & ancipitem, ſi ſe ſenſiſſet ſeparari à magiſtro. Quocirca cum is neſciret, quid ageret; concedit

Elias pallio diuiſit aquas Iordanis.

vt ſecum rurſus veniret: quos etiam ſequebantur alij quinquaginta. Ij verò erant filij Prophetarum. Poſtquam autem Elias appropinquauit Iordani, qui eo, quod eſſet maximus fluuiorum, & inſtar maris inundaret, non poterat tranſmitti: eum cum percuſſiſſet pallio, & in duas partes diuiſiſſet, ſibi & Eliſeo iter reddit expeditum, & aridam facit eam, quæ eſt humida. Qui poſtquam traiecit, Pete, ait Eliſeo, quod vis tibi faciam, priuſquam à te aſſumar. Ille autem dicit ei: Fiat duplex ſpiritus tuus ſuper me. Is vero dixit: Fuiſti durus in petendo: pro eo, quod eſt: Fuit magna

Elias curru igneo vehitur in cælũ. An. mundi 3139. Vide Turniellũ ibidem.

& difficilis tua petitio, & quæ non facile poteſt concedi: attamen ſi videris me aſſumi, erit tibi ſicut petiiſti, ne ſit tua fides hebetior. His autem adhuc ambulantibus, & ſimul colloquentibus, ecce currus igneus & equi ignei, & diuiſerunt eos à ſe inuicem. Et cum currum aſcendiſſet Elias, aſſumptus eſt in cælum in commotione, & quo nemo alius aſcenderat cum corpore: Coniunctam enim carnem non amiſit, ſed adhuc cum ea viuit.

Rurſum pallio Eliæ diuiduntur aquæ Iordanis.

C VM eum autem vidiſſet Eliſeus aſcendentem: Pater mi, clamabat, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. Et XV.
non vidit ipſum amplius: & dolore affectus, apprehendit veſtimenta ſua, & ea diſcidit. Elias vero pallium ſuum ad eum ex alto deiecit, vt vel ipſum videns, acciperet conſolationem, & per ipſum faceret, quæ vellet. Poſtquam enim illud accepit, reuerſus ſtetit in margine fluuij. Et cum non poſſet traijcere, percuſſit aquas pallio, imitans magiſtrũ, & aquis ſtatim diuiſis, per aridam tranſit in humida, ſicco pede præteriens Iordanem. Quem cum, qui erant in Hiericho, ſic vidiſſent tranſiuiſſe, dixerunt: Reuerà quieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum. Scit enim ille vel aſſumptus magna largiri iis, qui ei germanè & ſyncerè adhærent, quoniam ille à Deo accepit omnium maxima, & quæ nullus alius. Cui enim conceſſum fuit cælos claudere, aut aperire? Cui aquam continere, aut vnquam deferre in terram? Cui aqua excitare ignem ad ſacrificium, & id cum aqua conſumere? Quis alio igne binos viit quinquagenarios ad arguendum ſcelus? Quis ardenti zelo interficit Prophetas dedecoris, propter ea, quæ colebant, ſimulacra? Quis (nè multa dicam) Deum vidit in aura tenui, cum inedia ſe prius attenuaſſet? Hæc enim omnia ſunt ſolius Eliæ, & eius, qui erat in eo, ſpiritûs.

Q VÆ ſunt autem maiora, prætermiſit oratio, ne videretur dicere, quæ ſunt incredibilia, & à vulgo minimè XVI.
admittenda. Qui ne in hodiernum quidem diem mortis fecit periculum, ſed aſſumptus manet expers ſenij, qui, vt arbitror, vna verſatur cum Angelis, quorum incorruptionem & materiæ vacuitatem per puram vitam eſt imitatus.

Pſal 90. Matth. 17.

De quo maximè à Dauide quoque dictum eſt, Longitudine dierum eum eſſe impletum, & Dei ſalutare ei eſſe oſtenſum. Etenim is etiam cernitur in transfiguratione vultum Dei nudum adſpexiſſe, ſtans facie ad faciem. Porro autem etiam in fine ſæculorum, quando Dei aduenier perfectum ſalutare, ipſe Deum venientem prædicabit ante alios, &

Malac 4. Matth. 17.

aliis oſtendet ſcilicet, & multis diuinis ſignis diem, qui eſt occultus, confirmabit & patefaciet. Cui nos etiam parati occurramus hunc diem habentes admirabilem, nobis complanantem eam, quæ ad illum ducit, ſemitam, & ad cæleſtia deducentem tabernacula: In Chriſto Ieſu Domino noſtro: Cui gloria & potentia nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA S. VVLMARI ABBATIS ET CONFESSORIS,

APVD BOLONIAM FRANCIÆ QVIESCENTIS, CONSCRIPTA PER MOnachum monaſterij eiuſdem S. Vulmari Bolonienſis: ſtylum alicubi mutauimus.

IVLII 20.

Parentes S. Vulmari. Vxorem ducit, ſed ſtatim eam dimittit. Fit monachus.

SANCTVS Vulmarus in inferioribus Galliæ partibus, haud longè à maris litore in pago Bolonienſi in Syluiaco nuncupata, ex Chriſtianis atq́; inclytis parentibus eſt editus. Pater eius Vulpertus, mater autem Duda, frater vero Vulmarus dicebatur. Sed præfatus vir ſanctus Vulmarus tempore iuuentutis ſuæ coniugem duxit nomine Hiſtoraldam, quæ prius erat deſponſata alteri viro nomine Vulmaro, ac proptereà apud Francorum principem grauiter Dei famulus accuſabatur, cuius imperio & iuſſu, priori ſponſo Hiſtoralda reddita eſt. Sanctus verò Vulmarus poſtquam reliquit coniugium, petiit monaſterium quod in pago Hanuonienſi ad Sambram fluuium ſitum eſt, diciturq́; Altimontis, vbi tunc monaſticus ordo florebat. Suſceptus vero à Rectore eius cœnobij, demandatum ſibi ab illo ſatis vile & abiectum miniſterium obedientiæ cauſa in ſe recepit, vt quod circa paſcendos boues, & ligna ad fratrum officinas importanda verſaretur. Quod munus prompto certè animo executus eſt. Sed poſteà, inſtigante eum ſpiritu Dei, ad ludum literarum perrexit, ac ſibi alphabetum exarari poſtulauit. nam antea illiteratus erat. Inde reuerſus, dum quodam die de more pergebat ad ſyluam, tabellam alphabeticam arripuit, quam manu geſtans lectitabat, bobus ipſum cum vehiculo ſequentibus. Qui cum intentus eſſet ſuæ lectioni, ſubſtitit parumpèr vehiculum, quo reſumpto inceptum peregit opus, ligniſque eidem impoſitis ad fratrum cellas diuexit. I.

Fit Clericus

POSTQVAM verò ſanctum eius ſtudium Abbati innotuit, ab hoc miniſterio abſolutum, literis nauare operam II.
præcepit, altero in eius locum ſubrogato. Deinde adſcriptus in clerum, nihil ſolitæ humilitatis depoſuit, ſed horis nocturnis, cum ſe fratres quieti dediſſent, omnium purgabat calceos, mundatoſque ſuis reſtituit locis. Cumq́; id operis indeſinenter continuaret, obſtupefacti ſunt omnes vehementer, ac inito conſilio totam rem ſuo indicauerunt

Præclara humilitas eius.

Abbati. Porro Abbas noſſe percupiens quiſnam tantæ humilitatis obiret officium, quadam nocte, in dormitorio vbi cubabat, calceos ſuos ſordibus commaculatos dimiſit. Quos cum Vulmarus more conſueto auferre vellet vt mundarentur, ab Abbate deprehenſus eſt. Qui ſemel atque iterum interrogatus quiſnam eſſet, tacuit: Verum compulſus à præſidente ſuo, tandem, Ego ſum, inquit, Vulmarus filiolus tuus. Tunc ait Abbas ad eum: Fac quod vis. Ille verò, aſſumptis calceis, conſuetum ſumma deuotione peregit opus.

Fit presbyter, ſed vt hominum laudes vitet, petit eremum. *Matth 6.*

INTEREA Dei miles in agone huius vitæ viriliter contendens aduerſus vitia & concupiſcentias, ac de virtute III.
in virtutem progrediens, omnibus tanquam lucidiſſima lampas radios bonæ operationis adminiſtrauit, Deo ſeruiens cum omni manſuetudine & humilitate. Quocirca ſuccedente tempore, dignus ſacerdotali munere ab Abbate & fratribus acclamatus eſt. Sacerdotio igitur initiatus, ob vitæ meritum ab omnibus cum magna reuerentia prædicabatur. Sed vir Dei laudes hominum non ferens, timenſque per huiuſmodi adulationes ſe aliquando æterno brauio priuandum (Sicut de quibuſdam in Euangelio dicitur, Receperunt mercedem ſuam) in eremum aufugit, nihil ſecum ferens niſi ſacerdotalia veſtimenta & bipennem.

Iſte locus non longe diſta à Casleto, oppidulo Flandriæ. *Pſal 144.*

POSTQVAM igitur egreſſus eſt de monaſterio, perrexit recto tramite ad partes Aquilonares, veniensq́ue in pagum qui Mempiſco antiquitus dicebatur, vbi erat immaniſſima ſylua, ibidem cauam arborem conſpicatus eſt, in IV.
qua tres dies delituit non ſolum humano orbatus ſolatio, verum etiam omnis cibi, & potus expers. Tunc pius & miſericors Deus, qui nunquam deſerit ſperantes in ſe, ſed dat omnibus eſcam in tempore opportuno: miſit Angelum ſuum ad quendam eius loci virum fidelem, qui in viſione eum increpabat, dicens: Tu quidem hic delicias tibi præparas, & ſeruus meus illa in eremo periclitatur fame. Expergefactus ille, viſionem ſuæ pandit vxori: attamen reſtatus eſt,

rus eſt,ſe ignotare locum,quo deferendi erant cibi,atq; vbi Dei famulus moraretur. Cui vxor eius reſpondit: Fac, inquit,quod tibi iniunctum eſt diuinitus. Dubium non eſt,quin Angelus Dei bonus comitabitur te, & deducet ad deſtinatum locum: ego vero parabo cibos,tu interim aſcende equum; & freno remiſſo quocunque voluerit eat,quia Dominus perducet te ad locum vbi eius famulus conuerſatur. Obtemperat vxoris conſilio maritus,& recta peruenit ad arborem,vbi ſeruus Domini Ieſu Chriſti ſedens orationibus vacabat: quem vt vidit, Tune es, inquit,ſeruus Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui mihi præcepit tibi afferre prandium? Qui reſpondens, Licet indignus, ait,tamen ſeruus Ieſu Chriſti ſum, eique quantum valeo militare deſidero: & gratias agens pro accepta annona, ſurrexit, & cum hoſpite ſuo vnà cibum ſumpſit.

Iuſſu angelico per quendam virum paſcitur.

V. POSTEA ille idem vir ad Dei famulum ait: cum Dei ſeruus ſis & verè ei militare deſideras, veni mecum,& tribuam tibi fundum hæreditatis meæ,vbi monaſterium conſtruas,atque ad ſeruiendum omnipotenti Deo monachos congreges. Sanctus autem Vulmarus primò renuit: verum poſteà eius precibus & ſanctæ deuotioni acquieſcens,cum eo profectus eſt: acceptaq; hæreditatis eius portione,condidit monaſterium,plurimosque ad inſeruiendum Deo ſibi attraxit. Deinde vir memoratus ei filium ſuum commiſit,vt eum tam literis quàm virtutibus imbueret,ac in omnipotentis Dei ſeruitio educaret. Poſthæc reliquam hæreditatis ſuæ portionem illi adiecit. Adiuncti ſunt etiam S. Vulmaro prænominati viri fratres germani, aliique quamplurimi viri illuſtres,ſuas eidem monaſterio tradentes poſſeſſiones.

Conſtruit monaſterium. Multi ſanctum eius inſtitutum amplectuntur.

VI. CVM itaq; bonum ille certamen certaret,& fidelem Chriſto Domino nauaret operam, cœpit multis clarère virtutibus & ſignis. Qua de cauſa multi tam ex longinquis quam ex propinquis regionibus permoti fideles, ad eum confluebant,ac ſumma reuerentia amplectebantur. At ille humanos honores declinans nè quam illi elationem,animi adferrent,ad pagum Bolonienſem,in quo natus fuerat,ſe clam ſubtraxit. Ingreſſus autem ſyluam, quæ vno tantum miliari ab eius diſtabat patria,& iure hæreditario ad ipſum ſpectabat,cœpit in ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ & beatiſſimi Petri Apoſtoli honorem ædificare eccleſiam. Quo cum illum inuiſendi gratia complures vtriuſque ſexûs conuolarent homines,verbo Dei eos reficiebat,& ſub regulari habitu regebat: diu noctuque ſeruiens Deo in vigiliis,in ieiuniis.in frigore & nuditate,in orationibus,atque in multa patientia:

Reuertitur Boloniam, ſic in vicina ſylua aliud condit cœnobium.
2 Cor. 6. & 11.

VII. QVODAM tempore ambulabat eiuſdem S.viri germanus frater Vulmarus nomine per memoratum nemus, reperiebatq; anachoretam Chriſti ante ſuum tugurium ſtantem ac manualibus inſudantem operibus, ignorans quia germanus eius eſſet, qui interrogabat eum,dicens: Quis es tu? & vndè venis,& quid hîc agis? Eremita autem Chriſti non ferens illum diutius in tali ignorantia commorari,germanum eius ſe eſſe profeſſus eſt. Ille verò ex fratris reſponſo hilarior effectus, Eamus, inquit, & deſcendamus ad paternas ædes & ſalutemus matrem noſtram & conſolemur eam,quæ longo tempore tuam doluit abſentiam. Sanctus verò Vulmarus fratris monitioni non acquieſcens,dixit: Non ibo. Tu verò & ipſa,quantum poteſtis,aliquam annonæ conſolationem mihi impendatis: & ego quantum præualeo in conſpectu Dei omnipotentis memor ero veſtri. Qui cum reuerſus domum hæc ſuæ enarraſſet matri,illa de filij ſalute multum gauiſa eſt,& exindè cibaria eidem procurauit deferri.

Monachorum eſt, aliquando manualibus vacare operibus. Recuſat inuiſere matrem.

VIII. QVODAM tempore cum prænominatus Vulmarus ſuo fratri cibos deferret,& eum ſolito loco non inueniret: cœpit magnos emittere eiulatus,& acclamare Vulmarum, Ille verò fratri occurrens, Nè inquit,frater mi, tales amplius edas clamores. Tunc ſuſpendens in quadam arbore ligneam tabellam cum malleo, iuſſit victualia deferenti decætero tabellam percutere,& hoc ſigno fratrem euocare, Hæc enim in perpetuam rei memoriam cum prædicto malleo in eius cœnobio conſeruatur.

Tabella lignea loco nolæ.

IX. CONFLVEBANT ad ſanctum Dei vtriuſq; ſexus complures homines,ſub eius ſacro inſtituto militare cupientes,quos ille omnes benigniſſimè ſuſcepit,ambroſia cæleſtis diſciplinæ depaſcens, ac nectare diuini amoris inebrians: Semota tamen habitatione virorum à manſionibus mulierum, quibus ſanctiſſimæ conuerſationis Bertannam Abbatiſſam neptem ſuam præfecit, eandem inſtruens,quomodo concredito ſibi ſanctimonialium gregi curam gerere debeat,ne ab inuiſibili lupo fidelium caulas circuncurſitante aliquæ ſuffocentur, ſed per maternas eius exhortationes in fide,caſtitate,ac omni opere bono confirmentur. Ipſe verò paſtor erat monachorum, non mercenarius: ſed eius inſequendo veſtigia qui de ſe ipſo ait, Ego ſum paſtor bonus,bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Mercenarius autem veniente lupo fugit & dimittit oues.

Conuentũ monialium inſtituit.
Iohan. 10.

X. ANNO incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo octogeſimo octauo,quando prænominatam Baſilicam in honorem S. Mariæ virginis & beati Petri Apoſtoli idem vir Dei extruxerat,venit ad eum Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum,iam in Britannia factus catechumenus, vt ab eo in fide Ieſu Chriſti magis inſtrueretur & confirmaretur. Dixitque ei: Audiui te virum eſſe ſanctum. Duo igitur abs te peto, vt me fluctuantem animo in fide confirmes, & quæ ſit animæ meæ ſalus edoceas: ſimul etiam ores pro me Dominum Deum, nam meæ orationes valdè frigent. Cum ergo vir Dei audiſſet regem,& ei benè precatus eſſet; ille diuinitus permotus,profectus eſt Romam, atq; illic ſacrum baptiſma ſuſcepit. Idem verò Rex triginta ſolidos maioris monetæ, viro Dei reliquit ad vſum prænominatæ eccleſiæ. Qui poſteà plenus operibus bonis, Deoque diu noctuque ſeruiens, feliciter ex hoc ſæculo migrauit ad Chriſtum.

De Ceadualla vide Bedam lib 4. cap. 12. 15 & 16. lib. 5. ca. 7. hiſtoriæ gentis Anglorum. Idem Rex Romæ baptizatur, conſentit Beda & Baron an. 689.

XI. HIC paſtor bonus,commiſſis ouibus diligentiſſimè inuigilans,ſolebat frequenter prætactas viſitare & conſolari moniales; nam deerant illis aliquandò alimenta corporalia. Sed vir ſanctus pabulo euangelicæ exhortationis prius eas enutriens: Quærite,ait,primum regnum Dei & iuſtitiam eius,& omnia neceſſaria adijcientur vobis. Quid ſolicitæ eſtis? Iactate cogitatum veſtrum in Domino,& ipſe vos enutriet. Quod ita ſæpius noſcitur eueniſſe. nam priuſquam eius ſermo finiretur,quidam ſuperuenientes deuotionis cauſa,tabellam memoratam pulſabant, ac cibos abundantiſſimè deferebant,quibus illæ enutritæ. gratias Domino egerunt,qui non deſerit ſperantes in ſe.

Matth. 6. Pſalm. 54.

XII. ALIO autem tempore fur quidam,praua ductus cupidine,abſtulit equum viri Dei. Qui cum tota nocte errabundus vagaretur,nec poſſet attingere locum,quo tendebat: manè verò alterius diei antè portam monaſterij inuẽtus eſt equo inſidens,de quo nec per ſe deſcendere valuit,nec ab alio deponi. Quod cum duo ex diſcipulis viri Dei animaduerterent,apprehenſum duxerunt ad Abbatem ſuum,qui corrigiens eum, ac monens nè amplius tale ſcelus perpetraret,propius acceſſit,& eum ab equo leuauit,liberumq; dimiſit. Tunc longe lateq; diffuſa eſt ſanctitatis eius fama,ac permulti ad eum veniebant,eulogias ac permulta munuſcula eidem offerentes. Ille verò omnes in Dei ſeruitio confirmans,quæ attulerant bona,propriis manibus pauperibus erogabat.

Fur quidã proditur diuinitus. Benignitas viri Dei in pauperes.

XIII. DEINDE quantas miles Chriſti ſatanæ paſſus ſit inſidias, quam viriliter colluctatus ſit aduerſus propriam carnẽ,quas tolerauerit malorum perſecutiones,quantam famem,frigora,aliasq; plurimas incommoditates pertulerit, longum eſſet attexere. Deniq; multo iam ſenio grauatus,in moleſtam corporis infirmitatem incidit: accitiſq; ad ſe fratribus,ſuum obitum prædixit. Poſtquam autem hæc ad notitiam ſanctimonialium peruenerunt, quæ non longè ab eo loco morabantur,rogabant, vt ſe inuiſendi copiam ipſis faceret. Verùm ille plenus ſpiritu ſancto proteſtabatur,quod nunquam hic eſſet eum viſura aliqua mulier. Eadem nocte feliciter obdormiuit in Domino. Factuſq; eſt planctus magnus & vlulatus virorum & fœminarum in eodem cœnobio,propterea quod tanto paſtore orbarentur.

Prædicit ſuũ obitum
Feliciter obit mortẽ.

Nebula eius corpus obtegitur, nè à monialibus videatur.

Deniqve impoſito eius ſacro corpore pro more iſtius regionis ſarcophago, accurrebant moniales illæ, cupientes vel defunctum videre, quem viuum non meruerunt viſitare: Sed nebula corpus eius obtegente, non niſi luminaria & faces quæ funus antecedebant, ac turbam quæ ſequebatur, conſpicere potuerunt, loculo in quo ſacrum illud pignus quieſcebat, ſub illarum aſpectum prorſus non veniente: ſicut ipſe ſanctus adhuc in viuis prædixerat, non ſe vnquam viſurum fœminam. Sepultum eſt autem beati viri corpus cum multa reuerentia apud Boloniam, vbi multis coruſcat miraculis. Obiit vero 13. Calendas Auguſti.

Miracula ad eius tumulum.

Prætere a quamuis permulta Dominus, per ſancti ſui Vulmari merita, operatus ſit ad eius ſepulcrum miracula, dimiſſis plurimis ad vitandam prolixitatem, pauciora perſtringam: quoniam adhuc oculari teſtes ſuperſunt, qui ea ſe vidiſſe affirmant. Quidam clericus Andcboldus nomine, paralyſi vexatus, ita vt quatuordecim annorum ſpatio, nullo ſui corporis membra fungerentur officio, diuinitus admonetur, vt Baſilicam ſancti Vulmari inuiſat. Qui manè conſurgens, venit Boloniam in profeſto ſancti Michaëlis Archangeli, quod tunc in diem ſabbati inciderat: noctèque ſequente, dum fratres eius monaſterij matutinas decantarent laudes, ille ad ſepulcrum ſancti Dei orationibus vacabat, atque ità miſeratione diuina priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt, & remeauit ad propria. XIV.

Sanatur paralyticus.

Alivs quidam clericus Marcſ idus nomine, qui eccleſiæ ſancti Martini pontificis præerat, conuocatis famulis ſuis ad ſecandum fœnum, iuxta flumen quoddam regionis illius, quo die feſtiuitas beati Vulmari à populo ſolenniter celebrabatur. illi aiunt: Hodie nobis minime licet operari, quia feſtum ſancti Vulmari eſt. Ille vero auaritiæ ſtudens ſuperbe reſpondit: Colant eius feſta qui volunt, vos autem ſine dilatione iniunctum vobis implete ſeruitium. Verum omnipotens Deus, volens declarare, quanti eſſet meriti, cuius feſta celebrabantur, tanta aquarum immenſitate fecit excreſcere vicinum alueum, vt ſua inundatione, iam tertio ſuperficiem terræ operiret, & omne fœnum ad litus maris vſque proijceret. Præfatus vero clericus horrore nimio perculſus, quandiu maneret in viuis, ſe feſtum ſancti Vulmari celebraturum deuouit, atq; ita diuinæ pietatis diſpenſatione emendatus eſt. XV.

Attende vindictam Dei in violatorem feſti eius,

Alio item tempore tertiodecimo Calendarum Auguſti, cum feſtiuitas ſancti viri coleretur, quidam ruſticus ab amico ſuo admonitus vt ſecum ad tanti viri ſolennitatem aſcenderet, ire contempſit: ſumptoq; vehiculo ad vicinam ſyluam pro lignis deferendis perrexit. Iterum eum is ibidem ſolus eſſet eo tempore quo ſacra Miſſarum ſolennia agerentur, ſubito tanta tempeſtas exorta eſt, tot fulgurum coruſcationes & infeſta tonitrua, vt extremam vitæ ſuæ horam adeſſe crederet. Qui cum huc illucq; diſcurreret, vt ſub aliqua arbore ſaluaretur: ramorum fragor interitum illi minitabatur. Sed & vehiculum quod ad ſyluam deferebat, ante oculos eius confractũ eſt. Tãdem in ſe reuerſus, clamauit in cælum, Dei miſericordiam, ac ſancti Vulmari crebris vocibus exorans clementiam: ſimulq; profeſſus eſt, ſe omnibus diebus vitæ ſuæ (ſi ei Dominus per ſancti ſui merita vitam concederet) eius feſta deuota mente velle venerari. Nec mora, reddita aëris ſerenitate, domũ incolumis peruenit, confracto tamẽ præfacto vehiculo. Quis non intelligat, pro contemptu ſancti viri eũ fuiſſe caſtigatum, ac rurſus per eius merita miſericorditer liberatũ? XVI.

Item in aliud.

Hoc quoque ſilentio prætereundum non eſt, quod ego ipſe & complures alij propriis oculis conſpeximus. Quodam tempore in natali ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi, cum inter diuina Miſſarum ſolennia ſanctum legeretur Euangelium quidam peregrinus ſurdus ac mutus, noſtrum orationis ergò ingreſſus eſt monaſterium, cuius diuina largiente clementia ac ſanctiſſimi Vulmari interuenientibus meritis, vinculũ linguæ eius ſolutum & aures apertæ ſunt: ita vt is (ô ſtupendum miraculum) qui ab infantia hoc laborabat incommodo, apertè loqueretur & ad interrogata reſponderet. Solebat idem nobis referre ſeriem ſuæ curationis & ordinem. Videbat enim quendam virum, cum ſacrum legeretur Euangelium, canitie & vultu venerabilem, & manu baculum ferentem, ad ſe accedere, qui inſufflabat in auriculam eius, & linguam extrahebat. Quo facto, æger obriguit: & ſeipſo in terram deiecto, ſanguis per os & nares eius copioſe manauit. Poſt hæc terribilem emiſit vocem, ita vt qui adſtabat populus, crederet eum ſuis orbatum ſenſibus. Aſt poſtquam omnes intellexiſſent diuinam clementiam erga eum operatam, vna voce benedixerunt Deum, qui per S. Vulmari merita tales dignabatur operari virtutes. XVII.

Surdus & mutus audit & loquitur.

Eodem ferè tempore quidam puer, ex grauiſſima infirmitate percuſſus paralyſi, ità vt per annum penè integrum ambulare nec ſurſum ſe erigere valeret, vel ad momentum in ſcamno ſedere, cui dum opportunitas adeſſet quoquam eundi, inſtar ranæ manibus ſe ad terram ſuſtentans, debilia membra poſt ſe trahebat, ad Baſilicam ſancti viri adductus eſt. Qui in oratione proſtratus, preces omnipotenti Deo pro ſua ſanitate profudit: & exauditus eſt. Nam cum veſpertinalis ageretur oratio, de terra, in qua pronus iacuerat, ſurrexit, atque ilico omnibus videntibus ad altare deuenit, ibique orans, Deo & beato Vulmaro pro ſua curatione gratias egit. Et exinde omnia eius membra ita ſolidata ſunt, acſi nullam vnquam eſſent paſſa læſionem. Interea plurimi, diuerſis temporibus, à ſua infirmitate priſtinam ſanitatem nobis adſtantibus recipere meruerunt, largiente Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. XIIX.

Paralyticus curatur.

An. 851.

PASSIO PAVLI DIACONI ET THEODEMIRI MONACHI,

SCRIPTA à S. EVLOGIO LIB. 2. CAP. 6.

20. & 25. Ivlii. De Silenando videto huius.

Sanctvs Paulus contribulis noſter, & leuita digniſſimus, cum primo adoleſcentiæ flore venuſtaretur, è ciuibus Cordubenſibus progenitus, ſimplex affatim, obediens, & humanus, ſemper carceratis opem miſerationis impendens, apud baſilicam, quæ corporis beati martyris Zoili præſentia illuſtratur, ſpiritalibus enutritus eſt diſciplinis. Qui exemplo ſanctiſſimi Silenandi, verboque inſtructus, principibus, & conſulibus adſiſtere non extimuit, eosq; de vanitate culturæ ſuæ, & ſceleroſi vatis inſania arguens, Chriſtum quoq; Deum veraciter confitendo, peremptus eſt. Fertur tamen, cum adhuc carcere detineretur, imploratus à Tiberino Pacenſi presbytero, qui ei ita dicebat, Obtine ſolutionem meam coram Domino, beate miniſter, & digno interuentu tuo, dum coronatus Chriſto perueneris, longæuum à me carceris ſqualorem amoue. Erat enim idem ſacerdos pene viginti annos ergaſtulo mancipatus, neſcio ob quod crimen accuſatus ab inimicis coram rege. Qui presbyter florentiſſima adhuc iuuentute præpollens, ac virili præditus venuſtate, illi ſubterraneo ſpecui deputatus, pone decrepitus, & ſenio confectus inde eductus, publicis denium carceribus mancipatur. In his Martyres Chriſti vſq; in horam mortis degebant. In his particidarum, homicidarum, latronum, & ſcortatorum improbi auſus, & execranda temeritas, ac diuerſorum criminum rei ſub arctiſſima macerabantur cuſtodia. In his poſitus prædictus ſacerdos, cauſam ſui carceris beato Paulo commiſit. Cui martyr ſanctus de corona victoriæ confiſus, ſatisfacere optioni eius promittẽs, nõ poſt multos dies martyrij ſui, fidelis ſpõſor cũ carcere abſolutũ, Deo fautore, propriæ vrbi reſtituit. Cõſummauit aũt Dei ſeruus martyriũ ſuum in pace 13. Cal. Aug. feria 2. Era 899. I.

Tiberinus Pacenſis ſacerdos per S. Paulum carcere liberatur.

Annus 851.

Cvivs cadauer inhumatum, & ante fores palatij derelictum, poſt nonnullos dies, quorundã fideliũ curioſitate claro ſublatum, cum beati Theodemiri Carmonenſis monachi corpore, apud ſanctuarium prædicti Martyris Zoili conditum eſt. Qui & ipſe iuuenis poſt ſexta die qua ſanctus decidit Paulus, ideſt 8. Cal. Auguſt. feria 7. era, qua ſupra, occubuit, regnante Domino noſtro IESV Chriſto, qui ſanctos ſuos adiuuit, & coronauit in pace in ſæcula ſæculorum, Amen. II.

Theodemirus Carmonenſis Monachus Martyr.

COMMEN-

COMMENTARIVS DE SANCTO PROPHETA DANIELE, ET DE SANCTIS TRIBVS PVERIS, SIMEONE METAPHRASTE AVTHORE.

ANNO mundi 3460.

I. CVM Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum ciuitatem Hieruſalem bello cepiſſet, & magnam illinc prædam egiſſet, & plurimos abduxiſſet bello captos, & ſplendidè ac magnificè reuerſus eſſet Babylonem, ſui imperij ſedem, nobiliſſimos pueros Iudæorum delegit, & ſibi ad ſuum attribuit miniſterium. Inter quos erant etiam quatuor ex ijs, qui à rege Dauide ducebant originem: pulchri quidem ſpecie corporis, pulchri autem ſpecie quoque animæ, ingenuumque & liberalem adſpectum pulchrè ex vtriſq; oſtendentes: qui etiam ad Ezechiam & Ioſiam viros iuſtiſſimos genus proximè referebant. Cum illos ergo * excidiſſet, & prouidiſſet vt ex menſa regia alerentur, tradit pædagogis, vt in externa ſapientia & ipſa Chaldæorum doctrina pulchrè erudirentur. Ex his vnus quidem vocabatur Daniel: qui ipſum vero ſequebatur, Ananias: & tertius Azarias, & alius Miſaël. Mutatis autem eorum nominibus, Danielem quidem vocat Baltaſſar, Ananiam Sidrach, Azariam vero Miſach, & Miſaëlem nominat Abdenago. Quos quidem & rex amabat, & benignè admodum eos adſpiciebat, eorum laudans indolem: & quod non ſolum valebant ingenio ad diſciplinas, ſed eis quoq; magnum adferebat ornamentum ſolertia & modeſtia. Sed ſic quidem erat rex affectus in pueros.

IVLII 21. ſecundum Latina Martyrologia. — *Dan. 1.* — *Daniel cũ ſociis ex Dauidẽ Rege duxit originem.* — ** excepiſſet* — *Traditur cum ſociis pędagogis cũ eſſet annorũ 12 an. mũdi 3442. vt putat Torniellus ibid. nu. 2.* — *Mutat eorũ nomina Nabuchodonoſor Rex*

II. DIVINVS autem Daniel non ſolum erat laudator virtutis, ſed eam etiam diligenter exercebat. Et ideò aſperitate vitæ corpus affligebat, & ciborum menſæ regiæ non ſolum recuſabat eſſe particeps: ſed aliis etiam cognatis, tribus, inquam, pueris ſic ſuaſit vt facerent. Cum vtriſque ergo viſum eſſet, ab omnibus abſtinere animatis, & veſci ſolum ſeminibus & oleribus, accedentes ad Aſchanerem archieunuchum, cui erat commiſſa eorum cura à rege, eum rogârunt, vt quæ ab ipſo rege ad eos afferrentur, ipſe accipiens conſumeret: pro eis autem præberet legumina & dactylos ad nutrimentum, & ſi quid aliud vellet ex inanimis. In hac enim vitæ ratione dicebant ſe eſſe educatos ab initio, aliam vero deſpicere. Ille autem dicebat ſe eſſe quidem paratum inſeruire eorum voluntati: ſed timere, nè id rex reſciſceret ex corporum gracilitate & vultûs pallore. Neceſſe enim eſſe, vt eis ſimul mutentur corpora & colores cum ratione victûs: & maximè, nè cum alij pueri ſint bonæ habitudinis, ipſi ſint ei cauſa periculi & ſupplicij. Cum itaque cautione hac in re vteretur Aſchanes, ei perſuadent pueri illi egregij, vt decem dies hæc illis præberet experiendi cauſa: & ſi non mutaretur quidem eis corporum habitus, ſineret in eis perſeuerare. Sin autem viderit diminutos, & alijs ſe habentes deterius, eos ad priorem victus reducat rationem, & faciat vt fuit ei imperatum. Cum verò eo alimento vtentes nihil offenderentur, ſed & corpora eorum melioris eſſent habitudinis, quàm aliorum, & adſpectu pulchriora, adeo vt qui eos videbant, putarent Danielem quidem & tres alios viuere in omnibus lautitijs & delicijs: alios autem pueros veſci parcius, nec eis ſuppetere ea, quæ ſunt ad vſum neceſſaria.

Daniel corpus caſtigat — *Daniel cũ ſocijs regiis epulis anteponit legumina.*

I.I EX illo tempore, cum reuerentia, Aſchanes quæcunque quidem è ſua cœna, vt ſolebat, ad eum mittebat Rex, ipſe accipiebat: quæ prædicta ſunt vero, eis ſuppeditabat. Illi autem, vtpotè quod eis animæ propterea euaſerant mundæ & aptæ ad ſuſcipiendas diſciplinas, omnem citò didicêre doctrinam, tam quæ erat apud Hebræos, quã quæ apud Chaldæos: maximè verò Daniel, qui cum iam eſſet ſatis doctrina prouectus, ſtudium quoque poſuerat in iudicio ſomniorum: eique Deus manifeſtè apparebat: à quo cum eius mens informaretur, ex futuris multa euidenter prædixit. Secundus annus præterierat, ex quo capta fuerant Hieroſolyma, & Rex Nabuchodonoſor ſomnium videt admirabile, cuius euentum in ſomnis ipſe Deus ei ſignificauit. Ille autem cum ſurrexiſſet è cubili, & ipſius ſomnij eſt oblitus, & illius, quam à Deo habuit, coniecturæ. Chaldæis ergo protinus acerſitis, tam qui erant inter Magos eximij, quàm qui periti diuinationis, dixit eis ſe vidiſſe ſomnium, & quid ſignificauerit: porrò accidiſſe, vt eorum obliuiſceretur, quæ viderat: & iubebat eos dicere quodnam eſſet ſomnium, & quænam eſſet ſignificatio. Illis verò dicentibus fieri non poſſe ab hominibus, vt, niſi ipſe expoſuiſſet viſionem, coniecturam enunciarent: ipſe mortem minatus eſt ſapientibus, niſi ei & viſionem reuocarent in memoriam, & coniecturam ſimul enunciarent. & ſtatim iuſſit eos omnes interimi, cum pronunciaſſent ſe non poſſe facere id, quod iuſſi fuerant.

Victus tenuitas facit ad ſuſcipiẽdam eruditionem. — *Dan. 2.* — *Vidit ſomnium Nabuchdonoſor Rex.*

IV. CVM hoc intellexiſſet Daniel, iuſſiſſe Regem omnes occidi ſapientes. inter hos autem ſe quoque cum cognatis venire in periculum, accedit ad Arioch vnum ex Regis ſatellitibus, & rogat, vt ei dicat cauſam, propter quam Rex tam improbè iuſſiſſet occidi omnes ſapientes Chaldæos & Magos. Cum vero de ſomnio ex eo intellexiſſet, & quod iuſſi à Rege hoc ei declarare, qui fuerat oblitus, dixerunt ſe non poſſe: & propterea Rex ira motus, eos morte damnauit: rogauit Arioch, vt intraret ad Regem, & peteret Magis vnam noctem, & in ea hanc differret interemptionem. Dicebat enim ſe ſperare, fore vt cum in ea Deum oraſſet, ſomnium cognoſceret. Et ille quidem hæc Regi quã primum renunciauit. Ille autem cupiens ſcire, quænam eſſet viſio, & quænam eſſet eius ſignificatio, iubet ſuſtineri Magorum interemptionem, donec ſciret, quidnam dicturus eſſet Daniel, & quænam eſſet eius virtus. Hic ergò beatus cum tota nocte cum cognatis ad ſe ſeceſſiſſet, tota nocte Deo ſupplicauit, vt Magos ſeruaret & Chaldæos, cum quibus ipſe quoque ſimul erat periturus, & liberaret ab ira Regis, aperiendo ei viſionem, cuius Rex erat oblitus. Deus autem ſimul & miſertus eorum qui erant in periculo, & volens ſuum Prophetam reddere glorioſum, ei ſignificat ſomnium, & aperuit coniecturam: & cum protinus Daniel hæc Azariæ & cæteris aperuiſſet, eos, qui vitæ ſpem abiecerant, & in mortem ſuam defixerant cogitationem, immutat & reddit lætiores & animo alacriores.

Danieli diuinitus reuelatur ſomnium Nabuchodonoſor.

V. CVM Deo autem cum eis egiſſet gratias, qui miſertus fuerat eorum ætatis, & eſſet dies, accedit ad Arioch, & rogat, vt eum ducat ad Regem. Dixit enim, ſe ei velle ſomnium ſignificare, quod ei accidit vt nocte videret præterita. Ingreſſus verò, primum ſe excuſauit, nolens alijs Chaldæis videri ſapientior: & quòd cum nullus illorum potuiſſet inuenire ſomnium, ipſe id eſſet dicturus. Non enim per experientiam, neque quod ſit ſubtilioris & ſolertioris ingenij, hoc accidit: ſed noſtri, inquit, miſertus Deus, qui veneramus in mortis periculum, mihi pro mea anima & eorum, qui ſunt eiuſdem gentis, precanti, & ſomnium aperuit & eius expoſitionem. Non minorem enim noſtri doloris, quàm tuæ gloriæ curam gerebam, ô Rex, qui viros tam bonos & tam honeſtos, inique mori iuſſeras, cum nihil petiiſſes, quod eſſet humanæ ſapientiæ: ſed hoc ab eis exegiſſes, quod erat ſolius Dei opus. Tibi ergo ô Rex cogitanti, quis poſt te eſſet mundo imperaturus, volens Deus ſignificare, tale oſtendit ſomnium. Viſus es tibi videre magnam ſtatuam ſtantem, cuius caput quidem contigit eſſe aureum: humeros autem & brachia, argentea: ex ære vero, ventrem & femora: tibias & pedes, ferreos. Deindè lapidem vidiſti abruptum à monte, incidere in ſtatuam: & eam comprehendere ac conterere, & nullam eius partem relinquere integram: aurum autem & argentum & æs & ferrũ vel puluere fieri ſubtilius: & ſtatuam quidem vento ſpirante diſperſam fuiſſe in aërem: lapidem verò adeò creuiſſe, vt videretur vniuerſa terra ab eo fuiſſe repleta. Atque ſomnium quidem, quod ipſe vidiſti, fuit tale. Eius autem coniectura hoc modo ſe habet: Aureum quidem caput, te ſignificabat, & qui ante te fuerunt, Reges Babylonios. Duæ verò manus & humeri, à duobus Regibus diſſoluendum eſſe veſtrum principatum, à Perſis, inquam, & Medis. Illorum autem principatum deſtruet quidam alius ex occidente, ære indutus. Is eſt Alexander Macedo & eum faciet a-

Solus Deus nouit cogitationes hominum — *Interpretatio ſomnij regij.*

lius ceſſare, viribus ferro ſimilis. Superabit autẽ omninò propter ferri naturã. eſt enim is fortior auro, argento & ære. eſt verò id potentiſſimum Romanorum imperiũ. Significauit autem ei etiam de lapide, dicens: Lapis qui fuit ſciſſus ſine manibus, eſt Chriſtus. Illud verò, Sine manibus, prædixit eum ſine coitu eſſe naſciturum ex vtero à labe alieno.

Maximis honoribus à rege afficitur Daniel. An. mundi 3453. Vide Torniellũ ibidem. **for. ſubiugarat vel ſubiecerat.* Dan. 3. Aurea ſtatua Nabuchodonoſoris.

NABVCHODONOSOR autem cum hæc audiuiſſet, & hoc eſſe, quod ei apparuerat, ſomnium intellexiſſet, ſtupuit Danielis ingenij magnitudinem: & protinus parua omnia, & ipſum regnum, & imperij magnitudinem eſſe ducens, ſurgit è throno, & Deo paribus illum afficit honoribus. Præterea vero ei quoque ſui dei impoſita appellatione, eum totius regni effecit curatorem. Quinetiam eius cognatos, qui erant ei virtute pares, Azariam, inquam, & cæteros, creat principes Babylonis: quos paulo poſt contigit propter inuidiam incidere in periculum, cum Regem offendiſſent hac de cauſa: Rex ille Babylonis, felici rerum ſucceſſu, & infinitis diuitijs, & multitudine earum, quas * ſubiunxerat, gentium, in ſuperbiam elatus & valde inflatus, & propemodum propter leuitatem ſe deum eſſe viſione apprehendens, propemodum ſe vel deos eo ipſo die putabat poſſe fingere, & ſuarum manuum opera deos contendebat efficere. Hinc factum eſt, vt cum auream conſtruxiſſet ſtatuam, ſexaginta quidem cubitorum altitudine, ſex autem latitudine, eam ſtatuerit in medio campo Babylonis, qui vocatur Deera. Et cum eſſet eam conſecraturus, ex tota terra, cui imperabat, conuocauit primos ſatrapas. Dederat vero eis quoque ſignum, vt non tam temerè, nec abſque aliqua ratione ei honorem tribuerent: ſed tanquam ſigno dato accedentes, cum magno metu adorarent. Fuit autem tale ſignum: Quando, inquit, audierint tubam, hoc magna voce ſignificantem, tunc oportet, inquit, procidentes adorare ſtatuam: eos vero, qui hoc non fecerint, continuo inijci in fornacem ignis ardentis. Vt enim eſſet ei maius & clarius certamen pro ſtatua, iubet fornacem ex diametro diſtantem, pice, ſarmentis, naphtha & ſtuppa accendi è regione ſtatuæ: vt ſi quis conuinceretur iuſſui Regis non aſſentiens, in fornacem ſtatim conijceretur. VI.

Triũ puerorũ magna animi virtus. Mittuntur in fornacẽ. An. mundi 3461. Vide Torniellũ ibid. nu. 4 & ſeqq. Dan 3. Eſa. 43.

CVM omnes ergo, vt iuſſi fuerant, iam reſonante tuba adorarent ſtatuam, hi tres ſoli recuſarunt hoc facere, vt ſacra docent eloquia: vt qui patrias leges tranſgredi minimè ſuſtinerent, & Deum dedecore afficere, & ſimulacro offerre adorationem. Hinc factum eſt, vt apud iniquum Regem accuſarentur. Accedentes autem, qui eos accuſabant: Rex, dixerunt, ij, quibus à te datum eſt imperium regionis, Sidrach, inquam, hic, Miſac, & Abdenago, neque omnino ſuſtinent adorare imaginem, neque tuis iuſſis obediunt. Hæc cum illi dixiſſent, ij ſtatim producti ſunt ante tribunal regium. Quid ergo deinceps eſt conſecutum? Ille quidem rogauit, an vera eſſent, & nollent auream ſtatuam adorare cum alijs. Dicebat enim ſe non credere hæc eſſe vera. Illi verò magno & excelſo animo dixerunt ſe nullum alium habere, niſi ſolum Deum in cælis: qui nos poteſt, ô Rex, eripere ex hac fornace ardente, & ex tuis manibus. Certo enim ſcias, quod nos deos tuos non colemus, & auream, quam poſuiſti, ſtatuam non adorabimus. His tyrannus non minus ira accenſus, quàm fornax ardens, iubet iratus viros robuſtos, Azariam cum cæteris, vinctos cum veſtibus & tibialibus, ità vt erant, in fornacem inijcere. Et illi quidem ſtatim in ignem iniecti, diuina prouidentia conſeruantur illæſi, & admirabiliter ac contra opinionem manifeſtum effugiunt periculum. Non enim eos omnino ignis attigit, neque eos vlla affecit moleſtia. Sed cum vnà cum eis deſcendiſſet & Angelus, ſtatim quidem à circumpoſitis relaxantur vinculis: aura autem rore adſpergens, eis euaſit ignis, & tanquàm in thalamo in media flamma ſtantes, laudabant Deum vniuerſorum: Benedictus es, dicentes, Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabile & glorioſum eſt nomen tuum in ſæcula: & quæ deinceps ſequuntur in cantico. Eos vero qui ipſos accuſabant, Chaldæos, & multos alios ex Aſſyrijs, ignis excurrens perdidit & interemit. Sic gloria & honore coronare nouit Deus eos, qui reuerà nomen illius glorificant. Sic fide dignus eſt, qui promiſit, quod etiamſi per ignem venias, non combureris, neque ardebis. Atque hæc quidem ſic habuerunt, & tres pueri degebant in fornace, laudantes Deum vniuerſorum. VII.

Nihil læſi ſunt ab igne. Rex edit decretum adorandi Deum triũ puerorum.

REX autem rem admiratus, ſtatim quidem ſurgit è throno: dubitabat autem, quomodo tres ab eo coniecti in fornacem, nunc cernantur quatuor, qui nihil omnino graue aut moleſtum ſenſere. Adſpectus vero quarti eſt ſimilis filio Dei. & ſtatim accedens ad oſtium fornacis, Sidrach, inquit, & Miſac, & Abdenago, ſerui Dei altiſſimi, exite & venite. Illi autem ſalui egreſſi ſunt & intacti, cum ne in vnum quidem pilum dominatum obtinuiſſet ignis. Hæc cum vidiſſet Rex, miraculi vel potius miraculorum ſummam ſtupens magnitudinem, nempe quod & tali igne fuerint ſuperiores, & quod non ſolum ſuperiores, ſed nec eorum quidem pilus, res, quæ facillimè flacceſcit & marceſcit, tanta flamma effluxerit: & præterea, quod cum eſſent vincti, continuo fuère ſoluti: & quod cum adhuc eſſent in fornace, auditi ſunt canentes: quod quidem ijs, qui ſunt in flamma, ipſa ſtatim oris apertione mortem ſolet afferre protinus: & quod ille ignis, qui in eis propriæ eſt oblitus naturæ, in Chaldæis, qui erant circa fornacem, fuit verus & perfectus ignis, & nec in loco quidem manens, ſed egrediens & ſaliens, & eos, qui digni erant, comburens facillimè. Poſtquàm ille vidit hæc omnia, ſtatim humi cecidit, &, Benedictus es Domine, magna voce clamauit, Deus Sidrach, Miſac & Abdenago: qui miſit Angelum ſuum, & liberauit ſanctos ſuos pueros ab igne, & à malis conſeruauit illæſos. Deindè etiam edit decretum: Quicunque, dicens, non adorabit Deum Sidrach, Miſac & Abdenago, interibit, & illius bona omnia prædæ erunt. Ipſos autem beatos pueros maiori, quàm prius, honore afficiens, iuſſit Iudæis captiuis præeſſe. VIII.

Aliud regis ſomnium. An. mundi 3463 iuxta Torniellũ. Daniel id interpretatur. Optimum Danielis conſilium.

NON multum interceſſit temporis, & rurſus alia viſio Regi apparet in ſomnis. Videbatur ſibi videre arborem magnam & admirabilem, quæ radices quidem egerat in terra: creuit autem & valde fortis euaſit, & altitudo eius cælum attingebat, & ſpecioſa erat comata folijs, & plena erat multo fructu: omnes verò beſtiæ agri & volucres in ea habitabant. Deinde vox quoque quædam repente ex alto extitit, quæ iubebat arborem excindere, ſolum autem dimitti germen radicis. Fuit itaque exciſa, & eius folia repente effluxerunt: & quæ erant in ea, omnes animantes & volucres, cito receſſerunt. Atque fuit quidem hoc ſomnium. Rex autem è ſomno excitatus, Magis rurſus vocatis narrat id, quod viſum fuerat: & ſimul rogauit, vt dicerent, quidnam ſignificaret. Atque aliorum quidem nullus potuit ſtatim inuenire ſignificationem, & aperire Regi quidnam eſſet futurum: Daniel vero ſolus hoc coniecit: & euenit, ſicut is prædixerat. Dixit enim: Tu es arbor quam vidiſti ô Rex. Non multo poſt autem excides ab imperio. hoc enim ſignificabat ſectio. Deindè etiam vitam ages ſimul cum feris, & fœno paſceris ſicut bos: cumque ſic ſeptem annis vixeris in ſolitudine, imperium rurſus accipies. hoc enim ſibi vult vox illa, Sed germen radicum dimittite. Proptereà ô Rex, tibi meum placeat conſilium, & iniquitates tuas eleemoſynis redime, & peccata tua in miſerationib. pauperum: & fortaſſe in tuis delictis exercebitur lenitas & patientia. IX.

4 Reg. 25. Euilmerodach nomine.

ATQVE hæc quidem poſteà euenerunt, & finem acceperunt, ſicut dixerat Daniel. Cum enim dictos ſeptem annos verſatus eſſet Rex in ſolitudine, neque vllus eſſet auſus regnum aggredi, Deum precatus, vt ſuum regnum reciperet, cum ſucceſſione potentiæ excelſam rurſus mentem induens, in regnum reuertitur: & cum regnaſſet quadraginta tres annos, excedit è vita: vir in rebus gerendis acer & vehemens, & eorum, qui ipſum præceſſerunt, Regum longe feliciſſimus. Poſt deceſſum autem Nabuchodonoſoris, eius filius regnum ſuſcipit: qui ſtatim Iechoniam Regem Hieroſolymorum, quem pater Nabuchodonoſor captiuum duxerat Hieroſolymis, ſoluens è vinculis, habuit inter amicos maxime neceſſarios: ei donans multa munera, & honore afficiens inter eos, qui erant in regno X.

Babylo-

Babyloniorum. Nihil enim boni Iechoniæ omnino oſtenderat pater Nabuchodonoſor: ſed eum in vinculis tenebat & affligebat, etſi Iechonias fecerat rem humaniſſimam, & dignam multis laudibus, vt qui ſeipſum tradiderat cũ vxoribus & liberis, & toto genere manibus Babyloniorum, ne vrbs ab hoſtibus capta euerteretur: vt hæc leges apud Ioſephum narrantem ſingulatim. Cum autem is quoque è vita deceſſiſſet, poſtquam regnâſſet octodecim annos, eius filius ei ſuccedit in imperio: quod cum tenuiſſet quadraginta annos, è vita excedit. Deinde Baltaſat quoque eius nepos fit hæres imperij: Non multum interceſſit temporis, & Cyrus Rex Perſarum, & Darius Medorum, expeditionem ſuſcipiunt aduerſus Babylonem. Cæterum cum regnum accepiſſet Baltaſar, & accidit nouum quiddam & prodigioſum.

4 Reg. 24. Vide Torniellum, anno 3494. & an. 3498. & 3499.

XI. ACCVMBEBAT ille, cœnans in magna domo, & facta ad conuiuia regalia, cum ſuis concubinis & amicis. Ipſe autem, cum ſic ei viſum eſſet, præ magna arrogãtia iubet è ſuo templo afferri vaſa Dei, quæ Nabuchodonoſor eius auus cum rapuiſſet Hieroſolymis, iis nequaquam vſus fuerat, ſed in ſuo templo pie depoſuerat. Hic vero inconſiderata & à ratione aliena inductus audacia, eis vtebatur: & dum biberet & maledicam linguam moueret aduerſus excelſum, ex pariete videt manum procedentem, & in muro ſyllabas inſcribentem. Conturbatus vero à viſione, Magos ſimul & Chaldæos, & quotquot erant Babylone eius generis, qui poterant ſigna & futura coniicere, ſtatim conuocauit, ex illis volens diſcere ea, quæ ſcripta fuerant: Dicentibus autem Magis, ſe eorum nihil intelligere, Rex valde anxius, & magno animi dolore oppreſſus, propter hanc rem inopinatam & valde admirabilem, publico præconio breui edixit per totam regionem, ſe ei, qui has literas & quidnam ſignificarent, eſſet declaraturus, pollicens eſſe daturum torquem aureum, & veſtem geſtandam purpuream, ſicut ſolent ferre Reges Chaldæorum, & præterea tertiam partem ſui imperij. Cum hoc publico præconio ſic fuiſſet promulgatum, adhuc quidem magis concurrebant Magi, & contendebant inuenire, quid ſibi vellent literæ. Nihilominus autem ſtabant dubitantes.

Dan. 5. Baltaſar abutitur ſacris vaſis, diuinitus punitur.

XII. INTEREA Regem angore animi plenum videns eius auia, cœpit repetere, & de Daniele Propheta ei ſignificare, quæ illius auo, Nabuchodonoſori, inquam, propterea, quæ viderat arcana, ei expoſuerat. Eſt quidam, dicẽs, qui fuit ductus huc è Iudæa captiuus, nomine Daniel, vir egregius ad inuenienda arcana, & quæ ſunt ſoli Deo cognita: qui Regi Nabuchdonoſori, cum nullus alius poſſet dicere de ijs, quæ quærebat, omnia pulchre ſignificauit, & edidit in lucem ea, quæ quærebantur. Si eum ergo acceſſiueris, id quod ſcire cupis, mox inuenies. Ille vero eum celerrimè acceſſiit: & cum dixiſſet, quæ de ipſo & de eius audiebat ſapientia, & quòd diuinus ſit cum eo ſpiritus, & ſit ad inueniendum ſolus vel maximè idoneus ea, quæ non veniunt alijs in mentem, rogabat vt ei diceret & ſolueret ea, quæ ſcripta fuerant: etiamſi ſit, inquit, iniucundum & aſperum quod à Deo ſignificatur. Hoc ergo ſi feceris, dabo tibi purpuram, qua te induas: & torquem aureum, quem collo tuo imponas, & tertiam partem mei imperij, futuram præmium & honorem tuæ ſapientiæ: vt ex ipſis euadas longè clariſſimus, & ab omnibus ſuſpiciendus.

XIII. DANIEL autem rogabat quidem, vt ſibi ſua haberet munera: virum enim ſapientem & diuinum non eſſe capiendum muneribus: ſe verò gratis velle iuuare eos, qui opus habeant. Declarat autem ei ea, quæ ſcripta fuerant, nempe vitæ exitum: quod nec ijs quidem, quæ auus eius Nabuchodonoſor paſſus erat, ſupplicijs propter ſuas in Deum contumelias, ipſe didicerat eſſe pium, & vltra modum humanæ naturæ non ſumere ſpiritus: ſed quòd etiam cum Nabuchodonoſor mutatus eſſet in vitam ferinam propterea, quæ impiè geſſerat, & poſt multas preces & ſupplicationes miſericordiam eſſet conſecutus, & rediſſet ad vitam humanam & ipſum regnum: & propreteà Deum, vt qui omnem haberet potentiam, & hominum curam gereret, vſque ad mortem laudaret, ipſe eorum eſt oblitus: & Deum quidem multis inſectatus eſt maledictis, vaſis autem eius vt ſibi miniſtraretur, effecit ſimul cũ pellicibus. Hæc ergo videntem Deum ei eſſe iratum, & per ea, quæ ſcripta ſunt, ei præſignificare, qualis ſit futurus vitæ exitus. Significabant autem hæ literæ, Manel Thecel Phares, hoc vero dicebat lingua Latina ſignificare: Tempus vitæ tuæ numerauit Deus, & in libra appendit: & ablatum regnum tuum diuidet Medis & Perſis. Cum Regi ſic dixiſſet Daniel, quænam ſignificarent hæ in muro literæ, Baltaſar quidem angore & animi dolore fuit oppreſſus propter aſpera illa & triſtia, quæ ei ſignificabantur. Neque tamen ei tanquam Prophetæ malorum, non dat ea munera, quæ fuerat pollicitus, ſed præbuit omnia: quam minatus quidem erat regni euerſionẽ, definitæ eſſe neceſſitatis, ſed non eius qui prædixit, eſſe reputans: ea autem, quæ promiſſa fuerant, implere, boni eſſe viri indicans, iuſtique & veri.

Daniel Regis munera reſpuens, ei explicat ſcripturam. Anno mũdi 3516 iuxta Torniellum.

Iubet Rex licet triſtis Danieli dari munera.

XIV. PRÆTERFLVXIT breue ſpatium temporis, & captus fuit ipſe & ciuitas, ſicut prædictum fuerat à Daniele, cũ Rex Perſarum in ipſum duxiſſet exercitum. Sed Baltaſar quidem ſic è vita excedit: Darius vero, qui Babyloniorum diſſoluit principatum, qui erat etiam filius Aſtyagis, regni ſexageſimum ſecundum annum tranſegerat, quando cepit Babylonem. Qui etiam admirabilem hunc Prophetam ſecum accipiens, tãnquam rem aliquam magnam & precioſiſſimam, duxit in Mediam, magnum [illegible] in eum ſtudium oſtendens & obſeruantiam. Daniel ergo cum eſſet in tanto honore & exiſtimatione apud Darium, & ipſe eius ſermones acciperet, vt qui haberent aliquid diuinum, in eum quoque excitata eſt inuidia ab ijs, qui primas partes ferebant in Media. Et enim inuidebant Satrapæ, videntes eum eſſe in maiore exiſtimatione, & eſſe maius in eum Regis ſtudium, & haberi in maiori apud eum honore. Quærentes autem calumniæ occaſionem & accuſationis, minime inueniebant, nullam enim eis præbebat cauſam, nam neque à pecunijs vinci poterat, & omnem quæſtum deſpiciebat. Hinc factum eſt, vt cum nihil poſſent inuenire, quod de eo dicentes apud Regem, de eius honore poſſent aliquid detrahere, alium modum quærerent, quo eum depellerent, à Regis beneuolentia. Videntes ergo Danielem ter in die precantem, arbitrati ſunt ſe inueniſſe occaſionem, per quam ſint ei allaturi exitium: & accedentes ad Darium, ei renunciant, viſum eſſe omnibus eius Satrapis & principibus, vt nullus ex omnibus ſpatio triginta dierum vllam omnino petat petitionem, neque à Deo neque ab homine, niſi ab ipſo Rege. Qui hanc autem legem fuerit tranſgreſſus, in lacum leonum iniiciatur.

Darius cepit Babylonem.

Dan. 6.

Inuident Satrapæ Danieli.

Quærunt occaſionẽ eundem interimendi.

XV. REX vero non intelligens eorum malignitatem, nec ſuſpicans eos hæc eſſe machinatos aduerſus Danielem, ceſſit eorum ſermonibus. Et alij quidem omnes cauentes, ne tranſgrederentur ea, quæ eis imperata fuerant, quieſcebant: Daniel autem hoc minime curabat; ſed ſicut ei mos erat, ſtans orabat. Hinc cum eum obſeruâſſent Satrapæ, & apparuiſſet ea, quam in ipſum ſtudebant accipere, occaſio, ſtatim venerunt ad Regem, & accuſârunt Danielem, vt qui ſolus tranſgrederetur ea, quæ fuerant imperata. Nam cum nullus, aiebant, alius auderet deos orare, Daniel hoc non vult facere: & ſimul tanquam legis tranſgreſſorem, volebant eum ex lege iaci in lacum leonum, Confidens autem Darius, fore vt Deus eum eriperet, & à feris nihil graue pateretur, iuſſit eum alacri animo ferre quod acciderat: & in lacum iniecto Daniele, cum obſignaſſet Rex lapidem, qui erat ſitus in aditu loco oſtij, receſſit, totam noctem inſomnis tranſigens, vt qui premeretur cura de Daniele.

Daniel mittitur in lacum leonũ.

XVI. CVM autem poſtquam dies eſſet, ſurrexiſſet, venit ad lacum: & cum ſaluum inueniſſet ſignaculum, quo reliquerat obſignatum lapidem, aperiens, nominatim vocauit Danielem, & rogauit, an adhuc eſſet ſaluus. Cum ille vero inferne audiiſſet, & dixiſſet ſe nihil moleſtũ eſſe paſſum, iuſſit eum extrahi è lacu. Cum vidiſſent autem inimici Danielem nihil mali fuiſſe paſſum, Non fuit, dicebant, iſte conſeruatus pp Deum & propter eius prouidentiam, ſed

Manet illæſus.

Æmuli los eius leones deuorant.

quod leones eſſent cibo ſatiati. Hoc illi quidem dicebant, victi ab inuidia. Rex vero odio habens eorum im-
probitatem, iubet quidem multas carnes obijci leonibus: cum ii autem fuiſſent ſatiati, eos in lacum iniici: qui odio
habebant Danielem: vt ſciret, an propter ſatietatem eos non tangerent leones. Planũ vero factum eſt Dario, fuiſſe
diuinam manum, quæ ſeruauit Danielem, cùm iniecti fuiſſent Satrapæ. Nulli enim eorum omnino pepercerunt: ſed
eos omnes vnguibus & dentibus protinus diſcerpſerunt & deuorauerunt, perinde acſi fame laborarent & alimen-
to egerent. Cum ij ergo interiiſſent, qui Danieli parauerant inſidias, Rex Darius ſeipſum oſtendens virum pruden-
tem & patentem veritati, rebuſque apertis & contra quas nihil dici poterat, miſit per totam regionem, laudans De-
um, quem adorat Daniel: & eum ſolum dicebat eſſe verum, & qui in omnes obtinet dominatum. Habebat autem
Danielem in maiori honore, quam vllum alium, oſtendens eum eſſe primum ex amicis. Simul vero cum eo erant et-
iam cognati: Azarias, inquam, cum cæteris, in quos & par erat ſtudium Regis, & in pari eos honore habebat.

Turris elegantiſſima in Ecbatanis a Daniele conſtructa.

CVM is autem eſſet inſignis & ſplendidus, extruxit in Medicis Ecbatanis, turrim, pulcherrimum quoddam æ- XVII.
dificium & factum admirabiliter, quæ in hodiernum vſque diem conſeruatur: ijs autem, qui vident, videtur nuper
fuiſſe conſtructa, atque adeo eo ipſo die, quo illam adſpicit vnuſquiſque. Tam recens eius pulchritudo, & quæ mi-
nime conſenuit tanto tempore, cernitur. Sepeliuntur vero in hac turre Reges Medorum & Perſarum: & is cui ea eſt
commiſſa, eſt Iudæus ſacerdos. hæc ab Ioſepho Iudæo ad verbum conſcripta ſunt. Quoniam autem non ſolum fuit
admirabilis in ſoluendis aliorum ſomnijs; ſed longe admirabilior in ijs, quæ ille ipſe vidit, operæprecium eſt hic
quoque eorum meminiſſe, & oſtendere, quam eſſet eius mens pura & Deo digna.

Viſio Danielis Anno primo Balthaſaris regis, mundi 3499. Expoſitio viſionis.

A magno hoc propheta, cum adhuc degeret Baltaſar in terra Chaldæorum; viſi ſunt quatuor venti cœli in XVIII.
mare irruere, & quatuor magnæ beſtiæ ex eo aſcendere; quæ ſignificabant quatuor magna regna. Quarum vna qui-
dem viſa fuit tanquam leæna, & eius pennæ tanquam aquilæ. ea ſignificabat regnum Chaldæorum. Vrſa autem ſe-
cunda, quæ in ore tria habebat latera: cui vox quoque audiebatur, dicens: Surge, comede carnes multas. ea ſignifi-
cabat regnum Medorum & Perſarum. Et tertia, Pardus: quæ etiam oſtendebatur habens quatuor pennas volucris
ſupra ipſam: & in ea quoq; beſtia cernebantur quatuor capita. Regnum Græcorum per eam ſignificabatur. Quo-
rum potentiſſimos Reges vidit poſtea in forma arietis & hirci. Darium quidem tanquam arietem, in omnibus terræ
partibus cornu petentem: Alexandrum vero tanquam hircum in eum inſurgentem, & viribus ac impetu conculcã-
tem & proſternentem. Quartam autem beſtiam vidit terribilem & ſtupendam, & mirandum in modum fortem:
cuius ferrei quidem dentes, vngues autem ænei. Ea vero ſuperabat omnes, quæ ipſam præceſſerant, viribus & auda-
cia: exedebatque & comminuebat, & reliquas conculcabat pedibus. per hæc docens manum Romanorum, quæ
iamdiu tenet imperium. In cuius capite animaduerti, inquit Propheta, decem cornua & aliud quoq; paruum, quod
inter ea naſcebatur, & tria ex prioribus euellebat radicitus. Iam enim in ipſo fine Romani imperii, quod ſecatur in

Antichriſtus ſubiugabit ſibi Reges terræ.

multos principatus, dicit quidem, fore vt decem Reges ſimul exurgant. hoc. n. ſignificabat viſio decem cornuũ: tria
autem ex his regnis à paruo illo cornu diſſolui, quod cernebat habere oculos hominis, & os magniloquum, & ſupe-
raturum eſſe virium omnium viriorum, quæ fuere à ſæculo, quæ quidem aperte ſignificant Antichriſtum.

Ibidem.

CVM ſic ergo in viſione valde fuiſſet admirabilis Propheta, vidit etiam quoſdam thronos intelligentes poſi- XIX.
tos & ſupramundanos: & Deum gloriæ, tanquam antiquum dierum, præſidentem: qui eo, quod ſit ante ſæcula,
ſic videnti voluerit videri: cuius etiam indumentum erat album, ſicut nix: & capillus eius cernebatur tanquam la-
na pura. Nihil enim obſcurum, nihil triſte, nihil ſordidum apud veram & magnam & primam lucem. Quinetiam

Vidit Daniel per ſimilitudinem filium hominis & Dei. Antichriſtus poſtquam mouit bellum Sanctis, mittitur in tartarum.

thronum quoque eius dicit apparuiſſe, tanquam flammam ignis, & rotas ignem emittentes, & fluuium ignis ante
eum fluentem, & horrenda omnia & terribilia, & admirabilia omnia, & quæ Deum decebant. Mille enim millia,
inquit, & decies mille millia ei aſſiſtentes, pie admodum miniſtrabant. Deinde cum nubibus tanquam filium ho-
minis, filium Dei dixit ſe vidiſſe venientem, & eum ad patrem vſque euntem, & tanquam ab eo dilectum, cum eo
honorifice ſedentem, & ei vniuerſam poteſtatem & regnum omnium dari & honorem. Quinetiam libros ei eſſe a-
pertos, & occulta ei eſſe manifeſta, & omnia adſtare nuda & detecta: & aliorum quidem aboleri poteſtatem & im-
perium: illam autem peſſimam beſtiam & improbitate incomparabilem, quæ mouit bellum aduerſus ſanctos, & os
habuit, quod magna & ſuperba loquebatur, deletam & tranſmiſſam ad ignis conflagrationem, qui nunquam ex-
tinguitur. Deinde vero maieſtatem & vniuerſorum regnum datum ſanctis in æternum.

Dan 8. Alia viſio Danielis & eius interpretatio, Anno Balthaſaris tertio, mundi 3501.

NEQVE vero hæc ſolum (ô beatam viſionem) vidit Daniel: ſed orans quoque, poſtea, & verbis confeſſionis
placans eum, qui eſt ſumme bonus: Eram, inquit, deinceps, Suſis, quæ eſt metropolis Perſidis, & poſtquam egreſſus XX.
ſum in campum cum familiaribus, ecce factus eſt magnus terræmotus, & fugientibus ijs, qui mecum erant, relictus
ſum ſolus. Et ecce quidam ſtans me tetigit, & fecit ſurgere: & quæ ciuibus erant euentura poſt multas generationes,
myſtice enarrauit: Is autem erat magnus ille & primus cæleſtium poteſtatum Gabriel. Qui etiam ſibi, cum ſurrexiſ-
ſet, ſignificauit fuiſſe magnũ oſtenſum arieté, cui multa quidé [illegible]ata erant cornua: habebat aũt vnum altius. Et hæc
quidé cum adſpexiſſet, ait ſe vidiſſe in occidente hircum, qui inde ferebatur per aërem: confligenté vero cum ariete,
& bis cornu petentem, ipſum humi poſtrauiſſe & concul[illegible]aſſe. Deinde vidiſſe hircũ, cui magnũ cornu naſcebatur in
fronte: quo fracto, germinâſſe quatuor, verſa ad ſingulos ventos. Ex ipſis autem exortum eſſe aliud quoque breuius:
quod is qui oſtendebat, dicebat fore vt creſceret. & eius gentem bello inuaderet, & ciuitatem vi caperet, & quæcũ-
que ſunt legis, tolleret: idque diebus mille ducentis & nonaginta ſex. Hæc quidem ſe vidiſſe in campo, qui eſt Suſis,
ſcripſit Daniel: Deum auté eorum, quæ adſpexerat, viſionem dicebat ſic ſibi declarâſſe. Nam arietem quidem dice-
bat ſignificare regna Medorum & Perſarum: cornua autem eos, qui erant regnaturi. Ipſum vero cornu vltimum,
ſignificat ipſum vltimum Regem. Dicebat enim fore, vt is præſtaret cæteris, & diuitiis & gloria & alio ſplendore.
Hircum autem, ſignificare futurum ex Græcis Regem quendam, qui bis cum Perſa confligens, eum pugna vinceret,
& vniuerſum aſſumeret principatum: ſignificari verò à magno cornu, quod eſt in fronte hirci, primum Regem. De-
inde etiam ortum quatuor Regum, cum ille exceſſiſſet: vniuſcuiuſque aũt eorum conuerſione ad quatuor climata
terræ, deſcribi ſucceſſores poſt morté primi Regis, & ſignificari factam ab eis diuiſioné. Futurum aũt alium quoque
quendam ex ijs Regem, vultu quidem impudentem: idoneum vero ad intelligenda problemata: qui & dolo mul-
tos interimet, & ſtabit ad interitum multorum: bellabit autem aduerſus gentem, & eorum leges fortiter diſſoluet:
quinetiã templum quoq; ſpoliabit, & delebit rempublicam, & prohibebit tres annos fieri ſacrificia. Hæc quoq; ſic
facta ſunt, & ad effectum peruenerunt, Antiocho videlicet regnante, qui fuit cognominatus Epiphanes.

Epicureorum ſtultus error.

PRÆDIXIT autem ipſa Daniel multis ante generationibus, cum Deus ei ea oſtendiſſet, & vt ſcriberet effeciſ- XXI.
ſet: vt & qui ea legunt, & conſiderant ea, quæ eueniunt, & Danielem admirentur propter honorem, quo fuit dignus
à Deo iudicatus: & inueniant Epicureos hac in re valde errare, qui & prouidentiam è vita expellunt, & Deum non
cenſent rerum humanarum curam gerere: neque à beata eſſentia, & in quam non cadit interitus, ad hoc vt vniuer-
ſa permaneant gubernari omnia, carentia auriga & curatore. Mundum autem vniuerſum dicunt ſua ſponte ferri:
ſic male ſentientes & dicentes aperte ſtolidi, & neſcientes, quod ne nauis quidem in portu ſeruari potuerit, defe-
cta gubernatore & nautis. Sed quis in rebus honeſtis fuerit adeo ſocors & ignauus, aut auditores tantæ damnârit
negligentiæ

negligentiæ & ſomnolentiæ, vt non aliorum etiam meminerit Prophetæ huius admirabilis, quæ & poſſunt afficere admiratione, & magnam afferre vtilitatem animis auditorum?

XXII. Erat enim tunc apud Babylonios ſimulacrum, quod in magno habebatur honore. Ei nomen erat Bel: cui etiam tanquam deo conſtructũ erat templum & ara, eiq; ſuppeditati fuerant largi ſumptus: & circa illũ erat frequens turba ſacerdotum. Sumptus vero ſpecie quidẽ ac prætextu ſuppeditabantur idolo: reuera aũt ab eius ſacerdotibus latenter conſumebantur. Id ipſe quoq; Rex colebat. is erat Cyrus, qui Dario ſucceſſerat. Qui etiam, ſimiliter atque Darius, honorem conſeruans in Danielem, eum habebat conuictorẽ & glorioſiſſimum oĩm ſuorum amicorum. Hinc etiã factum eſt, vt ei ſuaderet, vt Bel coleret tanquam deum viuentem An non vides, inquit, quod ſimilę quidẽ artabas duodecim quotidie, oues aũt non pauciores quã quadraginta comedat? vini vero ſex totas ebibat metretas? Eſt hoc error manifeſtus & apertè deceptio, ait Dei Propheta. Nam quod intus quidem, eſt lutum, æs aũt extrinſecus, neque pôt eſſe, neq; bibere. Iraſcitur hæc audiens Cyrus: & ſtatim vocat ſacerdotes: minaturque mortem, niſi Bel comedentem oſtenderint. Illi vero. Menſæ cibos, aiunt, appone: nos autem egrediemur: & clauibus ac ſignaculis obſerata ianua, redi die ſequenti: & niſi omnia conſumpta inueneris, nos digni erimus ſupplicio: Sin minus, Daniel, qui & de nobis, & de ipſo deo eſt mentitus Atque Cyrus quidem ſtatim, ſicut dixerant, cibos appoſuit: Daniel autẽ, eis imprudentibus, cinere templi ſolum conſperſit: & cum ſic ambo clauſiſſent & obſignâſſent, receſſerunt. Sequenti vero die accedentes, vident veſtigia mulierum & virorum & puerorum in cinere. Qui etiam capti, oſtendunt occultos aditus, per quos nuper ingredientes, conſumebant ea, quæ apponebantur. Hæc cum Rex vidiſſet, ita ſimul repletur & pudore: & vlciſcens ſacerdotes propter eam, quæ ad hoc vſq; tempus latebat, fraudem, eos omnes interimit: Templum autem & Bel præbuit euertendum Danieli.

Bel ſimulacrum Babyloniorum, anno 3494. Dani. 14 Cyrus Rex Dario ſucceſſit in regno.

Fallacia ſacerdotum Babyloniorum.

XXIII. Cvm Daniel Babylonijs hoc præclarum primum oſtendiſſet factum, quod nullo eorum, quæ propter Intelligentiam & ingenii acumen in admiratione habentur, eſt inferius, deinde etiam ſecundum adiicit. Non ſolum enim iſti nullo plane ſenſu præditi, nullo ſenſu præditum Bel colebant: ſed etiam magnum quendam draconem, qui in domo quadam deliteſcebat, tanquam deum colebant. Hoc opus eſt eius, qui intelligentia percipitur draconis, abducere quidem à Deo vniuerſorum: perſuadere autem, vt adhæreant beſtiæ nequiſſimæ. Tentatur ergo in hoc quoque Daniel à Cyro: & iubebat, vt eum adoraret tanquam vere comedentem & bibentem & viuentem deum. Non potes enim, aiebat, dicere hunc non eſſe deum viuentem. Ille autem, Dominum, inquit, meum adorabo. Is enim eſt ſolus vere viuens, per quem viuimus & mouemur & ſumus. Hic vero ſerpens eſt draco venenatus & malus, qui ſcit quidem nocere, nemini autem poteſt prodeſſe. Quod ſi velis ſcire eum etiam eſſe mortalem, & in quem natura cadit interitus, non autem deum, permitte, ô Rex, & ego eum occidam ſine gladio & virga. Cum vero ei Rex in hoc annuiſſet, & picem ſimul & adipem & pilos coxiſſet hic vir admirabilis, & deinde etiam offas feciſſet, demiſit in os draconis. Ille autem cum comediſſet, confeſtim rumpitur. Hæc cum grauiter tuliſſent, quicunque ex Babylonijs erant ſuperſtitioſi & falſæ religioni dediti, ad Regem acceſſerunt & petierunt Danielem. erant enim reuera inſtigati à dracone, qui non cadit ſub adſpectum, & aduerſus Prophetam magnum furorem conceperant, & iam parturiebant. Accedunt ergo ad Regem, dicentes: Trade nobis Danielem Si minus, te occidemus. iam enim nobis ex tuis factis euaſit manifeſtum, te quoque ipſum eadem ſentire, quæ Iudæi. Eum itaque tradit Rex in manus eorum, non lubens alioqui nec volens, tradit tamen. Illi vero cum eum accepiſſent, rurſus demittunt in lacum leonum. Ii erant ſeptẽ numero, quib. & duo corpora & duæ oues ſingulis diebus erant deputatæ ad eorum alimentum Sex aũt totis diebus, quibus iuſtus fuit cum eis incluſus, relicti ſunt omnino ieiuni & omnis alimenti expertes: vt fame quidem oppreſſi, & omni alio nutrimento carentes, etiamſi Propheta haberet aliquam virtutem, quæ eorum arceret impetum, at fame certe impulſi violentius, maxillas celeriter in eum immitterent ac diſcerperent. Quid ergo Dominus? Traditne feris animam, quæ eum confitetur? aut ſeruat quidem ex ore leonum. relinquit autem eum fame moriturum? aut alimentum quidem præbet ad eſum, ſed per alienigenam aliquem & incircunciſum? Multum abeſt: ſed vt per omnia omnipotentes eius vires & ineffabilis miſericordia fieret manifeſta, diuina quidem manu obſtruuntur ora leonum, vel potius ipſi ſeipſos comprimunt ac contrahunt, angulos ſubeuntes, & nec ſacrum corpus omnino audentes attingere: ſed tanquam quidam ſatellites beneuoli ac fideles, ſuum Regem cuſtodientes, & quos nec famis quidem meminiſſe ſinebat, qui eos vrgebat, metus.

Babylonij colunt draconem.

Actor 17.

Draconem interficit Daniel.

Daniel obijcitur leonibus.

Nota inſigne miraculum: leones ſex diebus manẽtes ieiuni, non lædũt Danielem.

XXIV. Erat autem alius quidam Propheta in Iudæa. is erat ſacer Habacuc, quem ſcio ſatis omnibus eſſe notum. Is ergo, cum panem in diſco comminuiſſet & ius ei immiſiſſet, abibat vt ferret ad meſſores. erat enim tempus æſtatis. Angelus autem Domini ei apparuit, & iuſſit eum id ferre Babylonem ad Danielem. Cum is vero ignorantiam, & eſſe maximum quod intercedit ſpatium, & quam difficile eſſet imperatum, adduceret, protinus Angelus comam capitis apprehendit, & momento temporis impetu ducentis ſpiritus expanſus ſtetit ſuper lacum: & appellauit Dei vinctum, & dixit: Accipe hanc cœnam, quam Deus ad te miſit, tui magnam curam gerens. Hæc Habacuc. Magnus autem Daniel in contritione ſpiritus & humilitate animæ, Meminit vero mei Deus, reſpondit. Fidelis vox eſt teneræ famuli, quomodo bonus quoque Dominus eius curam gerit. Deinde, cum accepiſſet, comedit: ipſe autem Habacuc, cum eadem rurſus virtute illud immenſum tranſuolâſſet ſpatium, (ô celeritatem, ô diuinam pernicitatem) momento temporis ita ſuo fuit loco reſtitutus, vt nondum prætermiſſet hora prandii meſſoribus. Atque hoc quidẽ cum ſit plane ſolius Dei opus & eius immenſæ potentiæ, maius ex ſe habet miraculum, quam vt id poſſit aſſequi ſermo vel cogitatio. Atque ſex quidem dies ſic tranſierunt, Danielem in lacu conſeruantes. Cyrus autem ſeptimo die abiit, vt amicum iam lugeret mortuum, Cum vero deſpexiſſet, & vidiſſet ipſum ſedentem in lacu illæſum, magna voce laudauit Deum rerum admirabilium, & magis quam prius Darius: & illum quidem illinc quam primum extraxit: eos autem, qui ei temere inuidebant, continuo demiſit deuorandos à leonibus. Sic etiam in gentibus cognoſcitur Deus iudicia faciens, vt in operib. manuũ ipſorũ cõprehendantur peccatores, prouidens modo ineffabili. Fuit ergo poſtea Daniel & Regis conuictor, honoremque & gloriam apud ipſũ eſt cõſecutus ſupra omnes eius amicos.

Angelus Habacuc repente perducit Babylonẽ, cibum Danieli afferentem.

Rex laudat Deum Danielis.

Pſal. 9.

XXV. Sed & rurſus admirabilis Daniel conſueta faciens, & perſeuerans in ab initio cœpta abſtinentia, rurſus talibus dignus eſt habitus contemplationibus. Fui enim, inquit ille, tres dierum hebdomadas ieiunans. panem enim deſideriorum non comedi, & caro & vinum non intrauit in os meum: & vnguento non fui vnctus, donec impleti eſſent dies triũ hebdomadũ, & viceſimo & quarto die primi menſis, ego ſedebam prope magnũ fluuiũ Chobar: & ſuſtuli oculos meos, & vidi. Et ecce vir indutus ſacra ſtola, & lumbus eius accinctus auro Hophatz: & corpus eius tanquam Tharſis, & vultus eius tanquam adſpectus fulguris: & oculi eius tanquam lampades ignis, & brachia eius & tibiæ tãq̃ adſpectus æris reſplendentis, & vox verborum eius tanquam vox turbæ. Hæc vidi, & virtus mea defecit à me, & gloria mea conuerſa fuit in interitum: & continuo cado in terram, & ecce manus me tangens, & erexit me ſuper genua mea: & attende, inquit, ad me Daniel, vir deſideriorum, & ſta in ſtatione mea: Quoniam nunc ego miſſus ſum ad te: Quoniam à primo die, quo dediſti cor tuum, vt humiliareris coram Domino Deo tuo, ego veni ad te: & Princeps regni Perſarum ſtetit contra me viginti & vnum diem. Et nunc eſto vir fortis & robuſtus, quoniam ego ſum tecum. Hic multa quidem futura, qui apparuit angelus, Prophetæ myſtice enunciat,

Dan 10.

Alia viſio Prophetæ; Anno monarchiæ Cyri tertio, mundi, 3519. æta[illegible] tis, 94.

de regno

de regno Perſarum & eius euerſione: & ad quos erat deuenturum. Deinde etiam de Regina Auſtri, quæ quidem
poſtea finem acceperunt, & ſcripta ſunt in libris, qui vocantur Machabæorum.

Daniel adhuc iuuenis annorũ 13 liberat Suſannam, Anno mũdi 3438. iuxta Tornullum. *Dan. 13. Gen. 19.*

NON ex his autem ſolis, ſed etiam ex alijs, Daniel apparuit magnus in contemplatione & admirandus intel- xxvi.
ligentia. Et vt alia omittamus, quod de Suſanna factum eſt iudicium, quod diu ante fecit, cum eſſet adhuc iuue-
nis, quidnam reliquit intelligentiæ, quo id poſſit ſuperare? Quæ quidem cum fuiſſet marito fidelis, morte autem
eſſet damnata ex iniquiſſima calumnia eorum, qui illam impudicis adſpexerant oculis, & erat ſimilia paſſura ijs,
quæ Ioſeph paſſus eſt, qui illum tunc eripuit, is eam quoque admirabiliter ſeruat per Danielem: qui ſapiente iudi-
cio ſeniorum conuicit malignitatem, & eos magis morte dignos oſtendit, & vt mortem paterentur effecit.

CVM tanta eſſet intelligentia, tanta gratia & tam magnis dignus eſt habitus contemplationibus: cumque i- xxvii.
pſa Dei arcana, & duplicis verbi aduentus myſteria ſpiritu eſſet contemplatus: quinetiam quæcunq; ſunt alijs plu-
ris facienda, & quæcunque ſunt euentura in fine ſæculi, & eam, quæ tunc erit, afflictionem, & hominum ex ter-
ræ aggere reſurrectionem, & ſanctorum gloriam, & impiorum ignominiam, quæ nunquam deſinit, & Dei profun-
da, quantum poteſt is, qui eſt carne indutus, per ipſa ſcrutantem ſpiritum cognouiſſet, deinde vinculo ſolutus, ter-
ra terræ lubenter tradita, ad Deum, quem deſiderabat, vir deſideriorum abijt, cum his tribus & amicis pueris &
Prophetis perpetuo conuerſans, & nec à nobis quidem, quod ad defendendum & adiuuandum attinet, abſcedẽs:
Ad gloriam Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſupernaturalis & diuinæ Trinitatis: Quam decet honor & adoratio in
ſecula ſeculorum, Amen.

Obit mortem S. Daniel.

Humatus eſt S. Daniel in anguſta cauerna honoribus magnis in Babylone, vbi adhuc ſuo tempore eius monumentum extare habet Epiphanius de vita & inter. prophetarum cap. 10. in fine. *Inde vero eius & trium puerorum reliquiæ translatæ ſunt Alexandriam, & in Eccleſia S S. Ioannis & Cyri poſitæ. Eaſdem Venetias translatas eſſe, & eius Danielis Vercellis, & magnam trium puerorum ſacrorũ pignorum partem Romæ in Diaconia S. Hadriani aſſeruari, ait Baron in notis ad Mart. hoc die.*

ANN. 250.

VITA S. PRAXEDIS VIRGINIS PER ADONEM ARCHIEPISCOPVM TREVIRENSEM COLLECTA. HABETVR IN EIVS MARTYROlogio ſub XII. Kalendas Auguſti.

IVLII 21. A patre ſuo inſtruitur in fide catholica. Sacros fontes in eccleſia erigere Apoſtolici inſtituti eſt, Commendatur virgo ex martyrũ ſepulturis.

ROMÆ natale S. Praxedis virginis. Hæc cum ſorore ſua beata Potentiana, à ſanctiſſimo patre Puden-
te, qui fuit edoctus in fide à beato Apoſtolo Paulo, in omni caſtitate & lege diuina erudita, poſt tran-
ſitum parentis, vigilijs & orationibus, atque ieiunijs aſſidue vacans, omne patrimonium ſuum ſimul
cum prædicta ſorore ſua S. Potentiana, in ſuſtentatione pauperum & Chriſti ſanctorum erogauit.
In titulo vero, quem pater earum Pudens, nomine beati Paſtoris dedicauit, vna cum conſilio beati
Pij Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi, fontem Baptiſmi conſtruere ſoror & ipſa ſtudent, vt familia earũ die ſancto Paſchæ
baptizaretur. Quos ad nonagintaſex numero manumiſſos, beatus Pius aquis ſalutaribus abluit. Inde poſt innume-
ra pietatis opera, poſt multorum martyrum ſepulturas, inter quos beatum Symetrium presbyterum cum alijs vi-
gintiduobus, apud titulum ſupradictum manibus ſuis ſepeliuit, qui per martyrij palmam ad regna cælorum tran-
ſierant: eadem beatiſſima virgo migrauit ad Dominum, coronam iuſtitiæ receptura, duodecima Calendas Au-
guſti. Sepulta eſt in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria, iuxta ſororem ſuam atq; ſanctum patrem Pudentem poſita.

ANN. 260.

ACTA MARTYRII, S. IVLIÆ ET SOCIORVM EIVS, EDITA INTER antiquitates Tricaſſinas à Nicolao Camurat.

IVLII 21. S. Iulia capitur à Claudio. Renuit Claudij nuptias.

TEmpore illo Iulia ſanctimonialis Chriſti, ciuis vrbis Tricaſſinæ, capta eſt à quodam Claudio Impe- I.
ratore barbarorum: cumque eam cœpiſſet, duxit illam in patriam ſuam: vidẽs vero vultum eius pul-
cherrimum, ſtatim voluit eam ſibi coniugio ſociare. Tunc ancilla Chriſti dixit ad eum, ego ſponſum
habeo Dominum meum, cui me voui, & animam meam commendaui, & angelus eius mecum ſem-
per habitat: hic ſi vel leuiter ſenſerit, quod tu me amore polluto contingas, mox contra te furorem
ſuum exagitabit, & iniurias meas in te vindicabit. Cumque hæc audiſſet Claudius imperator, iracundia plenus, ait
ad eam. Et quis eſt ſponſus tuus, vel quis eſt cui poteſtas eſt ab eo data, vt vindicet iniurias tuas de manibus meis. At
illa vt ancilla Chriſti fiducialiter nihil metuens, reſpondit dicens: Dominum meum habeo Ieſum Chriſtum qui eſt
in cœlis, cui me deuoui virginem, qui habet poteſtatem vniuerſæ carnis humanæ: cui ſeruio immaculata, qui po-
tens eſt præſtare omnia ſe ex fide petentibus. At ille audiens hæc, dixit ad eam. Tu vero vt audio Chriſtiana es, at il-
la reſpondens, dixit, vere Chriſtiana ſum. Audiens hæc imperator magis timuit, & exinde ſatis cœpit eam honora-
re: Statimque iuſſit condignum parari cubiculum, vbi nullus virorum haberet ingreſſum: & præcepit puellis vt ei
obſequiũ ſine intermiſſione præſtarent: Cumq; ibidẽ degeret: obſequiũ ſibi vnaquæq; ad inuicẽ præſtabat. Tunc
ancilla Chriſti ingreſſa in cubiculum, orationi & ieiunijs vacare cœpit, maximaſq; gratias agere Deo die noctuque,
qui eam dignã habuit reſpicere poſitam in captiuitate, vt tantam gratiam inueniret in conſpectu Domini Claudij
imperatoris, pro quo tam deuote dominũ ſupplicabat, vt nihil mali eueniſſet in plebe, neq; in domum ipſius regis.

Claudius S. Iuliam honorat.

CVMQVE hoc ageretur: contigit poſt paucum tempus, vt ad bellũ iret Imperator Claudius contra ſuos aduer- II.
ſarios. Et antequam proficiſceretur, vocauit Iuliam ancillam Dei, & dixit ad eã Roga pro me Dominũ tuũ vt ſanus
reuertar de inimicis meis triũphãs. Et ego te amplis honorib. ditabo. Caſtiſſima Dei Iulia, dixit ad eum. Perge ſecurus,
Dñe meus, ego .n. orabo Dominũ meũ & ſanus reuerteris. At ille audito ſermone ancillæ Dei, peruenit ad aduerſa-
rios ſuos nocte, & percuſſit eos vſq; ad internecionẽ Sed cum triumphaſſet de ijs reuerſus in domũ ſuã cum magna
gloria magnoſq; ei apponens honores: vt dominã illã adorauit, non vt ancillã. Intellexit .n. quod per eius oratio-
nes, Dñs ſaluare illum dignatus eſt. Quoniam longum eſt oĩa enarrare per ordinẽ rerum geſtarũ, ego ſi poſsũ pauca
de plurib. dicere curabo. Quotieſcunq; Claudius Imperator ad bellũ pergeret, omnib. inimicis ſuis pſtratis in Dei
nomine victor reuertebatur: quia Dñs noſter Ieſus Chriſtus per orationem B. Iuliæ ancillæ ſuæ hoc illi præſtabat.

Claudius per preces S. Iuliæ hoſtes deuincit.

CVM vero compleſſet ibi Iulia annos viginti & octo: in viſu apparuit ei Dominus dicens. Exurge, inquit, Iu- III.
lia, quia nõ amplius oportet de hic manere, ſed reuertere ad vrbem quæ vocatur Tecaſſis, vnde capta es, quoniã o-
portet te ibidem coronam martyrij accipere. Sancta vero Iulia exurgens prima luce, exultans & laudans & adorans
Dominũ lætabatur ꝙ vidiſſet viſionem hoc iubentẽ, vt ad ciuitatẽ ſuam remearet: magis aũt confortabatur, quo-
niam ad gloriam & laudem Chriſti martyrium ſuſcipere promeruiſſet, dicens quia ſi ibidem curſum meum habeo
cõplere, ad coronã martyrij vocor. Acceſſit ergo S. Iulia ad Claudiũ Imperat. dixitq; ad eũ. Sic enim dignat' eſt re-
uelare mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus, cui ſeruio in corpore, & in ſpiritu meo immaculato, vt reuertar Trecaſ-
ſim, quia ibidẽ me oportet coronã martyrij accipere. Vide ergo Imper. ne velis me hic retinere, & graueris. Claudius
Imper. dixit ad S. Iuliam. Tu hinc vadis, me cui relinquis? Nõ expedit mihi, vt vadas, nã veniẽt aduerſarij mei à quib.
per orationẽ tuã liberare me ſolebas, & occidẽt me. Ideo quæ mea ſunt derelinquẽs, vadam tecũ. Sancta vero Iulia
dixit ei. Relinque oĩa bona tua & veni mecũ, credo quippe in Dominum meũ, quod ſibi acceptabilẽ te faciet, gregi-

Viſio S. Iuliæ.

que

que tuo ſancto. At ille cum audiſſet hæc, derelinquẽs domũ ſuã, cum vxore & filijs aurũ, argentũ, poſſeſſiones multas & infinitas, profectus eſt cum ancilla Dei, non vt alienigena, ſed vt domeſticus ſanctorum, non vt barbarus, ſed vt fidelis Chriſtianus. Non vt lupus, ſed vt ouis Chriſti iter cum ancilla Dei carpit & vtrique properant in fines Trecaſſis. Ingreſſi ſunt vero ciuitatem perſequutionis tempore. Claudius cum S. Iulia Trecas proficiſcitur.

SANCTA vero Iulia hoc agebat vt religioſis qui retruſi erant in carcerem pro nomine Domini Ieſu Chriſti pa-
IV. lam ſe oſtenderet, vt à militibus percuteretur. Poſt non multum vero temporis comprehenſa eſt S. Iulia, & ducta eſt ad Cæſarem. Cumq; oblata eſſet Elidio præfecto, dixit ad eam. Tu Chriſtum adoras quem dicis te habere ſponſũ; ſancta vero Iulia reſpondit. Ego Chriſtũ Dominũ meũ confiteor, nam dæmones immundos non adoro. Tunc præfectus dixit militib. Ite & extendite eã ad trocleas, & carbones ignitos ſupra dorſum eius ponite. Cũq; extẽſa fuiſſet B. Iulia excæcati ſunt oculi miniſtrorũ carnificũ, & clamãtes dicebant: Adiuua nos Iulia, & cũ obcæcati fuiſſent qui eã cædebant, alij miniſtri venerunt, vt ne tuis crudis eã attraherent, & non potuerunt. Quod cũ vidiſſet impiiſſimus Aurelianus, Sanctiſſimã virginẽ in ſua conſtantia permanere: dixit ad eã. Sacrifica diis, aut certe ſi nõ ſacrificaueris, hodie gladio morieris. B. Iulia reſpõdit, ego parata ſũ ꝓ nomine Dñi mei Ieſu Chriſti mori, qui me vocare dignatus eſt: vt completo certamine accipiam coronam vitæ meæ. Tunc Imperator data ſententia, iuſſit eam decollari. S. Iulia capitur. S. Iulia decollatur.

CVMQVE hæc audiſſet Claudius in ancillã Dei geſta fuiſſe, offerens Imperatori dixit, & me cũ ea iube interfici,
V. quia domina mea eſt: Imperator aũt interrogauit quis eſſet? At ille reſpondens, dixit, Ego ſum Claudius Imperator, qui in captiuitate eã duxi: qñ contra Romanos pugnaui. Nam multa mihi Deus ipſius p eã præſtitit bona: q̃ ego p annos viginti & octo venerando ſeruaui Sed cum Deus ipſius apparuiſſet ei nocte p ſomniũ, vt acciperet coronã martyrii, dixit mihi: Noli me retinere domine mi, ſed fac dimitti me vt eã ad vrbẽ Trecaſſinam, vbi Deus meus dignabitur dare mihi coronã. Ego vero dixi ei. Non vades niſi eã tecũ, & ipſa ſancta dixit mihi, relinque poſſeſſionẽ tuã & da pauperibus, & veni mecũ, vt accipias coronã vitæ æternæ. Ego vero relictis oĩbus, ꝓ nomine Domini mei Ieſu Chriſti profectus ſum cum ea vſq; huc. Imperator aũt Aurelianus hæc audiens, dixit ei, Chriſtianus non es, quomodo potes in nomine ipſius mori. Reſpondens aũt Claudius Imperator dixit, credo, ſi ꝓ nomine Dei mei Ieſu Chriſti ſãguinẽ meũ fudero, vere Chriſtianus ero. Nec ante conſpectũ magnæ diuinitatis ſuæ, B. Iuliæ martyris ſuæ meritis, me faciet alienũ. Imperator aũt Aurelianus audiens hæc, data ſententia iuſſit eum gladio percuti extra muros vrbis Trecaſſinæ, vbi glorioſa virgo Iulia à Domino meruit accipere palmam 12. Kalendas Auguſti. S. Claudius decollatur.

QVOD cum regreſſus fuiſſet Imperator in prætorium ſuum, oblati ſunt ei alii viginti: & hæc nomina eorũ, Iu-
VI. ſta, Iocunda, Termis, Antonius, Hetenus, Theodorus, Dionyſius, Appolonius, Appamia, Pionicus, Cuſtion, Papyras, Saturius, & ſocii eorũ quorũ nomina ſcripta ſunt in libro Chriſti & agni. Sed ſimiliter ipſi conſũmauerunt martyriũ ſuũ in pace, ſepultiq; ſunt in ſupradicto loco, in quo Iulia virgo paſſa eſt & ſepulta. Acceperunt igitur coronã vitæ apud Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ confeſſione nominis ſui: quia ipſe dare dignatus eſt vitã æternã, cui eſt honor & gloria, virtus & imperium ſempiternum, laus & poteſtas cum Deo patre, almoque & viuifico ſpiritu, in ſæcula ſæculorum. Amen. *Huius S. virginis corpus in ſanctimonialium Iotrenſi cœnobio in Meldenſi diœceſi conſtituto aſſeruatur, vt teſtatur Molanus in notationibus, quæ ad Vſuardi martyrologium ad exant.* alibi *Iuſtus Iocundus*. Alii 20. martyres decollãtur.

DE BEATA MARIA MAGDALENA, EX AVREA ROSA SYLVESTRI PRIERATIS *Dominicani: In expoſitione Euangelij feria V. intra octauas Paſchæ.*

Ann. 30.

I. CVM anno Dñi 1497. deuotionis gratia antrũ, in quo pœnituit B. Maria Magdalena, & ſacras eius reliquias apud S. Maximinũ viſitaſſẽ, oſtẽſum eſt mihi pluries ſacrũ & venerabile caput eius, grãde valdè, & totũ vndiq; ad os vſq; denudatũ, excepta ea parte frõtis, quã Saluatorẽ omnium dixim⁹ tetigiſſe. Ibi enim pellis ad inſtar quaſi Aethiopiſſæ, ſeu cadaueris tandiu occiſi, clarè apparet, & in pelle duæ foſſæ duarũ extremitatũ digitorũ: quarũ altera multo eſt reliqua euidẽtior atq; profundior, & ſub pelle caro ad albedinẽ declinãs. Oſtẽſi ſunt & in vitrea ampulla ei⁹ capilli, nõ omnes, ſed qui pedes Chriſti terſere: necnõ & ampulla vitrea, plena terra habẽte colorẽ mediũ inter rubeũ ac nigrũ, quã in paraſceue beata Magdalena ſub cruce collegit; quæ, vt oẽs mihi ſine hæſitatione affirmabãt, ſingulis annis in die paraſceues, perlecta paſſione, euidẽter & clarè ebullit, acſi ibi videatur ſanguis ebullire. De qua quid ſentiẽdũ ſit, alias. Vidi & brachiũ eius magnũ & cerei coloris. Oſſa vero eius in capſa argẽtea recluſa, videre nõ potui. Alabaſtrũ quoq; vnguẽti nardi ſpicati piſtici pretioſi, mõſtratũ eſt mihi Maſſiliæ in eccleſia S. Victoris. IVLII 22. Reliquiæ S. Magdalenę apud S. Maximinũ in Gallus. Veſtigia digitorum Chriſti manent in capite Mariæ Magdalenæ.

CVM vero diligẽtius de omnib. pdictis veritatẽ ſcrutari voluiſſẽ, Chronica huius ſentẽtiæ reperi. Carolus rex
II. Siciliæ ſecũdus, & Comes Prouinciæ, circa annũ Dñi, bello nauali cũ rege Aragonũ cõgreſſus, victus & captiuatus eſt, & apud Barcinonẽ moriturus, diro carceri mãcipatus. Cũq; omni humana ſpe deſtitutus, indubitatã mortẽ expectaret in breui, à magiſtro Guilielmo de Tõnanis, Ordinis Prædicatorũ, cõfeſſore ſuo monitus eſt, vt Magdalenã, quæ in terris ſibi ſubiectis prædicauerat, pœnituerat & obierat, in auxiliũ aduocaret. Qui ſtatim firma ſpe de meritis eius cõcepta, ieiunio & cõfeſſione & lachrymis ei ſe cõmẽdauit. Eccè aũt in ipſa vigilia feſtiuitatis beatæ Magdalenę nocte adſtitit ei matrona pulcherrima, Carolũ voce ſonora & proprio nomine vocãs, preces eius exauditas commemorãs, & vt ſe velocius ſequeretur, indicãs. Cũq; pro captiua familia ſua ille precaretur: Sequere, inquit, me, & te ſequẽtur tui oẽs. Sic aũt factũ eſt. Poſt paululũ vero cũ aliquãtiſper proceſſiſſent, illa firmato gradu, & ſe inuocatam Magdalenã eſſe cõmemorãs: Scis, ait, vbi ſis modo? At ille: Intrã muros, inquit, adhuc ſumus Barcinonis, ſi non fallor. Falleris, inquit: ſed iã es intra terminos tui principatus, & prope Narbonã ad * milliare vnũ. Sunt aũt inter Barcinonẽ & Narbonã tres magnæ dietæ, & triginta amplius * milliaria. Tunc ille perfuſus lachrymis: Quid, inquit, ô domina, gratũ rependere ꝓ tanto beneficio poſſum: Dicam, inquit. Cum inſtante bello quodã corpus meũ de meo ſepulchro ſublatũ, & loco eius aliud ſuppoſitum fuiſſet, vt fallerentur inimici, ſi meum corpus abſportare voluiſſẽt, ita factum eſt. Vnde adhuc eo in loco iacent reliquiæ meæ, aliis loco earum ſublatis. Illuc perge, & eas talibus ſignis inuenies. Nam eo in loco vitis eſt, quam ſequẽs, de ore meo prodiiſſe videbis: & ibi eſt caput meum totum nudum, excepta ea carne, q̃ Saluator mundi in horto tetigit, cum eius volui tenere veſtigia. Capilli omnes interiẽrunt, exceptis ijs, qui [a] Ieſu Chriſti pẽdes tetigẽre. Iuxta caput eſt ampulla plena terra madefacta ſanguine Chriſti, quã ſub cruce collegi, & ſemper, quoad vixi, in memoriam Dñi mei ſeruaui. Cum hæc inueneris, honore digno eleuabis, & locũ meæ mortis & meæ pœnitẽtiæ fratrib. meis, id eſt, Prædicatorib. trades. Ego n pdicatrix & Apoſtola fui. Cõuẽti loci, in quo deceſſi, reditus ꝓ cẽtũ fratrib. aſſignabis, vt ſemp ibi vigeat ſtudiũ generale. Et his dictis, diſparuit: Caroius Siciliæ capitur. Liberatur per B. Mariam Magdalenam. * leucam. * leuca. Hoc factũ eſt anno 716. tempore infeſtationis Sarracenorum, vt in chartello iuxta corpus inuẽto annotatum ſe vidiſſe narrat Richard Cluniac in Nicolao 9 & ex eo Baronius, an. 1279. [a] Capilli, qui Chriſti extersẽre pedes, manẽt ſalui.

ILLE vero, facta iam die, Narbonam cernens, in eo loco, in quo Magdalena diſparuit. Crucem figi iuſſit,
III. quæ vſque in præſens, Crux de leuca, dicitur: & S. Maximinum adiens, omnia per ordinem reperit, & iuſſa perfecit. Nam cum in illis duobus locis monachi habitarent, eis contributionem fecit, & loca illa fratribus Prædicatoribus tradidit, aſſignans reditus ſuper gabellis ciuitatis Nicienſis & aliis, iuxta præcepta Magdalenæ. Templum vero reliquiis eius regium incepit, ſed non plene perfecit. Profectus vero ad regnũ, monaſteria duodecim vel plura Ordinis eiuſdẽ Prædicatorũ fabricauit atq; dotauit: in quibus de Magdalena vſq; hodie memoria quotidie agitur: ac tandẽ moriens, cor ſuũ Ordini eidem legauit, q vſq; hodie in conuentu S. Dominici de Neapoli, in eburnea pyxide Carolus Siciliæ rex multa extruit monaſteria Prædicatorum.

reſeruatur, illudque anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimoquinto propriis luminibus inſpexi. Igitur mirabilis Deus in ſanctis ſuis. *Et poſt pauca:*

Pſal. 67.

Ex his autem perſpicuum credo, quantùm Prædicatorum Ordinem Magdalena diligat & magnipendat: IV.
quia ſcilicet Prædicatores ſuos fratres appellauit, & eis theſaurum ſuum, id eſt, ſua loca ſuaſque Reliquias commendare curauit. Quin & Magiſtro generali eiuſdem Ordinis tunc apparuiſſe dicitur, dum Carolum è carceribus exemit, dicens: Vos elegi theſauri mei cuſtodes atque cultores. Propter quod etiam ipſe Carolus tantùm Ordinem dilexit, vt ſuæ ſcilicet liberatrici ſe conformem efficeret. Sed quia de Magdalena ſermo nobis exorſus eſt, vt tanto amori pro viribus & vices & grates referam; nonnulla alia, quæ legi, recitabo. Nam anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo ſanctam baumam, ſeu Italicè balmam, id eſt, antrum, in quo Magdalena pœnituit, quidam mercator Tuſcus deuotionis gratia viſitauit. Hic inde ſic diuino ſuccenſus amore regreſſus eſt, vt ebrius amoris ſpiritu, verba eius relegenti videatur extitiſſe. Hic regreſſus in patriam, ſuæ viæ itinerarium vulgari metro confecit, pulcherrime veridiceque deſcribens & loca, & reliquias omnes, quæ in S. Maximino, in Maſſilia & Arelate & Auinione, & reliquis locis vicinioribus continentur, iuxta ea, quæ oculis noſtris inſpeximus. Se quoque præſente, fratrem Eliam Ordinis Prædicatorum, qui Magdalenæ longo tempore, id eſt, annis octogintaſex, in ſancta bauma ſeruierat, multa, quæ ſubinferam, reuelâſſe, & poſt paululùm vitam finiuiſſe, teſtatur.

IGITVR viſitatis reliquijs & ſpelunca, dum conſolatus mercator diſceſſum meditaretur, fratres, apud quos V.
gratiam forte inuenerat, eum beati patris Eliæ ſermone amplius conſolare voluerunt. Cumque manibus fratrum beatus pater Elias delatus fuiſſet, (Nam totus contractus, nil ferè præter linguam habuit vitā participans) viſos peregrinos dulciter ſalutauit, ac fratri ſe deferenti ait: Ad locum meum me deportes, quia ſecreta Dei volo reſerare, quæ tacui. Locum vero ſuum dixit eum, in quo ad orationē in ſpelunca ſuper petra, in qua nocte Magdalena quieuit, ſtare conſueuerat. Pro hoc vero ſciendum eſt, montem eſſe in Prouincia, ab Oriente Niciam, ab Occidente vero Maſſiliam, à Meridie mare, & à Septentrione habentem Auenionem. Hic ad altitudinem trium millium paſſuum aſſurgit, & deinde iubam ſeu criſtam gerit lapideam, ab Occidente in Orientem decem millibus paſſuum & eo amplius extenſam: quæ ab Occidente ſic præciſè cernitur, vt murum vaſtiſſimum dixeris. Nam adinſtar ferè duarum præcelſarum turrium eleuatur. In rupis huius radice ſpelunca eſt eleuata, quantum magnus, immo maximus, iactus eſt lapidis, ore proſpiciens Occidentem, & clibani formam præ ſe ferens. Ante os ſpeluncæ eſt breue ſpaciolum: intus vero ad læuam intrantis & ad ſpeluncæ medium, lapis à ſolo ſurgens, in cumulum eleuatur, & paulatim ac ſenſim verſus interiora ſpeluncæ euaneſcit: inter quem & extrema ſpeluncæ, fons pulcherrimus patet, frigidiſſimus tactu, & guſtu dulciſſimus, nunquam deficiens, & nunquam parenter ad extra proſiliens. Super eo lapide Magdalena & contemplationi & quieti nocte vacabat, vt communis eſt fama, & imago ibi quaſi Magdalenæ apertis oculis quieſcentis, beato Maximino authore, repoſita eſtatur. Vnde cum tota ſpelunca interdum guttulis generati humoris humectetur, lapis ille ſolus, vt dicitur, omni tempore immunis ab iniuria ſtillicidij conſeruatur.

Mons in Prouincia apud quem vixit Magdalena.

HVC igitur dum pater Elias fuiſſet delatus, ſequentibus peregrinis, & ad lachrymas ſanctitatis eius adſpectu VI.
concitatis, ait: Fratres, dies venit & hora mihi diu expectatæ mortis. Igitur quæ ad beatæ Magdalenæ gloriam & veſtræ ſalutis augmentum enarro, percipite. Cum beatæ Magdalenæ ſeruiturus, deſertum iſtud & rupem horridam petiuiſſem, exacto hic menſe, ſolitudinem faſtidiens, pœnitui, & diſceſſum tacitus cogitaui. Quadam igitur nocte cogitationibus agonizans, ſubito inſtar crucis montem hunc lapideum in partes quatuor diuiſum inſpexi, atque mihi quatuor mundi partes, Oriens, Occidens, Meridies & Septentrio, patuêre, & cœlum ſurſum abyſſuſque deorſum. Igitur timore perterritus, in terram excors cecidi. Cumque verbis quibuſdam dulcibus eleuatus, ſpiritum collegiſſem, toto corde Magdalenam in auxilium aduocaui. Hæc ſtatim adfuit tam ſereno & radianti vultu, vt in eam intendere non poſſem, operta capillis, & nuda brachia, ac pedes floribus redimita, dicens: Inconſtans ac rudis, te propter apertus eſt mons, & te propter ego adſum: & per me, modo velis, anima tua in æternam vitam dirigetur. Tu hinc à meo ſeruitio diſcedere cogitaſti: ſed audi, quæ dicam, & demum age, quæ libet. Vt noſti, inquit, è Ieruſalem Maſſiliam multi, Deo volente & naue ſubuehente, deuenimus. At vbi Maſſilia & pars non parua regionis, Ieſu Chriſti fidem ſuſcepit, tantum circa nos humanus fauor & inquietudo creuerunt, vt hominum conſortia fugere cogitarem. Rapta vero diuinitus, ſub huius antri fui ore depoſita. Cumque hincinde per locum mihi à Deo paratum lumina direxiſſem, draconem, quem mea ſoror Martha occidit, repente inter lucem & tenebras adſpexi, cuius horrorem ſufficienter exprimeret nemo: erat bubalo maior. Vidi & omnis generis viperas. Subito me apparente in ſpelunca, & draco & viperea multitudo excitantur in me, oculis & ſibilis ſuum furorem præ ſe ferentes. Nam viperæ quidem innixæ caudis, pectoribus aſſurgebant: ſed draco omnibus immanior ita me conterruit, vt timerem eius adſpectum, immo nec ferre poſſem, quæ mortem non timebam. Heu me, tunc inquio, Ieſu mi: niſi mihi ſtatim adfueris, aut deuorabor, aut præ pauore ſpiritum efflabo. Contraxit tunc ſubito draco caput, quaſi me non curaret: ſed denuo ſtatim extenſo ac dilatato vaſtiſſimo gutture, & concuſſis alis, me deuorandam inuaſit. Cumque iam deglutiendam in ſua ora traxiſſet, quia lingua non poteram, ſic ſum profundo & ſecuro corde locuta: Dulcis amor Ieſu, triſtem ne ac ſolam in deſerto poſt innumera tua dona me draconis eſcam effeciſti? Tunc ſubito Angelus de ore draconis eductam me allocutus eſt, dicens: Beata, quæ fidem tenes: ac draconem calce percutiens: Egredere, inquit, hinc draco, & omnes viperæ tecum. At repente ſe dedit draco & reliqua turba præcipitem, & volans ac peditans deſertum adiuit, in quo illum mea ſoror Martha ſuperauit. Igitur Angelus Michael ſpiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuerſus, totam baumam lambens, immundas ac fœtidas viperarum fæces abſumpſit, & locum omnem mundum ac redolentem effecit. Deinde vero ad me conuerſus: Deus, inquit, quem tantum ô Magdalena concupiſcis & ſemper habes, te vult hunc locum lachrymis irrigare profuſis, vt futuris ſæculis exemplum pœnitentiæ perpetuo fias.

Narratio F. Eliæ fide digniſſimi de B. Magdalena.

Apparet Maria Magdalena F. Eliæ, ſeriem ac ordinem ei pandens tranſlationis ſuæ.

Magdalena diuinitus tranſfertur in locum deſertum.

Maria Magdalena à dracone & viperis per angelum liberatur.

Magdalena exemplum pœnitentiæ.

REMANSI eo diſparente perterrita, & loco luſtrato, hominibus inuium aſcenſum deſcenſumque, rupe ve- VII.
tante, cognoui. Tunc amoris dulcedine in lachrymas reſoluta, me ad terram poſtraui, adorans ac dicens: Gratias tibi, Chriſte amor, quod me omni mea affectione repleſti: ſed oro, fontem in rupe hac exhibeas deprecanti. Crepuit ſtatim ſub meis oculis immane hoc ſaxum, & quas cernis, Elia, aquæ è duro ſilice ſcatutiêre. Cumque ante ipſum limpidiſſimum fontem genu flexo, Chriſto gratias agerem, ecce plus quam mille ſpiritus vidi in ſpeluncæ dextera ſteriſſe, verba ſuauiſſimi amoris Hebraica lingua decantantes. Cum igitur poſtremo ſubintuliſſent, non expedire animæ tam aſſiduam orationum frequentiam, eleuatis oculis, plenum aërem extra ſpeluncam ex ſimilibus inſpexi. Igitur cum eos dæmones ſuſpicatà, Ieſum, nimium territa, acclamaſſem, repente cum ſuis militiis Angelus Michael adfuit, dicens: Adſum Magdalena: ne timeas. Denique malignis ſpiritibus congreſſus, eos omnes in fugam compulit, ita clamantes: Non eris tamen ideo beata tu, quæ orationibus vacas in antro. Crucem igitur in ore ſpeluncæ Angelus erexit, dicens: Caue ne extimeſcas in poſterum, quia cuſtos tui eſt altiſſimus. Igitur ante Crucem eo diſparente cum iacuiſſem, orationi, timore nimio exiccatis viſceribus, inſtare attenta non præualens, collectas duas radices in ipſo ore ſpeluncæ & lotas comedēs, aquam de fonte bibi, poſt quā humanum aliquid non guſtaui.

Fons ad preces eius ſcaturit è rupe.

guſtaui. Crucem deinde complexa, ea die ac nocte ſequenti orans, orto ſole, viſum ad Crucem ipſam leuaui, coloris, vt videbatur, cryſtallini, & radijs fulgentibus coruſcam. Cumque in me vehementiſſimi amoris flammam perſenſiſſem, ecce tam læta & iubilans Angelorum turba adfuit, vt æterniam vitam in hoc antro crediddiſſes. Repentè igitur ab his ad infernalia loca delata, pœnarum genera & punitorum turmas inſpexi. Cumque ad loca Purgatorij ventum eſſet, tanta dulcedine me ſpiritus deuoti circunſteterunt, vt mihi viderer eſſe in patria, & cum magna teneritudine dixerunt: Ora pro nobis Magdalena noſtra. Quibus ego: Vtinam, inquio, veſtra voluntas per me impleatur. Animaduerto, quantum vobis auxilii ſit opportunum. Deinde vero ad Crucem iterum repoſitæ mihi Angelus ait: Quanto tempore tuus ac noſter amor Ieſus in terris re pp euixit, tanto tu quoq; in hac ſpelunca moraberis.

Rapitur Magdalena ad locum inferni & purgatorii.

VIII. STETI igitur, eo diſparente, ad Crucem orans, & Chriſtum ſalutem meam contemplabar. Omni autem euoluto die, Angelorum adfuêre militiæ, & me tam ſublimem in aëra ſuſtulerunt, vt cæleſtes andiuerim reſonare melodias. Quod abinde citra ſepties ſemper intra diem & noctem fecerunt. Frigus ac gelu, diuino igne ſuccenſa, iam non curabam. Cumque meæ veſtes paulatim vetuſtate deciderent, paulatim quoque diuina pietate mei creuêre capilli: ac demum cum ſemicinctia è rupe deieciſſem, ſeſe adeo diffuderunt, vt à me lapidibus ſuccedendi greſſum præpeditent. In ipſa vero Cruce myſteria Chriſti cuncta videbantur. Ibi Annæ ac Ioachim hiſtorias: ibi Mariam Ieſum meum mihi parientem: ibi Crucifixi tetrum liuorem, ibi pium cruorem, ibi dura vulnera; ibi Crucem ac mortem eius dabatur intueri, & eundem regredientem ab inferis, & cæli ſidera penetrantem. Cumque his cibata ferculis, nocte dieque flerem, cum lauandi vultus gratia fontem petiuiſſem, obuium mihi humana forma Ieſum me his verbis alloquentem vidi: Te propter Maria loca iſta conſtitui. Circunſtabant cæleſtes militiæ regem ſuum, florum ſerta geſtantes, & oliuarum palmarumque ramos tenentes in manibus. Et ecce reſplenduit ſubito aſſumpta humanitas, & ſeipſum ad inſtar ſui, cum eſſet in monte Thabor, Saluator transfigurauit, adeo vt me oculos inflectere tanta maieſtas compulerit. Me quidem ad vultum dilectum oculos attollere dulcis amor inflammabat, ſed minime valui. Cumque mecum multa contuliſſet, illapſus eſt cælo: & quoad vixi, centies ac decies me in ſpelunca pro ſua pietate viſitauit. Itaque Elia tibi conſulo teque rogo, vt in hac rupe Chriſti laudes exoluas, quo te ad vitæ portum tãdem adducam. ſterilem locum ſola ac nuda ego adiui: tu vero fratrum habes ſolatia, & victui veſtituique abundanter opportuna. Igitur perſeuerantia cogitata. His dictis ab oculis meis, inquit Elias, Magdalena euanuit, & ego in hanc vſque horam omnes homines prædicta celaui. His dictis, poſt horulam beatus ille pater expirauit, ſtatimque ipſæ campanulæ, in ea rupe ſuſpenſæ, nullo hominũ mouente, iubilãrũt. Oĩa hæc ex dicto libello fideliter aſſumpſi.

Quotidie crebro in aëra ſuſtollitur ab Angelis.

Crux mirifica Magdalenæ exhibetur.

Chriſtus ei apparet.

Matt 17.

Sæpius à Chriſto viſitatur.

Campanæ ad obitum F. Eliæ ſponte ſua ſonant.

IX. MIRABITVR autem fortaſſis vir animalis, diuinam pietatem peccatricem animam tam præclaris donis extuliſſe: ſed ſi viderit, qui eiuſmodi eſt, prædicantem Chriſtum, & fortè laſciuientem in ſermone Mariam, ſubito diuini ſermonis iaculo percuſſam, ſui pectoris arcana lachrymis & ſingultibus reſerare: ſi viderit repente agitatam doloribus, & amore liquefactam, torques, armillas, dextralia, margaritasque deponere, & effuſis comis, lugubres aſſumere veſtes: Si, inquam, viderit hanc Ieſu Chriſti tenuiſſe veſtigia, & hæc lachrymarum flumine lota exiccare capillis, & cordialibus oſculis ac miſerandis vocibus miſericordiam ſuis ſceleribus implorare: ſi à maculis abſolutam, in pace Chriſti pietate remiſſam: ſi prædicantem vbiquè Chriſtum, & Mariam comitantem: haurientem quidem Chriſti doctrinam, ſed ſubſtantiam effundentem: Si hanc viderit pauperem ac itinere fatigatum Saluatorèm mundi excipere domo, fouere vnguentis, dapibus recreare, & diſcipulorum eius turbam ſuis facultatibus ſuſtentare: Si propinquis, immò & diſcipulis fugientibus, carnifices inter intrepidam Cruci adſtitiſſe, cruentam ſanguine, lachrymis infuſam, aërem eiulatibus adimplentem: Si contemplari ſepulcrum, & vnguenta parare: ſi mulierem fragilem ſexu, noctis tenebras & arma cuſtodum non extimuiſſe, (ô vim amoris immenſam) quin dilectum extinctum quæreret in ſepulcro: ſi poſtremo hanc viderit vacuo ſepulcro colligatam, & nulla iam præter lachrymas habere ſolatia, videbit pariter diuinam pietatem, hanc ab extremo in extremum non niſi per opportuna media deduxiſſe. Quæ enim crimina poſſent tot gemitibus, tot lachrymis, tanto ardore non eſſe abolita? Si animas ſceleſtiſſimas baptiſmalis vnda, ſanguinis Chriſti operante virtute, pulcherrimas, & in oculis Dei optimi maxime ſplendentes teſtituit: quid in Maria ſanguis Chriſti, è Cruce ſtillans, effecit? Mirari igitur magis oportet ignauiam hominum atq; ſocordiam, qui in Maria Chriſti pietate perſpecta, ſubito quamuis atroces, quamuis ſceleſti & flagitioſi, non atteruntur, vt vbi ſuperabundauit delictum, ſuperabundet & gratia?

Iohan 19. Matt 15. & 16. Iohan 20. Rom 5.

Franciſcus Petrarcha, viſa Mariæ ſpelunca & lapideo cubili, huius beatæ peccatricis conſiderans pœnitudinem, compunctus ait:

Franciſci Petrarchæ Carmen de B. Magdalena

Dulcis amica Dei, lachrymis inflectere noſtris,
Atque humiles attende preces, noſtræque ſaluti
Conſule: nanque potes, nec enim tibi tangere fruſtra
Permiſſum, gemituque pedes perfundere ſacros,
Et nitidis ſiccare comis, ferre oſcula plantis, Luc 7.
Inque caput Domini precioſos ſpargere odores. Matt. 26.
Nec tibi congreſſus primos à morte reſurgens, Mar. 16.
Et voces audire ſuas, & membra videre,
Immortale decus, lumenque habitura per æuum,
Nequicquam dedit ætherei rex Chriſtus Olympi.
Viderat ille Cruci hærentem, nec dira pauentem Iohan 19.
Iudaicæ tormenta manus, turbæque furentis
Iurgia & inſultus, æquantes verbera linguas:
Sed mœſtam intrepidamque ſimul, digitiſque cruentos
Tractantem clauos, replentem vulnera fletu,
Pectora tundentem violentis candida pugnis,
Vellentem flauos manibus ſine more capillos.
Viderat hæc, inquam, dum pectora fide ſuorum Matt. 26.
Diffugerent, pellente metu. Memor ergo reuiſit
Te primam ante alios: tibi ſe prius obtulit vni:
Te quoque, digreſſus terris, & ad aſtra reuerſus, Matt. 16.
Bis tria luſtra cibi nunquam mortalis egentem Iohan. 20.
Rupe ſub hac aluit, tam longo in tempore ſolis
Diuinis contentam epulis, & rore ſalubri.
Hæc domus, antra tibi ſtillantibus humida ſaxis,
Horrifico tenebroſa ſitu, tecta aurea regum
Deliciaſque omnes, ac ditia vicerat arua,

Hic incluſa libens, longis veſtita capillis,
Veſte carens alia, ter denos paſſa Decembres
Diceris: hic non fracta gelu, nec victa pauore:
Nanque famem, frigus, durum quoque ſaxa cubile,
Dulcia fecit amor, ſpeſque alto pectora fixa.
Hic hominum non viſa oculis, ſtipata cateruis
Angelicis, ſeptemque die ſubuecta per horas,
Cœleſtes audire choros, alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuiſti.

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS PLATONIS, EX SIMEONE METAPHRASTE.

IVLII 22. Vt habent Latina Martyrologia.

I. NON ſum noua dicturus de Galatis, neque aliena ab iis, qui Ancyram habitant: nec dicam incredibilia de confeſſore, & eo cui verbum Dei fuerat cõmiſſum. Stulte enim fecerunt Galatæ, vt conſueuerant: fuit autem Plato reuera ſanctiſſimus, qui ſibi Dei creditam habebat ſapientiam: & ea paſſus eſt à Galatis, quæ confeſſoribus pati iubet lex Chriſti. Eum enim captum ſæui & immiſericordes coniecerunt in carcerem, vt qui verbum Dei annunciaret, & violaret leges Imperatoris. Acerbe ergo & inhumane iis eum affecerunt ſuppliciis, quæ non fas eſt ipſam humanam ſuſtinere naturam, grauem oſtendentes inſolentiam, & in belluinam conuerſi crudelitatem. Fortiter autem ferebat venerandus & puriſſimus Platonis animus, vt qui afflictiones omnes & calamitates propter Chriſtum ferre eſſet meditatus. Nam non eandem, quam is, qui erat eiuſdem nominis, Plato exercuerat philoſophiam, nec erat in eadem doctrina philoſophatus: ſed erat quidem præſtantiſſimus in omni verbi ſapientia: fide autem antecellebat iis, qui vnquam fuerunt.

S. Plato cõiicitur in carcerem & dire cruciatur.

II. HIC ergo beatus Plato multos quidem ex iis, qui Ancyram habitabant, affecit beneficio: multos autem verbo illuminans, fecit Chriſto credere: & multos ex iis, qui à potentioribus opprimebantur calumniis, liberauit ab iniuriis. Pro iis vero, quibus ipſos affecerat beneficiis, * iuſtæ pœnæ ab eo exactæ ſunt: aut potius ſeipſum lubens tradidit, fortique & excelſo animo tulit calamitates: Erat enim eius ſemper ad Deum ſcopus, cuius etiam fuit imitator. Quamobrem cum abduceretur, confidens ibat ad ſupplicium, Vicarius autem Agrippinus cum aperte præſediſſet in Iouis baſilica, iuſſit ſiſti Martyrem. Apparitor autem dixit: Stat ante tuum tribunal, domine. Dixit Agrippinus: Cum totus orbis terræ degat in lætitia, cur es in tali & tanto errore conſtitutus? Dixit ſanctus Plato: Vos eſtis, qui in errore degitis: & reliquiſtis Deum, qui fecit cœlum & terram cum toto eorum ornatu: & exciſos colitis lapides & ligna putrida, opera manuum hominum. Dixit Agrippinus: Iuuenilis tua ætas te facit temerarium, & efficit, vt ſis valde inſolens. Dic ergo mihi, cuiuſnam es religionis, & cuius conditionis & ciuitatis: & quod eſt tibi nomen: Sanctus dixit Plato: Si velis ſcire cuiuſnam ſim religionis, ſum Chriſtianus. Dixit autem Agrippinus: Dic nomen, quod tibi fuit impoſitum à parentibus. Nam ipſe quoque ſcio te eſſe Chriſtianum. Iuſſit vero Imperator nullũ hominẽ vocari Chriſtianũ. Dixit ſanctus Plato: Si velis ſcire cuius ſim religionis, iã dixi tibi me eſſe Chriſtianũ. Si aũt vis ẽt ſcire nomen mihi tributũ à parentibus, dicor Plato: & ſum quidem Chriſti ſeruus ab vtero matris meæ: ſum vero ciuis huius ciuitatis. Nunc autem ſum captus & ad te adductus, tanquam pius & Chriſti ſeruus. Quamobrem mors eſt mihi propoſita propter Chriſtũ, quam oportet me à te expectare. Fac ergo cito, quod ſcis & ſtatuiſti.

ſor. * iniuſtæ.

Siſtitur ad tribunal.

III. VICARIVS dixit: Non expedit tibi, ô Plato, crucifixi nomen habere in mente. Nam qui eum confitentur, iubet Imperator tradi morti acerbæ: eos autem, qui ipſum negant, donis maximis afficere. Quamobrem tibi conſulo, vt pareas legi Imperatoris, & hoc lucrifacias, ne mortis acerbæ facias periculum Reſpondens autem dixit ſanctus Plato: Ego pareo meo Regi, cui etiam milito: mortem autem, quæ eſt ad tempus, eligo, vt ſim hæres regni æterni. Dicit Vicarius: Conſidera ô Plato, quidnam ſit tibi conducibile, ne male pereas. Dixit ſanctus Plato: Curabit Dominus ea, quæ ſunt mihi conducibilia. Dixit Vicarius: Nôſti Plato iuſſa Imperatoris, quomodo iubeant intemeratæ eius leges omnes Chriſtianos aut diis ſacrificare, aut vita priuari? Tu ergo quomodo audes hæc iuſſa euertere, & per inobedientiam eos etiam, qui tibi pârent, euertis? Dixit ſanctus Plato: Cognoui iuſſa Dei mei, ſicut iubent eius intemeratæ leges & viuifica præcepta, nempe dæmonum myſteria euertere, & ei ſoli ſeruire. Neque enim eſt tibi nouum & alienum, excogitare tormenta: neque rurſus mihi, mori pro pietate. Tu enim iam multos ſuſtuliſti de medio propter hanc confeſſionem: qui morte deuicta, iuſtitiæ acceperũt coronã aduerſus diabolum.

Conſtantia Platonis.

Impiæ leges Imperiales.

IV. AGRIPPINVS autem cum hæc audiiſſet, vt qui eſſet ſæuus & belluinis motibus, & aduerſus athletas pietatis ſupra modum efferatus, veluti quendam cædis reum, aut alicuius alterius magni criminis conuictum, poſtquam ipſe ab initio didiciſſet eius in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum virtutem & fidem firmam & immobilem, iubet extenſum ſæue cædi neruis bubulis. Quod cum quam primum factum eſſet, & quatuor milites ſanctum verberarent multas horas, & defeſſi eſſent, alii autem duodecim milites ad id mutati eſſent, ne vlla quidem inuẽta eſt macula in corpore ſancti Platonis: adeo vt omnes quidem obſtupefacti, ſupra modum admirati fuerint, & à ſe diſceſſerint: ipſe autem alacrius & conſtantius perſeuerauerit in confeſſione Chriſti, & per multas afflictiones contenderit ingredi in regnum Dei, in quem non cadit interitus.

Immaniter cæditur neruis bouũ Nihil læditur.

Actor 14.

V. DIXIT Agrippinus: Ego tibi conſulo vt amico, vt mortem quidem declines, ad vitam autem accedas. Dixit ſanctus Plato: Recte admones, ô Agrippine. Fugio enim mortem æternam, & ad vitam me confero ſempiternam. Dixit Agrippinus: Dic cacodæmon, quot ſunt mortes? Dixit ſanctus Plato: Duæ, vna quidem ad tempus: altera vero æterna. Ita etiam, duæ vitæ: vna quidem breuis: altera vero ſempiterna. Dixit Agrippinus: Diis ſacrifica, & declina cruciatus. Dixit ſanctus Plato: Fac cito, ô Agrippine, id quod tibi videtur. Ego enim nunquam ſacrifico Neque enim ignis, neque crux, neque ira beſtiarum, neque ablatio membrorum nobis perſuadent à Deo viuo deficere. Neque enim diligimus, quod nunc eſt, ſæculum: ſed, qui pro me eſt mortuus & reſurrexit, Chriſtum.

Duplex Mors. Item Vita.

VI. HIS auditis, Agrippinus iuſſit eum reduci in carcerem: ſequebatur autem multa turba Chriſtianorum, propter eius ſanctam & glorioſam confeſſionem. Fortis autem & magnanimus Chriſti Martyr Plato iuſſit ſibi fieri ſilentium. & poſtquam ipſi ceſſârunt à tumultu, voce ſublata dixit eis: Viri qui Chriſtum diligitis, & eſtis amatores veritatis, non leui de cauſa adeo hoc certamen: ſed propter effectorem cæli & terræ & omnium, quæ ſunt in eis. Ne vos ergo conturbent, rogo ea quæ fiunt. Multæ enim ſunt afflictiones iuſtorum, & ex eis omnibus liberabit ipſos Dominus. Adeſte de cætero, & confugiamus omnes ſimul ad portum, qui nullis agitatur tempeſtatibus, nempe Chriſtum, & ad petram, quam magnus dixit Apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus. Ne ergo cedamus, ô dilecti, periculis, quæ ſuſcipiuntur pro pietate: cum ſciamus, quod paſſiones huius temporis non ſunt dignæ, quæ conferãtur cum gloria, quæ eſt in nobis reuelanda. Hæc ergo cum dixiſſet Chriſti Martyr Plato, & turbis, quæ aderant, addidiſſet

Reducitur in carcerẽ.

Pſal. 33.

1. Cor. 10.

Rom. 8.

Digitized by Google

addidiſſet animum, & mentem eorum confirmâſſet, ingreſſus eſt carcerem lætus & Deum glorificans. Ingreſſus autem, humi fixis genibus, Dominum precatus eſt, ſic dicens: Domine Ieſu Chriſte, omnium creator & opifex, & qui tua prouidentia curam geris vniuerſorum, qui omnibus tuis famulis tolerantiam largiris & victoriam, mihi quoque humili & abiecto largire ad finem vſque tolerantiam: & emitte Archangelum tuum Michaelem, vt me liberet à fallaci & malitioſo ſerpente Agrippino: vt cognoſcant omnes, non eſſe deos, qui fiunt per manus hominū: ſed te ſolum eſſe Deum, qui es patiens & multæ miſericordiæ, & glorificatus in ſæcula, Amen. Oratio eius pro Dei auxilio & victoria.

VII. SEPTEM autem poſt diebus præſidens Agrippinus Vicarius in Baſilica ex aduerſo Iouis, iuſſit ſiſti Martyrem. Dixit vero apparitor Vincentius: Qui non paret Imperatorum legibus, & veſtris iuſſis repugnat, Plato, qui eſt defenſor impiæ Chriſtianorum religionis, ſtat ante tuum tribunal domine. Tunc Vicarius iuſſit diuerſa & varia tormentorum genera ante ipſum ſtatui: lebetem æneum, ſartagines ferreas, candentes crates, manus ferreas, catapultas, acutos obeliſcos, vncos, rotas, & multa alia terribilia: exiſtimans infelix ſe per hæc eſſe territurum Martyrem, vt diis eius ſacrificaret: præcipue autem Apollini, qui pellit ad interitum, & dicit ei: Ego quidem, chariſſime Plato, contemplans tuam iuuenilem ætatem, & parcens flori tui corporis, & ſciens parentum tuorum nobilitatem, tibi conſulo priuſquam ruſus incipiam te torquere, vt guſtatis ſacrificiis ſerueris, & ſis nobiſcum: hoc quoque ſciens, quod nullus vnquam vixit ex iis, qui mihi non paruerunt: quomodo rurſus nullus ex iis, qui mihi paruerunt, ei à me promiſſis bonis fuit priuatus. Ergo tu quoque, ô optime Plato, ſi volueris me audire, tanquam patrem proprium, bonum tibi dantem conſilium, habeo vnicam fratris mei filiam, eam tibi dabo in matrimonium, valde magnam ei tradens dotem, & te meum proprium vocabo filium. Beatus autem & reuera fortis athleta Chriſti Plato, ridens dixit: Miſer & hominum inimice, fili diaboli, & adminiſter ſatanæ: ſi vellem iungi matrimonio, & ducere vxorem, & degere in deceptione, implicatus fumo huius mundanæ vitæ, dignarérne vel in rerum mearum ſolicitudine accipere vxorem fratris tui filiam, aut tales habere ancillas, qualis eſt filia fratris tui, aut ea etiam meliores, vt ego eam ducam vxorem? Tunc ſatanæ ſcholaſticus & adminiſter Patris eius diaboli, plenus omni vitio & repletus omni genere improbitatis, non ſecus ac draco quiſpiam aut leo cædem eructans, grabatū iuſſit afferri æneum, & in ipſo deponi Martyrem: & ſic ignem accendi, & fieri magnum aceruum prunarum, eumq; aſpergi oleo & reſina & bitumine & cera. & eum cædi virgis ſubtiliſſimis: vt à plagis & igne nudata eius viſcerum ſtructura, ei intolerabile tormentum efficiat.

Iudex vult terroribus frangere Platonem. Vertitur ad blanditias. Reſpuit nuptias S. Plato. Igne & virgarum ictibus crudeliſſime torquetur S. Plato.

VIII. CVM diu autem cæderetur Martyr, dixit Sophronius Commentarienſis: Infeliciſſime, pare magnificentiſſimo & maxime ſuſpiciendo Vicario, & diis ſacrifica, & ne male moriaris, lucrifac. Quid contradicis? Non vides parata propter te tormenta? Dixit S. Plato: Ego totum meum corpus propter Chriſtum tradidi. Cur ergo non deſiſtis ô ſatanæ ſcriniarie, & inimice veritatis? Teipſum admone, vt ab errore deſiſtas. Ego enim ſcio, quid mihi expediat, & nunquam auertar ab hac confeſſione: Dixit Agrippinus: Quis eſt Chriſtus, quem dicis? Non poteſt te viuum eripere è meis manibus non ſacrificantem. Nunc ergo vis male mori. Scias autem, quod qui fuit crucifixus à Iudæis, non poteſt te ſeruare, etiamſi præſtigiis tuis valde confidas. Sin autem magno deo Apollini ſacrificâris, & tuo ſacrificio eum tibi placâtis, poteſt te ab hoc, qui te detinet, candentis ignis grabato & dolore eripere. Sanctus autem Plato dixit: Nunquam ſacrificabo, nec Appollini, nec reliquis diis tuis. Nam qui Apollo dicitur, pellit ad interitum: & omnes, qui in eum credunt, eodem peribunt interitu. Vis autem ſcire, ô ſtulte & graui corde, delire & mente capte, quod non ſunt dii, qui fiunt per manus hominum, ſed aurum & argentum, & ligna, & lapides formati variis & diuerſis coloribus? Qui oculos habent, & non vident: manus habent, & non palpant: pedes, & non ambulant, aures habent, & non audiunt: nares habent, & non odorantur; & vt ſemel dicam, ſunt opera fabrorum, & aurificum, & tornatorum, & lapicidarum. Iſti enim, quos tu deos eſſe dicis, quomodo non poſſunt alicui benefacere, ita nec poſſunt vnquam lædere eos, qui timent Dominum. Sunt enim nullo ſenſu præditi, vobis ſimiles: & non ſentiunt, nec cum eis offertur ſacrificium, nec cum libamen, nec cum eis vllus alius exhibetur cultus. Deus autem, qui omnia fecit, & cœlum extendit tanquam pellem, & terram fundauit ſuper aquas, qui poteſt animam & corpus perdere in gehenna: ipſe in omnes dominatum obtinens, rationalia & incruenta ſuſcipit ſacrificia, quæ ex puro corde ei offeruntur: & quomodo non eſt abſurdum, vt nos relicto effectore vniuerſorum, ſacrificemus lignis & lapidibus ratione carentibus, qui creati ſumus ad Dei imaginem?

Magna fortitudo martyris. Pſal. 113. Pſal. 113. Matt. 10.

IX. Dicit Agrippinus: Miſerere tui de cætero ô miſer: & ſi nolis ſacrificare, dic ſolum: Magnus eſt Apollo: & iubebo te auferri ab hoc graui ignis, quo vexaris, cruciatu, abiq; ſoſpes & noſter amicus. Sanctus autem dixit Plato: Abſit, vt ego ita mei miſerear, vt meo parcens corpori, & parua accepta, vt tu cenſes, relaxatione, cum anima vadam ad gehennam ignis. Dixit Agrippinus: Recte facis infeliciſſime, tibi mortem afferens, te hac ſuauiſſima volens luce priuare. Dixit Plato: Pro Chriſto mori, conciliat mihi regnum cœlorum: non mihi autem ſolum, ſed etiam omnibus, qui ipſum timent. Ego vero tibi dico, quod non poſſunt vincere, qui cum Deo conantur bellum gerere, & pietatis athletas diuerſis tormentis ſubiiciunt: quomodo rurſus nec qui Chriſtum habent opem ferentem, poſſunt malos homines & Deo inuiſos vincere propter inſignem eorum malitiam. Quamobrem dico tibi Tyranne, quod neque vita, neque mors, neque gladius, neque fames, neque periculum, neque altitudo, neque profundum, neque vlla alia res creata poteſt nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ea de cauſa tu magis debes mihi parere, pollicenti fore, vt fruaris non rebus aliquibus caducis, & in quas cadit interitus, ſed regno cœlorum & vita æterna: quam habent, qui ad ipſum conuertuntur, vnde aufugit dolor, triſtitia & gemitus. Fac ergo, vt vana ſit ſpes, quam in te habet diabolus, & diſcede ab hac inſania, & rationali accepta dignitate, cognoſce quiſnam ſit, qui omni carni vitam largitur. Sic enim eris admirabilis, traductus ab hac improbitate & ab errore, qui affert animæ exitium. Eos enim excipit, qui mouentur pœnitentia, Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui vult omnes homines ſaluos fieri, & venire ad agnitionem veritatis: qui non vult mortem peccatoris & impii, ſed vt conuertatur & viuat, ductus pœnitentia.

Egregie præſidi martyr reſpondet. Rom. 8. Eſa. 35. 1 Tim. 2. Ezech. 18.

X. AGRIPPINVS autem his auditis, furore percitus dixit: Amentiſſime, & à diis aliene, & inimice Imperatorū, & legum euerſor Imperatoriarum, eouſque proceſſiſti inſaniæ & amentiæ, vt ad me vſque tuum errorem extenderes, & me à deorum beneuolentia conareris abducere, & ad religionem Crucifixi traducere? Dixit ſanctus Plato: Scio ego, ô Tyranne, quod tu non pares meis admonitionibus: ſed me vocas planum & præſtigiatorem, quæ quidē tu es: quoniam te admonui & conſului id, quod eſt tibi vtile. Cæterum ſic mei quoque memineris, quando venerit tempus: quo tempore cum lachrymis recordaberis meæ admonitionis, nec ea tibi quicquam proderit ô infelix, ſed in tartari profundo ibis ad ſupplicium æternum. Fac ergo cito id, quod vis. Cordis enim tui oculos ita excæcauit diabolus, vt non adſpicias ad lucem Dei cognitionis: ſed intuearis ad tenebras, vbi eſt paratus ignis æternus tibi & patri tuo ſatanæ. Cum tres autem horæ interceſſiſſent, & ipſe depoſitus fuiſſet ex grabato, corpus ita reſplendebat ſancti & beati Platonis, perinde atque ſi ipſe exiiſſet è balneo, & ſuauis quidam odor tanquam vnguenti precioſi ex eo egrediebatur. Habebat enim Chriſti verum lauacrum, & precioſam & veram cognitionem, per quam bono odore implebat eos, qui aderant: & tota quæ circunſiſtebat, turba Deum glorificabat propter fortitudinem

Nota rem admiratione dignam.

Digitized by Google

& tolerantiam beati Platonis, adeo vt ipſi dicerent: Vere eſt magnus Deus Chriſtianorum. Tam multis enim tormentis ſubiectus à crudeli & immiſericordi Iudice, non negauit ſanctum & terribile nomen Chriſti: ſed in præclaro perſeuerans animi inſtituto, vicit inſaniam Præſidis. XI.

Attēde ſancti martyris in dicendo libertatem.

Item eius in Deum fiduciam.

Agrippinvs autem poſtquam ei intolerabile & tale tormentum attuliſſet, dixit: Non tibi perſuaſit, ô Plato, grauiſſimum tormentum, quod tibi fuit illatum, vt diis ſacrificares: Sed ſi nolis ſacrificare, ſolum nega crucifixum, & te dimittam. Dixit ſanctus Plato: O cor peruerſum, & mens extincta, & anima malis tradita, & quæ nihil cogitat, quod Deum deceat. Quid eſt, quod dicis? Qui mihi tot beneficia conciliauit, Seruatorem Chriſtum negabo propter te, ô crudiuore & vindex ſimulacrorum, rerumque inanimarum & mutarum defenſor, & patrone erroris, vt reddar miſer, tibi ſimilis & iniquus? & non ſufficit tibi ſolum eſſe talem, ſed eos etiam, qui iam relati ſunt in numerum militum Chriſti, vis eſſe ſocios tuæ impietatis, in eadem via interitus ſtudens eos ſupplantare, qui recta via ingrediuntur? Diſcede à me, qui operaris iniquitatem. Statuiſti enim alios quoque ad eam trahere. Confido autem in Deo meo, quòd non faciet ſanctum ſuum videre interitum. Dixit Agrippinus: Quoniam tui ſum miſertus, euaſiſti inſolens ac contumelioſus, ſtulta loquens & emotæ mentis, ego autem te cito tam grauibus afficiam ſuppliciis, vt ex teipſo mihi dicas: Da mihi, vt ſacrificem. Egregius autem Chriſti athleta Plato dixit: Chriſtus eſt Deus, & non eſt ſanctum eius nomen negandum. Non eſt æquum, vt ego relinquens fontem vitæ, colam dæmonia & libem lapidibus, quorum quidem mater eſt ars. Si enim non fuiſſent artes inuentæ ab hominibus, nō eratis deos habituri, ſed plane eratis futuri ſine diis. Tunc Agrippinus multa ira repletus propter fiduciam & dicēdi libertatem Martyris, ſurrexit è throno ſuo: & quam citiſſime indutus fibulatorio, iubet ſphæras accendi ferreas, & poni in eius mammillis. Miniſtri autem ſatanæ cito fecerunt ea, quæ iubebantur. Sphærarum autem ignis fuit tāta vehementia, vt non ſolum apparérent eius latera, ſed etiam corrumperetur interna eius viſcerum ſtructura, vt per nares eius & cerebrum emiſſus fuerit fumus ex calore ei per ſphæras accenſo.

Sphæræ igneæ eius mammillis applicantur.

Beatvs autem Plato, qui iam à multis reputatus fuerat eſſe mortuus, dixit Agrippino: Parua ſunt tua tormenta, ô potor ſanguinis, & beſtiis moribus ſimilis, & ſæue canis, ſi conſideretur ira tua & immanitas. Ira tua erit parua, tormenta autem tua ſint magna. Nam per tormenta, quæ mihi intentas, cognoſces potentiam Chriſti, qui mihi fert auxilium. Apparitor autem veniens prope ſanctum Platonem, dixit ei: Pare ô homo iuſſis Imperatoris, & diis ſacrifica, & lucrifac, ne male moriaris. Non potes enim mortem effugere, niſi ea feceris, quæ à me tibi dicta ſunt. Qui autem erat verè magno & excelſo animo & vere Chriſti Plato, apparitorem quidem non paruis inceſſēs contumeliis, ei os obſtruxit tanquam malo conſiliario: interrito autem ſpiritu & animo immobili, & mente non perturbata, oculos in cælum extollens, dixit: Dorſum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas: faciem autem meam non auerti à dedecore ſputorum. Ne diſceſſeris à me Domine, quoniam afflictiones prope: ne forte dicant gentes. Vbi eſt Deus eorum? Tibi ergo placeat, ô Domine Ieſu Chriſte, vt ego famulus tuus, perfecte aduerſarii effugiens tyrannidem, cum audacia & fiducia ſiſtar ante tuum tribunal terribile, hoc pulchro confecto certamine. Te enim decet & in eccleſiis & omni loco tuæ dominationis gloria, honor, potentia & maieſtas, nūc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, & cum multi audiiſſent, Amen, motus eſt locus baſilicæ: & ne ſic quidem intellexit miſer Agrippinus, quòd Chriſtus ei ferret auxilium, ſed dixit ei: Impie, cur es adeo emotæ mentis, & non parcis tuo corpori, cum id videas variis modis tam acerbe cruciari? Pare ergo mihi, & ſacrifica diis intemeratis, ne male moriaris. Sanctus Plato dixit: Dixi tibi ſæpe, quinetiam nunc tibi dico, me eſſe Dei cultorem, nec vt eius decreta deſeram, me poſſe in animum inducere, nec vt eos adorem, qui temere nomen habent deorum, ſunt autem adulterina & execranda ſimulacra. Sed non ceſſabo in dies aſſidue Deo meo procidere & eum orare, vt ſalutem ab eo conſequar. Tu autem Agrippine Tyranne, vanis affixus ſimulacris, & à patre tuo ſatana priuatus mente, quæ te trahebat ad Dei cognitionem, & totus redactus in eius poteſtatem, & ad viam vitæ nolens aſcendere, in æternum punieris à Deo, qui mihi fert opem. Quem contumelia afficiens, eius ſeruos variis tormentis ſubiicis, exiſtimans te mutaturum eorum bonum in Deum propoſitum. XII.

Inuictus S. martyris animus.

Eſa. 50.

Pſal. 78.

Chriſtus ei fert auxilium.

Agrippinvs dixit: Vide Plato, quam multa ſiui te nugantem ſtulta dicere. Sed etſi ſis indignus noſtris ſermonibus propter tuam audaciam & cor immutabile, audi quod tibi dico: Sæpe audiui multa eiuſmodi ab iis, qui confitentur Galilæum, nec vllus receſſit viuus à meis manibus, niſi perſuaſus ſit & ſacrificâret. Si ergo non vis mihi morem gerere, & diis ſacrificare, vide quid ſis paſſurus. Te enim multa manent tormenta, ſi non audiueris me tibi conſulentem. Sanctus autem Chriſti Martyr Plato dixit: Infelix & inhumane, & homines habens odio, & auctor ac princeps omnis iniquitatis, à Deo aliene & miniſter ſatanæ, & hæres ignis gehennæ, & digne omni ſupplicio, nō me terrent tua verba, nec minæ mihi perſuadent. Meus enim Dominus pro me ſuum effudit ſanguinem, vt mundū redimeret ab omni iniquitate: quanto magis nos peccatores debemus pro ipſo mori, vt vel per hoc grati & beneficii meriores conſpiciamur Domino noſtro Ieſu Chriſto? XIII.

Præclara vox martyris.

Vicarivs autem Agrippinus cum hæc audiuiſſet, & magno furore eſſet percitus, iuſſit eum cædi loris, dicens: XIV. Videamus an Deus ſit ei opem laturus, in quo ſperans, imperatorias conſtitutiones contemnit & noſtra iuſſa? Sanctus autem Plato, his auditis, dixit: Impudentiſſime & ſceleratiſſime canis, nouorum tormentorum inuentor & excogitator Agrippine: conuenienter enim tuo animi ſtudio & inſtituto fuit ab initio tibi nomen impoſitum. Es enim agreſtis quidam lupus, & effrenatus tanquam equus indomitus, eos præcipitans, qui ſequuntur impudentem & ſceleratam tuam mentem. Miſer & infelix, es ne adeo ſtultus & inſipiens, & excæcatus à patre tuo ſatana? Non vides, quemadmodum Chriſtus mihi in prioribus adfuit tentationibus: & nunc quoque adeſt, leuans meos labores, & curans plagarum notas, quæ à te mihi imprimuntur: & vt ſemel dicam, nunquam reliquit eos, qui ipſi ſeruiunt? Fac ergo quam celerrime ea, quæ tuo ſedent animo: vt per tormenta, quæ mihi inferuntur, & indignas plagas, cognoſcas Chriſtum mihi opem ferre, qui à tua, quæ cum Deo pugnat, lingua nunc afficitur contumelia. Ego enim ſemper habens opem, quæ ab eo mihi fertur, non timebo tuas minas, neque varios tuos cruciatus.

Ceditur loris.

Deus nunquam relinquit ſperantes in ſe & ſeruientes ſibi.

Miniſtri autem ſatanæ cito fecerunt imperata, & quamprimum tanquam inanimam eum tangentes ſtatuā, XV. ſancti membra conſcindebant immiſericorditer, incipientes ab humeris. Sanctus autem Plato dicebat: Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Omnes autem, qui eum adſpiciebant, ægre ferebant propter ei illatum cruciatum. Erat enim Agrippinus ſupra modum inhumanus & plane ferus. Egregius vero Chriſti athleta Plato, tanquam turris quædam, quæ pulſatur, inconcuſſus manens & immotus propter ſuam fidem in Chriſtum, in ſomnis quodammodo torqueri videbatur. Hoc enim tormentum non formidans, neque ab eo obſtupefactus, non ſolum puſillo & abiecto animo non ceſſit: ſed ſe oſtendens magnanimum, lorum vnum è ſuo latere euulſum ex iis, quæ lictores ex eius corpore abſcindebant, proiecit ante tribunal Iudicis, dicens: Inhumaniſſime & omnibus feris ſæuior, eſto, cor tuum eſt adeo excæcatum, vt Deum non agnoſcas, qui ad ſuam nos fecit imaginē: quomodo non miſereris corporis, iiſdem, quibus tu, obnoxii perpeſſionibus, quod membratim conſcinditur: ſed tibi eſt voluptati membrorum meorum diſſectio? Hæc autem dico, non vt qui fugiam mori pro pietate, ſed crudelitatem tuam & inhumanitatem reddam omnibus manifeſtam. Ego enim propter Chriſtum meum lubenter patior omnia, mala,

Pſal. 39.

Videtur quaſi in ſomnis torqueri.

Digitized by Google

mala, quæ mihi à te inferuntur, & lubenter ſuſtineo dolorum acerbitatem, vt in futuro ſæculo æternam inueniam requiem. Tu autem, ô crudeliſſime & immaniſſime, accepta pelle mei corporis, eam habe teſtem tuæ impietatis, quæ te mittit ad æternum, & quod nunquam deſinit, ſupplicium, cum ſimulacris tuis & dæmonibus.

XV. DIXIT Agrippinus: Cur es inſipiens, & odio habes tuum corpus, ô Plato, & non curas, quod inteſtina tua per tua latera feruntur cum ſtercore: ſed adhuc nunc quoque es nullo ſenſu præditus: Præter hæc autem non contentus iis, quæ dicta ſunt, non ceſsâſti nunc deos inceſſere contumeliis, & venerandum meum irritare iudicium. Sanctus Plato dixit, ſubridens: Si ego, qui tot cruciatus & ſupplicia ſum à te paſſus, contumelioſus vocor & maledicus: tu qui ea mihi infers, num & factis debes dici parricida, & verbis maledicus: Dixit Agrippinus: Deos & Imperatores iam ſæpe multis affeciſti contumeliis, & ad iram me non parum prouocas. Scio autem te hoc facere, vt te quam primum occidam. Ego autem tibi tormenta inferam acerbiora, & te per partes conſumam, niſi mihi parueris, & intemeratis diis ſacrificaueris. Sanctus Martyr Chriſti dixit Plato: Sæpe tibi dixi, & rurſus dico, & non ceſſabo dicere: Ne minare verbis, ſed te ipſa in me oſtende tormenta: vt cognoſcaris faciens voluntatem patris tui ſatanæ & tui Imperatoris, habes enim, vt prius dixi, poteſtatem mei corporis, animæ autem Deus.

Vide ſaniſſimum Tyranni ſupplicium.

O egregiũ Chriſti athletam.

XVI. HIS auditis, dixit Agrippinus: Iam experientia cognouiſti per tormenta, quod nec Philoſopho quidem Platoni pepercîſſem propter deorum beneuolentiam, timens iuſſum Imperatoris. Sanctus Dei Martyr Plato dicit: Cognouiſti iam tu quoque ô Tyranne experientia per tormenta, quæ mihi à te ſunt illata, quod corpori meo non parco propter pietatem in Deum meum, timens iuſſum Regis cæleſtis. Agrippinus autem cum hæc audiuiſſet, & fuiſſet magno furore percitus, iuſſit eum in ligno ſuſpenſum tandiu cædi, donec omnes eius carnes ſimul cum ſanguine in terram effundantur. Præco autem magna voce clamabat: Sacrifica Plato, & ſolueris à vinculis. Cum vero ſanctus Plato negaret ſe ſacrificaturum, iuſſit Tyrannus vncis ferreis eius genas diſcerpi ac laniari. Adeo autem ſunt laniatæ, vt facies hominis non cerneretur amplius, propterea quod eſſent eius oſſa plane nudata.

Immaniſſime verberatur.

Genæ lacerantur vncis ferreis.

XVII. POSTQVAM autem iuſſit Agrippinus eum de ligno deponi, dixit ei: Infeliciſſime, quid decætero expectas, cum ſit tota tua caro excoriata, & nudata ſunt oſſa? Morem mihi gere, & ceſſa ab hac vana philoſophia, & diis ſacrifica, & ne perſiſtas in hac verborum contentione, ne malus male pereas. Dixit Martyr: Quid expectas, ô Tyranne, à me aliud audire, niſi fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti? Carne enim mea excoriata & nudatus oſſibus, adſum, vt vides, cum maiore audacia. Si ergo tibi reſtat aliquid aliud, quod mihi debet fieri, fac cito quod vis. Tunc impius Agrippinus Martyris admirans fortitudinem, iuſſit eum rurſus ſuſpendi in ligno, & vehementer eius cædi vlnas & femorum eius latitudinẽ. Ita fecerũt lictores, eũ cædentes ſpatio triũ horarũ. Dixit aũt ſanctus Chriſti Martyr: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxiliũ meũ. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Dixit Agrippinus: Impie & à beneuolentia deorum aliene, quoniam dedi tibi fiduciam, non te puniens, vt par erat, audes nunc loqui, violans iuſſum Imperatorum? Liba ergo diis, & te dimittam. Dixit ſanctus Plato: Si nos, qui pie Deum colimus, punimur, vt qui exiſtimemur impii: vos qui Deum abhorretis, & corpus, quod eſt iiſdem, quibus vos, obnoxium perpeſſionibus, immiſericorditer & indigne cæditis: quomodo damnabimini in iuſto Dei iudicio, in die, in qua iudicabit Deus occulta hominum? Dixit Agrippinus: Fero te loquentem audacter & cõfidenter. miſerere, ô chariſſime Plato, tuæ florentis ætatis, hoc enim tibi dedit fortuna, quæ eſt eiuſdem nominis, adſpicio enim te talem eſſe futurum, qualis ille fuit ſapientiſſimus Plato. Nam cum fuiſſet princeps philoſophiæ, deorum dogmata conſtituit. Quamobrem benigne tecum loquor, & conſulo vt ſis benignus in deos: & leges ſuſcipias, quas ipſi tulerunt Imperatores, & meis pareas admonitionibus. Si mihi autem non parueris, ſcias aperte, fore vt ego te cogam hoc facere diuerſis & acerbis ſupplicus, vt qui falſo ſis appellatus Plato: eius inquam, nomine ſuſcepto, qui inter homines maximam ſibi parauit philoſophiam, cum tu in deos ingratus euaſeris.

Eius vlnæ & femora cæduntur diutiſſime.

Pſal. 120.

Rom. 2.

Plato philoſophus deorum dogmata fabuloſa conſtituit.

XVIII. CHRISTI autem verus ac germanus miles Plato dixit: Valde magnum ſolœciſmum admittis ô Agrippine, errans in veritate. Nam cum pater tuus ſatanas ab initio fuerit pernicioſus, merito tu quoque, qui es eius miniſter, facis ei ſimiliter, & te in eius exerces actionibus. Dæmonum enim fortunam inuehis in homines Chriſtianos, qui nec ferre quidem poſſunt audire aliquid eiuſmodi. Sum ergo eiuſdem quidem nominis, cuius Plato: ſed non ſum iiſdem moribus præditus. Quos enim mores non coniungunt, ne nomen quidem eos conciliat, neque locus copulat, niſi ſolum pietas. Quamobrem nulla in re ei ſimilis ſum Plato, præterquam in ſolo nomine: hoc autem mihi piam mentem nunquam poterit lædere. Et ego quidem exerceo eam, quæ eſt in Chriſto, philoſophiam: illius autem philoſophia, eſt apud Deum meum ſtultitia. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum abolebo. Nam deorum dogmata, quæ ille, vt dicis, poſuit, ſunt falſæ & fictæ fabulæ, quæ adumbrantur deceptione dæmonum, qui animis afferunt interitum, & verborum aſtutia veſtras mentes excæcantes, abducunt à ſimplicitate fidei, quæ eſt in Chriſtum.

1 Cor. 1.
Eſa. 29.

XIX. POSTQVAM autem ceſsâſſet loqui Martyr, eius quidem reſponſo obſtupefactus Agrippinus, manſit mutus, non valens ei reſpondere: Cum autem paulo poſt iuſſiſſet eum de ligno deponi, aggreſſus eſt eũ rurſus blandis verbis admonere, ſic dicens: Ego decætero ô Plato, quod ad te quidem attinet, ſum plane animi dubius, nec ſcio quid debeam facere. Qui itaque te multis affeci cruciatibus, nec quicquam effeci, & adhibui blanditias, & hoc nihil profuit: nunc ſtatui aliquot dies tibi concedere. Forte cum ſic agnoueris id, quod eſt tibi vtile, hanc tuam relinques pernicaciam, & accedes ad deos, qui vniuerſum orbem terræ adminiſtrant: & liberaberis à grauibus tormentis, quæ te circunſiſtunt. Hæc cum dixiſſet, iuſſit eum reduci in cuſtodiam, iubens Commentarienſi quotidie ei dare vnciam panis & potum aquam, & prohibens, ne ab vllo videretur. Verebatur enim, ne quis ex iis, qui ad ipſum attinebant, ei daret alimenta: ignorans ſtultus, quod non in ſolo pane viuet homo, ſed in omni verbo, quod exit per os Dei. Sanctus autem Plato tranſegit decem & octo dies in cuſtodia: & vt in ipſo quoque impleretur id, quod ſcriptum eſt, Iuſtus ex fide viuet: noluit à Commentarienſi panem omnino aut aquam accipere. Sciebat enim, quod qui Danieli miſit nutrimentum, qui erat in medio leonum, ipſe ipſum quoque nutriet in cuſtodia. Poſtquam autem cuſtodes eum viderunt nihil ſumere, veriti ne interiret à fame, eum hortabantur, dicentes: Comede ô homo, ne forte veniamus in periculum, ſi tu nolis quicquam guſtare eorum, quæ tibi à nobis offeruntur. Beatus autem Plato dixit: Ne exiſtimetis, ô fratres, me moriturum propterea, quod non comedam. Vos enim nutrit panis, me autem verbum Dei permanens in æternum: & vos quidem ſatiant carnes, me autem puræ preces. Vos lætificat vinum: me autem Chriſtus, vera vitis patris, qui non cadit ſub adſpectum. Vos expectatis audire laudem ab hominibus: ego autem vocem Dominicam in die iudicii, qua dicet redemptor mundi Chriſtus: Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ante mundi conſtitutionem.

Rurſus nititur eum blanditiis ſubuertere.

Rurſus in carcerem adducitur.

Deut. 8.

Habac. 2.
Dan 14.

Nihil comedit in carcere.

Iohan 15.

Matth. 25.

XX. POST dies autem aliquot præſidens Agrippinus in baſilica, iuſſit ſanctum Platonem ad ipſum duci è cuſtodia. Cum autem ductus eſſet, dicit ei: Páre mihi decætero, & diis ſacrifica, & lucrare, ne male moriaris. Dixit ſanctus Plato: Mihi viuere, Chriſtus: & pro ipſo mori, & lucrum & gloria. Fac ergo mihi cito, quod velis, ego .n. nunquã ſacrificabo ſimulacris inanimis. Tunc cum vidiſſet Agrippinus fidem eius immutabilem, tulit in eum ſententiã, vt caput ei amputaretur. Cum ergo eũ accepiſſent lictores, abduxerunt extra ciuitatem in loco, qui vocatur Campus.

Philip. 1.

Stans autem ſanctus Martyr, rogauit ſpiculatorem, vt ei parum ſpatii concederet ad orandum. Qui ſublatis in cœlum ſuis oculis, Dominum orauit, dicens: Ago tibi gratias Domine Ieſu Chriſte, quod ſancto tuo nomine protexiſti me ſeruum tuum, & dediſti mihi gratiam, vt perfecte curſum conficerem pro te ſuſcepti certaminis. Et hunc rogo te, ſuſcipe in pace animam meam: quoniam es benedictus in ſæcula, Amen. Tunc cum collum ſuum extendiſſet, dixit ſpiculatori: Fac ô amice id, quod fuit tibi imperatum. Spiculator autem eum gladio percutiens, abſcidit eius ſanctum caput: & ſtatim tradidit Domino ſuum ſpiritum. Precioſæ autem & ſanctæ beati Platonis reliquię, acceptæ à Chriſtianis, depoſitæ fuerunt in eodem loco, qui dicitur Campus. Conſummatus autem fuit ſanctus & glorioſus Martyr, Plato beatiſſimus, menſis Nouembris decimooctauo, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui gloria & potentia in ſæcula ſæculorum, Amen.

[Caput ei amputatur.]

[An. 640.]

VITA S. VVANDREGISILI ABBATIS, A QVODAM EIVS, VT EQVIDEM SENTIO, PROPE æquali conſcripta.

[Ivlii 22.] [Prologus.]

AD ſummam Dei laudem & honorem de beati Vuandregiſili Abbatis vita laudabili & ſancta conuerſatione tractaturi, ſancti ſpiritus gratiam, qui etiam in rebus minimis inuocandus eſt, imploramus: vt qui eum in contemptu ſæculi & ſuipſius abnegatione præuenit & proſecutus eſt, ipſe nos quoque in hac recitatione præuenire dignetur & ſubſequi, & efficiat nos idoneos tantæ hiſtoriæ relatores. Nihil enim dignum Deo dicitur ſine eo, neque etiam ipſe ſine ſe inuocatur: cuius nimirum dona ſunt, ſi quis mereatur omnipotentis opera denunciare, & ipſum in ſanctis ſuis magnificare Deum. Et primum quidem hunc Dei dilectum, exemplar nobis & ſpeculum proponamus, & formam in eo Apoſtolicam, & vitam in terris Angelicam veneremur, atque inquantum poſſibile eſt, boni æmulatores idipſum imitemur. Cum enim magnum ſit & valde bonum, Sanctorum merita prædicare, & extollere virtutes, ipſas vtique virtutes ambire, atque imitando acquirere, reuerà optimum eſt & præcellens. Vtrunque tamen & cælitus datur, & diuinitus inſpiratur: illiuſque adminiſtratio eſt, gratis, qui gratiarum diſtributor, dat ex eis, quibus vult, & diuidit ſingulis, prout vult. Nunc igitur quæ ad cõmunem ædificationem pertinent, quæque deuotis auditorum animis prodeſſe ad imitationem poſſunt, de vita & meritis tanti Comitis, tamque glorioſi principis aggrediamur: cætera, quæ mundi fuerunt, geſta videlicet fortia, ad terrenam dignitatem atque ſæcularem militiam pertinentia, quamuis inclyta & relatu digna in memoria æterna, nos tamen ſilentio præterire decreuimus, geſtis tantum ſpiritualibus ex parte recitandis calamum applicantes: vt iamnunc ad ea, quæ religio beati viri & ſanctitas expoſtulat, manus laborare incipiat & calamus, de ortu eius & generis nobilitate, quod de ſanctis magniſque viris plerunque requiritur, breuiter annotando.

[Præclarum eſt, Sanctorum prædicare virtutes, præclarius, imitari.]
[1. Cor. 12.]

PRÆCLARVS atque glorioſus vir Domini Vuandregiſilus, cognomento Vuando, ortum inclytæ natiuitatis in Virdunenſi regione ex nobilibus atque religioſis parentibus eo tempore, quo ſceptra regni Francorũ fortis rex Dagobertus honeſte gubernabat, habuiſſe dignoſcitur. Denique genitor eius Vualchiſus nomine, ex nobiliſſima proſapia ortus, conſobrinus fuit Pipini excellentiſſimi principis Francorum. Et vt eiuſdem ſancti viri claram originem altius promam, cum eſſet à nobiliſſimis ac ditiſſimis parentibus editus, non minus nobilem ſe ſplendidæ vitæ moribus ac piæ conuerſationis aſſiduis exemplis præbebat. Cumque adoleſcentiæ polleret ætas in annis, ſub iam dicto rege Dagoberto militarib. geſtis ac aulicis diſciplinis, quippe vt nobiliſſimus, nobiliter educatus eſt. Et creſcentibus ſanctæ vitæ moribus, cunctis mundanarum rerum diſciplinis imbutus, ab eodem rege Dagoberto Comes conſtituitur palatii. Quo gradu paululum adminiſtrato, ardore parentum honoribus plurimis, vt ſeſe habet ſæcularis rei dignitas, valde ſublimatus, etiam diſpoſitioni rerum plurimarum non multò poſt mancipatur. Suſcipienſque hoc officium, exercebat cum pietatis ſtudio adminiſtrationem ſibi commiſſam. I.

[Eius pater Vualchiſus.]
[Educatur apud Dagobertum regem in rebus militaribus.]
[Fit Comes Palatii.]

MENTE ſemper cæleſtia tractans, optima principum iuſſa magnifice adimplebat, reddens, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Eratque liber ad arguendum eos, humilis ad obediendum: Regi Apoſtolico iuſſu ſubiectus, Chriſto deuotus. Erat in fide firmus in bonis operibus promptus, in ſermone veriſſimus, in iudicio iuſtus, in conſilio prouidus, in bonitate conſpicuus, in charitate præclarus. Arguebat ſubiectos clementer, tolerabat patienter. Erat in eo in cunctis operibus diſcretio, & imitabilis erga omnes dilectio. Euoluto autem tempore, parentum hortatu, licet inuitus, quandam ſibi deſpondit puellam, nobiliſſimis natalibus procreatam: ſolenniqué more caſtas celebrans nuptias, virginei floris immaculatum adeptus eſt torum. II.

[Matth. 22.]
[1. Petr. 2.]
[Catalogus virtutum eius.]

DENIQVE ſuadebat ſuæ coniugi virginitatem integram cuſtodire caſtitatiſque munere angelicarum virtutum promereri conſortium. Illa vero hac prudenti admonitione roborata, ac ſuperno illuſtrata lumine: Quæſo, inquit, nobiliſſime virorum, vt quæ ore promis, explere properes actu, & temetipſum à ſæculi curis exuas, neque famulã tuam caſtris committas Regis perpetui. At ille exultans eius laudabili deuotione, gratiarum actiones bonorum omnium inſpiratori hilariter perſoluit. Fit itaque ex vtraque parte, magnifice Chriſto donante, ſaluberrimus caſtitatis conſenſus. Ipſe Clericatus habitum ſumpſit, ac coniugem ſuam velo piæ religionis opertam, ſanctimonialium monaſterio ilico tradidit ſociandam. In quo viriliter, ſuimet cuſtos, callem imitabilis vitæ peragens, triumphum Domino reportauit: taliſque eius enituit conuerſatio, vt ad declaranda ipſius merita, plurimæ à Domino per eam patratæ dicantur virtutes. III.

[Cũ ſponſa nobiliſſima ſeruat corporis integritatem.]
[Fit Clericus & ſponſa ſanctimonialis.]

HIS ita ſe habentibus, ad ſancti viri opera & virtutes enarrandas ſtylum vertamus. Cum adhuc in laico habitu degẽs, iter carperet ſtipatus obſequiis ſuorum, diuertit in locum quendam ſuo itineri congruum: vbi ſeditioſum vulgus in iniuriam ſancti viri totis furoris facibus exarſit. Nam ſtoliditate & rabie barbarica concitati, nihil ſenſu à belluis diſcrepantes, in virum Dei cum turba irruunt ſuorum: vbi non minimum humani ſanguinis fuſum fuiſſet, niſi interceſſio ipſius & virtus Chriſti miſericorditer adfuiſſet. Ipſe enim ab illo popoſcit auxilium, cui dicitur: Tu es refugium meum à tribulatione: orationem pro gladio ſumens, clypeum diuinæ miſericordiæ poſtulauit. Nec defuit diuinum, vbi humanum deerat, auxilium. Denique turba prauorum hominum ita ſtetit immobilis, vt propius accedere non valeret, Chriſti ſcilicet retenta virtute. Statimque ipſa concertatio & rixa in admirationem intuentibus vertitur, ita vt oratione viri Dei ſoluerentur pariter & ſaluarentur, ac pacati abſcederent, qui ſeditioſi aduenerant. Nec mirum videri debet, quando illic filius pacis aderat, quod litigantes omnipotens Deus eius cauſa ad concordiã reuocauit. Exinde cœpit magis magiſq; diuino igne ſuccendi, atq; contemplatiuæ vitæ alta rimari, Deumque glorificare ſimul & laudare, dicens illum ſuper omnia toto niſu diligendum, qui vbicunque iuſte fuerit inuocatus, præſens fit exauditor, ſecundum illud prophetæ dictum: Cum quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar à vobis. Adeo vero ſeipſum propria diſciplina coercebat, vt iam quaſi futuram olim paſtoris ſpeciem ſuis in geſtis præſignaret, vt irreprehenſibilis in templo Chriſti præpararetur ſacerdos. O perfectiſſimum laicum, cuius imitatores ipſi eſſe ſacerdotes deſiderabant. O mentẽ ab omnibus prædicandam, cui non fuit aliud viuere, niſi Chriſtum cum dilectione timere, & cum timore diligere. IV

[Pſal. 31.]
[Precibus ſiſtit tumultuantes.]
[Iere. 29.]

Poſt-

V. Postqvam autem, vt ſuperius indicatum eſt, ipſe vir ſanctus mundi huius oblectamenta deſeruit, optabat in ſancto cœnobio diuinæ inſiſtere philoſophiæ, ac monaſticæ regulæ venerabilem animum tradere informandũ. Ac primum in loco, qui dicitur Mons Falconis, cum viro ſancto, nomine Baltfrido, non multũ temporis habitauit: cuius actus & vitam in geſtis de eo ſcriptis, ſi qui noſſe velint, facilè reperient. Erat autem idem vir Domini Vuandregiſilus, ſtatura mediocris, quæ honeſtam non excederet formam, oculis vigilantibus, facie candida, manibus prolixis, omniq; corporis forma decorus pariter ac iucũdus. Qui omnes facultates ac prædia ſua partim monaſterijs perpetim poſſidenda tradidit: partim precium ex ijs accipiens, indigentibus larga diſtribuit manu. Sicq; exutus ſæculi curis atq; impedimentis, liber & nudus cum hoſte vel ſuto certare contendit. Deniq; hoſtis inuidus, eius inſuperabilem conſpiciens deuotionem, nitebatur omnibus modis impedire pios eius actus & ſtudia. Ac primum Regis animum & procerum illius aduerſus eum commouit, ſcilicet vt auulſus à ſancto loco, habitum compelleretur recipere ſæcularem. Sed ipſe indeſinenter precibus inſiſtens, diuinis armis inimici euacuabat molimina.

Viuit in monaſterio. Forma corporis eius. Diſtribuit omnia ſua bona monaſterijs & pauperibus.

VI. His temporibus Rex inclytus Dagobertus, amator videlicet Dei ac Sanctorum, eccleſiarum atq; monaſteriorum venerabilium ſtrenuus fautor pariter & fundator, ac proprij regni fortiſſimus defenſor & propagator inuictus; ſceptra Francorum præclare moderabatur, hoſtibus vndiq; ſuæ ditioni ſubactis. Et quia præfatus vir Domini in eius aula nutritus, & ſuis fuerat olim miniſterijs aſſcitus, nitebatur ei è ſuorum conſilio moleſtiam inferre, quod ſine eius permiſſu habitum mutaſſet, ac monaſticæ ſe religioni mancipaſſet. Itaq; eum acceſſiri quamprimum iuſſit in aulam ſuam. Ipſe autem auxilio Dei fretus, qui ei ſemper opitulari præſens ſolebat, reminiſcens etiam illius Apoſtoli Petri: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti, licet nolens quidem, in palatio ſeſe exhibuit obtutibus regis. Cum autem iuſſus regias, licet animo reluctante, properaret ad ædes, ante fores palatij quendam pauperculum ſubito offendit cum vehiculo, quod ei ſola erat domus, luto immerſum. Cumq; omnes miſerum præterirent, aut etiam aliqui comprimerent, intellexit vir ſanctus mercedem ſibi ex hoc reſeruari, ſi indigenti atq; humi depreſſo miſericordiam exhiberet. Cernens etiam crudelitatem, quam operabantur tumidi, de equo, cui ſedebat, cum grauitate deſcendit, & pauperi manum porrigens, ſimul cum plauſtro eum de luto leuauit. Tunc quidam ſtolidorum perſpicientes, vt de ſubleuatione iacentis cœnoſum geſtaret amictum, vanæ gloriæ & temeritati, more inuidorum Phariſæorum, deputabant. Ille vero ſoli Deo placere deſiderans, vituperia improborum floccipẽdit, ſed humilis humilem magiſtrum imitabatur, qui in Euangelio dicit: Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius? Cum ſic autem illatum ſibi pro pietate opprobrium æquo animo exciperet, extemplo cælitus niueo eſt indutus amictu: id eſt, Angelus veſtem illius diligenter emundans, candidiorem, quàm antea fuerat, reddidit. Poſtea autem perueniens in domum regiam, ſtabat in conſpectu Regis & procerum illius, quaſi agnus in medio belluarum. Porro Dominus cuſtos & rector omnium placentium ſibi, ab hoſtium læſione eum tutum ac munitum vbique reddebat: omnibuſq; liquido patefactum eſt, eum fideliſſimum Dei eſſe famulum, qui cũctam huius mundi gloriam pro expectatione calcaſſet futurorum. Et præcepit Rex, vt nemo illi moleſtus eſſet, ſed pro voto animi ſui diuinis ſeruiret mandatis, & propoſiti ſui obſeruantiam, nullo reſiſtente, ſeruaret. Sicque regia authoritate ſecutus, de reliquo ad dilectæ habitationis locum reuerſus eſt.

1. Pet. 2. Officioſè ſuam operã nauat pauperi. Matth. 10. Angelico miniſterio eius veſtes mundãtur. Dagobertus rex eum vindicat ab æmulis.

VII. Qvo loco non multò poſt occaſione quadam relicto, in Eliſgangium commigrauit territorium, vbi & monaſterium ſtruxit pro temporis opportunitate in poſſeſſione propria. Ibi nanque beatus Vrſicinus requieſcit venerabiliter humatus. Monſtratur vero eo in loco vſq; in præſens viri Dei Vuandregiſili grabatus, vbi quieti membra dare poſt prolixam vigiliarum inſtantiam & afflictionem ſolitus erat. Illic nanque ieiunijs, vigilijs & orationibus frequenter inſiſtens cæleſtis tyro, fortiſſimus efficitur miles. Quod ſi nonnunquam diuinis vacantem laudibus ſomnus importunus Dei hominem oppreſſiſſet, nudis pedibus & ſimplici veſte tantum contentus, ſuper humum ſtare, ac poplitibus flexis orare ſolitus erat. Tali laboris afflictione detentus, adeò fuit attenuatus & exhauſtus, vt vix membra confecta poſſet erigere. Cernens autem hoſtis antiquus inſuperabilem viri Dei conſtantiam, ad tentamenta fortiora ilicò ſe contulit excitanda, plurimaſque ei inquietudines & viſibiliter, & per ſoporem ſæpius ingeſſit: ita vt in effigies beſtiarum, aut volucrum, ſiue ſerpentium ſe illudendo transformaret, & eius adſpectibus terribilem ſe præſentaret. Vir quoque Domini intelligens illius multimoda nocendi argumenta, ſuggeſtioneſque lethiferas, per ſanctæ Crucis vexillum, & rigidam abſtinentiam iugemque orationem, diuino per cuncta fultus ſolatio, conatus eius irritos viriliter efficiebat.

Extruit monaſterium, & in eo moratur. Infeſtatur à dæmone. Arma eius contra dæmones.

VIII. Sed cum anguis lubricus ſe conſpiceret à viro Dei vbiq; ſuperari, adhuc maiora inquirit & adhibet artium ſuarum exitioſa machinamenta. At contra in viro Dei tantus inerat fidei feruor, & inſatiabilis erga Dei vultum ardor, vt quo plures ille ſua calliditate ipſi irrogaſſet moleſtias, eo crebriores ſibi optaret afferri. Cum nocte quadam vltra ſolitum ſomno indulſiſſet vir Dei, ilico adfuit hoſtis, & illudens, ait: Te vigilantior hac nocte fui. Tunc vir Dei: Non dubito, inquit, in ruinam aliorum & cumulum tuæ damnationis te vbiq; eſſe peruigilem. Sed certè domabitur caro, quæ me ad hanc impulit torporis inertiam. Exurgens itaq; à deſidia ſomni, accipiebat armaturam Dei, taliaq; promebat. Tu quidem, qui idem ipſe es ſemper cuſtos tuorum, non dormitans in æuum, indigno famulo tuo miſerator adeſto. Cumq; per id tempus hyemis aſperitas eſſet, ſub diuo in medio niuium & glaciei, Dauidicam cæleſtemque muſicam, flens & longa trahens ſuſpiria, Domino deuotiſſimè depromebat. Sed & adeò in ieiunia incumbebat, vt tota hebdomada, exceptis prima & quinta ſabbati, eſcam minimè ſumeret. O quam magnificum & laudatiſſimum bellum, quod indeſinenter probatiſſimus Domini miles gerebat aduerſus hoſtem antiquum! Verè digniſſimum, in quo Dominus habitaret, templum, ieiunijs mundum, orationibus comptum, puritate conſpicuum, vigilijs exornatum. Cuius quidem in mente virtutum omnium decorem, & valdè ſobrium ſibi Sapientia collocauit domicilium.

Mira inedia eius.

IX. Qvadam nocte iuxta morem cilicio obuolutus, in cella dum ad refocillandum quieti membra dediſſet, Angelico ductu in monaſterium, quod vocatur Bobium, ſitum in Italia, perducitur, oſtenſæq; ſunt ei eiuſdem loci habitationes. Expergefactus autem à ſomno, intellexit hoc oraculum diuinitus agi, ſeq; ad hoc commoneri, vt ob gratiam vitæ contemplatiuæ atque arctioris continentiæ ſemitam explorandam talia inuiſeret loca. Memor itaq; Dominici præcepti, quo ait: Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: ſurgens reliquit omnia, quæ oneri ſibi videbantur, quatenus ab vniuerſis exutus, mandatorum Dei tutius curreret viam. Adunatoque fratrum omnium cœtu, orat vt imminenti itineri, eorum intercedentibus precibus, iuuamen cunctipotens clementer tribueret. Sicque valedicens eis, cum tribus pueris & aſello diſpoſitum arripuit iter: ouanſque peregrinationem optati laboris aggreſſus, Alpium iuga transgreditur, atque Italiam ingrediens, ad Bobienſe cœnobium, veluti reuelatione didicerat, accedit: quod beatus pater Columbanus Scotici generis, laudabilibus geſtis florens, cum à Rege Theodorico Gallia expulſus eſſet, atque ab Agilulpho Longobardorum Rege Italia magnifice ſuſceptus, eius permiſſu ædificauerat. Quem locum veterum traditione * Bonæam nuncupabant, propter riuum eius nominis illic manantem, amnemque alium, quem Trincam vocant: ad quem olim Annibal hyemans, hominum, equorum, elephantorum damna non minima ſenſit. Hunc ergo locum beatus pater Vuandregiſilus adiens,

*Spiritu perluſtrat Bobienſe monaſterium. Luc. 14. Venit ad Bobienſe cœnobium. * Bobium.*

qui à diſcipulis præfati Columbani tunc temporis incolebatur, aliquantiſpèr inibi commoratus eſt. Cum autem vi-
qui à diſcipulis præfari Columbani tunc temporis incolebatur, aliquantiſpèr inibi commoratus eſt. Cum antem vi-
diſſet cũcta loci eius habitacula, apertiſſimè intellexit, anteà ſibi à Dño diuinitus hæc fuiſſe mõſtrata. Cognouerũtq;
habitatores loci probatiſſimum Chriſti eſſe militem, & eius fructuoſa deuotio atq; nobiliſſimæ ſtirpis origo, cũctis
eſt ſubitò pateſacta: multaq; præſagia futurorum ei Dominus ibidem monſtrare dignatus eſt, poſteris intimanda.

MORANTE autem eo illo in loco, incidit ei ſancta quædam cogitatio; vt ad limina Apoſtolorum Romam X.

Romã proficiſcitur. *Pſal.* 55.

proficiſci deberet: Chriſtoque duce, quod piè tractauit, deuotè compleuit. Deniquè cœpto itinere ſancta luſtran-
do loca, ad eandem conuolauit celeberrimam vrbem, votaque ſua omnipotenti Deo eiusque beatiſſimis Apoſto-
lis deuotè obtulit, dicens cum Pſalmiſta: In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi. Sicque in vi-
ſu admonitus, vt Galliarum repeteret rura, iter conuertit ad Alpes. Remotior enim volebat conuerſari, & peregri-
nam pro Chriſto ducere vitam non mediocriter appetebat, ſi Dominus votis eius annueret. Diſpoſuerat nanque
in Hyberniam inſulam nauigare, ſed diuina pietatis hoc magnificum munus, ob multorum inſtructionem, Gallia-
rum populis reſeruauit. Cum autem non modico ſudore, tamen delectabili, Alpibus tranſcenſis, arua iam tereret
Gallica, cauſa hoſpitij monaſterium perijt, cuius eſt vocabulum Romanis; ſitum vltra ſaltum Iurenſem. Pater er-
gò loci venerabiliter & monaſticè eum ſuſcepit, ac debitum præbuit obſequium, vt eius vitæ præſcribit laudabilis
Canon. Cognouitque vir Domini religionem monaſticam inibi pollere, deditque operam, vt monachorum iun-

Decem annis hæret in monaſterio quodã, viuens ſanctiſsimè.

geretur ſodalitati. Amplexus autem obedientiam, per decem fermè annorum curricula ſub inſtitutione regulari, fe-
lici deuotione Domino militauit. Ibi ſolis ieiuniis & orationibus, multorum excedens metas hominum, vacare
cœpit, & iugum Chriſti, quod ferentibus leue eſt, in ſe recipere, ſemetipſum ſibi abnegando, ac crucem ſuam tol-
lendo, Chriſtum totis viribus ſequi conabatur: in virtutum videlicet culmina per humilitatem aſcendens, man-
ſuetudinem ſectans, modeſtiam, atque ſobrietatem & lenitatem æquè in omnibus ſeruabat. Execrabatur denique
vir, Dei præcipuus religionis amator, diſcordiæ vitium, arrogantiæ ac elationis ſupercilium. Erat ipſe cunctis hu-
milior, charitatis officijs præueniens cunctos: tardus ad loquendum, & velox ad audiendum: cuſtos ſcilicet oris
ſui, hilaris vultu, maturus moribus. Obedientiæ quoquè ac ſubiectioni ità promptum ſe exhibebat, vt iuſſionem
patris, quaſi diuinitus imperatam, cum omni ſynceritate quamprimum exequeretur. Meditatio eius ſemper in vi-

Coloſ. 3.

ribus defixa erat: & vbicunque eſſet, mandata Dei ſcrutabatur accuratè, & inſtanter perficiebat. Tale nimirum e-
rat beati viri ſtudium, talisque in eo florebat religio. mortificabat enim membra ſua, quæ ſunt ſuper terram. Nudus
nudam amplectebatur Crucem, atque mortuus iam mundo, aduena terris, viuebat Deo. Cuius exemplis ſalubri-
bus plurimi negligentes ac tepidi prouocati, arduum illius arripuerunt iter, atque ad opus ſublimium virtutum, ip-
ſo ſancto opitulante, æternæ vitæ ſoliciti, conſurgunt.

EO ergò in loco viro Dei commoranti cæleſtis adeſt viſitatio. Nam cum quadam nocte attentiſſimè preci- XI.

Viſio ei cæleſtis exhibetur.

bus inſiſteret, diuinis auribus offerendis, in cellula ſibi conſtituta, taliquè negocio apta, incomparabilis ſuauitatis
odore ſimul & claritate locus ille cælitus repletur, voxque ad eum huiuſmodi perlata eſt: Serue Chriſti, in timore
Domini deuotiſſime, pax tibi ſemper multiplicetur. Certa bonum certamen, & his ſemper inſiſte operibus, quæ
per me gerulum quotidie offeruntur Domino. Quia non ocio torpentibus, ſed in fide currentibus & peruigili in-
ſtantia attentiſſime Chriſto militantibus, vitæ ianua patet æternæ, iam tibi à Domino reſeratæ, vt cum iuſtorum

Orat & exauditur pro Godone nepote ſuo.

collegijs, gaudijs fruaris æternùm duraturis. Nepos quoque tuus Godo, pro quo crebetrimis precibus aures Do-
mini ſolicitas, veſtigia imitabitur tua, cunctisque huius mundi vanitatibus derelictis, vt ſtrenuus miles ad caſtra
Chriſti deuotiſſime conuolabit. His auditis, vir Domini humi proſtratus, arctiſſime orationi incubuit, non ſe in
corde ſuo extollendo, quòd cæleſti viſione viſitari meruiſſet: ſed humilians ſe fragilem ac peccatorem fatebatur, &

Nota hanc Authoris ætatem & fidem.

quod dignus non eſſet, peccatorum næuis fœdatus, vt cæleſti oraculo magnificaretur. Hæc de viro Dei reuelatio o-
ſtenſa fuerat cuidam ſeruo Dei, in ipſo loco degenti, qui & nobis narrare ſolitus erat. O quantis præconijs efferen-
da eſt tam excellens virtus, quantisque laudibus celebrandus eſt homo ille, qui ſic à Chriſto meruit mirificari. O
felix mortificatio ſeruorum Dei: quæ dum ſponte agitur in membris corporis, conciues efficit angelorum. O am-
plectenda modis omnibus arcta & anguſta via, per quam vir Domini Vuandregiſilus ingreſſus, cæleſtis aulæ habita-
tor effectus eſt.

Audoenus Epiſcopus Rothomagenſis.

HIS porro diebus glorioſus confeſſor Domini Audoenus, anno tertio Clodouei Regis, filij Dagoberti, ſedem XII.
vrbis Rothomagenſis adeptus, verbum ſalutiferæ prædicationis ſuis ciuibus adminiſtrans, fidei catholicæ fautor
pariterque præceptor, barbaricas atque indomabiles eorum mentes nectare Euangelicæ doctrinæ debriabat, at-
que docilem ſubiectamque, ad credendum quondàm aſperam, gentem docebat, ſedulisque exhortationibus Do-
minum Ieſum Chriſtum eſſe colendum, innumeris aſſertionibus demonſtrabat. Cuius cognita ab omnibus vita,

Eum inuiſit S. Vuandregiſilus.

atque laudabili deuotione comperta, admonitus etiam in viſu, vt occidentalia Galliæ reuiſeret loca, de ſupradicto,
Romanis, monaſterio cum licentia patris egreſſus, iter carpere cœpit, quod ad Belgicam deducit Galliam, peruenit-
que ad celebrem vrbem Rothomagenſem, ſumma reuerentia à venerabili antiſtite Audoeno exceptus. Qui memor
prioris coniunctionis & ſocietatis, nobiliſſimæque eius originis, ſed & piæ ac Deo dignæ religionis, aliquandiu eum

Fit Subdiaconus, poſt Diaconus, inde ſacerdos.

ſecum in vrbe tenuit, & ſecundi ordinis honore ampliauit, Subdiaconum eum creans valde reluctantem, ſicut &
proceſſu temporis Leuitici miniſterij onus ei impoſuit. Quo feliciter adminiſtrato, non multò poſt ad ſacerdotiũ,
licet renuens, iuſſu eiuſdem beatiſſimi præſulis Audoeni, à venerabili Autmaro pontifice vrbis Taruannæ conſecra-
tus eſt. Deinde poſt acceptum ſacræ benedictionis munus, ſtudioſe explebat miniſterium ſibi impoſitum, humilita-
tis tramitem in omnibus tenens. Erat nanque non minimum idoneus & aptus huic ſacroſancto miniſterio. Quam-

Iſtius Autmari vita habetur 9. *ſeptembr.*

obrem præfatus glorioſus præſul in vrbe ſecum perpetim retinendum cenſuit, quia mellito eius delectabatur allo-
quio, quo eum crebrò recreabat & grauitate fouebat. At verò ipſe egregius Dei cultor diſtrictiorem deſiderans du-
cere vitam, eremi ſecreta plurimum ambiens, mundanos toto niſu fugiebat ſemper honores, vt apud Chriſtum poſ-
ſet mereri cæleſtes. Itaque omni conatu tanto negocio opportunum inquirebat locum: aut ſi id forte vetante mun-
di turbine, votis eius non obtingeret, ſaltem vt ſub Chriſti iugo & onere eius placido, regularem vitam promptiſſi-
mus ſequeretur, vt per eum, Chriſto duce, multorum promoueretur ſalus.

CVM autem talia volueret animo, contigit, vt largiente Erchinoaldo præfecto, immodicam ſoli partem acci- XIII.
peret, quo Fontanellæ cœnobium, vnà cum venerando nepote ſuo Godone, vt rudis habitator conſtrueret. Quem
veterum traditio, ob riuum in eo loco fluentem, hoc nomine vocitabat. Monſtrabantur namque in eodem loco
veſtigia, immò ruinæ ædificiorum, priſcorum accolarum induſtria olim extructorum, ſed exterorum hoſtium feri-
tate belluina ſolo funditus æquatorum. Et in ipſo quidem loco magis luſtra ferarum, quàm hominum habitatio,

Conſtruit Fontanellenſe monaſterium. *Eſa.* 35.

tunc temporis videbantur. Hunc ergò locum vir Domini Vuandregiſilus, atque ipſius nepos venerabilis Godo, à
prædicto patricio ſibi donatum, ſtuduerunt cum nonnullis ipſis fauentibus, repurgare, ſuperuacanea quæque euel-
lendo. Deinde vero etiam iacere fundamenta, vt iuxta prophetiam Eſaiæ, in cubilibus, in quibus habitabant draco-
nes, orìretur viror calami ac iunci: videlicet fructus bonorum operum ibi naſcerentur, vbi prius beſtiæ commorari
& habitare conſueuerant. Cœptum eſt autem hoc opus ab anno Dominicæ incarnationis ſexenteſimo quadrage-
ſimo quin-

ſimoquinto, ſub die Calend. Martiarum, Indictione tertia, qui erat annus Clodouci Regis vndecimus, obtinente ſedem Romanæ Eccleſiæ beatiſſimo Papa Martino. Tam vero ſolerti ſtudio, tantaque induſtria perfectum eſt, vt penè illo in tempore venerabilibus cœnobijs æquaretur. Eſt autem hoc cœnobium ſitum in territorio Rothomagenſi, diſtans à memotata vrbe millibus fermè decem & octo: porro à fluuio magno Sequana, ſpatio paſſuum circiter octingentorum.

XIV. Sed quia mentionem fecimus Etchinoaldi præfecti, libet de eo aliquid dignum ſcribere. Is enim poſt tranſitum bonæ recordationis Dagoberti Regis, præfecturæ ordinem ac curam maximam regni Francorum, etiam cum filio eius Clodouco & * Baltilde Regina, nobiliter adminiſtrauit. Erat namque inſignis bonitate ac eleemoſynis largiſſimus, atque ex materna origine beati viri conſanguineus. Poſtquàm autem exceſſit è vita Clodoueus Rex, remanſit Baltildis Regina cum tribus filijs, Clotario, Childerico ac Theodorico. Equibus Clotarius, qui maior natu erat, faſtigium adeptus eſt regni, rexitque populum Occidentalium Francorum annis * quatuordecim: & quod pater eius inchoauerat, prædictum locum pijs largitionibus ac priuilegijs ſuæ authoritatis deuotè ſtuduit argumentare. Terminos etiam ipſius loci, prout voluntas venerandi patris Vuandregiſili erat, deuotiſſimè auxit. Ibique reſidens vir Domini, cœnobium, multorum fretus ſolatio, conſtruere cœpit. Ad cuius famam plebs vndique concurrere, & cultui religionis dicare curabant prædia plurima, ità vt multis confluentibus, monachorum numerus ad trecentos excreſceret. Accurrebant vndique nobilium liberi, & ſpretis ſæculi oblectamentis, & præſentium pompa facultatum contempta, æterna cupiebant cum tanto patre præmia adipiſci. Aedificauit autem in ipſo loco vir Domini baſilicas egregio cultu, numero quatuor, in honorem videlicet principis Apoſtolorum Petri, ſimulque doctoris gentium Pauli, ſanctique Laurentij ac Pancratij martyrum Chriſti: & cum huic operi inſiſteret, miſit antedictum nepotem ſuum in vrbem Romam, propter pignora beatorum Apoſtolorum ac martyrum Chriſti: vt ædificatis baſilicis, in promptu haberet reliquias ſanctorum, quorum nomini & reuerentiæ dicare diſpoſuerat. Qui votis pij patris libentiſſimè parens, Romam abijt, Vitalino Papa eodem tempore gubernante ſedem eiuſdem Eccleſiæ: atque ab eo ſuſcepta plurima Apoſtolorum & martyrum Chriſti pignora, vnà cum benedictione Apoſtolica rediens, ſecum detulit, codicumque ſacrorum copiam non minimam: proſperoque curſu itinere acto, ouans reuertitur ad virum Dei: cunctaque, quæ attulerat, idem vir Domini, venerabiliter ſuſcepit. Acceſſito etiam ſanctæ recordationis Audoëno præſule, præfatas, quas ædificauerat, eccleſias vt conſecraret, ſimulque pignora, quæ Godo cum eius authoritate Romæ impetrauerat, Chriſti imponeret aris, ſupplex exorat. Quod ita à prædicto præſule confeſtim conſtat fuiſſe impletum. Locus autem ipſius cœnobij tam fertilis, tamque iucundus extitit, vt cum quis illuc aduenerat, inter pomorum nemora & hortorum amœnitates virentium, in hæc protinus liberet ei prorumpere verba: Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, vt valles nemoroſæ, vt paradiſi iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri propter aquas.

Etchinoaldus præfectus inſignis

* *Blitilde.*

* alij quatuor tantū habent.

Trecenti monachi Fontanellenſ.

Multas ab vrbe accipit ſanctorū reliquias Item ſacros codices.

Reliquiæ aris impoſitæ.

Num. 24.

XV. Adiutor prætereà huius operis & cooperator inſignis, Vuaningus vir illuſtris extitit, qui viro Dei plurima prædia felici munere ad vſum ſeruorum Chriſti deuotè contulit, filiumque ſuum, Deſideratum nomine, ſub regimine prædicti patris in eodem loco monaſticæ diſciplinæ & Chriſti militiæ tradidit vacaturum. Erat is Vuaningus ditiſſimus, & multimoda cœnobiorum habitacula in poſſeſſionibus proprijs conſtruxit. Ex quibus vnum eſt, quod vocatur Fiſcamnum. Quo in loco dum moraretur, exceſſum mentis ſubitò paſſus eſt, oſtenſæque ſunt ei pœnæ damnatorum, & felicitates iuſtorum, audiuitque diuinitus, viginti annorum ſpatio ipſum victurum, idque impetraſſe à Domino ſanctam Chriſti martyrem Eulaliam, cui precibus ſe ſedulis commendare ſolitus erat. Sed & ipſa Chriſti martyr ei apparens, commonuit vt in prædicto prædio, quo morabatur, monaſterium conſtrueret, & de ſua ſtirpe nulli regendum committeret. Qua reuerſa ad ſuperos, virum Dei Vuandregiſilum accerſiuit, & ordinem ei viſionis expoſuit: ſimulque à febre, qua premebatur, eius precibus curatus, optatam recepit ſoſpitatem, prædictumque cœnobium, vt monitus erat, ilicò conſtruere cœpit.

Vuaningus vir illuſtris multa condit monaſteria.

XVI. Erat tunc temporis apud Burdegalim vrbem virgo Chriſti Hildemarcha, cuiuſdam monaſterij ſanctimonialium ſanctiſſima gubernatrix: ad quam quidam vir Dei, monachus ac diaconus, nomine Sindardus, cum propter vtilitatem ſeruorum Dei in illas partes mitteretur, cauſa hoſpitij declinare ſolitus erat. Cui illa intimauit, in viſu ſe eſſe commonitam, vt tellurem adiret Rothomagenſem, virumque Dei Vuandregiſilum inuiſeret, atque ſub illius regimine diuinis pareret edictis. Quæ, ſicut in eius ſcribitur geſtis, ad Chriſti famulum perueniens, ab illo ad illuſtriſſimum virum Vuaningum perducta eſt. Is verò prædictum cœnobium Fiſcamnum per teſtamenta tradens beato Vuandregiſilo, eius ſuaſu eidem religioſiſſimæ virgini tradidit gubernandum. Cuius vitam ac laudabilem conuerſationem libellus, qui de eius ſcribitur actibus, liquidò narrat. Quod idcircò ſcribendum putaui, vt poſteris intimaretur, ſub iure & regimine prædicti patris idem cœnobium nupertimè fuiſſe. Porrò Sindardus Chriſti famulus, pignora Sancti Saturnini Toloſæ vrbis Epiſcopi & martyris, viro Dei detulit, ſed & ſancti confeſſoris Amantij Redonenſis præſulis: in quorum honore duas condidit baſilicas, quarum vna, quæ in veneratione martyris extat, eſt ſita in vertice ardui montis, vinearum quondam fertilis. Altera verò, quæ in nomine confeſſoris eſt condita, diſtat ab ipſo principali cœnobio paſſus ſexcentos. Monſtrabantur inteſtini iſtius baſilicę grabati & ſedes, vbi beatus pontifex Audoënus & ſanctus confeſſor Philibertus, dum virum Dei inuiſerent, requieſcere ac conſedere ſoliti erant. Quorum oratio non alia erat, quàm de regno Chriſti, de paradiſi delicijs, & de gehennæ ſupplicijs: de iuſtitia quoquè, fide & charitate, & patriæ ſalute: ſimulque de illecebris reſpuendis, & pace omnibus prædicanda. In quibus cellulis prædictus vir Domini monachos conſtituit, qui diuinis inſiſterent ſeruitijs: quia vnius cœnobij ſepta tantam conuerſorum turbam non facilè potuiſſent continere.

Hildemarcha ſanctiſſima abbatiſſa.

Ecce quomodo olim Baſilicæ in honorem ſanctorum conſtruebantur & conſecrabantur.

XVII. Patratum poſt hoc miraculum per virum Dei, referre dignum duxi ad gloriam eius, qui gratiam ſubminiſtrat, & honorem illius, qui efficit miracula. Anno quarto regiminis viri Dei, qui erat Clodouei Regis decimusquintus, cum ipſe vnà cum fratrum cœtu operi manuum vacaret in valle antè dicta ad plagam orientalem, vbi fons oritur amnis Fontanellæ, Betto quidam, cuſtos regij ſaltus, quem fratres à loco, in quo ipſi operabantur, migrare compulerant, vitam ſolitariam ducere cupientes, liuoris peſte corruptus, ſimulq; dæmone plenus, viro Dei occurrit, lanceaq; eum traijcere voluit: ſed maleuolam animam vltio diuina citò anteuertit. Nam dextera, quam aduerſus virum

Betto dum vult virum Dei conſo-

Digitized by Google

dere, diuinitus punitur.

rum Dei leuauerat, torpente, ante pedes eius humi defixa ſtetit: ipſe vero à dæmone arreptus, ante viri Dei veſtigia ruit. Quem cernens famulus Chriſti debita vltione percuſſum, die illo & nocte ſequente apud ſe retinuit. Die autem illuceſcente, eum ad ſe accerſiuit, Deoque fauente, ſuis orationibus illum curans, ſanum ad propria remiſit. In eodem vero loco baſilica à viro Dei in honorem ſanctiſſimæ matris Chriſti condita eſt, vbi interuentu eius plurima quotidiè, Deo iubente, fiunt miracula.

Matth. 14.

** Baltildē.*

Regina per viſum admonita, annonam mittit viro Dei.

XIIX. In prædicto nanque cœnobio viro Dei cum ſuis commoranti, cum nulla alimentorum ſolatia adeſſent, Baltfridus Cellarius id ei indicauit. Cui ille: Poteſt, inquit, conditor rerum ſuis in deſerto famulis parare menſam, qui multiplicatione quinq; panum ſatiauit hominum quinque millia. Euenit, quemadmodum dixerat vir Dei. Monuit nanque Dominus per viſum * Blitildem Reginam, vt famulo ſuo intra eremi vaſtitatem conſiſtenti neceſſaria miniſtraret. Quæ expergefacta, onuſta vehicula ſeruo Dei dirigit. At ille gratias bonorum omnium largitori agit, qui ſolita benignitate ſeruis ſuis ſemper conſolator adeſſet. Percepta verò benedictione, illi, qui alimenta attulerant, ſuo itinere reuerſi ſunt. Porrò anno decimoquinto regiminis ſui, vir Dei Clotarium tertium Regem acceſſit, & priuilegium regiæ confirmationis ſuper area dicti cœnobij liberaliſſima datione accepit: Celebrata ea fuit in territorio Caſtrienſi in loco illo, quem Palatiolum vocant.

Erinbertus liberatur febre.

XIX. PORRO vir beatus iam in vltima poſitus ætate, quando iter agere conſtituit, non poterat equo vehi, ſed vehiculo ferebatur, quod aut muli, aut equi traherent. In prædicto autem territorio illo degente, quidam vir illuſtris nomine Hartbamus, filius illuſtris Erinberti, ad conuerſionem veniens, tribuit eidem glorioſo patri prædium quoddã nomine Butionem, in quo eccleſiam ædificauit, habiracula ſeruorum Dei inſtituit, & famulaturos diuinæ clementiæ monachos inibi collocauit. Seruus autem Chriſti Hartbamus in magnæ religionis obſeruantia vitam, authore Chriſto, finiuit, permultaq; prædia eidem venerabili patri deuotè largitus eſt. Eius pater Erinbertus, cum magnis febrium angoribus teneretur, precibus ſanctiſſimi viri ſoſpitati priſtinæ redditus eſt, atque per id tempus prædium Virtlaſcum, ſitum in pago Cellan ſuper amne Euta, eidem patri deuotè donauit, in ipſa largitione damnationem æternam imprecans ijs, qui id prædium inuadere auſi eſſent. Gaudebat enim ille vir benigniſſimus; quòd bona ſua poſſet largiri Chriſto, faciens eum terreſtrium rerum ſuarum compotem, vt ille eum faceret bonorum cæleſtiũ cohæredem: ſciens quod patrimonium Deo creditum, nec reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit; nec aliqua calumnia forenſis euertit: pariter intelligens ſcriptum eſſe, eam hæreditatem benè recondi, quæ Deo cuſtode ſeruetur.

S. Vuandregiſilus factis explebat quod ore docebat.

Magnum robur in ætate decrepita.

1. Cor. 9.

XX. SED his omiſſis, quæ ſua multitudine dicendi facultatem vincunt, ad viri Dei virtutum pertexenda opera reuertamur. Ex largitione illuſtris viri Vattratonis ad amnem Vuilanam, in honorem principis Apoſtolorum oratorium conſtruxit, quod Monaſteriolum appellauit, vbi monachorum Deo militantium conuentum collegit. Redundabat in diſcipulos fructus doctrinæ eius, quandoquidem quod ſermone docebat, factis explebat. Nullus apud eum vel mœrore tenebatur, vel immodica lætitia efferebatur. Erat gratus omnibus, ſingularis ſeruoris, ſpecialis alacritatis, eximiæ charitatis erga pauperes & peregrinos. Nouerat & ſuperbis reſiſtere, & humilibus ſubditus eſſe: parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Sapientibus digna exhibere, ſimplicibus myſtica reſerare. Fortis erat in aduerſis, ſobrius in proſperis, tentatus in omnibus, diſcretus in cunctis. Erat hoc illi ſtudium & labor indefeſſus, vt recto itinere ſubditi ipſius ingrederentur: ex profectu enim filiorum, laus & merces cumulatur parentis. Nonageſimum ætatis annum iam ſupergreſſus, ità fuit virilis, vt in labore manuum iuuenes antecedere videretur. O virum prærogatiua meritorum digniſſimum, qui per contemplationis ſtudium ſterilis effectus, pro educatione tamen atque exemplo filiorum, multimodæ ſe ſeruituti placidè ſubdebat, imitans Apoſtolum, qui ait: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Sicque per occidentem eius laudatiſſima peruolabat fama, vt putares Apoſtolorum adeſſe tempora: ità vt periturí ſæculi ſpretis delicijs, nobilium multitudo virorum communia cum omnibus poſſideret omnia. Si quiſquam proprium aliquid vſurpare tentaſſet, à cæterorum remotus conſortio, pœnitudinis ilicò vltione plectebatur. Sed & omnes Caletorum populi, ità bruti ac belluis ſimiles ante aduentum illius in hac regione fuerant, vt præter Chriſtianæ fidei nomen, virtus religionis penè abolita in illis locis haberetur. Agebat nanque vir venerandus ſtudio indefeſſo, vt quæcunque peragraret loca, verbis Euangelicis condiret vniuerſa. Et ita per eius monita & prædicationem ſunt conuerſi, vt qui anteà diripiebant aliena, poſtea largirentur propria, ac idolorum confringerent ſtatuas, quas dudum ritu profano venerabantur: pieque ac ſponte ſe ſubderent Chriſti diſciplinæ, qui ante rebelles, non dignabantur audire. Tantuſque honor ac deuotionis affectus excreuerant circa ſacerdotes ac monachos, vt ſi contigiſſet alicui ex ordine plebeio eos obuiàm habere, quamuis potens perſona, Chriſtum in eis adoraret ac veneraretur.

Conuertit multos populos.

Qualis olim reuerentia erga ſacerdotes & monachos.

Prædicit obitum triũ regum.

** quartum.*

XXI. SPIRITVM quoquè prophetiæ diuinitus illi collatum non dubitamus, ità vt quæ ventura eſſent, plurimis indicarit. Notum ſanè eſt, crebrò illum prædixiſſe futura, quæ poſtea conſtat eueniſſe. Blitildi nanque reginæ, relictæ Clodouei Regis, obitus trium filiorum ac ſucceſſiones expoſuit. E quibus Clotarius, qui maior erat natu, * quartumdecimum regni annum agens, conſortijs ſubito caruit humanis. Deindè Childericus temerè ab inſidiatoribus interemptus, à præſenti ſublatus eſt vita. Tertius Theodoricus matri ſuperſtes, regni ſuſcepit gubernacula: completaque in illis eſt prophetia viri Dei. Hæc quidem pauca miraculorum inſignia cum bona venia lectoris in præſens ſufficiant, breui incomptoque relata ſermone. Veniendum eſt, fauente Chriſto, ad ea, quæ vbertim cunctipotens virtus, ſpiritu ipſius patroni ſublato ad cælum, apud oſſa ſanctiſſima geſta referuntur in terris. Deniquè indubitanter retinemus, ipſius meritis, vt frequentius inculcatum eſt, animæ languores in permultis eſſe curatos, ad laudem & gloriam eius, qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere.

Iohan. 15.

Pſal. 119.

Videt apertum cælum ſub morte.

XXII. HIS ita ſe habentibus, vertantur articuli ad id commemorandum, quemadmodum beatus ille meruit de ærumnis exilij præſentis eripi, atque ad cæleſtis beatitudinis gloriam transferri. In vltimo ſenio conſtitutus, vtpotè nonageſimumſextum annum agens, Domino ſæpiſſimè ſupplicans, aiebat. Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata eſt: addebatque: Ieſu benigne, verbum patris æternum, de hac conualle plorationis eripe me, & tuis fac quantocyus dignum apparere conſpectibus. Exaudienſque Dominus dignas eius preces, immiſit ei vltimam, immò ſalutiferam ægritudinem, vti camino præſentis ſæculi ceu puriſſimum examinatus aurum, digniſſimus cæli fieret hæres. Tribus diebus totidemque noctibus in exceſſum mentis rapto, ianua cæli aperta monſtrata eſt, & iucundo adſpectu frequenter oculos aperiens, cælum intuebatur. Cernentes quoque diſcipuli, ſanctiſſimi patris beatiſſimam diſſolutionem, lætabantur quidem de eius digna remuneratione, ſed triſtabantur plurimum de abſentia corporali: atque inter mœſta ſuſpiria & fluentes lachrymas, querulis aiebant vocibus: Quid facturi ſumus, quòd nos tam citò deſeris pater? Verbum immortalitatis à te audire cupimus, & aſſueta admonitione tua corrigi optamus. proſtratique humi fundunt vberes fletus, orantque Deum, vt antequàm viam ingrederetur iuſtorum; eius alloquio fouerentur. Itaque omnipotens Deus, videns ſummum illorum dolorem, quem pro ſui paſtoris deceſſu patiebantur, famulorum ſuorum precibus aures ſuæ pietatis accommodat: permittitque, vt inclytus dux tum tyrones, tum veteranos milites dulcibus recrearet ſermonibus, multaque futura eis prædiceret, quę poſteà res ipſa comprobauit.

PERCON-

XXIII. PERCONTANTIBVS indè monachis,poſt ipſius feliciſſimum tranſitum, quem ſibi præficere deberent, tale fertur dediſſe reſponſum: Æternus,inquit,rerum conditor,qui vobis locum conceſſit oportunum,quo ſibi plebs ſua famuletur in ſæcula,ipſe vobis,chariſſimi filij,poſt paruitatis meæ deceſſum,dignum ac deuotum miſericorditer tribuet rectorem. Duo ſunt tamen in præſentia veſtra chariſſimi mei filij,qui viciſſim poſt meæ fragilitatis deceſſum in regiminis ſuccedent locum. Erat nanque vnus vocabulo Lantbertus,vir eximiæ religionis & generis, ortus in territorio Taruanenſi, qui poſt beatum Geneſium præſulatum Eccleſiæ Lugdunenſis ſuſcepit: Alter verò vir Domini Anſbertus, qui beato Audoëno in pontificatu ſucceſſit eccleſiæ Rothomagenſis. Quorum vitam atq; virtutes libellus,qui de eorum ſcribitur actibus,luculenter narrat. Atque ij ſucceſſores fuere in regimine prædicto ſanctiſſimo viro. Sub horum regimine ſanctiſſimi Patres,beatus Vulfrannus præſul Senonum & prædicator gentis Friſonum,necnon vir Deo dilectus Erenbertus Toloſæ vrbis pontifex,& ſanctus anachoreta & presbyter Condedus,Britannia inſula ortus,monachicum amplectentes habitum, ad caſtra Dei fulgida deuotiſſimè conuolarunt. Reliquiæ quoq; eorum in eodem loco debito ſeruantur honore: vbi & gloria virtutum pollent,ſicut in eorum pleniſſimè ſcribitur geſtis. Inter reliqua autem prædictus vir Domini,exhortationis & confortationis verba,diſcipulis ipſi adſtantibus valedicens,hæc intulit,vt cœptum non relinquerent iter,ſed melioribus actibus quotidiè perſeuerando ſe confirmarent,attentiusque ſua monita retinerent,& opere perficerent: vt videlicet vnitas, charitas atque humilitas in eorum radiarent cordibus,nullaque diſſenſionis aut liuoris peſtis,eorum vnquam ſerperet in mentes: ſicque ſtatus illorum iura, & religionis claritudo per cunctas perpetim durarent ætates.

Lantbertus epiſcopus Lugdunen. Anſbertus epiſcopus Rothomagenſis.

XXIV. HAC breui vltimaque coram eis oratione celebrata,quia glorioſum beatæ conſummationis tempus inſtabat, vt terrena corporis ſarcina terris commendaretur,& cæleſtis ſpiritus celſa conſcenderet,viatico percepto,poſt paululum conticuit. Cumq; hoſtis conſpiceret inuidus remunerationis eius inſtare horam,propter eum cruentus adſtans,pauores illi multiformes ingerere nitebatur. Quem in tali conſtitutum agone audierunt circunſtantes fratres in ſpiritu ſanctæ tranſlationis dicentem, ſe fonte lauacri Chriſti tinctum,dæmonemq; ſe impedientem diuinitus effugatum. Vocauit etiam tertiò nominatim quendam virum iuſtum,nomine Agathonem, cuius olim laudabilem vitam ac conuerſationem notam habuerat. Ex qua & ſubſequenti reuelatione liquido colligitur,in eius tranſitu multitudinem adfuiſſe Sanctorum. Nam & quodam diſcipulo eius,viro magnæ religionis, eadem hora ſuauiſſima audita fuerat cæleſtis cantilena: qui etiam percontabatur ex fratribus, vtrum ille dulciſſimus ſonus eorum penetraſſet aures. Sed & ipſe vir Domini adſtantibus ſibi imperauit,vt cum pſallentibus iunctis pſallerent vocibus. Quinam ſint illi, inquiunt, nos neſcimus: tu vero,cui olim,vt credimus,ianua vitæ patet æternæ, optimè id nôſti. Ille verò iucundo adſpectu lætabatur in Domino,gratias agens Deo,quòd cæli ianuam ipſi reſeraſſet. O virum omni laude digniſſimum,in cuius tranſitu cæleſtis exultat chorus,omniumq; virtutum ſupernarũ gratulatur exercitus: cui cæli ianua pateſcit,& Abrahæ ſinus lætantem excipit. Multitudo proindè monachorum,quorum erat numerus fermè trecentorum, in tanti patris tranſitu diuinas laudes decantatura aderat: hilaris quidẽ pro gloria,quam ſpreta Aegyptia ſeruitute,olim adibat promiſſam: ſed graui affecta mœrore, quod præclaro deſtituebatur patrono.

Accipit Euchariſtiam moriturus. Morienti multi adſunt ſancti.

XXV. HAC diſcipulorum caterua vallatus,ſalutiferæ Crucis ſigno ſe muniens, vndecimo Calendas Auguſti nexibus terrenæ corruptionis abſolutus, animam cælo reddidit, conſortijs iuſtorum ſociandam, & æternæ felicitatis gloria fruituram. Illic nunc choris intereſt angelorum,hic fulget claritate virtutum. Illic interpellat pro famulis voce ſupplici,hic eos virtute tuetur ſublimi: Illic petit, hic præſtat: Illic vota fundit, hic votis reſpondet. Interfuit autem in hoc eius ſancto tranſitu inclytus eccleſiæ Rothomagenſis pontifex Audoënus. Sepultus eſt primum in eccleſia beati Pauli Apoſtoli,in qua requieuit annos 40. Poſteà autem à ſancto Baino Epiſcopo vrbis Taruanæ,& Fôtanellenſis cœnobij abbate tranſlatus eſt in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli: atque ita integer ab omni corruptione cum veſtimentis,quibus indutus fuerat,repertus eſt, quaſi eodem die fuiſſet ſepulturæ traditus. Actum eſt hoc anno Dominicæ incarnationis 729. regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cuius poteſtas & imperium permanet in ſæcula ſæculorum. Requieuit ſanè venerandus, & cum omni magnificentia nominandus beatiſſimus Pater & ſacerdos Domini Vuandregiſilus, anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimoquinto, Indictione octaua,anno † nono pontificatus Vitaliani Papæ,porrò tertij Clotarij anno regni vndecimo. Peregit autem felici & glorioſa conſummatione curſum præſentis vitæ annis circiter nonagintaſex: è quibus in ſacro regimine expleuit decem & nouem annos,menſes quatuor,dies viginti & vnum. Sepultusque fuit in eccleſia S. Pauli annis quadraginta. Sanctus verò Præſul Anſbertus,annis vndecim: inclytusque pontifex Vulfrannus,annis fermè nouem.

Signo Crucis ſe muniẽdum excedit è vita. Tranſlatũ eſt eius corpus à Baino Epiſcopo Taruanen. † vndecimo Baron. ann. 665.

DE S. APOLLINARI RAVENNATVM PRIMO EPISCOPO, ET MARTYRE, EX VETVSTIS MS. CODICIBVS: QVIBVS ADSTIPVLANTVR *antiquiſſima Martyrologia. Stylum opportunis locis nonnihil expoliuit F. Laur. Surius.*

AN. 60.

I. IN diebus Claudij Cæſaris Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti Nazareni,Romam venit cum multis Chriſtianis,ei miniſtrantibus. Vt autem eſt vrbem ingreſſus,ad Synagogam Iudæorum ſe cõtulit, indicauitq; eis ſe quoq; Hebræum eſſe,& à Iudæa propter fratrum charitatem eò aduenìſſe. Cumque permultos dies cum illis conferret ſermones,adferebat identidem de nomine Ieſu,dicens eum verè eſſe filiũ Dei, qui ſaluum fecerit omne humanum genus: ſimul exponens, quanta opera & virtutes feciſſet in Iſraël conuenienter vocibus Prophetarum. Itaq; multi ex illis agentes pœnitentiam pro ſua ignorantia,prædicante Petro, crediderunt in Dominum Ieſum: nec Iudæi ſolum,ſed etiam Romani excipientes verbum,gauiſi ſunt,quod viſitaſſet Deus genus humanum,mittens filium ſuum,qui mundum renouaret: credentesq; in Ieſum,baptizabantur. Poſt multum verò temporis ait beatus Petrus Apoſtolus Apollinari diſcipulo ſuo: Quid hic ſedes nobiſcum: Ecce eruditus es de omnibus,quæ fecit Ieſus: Surge,& accipe ſpiritum ſanctum,ſimulq; Pontificatum,& proficiſcere ad vrbem Rauennatium. Multus illic populus eſt: prædica eis nomen Ieſu,nihil reformidans. Conſtat enim apud te,verè eum eſſe filium Dei,qui mortuis vitam reddiderit,& ægris verbo attulerit medicinam. Tandem poſt multa, cum precatus eſſet beatus Petrus,manus impoſuit capiti eius,dicens: Mittat Dominus noſter Ieſus Chriſtus angelũ ſuũ, qui præparet iter tuum,& quæ poſtulaueris,annuat: Et oſculans eum,dimiſit à ſe.

IVLII 23. S. Petrus venit Romã. Multi Iudæi & Romani credunt. S. Petrus Apollinarẽ Rauennam

II. CVMQVE non longè abeſſet Rauenna beatus Apollinaris,manſit apud quendam militem * Aſiaticum, nomine Irenæum. Is vbi reſciuit ex eo vndè veniſſet, & quid vellet, ait ad eum: Habeo,ô hoſpes,filium oculorum lumine orbatum: ſi qua virtus eſt prædicationis tuæ, adhibe illi curationem, vt videat: & ego ſequar Deum tuum, credens in eum. Mox ad ſe puerum adduci alacriter iubet Apollinaris,cunctiſque videntibus,qui illic aderant,non niſi Crucis ſignum in oculos cæci expreſſit, & ait: Deus qui loco non clauderis, ſed vbiquè es, infer cognitionem filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti in hanc ciuitatem: nec ſolum hos oculos corporis illumines, ſed etiam interio-

* Aſtaticũ habent Codices MS.

Digitized by Google

Cæcus eruce ſignatus vider.

interiores in hac vrbe degentium oculos aperias, vt celeriter illis cognoſcentibus Ieſum Chriſtum filium tuum eſſe ipſorum Deum, locus hic mihi cum magna efficacia docendi tribuatur. His dictis, vidit cæcus, & aduolutus pedibus beati Apollinaris, vnà cum parentibus ſuis in Chriſtum credidit; pariterque baptizati ſunt in fluuio non longe à Rauenna.

Tecla Tribuni Rauennatis vxor.

Matrona verò quædam, Tribuni militum coniunx, Tecla nomine, multis annis grauiſſimo laborabat morbo, qui omnem medicorum induſtriam eluderet. Accidit autem, militem Irenæum adeſſe Tribuno: & cum ſermo ortus eſſet de coniugis mala valetudine, Irenæus ait: Eſt apud me peregrinus quidam, qui filium meum nullo adhibito medicamento curauit: ſi permittis, vbi eum viderit vxor tua, mox reualeſcet. Tribunus dixit: Vndè ille huc aduenit? Reſpondit Irenæus: Ab vrbe Roma. Tribunus ait: Eſt igitur natione Romanus? Reſpondit Irenæus: Equidem ignoro: ſed mihi tamen potius Græcus eſſe videtur. Tribunus dixit: Clàm eum perduc in domum meam, vt comperiam vera eſſe, quæ dicis. Cum ergo beatus Apollinaris Rauennam eſſet ingreſſus, circunſignans ſe, ait: Deus, qui operatus cum magiſtro meo Petro, operare etiam mecum, vt clarificetur nomen tuum, & fiat voluntas tua. Vbi in ædes Tribuni venit, officioſiſſimè ſuſceptus eſt, aitque ad eum Tribunus: Bene aduenisti medice: & quid dulcius æſtuanti, quàm frigida aqua? Beatus Apollinaris reſpondit: Requieſcat in vobis pax Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti. Tribunus dixit: Ecquis ille eſt, de quo loqueris? Apollinaris reſpondit: Filius Dei viui, qui mundum perditum inſtaurauit. Tribunus ait: Vt video, Galilæus es tu. Apollinaris reſpondit: Etiam. Tribunus dixit: Nôſti curationes? Reſpondit vir ſanctus: Nihil ſine nomine Ieſu. Tribunus ait: Et quæ eſt virtus in Ieſu? Apollinaris reſpondit: Conuoca huc milites tuos, & cunctis videntibus cognoſces veritatem Domini mei Ieſu Chriſti. Illis collectis, ait Tribunus: En vxor mea multos annos decumbit, & medicina omnis ei officit. Si qua verò in te virtus eſt, exere nunc eam. Apollinaris dixit: Aperiat Deus oculos cordis veſtri, vt videntes mirabilia eius, credatis in eum. Tum apprehendens manum mulieris: Surge, inquit, in nomine Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti, & crede in eum, nec quenquam putes illi parem. Mox illa ſurrexit ſana, exclamauitq;. Non eſt alius Deus præter Ieſum, quem prædicas. Videntes id milites & Tribunus, obſtupefacti dixerunt: Reuera hic Deus eſt, qui talia facit. Poteſt autem etiam ille in bellis ferre opem, ſi diligatur. Credidítque Tribunus cum vxore & filiis & familia, & omnes baptizati ſunt. Multi quoquè alij, qui illic aderant, fidem Chriſti complexi ſunt. III.

Vxorem Tribuni clinicam ſanat Apollinaris.

Multi credunt.

Habitavit autem beatus Apollinaris Rauennæ in ædibus Tribuni, & quotidiè veniebant ad eum multi è populo, quos ille ſecretò docebat, dicens, vt crederent in Ieſum, Deum cæli & terræ: credenteſque baptizabantur. Multi quoquè nobiles tradebant ei filios ſuos, vt ſacris literis ab eo erudirentur. Ijs autem, qui iam in Chriſtum credebant, Miſſas & baptiſmata faciebat in domo Tribuni cum diſcipulis ſuis. Itaque intrà duodecim annos, duos ordinauit presbyteros, Adhæretum & Calocerum: Marcianum verò nobiliſſimum virum, & Leucadium Philoſophum, Diaconos fecit: & ſex clericos conſtituens, cum illis diu noctuque Domino pſalmos cantabat. Creſcente autem fama eius, & quòd annunciaret Ieſum, multique in Chriſtum crediſſent, iam latere non poterat. Nunciatum eſt ergò de illo Saturnino Duci, qui eum adduxit ad Pontifices Capitolij Rauennatis, interrogauitque ex eo, quid ſibi vellet. Reſpondit vir ſanctus: Chriſtianus ſum. Dux ait: Et quis eſt Chriſtus? Apollinaris reſpondit: Filius Dei, per quem creatura omnis viuit, in cælo, terra & mari. Dux ait. Illéne ergò te miſit ad nos, vt euertas cultum deorum noſtrorum? An ignoras ſacrum nomen Iouis, qui magnus eſt habitator Capitolij vrbis huius, cui te oportet ſupplicem fieri? Beatus Apollinaris reſpondit: Quis ſit ille habitator, neſcio, nec templum eius noui. Pontifices dixerunt: Veni ergò, & vide magnificum fanum, mirificeque exornatum. Videbis illic inuictiſſimi Iouis ſimulacrum. Cum ergò in Capitolium intraſſet beatus Apollinaris, ſubridens ait pontificibus: Hæc tam multa aurea & argentea ornamenta rectius in pauperum vſus erogarentur, quam coram dæmonibus appendantur. IV.

Nota quomodò in primitiua eccleſia Miſſæ ſint celebratæ, & pſalmi decantati.

Crudeliter cæditur.

Tum verò pontifices, facta in eum impreſſione cum populo, immani eum cæde mactauerunt, eiectumque extra vrbem ad mare, ſemiuiuum reliquerunt. At diſcipuli eum colligentes, in cuiuſdam viduæ Chriſtianæ domo abſconderunt, curam ei adhibentes. Et poſt menſes ſex vir nobiliſſimus Bonifacius ciuis Cluſenſis ſubitò obmutuit, nec ei permulti medici remedium afferre potuerunt. Indicatum eſt ei, famulum Dei Apollinarem adhuc viuere, & apud viduam latitare. Miſit ille ad eum vxorem ſuam, orans vt ipſum inuiſere nè grauaretur. Venit vir ſanctus ad domum eius, & puella è familia eius, à malo dæmone arrepta, exclamauit: Recede hinc ſerue Dei viuentis. Alioqui faciam te colligatis pedibus trahi extra hanc vrbem. S. Apollinaris dixit: Obmuteſce diabole, & exi ab ea, nec vltrà in homine loquaris. Ille quamprimum ab ea receſſit. Vt autem peruenit beatiſſimus Apollinaris ad Bonifacium, vidit eum mutum iacentem, & ait: Domine Ieſu Chriſte, qui clauſiſti os hominis iſtius, nè deinceps ab idolis ſuis opem poſceret, reſtitue ei linguæ officium, vt inuocet benedictum nomen tuum, & credat te eſſe Deum viuentem in ſæcula ſæculorum. Cumque à Chriſtianis dictum fuiſſet, Amen, eadem hora ſoluta eſt lingua eius, & laudabat Dominum, dicens: Non eſt alius Deus præter eum, quem prædicat beatus Apollinaris. Eodem die homines amplius quingenti crediderunt in Dominum Ieſum, agentes gratias Deo & beato Apollinari ſeruo eius, per quem illuminati eſſent. V.

Eijcit dæmonem.

Muto redditur facultas loquendi.

Cæditur fuſtibus.

Non multi autem interceſſere dies, cum gentiles quidam à diabolo inflammati, tenuerunt eum, & diu fuſtibus cæſo interdicere volebant, nè nominis Ieſu aliquam faceret mentionem. At ille iacens in terra, clamabat eũ verum eſſe Deum, qui ſua ſponte pro hominum ſalute pati voluerit. Sed hoc illi teſtimonium non ferentes, beatiſſimum virum coegerunt nudis plantis calcare prunas. Tum verò multo ille magis de Chriſto teſtificabatur. Id impij homines ferre non ſuſtinentes, eum extra vrbem eiecerunt, dicebantque ei: Tametſi curationes adhibere nôſti, tamen vide, in vrbem noſtram ne ingrediaris. Iacebat igitur beatiſſimus vir extra muros, & continenter nomen Ieſu prædicabat: multiq; è ciuitate Deum timentes, veniebant ad eum, & miniſtrabant ei. Non enim paruus illic erat Chriſtianorum numerus, maximè nobilium. Habebant autem Chriſtiani tugurium non longè à mœnibus, in quo ille Miſſas faciebat: baptizabat autem in mari, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. VI.

Calcat nudis plantis prunas ardentes.

Docet in Aemilia.

Post plurimos autem annos vir beatus ſe contulit in Aemiliam, atq; illic ſecretè docuit populos, quos verbo attrahere potuit. Intereà autem Calocerus presbyter gubernabat Eccleſiam, quæ erat Rauennæ, clàm multas faciens virtutes in nomine Ieſu Chriſti. Non diu poſt ab Aemilia reuerſum beatum Apollinarem, Chriſtiani Rauennates cum ſummo gaudio exceperunt. Per id tempus Rufus patricius & exconſul, habebat Rauennæ filiam vnicam malè valentem. Vt cognouit autem de beato Apollinari, mox ad ſe illum accerſiuit, vt filiæ opitularetur. Poſtquam autem vir Dei cum clericis ſuis in domum eius intrauit, confeſtim filia eius mortua eſt. Eius obitum beatus Apollinaris ex lamentis familiæ didicit. Dixit autem ad eum Rufus patricius cum lachrymis: Vtinàm in domum meam non veniſſes. Dij enim magni irati ſunt, & noluerunt curare filiam meam. Tu verò qua ratione illi poteris curationem admouere? Flebant autem omnes, qui aderant. Dixit igitur beatus Apollinaris ad Rufum: Conſtanter age patricie, & iura mihi per ſalutem Cæſaris te permiſſurum, vt puella ſequatur Saluatorem ſuum: & citò cognoſces virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Rufus patricius reſpondit: Scio puellam mortuam: quam ſi ſtantem & loquentem videro, laudabo ſanè virtutem Dei tui, nec prohibebo, quo minus ſuum illa ſequatur Saluatorẽ. VII.

Interim

Interim omnes amarè lugebant. Tum vir ſanctus benè confidens in Domino, acceſſit & tetigit puellam, dicens: Domine Ieſu Chriſte, Deus meus, qui magiſtro meo Petro, Apoſtolo tuo, id præſtitiſti, vt poſſit impetrare à te, quicquid vellet: tu excita puellam hanc, quæ eſt creatura tua. non enim eſt alius Deus præter te & reſpiciens ad puellam, ait: Surge, & confitere creatorem tuum. Confeſtim illa ſurgens, magna voce dicebat: Magnus eſt Deus, quem prædicat Apollinaris ſeruus eius, & nullus eſt extra eum. Ea hora magno gaudio affecti ſunt Chriſtiani omnes, quòd magnificatum eſſet nomen Domini Ieſu. Baptizata eſt autem puella cum matre, & ex familia promiſcui ſexûs trecenti vigintiquatuor. Sed & alij multi gentiles crediderunt in Chriſtum, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad vitam reuocat puellam mortuam.

VIII. PORRO Rufus patritius timens Cæſarem, occultè diligebat beatiſſimum Apollinarem, & miniſtrabat ei. Filia verò eius conſecrata eſt Chriſto, & virgo permanſit. Perlatum eſt igitur ad Cæſarem, virum quendam Antiochenum, magicis artibus in Rauennam inuexiſſe nomen Ieſu, magnamque turbam hominum obedire illi, ipſam quoque Rufi patritij domum. Cæſar illi mittens ſucceſſorem, ſcripſit ad vicarium Meſſalinum, vt hominem temerarium Apollinarem aut dijs faceret obſequentem, aut in exilium iuberet longinquum deportari. Meſſalinus ergò in prætorio coram ſe ſiſti iubet beatum Apollinarem, dicitque illi coram ſacerdotibus Capitolij: Quis vocaris? Reſpondit vir ſanctus: Apollinaris. Meſſalinus dixit: Vndè huc aduenisti? B. Apollinaris reſpondit: Ab Antiochia. Meſſalinus ait: Quam artem profiteris? Apollinaris reſpondit: Chriſtianus ſum, & Apoſtolorum Chriſti diſcipulus. Meſſalinus dixit: Ecquis eſt Chriſtus? Apollinaris reſpondit: Filius Dei viui, qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Meſſalinus ait: De illóne Chriſto tu dicis, qui ante annos non multos, dum ſe filium Dei diceret, à Iudæis interfectus eſt? Certè ſi Deus ille fuiſſet, nec mori potuiſſet, nec vexari contumelijs. Sed cùm ſuperbè ſe gereret, pœnis affectus & è medio ſublatus eſt. Quo igitur pacto tu illum in deorum numero reponas, nos non videmus. Beatiſſimus Apollinaris reſpondit: Is, de quo loquimur, Chriſtus & Deus erat, & eſt, eritque ſemper. Sed volens ille hominum genus à ſeruitute dæmonum liberare, exinaniuit ſemetipſum, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Virgine, quæ virum non cognouit vnquàm. Meſſalinus vicarius dixit: Auditum eſt hoc apud nos, ſed difficulter poteſt credi. Beatiſſimus Apollinaris ait: Audi iudex, quæ à me dicentur, animo virili. Deus manebat in corpore, faciebat ſigna & miracula in mundo. Quòd verò à Iudæis tentus & crucifixus eſt, id caro ex virgine ſumpta patiebatur: diuinitas autem manſit omnis perpeſſionis expers & immortalis: quæ etiam carnem ipſam tertia die excitauit, & multis apparens Chriſtus, aſcendit in cælum, vndè deſcenderat Deus. Tantam autem in ſe credentibus largitur virtutem, vt in nomine eius dæmones eijciant, ægrotos ſanent, mortuos in vitam reuocent. Meſſalinus vicarius dixit: Tu mihi perſuadere non poteris, vt ego deos ſequar ignotos, qui à Senatu recepti non ſint. Sed hac poſtpoſita vanitate, accede ad Capitolium, & manibus tuis pone thura magno deo Ioui tonanti, vt poſſis viuere. Nam alioqui per ſalutem Cæſaris, diuerſis excruciatum pœnis in exilium te mittam. Beatiſſimus Apollinaris dixit: Tu nequaquàm mihi perſuadebis, vt ponam thura dæmonibus: ſed Domino meo Ieſu Chriſto offeram ſacrificium laudis & ſuauitatis.

Philip. 2. Luc. 1. Marc. 16.

IX. TVM verò exclamantes Pontifices, dixerunt: Ignoras Iudex hunc ſibi pontificis arrogâſſe titulum, vt ſub noſtro nomine ſeducat turbas? Sed tu inquire in eius temeritatem & arrogantiam. Vicarius ait ad officium: Exuite eum, & cædentes fuſtibus, dicite: Reſipiſce, & immola dijs. Sed ille dum cæderetur, clamabat: Chriſtianus ſum: fac, quod tibi viſum erit. Interim vnus è pontificibus dicit Meſſalino: In eculeo ſuſpendatur, vt diù tortus, honorem habeat dijs immortalibus. Beatiſſimus Apollinaris, his ſubiectus tormentis, dicebat: Dominum Ieſum Chriſtum confiteor eſſe Deum viuentem, non alium aliquem. Meſſalinus ait: Quid præmij pro his ſupplicijs exſpectas? Beatus Apollinaris reſpondit: Scriptum eſt: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et ſi quis in Chriſto mortuus fuerit, viuet. Hæc eſt remuneratio Chriſtianorum. Tum vniuerſi, qui illic aderant Chriſtiani, glorificabant Deum cæli, cùm hæc ex Apollinari audirent, quòd fortior ipſe eſſet in perferendis pœnis, quàm alij inferendis. Meſſalinus tortoribus ait: Rursùs verberetur, & in plagas aqua bulliens infundatur: deindè ſub præconis voce ducatur ad nauim, vinctus graui pondere ferri, & in Illyricum eat exulatum. Interim arripitur à diabolo vnus è tortoribus, qui in Chriſti ſeruum præ cæteris ſæuierat, & ſubitò expirat. Cùm autem eleuatus eſſet S. Apollinaris, dixit Meſſalino: Impijſſime, cur non credis in filium Dei, vt poſſis vitare æternos gehennæ cruciatus? Tum indignatus Meſſalinus, iuſſit os eius lapidibus contundi. Ea immanitate commoti Chriſtiani, irruerunt in gentiles, & breui ſpatio ampliùs ducentos trucidârunt. Volebant verò etiam Meſſalinum interficere. At ille perturbatus, incluſit ſe: porrò beatiſſimum Apollinarem, grauiſſimo ferrei pondere adhibito, iuſſit in horridum retrudi carcerem, & in ligno extendi, nec quicquam ei miniſtrari, vt ſic deficeret. Angelus autem Domini nocte ad eum veniens, videntibus cuſtodibus, eſcam ei dedit, & cùm eum corroborâſſet, receſſit. Quarto indè die audiens Meſſalinus eum adhuc viuere, clàm iniectis ei catenis, naui impoſitum, in exilium iuſſit deportari. Secuti ſunt autem tres è Clero eius, qui illi miniſtrârunt, Eccleſiam, quæ erat Rauennæ, intereà gubernabant presbyteri & diaconi: creſcebatque numerus Chriſtianorum.

Cæditur fuſtibus. Torquetur in eculeo. Matth. 10. & 24. Iterum verberatur. Os eius lapidibus cõtunditur. Horrido carceri traditur. Mittitur in exilium.

X. NAVIGANTIBVS verò illis mare, ſubitò orta eſt tempeſtas, & naui confracta, ad litus eiectus eſt beatus Apollinaris cum clericis ſuis & duobus militibus: cæteri in mari periêrunt. Dixeruntq; milites illi beato Apollinari: Domine pater, quò ibimus, aut quid faciemus? Reſpondit vir ſanctus: Baptizamini in nomine Ieſu Chriſti, & viuetis. Illi quamprimùm propudiatis idolis baptizati ſunt in nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti. Indè à loco in locum commigrantes, in * Mœſia prædicabant verbum Dei, ſed nemo eos recipiebat. Cuiuſdam verò primarij & magni viri frater lepra infectus fuit. Eo viſo, dixit beatiſſimus Apollinaris: Vis ſanus fieri? Reſpondit ille: Volo. Beatus Apollinaris ait: Crede in Dominum Ieſum Chriſtum. Reſpondit ille: Qui me ſanum fecerit, is erit Deus meus. Tum beatus Apollinaris inuocans nomen Domini Ieſu, tetigit eum: & eueſtigiò curatus eſt: reiectiſque ſimulacris, credidit in Dominum Ieſum, & baptizatus eſt: manſitq; vir ſanctus apud eum diebus permultis. Deinde Danubij litora terens, multos ad Chriſtum adduxit. Vbi autem didicêre gentiles hoſtem eum eſſe idolorum, de eius nece cogitabant. At ille profectus in Thraciam, manſit illic dies multos. Erat autem in quadam ciuitate idolum, à quo per id tempus nullum potuerant habere reſponſum. Cumque multa illi offerrent, ægrè tandèm ab eo impetrârunt, vt diceret: Neſcitis diſcipulum Petri Apoſtoli Ieſu Chriſti Roma huc veniſſe, meque, dum prædicat Ieſum, ligâſſe? Is ſi hinc profligatus non fuerit, nulla vobis reſponſa dare potero. Facta ergò inquiſitione, repertus eſt, beatus Apollinaris, interrogatuſque ab eis, quid illic ageret, dixit ſe Chriſtianum eſſe, & pro Chriſti nomine à Rauenna eò extruſum in exilium. Itaque nudatum veſtibus, diù fuſtibus verberârunt: perductumque ad mare, cum ſocijs naui in Italiam ituræ imponi curârunt; dicentes eius regionis præfecto, ſatiùs eſſe eum remitti eò, vndè veniſſet, vt illos potiùs euerteret, quàm apud ipſos aboleret cultum deorum.

*In Mœſia prædicat Chriſtum. * Myſia. Sanat leproſum. Moratur diù in Thracia. Fuſtibus verberatur.*

XI. ITA ergò poſt triennium vir ſanctiſſimus Rauennam reuerſus eſt, & à Chriſtianis cum ſumma exultatione exceptus, Deum laudantibus, quòd eis ſuum patrem & Doctorem reſtituiſſet. In ipſo autem itinere multa per eum Dominus miracula effecit. Multo indè lapſo tempore, cùm Chriſtianis Miſſas in Cyrenæi Senatoris poſſeſſione

Redit Rauennam.

Cæditur à populo.

faceret, repentè orta ſeditio eſt in vrbe propter eum, irruenteſque in eum furentes populi, vinctum in forum pertraxerunt, cædentes eum, & plagas ei imponentes. Viſo autem illo, dixère Pontifices Capitolij: Non eſt hic dignus, vt præſentetur magno deo Ioui, quippè cui non ſemel illuſerit. Sed ducatur ad Apollonis templum, ibique cognoſcat virtutem deorum immortalium. Illis ergò eum ducentibus, multi nobiles viri, tam ethnici, quàm Chriſtiani, vnà cum populo ſequebantur eum. Dicebant autem gentiles: Videamus, num ad ſanitatem redierit homo iſte. Ingreſſus verò templum beatus Apollinaris, vt vidit Apollinis ſimulacrum, ait ad circumſtantes gentiles: Iſténe deus eſt, per quem futura prædicitis? Reſponderunt illi: Nimirùm ipſus eſt, & quidem primus inter deos, & cuſtos vrbis huius. B. Apollinaris ait: Non ſit illi vnquàm benè: ſed eo profligato, cuſtos hic commorantium

Templum Apollinis euertit precibus.

Chriſtianorum erit Dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt verus Deus. Cumque oràſſet vir ſanctus, ſimulacrum diſſolutum eſt, & templum dæmonis euerſum. Id conſpicati ethnici, clamabant: Senex impius tollatur è medio, qui omnia diſſipauit. Chriſtiani autem gratias agebant, dicentes: Reuerà hic Deus eſt, qui talia effecit per patrem noſtrum Apollinarem.

COMMOTI verò gentiles, tradiderunt eum Thauro iudici, vt illum occideret. Is congregatis in prætorium XII.
cunctis nobilibus vrbis eius, ita compellauit eum: Oramus te, ne celes nos, qua virtute iſthæc facias, & vbinàm conuentus agas & miracula efficias, vt tanta turba te ſequatur? Beatus Apollinaris reſpondit? Virtus alia non eſt, niſi Domini noſtri Ieſu Chriſti. Domum autem Dei habemus in cordibus noſtris. Si tamen etiam fabricam requiris, non eſt procùl ab vrbe: vbi Chriſtianis proponimus diuina eloquia. Thaurus dixit: Habéſne adiutores aliquot? B. Apollinaris reſpondit: Habeo ſanè permultos. Thaurus dixit: Eſt aliqua in te virtus diuinitatis? B. Apollinaris reſpondit: Iam dixi tibi, eſſe ſupernam virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Taurus ait: Habeo filium ab ipſa natiuitate cæcum. Inuoca nomen eius, quem à ſuis crucifixum aſſeris, & aperi oculos huius, planeque credemus, verè eum eſſe Deum. Sin minùs id feceris, pro tuis ſceleribus igni te comburemus. B. Apollinaris reſpondit:

Cæco reddit lumen, in præſentia Iudicis & procerum.

Veniat in medium cæcus. Venienti dixit vir ſanctus: In nomine Ieſu Chriſti aperi oculos tuos, & vide. Continuò ille apertis oculis vidit. Stupefacti ea re proceres omnes, qui illic aderant, dicebant: Profectò Deus is eſt, qui talia perpetrat. multique ex eis crediderunt in Dominum Ieſum. Thaurus autem iudex ëruit eum è manibus vulgi, & nocte miſit eum in prædium ſuum, tanquàm illic cuſtodiendum. Vbi manſit annos quatuor. Erat is locus ſexto ab vrbe milliario, confluebantque eò Chriſtiani omnes, & ab eo inſtituebantur. Si quis ad eum veniſſet æger, ſanus recedebat, quacunque fuiſſet infirmitate detentus.

PORRO Veſpaſiano Imperij habenas moderante, Pontifices Capitolij inuidioſè de eo retulerunt ad illum. XIII.
Cuius relationis hæc erat ſententia: Si Apollinarem impoſtorem, contra regni tui & populi Romani ſalutem docentem, non interfeceris, Romanas cæremonias peſſum premet. Non enim parua multitudo ab eo ſeducta, quotidiè in iniuriam deorum immortalium bacchatur. Magicis enim artibus ille templa euertit. Sed ſi ſolus iam af-

Reſponſum Veſpaſiani imperatoris.

fecta ætate erit vita priuatus, Romanum nomen incolume permanebit. Perſcripſit ergò Veſpaſianus Imperator, vt ſi quis dijs irrogàſſet iniuriam, aut ſatisfaciat, aut vrbe pellatur. Non enim æquum eſt, inquit, vt nos deos vindicemus: ſed ipſi ſe de inimicis ſuis vlciſci poſſunt, ſi iraſcuntur. Ea iuſſione perlata Rauennam, Demoſthenes vir illuſtris & patricius, ſed planè ethnicus, beatum Apollinarem ſibi exhiberi præcepit. Venit ille, & cùm multo ſenio preſſus & diuerſis pœnis & afflictionibus confectus ſtaret coram iudice, gentiles clamabant: Nihil ex eo inquiras. Nos enim omnes ſcimus Chriſtianum eum eſſe, & euerſorem templorum. Aut puniri eum iubeto, aut procùl extra hanc vrbem expellito, ne nos pereamus. Demoſthenes patricius dixit: Dic mihi antique impoſtor, cuius conditionis es? Beatiſſimus Apollinaris reſpondit: Equidem non nego coram gloria tua, ſed planè confiteor Chriſtianum me eſſe, & à Petro Apoſtolo eruditum, & ad hanc feliciſſimam vrbem miſſum, vt per nomen Ieſu Chriſti ſalutem conſequantur credentes in eum. Demoſthenes patricius dixit: Quid multa? Iam tempus eſt, vt miſſa vanitate tua, dijs ſatisfacias. S. Apollinaris ait: Ego meipſum ſacrificium offero Deo pro ſalute filiorum meorum, quos mihi acquiſiui. Tibi autem dico: quiſquis non receſſerit à cultu deorum veſtrorum, & adorauerit Deum cæli, terræ &

Marc. 16.

maris, qui cum Domino Ieſu Chriſto regnat in æternum, is perpetuis gehennæ flammis concremabitur. Qui autem crediderint & baptizati fuerint, habebunt requiem ſempiternam, & diuitias inæſtimabiles.

TVM furore percitus iudex, tradidit eum cuſtodiendum Centurioni, occultè Chriſtiano, vt interim cogitaret, XIV.

† alij Claſſem legunt, ſed vtrunq; vt ſuſpicor mendoſè.

quibus eum ſupplicijs perderet. Centurio itaque perduxit eum † Cluſam in domum ſuam, & poſt dies paucos dixit ei: Domine pater, noli tam citò mortem oppetere, cùm vita tua nobis neceſſaria ſit. Egredere noctù, & abi in vicum, vbi ægri morantur, donec furor populi conquieſcat. Sicque media nocte dimiſit eum, vt fugeret. Sed vbi res innotuit dæmonum cultoribus, inſecuti ſunt eum, & apprehenſum non longè à porta tandiù conciderunt, donec putarent extinctum. Porrò ante lucem collectus à diſcipulis, perductus eſt in vicum, vbi leproſi degebant, &

Eius prophetia.

ibi inter Chriſtianos decumbens, ſeptem dies ſuperuixit, admonens eccleſiam, ne à fide Chriſti diſcederet, ſimul annuncians, multas imminere pro Chriſti nomine perſequutiones: ſed tandem poſt plurimas tentationes etiam principes ad fidem Chriſti acceſſuros, omniaq; deorum ſimulacra euerſuros, & toto orbe terrarum hoſtiam à Chri-

Feliciſſimè moritur.

ſtianis Deo viuo liberè oblatum iri. Addidit etiam: Qui permanſerit in fide Ieſu Chriſti, vita viuet, & non morietur. His & alijs multis eos inſtituens ſermonibus, vita functus eſt beatiſſimus martyr & Epiſcopus Ieſu Chriſti A-

† Claſſenſes

pollinaris, & ſepultus eſt extra muros † Cluſenſes in arca ſaxea à diſcipulis ſuis. Ea verò arca propter metum gentilium ſub terram miſſa eſt. Gubernauit eccleſiam ſuam annis octo & viginti, menſem vnum, dies quatuor. Paſſus eſt ſub Veſpaſiano Auguſto, X. Calendas Auguſti: Regnante Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

De eodem S. Apollinari vide Adonis martyrologium hoc die.

An 360.

VITA S. LIBORII EPISCOPI ET CONFESSORIS, GRAVITER ET BONA FIDE CONSCRIPTA, VT TESTATVR AVTHOR

ipſe, cuius nomen MS. Codex non habebat: Claruit autem is Author circa annum Chriſti octingenteſimum quinquageſimum, & Baronio anno 836. circa finem, videtur eſſe Ido Paderbornenſis presbyter.

Ivlii 23.

QVAMVIS multifariam modiſque ineffabilibus ſupernæ bonitatis erga ſalutem humani generis I.
pia diſpenſatio cognoſcatur, in hoc tamen maximis videtur clareſcere indicijs, quòd Eccleſiæ ſuæ in hac mortali conuerſatione pro æternæ vitæ præmio laboranti, tales eruditores defenſoreſque prouidit, quorum doctrinis & exemplis informari, quorum meritis & interceſſio-

Ephes. 6.

nibus poſſit in perpetuum adiuuari. Omnibus enim, qui in procinctu fidei poſiti, agonè militiæ

litiæ Chriſtianæ contra ſpiritales nequitias iugiter colluctantur, quid vtilius eſſe credatur, quàm illorum imitandas præ oculis habere virtutes, qui in eodem agone legitimè certantes, perpetuam adepti ſunt victoriæ coronam? Quid felicius, quàm eorum precibus muniri, quibus cuncta, quæ petiërint, præſtanda veritas ipſa promittit? De his enim loquimur, qui verè in Chriſto manentes, eiuſque in ſe verba manere facientes, illud conſequuti ſunt præmium, quod ipſe promiſit, dicens; Quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Hoc equidem licet ad Apoſtolos ſpecialiter dictum ſit, pertinet tamen nihilominùs etiam ad alios quoſque excellentia ſanctitatis inſignes, illos præcipuè, qui Apoſtolorum tam meriti, quàm officij ſucceſſione ſublimati, perenni refulgent gratia ſacri præſulatûs. Ij namque tanto faciliùs à Deo quælibet impetrant, quanto ei & per puritatem conuerſationis, & per ſublimitatem ſacri ordinis appropinquant. Nec dubium, quin plurimùm illorum preces apud Dominum valeant: quorum ipſe poteſtatem tantum in cælo terraque valere conceſſit, vt quicquid hîc ligarent, maneret ibi ligatum: quicquid hîc ſoluerent, eſſet protinùs ibi ſolutum. Præterea illorum officij dignitatem ipſe inhabitator & conſecrator eorum ſpiritus ſanctus oſtendit, qui per prophetam Malachiam loquitur, dicens: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt. Hinc in Apocalypſi Iohannis, Eccleſiarum præſules non niſi angeli vocantur, ſignati per ſeptem ſtellas, in Chriſti dextera demonſtratas: Sunt enim ſtellæ, quia virtutibus radiant: angeli, quia mandata diuinæ iuſſionis annunciant. Conſtat igitur, eos non parùm tranſcendere modum infirmitatis humanæ, quos toties ſcriptura ſancta non dubitat Angelos appellare. Ipſorum verò in eccleſia principes & primi propagatores, Apoſtoli fuêre, qui poſt glorioſam Domini noſtri Ieſu Chriſti ad cælos aſcenſionem, iuxta promiſſionem ipſius, ſancti ſpiritûs infuſione roborati, & ſcientia omnis veritatis inſtructi, in diuerſas mundi totius penè profecti ſunt regiones, verbum ſalutis annunciantes vbique, & tam miraculorum ſignis, quàm prædicationum hortamentis, id in breui efficientes, vt, quemadmodùm egregius olim Propheta præcinuit, in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ex eorum igitur ſalutaribus cæleſtibuſque doctrinis, quas ab ipſo fonte veritatis largiter hauſerant, Eccleſiaſticorum ordinum regula, diuini cultûs inſtitutio, & tota catholicæ religionis obſeruatio ſumpſit exordium.

Iohan. 14. — Iohan. 15. — Matth. 18. — Malac. 2. — Apoc. 1. — Epiſcopi ſtellæ & Angeli. — *Luc. 24. — Actor. 1. — Pſalm. 18.*

II. Poſt quos multi per orbem eccleſiarum præſules, illorum in omnibus veſtigia ſequuti, & eorum non minùs virtutum gratiam, quàm ordinis dignitatem adepti, eandem tenuerunt in fide ſynceritatem, in moribus ſanctitatem, in doctrinæ ſtudio vigilantiam: qua & fidelium mentes corrigerent, & infidelium mentes ab errore conuerterent. In quo plures eorum tantum Domino placuiſſe noſcuntur, vt clariſſimis vſque hodiè miraculis coruſcare videantur. Ex quorum collegio glorioſo vir magnificus & incomparabilis extitit ſanctitatis Liborius, eccleſiæ * Cenomanicæ præſul, cuius modò propoſuimus vitam & tranſitum breuiter commemorare: vtile ac fructuoſum fore legentibus arbitrati, eius vitam actuſque cognoſcere, quem ſequendo, poſſint in diuina ſeruitute proficere. Eius etenim vita nihil aliud erat, niſi quoddam cæleſtis conuerſationis indicium, Chriſtianæ religionis exemplum, virtutis ac fidei documentum. Vnde quoniam ipſe Dominicum illud impleuit præceptum: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt: nobis in vitæ mortalis errore degentibus enitendum valdè ſolerti imitatione videtur, vt qui vitiorum & ignorantiæ tenebris obſcuramur, lucifluis bonorum eius operum radijs illuſtremur. Nec nos quiſquam exiſtimet in eius laudibus à veritatis aut moderationis tramite deuiare, cùm nulla, niſi à veracibus ſcriptis ſeu relationibus comperta, proferamus, nec eum dignè à mortali lingua poſſe laudari, ipſe cum quo nunc immortaliter regnat, Deus viſibili palàm oſtenſione declaret. Teſtatur namque, cunctis eum virtutibus atque omni vitæ merito acceptum ſibi fuiſſe viuentem, dum defuncti reliquias euidentiſſimis miraculorum ſignis frequenter glorificare non deſinit. Ex quo datur intelligi, hac eum gratia nequaquam in præſenti vita caruiſſe, quamuis indè ſpecialia literarum indicia qualibet ex cauſa non habeantur. Siue enim, quod familiaris ſanctis omnibus ſemper humilitas perſuadet, vt ea, quæ ſibi ante humanos oculos laudi & gloriæ videri valent, celari abſcondique deſiderent, hoc ipſe præ cæteris obtinuerit: ſiue geſta ſignorum virtutúmque illius deſcripta quidem pleniùs, ſed caſu quolibet poſterorum notitiæ ſubtracta fuerint: ſiue aliud quid cauſæ fuerit ignorantes, liquidò tamen credimus, eiuſdem ſancti ſpiritûs gratiam qui toties ante eius ſacroſancta pignora præclarum ſui chariſmatis donum, operationem ſcilicet virtutum, ad ipſius demonſtranda merita exhibere dignatur, eidem quoque in carne poſito minimè defuiſſe. Non tamen deſunt etiam certa de eius meritis apicum monimenta. Habentur etiam geſta pontificum eiuſdem, cui præfuit, eccleſiæ Cenomanicæ, ſimplici eloquio & abſque omni næuo figmenti, fideli narratione contexta: in quibus non plena alicuius eorum vitæ ſeries replicatur, ſed quis cui ſucceſſerit, cuius meriti fuerit, quot annis eccleſiam rexerit, breuiter etiam annotatum. Huius verò ſacri ac precioſiſſimi viri Liborij etiam tranſitus ex hac valle lachrymarum ad ſocietatem ſemper verè beateque gaudentium ciuium ſupernorum, quo contigerit ordine, latius indicatur. Extant & aliæ de eius ortu & vita literæ ſtrictim exaratæ, de quibus omnibus vtiliſſimis quibuſque & veraciſſimis narrationibus deſſoratis, hîc eas, prout diuinitùs facultas datur, paucis explicare conamur.

Liborius antiſtes Cenomanorū. — * vulgò *Le Mens.* — *Matth. 5.* — Bona fides hiſtoriæ huius. — Geſta præſulum Cenomanorum.

III. Hic igitur ex Gallis originem ducens, & parentem non ignobili ortus proſapia, clariſſimam patriam ſuorum claritudine meritorum ampliùs illuſtrauit. Namque ab ætate primæua, maturum in bonis actibus cor gerebat, neq; illecebris voluptatum carnalium, vt ætati lubricæ moris eſt, animo cedens, neque vitio leuitatis indulgens. Adeo verò ſeſe humilem & quietum & trementem ſermones Domini exhibebat, vt meritò ſuper illum ſancti ſpiritûs gratia requieuiſſe credatur, quæ illum ad ſacerdotij dignitatem ac diſpenſationem ſacramentorum Dei, ad regimen fidelis populi nutriebat. Hæc etiam illius animo flagrantiſſimum diſcendi ſtudium inſpirauerat, quatenùs cæleſtium fluentis arcanorum, quæ multis erat quandoque largiter ructaturus, ipſius primùm præcordiorum intima ſalubriter implerentur. Neq; vnquam peruerſo quorundam more priùs voluit docere, quàm diſcere: ſed tanquàm futurum ſe doctorem præſaga mente aduerteret, cunctarum ferè ſibi vtilium ſcientiam ſcripturarum ſatagebat intentus auditor acquirere, quas poſtmodùm, quibus opus eſſet, valeret facundus præceptor ingerere. Nec deerat ſagacis ingenij vigor, largam bono ſtudio efficaciam ſubminiſtrans: magnamq; in teneris adhuc annis præclaræ indolis flores ſpem ſuauiſſimorum fructuum præbuêre, quos abundanter conſtat poſteà prouenìſſe. Denique ſimul cum proceſſu temporis, probitatis ac ſophiæ proficiens incrementis, ita in breui maturitatem virilis ornabat ætatis, vt acceptus apud omnes, & tam honore, quàm amore, dignus haberetur. Nec mirum, quippe quem nulli elatio proteruum, nulli aſperum liuor, nulli contemptibilem fecit ignauia: ſed humilitas etiam infimis coaptaret, charitas cunctis exhiberet affabilem & conformem, induſtria demonſtraret eum eſſe vas vtile in domo Domini, ad omne opus bonum paratum.

Gallus fuit & nobilis genere. — *Eſaia 66.* — Ingens eius diſcendi ardor. — Priùs didicit, quod poſtea doceret. — Eſt omnibus charus. — *2 Tim. 2.*

IV. Poſtquam autem tam vitam, quàm habitum ſecularem, cæleſtium præmiorum intuitu dereliquit, & verè à Domino in ſuam electus ſortem, Clero aſſociatus, ac officijs eſt functus eccleſiaſticis, ampliùs totum ſe diuino cultui viſus eſt mancipare. Studebat namque, quantum fragili carnis ſarcina circundatus potuit, cunctos actus cogitatuſq; ſuos ad rationis normam dirigere, circumſpectus ac prouidus, docilisq; & cautus exiſtere, aduerſa vel proſpera æquanimiter ferre, animam ſupra temporalis periculi metum fortiter agere, nihilq; niſi quod eſſet ante superni

In Clerum aſſciſcitur. — Habes formam, ad quā ſe, qui in Clero

sunt, debeāt componere.

examinatoris oculos fœdum, peccati scilicet maculas, formidare: habere de Dei bonitate fiduciam, securitatem, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Præterea nil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub iugo rationis cupiditatem moderari vel domare. Hinc modestus & abstinens, castus & honestus, parcus & sobrius ante Deum & homines permanebat. Iam verò in illo propositum æquitatis iustitiæq; seruandæ, quis vnquàm dignè valeat explicare? Quis eius circa innocentiam, humanitatem & concordiam studium, quis erga pietatem & religionem enarret affectum? Omnis eius animi meditatio, à rebus vanis & caducis remota, circa salutem animæ ac statum vitæ perpetuæ versabatur. Proindè quia tantus in eo cælestis iubaris splendor celari diù non potuit, sanctitatis eius ita rumor excreuit, vt totius inclytæ ciuitatis Cenomanicæ populi ad hunc sibimet eligendum pontificem, vnanimiter corda conuerterent. Nec dubium, quin se beatos fore arbitrarentur, qui talem habere pastorem ac præsulem mererentur: cui ad docēdum suppeteret linguæ disertitudo, ad doctrinam exemplis formandam vitæ rectitudo, ad exorandum pro subditis Deum meriti magnitudo. Vnde cum memoratæ vrbis populum antistitis sui Pauatij viri sanctissimi obitus ingenti, vt par erat, mœrore afficeret, consolabatur tamen huius concorditer electi probitas, & firmata de illo apud omnes fiduciæ certitudo, quòd nemine sacerdotum Christi esset futurus inferior. Quinimò antiquam Israeliticæ gentis gratiam sibi præstitam gratulabantur: quia sicut illis quondàm, ablato & ad cælum rapto Eliæ prophetæ sanctissimo, Eliseus duplici eius spiritu repletus successit: ità spiritales beati Pauatij virtutes, in successore Liborio repræsentandas, aut etiam duplicandas fore sciebant. Quapropter gaudentibus cunctis, Ecclesiæ Christi regimen, ad quod olim erat diuinitùs præordinatus, iuxta morem canonicum assumpsit, regulariter pontifex ordinatus.

Creatur Cenomanorū antistes. Pauatius Episcopus Cenomanorum. 4. Reg. 2.

SVSCEPTO verò sacerdotio, nihil ex studio sanctitatis, quam priùs exercuerat, dereliquit: sed tanquam lucerna super candelabrum posita, ita ille diuina luce repletus, quo in eminentiore constitutus est loco, eo latiùs in Deo collatæ sibi gratiæ notitia refulgebat. Neq; illum tantę dignitatis honores solitę religionis mutare fecerant mores, nec ecclesiasticorum occupationes negociorum quicquam ex quotidiana diuinæ laudis & placationis seruitute prætermittere coëgerunt. Quinimò tanto eam instantiùs adaugere curauit, quanto iam non suæ solius, sed multarum animarum salutis causa rectè se viuere debere sciebat: quibus frustrà videbatur præesse, si non studeret etiam monitis exemplisq; prodesse. Ob hoc igitur, nullius momenti spatium ociosè transigere volens, semper erat vtilibus intentus actibus, nunc lectioni diuinarum scripturarum operam impendens, nunc orationi prolixiùs incumbens: interdum etiam rerum exteriorum dispositioni, prout suo conueniebat officio, prudenter consulens atque prospiciens. Assiduè verò vigilijs & ieiunijs castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniretur. Erat enim prædicationis studio valdè intentus, & tanquàm se nosset gerere officium Apostoli, dicentis: Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare: atq; ab eodem audiret: Prædica verbum, insta opportunè, importunè: ita ipse quotidiè modis omnibus auditores suos ad vitæ rectitudinem prouocabat. Cuius præcepta & monita id maximè populo grata & amabilia faciebat, quòd eius vitam in nullo doctrinæ contrariam deprehendebant: sed quod illis sectandum asserebat, euidenter in eius moribus agnoscebant. Verbi gratia: qui elationem velut initium omnis peccati cauendam penitùs ab illo sæpè didicerant, nullum eius indicium in illius actibus, & habitu, in vultu, in gestu corporis, in sermonis vsu sentire potuerunt. Audiebant ab eo: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi: videbant eum verè pauperem spiritu, nunquàm nisi in Domino gloriari. Audiebant ab eo, quòd inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. &; Putredo ossium, inuidia. Videbant eum affectu beneuolentiæ gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: aliorum prospera vel aduersa, sua æstimare. Audiebant ab eo: Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur: videbant eum, omnem ostendentem mansuetudinem ad omnes homines. Audiebant ab eo: Sæculi tristitia mortem operatur: videbant eum esse hilarem datorem, quem diligit Deus. Audiebāt ab eo, auarum esse idolorum seruitorem: videbant eum rerum suarum erogatione largiflua thesaurizare sibi thesaurum in cælo. Deindè si quis eius parsimoniam, strenuitatem castitatemque attenderet, non alijs ad fugiendam vitiorum corporalium labem admonitionibus indigeret. V.

Honor in illo nō mutat mores optimos. Eius exercitia. 1. Cor. 9. 1. Cor. 1. 2. Tim. 4. Vita ornat doctrinam. Tob. 4. Galat. 5. Sap. 2. Prouer. 19. Rom. 12. Iacob. 1. 2. Cor. 7. 2. Cor. 9. Ephes. 5. Matth. 6. Luc. 12.

ITA pius gregis Dominici pastor, commissis sibi ouibus adhibita cura duplici, exhortationibus scilicet & exemplis, iter ad æternæ vitæ pabula quærenda, & spiritualium morborum dira contagia vitanda demonstrans, tantum ex eis lucrum acquisiuit, vt quod voce Dominica per Malachiam dicitur, de illo conuenienter valeat dici: Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Verè enim multos ab iniquitate conuertens, & rectitudini vitæ fideique restituens, inter sanctos Ecclesiæ Christi doctores præclarum obtinet locum: quorum multimodam gratiam & infinitam meriti excellentiam ipse verus eiusdem Ecclesiæ sponsus, in Canticis canticorum multiplici laude prosequitur: nunc eos ipsius sponsæ collum, monilibus assimilatum vocans: nunc tigna cedrina & laquearia cypressina cognominans. Interdùm labia, vittæ coccineæ, propter prædicationem passionis Christi, similia, seu fauum dulcedinis verbi Dei stillantia: nonnunquàm turrim Dauid, ob constantiæ firmitatem, eos appellans. Aliquandò verò ibidem, ob nutrimentum paruulorum, quibus lacte opùs est, mammæ dicuntur. Aliquandò fauo simul & vino: aliquandò decori turris eburneæ comparantur: Plerunque portæ Ecclesiæ nuncupantur: & propter variam vtilitatem, firmitatem, prouidentiam, contemplationem, dentium & oculorum nomine designantur. Prætereà ipsi sunt sexaginta fortes, Salomonis lectulum ambientes: ipsi columnæ argenteæ, sacri eloquij nitore fulgentes. Quarum omnium similitudinem si quis mysteria perscrutetur, profectò inennarrabilem huius sanctæ Ecclesiæ doctoris & eius similium gratiam dignitatemque reperiet, cùm satis indicent hæc pauca, de pluribus ex illo cælesti epithalamio sumpta, quòd nihil his illustrius, nihil pulchrius in sponsæ laudibus decantandum spiritus sanctus inuenit. Qui etiam de eisdem per Danielem ita loquitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed quoniam huius clarissimæ stellæ in erudiendis subditis feruorem pariter & splendorem ostendimus, quibus virtutum radijs in alijs quoque rebus effulserit, monstrare curemus. VI.

Malach. 2. Multos a vitijs & erroribus reuocat. Cant. 1. 2. 4. 5. 7. Item Cant. 7. 4. 7. 3. Doctores Ecclesiæ prædicantur. Dan. 12.

HABVIT vir sanctus hoc præ cæteris tum temporis pontificibus, religionis & Dei amoris indicium speciale, quòd omnia, quæ ad eius laudem iugiter celebrandam & ecclesiastici cultûs officium pertinent, totis nisibus amplificare, prouehere atq; adornare contendit: & exceptis his, quæ sibi suisq; ad quotidiani victûs & vestitûs necessaria, quibus solis contentus erat, vix sufficere poterant, necnon & his, quæ ad egentium & inopum sustentationem larga manu solebat expēdere: reliquos omnes redditus episcopalium possessionum, omnes quarumlibet rerum census, qui sibi ex omni sua diœcesi debebantur, vel si quid ex fidelium donationibus conferebatur, ad exhibendum ecclesijs congruentem ornatum, & noua quæq; oratoria in locis, quæ ad hoc opportuna videbantur, construenda deputauit. Quorum constructionem primùm diuinæ seruitutis multiplicandæ intuitu aggrediebatur: dehinc etiam plebium commoditati pariter & saluti prospicere piè meditabatur, vt ad ecclesias cum suis sacerdotibus propè positas facilè confluere, orationum studijs assuescere, regenerationis gratiam consequi, documenta sacræ legis audire, cælestium sacramentorum celebrationibus interesse, atque omnia Christianæ religionis iura discere & exercere VII.

Cultus diuini promouendi quā fuerit studiosus S. Liborius. Noua oratoria extruit.

valerent

valerent: Nec quenquam vllius moleſtiæ ſeu occupationis impedimentum exindè reuocaret, quò vniuerſos ad ſalutem animarum quærendam ipſa loci opportunitas inuitaret. Hac igitur intentione præter illas, quæ a ſuis prædeceſſoribus fabricatæ fuerant, decem & ſeptem ſacris ædibus nouiter conſtructis & dedicatis, ſuam parochiam ita omnem illuſtrauit, vt in qualibet eius parte populo degenti aliquam orationis domum vicinam eſſe conſtaret. Locorum verò, in quibus eas conſtruxit, hîc nomina ponere dignum ducimus, quò religioſi operis memoria firmior, & fides certior habeatur. Vnam itaq; ædificauit in Colinno, alteram in Syluiaco, tertiam in Randatio, quartam in Campogeneſto, quintam in Conedaco, ſextam in Aciaco, ſeptimam in Alonciauno, octauam in Sangunno, nonam in Sabonario, decimam in Bona, vndecimam in Lucia, duodecimam in Lugduna, tertiamdecimam in Marſone, quartamdecimam in Paliaco, quintamdecimam in Magitto, ſextamdecimam in Nouiliaco, ſeptimamdecimam in Comnis. Quibus ritè perfectis & decenter adornatis, ac ſacerdotum & inferioris ordinis clericorum iugi prouidentiæ commendatis, obſeruandum omninò cenſuit, nè qua ibidèm legitimis horis die noctuque ſacrorum intermiſſio fieret officiorum, quibus ſanctæ & indiuiduæ Trinitati debitæ gratiarum actiones & laudes referrentur. Deinde vt vnitati & concordiæ totius populi commiſſi conſuleret, atque omnia illius diœceſeos loca Deo dicata, cum vniuerſis ad ſe pertinentibus antiquæ & principali ſuæ ſedis eccleſiæ, velut vni capiti & matri omnium, ſubdita monſtraret eſſe debere, decreuit vt illuc ex reliquis omnibus eccleſijs per annos ſingulos cenſus perſolueretur, certus ſcil. numerus librarum ceræ atque olei, prout illis offerendi facultatem ſuppetere ſciebat. Æquum tamen omnibus eiſdem locis debitum impoſuit: hoc eſt, vt ex vnoquoq; redderetur vna ceræ libra, & olei duæ, præter id, quod cuſtodibus præfatæ principalis eccleſiæ dati conſtituit. Ex quo verè ſancta & religioſa intentio beati viri ſatis apparet, quòd non ſibi aurum vel argentum, ſeu quodlibet earum rerum, quæ mundum amantibus precioſa, ipſi verò velut cæleſtia deſideranti omninò erant contemptibilia coaceruauit: ſed ea magis eccleſiæ dari conſtituit, quæ ad luminaria iugiter in ea concinnanda copiam darent. Nam quoniam ipſe fuit templum veri luminis, hoc eſt, ſpiritus ſancti, etiam corporalis lucis ornatum manufactæ domui Dei noluit vnquàm deeſſe.

Septemdecim ædificauit eccleſias

Loca, vbi quibus ſacras ædificauit ædes.

Vult vt in ſuis eccleſijs quotidiè diuina celebrentur officia.

Vult perpetuò in Eccleſijs luminaria ardere.

VIII. Mansit autem in Epiſcopatu annos quadraginta & nouem: in quibus feciſſe legitur ordinationes nonaginta & ſex: ordinâſſe verò presbyteros ducentos decem & ſeptem: diaconos centum ſeptuaginta ſex: ſubdiaconos nonaginta tres: reliquorum quoquè graduum miniſtros, quantum ſacris officijs congruum & ſufficiens eſſe videbat. Prætereà habuit bonum teſtimonium etiam ab his, qui foris ſunt: ita vt hoc quoque ſpecialiter de illo referant ſcripta, quòd ſtuduerit Deo in omnibus dulciter famulari, & in rebus eccleſiaſticis Deo & hominibus bonis oppidò placere. Vnde liquidò patet, ſic eum religionis conſtantiam ante Deum ſeruâſſe, vt tamen proximorum oculos non offenderet: ſic humano foris placuiſſe iudicio, vt diuinis obtutibus non diſpliceret in occulto. Ita per omnia vetus Dei cultor illi meritò Pontifici comparatur, quem ſine querela Domino ſeruijſſe euangelica laudat hiſtoria: niſi quòd hic tanto præſtantioris fuerit ſacerdotij præſul, quanto figuram veritas, quanto legem veterem noua Chriſti gratia tranſcendit. Illo denique præſulatu functi, animalium cruores immolabant: huius ſacerdotij primus author & pontifex, per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta. Et tamen in officio diſpari fuêre pontifices iſti, ſanctitate pares, ambo euangelica laude digni, ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.

Diuturnus eius epiſcopatus & ordinationes.

Luc 1.

Heb 9.

Luc. 1.

IX. Cvm autem diuinæ maieſtati complacuit, poſt tam diuturna tot annorum certamina, victorem hoſtis antiqui, militem ſuum æterno præmio glorificare, anno quinquageſimo Epiſcopatûs ſui corporis eum moleſtia ita fatigari permiſit, vt adeſſe ſibi diem exitûs ſui non dubitaret. Qui annus illi verus extitit iubileus, quem in eodem numero annum remiſſionis appellans, vnumquemque in eo redire ad familiam, & ad poſſeſſionem ſuam lex diuina præcepit. Nam & ipſe quò minùs ſe dubitaret ad requiem tendere, poſt ſeptem ſeptimanas annorum, ex quo conſtitutus eſt ſuper familiam Domini, adhuc in terris poſitam, ad eam, quæ in cælis eſt, lætus vocari meruit: vt poſſideret terram, quam manſuetis & mitibus veritas repromiſit.

Leuit. 25.

Matth 5.

X. Eodem tempore ſanctus Martinus Epiſcopus Turonenſem regebat eccleſiam, vir Apoſtolicis clarus omninò virtutibus: Cui inter illa, quibus aſſiduè frui ſolebat, Angelicæ collocutionis myſteria, etiam hoc ex diuina reuelatione præceptum eſt, vt ad vrbem Cenomanicam pergeret, atque ibidem in infirmitate poſitum dominum viſitaret. Vnde animaduertens, hanc domini infirmitatem de aliquo membrorum ſuorum intelligendam, de quibus ipſe dicturus eſt in iudicio: Infirmus fui, & viſitâſtis me: cœpit ilicò feſtinus ad memoratam pergere ciuitatem. Cui cùm iam appropinquans, iuxta vineam quandam iter ageret, vidit eminùs in ea ſtantem clericum gradu ſubdiaconum, Victurium nomine, operi quidem, quodcunq; ibi agendum erat, ſtudioſiùs inſudantem, ſed nihilo minùs frequentatione pſalmodiæ laudes decantantem. Hic erat diſcipulus ſancti Liborij, atque in ipſa ſuæ continentiæ mentiſque & habitus humilitate, bonæ inſtitutionis magiſtri optimi clarum præbebat indicium. Quem intuens ſanctus Martinus, reuelante ſibi ſpiritu ſancto hunc eſſe futurum ibi Epiſcopum, his eum verbis ſalutauit, dicens: Aue noſter pontifex. Dehinc illi baculum ſuum dedit, atque ita conuerſo gradu, in vrbem properauit. In qua inueniens ſanctum & verè Deo dilectum præſulem iam in extremis poſitum, & cæleſti tantùm gaudio, quò iturus erat, intentum, cum ineffabili ab eodem lætitia ſuſceptus eſt. Hîc verò neceſſe eſt, vt noſter ſermo deficiat: quia neminem dignè conſtat poſſe referre, quàm diuina, quàm ſpiritualia, quàm cæleſtia fuerint eorum colloquia, cum qua ſe exultatione mutuo viderint, quo mentis affectu ſuam ad tempus ſeparationem ferre potuerint. Erant enim ambo Chriſti militum excellentiſſimi duces, ambo crebris de diabolo triumphis glorioſi. Sed alteri iam reddendum erat præmium ſempiternum, alteri aliquandiù differendum, & adhuc pro caſtris Dei fuerat decertandum.

S Martinus Turonenſ. Epiſcopus ei contemporaneus.

Matth. 25.

Victurius S. Liborij diſcipulus.

S Martinus Victurium prędicit fore Epiſcopum

S Martinus venit ad S. Liborium.

XI. Igitvr beatus Liborius, præſente ſibi tanto conſolatore, ſuarumque exequiarum prouiſore, decimo Kalendarum Auguſtarum die lætus migrauit ad Dominum. Cuius venerabile corpus ſanctus Martinus cum honore congruo ad eccleſiam extra vrbem poſitam duci, & in ea ſepeliri fecit: quam primus eiuſdem ſedis antiſtes, Iulianus nomine, conſtruxit, & in honore duodecim Apoſtolorum dedicauit. Decebat enim, vt qui Apoſtolorum in terra ſucceſſor, & in cælis eſſe meruit conſors, in eorum quoque eccleſia communi cum illis memoria coleretur. Sequenti verò die vir Dei Martinus populum omnem, qui ad tanti viri exequias copioſus nimis & innumerabilis conuenerat, & internum amorem erga paſtorem ſuum largiſſimis lachrymarum fontibus teſtabatur, in eccleſiam conuocans, ſanctæ admonitionibus doctrinæ conſolabatur, eiſque præfatum Victurium ordinauit Epiſcopum. Tradunt quoque literæ ſuperius memoratæ, multa quidem ſanctum Liborium in hac vita feciſſe miracula, ſed multo plura poſtmodùm ad ſepulcrum eius fuiſſe diuinitùs oſtenſa, licèt ob multitudinem ſuam, nominatim expreſſa non ſint. Quod nos facile credimus ex his, quæ oculis noſtris videre meruimus, poſtquàm ad nos ſacrum translatum eſt corpus, ſicut adiuuante Domino, ſequens huius operis textus enarrabit. Nam quoniam ipſe vere fuit organum ſpiritus ſancti, per ipſius nunc operationem ante eius reuerenda pignora virtutum ſigna ſæpiùs oſtenduntur: curationes ſcilicet debilium, ſalutes languentium, expulſiones immundorum ſpirituum: præſtante ipſius gratia, qui eſt fons & origo bonorum omnium, Deus & Dominus noſter: qui in Trinitate inſeparabili viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum; Amen.

Migrat ad cælos S Liborius.

Iulianus primus Epiſcopus Cenomanorũ.

Multa ad ſepulcrum S Liborij miracula.

An. 836.

DE TRANSLATIONE SANCTI LIBORII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Hic Biſo fuit 4. Epiſcopus Paderbornẽſ.

DEſcriptis ſuperiori libello vita & tranſitu precioſiſſimi confeſſoris Chriſti atque pontificis Liborij, I. nunc ſecundùm tuam, Biſo præſul egregie, iuſſionem, ad exponendam ſeriem translationis eius ſacramentiſſimi corporis, & oſtenſa per eius merita virtutũ inſignia pro conceſſa diuinitus facultate, ſtylum mentemque conuertimus: excitante ſtudium noſtrum penſatione ſolicita, qualiter vobis obtemperare, quantum deferre debeamus, maximè cum eorum officij dignitate ſublimatos, quibus diuina voce dicitur: Qui vos ſpernit, me ſpernit: non dubitetur, vos minimè ſine Dei contemptu poſſe contemni. Proindè ad retexendas cum laude debita virtutum operationes, per quas ſancti ſpiritûs gratia ſolet electorum merita declarare, eo, quo te præcipiente huic operi inſiſtere debuimus, nullum oportunius tempus occurrit: approprianti quippe videlicet ſacra ſolennitate aduentûs eiuſdem ſpiritûs paracleti, qui beati Liborij & in hac vita manentis inhabitator apparuit, & nunc ipſius ſanctitatis per miracula index & glorificator exiſtit. Cuius nos ad ſuſceptum opus auxilium haudquaquàm inefficacibus votis inuocaturos ſperamus, præſertim cùm non aliud, quàm quod ij ſe adueniens, mentibus, quas repleuit, ad proferendum inſpirauit, Dei ſcilicet magnalia loqui, & ipſum mirabilem in ſanctis ſuis monſtrare conemur. Sed antequàm ad rei geſtæ ordinem veniamus, cauſam translationis memoratæ atque exordium conſtructionis eccleſiæ, quæ tanto cælitùs illuſtrari meruit theſauro, referre breuiter congruum arbitramur.

Luc. 10.

Actor. 2.

Carolus Magnus domuit Saxones.

IGITVR vbi primùm glorioſæ memoriæ Carolus Imperator concertatione longiſſima & varijs præliorum euentibus, cum gente Saxonum exactis, illos ferro edomitos Chriſti fidem ſuſcipere fecit, ſuoque addidit imperio, II. clarum ilicò dedit indicium, qua fretus intentione, tam diuturnum laborem infatigabilis ferre potuerit. Siquidem, vt in libello vitæ ipſius legitur, triginta & tribus continuis annis bellum cum eadem gente geſſit. Qua tandèm partim armis, partim liberalitate, per quam maximè Primorum eius animos ſibi deuinxerat, ſuperata, totum exindè ſuum adhuc contulit ſtudium, vt pro tantarum ſaluatione animarum populi, poſt tot ſæcula cultum dæmonum relinquentis, fructum ſui laboris ex Dei remuneratione conſequeretur. Et vt ſe magis Chriſtianæ religionis, quàm regni ſui dilatandi cauſa, tantæ rei difficultatem aggreſſum oſtenderet, eccleſias per omnem regionem illam, ad quas rudis in fide populus confluere doceretur, & ſacramentis cæleſtibus initiari conſueſceret, ſub quanta potuit celeritate conſtrui fecit, atque parochias diligenti ratione ſuis quaſq; terminis ſeruandas deſignans, quia ciuitates, in quibus more antiquo ſedes Epiſcopales conſtituerentur, illi penitùs prouinciæ deërant: loca tamen ad hoc, quæ & naturali quadam excellentia & populi frequentia præ cæteris opportuna videbantur, elegit. Tùm verò vix reperiebantur, qui barbaræ & ſemipaganæ nationi præſules ordinarentur. Cuius interdùm ad perfidiam relabentis cohabitatio, nulli clericorum tuta videbatur: cui eccleſiaſticum officium, & quicquid ad rerum diuinarum pertinet cultum, non ſolùm deërat, verùm ignotum omnimodis erat. Quocirca vnamquamque prædictarum pontificalium ſedium cum ſua diœceſi ſingulis aliarũ regni ſui eccleſiarum præſulibus commendauit, quoties ſibi vacaret, ad inſtruendam, confirmandamque in ſacra religione plebem, eò pergerent, & ex Clero ſuo perſonas probabiles cuiuſcunque ordinis, cum diuerſo rerum eccleſiaſticarum apparatu, ibidem manſuros iugiter deſtinarent. Et hoc tandiù, donèc annuente Domino ſalutaris illic fidei doctrina conualeſceret, & ita diuini vſus miniſterij proueheretur, vt proprij quoque in ſingulis parochijs dignè & fiducialiter poſſent manere pontifices.

Multas in Saxonia eccleſias extruit.

Saxonia ciuitatum inops.

Paderbornenſis eccleſiæ encomium

INTER omnia verò loca, conſtituendis principalibus eccleſijs in hac, de qua loquimur, prouincia deſignata, III. Paderbornenſis ſedes ſpeciali quadam dignitate præcellit, habens ampliſſimam circumquaq; planitiem, nemorum tamen frequenti & varia diuerſitate ſufficienter ornatam, agros vberes & frugum omnium feraciſſimos. Cui adiacet à læua in ipſo mœnium proſpectu ſylua, multis paſſuum millibus in longum latumq; diffuſa, adeò pecorum & armentorum paſcuis, apiumq; ſeruandarum vſui opportuna, vt illi non diſſimilis videatur regioni, quam ſacræ literæ vocant terram lacte & melle manantem. Accedit ad ornamentum loci ſaluberrimorum fontium, intrà ipſum oppidum in vnum pariter alueum confluentium, incomparabilis tam ſpecies, quàm numeroſitas: intantum, vt eorum latitudini & amœnitati ſimiles eſſe alibi minimè compertum habeamus. Nec deſunt hincindè & alia flumina, vtilitatum; quæ ab his petuntur, largiſſima. Aër ibidem & aura placidior, & licet in frigido terrarum tractu, naturali gratia temperatior, citiùs, quàm in alijs illarum regionum partibus, maturitatem cunctorum fructuum afferre conſueuit. Prætereà pagus ipſe, vt & noſtra memoria, & veterum relatio teſtatur, viris omni nobilitate generis animique ſemper inſignibus abundabat: vt non eſſet dubium, quin patria ciuibus, & ciues patriæ congruerent, ac ſibi vtraque viciſſim ornamento forent. Et hæc quidem pauca de pluribus, hinc à nobis non ex ſuperfluo dicta animaduertet, qui Chriſtianiſſimi principis ex hoc quoque in Deum deuotionem comprobabit, quòd ea, quæ ex tanta locorum amœnitate iure belli acquiſita, ſub ſua potuit tenere ditione, diuino magis ſeruitio, quàm ſuis deputauerit vſibus. Tamen interdum, pro varijs gentis eiuſdem vtilitatibus generale placitum habiturus, illic populi conuentum fieri iuſſit, & hac ibidèm cauſa aliquandiu ſolebat immorari.

Deut. 6.11.

Paderbornam vocat pagum.

Nota Caroli Magni religionem & deuotionẽ.

Leo Pontifex venit Paderbornam.

NAM & vir ſanctiſſimus & verè Apoſtolicus Papa ſedis Romanæ, Leo nomine, iniuſta ciuium odia perpeſſus, IV. illic eum adijt, pro ſedandis contra ſe ortis ſimultatibus imperialem opem quæſiturus. A quo cum ingenti, vt par erat, honore ſuſceptus, religioſum eius ac ſalutare Chriſtianitatis dilatandæ ſtudium nobiliter inchoatum, Apoſtolica authoritate firmauit, atque in eccleſia tunc ibidem nouiter conſtructa quoddam altare conſecrans, adorandas in eo reliquias protomartyris Stephani, quas ſecum Roma detulerat, collocauit, fiducialiter id principi promittens, quòd oratorium illud, tanti martyris patrocinio munitum, non vlterius paſſurum foret iniuriam, quam ipſo referente, prius ei contigiſſe cognouit: vt videlicet ob incolarum loci perfidiam & odium in religionem Chriſtianam, aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maximè cauſam eaſdem reliquias ibi rogatu Imperatoris recondidit, non ſine effectu congruo fiduciæ ſponſioniſque ſuæ, cum nihil tale poſtmodum illic perpetratum eſſe certiſſimum ſit.

Cõnſecrat illic altare.

Nota de reliquijs B. Stephani.

Paderbornenſis Eccleſia, aliquandiù Epiſcopis Herbipolenſibus cõmendata.

HOC igitur ordine Paderbornenſis eccleſiæ ſedes epiſcopalis tam Imperatoria ſanctione, quam Apoſtolicæ V. benedictionis authoritate primitus conſtituta, ob cauſam ſuperius memoratam, commendata fuit aliquandiu tuitioni præſulum cuiuſdam caſtelli orientalis Franciæ, quod ſermone barbaro Virtziburg appellatur. Sub quorum regimine ſtatus rerum ipſius parum proficere potuit: quippè cum loca ipſa longa inter ſe terrarum intercapedine diſtarent, & præfatos præſules raiò hanc nouellam eccleſiam inuiſere, vel occupatio permitteret, vel commoditas ſuaderet. Neque enim ibi deerant negocia, quibus procurandis inſiſterent, neque huc pergendi laborem paruum faciebat itineris longitudo. Ibi res neceſſariæ ſufficientes erant & ordinatæ: hîc & tenues, & cum difficultate nouiter ordinandæ. Quocircà meritò vtilius viſum eſt, hanc ſedem ſuum per ſe habere antiſtitem, qui non alibi occupatus, hîc tantum agendis rebus præſens inſudaret. Erat tunc temporis in Clero Vuirtzibutgenſi vir magnæ humi-

humilitatis atque modeſtiæ, Hathumarus nomine, de gente noſtra, hoc eſt, Saxonica oriundus: qui cùm adhuc puer eſſet, belli tempore Carolo Imperatori obſes datus, illic ſeruari iuſſus eſt. Vbi poſteà tonſuratus, ac ſtudijs literarum traditus, in virum perfectum moribus & eruditione profecit. Hic ex præcepto principis primus eſt Paderbornenſis Eccleſiæ ordinatus Epiſcopus. Poſt cuius ordinationem paucis annis tranſactis, idem glorioſiſſimus princeps ab hac luce migrauit. Cuius incomparabilem in omni virtutum gloria præſtantiam licèt libellus de vita eius conſcriptus pleniſſimè referat, nos tamen hic aliquid de eo vel breuiter dicere, ipſius in nos beneficij magnitudo ſuadet. Quem arbitror noſtrum iurè Apoſtolum nominari: quibus vt ianuam fidei aperiret, ferrea quodammodò lingua prædicauit. Qui cùm totiès victoria potitus, quotiès in procinctu poſitus, multas ſibi gentes, multa regna ſubiecit: conſtat tamen eum glorioſiſſimè etiam de diabolo triumphaſſe: cui tot animarum millia, priùs ſub eius tyrannide captiua, in conuerſione noſtræ gentis eripuit, & Chriſto Domino acquiſiuit. A quo illum hoc recipere præmium & confidimus, & optamus, vt fruatur in cælis Apoſtolorum conſortio, quorum functus eſt in terris officio.

Hathumarus primus Epiſcopus Paderbornenſis.

Carolus Magnus Saxonum Apoſtolus.

VI. Vt verò ad propoſitum redeamus, defuncto Carolo, Hathumaro quoque Epiſcopo non longo pòſt tempore ab hac mortalitate ad perennem, vt credimus, vitam aſſumpto, ſucceſſit ei vir egregius, nomine Baduradus: qui & ipſe ex hac regione nobili ortus proſapia, ex eiuſdem eccleſiæ Clero electus eſt. Qui præclaræ morum nobilitatis, magnanimitatis & induſtriæ merito, familiaritatem regiam intimè conſecutus, tantæ dignitatis locum promeruit, vt ei non minor facultas, quàm voluntas amplificandæ, prouehendæ atque adornandæ Eccleſiæ ſibi cõmiſſæ ſuppetere videretur. Tunc verò, tanquàm ad hoc ſibi datam diuinitùs excellentiam animaduerteret, nihil ſui laboris ſtudijque ſubtraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus, quæ ibidèm ad diuinæ laudis augmentum, ad vtilitatem Chriſtiani populi nouerat pertinere. Hæc illi cura prima imminebat, eccleſias per omnem parochiam ſuam ſub celeritate conſtruere: principalem verò baſilicam ingenti decore & grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis varijs adornare, augmentare Clerum, diſciplinam monaſterialem inſtituere, pueros tam nobiles, quàm inferioris conditionis, in ſcholam congregatos, in diuinæ legis eruditione nutrire: Quod eius laudabile ſtudium ità felix profectus comitabatur, vt verè illum ad hoc à Deo præſignatum, & rudimentis eius loci cælitùs conceſſum dicere valeamus.

Baduradus 2. Epiſ. Paderbornen. egregius.

Multas eccleſias in ſua diœceſi conſtruit.

VII. Qvia verò rudis adhuc in fide populus, & maximè plebeium vulgus difficilè poterat ab errore gentili perfectè diuelli, latenter ad auitas quaſdam ſuperſtitiones colendas ſeſe conuertens: intellexit vir magnæ prudentiæ, quòd ſi præcipui alicuius ſancti illic corpus allatum, miraculorum, vt fieri ſolet, oſtenſione & gratia ſanitatum ſuadente, multitudo plebis inciperet venerari, & ad eius patrocinia confluere conſueſceret, nulla re eam faciliùs ab infidelitate poſſe reuocari: præſertim cùm verbis doctorum de diuina virtute non credentes, tamen his, quæ oculis viderent, quæ beneficiorum vtilitate ſentirent, fidem derogare non poſſent. Prætereà cunctis fidelibus ibidèm manentibus, vel eò conuenientibus magnæ hoc apud Deum interceſſionis ſolatium, maximam eidem loco tuitionem & gloriam allaturum fore non dubitans, ad id obtinendum ſedulæ cogitationis curam intendebat. Et quoniam à Deo, qui eſt fons bonitatis, quicquid optatur boni, & maximè rem tantam nouerat expetendam, indicto ieiunio, & celebrata ſupplicatione publica, cum omnibus ſibi commiſſis, ab eius clementia demonſtrari ſibimet poſtulauit, quonam ordine pro adipiſcenda re deſiderata deberet inſiſtere. Vndè fidem eius benignè reſpiciens, dignatus eſt ei reuelare, quòd ad Cenomanicam vrbem Galliæ rem diù optatam petitum ab Epiſcopo loci mittere deberet: ibi dandum votis eius effectum proſperum fore. Ex hac reuelatione indubia ſpe animatus, accelerare negocium ſtuduit. Epiſcopus qui præfatam vrbem eo regebat tempore, Aldricus nomine fuit. Ad hunc ergò cum conſenſu & præcepto Cæſaris Ludouici, nuncios deſtinandos elegit, ex Clero quidem ſuo probabiles perſonas, & in ſacris ordinibus religioſam vitam ducentes: necnon & quoſdam laicos nobiles, quorum fidem & induſtriam ad tale opus idoneam nouerat. Clericorum verò, quibus id negocij commendatum eſt, præcipuus erat quidam presbyter, Ido cognomine, qui omnem ſuæ profectionis hiſtoriam & ſigna, quæ in ea diuinitùs oſtenſa perſpexerat, partim viua voce intimata, partim literis breuiter annotata, ad noſtram fecit venire notitiam.

Vide quid ſentiendū de ſanctorū reliquijs & interceſſione.

Diuinitùs iubetur epiſcopus petere ex Gallijs ſacras reliquias.

VIII. Igitvr anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione xiiij. cùm præfatus Ludouicus tertium & vigeſimum in imperio annum ageret, legati Paderbornenſes de Saxonia profecti, ad vrbem Cenomanicam quarta kalendarum Maiarum die venêre: inſinuanteſque Epiſcopo cauſam, pro qua miſſi fuerant, benignè ab eo ſuſcepti, Dei nutu, vt credimus, ſine mora petita impetrauerunt. Sequenti namque die conuocans omnem Clerum, præſente ſuo quoque coëpiſcopo, Dauid nomine, tractare cum eis diligenter cœpit, qualiter Miſſorum de tam longinqua regione venientium, religioſis precibus decenter in hoc poſſet annuere, vt ſancti alicuius integros, vt petebant, artus accipere mererentur. Erat ibidèm ſanctorum corporum magna copia: inter quæ ſancti Liborij quondàm præſulis eiuſdem vrbis præcipuè glorificatum miraculis habebatur inſigne. Quod cum Epiſcopus præfatis nuncijs dare diſponeret, reniti primò cœpêre plurimi, dicentes ſe illis pignoribus precioſius nihil habere. Tandèm vix omnium impetrato conſenſu, aſſumptis ſecùm ſacerdotibus & cuiuſcunque gradûs clericis, ſacri miniſterij veſtibus ornatis, Miſſos quoquè, qui ſanctos artus accepturi erant, adeſſe præcipiens, proceſſit ex vrbe ad eccleſiam, in qua ſacratiſſimum beati Liborij corpus digno cum honore conditum habebatur. Erat autem eadem eccleſia iuxta ciuitatem poſita, & in honore duodecim Apoſtolorum dedicata, quam primus eiuſdem ſedis præſul, nomine Iulianus, condidiſſe fertur. Ad hanc itaque memoratus Epiſcopus, denunciato priùs ieiunio, cum ſacro illo comitatu humiliter ac deuotè, vt ad tale opus decebat, perrexit, viciſſim pſalmos, litanias, hymnoſque decantans. In quam cùm ipſe & plures ſecùm, ſacros artus de mauſoleis leuaturi, conueniſſent, mirum dictu, ſensêre cuncti inæſtimabilis odoris ſuauitate totam domum repentè completam. Qui diſſimilis odoramentis omnibus, quæ in terris vel natura vel arte fiunt, clarum cæleſtis cuiuſdam præſentiæ dedit indicium. Ità enim omnium, qui aderant, mentes magis quàm corpora ineffabili iucunditate immutauerat, vt velut in ecſtaſi poſiti, & aliarum rerum obliti, tantùm ibi manendi delectatione tenerentur. Nec dubium, quin ipſe tunc fuerit in medio multorum fidelium, in ſuo nomine congregatorum, qui paucis quondàm diſcipulis tantam ſuæ viſionis dulcedinem præbuit, vt primus eorum diceret: Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Nec erat incongruum, vt eorum meritis odoris fragrantia teſtimonium daret, cum quibus Apoſtolus dicit: Chriſti enim bonus odor ſumus Deo. Erant autem in eodem loco aliorum quoque membra ſanctorum, in ſarcophagis honeſtè reconditorum, maximè Epiſcoporum ciuitatis illius. Ex quibus tunc ſimul cùm beati Liborij membra de tumba leuata, in feretro locanda componebantur, prædictus odor nunquàm defuit: quò minùs dubitaretur illi operi miniſterium præbuiſſe, quo cœpto, inchoauit: quo finito, non diutiùs manſit.

Ex reuerētiam priſcorum Chriſtianorum erga ſacras reliquias.

Matth. 17. 2. Cor. 2.

Vide odorē è ſacris reliquijs.

IX. Dvm hæc in templo agerentur, foris quoq; aliud ſignum eâdem contigit hora. Nam mulier quædam ab annis plurimis cæca, in conſpectu populi, qui ſatis frequens pro foribus ſtabat, interuentu ipſius, cuius corpus interiùs ad efferendū parabatur, lumē recepit. Et quoniam eius tam prioris ærumnæ, quā nouæ ſanitatis omnes ferè, qui

Cæca recepit lumen.

aderant, teſtes erant, adeò multitudinis animos res geſta commouit, vt omnes ſimul in laudem Dei, elata in excelſum voce, prorumperent. Quod audientes qui cùm Epiſcopo erant intra clauſas oratorij ianuas, ſtatimque miraculo quolibet populum in tantæ gratulationis clamorem excitatum intelligentes, & ipſi pro viribus diuinæ pietati gratias agere, ac præ gaudio flere cœperunt. Cumque ſuas vtrinque voces, qui intùs & foris erant, recognoſcerent, vno omnes affectu mirabiliter inſpirati, in tantum erupêre planctum, vt vix quiſquam continere lachrymas poſſet. Sed Epiſcopus videns cantum diuinæ laudis fletu exigente intermiſſum, cœpit rurſùm antiphonas & pſalmos ſanctorum gloriæ congruos cum Clero pſallere: atque ità confuſæ multitudinis clamorem compeſcuit. In ipſo verò momento, priuſquàm illud ſacratiſſimum corpus de eccleſia, in qua ſumptum eſt, efferretur, etiam tertio ſigno eius declarata ſunt merita. Denique vir quidam horribiliter longo tempore vexatus à dæmonio, & multis iam fama tantæ miſeriæ factus notiſſimus, quippè qui per multas eccleſias & monaſteria ductus, nuſquàm ſuæ remedium calamitatis accepit: tandèm cum matre propria veniens ad eccleſiam, in qua ſacer ille theſaurus adhuc inter ſacerdotum manus habebatur, confeſtim ità purgatus eſt, vt ne ſignum quidem vltrà talis pertulerit paſſionis. Tum verò antiſtes, nè quam nuncijs memoratis moram faceret, eodem die venerandum illud corpus cum omni reuerentia ſuis & ſacerdotum manibus deportari fecit in vrbem, ad principalem ſuæ ſedis eccleſiam, vt hoc ibi coram populo his, qui accepturi erant, honorificè commendaret. Comitabantur verò, nec vſquam deerant, velut præſentis Dei virtutis, ſanctum ſuum mirificantis, indicia. Nam vbi primùm eccleſiæ, quam diximus, illatum eſt, ingreſſus pariter quidam claudus vtroque pede, & multis in hac debilitate detentus annis, mox vt caput ad orandum inclinauit, recepit integram ſanitatem.

Dæmoniacus ſanatur.

Claudo redit vſus pedum.

Mutus loquitur.

TRANSACTO deindè paruo diei ſpatio, mutus quidam, diurno inutilis linguæ damnatus ſilentio, ſubitò ſibi vocis organa ſentiens reſtaurata, omnipotentis Dei miſericordiam, eiuſque confeſſoris & pontificis Liborij patrocinium plano coram omnibus ſermone laudabat. Sed cùm ità coruſcantibus ſupernæ gratiæ beneficijs celeberrimus ageretur dies, poſtremò maiori quoquè miraculo nouum fidelibus gaudium, noua data eſt materia gratulandi. Licèt enim omnia Deo ſint æquè facilia, magis tamen ſolemus mirari, cùm dantur noua & nunquàm habita, quàm cùm amiſſa reſtaurantur. Hìc eadem rurſus fiunt, quæ naturali ordine priùs facta fuerant: ibi mira Dei virtus tribuit, quod natura negauit. Vir quidam ab ortu natiuitatis intantùm à genibus deorsùm debilitatus, vt tibiæ cum pedibus areſactæ, graciles & contortæ, omnem ambulandi vſum penitùs denegarent, in prædicta eccleſia ante veneranda S. Liborij pignora deportatus eſt: atque ilicò viuaci vigore neruis veniſque infuſo, & diſſolutis ante compagibus ſolidatis, recto greſſu cœpit incedere. Quo cognito, fit ingens admirantis atque gratulantis populi circa eum concurſus. Certatim omnibus videre cupientibus, quod paulò antè nunquam ſe viſuros arbitrabantur. Neque enim velut infirmis aut titubantibus veſtigijs gradiebatur, ſed coram omnibus, qui eum nunquàm antea ſanis terram plantis tetigiſſe nouerant, celeri motu currens & exiliens, Chriſto Domino eiuſque ſancto confeſſori gratias referebat: Agebat hoc nimirùm ipſe per ſucceſſorem Apoſtolorum, qui per ipſos quondàm Apoſtolos eodem modo claudum à natiuitate, ſimili gratia ſanari conceſsit. His ità geſtis, cùm inclinata iam die Dominicæ noctis appropinquaret exordium, præcepit Epiſcopus Clerum omnem ad vigiliarum ſolemnia maturiùs conuenire, vt his ſtatim peractis, primo diluculo præfatis nuncijs optatum munus accipientibus, redeundi ad patriam opportunitas optata daretur. Conuenit autem pariter laicorum grandis numerus, quos oſtenſa priori die miracula ad quærenda ſanctorum pignorum patrocinia ingenti delectatione inuitauerant. Cumque propè finito matutinæ laudis officio, auroræ ortus illuceſceret, lux lucis & fons luminis illuminauit ciuem vrbis eiuſdem, qui cæcus genitus, vſque in diem illum coæuam ſibi eam miſeriam tolerabat. Sed qui in Euangelio legitur per ſemetipſum hominem à pœna ſimili liberaſſe, hunc quoque per electum membrum ſuum à tenebris diuturnæ noctis eripiens, ignotam priùs lucem videre conceſſit. X.

Reformatur greſſus ab vtero ambulare neſcienti.

Actor. 3.

Cœcus à natiuitate videt.
Iohan 9.

EADEM hora eodemque in loco, id eſt, in eccleſia coram Clero diuina carmina concinente, multiſque alijs fidelibus adſpicientibus, arreptus quidam à dæmonio, vexari miſerrimè cœpit. Diù nanque ab eo torqueri antè ſolebat: ſed tum interuentu eiuſdem confeſſoris, expulſo hoſte nequiſſimo, ſoſpitatem mentis recepit, nec deindè vllum in ſe larualis phantaſmatis ſenſit horrorem. Ità illius diei exordio geminata lætitia cælitùs illuſtrato, infinitam populi multitudinem ſexûs vtriuſque atque omnis conditionis & ætatis, tam ex ea regione, quam ex vicinis vrbibus tantorum ſignorum latè circumuolans fama contraxit. Celebratis verò Miſſarum ſolennijs, accelerabat Epiſcopus ſanctum illud corpus his, qui ad patriam ſecùm delaturi erant, commendare, ipſumque cum honore debito ex vrbe deducere, antequam aduenientis turbarum immenſitas, eorum iter impediret. Ornatur itaque clerus omnis ſacerdotalibus & eccleſiaſticis indumentis, eleuatoque feretro ſanctorum pignorum in humeros ſacerdotum, ſonantibus quoque ſignis omnium per vrbem eccleſiarum, ac præeuntibus, qui ſanctæ ac viuificæ Crucis vexilla ſanctorumque Euangeliorum libros & ſacras reliquias in aureis argenteiſque reconditorijs cum aromatibus præferebant, deducitur cum ingenti cunctorum veneratione, cum pſalmis, hymnis & antiphonis in oratorium S. Vincentij, ſitum iuxta portam vrbis, per quam egreſſuri erant. Proſequebatur autem maxima multitudo plebis: ſed non minor ibidèm obuiauit, quæ ſignorum rumore audito, vndiquè confluebat. XI.

Dæmon ab obſeſſo pellitur.

Campanæ omnes pulſantur iam olim.
S Crucis vexilla.

TVM verò non leuis oritur contra præſulem populi querimonia, clamantibus plurimis, magni ſe patrocinij tuitione priuari, ablato à ſe corpore tanti confeſſoris, cuius interceſſione ſolerent ab omni aduerſitate muniri. Hoc ſuæ regionis vnicum poſt Deum fuiſſe tutamen, hunc honorem maximum, hanc gloriam ſingularem. Timere ſe meritò poſſe, nè translatis eius venerandis artubus pariter nominis eius in breui veneratio memoriaque neglecta, indignos eos ipſius interuentu apud Dominum faceret. Arbitrari ſe, paſtoris potiùs officio conuenire, ſanctorum pignora ad munimentum gregis ſibi commiſſi vndecunque adquirere, quam eorum, quæ haberent, precioſiſſima quæque in alias mittere nationes. Commotus aliquantùm his vocibus antiſtes, & maximè lamentantis turbæ acclamatione, tandèm facto ſilentio, populum in eadem eccleſia S. Vincentij ità breuiter allocutus eſt: Non eſt, inquiens, æquum, fratres, quenquam veſtrùm putare, me intantùm aut commiſſi mihi ſolicitudinis, aut veſtræ ſimul meæq; ſalutis oblitum, vt hæc noſtri perpetualis patroni pignora ſine certa ratione ex hoc loco trāſferri permitterē. Si enim, cùm apud nos ſanctorum corpora Deo miſerante ſatis abundent, illi populo, qui nupèr ad fidē vocatus, & eorum aut parùm, aut nihil penitùs habens, à nobis huius ſuæ neceſſitatis ſolatium humiliter poſtulat, omninò aſſenſum præbere dedignamur, fatendum eſt, nos Euangelici Apoſtolicique præcepti contemptores, contra ius charitatis fraternæ, claudere à fratribus viſcera noſtra. Abſit verò hic error procùl à cordibus veſtris, vt putetis electos Dei iam cum ipſo regnantes, ibi tantùm, vbi corporaliter eorum habentur reliquiæ, interceſſionis ſuæ præſtare beneficium poſſe. Quin potiùs credendum, eius patrocinium in hac eccleſia, quam in carne poſitus fideliter rexit, & in qua finem vitæ mortalis accepit, omnibus piè quærentibus in perpetuum non defuturum. In illo enim populo, nouiter ad Deum conuerſo, nouos ſibi ſeruitores & veneratores acquiret, ad quos corporali præſentia ſuorum pignorum accedet: ſed à vobis ſpiritalis eius protectio nunquàm recedet. Sciendum quoque, quòd ſereniſſimus Imperator id ipſum fieri præcepit. Cuius quicunque poteſtati reſiſtit, Dei nimirum ordinationi reſiſtit. Prætereà luce cla- XII.

Vide antiqui populi deuotionē ergà Sanctos.

Exhortatiō Epiſcopi ad populum.

Rom 13.

ce clariùs oſtenſum eſt, Dei pariter & huius ipſius ſancti patroni noſtri Liborij placere voluntati, vt ad illam, in qua cum ſummo cunctorum deſiderio expectatur, regionem adueniat. Quod ſi non ità eſſet, ab inchoato heri iſtius tranſlationis exordio, vſque ad hanc horam tanta nequaquam miracula coruſcarent. Cum enim placatus potiùs, quàm iratus, Deus dona cæleſtia largiatur, quiſnam exiſtimare poteſt, quòd ſi hoc opere offenderetur, tantis illud ſignorum beneficijs illuſtraſſet? Quocircà fratres ab hac intentione deſiſtite, nè diuinæ diſpoſitioni comprobemini palàm reſiſtere voluiſſe.

XIII. CVM his & multis alijs admonitionibus, & maximè Dei nutu ſedata plebis commotio quieuiſſet, præcepit pontifex eos, qui per totum biduum, à varijs debilitatibus, ſeu ab immundis ſpiritib. liberati fuerant, in vnum congregatos, ad conſpectum multitudinis nouiter aduenientis adduci: vt eorum omnem & priſtinæ calamitatis, & nouæ reparationis hiſtoriam pandens, diuinam clementiam faceret ab omnibus vnanimiter collaudari. Vbi primùm verò populus coadunatum illud recèns ſanatorum agmen adſpexit, & quos nudiuſtertiùs diuerſis paſſionibus affectos, iam tunc ſaniſſimos eſſe cognouit, ſubitò ex omni parte infinitæ multitudinis vox magnæ gratulationis exoritur. Nec datur vllus Epiſcopum loquentem audiendi locus: ſed nemine tacente, nemine alium expectante, pro ſe quiſque, qua poterat, Deum voce laudabat. Cumque etiam clerus, Epiſcopo incipiente hymnum, Te Deum laudamus, & quædam alia tantæ lætitiæ conuenientia decantaret, immenſæ illius iubilationis ſonus, inexplebili ſupernæ laudis delectatione, in longum diei ſpatium protelatus eſt. Quo tandèm finito, aduocatis Baduradi ſæpè memoratis Epiſcopi Miſſis, beatæ memoriæ Aldricus antiſtes precioſiſſima illa, quæ ſuprà diximus, pignora coràm omni Clero & populo commendauit ſub obteſtatione grauiſſima, vt cum digno ſemper honore tractarentur, nec eis vnquam omnis reuerentia cultùs eccleſiaſtici à quolibet Epiſcopo Paderbornenſi & Clero ſuo quolibet tempore ſubtraheretur. Dehinc inter vtriuſque Eccleſiæ, Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornenſis congregationis firmata charitate perpetuæ fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. Quos tamen vna cum multitudine extra ciuitatem aliquandiù proſecutus, cum paucis ſuorum redijt: quoniam à iam glorioſo comitatu vix quiſquam niſi inuitus ſeparabatur.

Immenſæ Deo laudes & grates ob morbidos curatos redduntur à populo.

Paderbornenſibus datur corpus S. Liborij.

XIV. ET illi quidem, annuente perſpicua Dei clementia, voti ſui ſe compotes effectos ſummoperè gratulantes, kalendis Maij ab vrbe Cenomanica profecti, cum omni ſtudio ad patriam feſtinare contendunt. Cuius itineris gloriam ac lætitiam quis dignè valeat enarrare? opportunum tamen credimus, viam omnem celeri ſtylo percurrere, annotatis tantùm locis, in quibus præcipua ſunt, eademq; certiſſima geſta miracula. Nam omnia, quæ ſacrum illud iter cœleſti quodam lumine illuſtrarunt ne illorum quidem aliquis, qui præſentes fuerunt, dicere aut memoria potuit retinere. Illis itaq; proficiſcentibus, prædicta die iuxta locum, vulgò Pontleuua nominatum, ſecutus eò quidam ex familia, pertinente ad ſeruitium eccleſiæ ipſius S. Liborij, quem & ſenſum audiendi, & ſermonis vſum nunquàm habuiſſe magna pars populi nouerat, dominum ſuum vt ſui miſereretur, quia voce non poterat, gemitu & lachrymis precabatur. Cumq; crebrò caput inclinatum, expanſæq; manus, leuati modò ad cœlum, modò ad tactum feretrum oculi, ſatis internum eius affectum indicarent, nec iam præ laſſitudine ſequi longiùs poſſet, tandèm à pœna ſecùm genita relaxatus, eo primùm die cœpit & audiri loquens, & loquentes audire.

Surdi & muti ſanatio.

XV. INDE cœpto itinere properantes, cùm ad eccleſiam quandam, S. Medardi memoria celebrem, propinquarent, ibi in via quædam mulier à longa infirmitate curata eſt, quam per omne tempus vitæ ſuæ priùs toleraſſe ferebatur. De qua id quamuis incredibile, multorum tamen relatione aſſerebatur, quòd nullum alimenti genus vnquã guſtare potuerit: ſed cochlearũ more, ſuo victitans ſucco, noxio tantùm aleretur humore. Quod nequaquam aſſirmantes, id tantum dicimus, quod verum nouimus, eam ad ſancti Liborij patrocinium & veniſſe languidam, & rediſſe incolumem. Hinc ad baſilicam S.* Symphorij aduenientes ibidèm ſunt recepti hoſpitio, vbi noctem illam ſplẽdor pietatis diuinæ clarè fecit illuceſcere. Nam fœmina quædam, diù malignorum ſpirituum ſe vexantium, miſerabile receptaculum facta, ad ſæpè memorati confeſſoris implorandum pro ea ſuffragium, in eccleſiam adducta eſt. Finitis verò matutinis ex more vigilijs, cùm facto iam ſilentio plebs egreſſura eſſet, cœpit ſubitò horrorem diræ vocis emittere, vlulare, mugire, ſibilare, ac per omnia belluinos imitari ſonos: vt niſi præſens videretur, nihil minùs quàm mulier putaretur. Terrore cuncti, qui aderant, ſimul & miſeratione permoti, tenentes eam, & ad ſanctorum feretrum propiùs inuitã trahi fecerunt. Deinde vnanimes pro illa preces fundentes, citò exaudiri meruerunt. Deniq; ſtatim à dæmonum violentia liberata, ſobria mente ac voce gratias & laudes Deo referens, euntes eos indè diù cum populo ſequebatur.

Itèm morbidæ mulieris

** Symphoriani puto legendum.*

Liberatur dæmoniaca.

XVI. EXINDE feſtinato curſu monaſterio S. Sulpitij appropinquantes, vident eminùs adduci medicũ quendam in vehiculo, qui miſerabiliter toto penè cõtractus corpore fuit. Nam & pollices vtriuſque manûs erant in medio palmæ incuruati, & reliqui digiti ſupra ipſos pollices extenſi, ità eos ſtringebant, vt vngues radicibus palmarũ hærerẽt infixi. Reliquum corpus adeò velut in ſphæram rotundarũ videres, vt genua pectori, ſummitates pedũ renibus iungerentur. Sed quanto eius fuerat miſerabilior pœna, tanto ſecuta eſt mirabilior medicina. Interuenientibus namq; beati Liborij meritis, cuius opẽ integra fide implorabat, erectis in momento ac ſanatis omnibus ſimul mẽbris, proſilijt de paruo illo, quo vehebatur, curriculo, & celeriter ad loculũ ſacri corporis currens, ibidẽ ſe in terrã proſtrauit, cum ingenti affectu corde ſimul & ore gratias agens. Mirari populus, Deumq; ſublatis in cæIũ vocibus collaudare, quòd non videretur circa viuentẽ hominem amplioris virtutis opus ſub cœlo fieri potuiſſe. Pergentes verò ad eccleſiam quandam, in honore S. Petri Apoſtoli dedicatã, ſubitò dæmoniacũ, qui eos aliquandiù ſequebatur, cõſpiciunt in via media cecidiſſe. Ad quem erigendum cùm aliqui ex plebe cucurriſſent, iacuit omninò ſine motu aliquo, vt ab omnibus eſſe mortuus non dubitaretur. Poſt paululũ tamen erectus ad ſedendum, cœpit ſenſim quaſi reuiuiſcere: & ſequẽti die corã populo laudes Saluatori ſuo rependens, ſanus apparuit, acſi nunquã à maligno ſpiritu fuerit vexatus.

Miſerabiliter contractus ſanatur mirabiliter.

Dæmoniacus penè mortuus curatur.

XVII. PROINDE cùm tantis diuinorum beneficiorum donis, velut cæleſtibus radijs micantẽ viam læti carperent, quæ plus quotidiè gaudij, quàm fatigationis offerret: contigit, vt ad ciuitatem Carnotenſem, ſatis amplam & populoſam, deuenirent. Cuius vrbis Epiſcopus, Bernuinus nomine, iam tunc ætate ſimul & moribus valdè maturus, collectis ex more presbyteris, eo tempore ſynodum in vrbe celebrabat. Cui cùm nunciatum eſſet, qualiter & quo ordine aſſumptum Cenomanis corpus præfati confeſſoris, ſuæ iam vrbi appropinquaret, ſtatim cum omni illo ſacro ſacerdotum collegio, totoq; Clero ſuo & populo proceſſit in eius occurſum, atque eum hymnis & cãticis ſpiritalibus illud deuotiſſimè extra vrbem longè progreſſus excepit, iuſſitque vt deferretur per viam, quæ ducit extra muros ciuitatis ad oratorium, in quo ſancti Carauni membra requieſcunt. Cumque catervatim ſequenti grandi multitudine ad memoratum locum honorificè duceretur, ſonantibus ſignis per totam vrbem, & populo excelſa ad Deum voce proclamante vt tantam ſibi gratam eſſe deuotionem Dominus declararet, multa ibidèm per beatum Liborium fieri ſigna conceſſit. Ex quibus vnum præcipuum hoc loco memorare decreuimus, reliqua, vitandæ prolixitatis cauſa, intermittentes. Puella, quæ ab exordio miſerandæ natiuitatis, membris ferè omnibus curua, & velut in globum contorta, nunquàm vel mentum à genibus leuare, vel plantas pedum à femoribus remouere valebat, ante loculum ſanctorum cinerum deportata, ſingulorum officia membrorum cum integerrima ſanitate ſuſcepit. Sed

Bernuinus Epiſc. Carnoten.

Et hîc nota priſcam deuotionem.

Mirè contracta reſtituitur.

qui à diſcipulis præfati Columbani tunc temporis incolebatur, aliquantiſpèr inibi commoratus eſt. Cum autem vidiſſet cũcta loci eius habitacula, apertiſſimè intellexit, anteà ſibi à Dño diuinitus hęc fuiſſe mõſtrata. Cognouerũtq; habitatores loci probatiſſimum Chriſti eſſe militem, & eius fructuoſa deuotio atq; nobiliſſimæ ſtirpis origo, cũctis eſt ſubitò patefacta: multaq; præſagia futurorum ei Dominus ibidem monſtrare dignatus eſt, poſteris intimanda.

X. Morante autem eo illo in loco, incidit ei ſancta quædam cogitatio; vt ad limina Apoſtolorum Romam proficiſci deberet: Chriſtoque duce, quod piè tractauit, deuotè compleuit. Deniquè cœpto itinere ſancta luſtrando loca, ad eandem conuolauit celeberrimam vrbem, votaque ſua omnipotenti Deo eiuſque beatiſſimis Apoſtolis deuotè obtulit, dicens cum Pſalmiſta: In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi. Sicque in viſu admonitus, vt Galliarum repeteret rura, iter conuertit ad Alpes. Remotior enim volebat conuerſari, & peregrinam pro Chriſto ducere vitam non mediocriter appetebat, ſi Dominus votis eius annueret. Diſpoſuerat nanque in Hyberniam inſulam nauigare, ſed diuina pietatis hoc magnificum munus, ob multorum inſtructionem, Galliarum populis reſeruauit. Cum autem non modico ſudore, tamen delectabili, Alpibus tranſcenſis, arua iam tereret Gallica, cauſa hoſpitij monaſterium petijt, cuius eſt vocabulum Romanis; ſitum vltra ſaltum Iurenſem. Pater ergò loci venerabiliter & monaſticè eum ſuſcepit, ac debitum præbuit obſequium, vt eius vitæ præſcribit laudabilis Canon. Cognouitque vir Domini religionem monaſticam inibi pollere, deditque operam, vt monachorum iungeretur ſodalitati. Amplexus autem obedientiam, per decem fermè annorum curricula ſub inſtitutione regulari, felici deuotione Domino militauit. Ibi ſolis ieiuniis & orationibus, multorum excedens metas hominum, vacare cœpit, & iugum Chriſti, quod ferentibus leue eſt, in ſe recipere, ſemetipſum ſibi abnegando, ac crucem ſuam tollendo, Chriſtum totis viribus ſequi conabatur: in virtutum videlicet culmina per humilitatem aſcendens, manſuetudinem ſectans, modeſtiam, atque ſobrietatem & lenitatem æquè in omnibus ſeruabat. Execrabatur denique vir Dei præcipuus religionis amator, diſcordiæ vitium, arrogantiæ ac elationis ſupercilium. Erat ipſe cunctis humilior, charitatis officijs præueniens cunctos: tardus ad loquendum, & velox ad audiendum: cuſtos ſcilicet oris ſui, hilaris vultu, maturus moribus. Obedientiæ quoquè ac ſubiectioni ità promptum ſe exhibebat, vt iuſſionem patris, quaſi diuinitus imperatam, cum omni ſynceritate quamprimum exequeretur. Meditatio eius ſemper in viribus defixa erat: & vbicunque eſſet, mandata Dei ſcrutabatur accuratè, & inſtanter perficiebat. Tale nimirum erat beati viri ſtudium, taliſque in eo florebat religio. mortificabat enim membra ſua, quæ ſunt ſuper terram. Nudus nudam amplectebatur Crucem, atque mortuus iam mundo, aduena terris, viuebat Deo. Cuius exemplis ſalubribus plurimi negligentes ac tepidi prouocati, arduum illius arripuerunt iter, atque ad opus ſublimium virtutum, ipſo ſancto opitulante, æternæ vitæ ſoliciti, conſurgunt.

Româ proficiſcitur.
Pſal. 55.
Decem annis hæret in monaſterio quodã, viuens ſanctiſsimè.
Coloſ. 3.

XI. Eo ergò in loco viro Dei commoranti cæleſtis adeſt viſitatio. Nam cum quadam nocte attentiſſimè precibus inſiſteret, diuinis auribus offerendis, in cellula ſibi conſtituta, taliquè negocio apta, incomparabilis ſuauitatis odore ſimul & claritate locus ille cælitus repletur, voxque ad eum huiuſmodi perlata eſt: Serue Chriſti, in timore Domini deuotiſſime, pax tibi ſemper multiplicetur. Certa bonum certamen, & his ſemper inſiſte operibus, quæ per me gerulum quotidie offeruntur Domino. Quia non ocio torpentibus, ſed in fide currentibus & peruigili inſtantia attentiſſime Chriſto militantibus, vitæ ianua patet æternæ, iam tibi à Domino reſeratæ, vt cum iuſtorum collegijs, gaudijs fruaris æternùm duraturis. Nepos quoque tuus Godo, pro quo creberrimis precibus aures Domini ſolicitas, veſtigia imitabitur tua, cunctiſque huius mundi vanitatibus derelictis, vt ſtrenuus miles ad caſtra Chriſti deuotiſſime conuolabit. His auditis, vir Domini humi proſtratus, arctiſſime orationi incubuit, non ſe in corde ſuo extollendo, quòd cæleſti viſione viſitari meruiſſet: ſed humilians ſe fragilem ac peccatorem fatebatur, & quod dignus non eſſet, peccatorum næuis fœdatus, vt cæleſti oraculo magnificaretur. Hæc de viro Dei reuelatio oſtenſa fuerat cuidam ſeruo Dei, in ipſo loco degenti, qui & nobis narrare ſolitus erat. O quantis præconijs efferenda eſt tam excellens virtus, quantiſque laudibus celebrandus eſt homo ille, qui ſic à Chriſto meruit mirificari. O felix mortificatio ſeruorum Dei: quæ dum ſponte agitur in membris corporis, conciues efficit angelorum. O amplectenda modis omnibus arcta & anguſta via, per quam vir Domini Vuandregiſilus ingreſſus, cæleſtis aulæ habitator effectus eſt.

Viſio ei cæleſtis exhibetur.
Orat & exauditur pro Godone nepote ſuo.
Nota hanc Authoris ætatem & fidem.

XII. His porro diebus glorioſus confeſſor Domini Audoenus, anno tertio Clodouei Regis, filij Dagoberti, ſedem vrbis Rothomagenſis adeptus, verbum ſalutiferæ prædicationis ſuis ciuibus adminiſtrans, fidei catholicæ fautor pariterque præceptor, barbaricas atque indomabiles eorum mentes nectare Euangelicæ doctrinæ debriabat, atque docilem ſubiectamque, ad credendum quondam aſperam, gentem docebat, ſeduliſque exhortationibus Dominum Ieſum Chriſtum eſſe colendum, innumeris aſſertionibus demonſtrabat. Cuius cognita ab omnibus vita, atque laudabili deuotione comperta, admonitus etiam in viſu, vt occidentalia Galliæ reuiſeret loca, de ſupradicto, Romanis, monaſterio cum licentia patris egreſſus, iter carpere cœpit, quod ad Belgicam deducit Galliam. perueniteque ad celebrem vrbem Rothomagenſem, ſumma reuerentia à venerabili antiſtite Audoeno exceptus. Qui memor prioris coniunctionis & ſocietatis, nobiliſſimæque eius originis, ſed & piæ ac Deo dignæ religionis, aliquandiu eum ſecum in vrbe tenuit, & ſecundi ordinis honore amplauit, Subdiaconum eum creans valde reluctantem, ſicut & proceſſu temporis Leuitici miniſterij onus ei impoſuit. Quo feliciter adminiſtrato, non multò poſt ad ſacerdotiũ, licet renuens, iuſſu eiuſdem beatiſſimi præſulis Audoeni, à venerabili Autmaro pontifice vrbis Taruannæ conſecratus eſt. Deinde poſt acceptum ſacræ benedictionis munus, ſtudioſe explebat miniſterium ſibi impoſitum, humilitatis tramitem in omnibus tenens. Erat nanque non minimum idoneus & aptus huic ſacroſancto miniſterio. Quamobrem præfatus glorioſus præſul in vrbe ſecum perpetim retinendum cenſuit, quia mellito eius delectabatur alloquio, quo eum crebrò recreabat & grauitate fouebat. At verò ipſe egregius Dei cultor diſtrictiorem deſiderans ducere vitam, et eremi ſecreta plurimum ambiens, mundanos toto niſu fugiebat ſemper honores, vt apud Chriſtum poſſet mereri cæleſtes. Itaque omni conatu tanto negocio opportunum inquirebat locum: aut ſi id forte vetante mundi turbine, votis eius non obtingeret, ſaltem vt ſub Chriſti iugo & onere eius placido, regularem vitam promptiſſimus ſequeretur, vt per eum, Chriſto duce, multorum promoueretur ſalus.

Audoenus Epiſcopus Rothomagenſis.
Eum inuiſit S. Vuandregiſilus.
Fit Subdiaconus, poſt Diaconus, inde ſacerdos.
Iſtius Autmari vita habetur 9. ſeptembr.

XIII. Cvm autem talia volueret animo, contigit, vt largiente Erchinoaldo præfecto, immodicam ſoli partem acciperet, quo Fontanellæ cœnobium, vnà cum venerando nepote ſuo Godone, vt rudis habitator conſtrueret. Quem veterum traditio, ob riuum in eo loco fluentem, hoc nomine vocitabat. Monſtrabantur namque in eodem loco veſtigia, immò ruinæ ædificiorum, priſcorum accolarum induſtria olim extructorum, ſed exterorum hoſtium feritate belluina ſolo funditus æquatorum. Et in ipſo quidem loco magis luſtra ferarum, quàm hominum habitatio, tunc temporis videbantur. Hunc ergò locum vir Domini Vuandregiſilus, atque ipſius nepos venerabilis Godo, à prædicto patricio ſibi donatum, ſtuduerunt cum nonnullis ipſis fauentibus, repurgare, ſuperuacanea quæque euellendo. Deinde vero etiam iacere fundamenta, vt iuxta prophetiam Eſaiæ, in cubilibus, in quibus habitabant dracones, oriretur viror calami ac iunci: videlicet fructus bonorum operum ibi naſcerentur, vbi prius beſtiæ commorari & habitare conſueuerant. Cœptum eſt autem hoc opus ab anno Dominicæ incarnationis ſexceteſimo quadrageſimoquin-

Conſtruit Fontanellenſe monaſterium.
Eſa. 35.

ſimoquinto, ſub die Calend. Martiarum, Indictione tertia, qui erat annus Clodouei Regis vndecimus, obtinente ſedem Romanæ Eccleſiæ beatiſſimo Papa Martino. Tam vero ſolerti ſtudio, tantaque induſtria perfectum eſt, vt penè illo in tempore venerabilibus cœnobijs æquaretur. Eſt autem hoc cœnobium ſitum in territorio Rothomagenſi, diſtans à memorata vrbe millibus fermè decem & octo: porro à fluuio magno Sequana, ſpatio paſſuum circiter octingentorum.

XIV. SED quia mentionem fecimus Etchinoaldi præfecti, libet de eo aliquid dignum ſcribere. Is enim poſt tranſitum bonæ recordationis Dagoberti Regis, præfecturæ ordinem ac curam maximam regni Francorum, etiam cum filio eius Clodoueo & * Baltilde Regina, nobiliter adminiſtrauit. Erat namque inſignis bonitate ac eleemoſynis largiſſimus, atque ex materna origine beati viri conſanguineus. Poſtquàm autem exceſſit è vita Clodoueus Rex, remanſit Baltildis Regina cum tribus filijs, Clotario, Childerico ac Theodorico. Equibus Clotarius, qui maior natu erat, faſtigium adeptus eſt regni, rexitque populum Occidentalium Francorum annis * quatuordecim: & quod pater eius inchoauerat, prædictum locum pijs largitionibus ac priuilegijs ſuæ authoritatis deuotè ſtuduit augmentare. Terminos etiam ipſius loci, prout voluntas venerandi patris Vuandregiſili erat, deuotiſſimè auxit. Ibique reſidens vir Domini, cœnobium, multorum fretus ſolatio, conſtruere cœpit. Ad cuius famam plebs vndique concurrere, & cultui religionis dicare curabant prædia plurima, ità vt multis confluentibus, monachorum numerus ad trecentos excreſceret. Accurrebant vndique nobilium liberi, & ſpretis ſæculi oblectamentis, & præſentium pompa facultatum contempta, æterna cupiebant cum tanto patre præmia adipiſci. Aedificauit autem in ipſo loco vir Domini baſilicas egregio cultu, numero quatuor, in honorem videlicet principis Apoſtolorum Petri, ſimulque doctoris gentium Pauli, ſanctique Laurentij ac Pancratij martyrum Chriſti: & cum huic operi inſiſteret, miſit antedictum nepotem ſuum in vrbem Romam, propter pignora beatorum Apoſtolorum ac martyrum Chriſti: vt ædificatis baſilicis, in promptu haberet reliquias ſanctorum, quorum nomini & reuerentiæ dicare diſpoſuerat. Qui votis pij patris libentiſſimè parens, Romam abijt, Vitalino Papa eodem tempore gubernante ſedem eiuſdem Eccleſiæ: atque ab eo ſuſcepta plurima Apoſtolorum & martyrum Chriſti pignora, vnà cum benedictione Apoſtolica rediens, ſecum detulit, codicumque ſacrorum copiam non minimam: proſperoque curſu itinere acto, ouans reuertitur ad virum Dei: cunctaque, quæ attulerat, idem vir Domini, venerabiliter ſuſcepit. Accerſito etiam ſanctæ recordationis Audoëno præſule, præfatas, quas ædificauerat, eccleſias vt conſecraret, ſimulque pignora, quæ Godo cum eius authoritate Romæ impetrauerat, Chriſti imponeret aris, ſupplex exorat. Quod ita à prædicto præſule confeſtim conſtat fuiſſe impletum. Locus autem ipſius cœnobij tam fertilis, tamque iucundus extitit, vt cum quis illuc aduenerat, inter pomorum nemora & hortorum amœnitates virentium, in hæc protinus liberet ei prorumpere verba: Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, vt valles nemoroſæ, vt paradiſi iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri propter aquas.

Etchinoaldus præfectus inſignis

* Blitilde.

* alij quatuor tantũ habent.

Trecenti monachi Fontanellenſ.

Multas ab vrbe accepit ſanctorũ reliquias Item ſacros codices.

Reliquiæ aris impoſitæ

Num. 24.

XV. ADIVTOR prætereà huius operis & cooperator inſignis, Vuaningus vir illuſtris extitit, qui viro Dei plurima prædia felici munere ad vſum ſeruorum Chriſti deuotè contulit, filiumque ſuum, Deſideratum nomine, ſub regimine prædicti patris in eodem loco monaſticæ diſciplinæ & Chriſti militiæ tradidit vacaturum. Erat is Vuaningus ditiſſimus, & multimoda cœnobiorum habitacula in poſſeſſionibus proprijs conſtruxit. Ex quibus vnum eſt, quod vocatur Fiſcamnum. Quo in loco dum moraretur, exceſſum mentis ſubitò paſſus eſt, oſtenſæque ſunt ei pœnæ damnatorum, & felicitates iuſtorum, audiuitque diuinitus, viginti annorum ſpatio ipſum victurum, idque impetraſſe à Domino ſanctam Chriſti martyrem Eulaliam, cui precibus ſe ſedulis commendare ſolitus erat. Sed & ipſa Chriſti martyr ei apparens, commonuit vt in prædicto prædio, quo morabatur, monaſterium conſtrueret, & de ſua ſtirpe nulli regendum committeret. Qua reuerſa ad ſuperos, virum Dei Vuandregiſilum accerſiuit, & ordinem ei viſionis expoſuit: ſimulque à febre, qua premebatur, eius precibus curatus, optatam recepit ſoſpitatem, prædictumque cœnobium, vt monitus erat, ilicò conſtruere cœpit.

Vuaningus vir illuſtris multa condit monaſteria.

XVI. ERAT tunc temporis apud Burdegalim vrbem virgo Chriſti Hildemarcha, cuiuſdam monaſterij ſanctimonialium ſanctiſſima gubernatrix: ad quam quidam vir Dei, monachus ac diaconus, nomine Sindardus, cum propter vtilitatem ſeruorum Dei in illas partes mitteretur, cauſa hoſpitij declinare ſolitus erat. Cui illa intimauit, in viſu ſe eſſe commonitam, vt tellurem adiret Rothomagenſem, virumque Dei Vuandregiſilum inuiſeret, atque ſub illius regimine diuinis pareret edictis. Quæ, ſicut in eius ſcribitur geſtis, ad Chriſti famulum perueniens, ab illo ad illuſtriſſimum virum Vuaningum perducta eſt. Is verò prædictum cœnobium Fiſcamnum per teſtamenta tradens beato Vuandregiſilo, eius ſuaſu eidem religioſiſſimæ virgini tradidit gubernandum. Cuius vitam ac laudabilem conuerſationem libellus, qui de eius ſcribitur actibus, liquidò narrat. Quod idcircò ſcribendum putaui, vt poſteris intimaretur, ſub iure & regimine prædicti patris idem cœnobium nuperrimè fuiſſe. Porrò Sindardus Chriſti famulus, pignora Sancti Saturnini Toloſæ vrbis Epiſcopi & martyris, viro Dei detulit, ſed & ſancti confeſſoris Amantij Redonenſis præſulis: in quorum honore duas condidit baſilicas, quarum vna, quæ in veneratione martyris extat, eſt ſita in vertice ardui montis, vinearum quondam fertilis. Altera verò, quæ in nomine confeſſoris eſt condita, diſtat ab ipſo principali cœnobio paſſus ſexcentos. Monſtrabantur inteſtini iſtius baſilicę grabati & ſedes, vbi beatus pontifex Audoënus & ſanctus confeſſor Philibertus, dum virum Dei inuiſerent, requieſcere ac conſedere ſoliti erant. Quorum oratio non alia erat, quàm de regno Chriſti, de paradiſi delicijs, & de gehennæ ſupplicijs: de iuſtitia quoquè, fide & charitate, & patriæ ſalute: ſimulque de illecebris reſpuendis, & pace omnibus prædicanda. In quibus cellulis prædictus vir Domini monachos conſtituit, qui diuinis inſiſterent ſeruitijs: quia vnius cœnobij ſepta tantam conuerſorum turbam non facilè potuiſſent continere.

Hildemarcha ſanctiſſima abbatiſſa.

Ecce quomodo olim Baſilicæ in honorem ſanctorum conſtruebantur & conſecrabantur.

XVII. PATRATVM poſt hoc miraculum per virum Dei, referre dignum duxi ad gloriam eius, qui gratiam ſubminiſtrat, & honorem illius, qui efficit miracula. Anno quarto regiminis viri Dei, qui erat Clodouei Regis decimusquintus, cum ipſe vnà cum fratrum cœtu operi manuum vacaret in valle antè dicta ad plagam orientalem, vbi fons oritur amnis Fontanellæ, Betto quidam, cuſtos regij ſaltus, quem fratres à loco, in quo ipſi operabantur, migrare compulerant, vitam ſolitariam ducere cupientes, liuoris peſte corruptus, ſimulq; dæmone plenus, viro Dei occurrit, lanceaq; eum traijcere voluit: ſed maleuolam animam vltio diuina citò anteuertit. Nam dextera, quam aduerſus vi-

Betto dum vult virum Dei confo-

rum

dere, diuinitus punitur.

rum Dei leuauerat, torpente, ante pedes eius humi defixa ſterit: ipſe vero à dæmone arreptus, ante viri Dei veſtigia ruit. Quem cernens famulus Chriſti debita vltione percuſſum, die illo & nocte ſequente apud ſe retinuit. Die autem illuceſcente, eum ad ſe accerſiuit, Deoque fauente, ſuis orationibus illum curans, ſanum ad propria remiſit. In eodem vero loco baſilica à viro Dei in honorem ſanctiſſimæ matris Chriſti condita eſt; vbi interuentu eius plurima quotidiè, Deo iubente, fiunt miracula.

XIIX.

Matth. 14. ** Baltildē.* *Regina per viſum admonita, annonam mittit viro Dei.*

In prædicto nanque cœnobio viro Dei cum ſuis commoranti, cum nulla alimentorum ſolatia adeſſent, Baltfridus Cellarius id ei indicauit. Cui ille: Poteſt, inquit, conditor rerum ſuis in deſerto famulis parare menſam, qui multiplicatione quinq; panum ſatiauit hominum quinque millia. Euenit, quemadmodum dixerat vir Dei. Monuit nanque Dominus per viſum * Blitildem Reginam, vt famulo ſuo intrà eremi vaſtitatem conſiſtenti neceſſaria miniſtraret. Quæ expergefacta, onuſta vehicula ſeruo Dei dirigit. At ille gratias bonorum omnium largitori agit, qui ſolita benignitate ſeruis ſuis ſemper conſolator adeſſet. Percepta verò benedictione, illi, qui alimenta attulerant, ſuo itinere reuerſi ſunt. Porrò anno decimoquinto regiminis ſui, vir Dei Clotarium tertium Regem acceſſit, & priuilegium regiæ confirmationis ſuper area dicti cœnobij liberaliſſima datione accepit: Celebrata ea fuit in territorio Caſtrienſi in loco illo, quem Palatiolum vocant.

XIX.

Erinbertus liberatur febre.

Porro vir beatus iam in vltima poſitus ætate, quando iter agere conſtituit, non poterat equo vehi, ſed vehiculo ferebatur, quod aut muli, aut equi traherent. In prædicto autem territorio illo degente, quidam vir illuſtris nomine Hartbamus, filius illuſtris Erinberti, ad conuerſionem veniens, tribuit eidem glorioſo patri prædium quoddã nomine Butionem, In quo eccleſiam ædificauit, habitacula ſeruorum Dei inſtituit, & famulaturos diuinæ clementiæ monachos inibi collocauit. Seruus autem Chriſti Hartbamus in magnæ religionis obſeruantia vitam, authore Chriſto, finiuit, permultaq; prædia eidem venerabili patri deuotè largitus eſt. Eius pater Erinbertus, cum magnis febrium angoribus teneretur, precibus ſanctiſſimi viri ſoſpitati priſtinæ redditus eſt, atque per id tempus prædium Virtlaicum, ſitum in pago Cellan ſuper amne Euta, eidem patri deuotè donauit, in ipſa largitione damnationem æternam imprecans ijs, qui id prædium inuadere auſi eſſent. Gaudebat enim ille vir benigniſſimus, quòd bona ſua poſſet largiri Chriſto, faciens eum terreſtrium rerum ſuarum compotem, vt ille eum faceret bonorum cæleſtiũ cohæredem: ſciens quod patrimonium Deo creditum, nec reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit, nec aliqua calumnia forenſis euertit: pariter intelligens ſcriptum eſſe, eam hæreditatem benè recondi, quæ Deo cuſtode ſeruetur.

XX.

S. Vuandregiſilus factis explebat quod ore docebat. *Magnum robur in ætate decrepita.* *1. Cor. 9.* *Conuertit multos populos.* *Qualis olim reuerentia erga ſacerdotes & monachos.*

Sed his omiſſis, quæ ſua multitudine dicendi facultatem vincunt, ad viri Dei virtutum pertexenda opera reuertamur. Ex largitione illuſtris viri Vattratonis ad amnem Vuitlanam, in honorem principis Apoſtolorum oratorium conſtruxit, quod Monaſteriolum appellauit, vbi monachorum Deo militantium conuentum collegit. Redundabat in diſcipulos fructus doctrinæ eius, quandoquidem quod ſermone docebat, factis explebat. Nullus apud eum vel mœrore tenebatur, vel immodica lætitia efferebatur. Erat gratus omnibus, ſingularis feruoris, ſpecialis alacritatis, eximiæ charitatis erga pauperes & peregrinos. Nouerat & ſuperbis reſiſtere, & humilibus ſubditus eſſe: parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Sapientibus digna exhibere, ſimplicibus myſtica reſerare. Fortis erat in aduerſis, ſobrius in proſperis, tentatus in omnibus, diſcretus in cunctis. Erat hoc illi ſtudium & labor indefeſſus, vt recto itinere ſubditi ipſius ingrederentur: ex profectu enim filiorum, laus & merces cumulatur parentis. Nonageſimum ætatis annum iam ſupergreſſus, ità fuit virilis, vt in labore manuum iuuenes antecedere videretur. O virum prærogatiua meritorum digniſſimum, qui per contemplationis ſtudium ſterilis effectus, pro educatione tamen atque exemplo filiorum, multimodæ ſe ſeruituti placidè ſubdebat, imitans Apoſtolum, qui ait: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Sicque per occidentem eius laudatiſſima peruolabat fama, vt putares Apoſtolorum adeſſe tempora: ità vt perituri ſæculi ſpretis delicijs, nobilium multitudo virorum communia cum omnibus poſſideret omnia. Si quiſquam proprium aliquid vſurpare tentaſſet, à cæterorum remotus conſortio, pœnitudinis ilicò vltione plectebatur. Sed & omnes Calerorum populi, ità bruti ac belluis ſimiles ante aduentum iſtius in hac regione fuerant, vt præter Chriſtianæ fidei nomen, virtus religionis penè abolita in illis locis haberetur. Agebat nanque vir venerandus ſtudio indefeſſo, vt quæcunque peragraret loca, verbis Euangelicis condiret vniuerſa. Et ita per eius monita & prædicationem ſunt conuerſi, vt qui anteà diripiebant aliena, poſtea largirentur propria, ac idolorum confringerent ſtatuas, quas dudum ritu profano venerabantur: pieque ac ſpontè ſe ſubderent Chriſti diſciplinæ, qui ante rebelles, non dignabantur audire. Tantuſque honor ac deuotionis affectus excreuerant circa ſacerdotes ac monachos, vt ſi contigiſſet alicui ex ordine plebeio eos obuiàm habere, quamuis potens perſona, Chriſtum in eis adoraret ac veneraretur.

XXI.

Prædicit obitum triũ regum. ** quartum.* *Iohan. 15.*

Spiritvm quoquè prophetiæ diuinitus illi collatum non dubitamus, ità vt quæ ventura eſſent, plurimis indicarit. Notum ſanè eſt, crebrò illum prædixiſſe futura, quæ poſtea conſtat euenisse. Blitildi nanque reginæ, relictæ Clodouei Regis, obitus trium filiorum ac ſucceſsiones expoſuit. E quibus Clotarius, qui maior erat natu, * quartumdecimum regni annum agens, conſortijs ſubito caruit humanis. Deindè Childericus temerè ab inſidiatoribus interemptus, à præſenti ſublatus eſt vita. Tertius Theodoricus matri ſuperſtes, regni ſuſcepit gubernacula: completaque in illis eſt prophetia viri Dei. Hæc quidem pauca miraculorum inſignia cum bona venia lectoris in præſens ſufficiant, breui incomptoque relata ſermone. Veniendum eſt, fauente Chriſto, ad ea, quæ vbertim cunctipotens virtus, ſpiritu ipſius patroni ſublato ad cælum, apud oſſa ſanctiſſima geſta referuntur in terris. Deniquè indubitanter retinemus, ipſius meritis, vt frequentius inculcatum eſt, animæ languores in permultis eſſe curatos, ad laudem & gloriam eius, qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere.

XXII.

Pſal. 119. *Videt apertum cælum ſub morte.*

His ita ſe habentibus, vertantur articuli ad id commemorandum, quemadmodum beatus ille meruit de ærumnis exilij præſentis eripi, atque ad cæleſtis beatitudinis gloriam transferri. In vltimo ſenio conſtitutus, vtpotè nonageſimum ſextum annum agens, Domino ſæpiſſimè ſupplicans, aiebat. Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata eſt: addebatque: Ieſu benigne, verbum patris æternum, de hac conualle plorationis eripe me, & tuis fac quantocyus dignum apparere conſpectibus. Exaudienſque Dominus dignas eius preces, immiſit ei vltimam, immò ſalutiferam ægritudinem, vti camino præſentis ſæculi ceu puriſſimum examinatus aurum, digniſſimus cæli fieret hæres. Tribus diebus totidemque noctibus in exceſſum mentis rapto, ianua cæli aperta monſtrata eſt, & iucundo adſpectu frequenter oculos aperiens, cælum intuebatur. Cernentes quoque diſcipuli, ſanctiſſimi patris beatiſſimam diſſolutionem, lætabantur quidem de eius digna remuneratione, ſed triſtabantur plurimum de abſentia corporali: atque inter mœſta ſuſpiria & fluentes lachrymas, querulis aiebant vocibus: Quid facturi ſumus, quòd nos tam citò deſeris pater? Verbum immortalitatis à te audire cupimus, & aſſueta admonitione tua corrigi optamus. proſtratique humi fundunt vberes fletus, orantque Deum, vt antequàm viam ingrederetur iuſtorum; eius alloquio fouerentur. Itaque omnipotens Deus, videns ſummum illorum dolorem, quem pro ſui paſtoris deceſſu patiebantur, famulorum ſuorum precibus aures ſuæ pietatis accommodat: permittitque, vt inclytus dux tum tyrones, tum veteranos milites dulcibus recrearet ſermonibus, multaque futura eis prædiceret, quę poſteà res ipſa comprobauit.

XXIII. Percontantibus indè monachis, poſt ipſius feliciſſimum tranſitum, quem ſibi præficere deberent, tale fertur dediſſe reſponſum: Æternus, inquit, rerum conditor, qui vobis locum conceſſit opportunum, quo ſibi plebs ſua famuletur in ſæcula, ipſe vobis, chariſſimi filij, poſt paruitatis meæ deceſſum, dignum ac deuotum miſericorditer tribuet rectorem. Duo ſunt tamen in præſentia veſtra chariſſimi mei filij, qui viciſſim poſt meæ fragilitatis deceſſum in regiminis ſuccedent locum. Erat nanque vnus vocabulo Lanrbertus, vir eximiæ religionis & generis, ortus in territorio Taruanenſi, qui poſt beatum Geneſium præſulatum Eccleſiæ Lugdunenſis ſuſcepit: Alter verò vir Domini Anſbertus, qui beato Audoëno in pontificatu ſucceſſit eccleſiæ Rothomagenſis. Quorum vitam atq; virtutes libellus, qui de eorum ſcribitur actibus, luculenter narrat. Atque ij ſucceſſores fuere in regimine prædicto ſanctiſſimo viro. Sub horum regimine ſanctiſſimi Patres, beatus Vulfrannus præſul Senonum & prædicator gentis Friſonum, necnon vir Deo dilectus Erenbertus Toloſæ vrbis pontifex, & ſanctus anachoreta & presbyter Condedus, Britannia inſula ortus, monachicum amplectentes habitum, ad caſtra Dei fulgida deuotiſſimè conuolarunt. Reliquiæ quoq; eorum in eodem loco debito ſeruantur honore: vbi & gloria virtutum pollent, ſicut in eorum pleniſſimè ſcribitur geſtis. Inter reliqua autem prædictus vir Domini, exhortationis & confortationis verba, diſcipulis ipſi adſtantibus valedicens, hæc intulit, vt cœptum non relinquerent iter, ſed melioribus actibus quotidiè perſeuerando ſe confirmarent, attentiusque ſua monita retinerent, & opere perficerent; vt videlicet vnitas, charitas atque humilitas in eorum radiarent cordibus, nullaque diſſenſionis aut liuoris peſtis, eorum vnquam ſerperet in mentes: ſicque ſtatus illorum iura, & religionis claritudo per cunctas perpetim durarent ætates.

Lanibertus epiſcopus Lugdunen.
Anſbertus epiſcopus Rothomagenſis.

XXIV. Hac breui vltimaque coram eis oratione celebrata, quia glorioſum beatæ conſummationis tempus inſtabat, vt terrena corporis ſarcina terris commendaretur, & cæleſtis ſpiritus celſa conſcenderet, viatico percepto, poſt pauxillulum conticuit. Cumq; hoſtis conſpiceret inuidus remunerationis eius inſtare horam, propter eum cruentus adſtans, pauores illi multiformes ingerere nitebatur. Quem in tali conſtitutum agone audierunt circunſtantes fratres in ſpiritu ſanctæ tranſlationis dicentem, ſe fonte lauacri Chriſti tinctum, dæmonemq; ſe impedientem diuinitus effugatum. Vocauit etiam tertiò nominatim quendam virum iuſtum, nomine Agathonem, cuius olim laudabilem vitam ac conuerſationem notam habuerat. Ex qua & ſubſequenti reuelatione liquido colligitur, in eius tranſitu multitudinem adfuiſſe Sanctorum. Nam & quodam diſcipulo eius, viro magnæ religionis, eadem hora ſuauiſſima audita fuerat cæleſtis cantilena: qui etiam percontabatur ex fratribus, verum ille dulciſſimus ſonus eorum penetraſſet aures. Sed & ipſe vir Domini adſtantibus ſibi imperauit, vt cum pſallentibus iunctis pſallerent vocibus. Quinam ſint illi, inquiunt, nos neſcimus: tu vero, cui olim, vt credimus, ianua vitæ patet æternæ, optimè id nôſti. Ille verò iucundo adſpectu lætabatur in Domino, gratias agens Deo, quòd cæli ianuam ipſi reſeraſſet. O virum omni laude digniſſimum, in cuius tranſitu cæleſtis exultat chorus, omniumq; virtutum ſupernarũ gratulatur exercitus: cui cæli ianua pateſcit, & Abrahæ ſinus lætantem excipit. Multitudo proindè monachorum, quorum erat numerus fermè trecentorum, in tanti patris tranſitu diuinas laudes decantatura aderat: hilaris quidẽ pro gloria, quam ſpreta Aegyptia ſeruitute, olim adibat promiſſam: ſed graui affecta mœrore, quod præclaro deſtituebatur patrono.

Accipit Eucharistiam moriturus.
Morienti multi adſunt ſancti.

XXV. Hac diſcipulorum caterua vallatus, ſalutiferæ Crucis ſigno ſe muniens, vndecimo Calendas Auguſti nexibus terrenæ corruptionis abſolutus, animam cælo reddidit, conſortijs iuſtorum ſociandam, & æternæ felicitatis gloria fruituram. Illic nunc choris intereſt angelorum, hic fulget claritate virtutum. Illic interpellat pro famulis voce ſupplici, hic eos virtute tuetur ſublimi: Illic petit, hic præſtat: Illic vota fundit, hic votis reſpondet. Interfuit autem in hoc eius ſancto tranſitu inclytus eccleſiæ Rothomagenſis pontifex Audoënus. Sepultus eſt primum in eccleſia beati Pauli Apoſtoli, in qua requieuit annos 40. Poſteà autem à ſancto Baino Epiſcopo vrbis Taruanæ, & Fõtanellenſis cœnobij abbate tranſlatus eſt in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli: atque ita integer ab omni corruptione cum veſtimentis, quibus indutus fuerat, repertus eſt, quaſi eodem die fuiſſet ſepulturæ traditus. Actum eſt hoc anno Dominicæ incarnationis 729. regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cuius poteſtas & imperium permanet in ſæcula ſæculorum. Requieuit ſanè venerandus, & cum omni magnificentia nominandus beatiſſimus Pater & ſacerdos Domini Vuandregiſilus, anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimoquinto, Indictione octaua, anno † nono pontificatus Vitaliani Papæ, porrò tertij Clotarij anno regni vndecimo. Peregit autem felici & glorioſa conſummatione curſum præſentis vitæ annis circiter nonagintaſex: è quibus in ſacro regimine expleuit decem & nouem annos, menſes quatuor, dies viginti & vnum. Sepultusque fuit in eccleſia S. Pauli annis quadraginta. Sanctus verò Præſul Anſbertus, annis vndecim: inclytusque pontifex Vulfrannus, annis fermè nouem.

Signo Crucis ſe muniẽs dum excedit è vita.
Tranſlatũ eſt eius corpus à Baino Epiſcopo Taruanen.
† vndecimo Baron. ang. 665.

DE S. APOLLINARI RAVENNATVM PRIMO EPISCOPO, ET MARTYRE, EX VETVSTIS MS. CODICIBVS: QVIBVS ADSTIPVLANTVR *antiquiſſima Martyrologia. Stylum opportunis locis nonnihil expoliuit F. Laur. Surius.*

An. 60.

I. IN diebus Claudij Cæſaris Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti Nazareni, Romam venit cum multis Chriſtianis, ei miniſtrantibus. Vt autem eſt vrbem ingreſſus, ad Synagogam Iudæorum ſe cõtulit, indicauitq; eis ſe quoq; Hebræum eſſe, & à Iudæa propter fratrum charitatem eò aduenuiſſe. Cumque permultos dies cum illis conferret ſermones, adſerebat identidem de nomine Ieſu, dicens eum verè eſſe filiũ Dei, qui ſaluum fecerit omne humanum genus: ſimul exponens, quanta opera & virtutes feciſſet in Iſraël conuenienter vocibus Prophetarum. Itaq; multi ex illis agentes pœnitentiam pro ſua ignorantia, prædicante Petro, crediderunt in Dominum Ieſum: nec Iudæi ſolum, ſed etiam Romani excipientes verbum, gauiſi ſunt, quod viſitaſſet Deus genus humanum, mittens filium ſuum, qui mundum renouaret: credentesq; in Ieſum, baptizabantur. Poſt multum verò temporis ait beatus Petrus Apoſtolus Apollinari diſcipulo ſuo: Quid hic ſedes nobiſcum: Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Ieſus: Surge, & accipe ſpiritum ſanctum, ſimulq; Pontificatum, & proficiſcere ad vrbem Rauennatium. Multus illic populus eſt: prædica eis nomen Ieſu, nihil reformidans. Conſtat enim apud te, verè eum eſſe filium Dei, qui mortuis vitam reddiderit, & ægris verbo attulerit medicinam. Tandem poſt multa, cum precatus eſſet beatus Petrus, manus impoſuit capiti eius, dicens: Mittat Dominus noſter Ieſus Chriſtus angelũ ſuũ, qui præparet iter tuum, & quæ poſtulaueris, annuat: Et oſculans eum, dimiſit à ſe.

IVLII 23.
S. Petrus venit Romã.
Multi Iudæi & Romani credunt.
S. Petrus Apollinaré Rauennam

II. Cvmqve non longè abeſſet Rauenna beatus Apollinaris, manſit apud quendam militem * Aſiaticum, nomine Irenæum. Is vbi reſciuit ex eo vndè veniſſet, & quid vellet, ait ad eum: Habeo, ô hoſpes, filium oculorum lumine orbatum: ſi qua virtus eſt prædicationis tuæ, adhibe illi curationem, vt videat: & ego ſequar Deum tuum, credens in eum. Mox ad ſe puerum adduci alacriter iubet Apollinaris, cunctiſque videntibus, qui illic aderant, non niſi Crucis ſignum in oculos cæci expreſſit, & ait: Deus qui loco non clauderis, ſed vbiquè es, infer cognitionem filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti in hanc ciuitatem: nec ſolum hos oculos corporis illumines, ſed etiam interio-

* Aſtaticũ habent Codices MS.

Cæcus cruce ſignatus videt.

interiores in hac vrbe degentium oculos aperias, vt celeritet illis cognoſcentibus Ieſum Chriſtum filium tuum eſſe ipſorum Deum, locus hic mihi cum magna efficacia docendi tribuatur. His dictis, vidit cæcus, & aduolutus pedibus beati Apollinaris, vnà cum parentibus ſuis in Chriſtum credidit: pariterque baptizati ſunt in fluuio non longe à Rauenna.

Tecla Tribuni Rauennatenſ. vxor.

MATRONA verò quædam, Tribuni militum coniunx, Tecla nomine, multis annis grauiſſimo laborabat morbo, qui omnem medicorum induſtriam eluderet. Accidit autem, militem Irenæum adeſſe Tribuno: & cum ſermo ortus eſſet de coniugis mala valetudine, Irenæus ait: Eſt apud me peregrinus quidam, qui filium meum nullo adhibito medicamento curauit: ſi permittis, vbi eum viderit vxor tua, mox reualeſcet. Tribunus dixit: Vndè ille huc aduenit? Reſpondit Irenæus: Ab vrbe Roma. Tribunus ait: Eſt igitur natione Romanus? Reſpondit Irenæus: Equidem ignoro: ſed mihi tamen potius Græcus eſſe videtur. Tribunus dixit: Clàm eum perduc in domum meam, vt comperiam vera eſſe, quæ dicis. Cum ergo beatus Apollinaris Rauennam eſſet ingreſſus, circunſignans ſe, ait: Deus, qui operaris cum magiſtro meo Petro, operare etiam mecum, vt clarificetur nomen tuum, & fiat voluntas tua. Vbi in ædes Tribuni venit, officioſiſſimè ſuſceptus eſt, aitque ad eum Tribunus: Bene aduenisti medice: & quid dulcius æſtuanti, quàm frigida aqua? Beatus Apollinaris reſpondit: Requieſcat in vobis pax Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti. Tribunus dixit: Ecquis ille eſt, de quo loqueris? Apollinaris reſpondit: Filius Dei viui, qui mundum perditum inſtaurauit. Tribunus ait: Vt video, Galilæus es tu. Apollinaris reſpondit: Etiam. Tribunus dixit: Nôſti curationes? Reſpondit vir ſanctus: Nihil ſine nomine Ieſu. Tribunus ait: Et quæ eſt virtus in Ieſu? Apollinaris reſpondit: Conuoca huc milites tuos, & cunctis videntibus cognoſces veritatem Domini mei Ieſu Chriſti. Illis collectis, ait Tribunus: En vxor mea multos annos decumbit, & medicina omnis ei officit. Si qua verò in te virtus eſt, exere nunc eam. Apollinaris dixit: Aperiat Deus oculos cordis veſtri, vt videntes mirabilia eius, credatis in eum. Tum apprehendens manum mulieris: Surge, inquit, in nomine Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti, & crede in eum, nec quenquam putes illi parem. Mox illa ſurrexit ſana, exclamauitq́; Non eſt alius Deus præter Ieſum, quem prædicas. Videntes id milites & Tribunus, obſtupefacti dixerunt: Reuera hic Deus eſt, qui talia facit. Poteſt autem etiam ille in bellis ferre opem, ſi diligatur. Crediditque Tribunus cum vxore & filiis & familia, & omnes baptizati ſunt, Multi quoquè alij, qui illic aderant, fidem Chriſti complexi ſunt. III.

Vxorem Tribuni clinicam ſanat Apollinaris.

Multi credunt.

HABITAVIT autem beatus Apollinaris Rauennæ in ædibus Tribuni, & quotidiè veniebant ad eum multi è populo, quos ille ſecretò docebat, dicens, vt crederent in Ieſum, Deum cæli & terræ: credenteſque baptizabantur. Multi quoquè nobiles tradebant ei filios ſuos, vt ſacris literis ab eo erudirentur. Ijs autem, qui iam in Chriſtum credebant, Miſſas & baptiſmata faciebat in domo Tribuni cum diſcipulis ſuis. Itaque intrà duodecim annos, duos ordinauit presbyteros, Adhæretum & Calocerum: Marcianum verò nobiliſſimum virum, & Leucadium Philoſophum, Diaconos fecit: & ſex clericos conſtituens, cum illis diu noctuque Domino pſalmos cantabat. Creſcente autem fama eius, & quòd annunciaret Ieſum, multique in Chriſtum credidiſſent, iam latere non poterat. Nunciatum eſt ergò de illo Saturnino Duci, qui eum adduxit ad Pontifices Capitolij Rauennatis, interrogauitque ex eo, quid ſibi vellet. Reſpondit vir ſanctus: Chriſtianus ſum. Dux ait: Et quis eſt Chriſtus? Apollinaris reſpondit: Filius Dei, per quem creatura omnis viuit, in cælo, terra & mari. Dux ait. Illéne ergò te miſit ad nos, vt euertas cultum deorum noſtrorum? An ignoras ſacrum nomen Iouis, qui magnus eſt habitator Capitolij vrbis huius, cui te oportet ſupplicem fieri? Beatus Apollinaris reſpondit: Quis ſit ille habitator, neſcio, nec templum eius noui. Pontifices dixerunt: Veni ergò, & vide magnificum fanum, mirificeque exornatum. Videbis illic inuictiſſimi Iouis ſimulacrum. Cum ergò in Capitolium intraſſet beatus Apollinaris, ſubridens ait pontificibus: Hæc tam multa aurea & argentea ornamenta rectius in pauperum vſus erogarentur, quam coram dæmonibus appendantur. IV.

Nota quomodò in primitiua eccleſia Miſſæ ſint celebratæ, & pſalmi decantati.

TVM verò pontifices, facta in eum impreſſione cum populo, immani eum cæde mactauerunt, eiectumque extra vrbem ad mare, ſemiuiuum reliquerunt. At diſcipuli eum colligentes, in cuiuſdam viduæ Chriſtianæ domo abſconderunt, curam ei adhibentes. Et poſt menſes ſex vir nobiliſſimus Bonifacius ciuis Cluſenſis ſubitò obmutuit, nec ei permulti medici remedium afferre potuerunt. Indicatum eſt ei, famulum Dei Apollinarem adhuc viuere, & apud viduam latitare. Miſit ille ad eum vxorem ſuam, orans vt ipſum inniſere nè grauaretur. Venit vir ſanctus ad domum eius, & puella è familia eius, à malo dæmone arrepta, exclamauit: Recede hinc ſerue Dei viuentis. Alioqui faciam te colligatis pedibus trahi extra hanc vrbem. S. Apollinaris dixit: Obmuteſce diabole, & exi ab ea, nec vltrà in homine loquaris. Ille quamprimum ab ea receſſit. Vt autem peruenit beatiſſimus Apollinaris ad Bonifacium, vidit eum mutum iacentem, & ait: Domine Ieſu Chriſte, qui clauſiſti os hominis iſtius, nè deinceps ab idolis ſuis opem poſceret, reſtitue ei linguæ officium, vt inuocet benedictum nomen tuum, & credat te eſſe Deum viuentem in ſæcula ſæculorum. Cumque à Chriſtianis dictum fuiſſet, Amen, eadem hora ſoluta eſt lingua eius, & laudabat Dominum, dicens: Non eſt alius Deus præter eum, quem prædicat beatus Apollinaris. Eodem die homines amplius quingenti crediderunt in Dominum Ieſum, agentes gratias Deo & beato Apollinari ſeruo eius, per quem illuminati eſſent. V.

Crudeliter cæditur.

Eijcit dæmonem.

Muto redditur facultas loquendi.

NON multi autem interceſſere dies, cum gentiles quidam à diabolo inflammati, tenuerunt eum, & diu fuſtibus cæſo interdicere volebant, nè nominis Ieſu aliquam faceret mentionem. At ille iacens in terra, clamabat eũ verum eſſe Deum, qui ſua ſponte pro hominum ſalute pati voluërit. Sed hoc illi teſtimonium non ferentes, beatiſſimum virum coegerunt nudis plantis calcare prunas. Tum verò multo ille magis de Chriſto teſtificabatur. Id impij homines ferre non ſuſtinentes, eum extra vrbem eiecerunt, dicebantque ei: Tametſi curationes adhibere nôſti, tamen vide, in vrbem noſtram ne ingrediaris. Iacebat igitur beatiſſimus vir extra muros, & continenter nomen Ieſu prædicabat: multiq́; è ciuitate Deum timentes, veniebant ad eum, & miniſtrabant ei. Non enim paruus illic erat Chriſtianorum numerus, maximè nobilium. Habebant autem Chriſtiani tugurium non longè à mœnibus, in quo ille Miſſas faciebat: baptizabat autem in mari, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. VI.

Cæditur fuſtibus.

Calcat nudis plantis prunas ardentes.

POST plurimos autem annos vir beatus ſe contulit in Aemiliam, atq; illic ſecretè docuit populos, quos verbo attrahere potuit. Intereà autem Calocerus presbyter gubernabat Eccleſiam, quæ erat Rauennæ, clàm multas faciens virtutes in nomine Ieſu Chriſti. Non diu poſt ab Aemilia reuerſum beatum Apollinarem, Chriſtiani Rauennates cum ſummo gaudio exceperunt. Per id tempus Rufus patricius & exconſul, habebat Rauennæ filiam vnicam malè valentem. Vt cognouit autem de beato Apollinari, mox ad ſe illum acceſſiuit, vt filiæ opitularetur. Poſtquam autem vir Dei cum clericis ſuis in domum eius intrauit, confeſtim filia eius mortua eſt. Eius obitum beatus Apollinaris ex lamentis familiæ didicit. Dixit autem ad eum Rufus patricius cum lachrymis: Vtinàm in domum meam non veniſſes. Dij enim magni irati ſunt, & noluerunt curare filiam meam. Tu verò qua ratione illi poteris curationem admouere? Flebant autem omnes, qui aderant. Dixit igitur beatus Apollinaris ad Rufum: Conſtanter age patricie, & iura mihi per ſalutem Cæſaris te permiſſurum, vt puella ſequatur Saluatorem ſuum: & citò cognoſces virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Rufus patricius reſpondit: Scio puellam mortuam: quam ſi ſtantem & loquentem videro, laudabo ſanè virtutem Dei tui; nec prohibebo, quo minus ſuum illa ſequatur Saluatoré. VII.

Docet in Aemilia.

Interim

Digitized by Google

Interim omnes amarè lugebant. Tum vir ſanctus benè confidens in Domino, acceſſit & tetigit puellam, dicens: Domine Ieſu Chriſte, Deus meus, qui magiſtro meo Petro, Apoſtolo tuo, id præſtitiſti, vt poſſit impetrare à te, quicquid velit: tu excita puellam hanc, quæ eſt creatura tua. non enim eſt alius Deus præter te & reſpiciens ad puellam, ait: Surge, & confitere creatorem tuum. Confeſtim illa ſurgens, magna voce dicebat: Magnus eſt Deus, quem prædicat Apollinaris ſeruus eius, & nullus eſt extra eum. Ea hora magno gaudio affecti ſunt Chriſtiani omnes, quòd magnificatum eſſet nomen Domini Ieſu. Baptizata eſt autem puella cum matre, & ex familia promiſcui ſexûs trecenti vigintiquatuor. Sed & alij multi gentiles crediderunt in Chriſtum, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad vitam reuocat puellam mortuam.

VIII. PORRO Rufus patritius timens Cæſarem, occultè diligebat beatiſſimum Apollinarem, & miniſtrabat ei. Filia verò eius conſecrata eſt Chriſto, & virgo permanſit. Perlatum eſt igitur ad Cæſarem, virum quendam Antiochenum, magicis artibus in Rauennam inuexiſſe nomen Ieſu, magnamque turbam hominum obedire illi, ipſam quoque Rufi patritij domum. Cæſar illi mittens ſucceſſorem, ſcripſit ad vicarium Meſſalinum, vt hominem temerarium Apollinarem aut dijs faceret obſequentem, aut in exilium iuberet longinquum deportari. Meſſalinus ergò in prætorio coram ſe ſiſti iubet beatum Apollinarem, dicitque illi coram ſacerdotibus Capitolij: Quis vocaris? Reſpondit vir ſanctus: Apollinaris. Meſſalinus dixit: Vndè huc aduenisti? B. Apollinaris reſpondit: Ab Antiochia. Meſſalinus ait: Quam artem profiteris? Apollinaris reſpondit: Chriſtianus ſum, & Apoſtolorum Chriſti diſcipulus. Meſſalinus dixit: Ecquis eſt Chriſtus? Apollinaris reſpondit: Filius Dei viui, qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Meſſalinus ait: De illóne Chriſto tu dicis, qui ante annos non multos, dum ſe filium Dei diceret, à Iudæis interfectus eſt? Certè ſi Deus ille fuiſſet, nec mori potuiſſet, nec vexari contumelijs. Sed cùm ſuperbè ſe gereret, pœnis affectus & è medio ſublatus eſt. Quo igitur pacto tu illum in deorum numero reponas, nos non videmus. Beatiſſimus Apollinaris reſpondit: Is, de quo loquimur, Chriſtus & Deus erat, & eſt, eritque ſemper. Sed volens ille hominum genus à ſeruitute dæmonum liberare, exinaniuit ſemetipſum, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Virgine, quæ virum non cognouit vnquàm. Meſſalinus vicarius dixit: Auditum eſt hoc apud nos, ſed difficulter poteſt credi. Beatiſſimus Apollinaris ait: Audi iudex, quæ à me dicentur, animo virili. Deus manebat in corpore, faciebat ſigna & miracula in mundo. Quòd verò à Iudæis tentus & crucifixus eſt, id caro ex virgine ſumpta patiebatur: diuinitas autem manſit omnis perpeſſionis expers & immortalis: quæ etiam carnem ipſam tertia die excitauit, & multis apparens Chriſtus, aſcendit in cælum, vndè deſcenderat Deus. Tantam autem in ſe credentibus largitur virtutem, vt in nomine eius dæmones eijciant, ægrotos ſanent, mortuos in vitam reuocent. Meſſalinus vicarius dixit: Tu mihi perſuadere non poteris, vt ego deos ſequar ignotos, qui à Senatu recepti non ſint. Sed hac poſtpoſita vanitate, accede ad Capitolium, & manibus tuis pone thura magno deo Ioui tonanti, vt poſſis viuere. Nam alioqui per ſalutem Cæſaris, diuerſis excruciatum pœnis in exilium te mittam. Beatiſſimus Apollinaris dixit: Tu nequaquàm mihi perſuadebis, vt ponam thura dæmonibus: ſed Domino meo Ieſu Chriſto offeram ſacrificium laudis & ſuauitatis.

Philip. 2.
Luc. 1.
Marc. 16.

IX. TUM verò exclamantes Pontifices, dixerunt: Ignoras Iudex hunc ſibi pontificis arrogâſſe titulum, vt ſub noſtro nomine ſeducat turbas? Sed tu inquire in eius temeritatem & arrogantiam. Vicarius ait ad officium: Exuite eum, & cædentes fuſtibus, dicite: Reſipiſce, & immola dijs. Sed ille dum cæderetur, clamabat: Chriſtianus ſum: fac, quod tibi viſum erit. Interim vnus è pontificibus dicit Meſſalino: In eculeo ſuſpendatur, vt diù tortus, honorem habeat dijs immortalibus. Beatiſſimus Apollinaris, his ſubiectus tormentis, dicebat: Dominum Ieſum Chriſtum confiteor eſſe Deum viuentem, non alium aliquem. Meſſalinus ait: Quid præmij pro his ſupplicijs exſpectas? Beatus Apollinaris reſpondit: Scriptum eſt: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et ſi quis in Chriſto mortuus fuerit, viuet. Hæc eſt remuneratio Chriſtianorum. Tum vniuerſi, qui illic aderant Chriſtiani, glorificabant Deum cæli, cùm hæc ex Apollinari audirent, quòd fortior ipſe eſſet in perferendis pœnis, quàm alij inferendis. Meſſalinus tortoribus ait: Rursùs verberetur, & in plagas aqua bulliens infundatur: deindè ſub præconis voce ducatur ad nauim, vinctus graui pondere ferri, & in Illyricum eat exulatum. Interim arripitur à diabolo vnus è tortoribus, qui in Chriſti ſeruum præ cæteris ſæuierat, & ſubitò expirat. Cùm autem eleuatus eſſet S. Apollinaris, dixit Meſſalino: Impiiſſime, cur non credis in filium Dei, vt poſſis vitare æternos gehennæ cruciatus? Tum indignatus Meſſalinus, iuſſit os eius lapidibus contundi. Ea immanitate commoti Chriſtiani, irruerunt in gentiles, & breui ſpatio ampliùs ducentos trucidârunt. Volebant verò etiam Meſſalinum interficere. At ille perturbatus, incluſit ſe: porrò beatiſſimum Apollinarem, grauiſſimo ferrei pondere adhibito, iuſſit in horridum retrudi carcerem, & in ligno extendi, nec quicquam ei miniſtrari, vt ſic deficeret. Angelus autem Domini nocte ad eum veniens, videntibus cuſtodibus, eſcam ei dedit, & cùm eum corroborâſſet, receſſit. Quarto indè die audiens Meſſalinus eum adhuc viuere, clàm iniectis ei catenis, naui impoſitum, in exilium iuſſit deportari. Secuti ſunt autem tres è Clero eius, qui illi miniſtrârunt, Eccleſiam, quæ erat Rauennæ, intereà gubernabant presbyteri & diaconi: creſcebatque numerus Chriſtianorum.

Cæditur fuſtibus.
Torquetur in eculeo.
Matth. 10. & 24.
Iterum verberatur.
Os eius lapidibus contunditur.
Horrido carceri traditur.
Mittitur in exilium.

X. NAVIGANTIBVS verò illis mare, ſubitò orta eſt tempeſtas, & naui confracta, ad litus eiectus eſt beatus Apollinaris cum clericis ſuis & duobus militibus: cæteri in mari periêrunt. Dixerúntq; milites illi beato Apollinari: Domine pater, quò ibimus, aut quid faciemus? Reſpondit vir ſanctus: Baptizamini in nomine Ieſu Chriſti, & viuetis. Illi quamprimùm propudiatis idolis baptizati ſunt in nomine Patris & Filij & Spiritûs ſancti. Indè à loco in locum commigrantes, in * Mœſia prædicabant verbum Dei, ſed nemo eos recipiebat. Cuiuſdam verò primarij & magni viri frater lepra infectus fuit. Eo viſo, dixit beatiſſimus Apollinaris: Vis ſanus fieri? Reſpondit ille: Volo. Beatus Apollinaris ait: Crede in Dominum Ieſum Chriſtum. Reſpondit ille: Qui me ſanum fecerit, is erit Deus meus. Tum beatus Apollinaris inuocans nomen Domini Ieſu, tetigit eum: & eueſtigiò curatus eſt: reiectiſque ſimulacris, credidit in Dominum Ieſum, & baptizatus eſt: manſitq; vir ſanctus apud eum diebus permultis. Deinde Danubij litora terens, multos ad Chriſtum adduxit. Vbi autem didicêre gentiles hoſtem eum eſſe idolorum, de eius nece cogitabant. At ille profectus in Thraciam, manſit illic dies multos. Erat autem in quadam ciuitate idolum, à quo per id tempus nullum potuerant habere reſponſum. Cumque multa illi offerrent, ægrè tandèm ab eo impetrârunt, vt diceret: Neſcitis diſcipulum Petri Apoſtoli Ieſu Chriſti Roma huc veniſſe, meque, dum prædicat Ieſum, ligâſſe? Is ſi hinc profligatus non fuerit, nulla vobis reſponſa dare potero. Facta ergò inquiſitione, repertus eſt, beatus Apollinaris, interrogatuſque ab eis, quid illic ageret, dixit ſe Chriſtianum eſſe, & pro Chriſti nomine à Rauenna eò extruſum in exilium. Itaque nudatum veſtibus, diù fuſtibus verberârunt: perductumque ad mare, cum ſocijs naui in Italiam ituræ imponi curârunt; dicentes eius regionis præfecto, ſatiùs eſſe eum remitti eò, vndè veniſſet, vt illos potiùs euerteret, quàm apud ipſos aboleret cultum deorum.

In Mœſia prædicat Chriſtum.
** Myſia.*
Sanat leproſum.
Moratur diù in Thracia.
Fuſtibus verberatur.

XI. ITA ergò poſt triennium vir ſanctiſſimus Rauennam reuerſus eſt, & à Chriſtianis cum ſumma exultatione exceptus, Deum laudantibus, quòd eis ſuum patrem & Doctorem reſtituiſſet. In ipſo autem itinere multa per eum Dominus miracula effecit. Multo indè lapſo tempore, cùm Chriſtianis Miſſas in Cyrenæi Senatoris poſſeſſione

Redit Rauennam.

Cæditur à populo. faceret, repentè orta ſeditio eſt in vrbe propter eum, irruenteſque in eum furentes populi, vinctum in forum pertraxerunt, cædentes eum, & plagas ei imponentes. Viſo autem illo, dixêre Pontifices Capitolij: Non eſt hic dignus, vt præſentetur magno deo Ioui, quippè cui non ſemel illuſerit. Sed ducatur ad Apollonis templum, ibique cognoſcat virtutem deorum immortalium. Illis ergò eum ducentibus, multi nobiles viri, tam ethnici, quàm Chriſtiani, vnà cum populo ſequebantur eum. Dicebant autem gentiles: Videamus, num ad ſanitatem redierit homo iſte. Ingreſſus verò templum beatus Apollinaris, vt vidit Apollinis ſimulacrum, ait ad circumſtantes gentiles: Iſtène deus eſt, per quem futura prædicitis? Reſponderunt illi: Nimirùm ipſus eſt, & quidem primus inter deos, & cuſtos vrbis huius. B. Apollinaris ait: Non ſit illi vnquàm benè: ſed eo profligato, cuſtos hic commorantium Templum Apollinis euertit precibus. Chriſtianorum erit Dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt verus Deus. Cumque oraſſet vir ſanctus, ſimulacrum diſſolutum eſt, & templum dæmonis euerſum. Id conſpicati ethnici, clamabant: Senex impius tollatur è medio, qui omnia diſſipauit. Chriſtiani autem gratias agebant, dicentes: Reuerà hic Deus eſt, qui talia effecit per patrem noſtrum Apollinarem.

COMMOTI verò gentiles, tradiderunt eum Thauro iudici, vt illum occideret. Is congregatis in prætorium XII. cunctis nobilibus vrbis eius, ita compellauit eum: Oramus te, ne celes nos, qua virtute iſthæc facias, & vbinam conuentus agas & miracula efficias, vt tanta turba te ſequatur? Beatus Apollinaris reſpondit? Virtus alia non eſt, niſi Domini noſtri Ieſu Chriſti. Domum autem Dei habemus in cordibus noſtris. Si tamen etiam fabricam requiris, non eſt procùl ab vrbe: vbi Chriſtianis proponimus diuina eloquia. Thaurus dixit: Habéſne adiutores aliquot? B. Apollinaris reſpondit: Habeo ſanè permultos. Thaurus dixit: Eſt aliqua in te virtus diuinitatis? B. Apollinaris reſpondit: Iam dixi tibi, eſſe ſupernam virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Taurus ait: Habeo filium ab ipſa natiuitate cæcum. Inuoca nomen eius, quem à ſuis crucifixum aſſeris, & aperi oculos huius, planeque credemus, verè eum eſſe Deum. Sin minùs id feceris, pro tuis ſceleribus igni te comburemus. B. Apollinaris reſpondit: Cæco reddit lumen, in præſentia Iudicis & procerum. Veniat in medium cæcus. Venienti dixit vir ſanctus: In nomine Ieſu Chriſti aperi oculos tuos, & vide. Continuò ille apertis oculis vidit. Stupefacti ea re proceres omnes, qui illic aderant, dicebant: Profectò Deus is eſt, qui talia perpetrat. multique ex eis crediderunt in Dominum Ieſum. Thaurus autem iudex èruit eum è manibus vulgi, & nocte miſit eum in prædium ſuum, tanquàm illic cuſtodiendum. Vbi manſit annos quatuor. Erat is locus ſexto ab vrbe milliario, confluebantque eò Chriſtiani omnes, & ab eo inſtituebantur. Si quis ad eum veniſſet æger, ſanus recedebat, quacunque fuiſſet infirmitate detentus.

PORRO Veſpaſiano Imperij habenas moderante, Pontifices Capitolij inuidioſè de eo retulerunt ad illum. XIII. Cuius relationis hæc erat ſententia: Si Apollinarem impoſtorem, contra regni tui & populi Romani ſalutem docentem, non interfeceris, Romanas cæremonias peſſum premet. Non enim parua multitudo ab eo ſeducta, quo- Reſponſum Veſpaſiani imperatoris. tidiè in iniuriam deorum immortalium bacchatur. Magicis enim artibus ille templa euertit. Sed ſi ſolus iam affecta ætate erit vita priuatus, Romanum nomen incolume permanebit. Perſcripſit ergò Veſpaſianus Imperator, vt ſi quis dijs irrogaſſet iniuriam, aut ſatisfaciat, aut vrbe pellatur. Non enim æquum eſt, inquit, vt nos deos vindicemus: ſed ipſi ſe de inimicis ſuis vlciſci poſſunt, ſi iraſcuntur. Ea iuſſione perlata Rauennam, Demoſthenes vir illuſtris & patricius, ſed planè ethnicus, beatum Apollinarem ſibi exhiberi præcepit. Venit ille, & cùm multo ſenio preſſus & diuerſis pœnis & afflictionibus confectus ſtaret coram iudice, gentiles clamabant: Nihil ex eo inquiras. Nos enim omnes ſcimus Chriſtianum eum eſſe, & euerſorem templorum. Aut puniri eum iubeto, aut procùl extra hanc vrbem expellito, ne nos pereamus. Demoſthenes patricius dixit: Dic mihi antique impoſtor, cuius conditionis es? Beatiſſimus Apollinaris reſpondit: Equidem non nego coram gloria tua, ſed planè confiteor Chriſtianum me eſſe, & à Petro Apoſtolo eruditum, & ad hanc feliciſſimam vrbem miſſum, vt per nomen Ieſu Chriſti ſalutem conſequantur credentes in eum. Demoſthenes patricius dixit: Quid multa? Iam tempus eſt, vt miſſa vanitate tua, dijs ſatisfacias. S. Apollinaris ait: Ego meipſum ſacrificium offero Deo pro ſalute filiorum meorum, quos mihi acquiſiui. Tibi autem dico: quiſquis non receſſerit à cultu deorum veſtrorum, & adorauerit Deum cæli, terræ & *Marc. 16.* maris, qui cum Domino Ieſu Chriſto regnat in æternum, is perpetuis gehennæ flammis concremabitur. Qui autem crediderint & baptizati fuerint, habebunt requiem ſempiternam, & diuitias inæſtimabiles.

TVM furore percitus iudex, tradidit eum cuſtodiendum Centurioni, occultè Chriſtiano, vt interim cogita- XIV. † alij *Claſſem* legunt, ſed vtrunq; vt ſuſpicor mendoſè. ret, quibus eum ſupplicijs perderet. Centurio itaque perduxit eum † Cluſam in domum ſuam, & poſt dies paucos dixit ei: Domine pater, noli tam citò mortem oppetere, cùm vita tua nobis neceſſaria ſit. Egredere noctù, & abi in vicum, vbi ægri morantur, donec furor populi conquieſcat. Sicque media nocte dimiſit eum, vt fugeret. Sed vbi res innotuit dæmonum cultoribus, inſecuti ſunt eum, & apprehenſum non longè à porta tandiù conciderunt, do- Eius prophetia. nec putarent extinctum. Porrò ante lucem collectus à diſcipulis, perductus eſt in vicum, vbi leproſi degebant, & ibi inter Chriſtianos decumbens, ſeptem dies ſuperuixit, admonens eccleſiam, ne à fide Chriſti diſcederet, ſimul annuncians, multas imminere pro Chriſti nomine perſequutiones: ſed tandem poſt plurimas tentationes etiam principes ad fidem Chriſti acceſſuros, omniaq; deorum ſimulacra euerſuros, & toto orbe terrarum hoſtiam à Chri- Feliciſsimè moritur. ſtianis Deo viuo liberè oblatum iri. Addidit etiam: Qui permanſerit in fide Ieſu Chriſti, vita viuet, & non morie- † *Claſſenſes* tur. His & alijs multis eos inſtituens ſermonibus, vita functus eſt beatiſſimus martyr & Epiſcopus Ieſu Chriſti Apollinaris, & ſepultus eſt extra muros † Cluſenſes in arca ſaxea à diſcipulis ſuis. Ea verò arca propter metum gentilium ſub terram miſſa eſt. Gubernauit eccleſiam ſuam annis octo & viginti, menſem vnum, dies quatuor. Paſſus eſt ſub Veſpaſiano Auguſto, X. Calendas Auguſti: Regnante Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

De eodem S. Apollinari vide Adonis martyrologium hoc die.

AN 360. *VITA S. LIBORII EPISCOPI ET CONFESSORIS, GRAVITER ET BONA FIDE CONSCRIPTA, VT TESTATVR AVTHOR ipſe, cuius nomen MS. Codex non habebat: Claruit autem is Author circa annum Chriſti octingenteſimum quinquageſimum, & Baronio anno 836. circa finem, videtur eſſe Ido Paderbornenſis presbyter.*

IVLII 23. QVAMVIS multifariam modiſque ineffabilibus ſupernæ bonitatis erga ſalutem humani generis I. pia diſpenſatio cognoſcatur, in hoc tamen maximis videtur clareſcere indicijs, quòd Eccleſiæ ſuæ in hac mortali conuerſatione pro æternæ vitæ præmio laboranti, tales eruditores defenſoreſque prouidit, quorum doctrinis & exemplis informari, quorum meritis & interceſſio- *Ephes. 6.* nibus poſſit in perpetuum adiuuari. Omnibus enim, qui in procinctu fidei poſiti, agonè militiæ

litiæ Chriſtianæ contra ſpiritales nequitias iugiter colluctantur, quid vtilius eſſe credatur, quàm illorum imitandas præ oculis habere virtutes, qui in eodem agone legitimè certantes, perpetuam adepti ſunt victoriæ coronam? Quid felicius, quàm eorum precibus muniri, quibus cuncta, quæ petierint, præſtanda veritas ipſa promittit? De his enim loquimur, qui verè in Chriſto manentes, eiuſque in ſe verba manere facientes, illud conſequuti ſunt præmium, quod ipſe promiſit, dicens; Quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Hoc equidem licet ad Apoſtolos ſpecialiter dictum ſit, pertinet tamen nihilominùs etiam ad alios quoſque excellentia ſanctitatis inſignes, illos præcipuè, qui Apoſtolorum tam meriti, quàm officij ſucceſſione ſublimati, perenni refulgent gratia ſacri præſulatûs. Ij namque tanto faciliùs à Deo quælibet impetrant, quanto ei & per puritatem conuerſationis, & per ſublimitatem ſacri ordinis appropinquant. Nec dubium, quin plurimùm illorum preces apud Dominum valeant: quorum ipſe poteſtatem tantum in cælo terraque valere conceſſit, vt quicquid hîc ligarent, maneret ibi ligatum: quicquid hîc ſoluerent, eſſet protinùs ibi ſolutum. Præterea illorum officij dignitatem ipſe inhabitator & conſecrator eorum ſpiritus ſanctus oſtendit, qui per prophetam Malachiam loquitur, dicens: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt. Hinc in Apocalypſi Iohannis, Eccleſiarum præſules non niſi angeli vocantur, ſignati per ſeptem ſtellas, in Chriſti dextera demonſtratas: Sunt enim ſtellæ, quia virtutibus radiant: angeli, quia mandata diuinæ iuſſionis annunciant. Conſtat igitur, eos non parùm tranſcendere modum infirmitatis humanæ, quos totiès ſcriptura ſancta non dubitat Angelos appellare. Ipſorum verò in eccleſia principes & primi propagatores, Apoſtoli fuère, qui poſt glorioſam Domini noſtri Ieſu Chriſti ad cælos aſcenſionem, iuxta promiſſionem ipſius, ſancti ſpiritûs infuſione roborati, & ſcientia omnis veritatis inſtructi, in diuerſas mundi totius penè profecti ſunt regiones, verbum ſalutis annunciantes vbique, & tam miraculorum ſignis, quam prædicationum hortamentis, id in breui efficientes, vt, quemadmodùm egregius olim Propheta præcinuit, in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ex eorum igitur ſalutaribus cæleſtibuſque doctrinis, quas ab ipſo fonte veritatis largiter hauſerant, Eccleſiaſticorum ordinum regula, diuini cultûs inſtitutio, & tota catholicæ religionis obſeruatio ſumpſit exordium.

Margin: *Iohan* 14. — *Iohan*. 15. — *Matth* 18. — *Malac*. 2. — *Apoc* 1. — Epiſcopi ſtellæ & Angeli. — *Luc* 24. — *Actor* 2. — *Pſalm*. 18.

II. Post quos multi per orbem eccleſiarum præſules, illorum in omnibus veſtigia ſequuti, & eorum non minùs virtutum gratiam, quàm ordinis dignitatem adepti, eandem tenuerunt in fide ſynceritatem, in moribus ſanctitatem, in doctrinæ ſtudio vigilantiam; qua & fidelium mentes corrigerent, & infidelium mentes ab errore conuerterent. In quo plures eorum tantum Domino placuiſſe noſcuntur, vt clariſſimis vſque hodiè miraculis coruſcare videantur. Ex quorum collegio glorioſo vir magnificus & incomparabilis extitit ſanctitatis Liborius, eccleſiæ * Cenomanicæ præſul, cuius modò propoſuimus vitam & tranſitum breuiter commemorare: vtile ac fructuoſum fore legentibus arbitrati, eius vitam actuſque cognoſcere, quem ſequendo, poſſint in diuina ſeruitute proficere. Eius etenim vita nihil aliud erat, niſi quoddam cæleſtis conuerſationis indicium, Chriſtianæ religionis exemplum, virtutis ac fidei documentum. Vnde quoniam ipſe Dominicum illud impleuit præceptum: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt: nobis in vitæ mortalis errore degentibus enitendum valdè ſolerti imitatione videtur, vt qui vitiorum & ignorantiæ tenebris obſcuramur, lucifluis bonorum eius operum radijs illuſtremur. Nec nos quiſquam exiſtimet in eius laudibus à veritatis aut moderationis tramite deuiare, cùm nulla, niſi à veracibus ſcriptis ſeu relationibus comperta, proferamus, nec eum dignè à mortali lingua poſſe laudari, ipſe cum quo nunc immortaliter regnat, Deus viſibili palàm oſtenſione declaret. Teſtatur namque, cunctis eum virtutibus atque omni vitæ merito acceptum ſibi fuiſſe viuentem, dum defuncti reliquias euidentiſſimis miraculorum ſignis frequenter glorificare non deſinit. Ex quo datur intelligi, hac eum gratia nequaquam in præſenti vita caruiſſe, quamuis indè ſpecialia literarum indicia qualibet ex cauſa non habeantur. Siue enim, quod familiaris ſanctis omnibus ſemper humilitas perſuadet, vt ea, quæ ſibi ante humanos oculos laudi & gloriæ videri valent, celari abſcondique deſiderent, hoc ipſe præ cæteris obtinuerit: ſiue geſta ſignorum virtutumque illius deſcripta quidem pleniùs, ſed caſu quolibet poſterorum notitiæ ſubtracta fuerint: niue aliud quid cauſæ fuerit ignorantes, liquidò tamen credimus, euiuſdem ſancti ſpiritûs gratiam qui toties ante eius ſacroſancta pignora præclarum ſui chariſmatis donum, operationem ſcilicet virtutum, ad ipſius demonſtranda merita exhibere dignatur, eidem quoque in carne poſito minimè defuiſſe. Non tamen deſunt etiam certa de eius meritis apicum monimenta. Habentur etiam geſta pontificum euiſdem, cui præfuit, eccleſiæ Cenomanicæ, ſimplici eloquio & abſque omni næuo figmenti, fideli narratione contexta: in quibus non plena alicuius eorum vitæ ſeries replicatur, ſed quis cui ſucceſſerit, cuius meriti fuerit, quot annis eccleſiam rexerit, breuiter etiam annotatum. Huius verò ſacri ac precioſiſſimi viri Liborij etiam tranſitus ex hac valle lachrymarum ad ſocietatem ſemper verè beateque gaudentium ciuium ſupernorum, quo contigerit ordine, latius indicatur. Extant & aliæ de eius ortu & vita literæ ſtrictim exaratæ, de quibus omnibus vtiliſſimis quibuſque & veraciſſimis narrationibus deſloratis, hîc eas, prout diuinitùs facultas datur, paucis explicare conamur.

Margin: Liborius antiſtes Cenomanorũ. — * *vulgò Le Mens.* — *Matth* 5. — Bona fides hiſtoriæ huius. — Geſta præſulum Cenomanorum.

III. Hic igitur ex Gallis originem ducens, & parentem non ignobili ortus proſapia, clariſſimam patriam ſuorum claritudine meritorum ampliùs illuſtrauit. Namque ab ætate primæua, maturum in bonis actibus cor gerebat, neq; illecebris voluptatum carnalium, vt ætati lubricæ moris eſt, animo cedens, neque vitio leuitatis indulgens. Adeo verò ſeſe humilem & quietum & trementem ſermones Domini exhibebat, vt meritò ſuper illum ſancti ſpiritûs gratia requieuiſſe credatur, quæ illum ad ſacerdotij dignitatem ac diſpenſationem ſacramentorum Dei, ad regimen fidelis populi nutriebat. Hæc etiam illius animo flagrantiſſimum diſcendi ſtudium inſpirauerat, quatenùs cæleſtium fluentis arcanorum, quæ multis erat quandoque largiter ructaturus, ipſius primùm præcordiorum intima ſalubriter implerentur. Neq; vnquam peruerſo quorundam more priùs voluit docere, quàm diſcere: ſed tanquàm futurum ſe doctorem præſaga mente aduerteret, cunctarum ferè ſibi vtilium ſcientiam ſcripturarum ſatagebat intentus auditor acquirere, quas poſtmodùm, quibus opus eſſet, valeret facundus præceptor ingerere. Nec deerat ſagacis ingenij vigor, largam bono ſtudio efficaciam ſubminiſtrans: magnamq; in teneris adhuc annis præclaræ indolis flores ſpem ſuauiſſimorum fructuum præbuère, quos abundanter conſtat poſteà prouenìſſe. Denique ſimul cum proceſſu temporis, probitatis ac ſophiæ proficiens incrementis, ita in breui maturitatem virilis ornabat ætatis, vt acceptus apud omnes, & tam honore, quàm amore, dignus haberetur. Nec mirum, quippe quem nulli elatio proteruum, nulli aſperum liuor, nulli contemptibilem fecit ignauia: ſed humilitas etiam infimis coaptaret, charitas cunctis exhiberet affabilem & conformem, induſtria demonſtraret eum eſſe vas vtile in domo Domini, ad omne opus bonum paratum.

Margin: Gallus fuit & nobilis genere. — *Eſaia* 66. — Ingens eius diſcendi ardor. — Prius didicit, quod poſtea doceret. — Eſt omnibus charus. — 2. *Tim*. 2.

IV. Postqvam autem tam vitam, quàm habitum ſecularem, cæleſtium præmiorum intuitu dereliquit, & verè à Domino in ſuam electus ſortem, Clero aſſociatus, ac officijs eſt functus eccleſiaſticis, ampliùs totum ſe diuino cultui viſus eſt mancipare. Studebat namque, quantum fragili carnis ſarcina circundatus potuit, cunctos actus cogitatuſq; ſuos ad rationis normam dirigere, circunſpectus ac prouidus, docilisq; & cautus exiſtere, aduerſa vel proſpera æquanimiter ferre, animam ſupra temporalis periculi metum fortiter agere, nihilq; niſi quod eſſet ante ſuperni examiné

Margin: In Clerum aſſciſcitur. — Habes formam, ad quã ſe, qui in Clero,

ſunt, debeā compo-nere.
examinatoris oculos fœdum, peccati ſcilicet maculas, formidare: habere de Dei bonitate fiduciam, ſecuritatem, conſtantiam, tolerantiam, firmitatem. Præterea nil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, ſub iugo rationis cupiditatem moderari vel domare. Hinc modeſtus & abſtinens, caſtus & honeſtus, parcus & ſobrius ante Deum & homines permanebat. Iam verò in illo propoſitum æquitatis iuſtitiæq; ſeruandæ, quis vnquàm dignè valeat explicare? Quis eius circa innocentiam, humanitatem & concordiam ſtudium, quis erga pietatem & religionem enarret affectum? Omnis eius animi meditatio, à rebus vanis & caducis remota, circa ſalutem animæ ac ſtatum vitæ perpetuæ verſabatur. Proindè quia tantus in eo cæleſtis iubaris ſplendor celari diù non potuit, ſancti-

Creatur Cenomanorū antiſtes.
Pauatius Epiſcopus Cenomanorum.
4. Reg. 2.
tatis eius ita rumor excreuit, vt totius inclytæ ciuitatis Cenomanicæ populi ad hunc ſibimet eligendum pontificem, vnanimiter corda conuerterent. Nec dubium, quin ſe beatos fore arbitrarentur, qui talem habere paſtorem ac præſulem mererentur: cui ad docēdum ſuppeteret linguæ diſertitudo, ad doctrinam exemplis formandam vitæ rectitudo, ad exorandum pro ſubditis Deum meriti magnitudo. Vnde cum memoratæ vrbis populum antiſtitis ſui Pauatij viri ſanctiſſimi obitus ingenti, vt par erat, mœrore afficeret, conſolabatur tamen huius concorditer electi probitas, & firmata de illo apud omnes fiduciæ certitudo, quòd nemine ſacerdotum Chriſti eſſet futurus inferior. Quinimò antiquam Iſraeliticæ gentis gratiam ſibi præſtitam gratulabantur: quia ſicut illis quondàm, ablato & ad cælum rapto Eliæ propheta ſanctiſſimo, Eliſeus duplici eius ſpiritu repletus ſucceſſit: ità ſpiritales beati Pauatij virtutes, in ſucceſſore Liborio repræſentandas, aut etiam duplicandas fore ſciebant. Quapropter gaudentibus cunctis, Eccleſiæ Chriſti regimen, ad quod olim erat diuinitùs præordinatus, iuxta morem canonicum aſſumpſit, regulariter pontifex ordinatus.

Honor in illo nō mutat mores optimos.
Eius exercitia.
1. Cor 9.
1. Cor. 1.
2. Tim 4.
Vita ornat doctrinam.
Tob 4.
Galat. 5.
Sap 2.
Prouer. 19.
Rom 12.
Iacob 2.
2. Cor. 7.
2. Cor 9.
Epheſ 5.
Matth 6.
Luc 12.
SVSCEPTO verò ſacerdotio, nihil ex ſtudio ſanctitatis, quam priùs exercuerat, dereliquit: ſed tanquam lu- V.
cerna ſuper candelabrum poſita, ita ille diuina luce repletus, quo in eminentiore conſtitutus eſt loco, eo latiùs in Dei collatæ ſibi gratiæ notitia refulgebat. Neq; illum tantę dignitatis honores ſolitę religionis mutare fecerant mores, nec eccleſiaſticorum occupationes negociorum quicquam ex quotidiana diuinæ laudis & placationis ſeruitute prætermittere coëgerunt. Quinimò tanto eam inſtantiùs adaugere curauit, quanto iam non ſuæ ſolius, ſed multarum animarum ſalutis cauſa rectè ſe viuere debere ſciebat: quibus fruſtrà videbatur præeſſe, ſi non ſtuderet etiam monitis exemplisq; prodeſſe. Ob hoc igitur, nullius momenti ſpatium ocioſè tranſigere volens, ſemper erat vtilibus intentus actibus, nunc lectioni diuinarum ſcripturarum operam impendens, nunc orationi prolixiùs incumbens: interdum etiam rerum exteriorum diſpoſitioni, prout ſuo conueniebat officio, prudenter conſulens atque proſpiciens. Aſſiduè verò vigilijs & ieiunijs caſtigabat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigebat, ne alijs prædicans, ipſe reprobus inueniretur. Erat enim prædicationis ſtudio valdè intentus, & tanquàm ſe nollet gerere officium Apoſtoli, dicentis: Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare: atq; ab eodem audiret: Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: ita ipſe quotidiè modis omnibus auditores ſuos ad vitæ rectitudinem prouocabat. Cuius præcepta & monita id maximè populo grata & amabilia faciebat, quòd eius vitam in nullo doctrinæ contrariam deprehendebant: ſed quod illis ſectandum aſſerebat, euidenter in eius moribus agnoſcebant. Verbi gratia: qui elationem velut initium omnis peccati cauendam penitùs ab illo ſæpè didicerant, nullum eius indicium in illius actibus, & habitu, in vultu, in geſtu corporis, in ſermonis vſu ſentire poterant. Audiebant ab eo: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi: videbant eum verè pauperem ſpiritu, nunquàm niſi in Domino gloriari. Audiebant ab eo, quòd inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. &; Putredo oſſium, inuidia. Videbant eum affectu beneuolentiæ gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: aliorum proſpera vel aduerſa, ſua æſtimare. Audiebant ab eo: Ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur: videbant eum, omnem oſtendentem manſuetudinem ad omnes homines. Audiebant ab eo: Sæculi triſtitia mortem operatur: videbant eum eſſe hilarem datorem, quem diligit Deus. Audiebāt ab eo, auarum eſſe idolorum ſeruitorem: videbant eum rerum ſuarum erogatione largiflua theſaurizare ſibi theſaurum in cælo. Deindè ſi quis eius parſimoniam, ſtrenuitatem caſtitatemque attenderet, non alijs ad fugiendam vitiorum corporalium labem admonitionibus indigeret.

Malach 2.
Multos a vitijs & erroribus reuocat.
Cant. 1. 2. 4. 5. 7.
Item Cant. 7 4 7. 3
Doctores Eccleſiæ prædicantur.
Dan. 12.
ITA pius gregis Dominici paſtor, commiſſis ſibi ouibus adhibita cura duplici, exhortationibus ſcilicet & VI.
exemplis, iter ad æternæ vitæ pabula quærenda, & ſpiritualium morborum dira contagia vitanda demonſtrans, tantum ex eis lucrum acquiſiuit, vt quod voce Dominica per Malachiam dicitur, de illo conuenienter valeat dici: Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius. In pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Verè enim multos ab iniquitate conuertens, & rectitudini vitæ fideique reſtituens, inter ſanctos Eccleſiæ Chriſti doctores præclarum obtinet locum: quorum multimodam gratiam & infinitam meriti excellentiam ipſe verus eiuſdem Eccleſiæ ſponſus, in Canticis canticorum multiplici laude proſequitur: nunc eos ipſius ſponſæ collum, monilibus aſſimilatum vocans: nunc tigna cedrina & laquearia cypreſſina cognominans. Interdùm labia, vittæ coccineæ, propter prædicationem paſſionis Chriſti, ſimilia, ſeu fauum dulcedinis verbi Dei ſtillantia: nonnunquàm turrim Dauid, ob conſtantiæ firmitatem, eos appellans. Aliquandò verò ibidem, ob nutrimentum paruulorum, quibus lacte opùs eſt, mammæ dicuntur. Aliquandò fauo ſimul & vino: aliquandò decori turris eburneæ comparantur: Plerunque portæ Eccleſiæ nuncupantur: & propter variam vtilitatem, firmitatem, prouidentiam, contemplationem, dentium & oculorum nomine deſignantur. Præthereà ipſi ſunt ſexaginta fortes, Salomonis lectulum ambientes: ipſi columnæ argenteæ, ſacri eloquij nitore fulgentes. Quarum omnium ſimilitudinem ſi quis myſteria perſcrutetur, profectò inenarrabilem huius ſanctæ Eccleſiæ doctoris & eius ſimilium gratiam dignitatemque reperiet, cùm ſatis indicent hæc pauca, de pluribus ex illo cæleſti epithalamio ſumpta, quòd nihil his illuſtrius, nihil pulchrius in ſponſæ laudibus decantandum ſpiritus ſanctus inuenit. Qui etiam de eiſdem per Danielem ita loquitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt plurimos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Sed quoniam huius clariſſimæ ſtellæ in erudiendis ſubditis feruorem pariter & ſplendorem oſtendimus, quibus virtutum radijs in alijs quoque rebus effulſerit, monſtrare curemus.

Cultus diuini promouendi quā fuerit ſtudioſus S. Liborius.
Noua oratoria cur extruerit.
HABVIT vir ſanctus hoc præ cæteris tum temporis pontificibus, religionis & Dei amoris indicium ſpeciale, VII.
quòd omnia, quæ ad eius laudem iugiter celebrandam & eccleſiaſtici cultûs officium pertinent, totis niſibus amplificare, prouehere atq; adornare contendit: & exceptis his, quæ ſibi ſuiſq; ad quotidiani victûs & veſtitûs neceſſaria, quibus ſolis contentus erat, vix ſufficere poterant, necnon & his, quæ ad egentium & inopum ſuſtentationem larga manu ſolebat expēdere: reliquos omnes redditus epiſcopalium poſſeſſionum, omnes quarumlibet rerum cenſus, qui ſibi ex omni ſua diœceſi debebantur, vel ſi quid ex fidelium donationibus conferebatur, ad exhibendum eccleſijs congruentem ornatum, & noua quæq; oratoria in locis, quæ ad hoc opportuna videbantur, conſtruenda deputauit. Quorum conſtructionem primùm diuinæ ſeruitutis multiplicandæ intuitu aggrediebatur: dehinc etiam plebium commoditati pariter & ſaluti proſpicere piè meditabatur, vt ad eccleſias cum ſuis ſacerdotibus propè poſitas facilè confluere, orationum ſtudijs aſſueſcere, regenerationis gratiam conſequi, documenta ſacræ legis audire, cæleſtium ſacramentorum celebrationibus intereſſe, atque omnia Chriſtianæ religionis iura diſcere & exercere

valerent

valerent: Nec quenquam vllius moleſtiæ ſeu occupationis impedimentum exindè reuocaret, quò vniuerſos ad ſalutem animarum querendam ipſa loci opportunitas inuitaret. Hac igitur intentione præter illas, quæ a ſuis prædeceſſoribus fabricatæ fuerant, decem & ſeptem ſacris ædibus nouiter conſtructis & dedicatis, ſuam parochiam ita omnem illuſtrauit, vt in qualibet eius parte populo degenti aliquam orationis domum vicinam eſſe conſtaret. Locorum verò, in quibus eas conſtruxit, hic nomina ponere dignum ducimus, quò religioſi operis memoria firmior, & fides certior habeatur. Vnam itaq; ædificauit in Colinno, alteram in Syluiaco, tertiam in Raadatio, quartam in Campogeneſto, quintam in Conedaco, ſextam in Aciaco, ſeptimam in Alonciauno, octauam in Sangunno, nonam in Sabonario, decimam in Bona, vndecimam in Lucia, duodecimam in Lugduna, tertiamdecimam in Marſone, quartamdecimam in Paliaco, quintamdecimam in Magitto, ſextamdecimam in Nouiliaco, ſeptimamdecimam in Comnis. Quibus ritè perfectis & decenter adornatis, ac ſacerdotum & inferioris ordinis clericorum iugi prouidentiæ commendatis, obſeruandum omninò cenſuit, nè qua ibidèm legitimis horis die noctuque ſacrorum intermiſſio fieret officiorum, quibus ſanctæ & indiuiduæ Trinitati debitæ gratiarum actiones & laudes referentur. Deinde vt vnitati & concordiæ totius populi commiſſi conſuleret, atque omnia illius diœceſeos loca Deo dicata, cum vniuerſis ad ſe pertinentibus antiquæ & principali ſuæ ſedis eccleſiæ, velut vni capiti & matri omnium, ſubdita monſtraret eſſe debere, decreuit vt illuc ex reliquis omnibus eccleſijs per annos ſingulos cenſus perſolueretur, certus ſcil. numerus librarum ceræ atque olei, prout illis offerendi facultatem ſuppetere ſciebat. Æquum tamen omnibus eiſdem locis debitum impoſuit: hoc eſt, vt ex vnoquoq; redderetur vna ceræ libra, & olei duæ, præter id, quod cuſtodibus præfatæ principalis eccleſiæ dari conſtituit. Ex quo verè ſancta & religioſa intentio beati viri ſatis apparet, quòd non ſibi aurum vel argentum, ſeu quodlibet earum rerum, quæ mundum amantibus precioſa, ipſi verò velut cæleſtia deſideranti omninò erant contemptibilia coaceruauit: ſed ea magis eccleſiæ dari conſtituit, quæ ad luminaria iugiter in ea concinnanda copiam darent. Nam quoniam ipſe fuit templum veri luminis, hoc eſt, ſpiritus ſancti, etiam corporalis lucis ornatum manufactæ domui Dei noluit vnquàm deeſſe.

Septemdecim ædificauit eccleſias.

Loca, in quibus ſacras ædificauit ædes.

Vult vt in ſuis eccleſijs quotidiè diuina celebrentur officia.

Vult perpetuò in Eccleſijs luminaria ardere.

VIII. MANSIT autem in Epiſcopatu annos quadraginta & nouem: in quibus feciſſe legitur ordinationes nonaginta & ſex: ordinâſſe verò presbyteros ducentos decem & ſeptem: diaconos centum ſeptuagintaſex: ſubdiaconos nonagintatres: reliquorum quoquè graduum miniſtros, quantum ſacris officijs congruum & ſufficiens eſſe videbat. Prætereà habuit bonum teſtimonium etiam ab his, qui foris ſunt: ita vt hoc quoque ſpecialiter de illo referant ſcripta, quòd ſtuduerit Deo in omnibus dulciter famulari, & in rebus eccleſiaſticis Deo & hominibus bonis oppidò placere. Vnde liquidò patet, ſic eum religionis conſtantiam ante Deum ſeruâſſe, vt tamen proximorum oculos non offenderet: ſic humano foris placuiſſe iudicio, vt diuinis obtutibus non diſpliceret in occulto. Ita per omnia verus Dei cultor illi meritò Pontifici comparatur, quem ſine querela Domino ſeruiſſe euangelica laudat hiſtoria: niſi quòd hic tanto præſtantioris fuerit ſacerdotij præſul, quanto figuram veritas, quanto legem veterem noua Chriſti gratia tranſcendit. Illo denique præſulatu functi, animalium cruores immolabant: huius ſacerdotij primus author & pontifex, per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta. Et tamen in officio diſpari fuêre pontifices iſti, ſanctitate pares, ambo euangelica laude digni, ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.

Diuturnus eius epiſcopatus & ordinationes.

Luc. 1.

Heb. 9.

Luc. 1.

IX. CVM autem diuinæ maieſtati complacuit, poſt tam diuturna tot annorum certamina, victorem hoſtis antiqui, militem ſuum æterno præmio glorificare, anno quinquageſimo Epiſcopatus ſui corporis eum moleſtia ita fatigari permiſit, vt adeſſe ſibi diem exitûs ſui non dubitaret. Qui annus illi verus extitit iubileus, quem in eodem numero annum remiſſionis appellans, vnumquemque in eo redire ad familiam, & ad poſſeſſionem ſuam lex diuina præcepit. Nam & ipſe quò minùs ſe dubitaret ad requiem tendere, poſt ſeptem ſeptimanas annorum, ex quo conſtitutus eſt ſuper familiam Domini, adhuc in terris poſitam, ad eam, quæ in cælis eſt, lætus vocari meruit: vt poſſideret terram, quam manſuetis & mitibus veritas repromiſit.

Leuit. 25.

Matth. 5.

X. EODEM tempore ſanctus Martinus Epiſcopus Turonenſem regebat eccleſiam, vir Apoſtolicis clarus omninò virtutibus: Cui inter illa, quibus aſſiduè frui ſolebat, Angelicæ collocutionis myſteria, etiam hoc ex diuina reuelatione præceptum eſt, vt ad vrbem Cenomanicam pergeret, atque ibidem in infirmitate poſitum dominum viſitaret. Vnde animaduertens, hanc domini infirmitatem de aliquo membrorum ſuorum intelligendam, de quibus ipſe dicturus eſt in iudicio: Infirmus fui, & viſitâſtis me: cœpit ilicò feſtinus ad memoratam pergere ciuitatem. Cui cùm iam appropinquans, iuxta vineam quandam iter ageret, vidit eminùs in ea ſtantem clericum gradu ſubdiaconum, Victurium nomine, operi quidem, quodcunq; ibi agendum erat, ſtudioſiùs inſudantem, ſed nihilo minùs frequentatione pſalmodiæ laudes decantantem. Hic erat diſcipulus ſancti Liborij, atque in ipſa ſuæ continentiæ mentiſque & habitus humilitate, bonæ inſtitutionis magiſtri optimi clarum præbebat indicium. Quem intuens ſanctus Martinus, reuelante ſibi ſpiritu ſancto hunc eſſe futurum ibi Epiſcopum, his eum verbis ſalutauit, dicens: Aue noſter pontifex. Dehinc illi baculum ſuum dedit, atque ita conuerſo gradu, in vrbem properauit. In qua inueniens ſanctum & verè Deo dilectum præſulem iam in extremis poſitum, & cæleſti tantùm gaudio, quò iturus erat, intentum, cum ineffabili ab eodem lætitia ſuſceptus eſt. Hîc verò neceſſe eſt, vt noſter ſermo deficiat: quia neminem dignè conſtat poſſe referre, quàm diuina, quàm ſpiritualia, quàm cæleſtia fuerint eorum colloquia, cum qua ſe exultatione mutuo viderint, quo mentis affectu ſuam ad tempus ſeparationem ferre potuerint. Erant enim ambo Chriſti militum excellentiſſimi duces, ambo crebris de diabolo triumphis glorioſi. Sed alteri iam reddendum erat præmium ſempiternum, alteri aliquandiù differendum, & adhuc pro caſtris Dei fuerat decertandum.

S Martinus Turonenſ. Epiſcopus ei contemporaneus.

Matth. 25.

Victurius S. Liborij diſcipulus.

S Martinus Victurium prædicit fore Epiſcopum.

S Martinus venit ad S. Liborium.

XI. IGITVR beatus Liborius, præſente ſibi tanto conſolatore, ſuarumque exequiarum prouiſore, decimo Kalendarum Auguſtarum die lætus migrauit ad Dominum. Cuius venerabile corpus ſanctus Martinus cum honore congruo ad eccleſiam extra vrbem poſitam duci, & in ea ſepeliri fecit: quam primus eiuſdem ſedis antiſtes, Iulianus nomine, conſtruxit, & in honore duodecim Apoſtolorum dedicauit. Decebat enim, vt qui Apoſtolorum in terra ſucceſſor, & in cælis eſſe meruit conſors, in eorum quoque eccleſia communi cum illis memoria coleretur. Sequenti verò diè vir Dei Martinus populum omnem, qui ad tanti viri exequias copioſus nimis & innumerabilis conuenerat, & internum amorem erga paſtorem ſuum largiſſimis lachrymarum fontibus teſtabatur, in eccleſiam conuocans, ſanctæ admonitionibus doctrinæ conſolabatur, eiſque præfatum Victurium ordinauit Epiſcopum. Tradunt quoque literæ ſuperius memoratæ, multa quidem ſanctum Liborium in hac vita feciſſe miracula, ſed multo plura poſtmodùm ad ſepulcrum eius fuiſſe diuinitùs oſtenſa, licèt ob multitudinem ſuam, nominatim expreſſa non ſint. Quod nos facile credimus ex his, quæ oculis noſtris videre meruimus, poſtquàm ad nos ſacrum tranſlatum eſt corpus, ſicut adiuuante Domino, ſequens huius operis textus enarrabit. Nam quoniam ipſe vere fuit organum ſpiritus ſancti, per ipſius nunc operationem ante eius reuerenda pignora virtutum ſigna ſæpiùs oſtenduntur: curationes ſcilicet debilium, ſalutes languentium, expulſiones immundorum ſpirituum: præſtante ipſius gratia, qui eſt fons & origo bonorum omnium, Deus & Dominus noſter: qui in Trinitate inſeparabili viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Migrat ad cælos S Liborius.

Iulianus primus Epiſcopus Cenomanorũ.

Multa ad ſepulcrum S Liborij miracula.

humilitatis atque modeſtiæ, Hathumarus nomine, de gente noſtra, hoc eſt, Saxonica oriundus: qui cùm adhuc puer eſſet, belli tempore Carolo Imperatori obſes datus, illic ſeruari iuſſus eſt. Vbi poſteà tonſuratus, ac ſtudijs literarum traditus, in virum perfectum moribus & eruditione profecit. Hic ex præcepto principis primus eſt Paderburnenſis Eccleſiæ ordinatus Epiſcopus. Poſt cuius ordinationem paucis annis tranſactis, idem glorioſiſſimus princeps ab hac luce migrauit. Cuius incomparabilem in omni virtutum gloria præſtantiam licèt libellus de vita eius conſcriptus pleniſſimè referat, nos tamen hîc aliquid de eo vel breuiter dicere, ipſius in nos beneficij magnitudo ſuadet. Quem arbitror noſtrum iurè Apoſtolum nominari: quibus vt ianuam fidei aperiret, ferrea quodammodò lingua prædicauit. Qui cùm totiès victoria potitus, quotiès in procinctu poſitus, multas ſibi gentes, multa regna ſubiecit: conſtat tamen eum glorioſiſſimè etiam de diabolo triumphaſſe: cui tot animarum millia, priùs ſub eius tyrannide captiua, in conuerſione noſtræ gentis eripuit, & Chriſto Domino acquiſiuit. A quo illum hoc recipere præmium & confidimus, & optamus, vt fruatur in cælis Apoſtolorum conſortio, quorum functus eſt in terris officio.

Hathumarus primus Epiſcopus Paderbornenſis.

Carolus Magnus Saxonum Apoſtolus.

VI. VT verò ad propoſitum redeamus, defuncto Carolo, Hathumaro quoque Epiſcopo non longo pòſt tempore ab hac mortalitate ad perennem, vt credimus, vitam aſſumpto, ſucceſſit ei vir egregius, nomine Baduradus: qui & ipſe ex hac regione nobili ortus proſapia, ex eiuſdem eccleſiæ Clero electus eſt. Qui præclaræ morum nobilitatis, magnanimitatis & induſtriæ merito, familiaritatem regiam intimè conſecutus, tantæ dignitatis locum promeruit, vt ei non minor facultas, quàm voluntas amplificandæ, prouehendæ atque adornandæ Eccleſiæ ſibi cõmiſſæ ſuppetere videretur. Tunc verò, tanquàm ad hoc ſibi datam diuinitùs excellentiam animaduerteret, nihil ſui laboris ſtudijque ſubtraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus, quæ ibidèm ad diuinæ laudis augmentum, ad vtilitatem Chriſtiani populi nouerat pertinere. Hæc illi cura prima imminebat, eccleſias per omnem parochiam ſuam ſub celeritate conſtruere: principalem verò baſilicam ingenti decore & grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis varijs adornare, augmentare Clerum, diſciplinam monaſterialem inſtituere, pueros tam nobiles, quàm inferioris conditionis, in ſcholam congregatos, in diuinæ legis eruditione nutrire: Quod eius laudabile ſtudium itá felix profectus comitabatur, vt verè illum ad hoc à Deo præſignatum, & rudimentis eius loci cælitùs conceſſum dicere valeamus.

Baduradus 2. Epiſc. Paderbornen. egregius.

Multas eccleſias in ſua diœceſi conſtruit.

VII. QVIA verò rudis adhuc in fide populus, & maximè plebeium vulgus difficilè poterat ab errore gentili perfectè diuelli, latenter ad auitas quaſdam ſuperſtitiones colendas ſeſe conuertens: intellexit vir magnæ prudentiæ, quòd ſi præcipui alicuius ſancti illic corpus allatum, miraculorum, vt fieri ſolet, oſtenſione & gratia ſanitatum ſuadente, multitudo plebis inciperet venerari, & ad eius patrocinia confluere conſueſceret, nulla re eam faciliùs ab infidelitate poſſe reuocari: præſertim cùm verbis doctorum de diuina virtute non credentes, tamen his, quæ oculis viderent, quæ beneficiorum vtilitate ſentirent, fidem derogare non poſſent. Prætereà cunctis fidelibus ibidèm manentibus, vel eò conuenientibus magnæ hoc apud Deum interceſsionis ſolatium, maximam eidem loco tuitionem & gloriam allaturum fore non dubitans, ad id obtinendum ſedulæ cogitationis curam intendebat. Et quoniam à Deo, qui eſt fons bonitatis, quicquid optatur boni, & maximè rem tantam nouerat expetendam; indicto ieiunio, & celebrata ſupplicatione publica, cum omnibus ſibi commiſſis, ab eius clementia demonſtrari ſibimet poſtulauit, quonam ordine pro adipiſcenda re deſiderata deberet inſiſtere. Vndè fidem eius benignè reſpiciens, dignatus eſt ei reuelare, quòd ad Cenomanicam vrbem Galliæ rem diù optatam petitum ab Epiſcopo loci mittere deberet: ibi dandum votis eius effectum proſperum fore. Ex hac reuelatione indubia ſpe animatus, accelerare negocium ſtuduit. Epiſcopus qui præfatam vrbem eo regebat tempore, Aldricus nomine fuit. Ad hunc ergò cum conſenſu & præcepto Cæſaris Ludouici, nuncios deſtinandos elegit, ex Clero quidem ſuo probabiles perſonas, & in ſacris ordinibus religioſam vitam ducentes: necnon & quoſdam laicos nobiles, quorum fidem & induſtriam ad tale opus idoneam nouerat. Clericorum verò, quibus id negocij commendatum eſt, præcipuus erat quidam presbyter, Ido cognomine, qui omnem ſuæ profectionis hiſtoriam & ſigna, quæ in ea diuinitùs oſtenſa perſpexerat, partim viua voce intimata, partim literis breuiter annotata, ad noſtram fecit venire notitiam.

Vide quid ſentiendũ de ſanctorũ reliquijs & interceſſione.

Diuinitùs iubetur Epiſcopus petere ex Gallijs ſacras reliquias.

VIII. IGITVR anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione xiiij. cùm præfatus Ludouicus tertium & vigeſimum in imperio annum ageret, legati Paderbornenſes de Saxonia profecti, ad vrbem Cenomanicam quarta kalendarum Maiarum die venêre: inſinuanteſque Epiſcopo cauſam, pro qua miſſi fuerant, benignè ab eo ſuſcepti, Dei nutu, vt credimus, ſine mora petita impetrauerunt. Sequenti namq́ue die conuocans omnem Clerum, præſente ſuo quoque coëpiſcopo, Dauid nomine, tractare cum eis diligenter cœpit, qualiter Miſſorum de tam longinqua regione venientium, religioſis precibus decenter in hoc poſſet annuere, vt ſancti alicuius integros, vt petebant, artus accipere mererentur. Erat ibidèm ſanctorum corporum magna copia: inter quæ ſancti Liborij quondàm præſulis eiuſdem vrbis præcipuè glorificatum miraculis habebatur inſigne. Quod cum Epiſcopus præfatis nuncijs dare diſponeret, reniti primò cœpêre plurimi, dicentes ſe illis pignoribus precioſius nihil habere. Tandèm vix omnium impetrato conſenſu, aſſumptis ſecùm ſacerdotibus & cuiuſcunque gradûs clericis, ſacri miniſterij veſtibus ornatis, Miſſos quoquè, qui ſanctos artus accepturi erant, adeſſe præcipiens, proceſſit ex vrbe ad eccleſiam, in qua ſacratiſſimum beati Liborij corpus digno cum honore conditum habebatur. Erat autem eadem eccleſia iuxta ciuitatem poſita, & in honore duodecim Apoſtolorum dedicata, quam primus eiuſdem ſedis præſul, nomine Iulianus, condidiſſe fertur. Ad hanc itaque memoratus Epiſcopus, denunciato priùs ieiunio, cum ſacro illo comitatu humiliter ac deuotè, vt ad tale opus decebat, perrexit, viciſſim pſalmos, litanias, hymnoſq́ue decantans. In quam cùm ipſe & plures ſecùm, ſacros artus de mauſoleis leuaturi, conueniſſent, mirum dictu, ſenſêre cuncti inæſtimabilis odoris ſuauitate totam domum repentè completam. Qui diſſimilis odoramentis omnibus, quæ in terris vel natura vel arte fiunt, clarum cæleſtis cuiuſdam præſentiæ dedit indicium. Itá enim omnium, qui aderant, mentes magis quàm corpora ineffabili iucunditate immutauerat, vt velut in ecſtaſi poſiti, & aliarum rerum obliti, tantùm ibi manendi delectatione tenerentur. Nec dubium, quin ipſe tunc fuerit in medio multorum fidelium, in ſuo nomine congregatorum, qui paucis quondàm diſcipulis tantam ſuæ viſionis dulcedinem præbuit, vt primus eorum diceret: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. Nec erat incongruum, vt eorum meritis odoris fragrantia teſtimonium daret, cum quibus Apoſtolus dicit: Chriſti enim bonus odor ſumus Deo. Erant autem in eodem loco aliorum quoque membra ſanctorum, in ſarcophagis honeſtè reconditorum, maximè Epiſcoporum ciuitatis illius. Ex quibus tunc ſimul cùm beati Liborij membra de tumba leuata, in feretro locanda componebantur, prædictus odor nunquàm defuit: quô minùs dubitaretur illi operi miniſterium præbuiſſe, quo cœpto, inchoauit: quo finito, non diutiùs manſit.

Et reuerentiam priſcorum Chriſtianorum erga ſacras reliquias.

Matth. 17.

2. Cor. 2.

Vide odorē è ſacris reliquijs.

IX. DVM hæc in templo agerentur, foris quoq; aliud ſignum eâdem contigit hora. Nam mulier quædam ab annis plurimis cæca, in conſpectu populi, qui ſatis frequens pro foribus ſtabat, interuentu ipſius, cuius corpus interiùs ad efferendũ parabatur, lumẽ recepit. Et quoniam eius tam prioris ærumnæ, quã nouæ ſanitatis omnes ferè, qui

Cæca recepit lumen.

ce clariùs oſtenſum eſt, Dei pariter & huius ipſius ſancti patroni noſtri Liborij placere voluntati, vt ad illam, in qua cum ſummo cunctorum deſiderio expectatur, regionem adueniat. Quod ſi non ità eſſet, ab inchoato heri iſtius tranſlationis exordio, vſque ad hanc horam tanta nequaquam miracula coruſcarent. Cum enim placatus potiùs, quàm iratus, Deus dona cæleſtia largiatur, quiſnam exiſtimare poteſt, quòd ſi hoc opere offenderetur, tantis illud ſignorum beneficijs illuſtraſſet? Quocircà fratres ab hac intentione deſiſtite, nè diuinæ diſpoſitioni comprobemini palàm reſiſtere voluiſſe.

XIII. Cvm his & multis alijs admonitionibus, & maximè Dei nutu ſedata plebis commotio quieuiſſet, præcepit pontifex eos, qui per totum biduum, à varijs debilitatibus, ſeu ab immundis ſpiritib. liberati fuerant, in vnum congregatos, ad conſpectum multitudinis noniter aduenientis adduci: vt eorum omnem & priſtinæ calamitatis, & nouæ reparationis hiſtoriam pandens, diuinam clementiam faceret ab omnibus vnanimiter collaudari. Vbi primùm verò populus coadunatum illud recèns ſanatorum agmen adſpexit, & quos nudiuſtertiùs diuerſis paſſionibus affectos, iam tunc ſaniſſimos eſſe cognouit, ſubitò ex omni parte infinitæ multitudinis vox magnæ gratulationis exoritur. Nec datur vllus Epiſcopum loquentem audiendi locus: ſed nemine tacente, nemine alium expectante, pro ſe quiſque, qua poterat, Deum voce laudabat. Cumque etiam clerus, Epiſcopo incipiente hymnum, Te Deum laudamus, & quædam alia tantæ lætitiæ conuenientia decantaret, immenſæ illius iubilationis ſonus, inexplebili ſupernæ laudis delectatione, in longum diei ſpatium protelatus eſt. Quo tandèm finito, aduocatis Baduradi ſæpè memoratis Epiſcopi Miſſis, beatæ memoriæ Aldricus antiſtes precioſiſſima illa, quæ ſuprà diximus, pignora coràm omni Clero & populo commendauit ſub obteſtatione grauiſſima, vt cum digno ſemper honore tractarentur, nec eis vnquam omnis reuerentia cultûs eccleſiaſtici à quolibet Epiſcopo Paderbornenſi & Clero ſuo quolibet tempore ſubtraheretur. Dehinc inter vtriuſque Eccleſiæ, Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornenſis congregationis firmata charitate perpetuæ fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. Quos tamen vna cum multitudine extra ciuitatem aliquandiù proſecutus, cum paucis ſuorum redijt: quoniam à tam glorioſo comitatu vix quiſquam niſi inuitus ſeparabatur.

Immenſæ Deo laudes & grates ob morbidos curatos redduntur à populo.

Paderbornenſibus datur corpus S. Liborij.

XIV. Et illi quidem, annuente perſpicua Dei clementia, voti ſui ſe compotes effectos ſummoperè gratulantes, kalendis Maij ab vrbe Cenomanica profecti, cum omni ſtudio ad patriam feſtinare contendunt. Cuius itineris gloriam ac lætitiam quis dignè valeat enarrare? opportunum tamen credimus, viam omnem celeri ſtylo percurrere, annotatis tantùm locis, in quibus præcipua ſunt, eademq; certiſſima geſta miracula. Nam omnia, quæ factum illud iter cœleſti quodam lumine illuſtrârunt ne illorum quidem aliquis, qui præſentes fuerunt, dicere aut memoria potuit retinere. Illis itaq; proficiſcentibus, prædicta die iuxta locum, vulgò Pontleuua nominatum, ſecurus eò quidam ex familia, pertinente ad ſeruitium eccleſiæ ipſius S. Liborij, quem & ſenſum audiendi, & ſermonis vſum nunquàm habuiſſe magna pars populi nouerat, dominum ſuum vt ſui miſereretur, quia voce non poterat, gemitu & lachrymis precabatur. Cumq; crebrò caput inclinatum, expanſæ manus, leuati modò ad cœlum, modò ad ſacrum feretrum oculi, ſatis internum eius affectum indicarent, nec iam præ laſſitudine ſequi longiùs poſſet, tandèm à pœna ſecùm genita relaxatus, eo primùm die cœpit & audire loquens, & loquentes audire.

Surdi & muti ſanatio.

XV. Inde cœpto itinere properantes, cùm ad eccleſiam quandam, S. Medardi memoria celebrem, propinquarent, ibi in via quædam mulier à longa infirmitate curata eſt, quam per omne tempus vitæ ſuæ priùs toleràſſe ferebatur. De qua id quamuis incredibile, multorum tamen relatione aſſerebatur, quòd nullum alimenti genus vnquã guſtare potuerit: ſed cochlearũ more, ſuo victitans ſucco, noxio tantùm aleretur humore. Quod nequaquam affirmantes, id tantum dicimus, quod verum nouimus, eam ad ſancti Liborij patrocinium & veniſſe languidam, & rediſſe incolumem. Hinc ad baſilicam S.* Symphorij aduenientes ibidèm ſunt recepti hoſpitio, vbi noctem illam ſplẽdor pietatis diuinæ clarè fecit illuceſcere. Nam fœmina quædam, diù malignorum ſpirituum ſe vexantium, miſerabile receptaculum facta, ad ſæpè memorati confeſſoris implorandum pro ea ſuffragium, inter cæteros etiam adducta eſt. Finitis verò matutinis ex more vigilijs, cùm facto iam ſilentio plebs egreſſura eſſet, cœpit ſubitò horrorem diræ vocis emittere, vlulare, mugire, ſibilare, ac per omnia belluinos imitari ſonos: vt niſi præſens videretur, nihil minùs quàm mulier putaretur. Terrore cuncti, qui aderant, ſimul & miſeratione permoti, teneri eam, & ad ſanctorum feretrum propius inuitã trahi, fecerunt. Deinde vnanimes pro illa preces fundentes, citò exaudiri meruerunt. Deniq; ſtatim à dæmonum violentia liberata, ſobria mente ac voce gratias & laudes Deo referens, euntes eos indè diù cum populo ſequebatur.

Itèm morbidæ mulieris

** Symphoriani puto legendum.*

Liberatur dæmoniaca.

XVI. Exinde feſtinato curſu monaſterio S. Sulpitij appropinquantes, vident eminùs adduci medicũ quendam in vehiculo, qui miſerabiliter toto penè cõtractus corpore fuit. Nam & pollices vtriuſque manûs erant in mediũ palmæ incuruati, & reliqui digiti ſupra ipſos pollices extenſi, ità eos ſtringebant, vt vngues radicibus palmarũ hærerẽt infixi. Reliquum corpus adeò velut in ſphæram rotundatũ videres, vt genua pectori, ſummitates pedũ renibus iungerentur. Sed quanto eius fuerat miſerabilior pœna, tanto ſecuta eſt mirabilior medicina. Interuenientibus namq; beati Liborij meritis, cuius opẽ integra fide implorabat, erectis in momento ac ſanatis omnibus ſimul mẽbris, proſilijt de paruo illo, quo vehebatur, curriculo, & celeriter ad loculũ ſacri corporis currens, ibidẽ ſe in terrã proſtrauit, cum ingenti affectu corde ſimul & ore gratias agens. Mirari populus, Deumq; ſublatis in cælũ vocibus collaudare, quòd non videretur circa viuentẽ hominem amplioris virtutis opus ſub cœlo fieri potuiſſe. Pergentes verò ad eccleſiam quandam, in honore S. Petri Apoſtoli dedicatã, ſubitò dæmoniacũ, qui eos aliquandiù ſequebatur, cõſpiciunt in via media cecidiſſe. Ad quem erigendum cùm aliqui ex plebe cucurriſſent, iacuit omninò ſine motu aliquo, vt ab omnibus eſſe mortuus non dubitaretur. Poſt paululũ tamen erectus ad ſedendum, cœpit ſenſim quaſi reuiuiſcere: & ſequẽti die corã populo laudes Saluatori ſuo repẽdens, ſanus apparuit, acſi nunquã à maligno ſpiritu fuerit vexatus.

Miſerabiliter contractus ſanatur mirabiliter.

Dæmoniacus penè mortuus curatur.

XVII. Proinde cùm tantis diuinorum beneficiorum donis, velut cæleſtibus radijs micantẽ viam læti carperent, quæ plus quotidiè gaudij, quàm fatigationis offerret: contigit, vt ad ciuitatem Carnotenſem, ſatis amplam & populoſam, deuenirent. Cuius vrbis Epiſcopus, Bernuinus nomine, iam tunc ætate ſimul & moribus valdè maturus, collectis ex more presbyteris, eo tempore ſynodum in vrbe celebrabat. Cui cùm nunciatum eſſet, qualiter & quo ordine aſſumptum Cenomanis corpus præfati confeſſoris, ſuæ iam vrbi appropinquaret, ſtatim cum omni illo ſacro ſacerdotum collegio, totoq; Clero ſuo & populo proceſſit in eius occurſum, atque cum hymnis & cãticis ſpiritalibus illud deuotiſſimè extra vrbem longè progreſſus excepit, iuſſitque vt deferretur per viam, quæ ducit extra muros ciuitatis ad oratorium, in quo ſancti Carauni membra requieſcunt. Cumque cateruatim ſequenti grandi multitudine ad memoratum locum honorificè duceretur, ſonantibus ſignis per totam vrbem, & populo excelſa ad Deum voce proclamante vt tantam ſibi gratam eſſe deuotionem Dominus declararet, multa ibidèm per beatum Liborium fieri ſigna conceſſit. Ex quibus vnum præcipuum hoc loco memorare decreuimus, reliqua, vitandæ prolixitatis cauſa, intermittentes. Puella, quæ ab exordio miſerandæ natiuitatis, membris ferè omnibus curua, & velut in globum contorta, nunquàm vel mentum à genibus leuare, vel plantas pedum à femoribus remouere valebat, antè loculum ſanctorum cinerum deportata, ſingulorum officia membrorum cum integerrima ſanitate ſuſcepit.

Bernuinus Epiſc. Carnoten.

Et hic nota priſcam deuotionem.

Mirè contracta reſtituitur.

Sed

Sed quoniam breuis illa veſtis, qua contractum priùs corpuſculum facilè tegebatur, iam erectè ſtanti non ſufficiebat, quin ex parte nuda videretur: citiſſimè fideles quiq; (nam in eccleſia coram Clero & populo geſta eſt) raptis fœminarum facitergulis eam contexêre, donèc allatis ſibi congruis indumentis veſtiretur. Ibi ergò cum ſpiritali lætitia noctem illam tranſigentes, primo manè optatum iter arripuêre.

Facitergulis, pro ſudarijs.

Iſthuc neſcio vndè habeat Authot de etymologia ciuitatis Pariſienſis.

Ercanradus Epiſc. Pariſienſis.

APPROPINQVANTES verò Pariſienſi ciuitati, quam fluenîs Sequanæ cinctam, Iulius Cæſar condidiſſe, xviii. & ob ſimilitudinem inſulæ maris, Iſius nominatæ, Pariſius fertur appellâſſe: ſimili modo ab Epiſcopo loci illius Ercanrado nomine, omniq; populo, vltra pontem ſtratum ſuper memoratum fluuium occurrente, ſuſcepti, & in principalem eiuſdem vrbis eccleſiam deducti ſunt. Erat autem dies Dominica. Cumq; Miſſarum ibidèm ſolennia celebrarentur, deducebatur in medium fœmina quædam, de vicinia eiuſdem loci oriunda: quæ cùm pœna grauiſſima nata, in eadem præteritum vitæ ſuæ tempus exegerat. Muta enim à natiuitate & ſurda, tertio inſupèr tormento ſubiacebar, quod videlicet mente capta, ſpiritu agitabatur immundo. Hæc in conſpectu omnium ad Miſſas circumadſtantium vehementer auxiari cœpit & ſudare: poſtremò in pauimentum ruit. Poſt celebrationem myſteriorum ad manſionem deportata eſt, & ad veſperum rurſus in eccleſiam delata. Ibi cum multis alijs pernoctabat. Statimq; vt albeſcente polo roſeum auroræ iubar illuxit, lux magnæ miſericordiæ Dei, effugatis ab ea tenebroſis tortoribus, & auditûs illi & vocis facultatem condonauit. Obſtupuêre magnoperè cuncti, qui aderant, videntes eam in vno momento ità immutatam, vt & vacua eſſet à dæmone, quo plena erat, & plenum haberet membrorum officium, quo vacua fuerat.

Dæmoniaca ſurda & muta, redit ad ſanitatem.

EVNTIBVS autem illis iuxta montem martyrum, cùm eſſent iam à dextro latere inſignis monaſterij ſancti xix. Dionyſij, occurrit ibidèm ſeruulus quidam de familia eiuſdem martyris, quem & ſacerdotes & cuiuſcunq; gradûs clerici, necnon & plures laici, conteſtati ſunt ab exordio natiuitatis ſuæ auditûs pariter & loquelæ vſu penitùs caruiſſe. Qui appropinquans ſacris pignoribus, vbi vidit plures è populo pro ſua quenque facultate in honorem ſancti Liborij, ad eius loculum iactare munuſcula, & ipſe quoque ſatis deuotè aliquid de veſtimentis proprijs illuc offerre nitebatur. Cuius extemplò adiutus interceſſione, apertis auribus & ſoluto vinculo linguæ in eadem hora Dei laudes canentem populum audiuit, & ipſe ſimul cum gaudio decantauit. Interim feſtinantes cum ſumma alacritate iter ſuum peragere, deuenerunt ad villam, quæ Gebaloha nominatur. Vbi ſicut anteà multorum fides & deuotio remunerata, ſic etiam quorundam contumacia digna eſt correptione caſtigata. Contigit namque ibidèm, vt fluuiolum quendam tranſire deberent. Quò cùm proximarent, hi qui ſanctum feretrum portabant, quatuor, qui poſteriora eius tenebant cornua, recto tramite per vadum aquæ incedere volebant. Totidem autem reliqui, priorem eius partem geſtantes in humeris, pontem magis, per quem tranſirent, quærere ſe velle aſſerebant, in tam præclaro ſanctorum obſequio calceamenta ſua madefacere dedignantes. Qui cùm ad pôtem quendam veniſſent, & venerabilem theſaurum ſecùm portantes, ſuper eum tranſirent, repentè rupto ſub pedibus eorum inſtrumento lignorum, omnes illi, qui in vado vel pedes intingere aſpernabantur, ex alto cadentes, in profundo flumine ſubmerſi ſunt: meritis tamen ſanctorum artuum, quos ferebant, illæſi euaſêre, illud verò ſacratiſſimum feretrum ab ea parte, qua ab illis, antequam caderent, tenebatur, mirum dictu, nemine contingente, in aëre pendebat immobile, donèc accurrere poſſent, qui illud accipientes, ad vadum reueherent: atque ità demùm, cœpto itinere, perrexerunt.

Surdus & mutus, audit & loquitur.

Puniuntur parùm religioſi.

Nota rem miram.

EX quo loco non longum iter emenſi, conſuetum virtutis Dei teſtimonium ad comprobanda merita electi xx. ſui videre meruerunt. Idipſum tamen, quod factum eſt, quo appelletur nomine, non ſatis occurrit. Euentum fuiſſe dixerim? ſed non ſolet res talis caſu euenire. Miraculum nominem? ſed id non magnoperè quiſquam admirabatur. Quis enim velut nouum miretur, quod ſæpiùs intuetur? mulier à dæmonio liberata eſt. Magna Dei pietas, magnum confeſſoris eius meritum, rem alibi raram, in illo itinere fecit eſſe vſitatam. Quæ tamen mulier tunc à valdè diuturna vexatione ſaluata, (nam quindecim annis ea laborauerat) haudquaquàm ingrata ſuo extitit Saluatori. Cùm enim eſſet de caſtello, quod Bauaca nominatur, non infimis orta natalibus, relicta patria & parentibus, Deo & ſancto Liborio ſe, dum viueret, ſeruituram deuouit. Secutaque ſancta pignora vſque ad locum, in quo hactenus requieſcunt, in eorum ſeruitio reliquum vitæ ſuæ ſpatium tranſegit. Circa hæc eadem loca & alia plurima ſunt in via oſtenſa miracula: ſed nobis feſtinantes illos ad patriam ſtylo proſequentibus non vacat in ſingulis immorari.

Dæmon pulſus à muliere.

CVM ad Rhenum fluuium perueniſſent, erant in ſancto illo comitatu prouinciarum occidentalium populi infinitæ multitudinis: qui de longinquis locis illuc ſecuti, iam neceſſariò reuerti ad propria debuerunt: Occurrit xxi. verò non minor mortalium numerus ex nationibus, orientalem eiuſdem fluminis ripam incolentibus, & maximè Saxones noſtri: quorum confinia nō longè ab amne memorato diſtant. Ipſi enim nupèr aduocati, audita tantorum fama ſignorum, gregatim ex ſuis vndique locis eò confluxêre. Stabant igitur in vtroque litore turbæ innumerabiles, diuerſo nimis affectu ſeſe inuicèm contemplantes. Siquidem ſuſcepturis precioſum illum theſaurum quantum gratulationis & gaudij, dimiſſuris verò quantum mœroris & gemitûs hora illa attulerit, quis vnquàm exprimere poterit? Denique ſtatim vt ſancti corporis baiuli nauem introiêrunt, vniuerſa plebs, quæ diutiùs ſequi non valebat, vnanimiter ſeſe in terram proſternens, cum ingenti gemitu & intenta ſupplicatione beati Liborij ſe patrocinio commendabat, teſtes quodammodò affectûs ſui largos lachrymarum imbres effundens. Pari modo & hi, qui in citeriore littore expectabant, terræ aduoluti, ſacra pignora cum omni, quo poterant, honore ſuſcipientes, & gratias agentes Deo, læti cum laudibus deduxêre.

Saxones dicit, quos nūc Vueſtphalos vocant.

Vide hic rurſùs antiquam deuotionem.

IGITVR ingreſſi Saxoniam, præ nimia ſibi obuiante turba vix gradum mouere poterant. Totis tamen niſibus iter accelerantes, tandèm die tertio, id eſt, quinto Kalendarum Iuniarum, quo tunc ſacra Pentecoſtes ſolennitas agebatur, ad deſideratam diù Paderbornenſem eccleſiam peruenerunt. A qua cùm adhuc tribus diſtarent millibus, iuxta fluuium quendam Hedtaha vocatum, ob immenſam multitudinem, quæ vſque ad memoratum locum ſequi non poterat, in medio campo Miſſarum celebrauêre ſolennia. Quæ antequàm finirentur, in eodem loco quinque pariter homines à varijs debilitatibus liberati, cauſam immenſæ admirationis & lætitiæ tantam Dei virtutem videnti populo præbuêre. Inſupèr eadem hora in ſæpè memorata Paderbornenſis monaſterij eccleſia, cui talis gloriæ decus per tanta terrarum ſpatia afferebatur, contigit quoddam clarum valdè miraculum, velut inſigni præconio beati Liborij aduentum annuncians. Nam puer quidam de eadem oriundus parochia, qui à die natiuitatis ſuæ ſurdus erat & mutus, ibidèm auditum pariter percipere meruit & loquelam. Agebat hoc nimirum diuina diſpoſitio, vt in die aduentûs ipſius tot ſigna coruſcantia indicio eſſent, eundem locum ad hoc fuiſſe cælitùs electum, vt tanti confeſſoris corpore illuſtraretur. Quod cum innumeris vndique ſtipatum turbis, monaſterio paulatim appropinquare cœpiſſet, Epiſcopus quidem nequibat occurrere, (nam apud palatium tunc morabatur) ſed tamen Clerus omnis cum vniuerſis eccleſiaſtici cultûs ornamentis proceſſit obuiàm, ſequente populo, qui vel de longinquis venerat, vel ex eodem oppido & vicinis locis illuc ad audienda Miſſarum ſolennia in tanta feſtiuitate fuerat congregatus. Cumque ſibi non paruo ab oppido interuallo vterque populus, ſequentium videlicet venerabile corpus

xxii.

V. morbidi reualeſcūt.

Puer ſurdus & mutus curatur.

Eccleſia Paderbornenſis olim monaſteriorum.

pus atq; excipientium, obuiâſſet, hi qui occurrerunt, ter cuncti ſimul ſolo proſtrati, ſumma illud cum veneratione
ſuſceperunt. Cumq; Clerus in hymnis & confeſſionibus Deum benediceret, & ſpiritualium carminum melodiam,
ſanctorum laudi congruam, concineret, populus verò Kyrieeleiſon ingeminaret, cum ineffabili iubilo erectis ad
Deum mentibus ſingulorum, nihil eius laude dulcius videbatur: ità vt in huius vitæ exilio ſimilitudinem quandam Kyrieeleiſon.
beatitudinis, quæ in patria ſperatur, prægustâſſe viderentur, de qua dicitur: Beati qui habitant in domo tua Domi-
ne: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Quem illis tantum diuinæ laudis amorem, eius meritis credimus inſpiratum, Pſal. 83.
in cuius tunc exequiarum honorem fuerant congregati: quoniam & ipſius ſola in cælis beatitudo, vita & gloria, non
niſi laus Dei eſt, in cuius charitate perfecta ad tantum ipſe ſanctitatis culmen aſcendit. Itaque cùm ſenſim magis
ac magis in altum ſublatæ populi voces attollerentur, etiam circumquaq; gaudentium, pſallentium, Deo gratias a-
gentium & iubilantium illi in voce exultationis per totam viciniam ſonitus intonarent, cum tali honore ſacratiſſi-
mum corpus in eccleſiam delatum, & in loco, in quo hactenus requieſcit, collocatum eſt. Vbi quantis poſtmodum S. Liborij corpus in eccleſia Paderbornenſi conditum.
miraculis effulſerit, quanta ſanitatum dona præſtiterit, alibi dicenda reſeruamus, hîc præſenti libello terminum
imponentes.

XXIII. Hæc deniq; ſecundùm tuum, præſul venerande, præceptum, noſtrumq; propoſitum de his, quæ in transla-
tione eius geſta ſunt, non quidem vt voluimus, & tantæ rei conueniebat, ſed vt potuimus & ſcientia ſuppetebat, de-
ſcribere curauimus: non magnipendentes in ſermonum qualitate reprehendi, dum tantùm integræ veritatis fide
ſeruata, diuinæ operationis inſignia ſilentio regi nequaquam permitteremus. Noſtri enim propoſiti neceſſitas ad-
monet, vt in huiuſmodi operibus nobis iniunctis id omnimodis elaboremus, vt ſi nos imperitia facit ineloquentes;
deuotio tamen oſtendat obedientes. Nec infructuoſo nos ſudore laborâſſe confidimus, ſi alicuius lectoris hæc in
manus ſumere dignantis, vel cuiuſcunque audientis animus in laudem largitoris tantarum virtutum fuerit exci-
tatus. Merito namq; laudes illi & grates toto corde referimus, qui nos inter tot ærumnas ſæculi laborantes, tanto- Sanctorum patrocinia nos tuentur.
rum patronorum ſuffragijs tueri dignatur. Qui per viſibiles corporum curationes ad internam nos animarum ſalu-
tem quærendam prouocantes, ſpem tribuunt per eorum exempla & interceſſiones perueniendi illuc ex hac valle la-
chrymarum, vbi abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum. Quò qui iam ſanctum ſuum Liborium
fœliciter perduxit, nos quoque licèt indignos, eius interuentu venire concedat: qui in Trinitate perfecta vnus & Apoc. 7.
verus viuit & gloriatur Deus per infinita ſæcula, Amen.

VITA S. BIRGITTÆ VIDVAE, MVLTIS REVELATIONIBVS CLARISSIMÆ. HABETVR HÆC VITA ETIAM TYPIS IAMPRIDEM

An. 1340. al. Brigitta.

excuſa, & ſuffragatur ei Bulla Canonizationis eius, vt vocant, edita à Bonifacio eius nominis IX. Pontifice maximo. Stylum in gratiam Lectoris mutauit paſſim F. Laur. Surius, omiſſis nonnunquam breuitatis ſtudio, quæ ad hiſtoriam non multùm attinerent.

I. SANCTA Birgitta in regno Suediæ orta, non tantùm parentes habuit nobiles, & tum coram Deo, IVL. 23.
tum coram mundo potentes, verumetiam auos, proauos & abauos excellentes, legem Dei feruenter Illuſtres eius progenitores & pij.
inquirentes, & peregrinationes ſuſcipientes, cæteraq; pia opera auidiſſimè exequentes. Omnis enim
cognatio eius & ſtirps, vti etiam beati Tobiæ, bonam vitam & ſanctam conuerſationem ſectata eſt:
adeò vt tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus terram, accepti & chari eſſent. Auus e- Tob. 14.
nim, & proauus atque abauus patris eius, exemplo Abrahæ & aliorum priſcorum patrum, peregrini eſſe voluerunt
in hoc mundo, tametſi erant diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis. Gen. 12.
Nam ſacramenta Dominicæ paſſionis ad memoriam reuocantes, peregrè profecti ſunt in ciuitatem ſanctam Hie- Eccl. 44.
ruſalem, & ad alia loca, quæ Chriſtus Ieſus corporali præſentia ſua illuſtrauit, idque non ſine multo ſumptu & la-
bore. Eorum autem & exitum & introitum Dominus miſericorditer cuſtodiuit. Sed & pater S. Birgittæ Birgerus,
in illorum veſtigijs inſiſtens, multa loca Sanctorum, putà, S. Iacobi, & alia circa mare Auſtrale, deuotiſſimè inuiſit, Pietas patris eius.
paratus etiam vlteriùs proficiſci ad terram ſanctam, niſi Apoſtolicæ ſedis conſilio, propter cauſas rationi conſenta-
neas, retardatus fuiſſet. Idem ipſe ſingulis ſextis ferijs peccata ſua ſolebat humiliter confiteri ſæpiſſimè his vtens
verbis: Ità me qualibet ſexta feria comparare volo erga Deum, vt quicquid cæteris diebus ille mihi præſtiterit, ferre
æquo animo poſſim. Memor erat ſententiæ illius, Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.
Fecit conſimiliter filius eius, quoad vixit, qui etiam poſt confeſſionem ſecretò acerrimis flagellis cædebat corpus Eccl. 5.
ſuum, vt paratus in flagella, Chriſtum flagellatum in ſuo glorificaret corpore, & cum vitijs & concupiſcentijs iugi-
ter crucifigeret carnem ſuam.

II. MATER quoque beatæ Birgittæ, Sigridis, nobilis & religioſa fuit, cuius pater ſanguine regio procreatus e-
rat, diligens decorem domûs Dei, ità vt multas extruxerit eccleſias, & pro magnificentia ſua ampliſſimos reditus Mater eius multas condit ſacras ædes.
dotis nomine eis aſſignârit. Porrò ingreſſus beatæ Birgittæ ſponſæ Chriſti, in hunc mundum, fuit quaſi diluculum
diuinitùs præparatus. Nam cùm adhuc materno geſtaretur vtero, accidit vt mater eius in quodam maris ſinu nau-
fragium faceret: cumque multi vtriuſque ſexûs ſubmergerentur, Dux regni Henricus, frater regis Suediæ, videns il-
lam in periculo verſari, modis omnibus, quibus potuit, eam viuam ad litus perduxit. Eâdem autem nocte illi adſtitit Euadit mortem.
perſona quædam, veſte luculenta induta, dixitq; ad eam: Salua euaſiſti propter bonum illud quod habes in vtero.
Itàq; nutri illud pro Dei amore, ſciens ſpecialiter id tibi diuinitùs eſſe donatum. Nata autem puella, ſacerdos qui-
dam vicinioris eccleſiæ, vitæ integræ & prouectæ ætatis, qui poſteà factus eſt Epiſcopus Aboënſis in Suedia, inter o- Viſio ſacerdotis.
randum nocte vidit nubem lucidam, & in nube ſedentem virginem, in manu ſua librum habentem. Admirans igi-
tur, audiuit vocem eiuſcemodi: Nata eſt Birgero filia, cuius vox mirabilis toto orbe audietur. Ab ipſo autem ortu
ſuo triennium ferè permanſit elinguis infantula, nec vllum edidit ſermonem. Sub finem verò triennij tam perfectè
loqui cœpit, vt iam non infantium balbutientium more, ſed contra eius ætatis vſum, abſolutè ſua verba enunciaret.

III. INTEREA mater eius eleemoſynis & bonis operibus ſemper dedita, morbo corripitur, & aliquot diebus
antè prædicit obitum ſuum. Cumq; iam eſſet migratura à corpore, maritum ſuum & alios eius morte dolentes, ità
compellat: Quid ità doletis? Sufficiat huc uſq; protogâſſe vitam. Gratulari potiùs mihi debetis, quòd ad potentio-
rem Dominum euocata ſum. Indè accitis filijs, cùm omnibus valedixiſſet, obdormiuit in Domino. Ea defuncta, fi-
liola eius Birgitta, à patre tradita eſt nutrienda matertetæ ſuæ, matronæ inſigni prudentia & religione. Et cùm ſe-
ptennis ferè eſſet, vidit quodam tempore euigilans, è regione lectuli ſui altare, & ſuper illud Dominam indutam ve-
ſtibus ſplendidis, & in manu ferentem coronam magni precij, ipſiq; dicentem: Birgitta, veni. Surgenti illi & ad ará Viſio S. Birgittæ adhuc ſeptennis.
properanti, dixit Domina: Viſne habere coronam hanc? Illa annuente, impoſuit eam capiti eius, ità vt ſentiret puel-
la caput ſuum tanquàm circulo quodam ambiri. Sed cùm ad lectulum rediſſet, viſio illa diſparuit, cuius tamen
nunquàm potuit obliuiſci.

DEINDE ad annum ætatis decimum accedens, inſtàr puriſſimi lilij, totius honeſtatis candorem retinens, & IV.
à radice labentis mundi, ad cœleſtium pulchritudinem ſeſe erigens, munditiam animi & corporis, ceu theſaurum abſconditum conſeruabat. Abundauit in ea totius forma virtutis: ſobrietas cum modeſtia, ſimplicitas cum verecundia, humilitas cum obedientia, iucunda conſcientia, hilaris patientia, charitas indefeſſa. Decimo ætatis anno cùm audiuiſſet in templo concionantem de paſſione Domini, nocte ſequente vidit in ſomnis Chriſtum, quaſi eadem hora crucifixum; ſibiq; dicentem: En vt excruciatus ſum. Illa exiſtimans eàdem hora recèns id factum, ait ad eum: Ecquis iſthuc tibi fecit Domine? Chriſtus reſpondit: Illi qui me contemnunt, & charitatem meam negligunt. Tum illa ad ſe reuerſa, vſque adeò fuit affecta erga paſſionem Chriſti, vt eius myſteria rarò ſine lachrymis ad memoriam potuerit reuocare.

Nota virtutes teneræ puellæ.
Alia viſio eius, de paſſione Domini.

CVM duodennis iam eſſet, cum puellis ſuis coætaneis acu pingebat ex ſerico & auro. Animo autem anxia, ità V.
vt operi intendere non poſſet, oculos mentis ad Deum referebat. Eccè autem viſa eſt illi aſſidere virgo quædam ignota, eam in eo opere adiuuans. Interrogata deindè quænam ipſi aſſediſſet, reſpondit ſe neminem vidiſſe. At matertera eius opus, quod tum præ manibus habuerat, non ab illa tam tenera puella, ſed diuinitùs potiùs elaboratum conſiderans, inter reliquias fideliter illud aſſeruabat. Nocte autem quadam eadem matertera in eius cubiculum latenter ingreſſa, inuenit eam, cæteris dormientibus, in ſilentio clàm ante lectum ſuum, nudam adorare cum lachrymis Crucifixum. Suſpicata autem, leuitate quadam puellari id fieri, virga eam percuſſit, ſed ea in minutiſſimas partes diſſilijt. Admirans igitur, dicit ad eam: Quid egiſti Birgitta? Num te docuerunt fœminæ preces quaſdam fallaces? Illa cum lachrymis reſpondit: Non, domina mea: ſed ſurrexi è lecto, vt laudarem eum, qui me ſemper ſolet adiuuare. Sciſcitante matertera, quis ille eſſet, reſpondit: Crucifixus eſt, quem pridèm conſpexi. Ab illo ergo die matertera eius cœpit eam & amare impenſiùs, & ampliùs venerari.

Orat nocte coram Crucifixo.

NON diù pòſt ludens cum puellis Birgitta, vidit diabolum tanquàm centimanum & centipedem, horrida VI.
ſpecie deformem. Perterrita igitur, cucurrit ad lectulum ſuum, humiliter ſe Chriſto commendans. Vbi rurſùs ei teter ille ſpiritus appàrens: Nihil poſſum, inquit, niſi permittat Crucifixus. Animaduertens autem pater eius, quòd virgo iam nubilis, & tanta morum elegantia ſpectabilis, ceu altera quædam Eſther, poſſet generi ſuo magnum adferre ſplendorem & dignitatem, & inſtàr parui fontis in maximum exceſcens fluuium, plurimis aquis redundare: ipſam licèt ſummoperè in virginitatis propoſito permanere cupientem, cuidam adoleſcenti diuiti, illuſtri, cordato & prudenti deſpondit. Erat is Nericiæ princeps, & Vlpho de Vlphaſo dicebatur. Vixerunt autem pariter annum vnum & eo ampliùs pudicè, & continenter, obnixè rogantes Deum, vt ſi ei viſum eſſet, vt inter ſe concumberent, talem ex ijs prolem procrearet, quæ ipſius ſeruitio manciparetur. Poſtquàm autem iam inter ſe conuenerant, ſemper in Quadrageſima, & diebus ſolennibus & qualibet ſexta feria, à carnali copula abſtinebant, & tum illa clàm induta veſtibus, extra lectum cubabat in pauimento vel aſſere, tapete inſtrato. Porro ambo ſimul, adſpirante ſpiritu Dei, matrimonium honeſtiſſimè coluerunt, & tam Deo quàm hominibus chari, in venuſta morum integritate & maturitate fœlices habuêre progreſſus. Filios ſuos Birgitta cum multa ſolicitudine & diligentia educauit: eoſque ceu aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, vnguibus caſtigationis & ſanæ doctrinæ, radijs Solis iuſtitiæ obiecit, adhibens illis præceptores, qui eos in fide & moribus inſtituerent. Apparuit quandoquè ei beatiſſimus Iohannes Baptiſta, & ait: Quandoquidem ploràſti, quòd filius tuus offendit me, non ieiunans in vigilia feſti mei, malleſque eum ſeruire mihi, quàm regia dignitate excellere: ideircò ego illum adiuuabo, & armis meis communiam.

Horridiſſima ſpecie ei apparet ſatan.
Eſther. 10.
Nubit Vl[illegible] ni, & no[illegible] [illegible]atri.
Deut 32.
Apparet ei S Iohannes Baptiſta.

LOCA, leuitates, & perſonas omnes, vndè poſſet aliqua nota adſpergi, declinabat, ſemperque honeſtas an- VII.
cillas & comites omni morum honeſtate conſpicuos apud ſe retinebat, nè cuiquam obtrectandi occaſionem præberet. Et quia à primis ætatis initijs diuina erat gratia perfuſa, diuini amoris calore incenſa, ſurſùm toto deſiderio ferebatur in Deum, & ardentiſſimè cæleſtia meditabatur. Nè quam autem ſatanæ tentandi materiam offerret, ab ocio valdè abhorruit, boniſque & ſanctis exercitijs ſemper vacans, nunc operi manuum incumbebat cum famulabus ſuis, diuino cultui & proximorum vtilitati profuturo: nunc Sanctorum vitas & Sacra Biblia, quæ Gothico idiomate ſibi ſcribenda curàrat, legebat: nunc eccleſiarum limina terens, diuinis officijs libenter intererat: nec pepercit labori corporis: ſed ſuaue & delectabile illi videbatur, pedibus ſuis ire ad monaſteria & eccleſias cathedrales, tum ob indulgentias ſiue condonationes promerendas, tum ob audiendas doctorum virorum conciones. Ieiunijs quoquè, vigilijs & orationibus feruenter intenta, docebat carnem parère ſpiritui: atque à delicatioribus eſcis abſtinens, ea cautione id faciebat, vt à marito & alijs non aduerteretur. Semper autem interdiù ad corpus, & noctù, abſente marito, veſte dura & aſpera vtebatur.

Ocium ſummoperè vitat.
Eccleſias & ſacra loca viſitat.

IAM verò: infirmorum, morbidorum & pauperum felix & inclyta mater, eleemoſynas largiſſimas præſta- VIII.
bat. Habebat autem magnas ædes pauperibus deputatas, & in ijs fœminas, quæ illorum miniſterio ſemper occuparentur. Sed & ipſa cum multa humilitate non rarò illis inſeruiebat, lauans & oſculans pedes eorum. Quandoquè in partu ea periculosè laborante, matrona quædam, alba ſerica veſte induta, ad eam ingrediebatur, ſingula iacentis membra palpans. Cumque rurſùs egrederetur, illa mox ſine vlla difficultate peperit. Non dubium, quin beata Maria fuerit, ſicut poſteà per reuelationem ei indicauit. Maritus autem eius, cùm eſſet vir ſtrenuus & potens, & ex præcipuis Regis conſiliarijs, perſpecta tanta eius virtute & gratia, illius ſacris & ſalutaribus delectabatur ſermonibus & conſilijs, ità vt ſpretis omnibus mundanæ vanitatis honoribus & pompis, ab aula Regis prorſùs ſe ſubduceret, ſuauique iugo Domini ſe totum humiliter ſubmittens, quicquid eſſet æquum & iuſtum, quicquid bonis moribus & honeſtati conſentaneum, in gloriam & laudem Dei efficaciter exequi conaretur. Didicit verò etiam à beata Birgitta legere preces horarias beatiſſimæ matris Dei. Ambo igitur feruentes ſpiritu, vt ſe liberiùs à mundi vanitatibus expedirent, è patria ſua exeuntes, non ſine multo labore & ſumptu, profecti ſunt in Hiſpaniam ad Sanctum Iacobum: & tandèm multis peragratis Sanctorum locis, cùm iam eſſent in reditu, maritus cœpit apud Attrebates peſſimè valere. Increſcente autem morbo, cùm beatam Birgittam magni tenêrent angores, Sanctus Dionyſius eam conſolatus eſt, ità dicens: Ego ſum Dionyſius, qui ab vrbe Roma in Gallias véni prædicare verbum Dei. Tu ergò, quæ me ſingulariter amas, ſcire debes, per te velle Deum mundo innoteſcere, teque meæ curæ commiſſam eſſe. Cuius rei hoc habebis ſignum, quòd maritus tuus iam non morietur. Tranſactis indè aliquot eo in loco diebus, vidit in ſpiritu admiranda quædam, quemadmodùm itura eſſet Romam, & Hieroſolymam, & è corpore migratura.

Pauperum magnam curam gerit.
B. Maria adeſt parturienti.
Suſcipit peregrinationes cũ marito ad ſanctum Iacobum.
S Dionyſius ei apparet Attrebatis.

RVRSVS aliquot euolutis diebus, cùm vir eius conualuiſſet, in patriam redièrunt, ipſaque Deo dilecta ma- IX.
ritum ſuum ſanctis adhortationibus perfectè ad Deum conuertit, & tum precibus, tum exemplis ſuis, eum ad perpetuæ continentiæ ſtudium perduxit. Cumque votum ille nuncupâſſet Deo, quòd monaſticum vellet viuendi genus arripere, ſeptem liberis procreatis, diù ſeruata continentia, in Monaſterio Aluaſtra Ordinis Ciſtertienſis, feliciter à vita deceſſit. Eo defuncto, ſancta & pudica matrona ad ſecundas nuptias non acceſſit, ſed mundo valefa-

Maritus eius fit monachus.
Ad ſecũdas nuptias nõ acceſſit vſa conſilio Apoſtolico. 1. Cor. cap 7.

ciens

ciens, facultatibus ſuis inter proles diſtributis, habitum mutauit & vitam. Feciſſet autem maiora, niſi peregrinari diuinitùs iuſſa fuiſſet. Vidiſſes deindè eam ceu alteram Iudith, virtute caſtitatis inſignem, erga proximum officioſam, piam erga Deum: & quemadmodùm Apoſtolus docet, quaſi verè viduam & deſolatam, ſpem ſuam in Domino collocantem. Cùm autem quodam tempore plùs ſatis anxia eſſet de mutatione ſtatûs ſui, vt Deo liberius ſeruire poſſet, mentis ecſtaſin paſſa, vidit nubem luculentam, & ex nube vocem audiuit ipſi dicentem: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui tecum loqui volo. Tu eris ſponſa mea & canalis meus. Iјs verbis illa territa, quòd putaret illuſionem eſſe, rurſùs audiuit: Noli timere, quia ego ſum conditor omnium, non impoſtor: nec tua vnius cauſa loquor, ſed propter ſalutem multorum. Audi ergò, quæ ego loquor, & deindè refer ea ad magiſtrum Matthiam, qui ſua experientia didicit ſpiritum veritatis ab illuſionis ſpiritu diſcernere. Is Matthias vir magna fuit in Deum deuotione, & Sacræ Theologiæ Doctor celebris: cui beata Birgitta in omnibus obediuit, quemadmodùm ei tum diuinitùs præceptum fuit, cùm cæleſtes primùm cœpit habere reuelationes. Specialiter verò à Deo hoc illa obtinuit, vt annis viginti octo, poſtquàm eas habuit reuelationes, * nunquàm profecta fuerit, nunquàm alicubi hæſerit, niſi mouente eam ſpiritu Dei.

1 Tim 5. Raptæ in ecſtaſi loquitur Dominus.

Doctor Matthias ſpiritalis pater S. Birgittæ.

* *nuſquàm.*

X. INSTITVIT autem nouum monaſticum ordinem, & regulam ſiue Canonem ex ore Chriſti ipſi dictantis conſcripſit, quem monialibus cœnobij Vuaſtenæ ſeruandum reliquit. Interim propter ſubitariàm vitæ mutationem & habitûs vtilitatem à nobilibus, vitam eius non alio, quàm inſaniæ locò habentibus, contemnebatur: ſed eis illa dicebat: Nec propter vos incepi, nec propter vos deſiſtam. Statui autem apud animum meum verba tolerare. Orate vos pro me, vt perſeuerare queam. Non enim ignorabat, ſicut malam conſcientiam non ſanant laudantium præconia, ità nec bonam lædere vituperantium conuicia.

Nouus ordo S. Birgittæ ex ore Chriſti inſtitutus.

XI. TRIGINTA annis ab obitu mariti veſtibus lineis vſa non eſt, niſi duntaxat in capitis velaminibus: ſed aſpero induta cilicio, carnem ſuam excruciabat. Ante lectum ſuum iuſſerat poni tapetum ſimplex vel pallium, & puluinar exiguum pro capite: ſicque cubare ſolebat. Interrogata, quînam ſic ſomnum capere poſſet in acerrimis frigoribus, quibus eæ regiones Aquilonares rigent? reſpondit: Ego tantum intrà me ſentio ardorem, vt frigus externum me non valdè anxiam habeat. Nocte & die totiès flectebat genu, toties ſeſe inclinabat & oſculabatur humum, vel Venias, vt dici ſolet, capiebat, vt mirum videretur tam nobilem & teneræ habitudinis matronam, tantos poſſe perferre labores. Sextis ferijs conſueuit ardentis cerei guttas ignitas in nudam deponere carnem, ità vt vulnerum veſtigia relinquerentur: quæ ſi ſua ſponte ante proximam ſextam feriam nonnihil curata eſſent, ſuis vnguibus ea lacerans, renouabat, ne corpus eius vulnerum afflictione vacaret. Habebat etiam nodoſa & aſperrima ligamina ad corpus ſuum, quæ neq; noctù, neque interdiù à ſe remouit. Qualibet ſexta feria propter Saluatoris paſſionem, & felleum potum, ipſi in cruce oblatum, amariſſimam herbam quandam ore retinebat: idque itidèm alijs quoquè diebus faciebat, ſi quod verbum inconſideratè protuliſſet. Et quia ſpreta mundanæ lætitiæ falſa pulchritudine cor eius intolerabili mortis Chriſti acerbitate perfuſum erat, non abſurdè dicere potuit cum illa præclara vidua Noëmi: Nè vocetis me pulchram, ſed vocate me amaram: quia amaritudine valdè repleuit me omnipotens. Obedientiæ verò ſtudioſa fuit, vt nullibi eſſe voluërit ſine præceptore. In facienda confeſſione humilimam, & ad quæuis ipſi iniuncta promptiſſimam, ſe exhibuit. Ab infantia pro more habuit, ſingulis ſextis ferijs confiteri peccata ſua. Sed ſæpiùs, eo minimè contenta, quolibet die crebrò confitebatur etiam leuicula verba & cogitationes.

Cilicio vtitur.

Non ſentit frigus præ animi ardore.

Venias capere, eſt terram deoſculari, locò pedum Ieſu Chriſti.

Attende eius humilitatem.

Ruth. 1.

Crebrò confitetur.

XII. Ex obedientia in domibus, monaſterio Aluaſtræ vicinis & contiguis morabatur, non vt aboleret canonem monaſticum illis fratribus præſcriptum, nec vt nouum quendam morem, cùm ipſa eſſet mulier, eò inueheret: ſed vt opus Dei mirabile eo in loco certiùs oſtenderetur. In illo monaſterio frater quidam fuit ex iјs, quos conuerſos vocant, Gerekinus nomine, qui intrà annos quadraginta nunquàm è monaſterio egreſſus fuit: ſed die ac nocte vacans orationi, eam à Domino obtinuit gratiam, vt nouem Angelorum ordines inter orandum quaſi continenter videret, & ſub eleuatione ſacræ hoſtiæ Chriſtum in forma pueruli crebrò conſpiceret. Cùm autem ſancta Birgitta ad illud veniſſet monaſterium, illic moratura, hic frater ſecùm tacitus admirabatur, dicens: Cur hæc domina in monachorum cœnobio reſidet, contra regulam noſtram, nouam huc conſuetudinem introducens? Raptus igitur in ſpiritu, audiuit vocem perſpicuè dicentem: Noli mirari, eſt enim amica Dei atque ea cauſa huc venit, vt in hoc monte flores colligat, è quibus multi etiam vltra mare & in extremis orbis partibus degentes, accipient medicinam: putà Teutones, & alij in Oriente, Occidente & ad Auſtrum morantes. Ità in hac reuelatione id præſignificatum eſt, multos in hiſce locis victitantes, aduerſùm exitialia peccatorum vulnera habituros medicinam, ex dictis S. Birgittæ. Prætereà vidit idem frater beatam Birgittam à terra eleuatam, & de ore eius tanquàm flumen egrediens, dictumq; eſt illi: Hæc mulier à finibus terræ veniens, innumeris gentibus propinabit ſapientiam. Et hoc erit tibi ſigni loco, quòd ipſa indicabit tibi finem vitæ tuæ, exultabiſque in aduentu & ſermonibus eius citiusque complebitur deſiderium tuum, vt non videas mala, quæ illaturus eſt Deus domui iſti.

Gerekinus conuerſus ſanctiſſimus.

XIII. PRIOR quidem Dominicanus ægrè poterat adduci, vt beatæ Birgittæ reuelationibus fidem commodaret. Is cùm aliquandò dormiret, vidit ignem à cælo in eam deſcendere. Stupefactus ea viſione, putabat ſibi illudi. Itaq; expergiſcens, rurſùs obdormiuit, viditq; ignem illum ex ore S. Birgittæ prodeuntem, multos circa illam ſtãtes inflammare: ſimulq; audiuit vocem dicentem: Quis prohibere poteſt ignem hunc, vt non egrediatur? Ego enim Deus omnipotens mittam hunc ignem ad Orientem & Occidentem, ad Aquilonem & Auſtrum, & incendet multos. Deinceps Prior ille credidit reuelationibus S. Birgittæ, eaſq; tuendas ſuſcepit. De hoc fratre habetur ſexto librò Reuelationum, cap. 30: Duobus ferè expletis annis in memorato monaſterio, Chriſtus iuſſit S. Birgittam laborem peregrinationis ſuſcipere, dicens ei familiariter: Proficiſcere Romam, illic enim plateæ ſunt auro inſtratæ, & Sanctorum ſanguine rubricatæ: ibi propter condonationes ſiue indulgentias, quas promeruêre Sancti, compendio venitur ad cælum. Manebis autem illic, donèc videas ſummum Pontificem & Imperatorem. Quod quidem ita euênit, miſitq; illa vtriq; reuelationes, ipſi præſtitas de reformatione Eccleſiæ. Hoc Chriſti mandato accepto, illa vtpotè obedientiſſima, non vllas nectit moras, ſed confeſtim aures parat auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, totamq; ſe intùs colligit, vt mandatum conficiat imperantis. Egreſſa igitur è paterno ſolo, crebris eſt diuinitùs recreata conſolationibus: cumq; Romam veniſſet, cum ſumma deuotione & multa aſſiduitate, nec mediocri labore viſitabat loca Sanctorum, nec facilè colloquia miſcens inter eundum, niſi fortè interrogata eſſet: & tunc verbis pauciſſimis ſciſcitanti ſatisfaciens.

Viſiones cuiuſdam, de reuelationibus S. Birgittæ dubitantis.

Nota Chriſti de Roma teſtimonium.

XIV. PAVPERTAS voluntaria adeò illi cordi fuit, vt omnes res & facultates ſuas cuidam commiſerit diſpenſandas: & quotiès aliquid indè vel in ſuos, vel aliorum vſus conuerti cuperet, cum ſumma humilitate in nomine Ieſu Chriſti, id ſibi dari petiërit, perindè ac ſi nunquàm eas poſſediſſet. Solebat autẽ in eiuſmodi petendis rebus aliorum, qui cum ipſa erant, vtilitatem ſuæ anteferre, & propriam celans indigentiam, orare vt illis præberentur neceſſaria, licèt ipſa plùs cæteris iјs careret: vti ſic proximum purè diligeret propter Deum. Poſt annos aliquot iuſſa eſt ire Neapolim & in Siciliam. Fecit illa, & à Regina Siciliæ multiſque nobilibus, propter vitæ eius ſanctitatem & ſynceritatem multis eſt aucta & honorata muneribus & xenijs: Viſitatis autem in Sicilia Sanctorum locis, Neapolim venit:

Studium paupertatis eius.

Honorificè accipitur in Sicilia.

vbi moram fecit, & inſtar puriſſimi ſpeculi, virtutum de ſe exempla omnibus exhibuit, intrepideq; doctos pariter atque indoctos verbis & exemplis ad viam veritatis reuocauit. Reuelationem quoquè ipſi factam de populo ciuitatibus illius, ipſi Archiepiſcopo, doctis Theologis, alijsque & clericis & laicis ſapientibus exponens, abſque metu quemlibet reprehendit.

P o s t annos multos, cùm Romæ ſolito feruentiùs Sanctorum limina viſitâſſet, vnigenitus Dei filius præcepit, vt iret Hieroſolymam. Prætexente illa incommodam valetudinem & ætatem, Dominus reſpondit: Ecquis eſt naturæ conditor? Ego addam tibi vires: ego proſpiciam de itinere: ego te ducam & reducam in locum hunc; deniq; ego ero cuſtos tuus, quocunquè pertexeris: nec dimittam, donèc compleuero vniuerſa, quæ dixi. Veniens Hieroſolymam, multa audiuit à Domino de ſtatu regnorum, de natiuitate & paſſione eius, & de vocatione gentium. Dicebat ei Dominus: Verba mea diù antè annunciari & audiri debent, ſed poſteà ſequentur opera & ſigna. Nôueris itaque, multos necdùm editos in hanc lucem, hæc mea verba recepturos: & beati, qui audient verba mea, & ea opere perficient. Poſt obitum tuum complures verba mea, quæ tu ſcripſiſti, complectentur, & ſuauiter ea ſequentur. Porro loca omnia, in quibus pro peccatoribus pati voluit Dominus Ieſus, ipſa deuotiſſimè viſitauit, & quaſi columba nidificans in foraminibus petræ, ſuauitatem vulnerum eius meruit deguſtare, & diuinis intrinſecùs viſitationibus crebrius illuſtrari. Antè autem, quàm à Hieroſolyma rediret, febri & ſtomachi infirmitate laborare cœpit, eamque terra & mari inter labores & dolores ſuos integrum annum patientiſſimè tulit. XV.

It Hieroſolymam.

Viſitat ſacra loca Hieroſolymis.

Cant 2.

V b i Romam rediſt, morbus increuit, & tandem illius vi extincta eſt. Cumque iam immineret dies obitûs eius, quinque diebus antè rurſùs apparuit ei Dominus Ieſus ante altare, quod erat in conclaui eius, iucunda facie & corporis eius oculis viſibilem ſe præbens, eiq; dicens: Ego ſic tibi feci, quemadmodùm ſponſus ſolet, ſubducens ſe ad tempus à ſponſa, vt ardentius deſideretur. Non viſitaui te diuinis conſolationibus, quandoquidem tempus erat, quo probareris. At nunc probata ſatis, procede & præpara te. Tempus eſt enim, vt ſicut pollicitus tibi ſum, coram altari meo monaſtico habitu induaris, & deincèps non modò ſponſa mea, ſed etiam monacha & mater in Vuaſthena voceris. Attamen ſcias te corpus hîc Romæ poſituram, donèc veniat ad locum ipſi præparatum. Placet Deo, parcere tibi à laboribus: accipit ille voluntatem tuam pro opere. Deindè ſubiunxit. Quinto ab hinc die manè ſumptis ſacramentis, conuoca ſingulatim, quas tibi indicaui, & facienda illis demanda: atque itá venias ad monaſterium tuum, id eſt, in gaudium meum, porrò corpus tuum in Vuaſthena reponetur. Ex his licet animaduerti, beatam Birgittam, dum eſſet in corpore, monaſtico habitu indutam non fuiſſe, neq; illius Ordinis veſtibus, quem ipſa inſtituit: ſed emigrantem à corpore, à Chriſto ſponſo ſuo accepiſſe eiuſmodi habitum incorruptibilem, ſicut ei in reuelationibus ſuis promiſerat. Itaque pingitur plerunq; vt monacha, nam tametſi non fuit monacha, dum vixit, attamen petijt veſte eiuſmodi indui, qua nunc vtuntur moniales Ordinis eius: ſed eam accepit in cælis. X V I.

Chriſtus ei apparet, ante mortem.

Deus bonã volũtatem pro opere accipit.

D i e quinto ſub ortum Solis Chriſtus iterum ei apparens, conſolabatur eam. Miſſa celebrata, perceptiſque ſacramentis, inter manus earum, quas paulò antè diximus, ſpiritum reddidit pijſſimo Saluatori, quem toto pectore amauit. O ineffabilem increatæ Sapientiæ benignitatem, eos, qui ipſam concupiſcũt, præoccupantem, vt illis prior hilariter ſe oſtendat. O ſponſæ ſingularem gloriam, quam ſponſus in fide & miſericordia ſibi deſponſans, verbis blandiſſimis conſolatur. O fœlicem nimium, quæ poſt multiplices toleratos labores & miſerias, iam ſedet in pulchritudine pacis & requie opulenta. Fœlix obitus eius, non obſcuris argumentis declaratus eſt. Quidam enim bonæ & venerabilis vitæ vidit quendam parari lectum, & à perſonis albis veſtibus indutis, ferri in ſublime: dictumq; eſt illi admiranti: perſona illa, quam in hoc lecto vides, ſponſa Dei eſt, quæ in mundo contempta à multis, nunc tranſit de morte in vitam ſempiternam. Eadem autem hora illa obijt: porrò corpus eius ſumma cum laude ad monaſterium S. Laurentij deportatum, & illic honorificè ſepultum eſt. Obijt anno ſalutis milleſimo, treceteſimo, ſeptuageſimo tertio, decimo Kalendas Auguſti. Anno autem proximo, poſt multorum miraculorum coruſcationem, & oſſium eius ſubitam & vltra modum mirabilem purgationem & exiccationem, ab vrbe Romana, multis in itinere editis miraculis, ad monaſterium Vuaſthenæ duodecimo Iulij die cum ingenti populorum frequentia & gaudio per ſanctam filiam eius Catharinam tranſlata eſt: vbi miris ſignis & multiuarijs miraculis eam ornat & illuſtrat Dominus Ieſus Chriſtus. Præſtatur cæcis viſus, ſurdis reformatur auditus, muti loquuntur, paralyticis membra diſſoluta confirmantur: & vt paucis multa expediam, morbidi omnes, deuotè illic Chriſtum inuocantes, meritis ſponſæ eius ab eo curantur. XVII.

Feliciſſimè exit è corpore.

Sap 6.

Tranſlatio eius.

Multa ad eius ſepulchrum miracula.

I d vbi innotuit Imperatori, Regibus, Regnis, prælatis & principibus, multiſque diuerſarum nationum Chriſtianis, apud Romanos Pontifices multis modis inſtiterunt, vt dominam Birgittam in Sanctorum album referrent. Deniquè ad Bonifacium nonum re tota deuoluta, cùm de integrò accuratiſſimè in eius vitam & geſta inquiri curâſſet, ad eius canonizationem, vt vocant ſolenniter ſe contulit, eamq; de conſilio & conſenſu Cardinalium & prælatorum omnium, qui tum in Romana curia erant, Sanctorum catalogo adſcripſit. Multum & operæ & ſumptuum poſuerat filia eius Catharina, id vt fieret. Cùm ſint autem innumera ferè miracula beatiſſimæ Birgittæ, nos pauca duntaxàt annotabimus. XIIX.

Sanctorum Catalogo adſcribitur.

E v n t e illa ab Vrbe Roma Hieroſolymam, Latinus de Vrſinis, pro magna erga illam beneuolentia & animi deuotione, extra Vrbem non paruo itineris ſpacio illam deduxit. Poſtquàm ergò Hieroſolymâ Romam redijt, cum confeſſario ſuo domino Petro adijt eius domini Latini ædes: cumque in eas ingreſſa eſſet, manu ad nares admota, nihil loquebatur. Sciſcitanti illi ab eius confeſſario, quid id ſibi vellet, quòd nihil loquens, manum naribus applicaret, reſponſum eſt: Te non tam rectè animo conſtitutum inuênit, atquè tum eras, cùm à te recederet. Admiratus dominus Latinus: Ecquid, ait, deſignaui? Verum quidem eſt, habuiſſe me litem cum quibuſdam ſubditis meis. Ibat quandoquè ſancta Birgitta Romæ cum filia ſua Catharina, & Petro Confeſſario, & Magno capellano, ad ædes Iordani de Marino, volens inuiſere eiuſdem Iordani vxorem. Qua præſente, tantum ex actibus eius ſenſit fœtorem, vt vix ferre poſſet. Admirante ea cauſa non mediocriter Magno, quem diximus, & è Petro confeſſario eius percontante, quid hoc ſibi vellet, ille reſpondit: Nôueris pro certo, quandocunque coram ea quiſpiam mortifero peccato obnoxius ſtat, aut loquitur fraudulenter, aut quo Deus offendatur, illam mox ſentire immodicum ſulphuris fœtorem. X I X.

Valdè ei fœtent peccato mortifero obnoxij.

C v m eſſet ſancta Birgitta in quadam Cypri vrbe, poſtquàm Hieroſolyma diſceſſit, fama illic ferebatur, habere eam certas quaſdam reuelationes de Cypri regno. Erant autem per id tempus in Cypro monachi quidam, carnales potiùs quàm ſpirituales, inflati ſcientia, & ſpiritu vani. Ij irridebant & detrahebant beatæ Birgittæ tanquàm fieri non poſſet, vt per eiuſmodi ſublimes reuelationes loqueretur Deus cum indocta muliercula. In ijs erat frater Simon Dominicanus Confeſſarius Principis Antiochiæ patrui regis Cypri, qui inſignis Theologus & aſtronomus habebatur, nôſſetque curſus ſiderum & planetarum, ſed non ſeipſum. Is venit ad domum, in qua erat beata Birgitta, non rectè tum corpore valens. Cœpit itaque ſub ouina ſpecie verbis blandis eam compellare, præſente domino Alphonſo & alijs, percontarique ex ea de gratia cæleſtium viſionum, quas ipſa diuinitùs haberet. Illa columbina ſimplicitate reſpondit ad omnia humiliter & ſimpliciter: ſed interim tantum fœtorem ab illo proficiſci ſentiens, XX.

Simon quidam Theologus arrogans, malè decantatis.

vt vix

vt vix poſſet ſubſiſtere. Ipſa quoquè, ſi quod verbum incautè protuliſſet, aut parùm aliquid in factis ſuis ſæculariter ſe geſſiſſet, ingentem fœtorem ſulphureum & magnam amaritudinem in lingua & gutture ſuo ſentiebat, qua de re mira habentur in Reuelationibus eius. Prædixit verò mala euentura Cypro & eius ciuitati Famaguſtæ propter hominum peccata, quæ etiam poſteà, vt prædixerat, acciderant.

Sancta prædicit mala euentura Cypro.

XXI. CIRCA Eccleſiam Lateranenſem Romæ multos conſpiciens peregrinos, vnum ex ijs vidit tenentem puerum infirma valetudine, & eleemoſynam petentem: dixitque ei: Quomodò auſus es tenere hunc puerum, quem tu, cùm ſit Iudæi filius, furatus es? Audiens ille, obſtupuit, & in pedes ſe coniecit: retentus eſt autem à circumſtantibus peregrinis, dixitque palàm cunctis audientibus, puerum illum Iudæum eſſe, & ſe eum furatum eſſe. Accepit autem S. Birgitta puerum ad ſe, curauitque eum baptizari anno Chriſti milleſimo tricenteſimo ſexageſimo. In regno Suediæ militem quendam à dæmone liberauit. Dicebatur is Iohannes Scoberinus, & apud Oſtrogotthos iuri dicundo vel ſontibus puniendis præerat. Roganti S. Birgittæ pro Algotio Dominicano, Sacræ Theologiæ Doctore, qui iam ſenex orbitate oculorum & calculi doloribus cruciabatur, reſponſum eſt: Ille ſtella micans eſt, nec expedit ſanitate corporis obſcurari animam eius. Certauit, & curſum conſummauit: nihil iam ſupereſt, niſi vt à me coronetur. Et hoc tibi ſignum erit, quòd ab hac hora mitteſcent dolores corporis eius. Iam enim anima eius prorsùs ardet igne diuini amoris. Non diù pòſt Theologus ille è vita deceſſit.

Arguit quendam furti.

Sanat dæmoniacum.

XXII. PROFICISCENS quandoq; S. Birgitta à Rege Suediæ, venit ad Aluaſtræ monaſterium, inuenitque filium ſuum, quem iampridèm ægrotum reliquerat, in extremis agentem. Luxit igitur multùm, quod tam diuturno ille morbo teneretur, verita propter peccata parentum eius id accidere. Apparuit autem ei ſatan, & dixit: Quorsùm attinet, mulier, tantam te vim lachrymarum profundere? Debilitas ea re aciem oculorum, nec quicquam efficis. Putas tum lachrymas tuas cælos penetraturas? Eadem hora etiam Chriſtus in humana ſpecie ei apparens, dixit: Huius pueri ægritudo non habet cauſam ſuam ex aſtris, vt ſtulti aſſerunt, neque à peccatis eius, ſed ab ipſius naturæ conditione, & vt inſigniùs in cælis coronetur. Sicut ergò hucuſquè dictus eſt Benedictus filius Vlphonis: ità deincèps vocabitur filius lachrymarum & precum, & ego iam finem imponam angoribus eius. Quinto indè die auditus eſt velut auium cantus gratiſſimus inter pueri lectum & parietem, & ille feliciſſimè deceſſit. Dictum eſt autem diuinitùs ad S. Birgittam: En, quid poſſint lachrymæ. Iam filius lachrymarum abijt ad requiem inconcuſſam & incommutabilem. Poteſt hinc animaduerti, quàm moleſtæ ſint dæmoni lachrymæ piorum, ex diuino amore naſcentes.

Lachrymæ Sanctorum moleſtiſſimæ dæmonibus ſunt.

Felix obitus filij eius.

XXIII. HABVIT S. Birgitta filiam ſanctimonialem in monaſterio Riſabergenſi. Eam vt didicit ex nuncio mortuam, mirificè lætabatur, aitq; ad Dominum: O Domine Ieſu Chriſte, ô amor meus, benedictus tu ſis, quòd vocâſti eam antè, quàm mundi laqueis implicaretur, moxque ſurgens, & ad templum abiens, tam multas fudit lachrymas & traxit alta ſuſpiria, vt etiam ab alijs poſſet audiri. Dicebantq; illi: En, vt plorat filiam ſuam. Apparuit autem ei Chriſtus, & ait: Mulier, quid ità ploras? Etſi enim ego nòui omnia, tamen harum lachrymarum cauſam ex te audire volo. Reſpondit illa: Equidem non eâ cauſa ploro Domine, quòd filia mea defuncta eſt: immò verò eâ cauſa lætor potiùs. Si enim vixiſſet diutiùs, maior illi apud te ratio reddenda fuiſſet. Sed hoc lugeo, quòd eam non inſtitui conuenienter mandatis tuis, & quòd ſuperbiæ exempla ei de me præbui, & remiſſiùs correxi peccantem. Chriſtus ait: Illa mater, quæ plorat peccata filiæ ſuæ, & inſtituit eam, quantùm optimè nouit, ea vera eſt mater charitatis & lachrymarum: & filia eius, filia Dei eſt propter matrem. Quæ autem genetrix lætatur filiam ſuam ità ſe comparare, vt ſolent mundò deditæ, nec curat eam bonis motibus imbuere, ſed id ſolùm expetit, vt fiat ſublimis in mundo, ea non germana mater eſt, ſed nouerca. Itaque propter charitatem & bonam voluntatem tuam, filia tua compendiò pertinget ad coronam.

Lætatur obitu filiæ ſuæ.

Attende, quæ ſit vera & germana mater, & quæ non.

XXIV. PVER quidam decem annorum, nomine Eſau, nepos magni Seneſcalli Reginæ Siciliæ, Neapoli degentis in aula eiuſdem Reginæ, hectica febre adeò fuit confectus & exhauſtus, vt medici de tota vita eius planè deſperarent. Eum mater eius Lapa duxit ad S. Birgittam, ſuppliciter eam deprecans, vt puerum tangeret, aut ſaltem Crucis ſignum illi imprimeret. Mox illa puerum tetigit, & tactum repentina ſalus conſecuta eſt. Carolus miles, filius S. Birgittæ, Romam è Suedia venit anno ſalutis milleſimo, tricenteſimo, ſexageſimoquinto. Vt autem in ædes fuit ingreſſus, in quibus mater degebat, aſcendente eo in ſolarium, mater eius è cubiculo ſuo egrediens, vidit illum corpore nõ rectè valere. Tetigit itaq; pectus eius, quædam orationis verba pronuncians. Confeſtim ille multum vomuit ſanguinem, ità vt loqui non poſſet, & reſtitutus eſt. Diù pòſt proficiſcens S. Birgitta Hieroſolymam, prædixit ſe vnum præcipuè charum è comitibus ſuis perdituram, & ità factum eſt. Cùm enim veniſſet Neapolim, filius eius Carolus, miles egregius, morbo correptus, deſijt eſſe in humanis. Etſi autem præſens morienti aderat mater eius, nihil tamẽ ſe loco mouit, & neq; voces querulas, neq; lachrymas fudit: ſed cum admirabili patientia & reuerentia gratias agebat Deo. Et licet tum Regina ipſa, tum multi principes regni Neapolitani, & ciuitatis primarij viri ac fœminæ omnes cum multo planctu corpus eius ad ſepulchrum cum illa deducerent, nunquàm tamen illa fleuit, ſed cum gratiarum actione animam eius commendabat Deo. Fuit ea res non mediocri admirationi tam Reginæ, quàm cæteris omnibus, quòd tantàm in principe fœmina animi fortitudinem viderent.

Febrem hecticam pellit à puero.

Sanat filiũ.

Carolus inſignis filius eius deceſſit.

XXV. CVM autem S. Birgitta eſſet Hieroſolymis, quidam Franciſcanus, qui erat Reginæ Cypri à ſecretis, & cùm S. Birgitta à Famaguſta Hieroſolymam venerat, humiliter eam rogauit, vt pro ipſo Dominum inſtanter deprecaretur, quò certum ipſi modum & rationem ei ſeruiendi oſtenderet. Oranti S. Birgittæ Chriſtus apparuit, & quadam ei reuelatione oſtendit, quemadmodùm S. Franciſcus regulam à Chriſto acceperit, & vt primi fratres eius ſecundùm illam ſanctè vixerint: atq; vt diabolus eum Ordinem contaminârit: poſtremò quæ gloria maneat in cælis regulæ illi conuenienter viuentes, quæ pœna apud inferos illam tranſgredientes. Hanc reuelationem cùm ille Franciſcanus legiſſet, mòx vbi Famaguſtam redijt, libros, vaſa argentea & aurea, aliaq; ornamenta & pecunias ſuas diſtribuit pauperibus, deincèps victurus in ſanctæ regulæ obſeruantia. Dicebatur is Antonius ab Aragonia: poſteà verò factus eſt guardianus in Bethleem. Habetur hæc reuelatio lib. 7. ca. 20. & eam obtulit dominus Alphonſus Gregorio XI.

Reuelatio diuinitùs ei facta.

XXVI. FVIT etiam beatæ Birgittæ diuinitùs facta reuelatio de Abbate quodam, cuius erat vita exitioſa. Dixit ei Chriſtus minitabundus: Tu Abba debebas eſſe ſpeculum monachorum, & eccè caput es meretricum. Debebas eſſe exemplum pauperum & ſuſtentator inopum: & ecce ex eleemoſynis magnum te dominum exhibes, potiùs habitãs in caſtris, quàm in monaſterijs. Debebas eſſe doctor & verus pater fratrum tuorum: & tu illorum ſeductor es & vitricus. Te in delicijs & pompa verſante, illi afflicti murmurant tota die. Sed niſi reſipueris, deponam te de caſtris, & nec cum infimis fratribus tuis habebis conſortium, nec ad patriam, vt tibi perſuades, redibis tuam, nec in meam ingredieris. Ea quidem omnia poſteà illi Abbati ità acciderunt.

Habetur in extrauagãtibus reuelat. Ca. 105.

Attendant hunc locũ Abbates huius temporis.

XXVII. CVM eſſet S. Birgitta Romæ, & quodam die propter ſtationem loca ſacra inuiſeret, caſu inuènit pauperculam fœminam quandam è regno Noruegiæ, ante ſanctæ Praxedis eccleſiam ſolam iacentem propè, ſemimortuam. Miſerta illius, cœpit tentare ex multa humilitate, num poſſet ipſa eam ferre ad domum hoſpitalem S. Antonij. Sed cum non poſſet, voluit vt dominus Magnus capellanus eius iuuaret ipſam: atq; ità ambo ſimul deportârunt eam ad domum illam: cuius præfecto numerauit ipſa pecuniam, vt curam eius gereret. Interim crebrò viſitabat eam, donèc eare-

Eius in fœminã paupercula humanitas.

Hæc igitur quandiù vixerat in corpore, quis illam haberet in honore? Indigna cunctis hominibus & deſpecta videbatur. Quis enim ad illam accedere, quis illam videre dignaretur? Sed latebat in ſterquilinio margarita Dei. Sterquilinium, fratres, hanc ipſam corruptibilitatem corporis appello: ſterquilinium, abiectionem paupertatis nomino. Aſſumpta eſt ergo margarita, quæ iacebat in ſterquilinio, & poſita eſt in cæleſtis regis ornamento. Iam inter ſupernos ciues emicat, iam inter ignitos lapides æterni diadematis coruſcat. O vos, qui in hoc mundo vos diuites aut eſſe creditis, aut eſtis, conferte, ſi poteſtis, falſas veſtras diuitias veris diuitijs Romulæ. Vos in huius mundi via omnia amiſſuri poſſidetis: illa nil quæſiuit in itinere, & omnia inuenit in peruentione. Vos lætam vitam ducitis, triſtem mortem timetis: illa triſtem vitam pertulit, ad lætam mortem peruenit. Vos ad tempus quæritis obſequia hominum: illa deſpecta ab hominibus, inuenit ſocios choros angelorum. Diſcite ergo fratres temporalia cuncta deſpicere, diſcite honorem temporalem contemnere, æternam gloriam amare. Honorate quos pauperes cernitis, & quos foris conſpicitis deſpectos ſæculi, intus arbitramini amicos Dei. *Pauperes honorandi.* Cum his participamini quod habetis, vt quandoque dignentur vobiſcum participare, quod habent. Penſate quod ore magiſtri gentium dicitur: In hoc tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. *2 Cor 8* Penſate quod ipſa per ſe veritas dicit: Quandiù feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. *Matth. 25.* Ad tribuendum ergo pigri cur eſtis? quando hoc, quod iacenti in terra porrigitis, ſedenti in cælo datis. Sed hæc omnipotens Deus, qui per me in veſtris auribus loquitur, per ſe in veſtris mentibus loquatur. Qui viuit & regnat cum patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Corpora SS. Romulæ & Redemptæ aſſeruantur Romæ in baſilica S. Mariæ Maioris. Vide Bar. anno 592. §. 30. & in notis ad martyr. hoc die, Vbi addit aliquam eorundem partem Tiburtinos accepiſſe.

DE TRANSLATIONE SS. TRIVM REGVM MAGORVM MEDIOLANO COLONIAM LITTERÆ REINOLDI Archiepiſcopi Colonienſis, ex M. S. An. 1164.

REINOLDVS Dei gratia S. Colonienſis Eccleſiæ Electus, & Italiæ Archicancellarius; dilectiſſimis in Chriſto filijs & amicis * H. Colonienſis Eccleſiæ Præpoſito, Philippo Decano, cunctiſque prioribus & vniuerſo Clero, omnibuſque in beneficiatis & miniſtralibus Beati Petri ac ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ, vniuerſis quoque Burgenſibus almæ vrbis Coloniæ ſalutem & affectuoſum obſequium cum intimæ dilectionis plenitudine. *Ivl. 23.* ** Hermanno.*

Inſinuamus dilectiſſimæ veſtræ vniuerſitati quod ex * .... ardentiſſimi noſtri deſiderij felix iam per Dei gratiam adepti ſumus initium. ** voto forſè* Benigna enim Domini noſtri ſereniſſimi Imperatoris,[a] accepta licentia, cum gratiæ & dilectionis eius plenitudine ab ipſo gaudenter dimiſſi, & egregijs ac tantis donis, quorum nulla in terris eſſe poteſt æſtimatio, excellenter ſumus honorati. *a Friderici.* Inter cætera enim liberalitatis ſuæ beneficia, quæ in nos affluentiſſime contulit; nempe tria nobis munera donauit pretioſiſſima, videlicet corpora inſignia beatiſſimorum trium magorum, ac regum, qui primitiæ gentium in typum ac præſagium futuræ ex gentibus Eccleſiæ, iacenti adhuc Chriſto in præſepi munera pretioſa obtulerunt, quorum videlicet nobiliſſima corpora, omnique veneratione digniſſima Mediolani in Eccleſia Beati Euſtorgij confeſſoris atque Pontificis ſolemniter ac glorioſe fuêre recondita. *A quo S. Euſtorgio Conſtantinopoli Mediolanum tranſlata ſunt: Conſtantinopolim verò per S. Helenam Imp. Vide Vinc. Bellouil. 30. c. 12.* Inſuper etiam Deo prædice ad vos perferimus corpora ſanctiſſimorum martyrum Naboris & Felicis, vt inæſtimabili & incomparabili hoc theſauro, ſuper aurum, omnemque lapidem pretioſum diligendo, ſacratiſſima Eccleſia, ciuitaſque Colonienſis feliciſſime ditetur ac perpetualiter decoretur. Nos ſiquidem quia ſuſpecta nobis eſt via per inimicos veſtros ac noſtros, iter noſtrum per Burgundiam ac Galliam vſque ad vos diſpoſuimus, præſentemque nuncium à Vercellenſi ciuitate ſecundo Idus Iunij præmiſimus. Eo die verſus Taurinum & verſus alpes Montiſciuiſij cum prædictis ſanctiſſimis & venerabilibus reliquijs celerrime procedentes. Ideoque ſinceriſſimam veſtram dilectionem intime rogamus & commonemus in Domino, quatenus ad condignam tantorum munerum ſuſceptionem ea qua noſtis, & qua de vobis confidimus deuotione, ac ſolennitate præparemini: Dominum Deum quoque quam affectuoſiſſime pro nobis ſine intermiſſione deprecemini, vt vnà cùm ipſis ad gloriam & honorem nominis ſui, & ad perpetuam omnium veſtrorum, ac totius patriæ ſalutem, ſaluos, incolumes & illæſos nos vobis dignetur remittere.

DE S. CHRISTINA VIRGINE ET MARTYRE, EX ADONIS MARTYROLOGIO.

APVD Italiam in Tyro, quæ eſt circa lacum Vulſinum, natale S. Chriſtinæ virginis: quæ in Chriſtum credens, Deos aureos Vrbani patris ſui præfecti contriuit, & pauperibus diſtribuit. *Ivl. 24.* Ob hoc, iubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onuſta, in carcerem coniecta eſt. *Chriſtina, iubente patre, diræ cæditur.* Poſt hoc cùm diutiſſimè & crudeliſſimè dilaniaretur, de carnibus ſuis patri in faciem proiecit. Cùmque alligata rotæ, igni ſuppoſito, & fuſo deſupèr oleo torreretur, erumpens flamma mille gentilium interfecit. *Torretur ignibus.* Iterùm carceri tradita, Angelo viſitante, ſanata eſt & refecta. Deindè cum magno ſaxi pondere in lacum Vulſinum iactata, Angelico præſidio liberata eſt. Quam ſucceſſor patris eius Dion multis iterùm ſupplicijs afflixit: ſed orante illa, ſimulacrum Apollinis, * quod Dion adorare videbatur, in fauillam ſubitò redactum eſt. *Multis ſupplicijs afficitur.* Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Chriſti conuerſa ſunt. Nouiſſimè ſucceſſor prædicti Iulianus, poſt fornacem candentem, vbi quinque diebus illæſa permanſit, poſt ſerpentes à venefico immiſſos, ſed Chriſti fide ſuperatos, poſt abſciſſionem linguæ, ſagittis eam configi præcepit: ſicque martyrij curſum conſummauit, anno ætatis ſuæ vndecimo. ** quod adorare iubebatur.* *Sagittis confecta obit.*

Corpus eius Panormi in Sicilia ſumma veneratione aſſeruari tradit in notis ad Martyrol. Baron. hoc die.

An.60.

DE TRANSLATIONE S. IACOBI APOSTOLI,

COMMENTARIVS, AB ANONYMO ANTE ANNOS 608. CONSCRIPTVS, & ex M. S. Codicibus Bibliothecæ Floriacenſis editus à Ioanne à Boſco Cæleſtino.

Ivl. 25.

SPIRITVM ſanctum Paraclerum per os Dauid Prophetæ dudum prælocutum fuiſſe nouimus, & cotidiana admonitione audiuimus, hanc eſſe gloriam omnibus ſanctis, vt laudetur Deus in ipſis. Verè ſiquidem & ad laudem Eccleſiæ ſummi regis, hoc ipſum proficere ſcimus; dum magnificentia fortitudinis, pretioſorum militum ſuorum, ante ipſum excellenter recenſetur. Ergo nos tantis ac innumeris Scripturarum ſanctarum edocti præmonitionibus, ſecundum fragilitatis noſtræ modulum, Dominum in ſanctis ſuis glorioſum plenè laudare ſtudeamus; ac memoriam mirabilium ſuorum, totis niſibus in nobis extollere gaudeamus, quia hæc eſt gloriatio diligentibus nomen Dei. Exultent ergo iuſti in Domino, quia ipſos rectos decet rectè laudatio. Exultemus & nos Dominum in ipſis laudando, vt quam non meremur, precibus eorum nos decere poſſit laudatio. Et quia beato Raphaële Archangelo docente, didicimus occultiora Regis conſilia, non detegenda: arcana autem myſteriorum Dei honorabile ac digniſſimum eſſe fidelibus reuelare, ſeriem tranſlationis Corporis Beatiſſimi Iacobi Apoſtoli, à loco in quo paſſus eſt, in eum quo nunc iuſtiſſima Dei præordinante prouidentia requieſcit; ſtrictiori licet ſtylo, hebetiori quoque ſenſu, ad tanti Apoſtoli laudem & Eccleſiæ, vtque fortis Dominus Sabaoth in ſuis glorificetur militibus, indicare fidelibus decreuimus. I.

IGITVR poſt admirandam & adorandam Domini noſtri Ieſu Chriſti in cælos Aſcenſionem, antequam ſancti Apoſtoli prædicationis gratia ſecundum Domini Ieſu præceptum, diſpergerentur in mundum, Deo dilectus Apoſtolus Iacobus omnium Apoſtolorum primus velut athleta fortiſſimus, martyrij coronam ſuſcepit promptiſſimus: ab Herode nequiſſimo Rege interemptus. Qui non multo poſt Angelo Dei percutiente, ad nihilum eſt redactus. Perijt ergo eius memoria cum nomine. Iuſtus autem eſt in commemoratione ſempiterna, & laus eius in Eccleſia ſanctorum & congregatione. De cuius Apoſtoli ſanctiſſimi effuſione ſanguinis, quia iam latius & lucidius tractatum eſt à viris eloquentibus, nos omnino ſupprimimus. Tranſlationiſque ipſius tenorem quem ſcribere diſpoſuimus, nunc adoriemur. II.

Paſſio S. Iacob. à viris eloquentibus ſcripta.

ORDINE quo diximus, Dei dilecto Iacobo calice paſſionis Ieſu Chriſti Domini potato, atque gloria & honore à Deo iuſto retributore coronato; beati diſcipuli ſui ſanctiſſimum theſaurum, illorum magiſtri videlicet corpus, prout res tempuſque exegit terræ occuluerunt latebris; mærentes ad tempus de abſentia pij doctoris, lætaturi poſtmodum vnanimiter, in præſentia egregij paſtoris. Siquidem benigniſſima creatoris & reformatoris omnium Dei Omnipotentis miſeratio, ne clariſſimum mundi lumen diutius terræ abſconderetur in antro: incomprehenſibili ſua ſapientia, quam nemo principum huius mundi cognoſcere potuit; fidelibus ſuis innoteſcere voluit, quo ordine tantæ lucis claritas, ſæculi huius irradiaret tenebras. Mirabilis itaque in ſanctis ſuis Deus, mirabiliter mirabilem hunc Iacobum Apoſtolum, puſillis corde ſe metuentibus, hoc reuelauit modo. III.

Sepelitur S. Iacobus à diſcipulis.

CVM totus mundus iugo Dæmoniacæ ſeruitutis teneretur depreſſus, tenebriſque ignorantiæ ſuæ eſſet obcæcatus, Sanctiſſimi Apoſtoli iuxta Domini Saluatoris edictum, eum à ſuæ perfidiæ ſqualore eruere cupientes, vniuerſis mundi partibus, in fide Chriſti fortiſſimos & lege ſancta doctiſſimos, Euangelizare diuini verbi gratiam, direxerunt viros. Vnde factum eſt, vt prudentiſſimum omnique militia ſpiritali inſtructum eligerent virum Cteſiphontem ſanctiſſimum, quem ordinauerunt Epiſcopum, adiunctis ſibi coëpiſcopis ſocijs, in hoc opere ſatis ſtrenuiſſimis. Hi miſſi Domini, ad Hiſpanias delegantur: quò barbaræ gentis ſaxea corda, vnguine Sancti Spiritus delibuta molleſcerent, gratiam Chriſti ſuſceptura. Qui veriſſimi & rectiſſimi Chriſti famuli, iniunctam ſibi prædicationis gratiam ocius implere cupientes, nauali euectione illuc properare ſatagunt. Aptata itaque nauicula, & quæ ſibi videbantur neceſſaria impoſitis, ſubitò diuinæ diſpenſationis munere ſibi collato, conſilium ineunt: vt corpus Sanctiſſimi Iacobi ſecum deueherent. Quatenus dum ipſi prædicationis officio ſollicitius intenderent, ſancto reſplendente miraculis Apoſtolo, efferæ nationis hominum mentes, ad baptiſmatis fidem ſuſcipiendam paulatim manſueſcerent. Quod & factum eſt, vt patefaciunt ſequentia. Etenim beatus Cteſiphon cum ſocijs, ad ſepulchrum properans glorioſi Apoſtoli; cum ingenti deuotionis honore & tremore, inæſtimabilis pretij precioſiſſimam margaritam, à loco terræ humili ſuſtollentes, cum magno & ſpirituali gaudio, in hymnis piæ iubilationis conlaudantes Dominum, decenter in naui compoſuerunt ſua. Ergo abſque remige, abſque naucleri iuuamine, inſcij rectoris, mari eo tantum conſcio cuius vectabant oſſa, ſe credentes, ſola Dei manu ductrice, ſex dierum circuitione, per marinas procellas, vſque ad locum à Deo ſibi ante mundi conſtitutionem prælectum, nauis eorum ferebatur certiſſimè. O mira Dei potentia! O mira arcanæ virtutis eius myſteria! Ecce etenim rediuiua prioris ſæculi exoriuntur miracula. Qui enim dudum ſuper vndas diluuij arcam ne mergeretur gubernauit, mirabilis in altis Dominus, inter mirabiles elationes maris, in Tranſlatione ſui dilecti Iacobi, nauem ſanctiſſimum ferentem theſaurum, ne marinis abſorberetur fluctibus, excelſo ſuo brachio protexit; & mirabiliter quò voluit expoſuit. At vero mirandum ſatis erat, tàm immenſum profundi abyſſi pelagus, tàm infinita æquoris ſpatia: ab ignaris ſub breuiſſimi temporis ſpatio peruolata fuiſſe; niſi quod ille qui menſus eſt pugillo aquas, & molem terræ tribus digitis adpendit, hoc impleuit meritis Iacobi Apoſtoli. Ne denique memoria ipſius ſolummodo dilataretur in terris conſtituit quod etiam mare illi præberet teſtimonium: vt quem ſibi dilectiſſimum fecerat iam in cœlis glorioſum, miraculis coruſcantibus, terra mariſque redderet honoratum. IV.

S. Cteſiphō miſſus ab Apoſtolis in Hiſpaniam.

Qua occaſione S. Iacobi corpus, fuit in Hiſpanias delatum.

Miraculū.

NEC hoc ſine myſterij intellectu. Senarius numerus in ſacris Scripturis, ærumnas & fluctuationes huius ſæculi crebrò ſignat. Septimum vero ſacra pagina requietioni donat. Sex diebus ſummi opificis manus, quicquid creatum fuit & eſt, decenter & ornatè inſtituens, varia donorum & bonorum ſuorum munera nobis conferens, ſeptimum ſacrauit requiei ſuæ. Ceſſantibus diluuij aquis, columba per feneſtram emiſſa, ſeptima die ramuſculum paciferæ roſtro ferens oliuæ, placatum Dominum & terris pacem datam denunciat. Sexta ætate in qua nunc laborantes ducente Deo tendimus ad requiem perfectæ beatitudinis, donec occurramus in gloria Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, mirabilia demonſtrauit Deus ſeruis ſuis: dum corpus transferretur Iacobi Apoſtoli & Martyris. Senario denique dierum numero, in mari vt dictum eſt, fluctuantes eius diſcipuli; ſeptimo, Dei dextera gubernante, requieuerunt in portu qui Birluus nuncupatur, eo quod inibi in mare bini profluant riui, vbi oſtendit Deus futuris ſæculis, quanti apud ſe Apoſtolus ſuus V.

Senarij numeri ſignificatiō.

Ad Bitiuem portum Hiſpaniæ, appulit corpus S. Iacobi.

Res mira.

lus ſuus haberetur meriti. Subito namque à conſpectibus intuentium ſublatus. Atque vſque ad poli centrum ſplendore igneo rutilans eſt eleuatus, & ad locum ſuæ tumulationis proximum, propitia diuinitate ſibi conceſſum, inenarrabili claritate conſpicuus deuenit. Nec hoc incredibile cuiquam debet videri. Qui enim Theologum Ioannem prærogatiua ſingularis dilectionis ſibi vnitum, miro quo voluit modo, etiam corpore in cœlos aſſumpſit: potuit & fratris eius ſanctiſſimam glebam, indicibili virtute ſua, de loco vno ad alterum tranſuehere locum. O Dei & Domini noſtri mira & admiranda virtus! mira diſpenſatio! mira operatio! qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo mari & terra. Beatus autem Cteſiphon cum ſociis, pauentes tanto carere cœlitus ſibi collato dono, flentes & mærentes, atque Dei pijſſimi miſericordiam ſemper orantes, ad locum tumulationis Apoſtoli Dei, Angelico ductu, vtpotè ignari locorum, properè accedunt, duodecim millibus diſtantem ab ipſo maris freto. Degebat eo loci, in extremis videlicet Gallœciæ finibus, Gentilis & Nobilis matrona, quæ erat multæ familiæ, & ampliſſimi fundi poſſeſſor & domina. Hæc in Idolio ſuo, multa ſimulachra dæmoniorum recondita habebat; quæ ſæpiſſimè adorabat; quia factorem & creatorem ſuum, Dominum verum ignorabat, quem nec nominare hactenus audierat. Hæc ſecundum proprietatem linguæ ferociſſimæ gentis ſuæ, ferali & rabulo * atque ſuperbo vocabatur nomine, nam Luparia dicebatur. Nec immerito, nam ſicut beatum Paulum ex tribu Beniamin exortum, qui prius Saulus dictus eſt, ſæpius in ſacris voluminibus Lupi cognomine, ob nimiam in Chriſtianos crudelitatem inuenimus deſcriptum: prius enim circumciſus extitit ſuperbus, poſtea autem baptizatus humilis eſt factus. Sic, & hæc gentilis mulier, prius ſuperbiendo deſipiens, & ſecundum vocabulum ſui, Chriſti ſeruos ore rabido execrando vehementer deterrens; poſtea autem Spiritus ſancti inſpiratione illuminata, ferocitatem belluinam trucis deponens animi, lota lauacro ſalutari, vbi omnes veterem hominem deponentes nouum induuntur, agnorum Chriſti eſt ſociata collegio. Comperta itaque prædicti venerabiles viri, huius nobiliſſimæ mulieris ampliſſima fama, multa Dei fiducia fiſi, adeunt illam; oraturi, vt in fundo quem tenebat, facultas ſibi concederetur oſſa tumulandi Apoſtoli beati. Quos illa rigidæ mentis veſania acerbiſſimè execrans, & execrando refutans, inſani furoris typo repleta, ad Regem terræ illos talia petituros properare ocius iubet. Qui nil cunctari, vt mandatum eis erat, ſolicitè perquirere Regem ſatagunt. Quo reperto, proponunt illi de fide ſancta ſermonem, ſimulque orando, ſatis ingeminant preces, dari ſibi locum Apoſtolici corporis ſepulturæ aptum. Ergo Rex truculentus, gentilitatis errori deditus, venerabilium virorum auditus verbis & precibus, cognoſcens eos Chriſticolas eſſe. (Iam enim Ieſu Chriſti Domini nomen, in totam mundi latitudinem diffuſum erat) exacerbatus nimium, cupiens vindicare in ipſis; non ſolum quæ petebant præſtare noluit, verum prauo corde, malo ore, peruerſa actione, interimi eos iuſſit: neſciens miſer, imminere ſibi velocius vindictam ſolius Regis Dei. Sanctitatis autem miniſtri, fragilitate carnis adducti, fugam capeſſunt; inſcij mirandæ virtutis Dei, quæ in ipſis per ipſum, Apoſtolica interueniente declaranda erat gratia. Nec mirum verò, ſi carnales carnaliter metuebant, cum patres multos inſtantiam legamus deuitaſſe gladij, non timore perculſi paſſionis, ſed ad meliora ſe ſeruantes, gratia prædicationis ac roborandæ fidei. Hæc vero omnia agebantur, vt amplior magnificentia Apoſtolicæ dignitatis clareſceret adhuc, per impiam impijſſimi Regis temeritatem. Nempe mærentium conſolator Deus, qui contritis corde medetur, cuius oculi ſunt ſuper eos, vt eruat eos à morte: ſuper iniuſtos autem vt diſperdat eos de terra. certo oſtendit, quia non aliquando ſaluatur, Rex fidens in multitudine virtutis ſuæ. Denique ſancti illi per viam qua venerant reuertentes, deuenerunt ad fluuium Thare dictum, in portum Nicariæ Iuxta quem erat fons ampliſſimus, arcuato opere, ſaxeo ambitu circumſeptus, penes quem publica via diſcurrebat: quem, deliteſcere cupientes, introgreſſi ſunt: Sed repentè mutato conſilio, vt pleniorem magnificentiæ gloriam, glorioſus in ſeruis ſuis demonſtraret Iacobus Apoſtolus, præſago ſpiritu inde ingreſſi ſunt. Vt verò cognouit peſtifer Rex, ſub vmbra alarum protectionis Dei, ſanctos clam effugiſſe, dum ſitit ſanctorum ſanguinem, non valens ferocitatem prauiſſimi lenire animi, collecta militari manu, ſicut equus effrenis ruens, iuſto ſe Dei proſequente iudicio, non deſtitit, donec in præcipitium ſempiternū, cum ſuis omnibus caderet. Æſtimans enim iuſtos in præſcripto fonte abſconſos, cum ſuis comitibus ingreſſus eſt intus. Ecce vero multiplici Dei virtute, cuius immenſæ fortitudinis & ſapientię non eſt finis, qui reprobat conſilia principum, & deducit conſilia eorum in finem ſtultum, egregio orante Iacobo Apoſtolo, omne illud ædificium cryptæ huius quod in tanta perſtiterat ſæculorum ſoliditate, miro modo ſubitò corruit. Et qui ſimplices & innoxios opprimere moliebantur, tanta ruina oppreſſi, in profundum abyſſi ſunt demerſi, vt patenter innoteſceret, condolere venerandum Apoſtolum Iacobum, contumelijs ſeruorum ſuorum. Tunc liberati ſublimi Chriſti potentia diſcrimine tanto, iſti nouelli filij Iſraël, tranſito quaſi altero mari rubro, repedarunt alacres, carmen illud Moſaicum Deo decantantes, qui excelſum dudum Pharaonem & exercitum eius, demerſit in mare. Sed ſanctorum à bonæ actionis certitudine deuiare, neſcius eſt animus. Nam à Spiritu ſancto præmoniti præſcriptam rurſus adeunt mulierem, ſollicitè eam præmonentes, de tumulatione Venerabilis Apoſtoli. At illa nec dum verbis eorum credula, ſed adhuc impœnitens, & more elati Pharaonis obduratum cor habens; donec mens ſua ampliori gratia Apoſtolicorum ſignorum reuerberaretur, conſpiciens eos flentes, dixit illis. In monte hoc proximo, qui Illicinus dicitur, armenta noſtra paſcuntur. Erat enim ipſa more gentis ſuæ pollens copioſa animalium multitudine, quæ paſſim per lati ſoli marginem, abſque paſtore, vtpotè agreſtia, quo libebat diſcurrebant. Euntes ergo illuc, quotquot cupitis tollite, & quò vobis cordi fuerit ducite, & in ipſis laborantes, operam impendite aptari domum, vt dicitis, Apoſtoli veſtri. Hæc dixit, diffidens illos ea agere poſſe, ignara virtutis Dei, qua omnia creata ſubiecit ſub pedibus metuentium ſe. Contiguus eſt præfatus mons ſanctiſſimo & venerabili, totóque orbi ſummæ deuotionis plenitudine excolendo loco, in quo cæleſtis theſaurus, Corpus ſanctiſſimi Iacobi decenter & honeſtè in marmoreo mauſoleo conditum eſt. Vocatus eſt autem ante mons Illicinus, nunc vero Sacer dicitur, ob glorificationem Apoſtolicorum ſignorum, quæ Dominus per excellentiſſimum Apoſtolorum Iacobum, fidelibus ſuis declarare dignatus eſt. Præſumpſerat enim ſibi plurimam partem ſupradicti montis, quaſi in poſſeſſionem, immaniſſimus draco: qui omnes circum ſe poſitos pagos, horrendo & horribili flatus ſui anhelitu, exinaniuerat, omnes extinxerat, animantia deglutierat, & reliqua omnia proſtrauerat. Gradiebantur itaque ſancti illi per aſcenſum montis, donec ad locum deuenirent, quo illa ſanguinaria & truciſſima iacebat belua. Quos præſentiens, eleuato capite, impetum direxit in eos, cum multo ſtridore inſibilans. Tunc Apoſtolici diſcipuli fide Dei firmi, nihil hæſitantes, & abſque terrore permanentes, munimine armati inuictiſſimi vexilli ſalutiferæ Crucis, Apoſtolica defenſoris ſui protecti gratia, inuocata Maieſtate Ieſu Chriſti, beatæ ſignum Crucis obtutibus opponunt aduerſarij. At ille non ferens vim virtutis Dei & Iacobi Apoſtoli glorioſi, velut fumus perijt à facie terræ. Et nec mirum ſi à conſpectibus quærentium Deum fugatus eſt draco, quia ipſe pollicitus eſt, ipſos fore ſuper ſerpentes & ſcorpiones impunè graditudos. Erepti itaque ab imminente tantæ cladis exitio, liberatori ſuo omnipotenti Deo magnificas grates, protectori ſuo Iacobo Apoſtolo deuotas laudes reddiderunt, vnanimes. Ex hinc factus eſt mons ille ante funeſtus, mons Dei; mons Sanctus, mons Sanctificationis pinguedine inexhauſti olei, opere ſcilicet miſericordiæ indeficientis,

Euangeliſta Ioannes, ad cœlum corpore eſt aſſumptus.

* Rabidè.

Cteſiphon & ſocij fugiunt Regē minantem mortem.

Rex cum ſuis oppreſſus ruit.

Corpus ſancti Iacobi in Gallœcia eſt.

Mons Sacer cur ita dictus.

Per ſignum Crucis draco fugatur.

Luc 10

Ierem 9. mons in quo complacuit Deo inhabitare, quia Deus noſter, qui perforauit maxillam Leuiatham, operatus eſt ſalutem in medio terræ ſuæ, confringendo caput Draconis antiqui. Sic impleta eſt ſcriptura dicens, quia in cubilibus Draconum animalia Dei requieſcent, quia non habitabit ibi amplius mala beſtia, & qui liberati fuerint, venient in monte Sion laudantes Dominum. Exinde bonæ voluntatis affecta, cœptum proſequentes iter: tandem diu quæſita reperiunt animalia. Quæ dum comprehendere niſi eſſent, effugiendo manus eorum, à conſpectibus ipſorum delapſa ſunt. Indomita quippe erant. Æſtimauerat ſæpèſcripta mulier, infidelitatis adhuc caligine obtenebratum habens cor, ſeruos Chriſti ſe decipere poſſe: donec Omnipotens, qui in ſanctis ſuis ſemper glorioſus permanet, oſtenderet illi, quod nulla aduerſus eum præualet fortitudo, nullum ſit vtile conſilium. *Iob. 12.* Deridetur enim, Vt propheta denunciat reſurrectionis, Iuſti ſimplicitas, Lampas contempta apud cogitationes Principum, parata ad tempus ſtatutum. Denique ſanctorum corda ab amore Dei numquam diſcrepantia, cum ſe deluſa eſſe à muliere intellexiſſent, ad orationum ſanctarum ſolita ſe conuertunt munimenta, pia ſupplicatione ſanctam Dei exorantes maieſtatem, ſimulque Patroni ſui inclyti Iacobi Apoſtoli glorioſa poſcentes ſuffragia, vt illam cœleſtem mirandorum ſignorum clarificationem, quam hactenus exercuerat, tunc quoque oſtendere dignaretur, ne illuſio eſſent Gentium dicentium, vbi eſt Deus eorum? Tum demum ſpe cœleſti animati, & robore fidei Chriſti confortati, reſumentes animi conſtantiam, rurſus ad eadem perquirenda iumenta ſe præparant. Confeſtim Dei omnipotentis, qui propè eſt ſe fideliter requirentibus, & voluntatem ipſorum perficit largitor promptiſſimus, proſperante actione; reperta animalia ſub manibus eorum ſunt edomita, ſicque liberè quo voluerant deduxerunt. & ad eam quæ ſe miſerat, gaudentes reuerſi ſunt. Interea viſis tot miraculorum ſignis, ea matrona, non iam Lupa dicenda, quippe ouis Chriſti mox erat futura, atque gregi Eccleſiæ ſocianda, quæ ante reniti conabatur præſumptione præualida, corde & ore eſt compuncta. Terrebat eam velox Regis ſui ſubmiſſio, pauebat beluæ crudelis ſubitam deiectionem, mirabatur iumentorum ſuorum emollitam ocius acerrimam feritatem. Moxque omnis illa dubitatio, verſa eſt in credulitatem, ſcandalam in fidelitatem, illuſio in admirationem Et hæc omnia facta eſt à Deo fieri, ad dilecti ſui Iacobi declarandam gratiæ celſitudinem. Benigna itaque pietas & indulgentiſſima clementia miſericordiſſimi Dei, qui ad ſe illam pertrahere volebat, nigerrimum antrum pectoris eius clarificans, & vicijs omnibus purgans, ſuper candorem niuis dealbatam effecit. quæ recto principalique ſpiritu confirmata, perennis ablutione fontis ſanctificata; Iſmaëliticæ nigredinem cutis, in candorem omnium commutauit bonarum virtutum. Verè hæc mutatio eſt dexteræ excelſi Dei: Spiritus enim ſanctus, quem vult aſpirat, Et inſpiratum ſaluificat, ſuáque replet gratia. O ſanctæ miſericordiæ Dei, & immenſæ pietatis eius, nouæ vocationis, myſterium. O mira operatio mirabilium rerum! Ob ſpem itaque veniæ promerendam, & ſalutem perpetuam adipiſcendam, iubente iam illa beata muliere, delubra ſunt demolita, ſimulachra deiecta, Idola confracta. Et domus illa quæ ante erat ſpurcitiæ & contaminationis, purgata aſperſione hyſopi veræ inundationis, templum facta eſt ſanctificationis: & in honorem Dei, ac venerabilis Iacobi Apoſtoli ſolenniter eſt conſecrata. O fidele commercium! O felix ſanctúmque mercimonium! Dum pro terreno fragilique palatio, æterniter manens in cæleſti Ieruſalem commutatur habitatio. Gratuito autem clementiſſimæ miſerationis Dei omnipotentis munere, fidelibus conceſſum eſt, vt vna * eademque die, Paſſionis & Translationis eius ſanctiſſima occurreret ſolemnitas, vt duplicato Apoſtolici honoris gaudio, multiplicaretur plenius & credentium deuotio. Tantam prætereа ſalutiferam immutationem, illa ſancta conuerſio, gentibus eiſdem attribuit, vt præeunte Apoſtolica gratia, relicto errore ſimulachrorum, ad agnitionem veritatis vnius Dei properare gauderent. In omnibus enim Iberiæ finibus, diffuſa & dilatata eſt ex tunc adeo Eccleſia, diuinæ cognitionis ſoliditate fundata; vt in plenitudinem gratiæ cæleſtis, eundo de virtute in virtutem, Deo cooperante cotidie augmentaretur. Omnibus his ritè hoc ordine perfectis, vir Dei Cteſiphon & beatiſſimi ſocij ipſius, ſedes ſibi ſecundum ſanctorum Apoſtolorum qui eos miſerant præceptum, ad diuini cultus deligunt ſolemniter miniſterium peragendum. Nam † ipſe in ciuitate Vergi reſedit, cæteris in propriis commanentibus locis, orationi ſemper & omni ſanctitati intenti: donec expleto laboris ſui felici agone præmium ſuſciperent benè promeritum.

Eccleſia S. Iacobi in Gallæcia, olim templum Idolorum.

Paſſio & Translatio S. Iacobi Apoſtoli vna die celebrantur.

S. Cteſiphon & ſocij, ſedes inſtituũt Epiſcopales.

† Vergis ciuitas Hiſpaniæ, ſedes S Cteſiphontis.

Gallœcia quid ſignificet.

S. Iacobus proprius patronus Hiſpanorum.

Tv autem inclita Gallæcia gaude, quæ es Ethymologia tui nominis fæliciter potita; quia dulcedine cæleſtis VI.
lactis, vberius es enutrita. Exulta inquam & gaude, quia diuini gaudij meruiſti eſſe particeps, & ſplendore lucis mundi, amici Dei Reuerentiſſimi Iacobi Apoſtoli es clarificata. Fælix terra tua, tanta fælicitate ditata, fæliciter Apoſtolico culmine ſublimata. Fæliciſſimo virtutis Dei robore ſtabilita. Beata gens tua, quæ ad tantam arcem gratiæ eſt eleuata, vt conceſſum ſit ei à Deo, poſſidere Apoſtolum proprium protectorem, & ſpecialem patronum. Beatus populus tuus, cui ex ſacroſancto prouiſoris ſui tumulo, fluunt inceſſanter cæleſtia balſama, & fragrant ſuauiſſimè orationum ſanctarum non deficientia aromata. Ex quibus cotidie reficiendo paſcitur, & ſine tabe ſaginatur. Aue Beate & Beatiſſime Iuſte, & Iuſtiſſime fili ſublimis tonitrui Iacobe Piiſſime, amice Dei, lux mundi, index ſeculi, ſplendor perpetuæ lucis, qui ſaluti feræ diſpenſationis Dei munere, cunctas ab Oriente vſque in Occidentem, Sol orbis terræ, illuſtras tenebras. Quanto enim tibi famulata ſunt elementa, mare, cælum, terra, tunc illuxerunt diuinæ claritatis dono, coruſcationes tuæ orbi terræ Dum ex Oriente in Occidentem, per mare, mirabili potentia diuinæ operationis vehebaris. O inenarrabilis Theologe! inſuperabilis teſtis perpetuæ veritatis! inexpugnabilis aſſertor inuiolabilis fidei precioſiſſime Iacobe! Tu ante conſpectum diuinæ gloriæ irreuerberatis adſtans oculis, in choro ſanctorum innocentum inacceſſibili ſplendore refulges, vbi iocundaris perpetua exultatione. Tu columna es orthodoxæ religionis, ſuper quam reclinatorium conſiſtit aureum, ad hoc, in fundamento Dei domus, ſuper baſim Chriſtum conſolidata, vt omnium imbecillium in te ſe inclinantium, impoſſibilitates ſuſtentes & foueas. Et quia quod noſtris meritis adipiſci nos apud Dominum poſſe diffidimus, ſancta interceſſione aſſequi confidentes tua, quibus nulla digna eſt confeſſio, ſatisfactio nulla, nulla pœnitentia, quippe contrito corde & humiliata mente: Oramus proni, imploramus cernui viſcera ampliſſimæ pietatis tuæ. Conceſſa tibi Dominica voce poteſtate remittendi peccata, malè commiſſa noſtra dele, crimina terge, ſcelerum maculas abole, exilis ſeruitutis noſtræ obſequia ſuſcipe; & quamuis te non augeant noſtra præconia, tamen offerimus: quia ſupplicatione tua mitiſſima, confidimus poſſe prouenire nobis ſalutis æternæ remedia. Prætereа fiſi multimodè de ſanctæ tuæ protectionis ſanctiſſima gratia, depoſcimus ſuppliciter, vt glorificantes te glorifices, diſſidentes, vt filius Dei, diſcordantibus pacifices. In fide Dei vnitatem largiatis, inuocantes te protegas & robores, memoriam tui celebrantes tuearis & confortes, requirentes te beniguiſſimè reſpicias & viſites, vt dum memineris noſtri in beneplacito tuo, lætemur perpetim ſanctis tuis precibus cum Chriſto.

Pſalm. 18.

Ecce vero perfectiſſime Dei amice Iacobe, excellentiſſime Dei martyr & Apoſtole, in omnem terram exiit VII.
ſonus tuus, & in fines orbis terræ verba prædicationis tuæ, quia in cunctis terrarum locis quibus Chriſti auditum eſt no-

eſt nomen, tu poſſides perpetuum honorem: Nam radijs tuæ ſanctæ claritatis, etiam ita extimas totius Chriſtianitatis perluſtraſti partes, vt ad ſanctiſſima cum tremore & honore dicenda oſſa tua, fideliter concurrant. Si quidem ex honorando & venerabiliſſimo ſepulchro tuo, emanat iugiter prælucidiſſimus fons innumerabilium ſanitatum, de quo multimodæ ſpecies variarum infirmitatum, ſæpiſſimè dilutæ curantur. Nec tantum corporaliter, ſed & ſpiritualiter glorioſius clara oſtenſione; cotidianis patefacit indicijs, pium ſe dilectoribus ſuis præbere auditum. Dum leproſos omnium fœdatos varietate peccatorum curat, claudos à rectitudine viarum Dei exorbitantes, redintegrat, febres viciorum, diabolico algore torpentes expellit; ſurdis in lege Dei obturatum habentibus auditum aperit, cæcis quoque claritatem mandatorum Dei intueri non valentibus, lucem reſtituit, ora ad Dei pronuncianda magnalia muta, in laudibus Chriſti reſerat. Sic miris mirandiſque præexcellentiſſimi Apoſtoli virtutibus, ſperata prouenit credentibus indulgentia, quia præſtantior eſt ſanitas animarum, quàm corporum. Et non ſolum in hoc omni reuerentia excolendo, verum in omnibus eius ſancto nomini dicatis locis, diuina hæc operatur pietas. Eſt namque in Neuſtriæ partibus, Eccleſia ſanctæ eius memoriæ ſacrata, in qua ipſius glorioſiſſimæ venerantur reliquiæ, Floriacenſi ſancti Benedicti ſubdita Baſilicæ, vbi tanta fieri cotidiana operatione nouimus miracula, quanta decent tantum operari Apoſtolum, quæ etiam aliàs in plurimis precioſorum ſufficerent Baſilicis ſanctorum. Pro his omnibus gratias agimus tibi ſacrum vocabulum maieſtatis, ſancta Dei Trinitas & vnitas; immenſam maieſtatis tuæ implorantes pietatem, vt cum beato Iacobo Apoſtolo, vitam mereamur poſſidere perpetuam.

Ex toto orbe, peregrinatio ad S. Iacobum.

Eccleſia S. Iacobi in Neuſtria ſubdita Floriacenſi cœnobio, miraculis claret maximis.

MARTYRIVM ETIAM ET TRANSLATIONEM S. IACOBI MAIORIS, ET ALIORVM APOSTOLO*rum, eleganti ſtylo deſcripſit F. Ioachimus Perionius, monachus Cormœriacenus, ad quem lectorem remittimus. Is floruit ſub Iulio tertio, cui ſuum libellum Pariſijs impreſſum dedicauit.*

VITA ET MARTYRIVM S. CHRISTOPHORI, PER F. LAVRENTIVM SVRIVM EX DIVERSIS COM*pendio deſcripta.*

An. 250.

I. CHRISTOPHORVS illuſtris martyr, ex Cananæa fertur duxiſſe originem. Diuinitùs autem à Chriſto illuminatus, in Lyciam venit eo animo, vt Chriſtum paſſim confiteretur & prædicaret. Id vt poſſet efficaciùs, preces ad Deum continenter fundebat. Cùm eſſet autem ſtatura corporis procerus, paſſim omnes in illum oculos conijciebant. Virgam geſtabat manu: quam cùm in terram defixiſſet, & illa repentè non ſine ingenti miraculo vireret, multi ſua nomina Chriſto dedêre. Confirmabat Chriſtus prædicationem fidelis ſerui ſequentibus ſignis. Iam fama ſancti viri peruenerat ad * Dagnum, qui per id tempus in Lycia rerum potiebatur. Is moleſtiſſimè ferebat Chriſtum Ieſum illic annunciari. Miſit igitur milites, qui Chriſtophorum ad ipſum adducerent. Poſtquàm aduenit beatus vir, à fide eum auertere nitebatur Dagnus. At † ſanctus Chriſtophorus & ſpiritu & corpore magnus, fidem ſuam præclarè confitebatur & nomen: dicens ſe anteà quidem Adocimum, id eſt, reprobum, dictum fuiſſe: nunc verò Chriſtiana religione initiatum, Chriſtophorum appellari. Et rectè ſanè dictus eſt Chriſtophorus, qui Chriſtum ſacra prædicatione Euangelij cunctis eum experentibus adferret.

Iulii 25.

Venit in Lyciam.

Multos conuertit.

* Dagnum irrepſiſſe, pro Decio, ſub quo paſſus eſt S. Chriſtophorus, notat hic Baron. in notis.   † Chriſtophorus quare dictus ſit.

II. AT prophanus homo Dagnus, gentiliſmi tenebris & erroribus occæcatus, Chriſti religionem ſtultitiam vocitabat, Chriſtophoro egregiè reſpondente, eam demùm veram eſſe ſtultitiam, cæca ſurda, & muta dæmonum ſimulacra adorare: illam veram eſſe ſapientiam, illum ſolum Deum colere & adorare, qui cælum, terram mare & omnia, quæ in eis ſunt, creârit, qui nos quoquè condiderit, & ab æterno igne poſſit liberare. Abductus indè eſt in carcerem Chriſtophorus, donec apud ſe tractaret Dagnus, quo ſupplicij genere eum tolleret è medio. Et primò quidem id illi conſultiſſimum viſum eſt, vt duæ ad eum meretrices in carcerem intromitterentur, quæ eum ad res venereas prouocarent, & ita faciliùs ad idololatriam deuolueretur. Sed ſimulatque in carcerem venêre impudicæ fœminæ, adeò ſunt diuinitùs exterritæ & illuminatæ, vt & facinus ſuum agnoſcerent: orarentque Chriſtophorum, vellet pro ipſis Dominum deprecari. Reſpondit Chriſtophorus ſe libenter Dominum rogaturum, modò ipſæ vellint, repudiato impuro Ioue & Apolline, Chriſti religionem profiteri. Illis prompto animo aſſentientibus, Dagnus quid actum eſſet percepit, accitaſque Niceram & Aquilinam, (ſic enim vocabantur) iubet dicere rem totam. Dicunt illæ intrepidè. Dagnus præcipit, vt in fanum ducantur, & idola adorent. Veniunt in templum, irrident dæmonum ſtatuas, vt quæ nec ratione, nec ſenſu, nec vita præditæ ſint: nec hoc contentæ, zonas in caput Iouis inijciunt, & illum magnum dæmonem trahunt per templi pauimentum, pedibus benè largiter eum conculcantes. Iraſcente magiſtratu, reſpondebant illæ, non ſe deos conculcare, ſed ligna & lapides. Et ô miſeros, inquiebant, deos illos, qui ſe à fœminis patiuntur in ſolum deturbari. Cùm ea autem conſtantia niterentur, grauiſſimis affectæ cruciamentis, ad extremum capite punitæ ſunt.

In carcerem intromittuntur ad eum duæ meretrices.

Meretrices conuerſæ irrident dæmonum ſimulacra.

III. ANTE illas Dagnus etiam viros quadraginta, Chriſtophori doctrina conuerſos, capite cædi iuſſerat. Indè iubetur fortiſſimus Chriſti miles Chriſtophorus ſiſti rurſus coram Dagno: ſed cùm inuicta animi virtute in verbo gratiæ perſtaret, nec ab illo vellet vlla ratione deficere, cui in baptiſmo iurârat, multiuarijs eſt pœnis crudeliſſimè excarnificatus. Interim plerique nobiles credebant in Chriſtum, & cùm Dagnum obiurgarent, citò Chriſti martyres effecti ſunt, ſanguine pro pietate effuſo. Iuſſit verò tyrannus in caput S. Chriſtophori galeam ignitam imponi, cùm priùs atrociter eſſet virgis cæſus. Deindè ad ſcamnum ferreum, quod corporis eius ſtaturam æquabat, alligari, ipſumque ſcamnum, multo ſuppoſito igne inflammari, ſimulque beatiſſimum martyrem exuri, & corpus eius ferventi oleo perfundi: illo interim dicente ad tyrannum: In nomine Ieſu Chriſti tormenta tua non ſentio. Tandèm modo admirabili liberatus, Chriſtum populo prædicauit, & multos ad Chriſti ouile traduxit. Fuit id valdè inuiſum Dagno, iuſſitque ſanctum virum ad palum alligari, & milites ſagittis eum conficere: ſed inanes ſagittarum ictus erant, manſitque ab illis vir ſanctus prorſus illæſus. Ad extremum caput illi præciſum eſt, cùm priùs rogâſſet Dominum, vt vbicunque humatum eſſet corpus eius, ibi nec grando, nec ignis, nec fames, nec peſtis noceret. Teſtantur antiqui manuſcripti codices, ad hominum millia octo & quadraginta, beati Chriſtophori prædicatione in Dominum crediliſſe. Teſtatur verò etiam antiquiſſimum Græcum Martyrologium, S. Chriſtophorum pro Chriſti confeſſione capite punitum. Præfatio quoque Ambroſiana præclarè huius beatiſſimi viri meminit, cuius verba huc adſcribemus:

Viri 40. per S. Chriſtophorum conuerſi, decollantur.

S. Chriſtophori multiplice. pœnæ.

Capite cæditur.

48000. hominum conuertit.

CHRISTOPHORO tantæ virtutis cumulum & doctrinæ gratiam Domine contuliſti, vt quadragintaocto millia hominum, de gentilitatis errore ad Chriſtiani dogmatis cultum coruſcantibus miraculis reuocaret. Quique Nicetam & Aquilinam, publico lupanari longo tempore ſub meretricia ſorde famulantes, ad caſtitatis habitum reuocauit, eaſdemque coronam percipere edocuit. Præterea inter igneum rogum ferreo ſcamno conſtrictus, nimium calorem non timuit, atque per diem integrum omnium militum ſagittis transfigi non potuit. Cæterùm vna ex his, carnificis oculum colliſit: cui tamen beati martyris cruor, mixtus terræ, lumen reſtituit, & corporis cæcitatem tollendo, illuminauit & mentem. Nam & apud te veniam impetrauit, atque vt morbos & infirmitates repellat ſuppliciter obtinuit. Hactenùs Ambroſius.

Huius ſancti Martyris reliquiæ Toleti in Hiſpania aſſeruantur. Vide Bar. in not. ad mart. hoc die.

AN. 290.

VITA ET MARTYRIVM S. CVCVPHATIS, EX VETVSTIS MS. LIBRIS, MVTATO PASSIM STYLO PER F. LAVR. Surium, deſcriptum. Authoris nomen non habent Codices: ſed conſentiunt antiquiſſima Martyrologia.

Iulii 25. Pſal. 67. Pſal. 49.

Præfatio.

GLORIOSOS Sanctorum triumphos laude & prædicatione efferre, & ſcriptis ad poſterorum notitiam tranſmittere, multis modis probatur eſſe vtiliſſimum ac cum primis ſalutare. maximè quòd in illorum gloria ille celebratur, qui mirabilis in Sanctis ſuis, illuſtri militum ſuorum certamine ab hoſte triumphato victoriam reportat. Cuius laus vſque adeò ſalutaris eſt, vt in ea ſingulari quodam priuilegio iter ſit, quo pertingatur ad ſocietatem angelicam, & ſalutare Dei Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui caput eſt membrorum fidelium, id eſt, omnium electorum ſuorum. Tum etiam ex cognitione inuictæ & inſuperabilis conſtantiæ martyrum Chriſti, tepidæ mentes noſtræ, conſciæ fragilitatis ſuæ, ingemiſcunt, & ad pœnitentiæ lamenta ſeſe feruenter excitant, quòd prauis operibus propter viles, momentaneas, prorſuſque inutiles voluptatum carnalium illecebras illum offenderunt, cui beati martyres per immaniſſima tormenta fidem, amorem, & obedientiam conſeruârunt: ſimul etiam diuinæ gratię adiutorium per multa hortamenta ſibi proponentes, ad eorum imitationem ſe accendunt. Huc accedit, quòd fidelis mens quos plura & acerbiora prò Chriſto ſupplicia pertuliſſe intelligit, eos maiori etiam in cælis honore potiri, & proindè etiam faciliùs, ſi quid petant, obtinere, ſcriptura teſte, nouit: quoſq; propinquiùs fonti pietatis & totius miſericordiæ Saluatori noſtro, (quanquàm ipſe propè ſit omnibus inuocantibus ipſum in veritate) veluti ſingulari quodam priuilegio inhærere confidit, eos propenſiores etiam eſſe & paratiores ad humilitatis noſtræ exaudienda ſuſpiria, diuinæq; clementiæ offerenda, & digniſſimis precibus ſuis cõmendanda haud ſanè inaniter credit. Vndè etiam repudiata omni ſegnitie & deſidia, cùm cuiuslibet eorum martyria & agones percipit, eos obſecrat, ſibique quibuſcunq; poteſt officijs conciliare contendit. Indè verò fit, vt & illos habere propitios mereatur: cùm abſurdum, imò & impium ſit, exiſtimare eos, qui ſuis perſecutoribus & ingratis beneficia pietatis impenderint, ipſos inuocantibus benignitatis ſuffragia negaturos, vt ſacroſanctis eorum interceſſionibus id impetrent, vt & hic vitam tranſigant in ſtudijs Deo gratis, & poſteà omnis pœnæ expertes; ipſorum conſortijs adiuncti, gloriam obtineant ſempiternam.

Sanctorum historiæ tepidas hominum mẽtes ad pœnitentiæ lamenta excitant. Pſal. 144.

BEATI Cucuphatis clariſſimi martyris tanta ſunt merita, tanta in certamine fortitudo, vt humanam, eorum in- I.
primis fidem videatur excedere, qui non credunt diuinæ potentiæ, & omnia poſſibilia eſſe credenti. Ortus fuit in Scyllitana vrbe nobiliſſimis parentibus, & inter ſuos ſingulari magnificentia opulentiſſimis natalibus. Sed ille fide & moribus longè ſe nobiliorem præſtitit. Erat in eadem ciuitate Felix quidam, æquè illuſtri proſapia. Cum illo profectus eſt Cæſaream, quæ eſt ad Mauritaniæ litus ſita, vt liberalibus literis operam nauaret. Vbi autem peruulgata fama compererunt, perſecutionis immanitatem nimio æſtu feruere in Oriente ſub ſatanæ adminiſtris Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, illi cum multis nauibus, non mediocris precij mercibus & opibus onuſtis, in Occidentem profecti ſunt, mercatorum præ ſe habitum & formam ferentes: vt erant reuerà negociatores Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cumque Barcinonem appuliſſent, repererunt vſqueadeò dictorum principum impietatem vſquequaque malè graſſari, vt nec in occiduis Orbis partibus ſupereſſet ciuitas, municipium, vicus vel poſſeſſio, vbi non eſſet ſtatutum idolum: cui quiſquis nollet thura ponere, illi fas non erat quippiam emere, nec beneficium vel commodum aliquod aut accipere, aut conferre. Itaque animaduertentes deuoti cultores Dei, tempus iam aduentare, quo virtus Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti manifeſtaretur, breui tempore in lachrymis ſeminârunt vt in gaudio ſempiternò meterent: cœperuntq; operibus pietatis & eleemoſynis, quibus ſedulò aſſueuerant, etiam largiùs præſtandis vacare, fide, caſtitate, ſobrietate, manſuetudine, eximia charitate, erga omnes benignitate, denique virtutum omnium ſplendore ceu clariſſima cæli luminaria coruſcare, omnium ſe mentibus & amori officioſiſſimè inſinuare: tum quoquè verbum ſalutis priuatim & per domos ad ipſos confluentibus prædicare, donec res ſuas omnes, quas eò attulerant, miſericordiæ officijs impendiſſent, atque ità ad extremum, Dominum Ieſum publica voce confitentes & annunciantes, ſeipſos, vt rei declarauit euentus, ſuperimpenderent.

Marr. 9. S. Cucuphatis patria. Felicis huius martyrium 1 Auguſti refertur. Sæuiſſima Chriſtianorum perſecutio ſub Diocletiano. Felix & Cucuphas vacant operibus miſericordiæ.

PORRO communicato inter ipſos conſilio, beatus Felix Gerundam abijt, & illic pro Chriſto ſanguinem fudit. II.
Cucuphas autem Barcinone vrbe populoſiſſima remanens, pręter conſtantiſſimam & inſuperabilem veræ fidei prędicationem, etiam miraculis egregiè ornatus eſt. Non enim potuit diù in tenebris latere tantum lumen. Denique ita in omnium gratia curationum excreuit, vt nemo fideliter ab eo petens aduerſum quoſuis morbos & moleſtias remedium, non ſine mora in nomine & virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti id conſecutus ſit. Dæmones etiam ſolo expulit verbo, & virtutem Chriſti confitentes, à credentium finibus exturbauit. Audiens verò hæc Galerius proconſul, milites miſit, qui eum ad ipſum adducerent: ac deindè ad tribunal aſſiſtenti dixit: Ecquod numen colis rebellis inſaniſſime, qui, vt audio, inuictiſſimorum principum iuſſa contemnis, & maximorum deorum omnipotenti maieſtati cultum impendere non vis? Reſpondit ſanctus Cucuphas cum ingenti conſtantia: Itáne mortalium omnium inſipientiſſime ea me iubes ſimulacra adorare, eoſque deos colere, qui non veri Dei voluntate, ſed fraude & verſutia malorum dæmonum & ſtultiſſimorum tuique ſimilium hominum vecordia & amentia inuenti & conflati ſunt? Ea reſponſione incredibili mentis furore inflammatus proconſul, tortoribus ait, vt donec ſpiritum ab illo extorquerent, non ceſſarent atrociſſimè illum flagellare.

Cucuphas Barcinone multis claret miraculis.

ACCEDVNT igitur per vices duodecim milites, & exquiſita crudelitate ita eum flagellis laniant, vt dirupto III.
corpore viſcera eius conſpicerentur. Tum vir ſanctus magna voce clamauit: Domine Ieſu Chriſte, qui omnia tuo præcepto fundaſti, qui me de limo fragili ſolidam ſubſtantiam & rationalem creaturam finxiſti: præſta mihi ſeruo tuo, vt virtutem tuam intelligens, hæc propter te & poſſim & ardenter concupiſcam tolerare, qui cernis omnia, & pro ſancto nomine tuo cum diabolo & miniſtris eius, & cum ipſius quoque carnis meæ doloribus me certantem vides.

Flagellis crudeliſſime cæditur.

vides. Oſtende virtutem tuam incredulis, qui nomen tuum perſequuntur: vt videntes mirabilia tua, credant & conuertantur: aut certè pereant, & deſtruantur. Porrò impijſſimum Galerium, qui tanta rabie ſæuit in ſeruum tuum, ſi non eſt prædeſtinatus ad vitam, diuino citiùs gladio interfice. Cùm hæc dixiſſet, & milites viderent viſcera eius in terram profuſa, cæcitate percuſſi ſunt, & Galerius Proconſul cum omnibus idolis ſuis, quibus electum Chriſti martyrem ſacrificare cogebat, repentè conſumptus eſt. Ipſe verò martyr, viſceribus intrà ventrem reſtitutis, dicto citiùs operatione diuina ſanatus eſt. Galerij proconſulis interitus.

IV. His ita geſtis, expanſis in cælum manibus, dixit: Gratias tibi ago omnipotens Deus & mundi Saluator, qui es ab æterno, & permanes in omnem æternitatem: qui in te credentium preces non deſpicis, qui cùm ſuis vbique tutus, mihi hîc adeſſe dignaris: qui ea manu potentiæ, qua me primò plaſmâſti, iam denuò omnipotenti gratia inſtaurâſti, tuiq; nominis hoſtes perdidiſti. Tum verò populus omnis dedit laudem Deo, & toto pectore voces in cælum tollens, dixit: Tu es verus Deus, quem ſanctus Cucuphas colit: tu es Deus, neque eſt alius extra te, qui facis hæc mirabilia: tu es Deus viuus & verus, regnans in ſæcula ſæculorum, Amen. Multi Chriſtum confitentur.

V. Tunc ſanctus Cucuphas ſilentium indicens, cum ceſſâſſent eiuſmodi populi clamores, ait: En vosipſi videtis, quàm admirandas res faciat verus Deus, quem ego prædico vobis. In illum ergò credere debetis, & illum adorate. Itaque fratres mei abijcite idola, hominum manibus facta, quibus nec vox, nec auditus, nec guſtus, nec ſenſus vllus, nec vlla virtus ineſt: quæ nec ſibi poſſunt conſulere, & ſui cultores mittunt in ignem æternum. Intereà prolata ſunt hæc ad Præſidem Maximianum, qui iuſſit, vt ſacratiſſimum Domini teſtem, atrociſſimè vinctum, coram ſe ſiſterent. Itaq; Niloximus & Haſtraximus, viri & poteſtate & crudelitate cæteris, qui erant in officio, inſigniores, grauiſſimo catenarum pondere fatigatum, ad Maximianum Præſidem perduxerunt: dixitq; ei Præſes: Vndenàm es tu? inquilinus ne, an peregrinus & alienigena? S. Cucuphas reſpondit: Quid ſciſcitaris de patria & genere meo, quæ tibi Deus indicare noluit? Maximianus ait: Quem tu ergò Deum colis? S. Cucuphas reſpondit: Quid ita ſub dubio de Deo interrogas, quaſi aut plures dij ſint, aut Deus ipſe diſſectus ſit? Equidem alium Deum non noui, præter eum, qui eſt Deus viuus & verus: qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, quem corde credo, & ore confiteor, atq; omni ſtudio prædico. Maximianus dixit: Si verus eſt Deus, quem tu dicis, veniat nunc, & eripiat te de manibus meis, & de ſupplicijs tibi præparatis. S. Cucuphas dixit: Quæ verò mihi parata ſunt ſceleſtiſſime? Ego & te, & patrem tuum diabolum, cum omnibus exquiſitis ſupplicijs, quæ mihi vt ſatanæ adminiſter irrogaueris, irrideo, ijs planè inſulto, & per virtutem nominis Domini Ieſu Chriſti ea deſpicio. Maximianus ait: Video, miſer, multa te eſſe animi pertinacia, qui etiam maleficis artibus tuis deos noſtros contriuiſti. S. Cucuphas ſubridens, dixit: Putaui, miſer aliquam ſaltem in te ſcientiæ particulam reſidere: ſed, vt video, ſummæ dementiæ es & extremæ inſaniæ: qui cùm dereliqueris, velis nolis, Deum tuum, dæmonum ſtatuas adoras, ijſque, ſecundùm ſcripturæ diuinæ imprecationem, ſimilis factus es, quorum dux eſt diabolus princeps veſter: putaſq; minis frangere te poſſe ſeruum Dei. Conſtantia S martyris. Pſal. 113.

VI. Tvm Maximinianus, ſatanico furore correptus, iuſſit beatum martyrem in craticula aſſari, & ambuſtum, ſinapi & aceto perfundi. Sed ſanctiſſima hoſtia, inuictiſſimus Chriſti miles, pſallebat: Exaudi Domine iuſtitiam meam, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labijs doloſis, & reliqua vſq; in pſalmi finem. Cumq; Pſalmum abſoluiſſet, ita eſt ſanitati redditus, acſi nihil perpeſſus eſſet: pœnarum aût adminiſtri, ab igne conſumpti ſunt. Poſtquàm hæc Maximianus audiuit, furorem furori adiungens, præcepit Chriſti athletam ferro onuſtum ſuis adſpectibus præſentari, dixitq; illi: Multa vis eſt præſtigiarum tuarum: ſed per deos magnos, atrociſſimis ego tormentis te interficiam. S. Cucuphas reſpondit: O virulenta lingua diaboli, quid ita procaciter abſque opere minaris? Age, quod acturus es: prorsùs enim nullius apud me ponderis ſunt minæ tuæ. Aſſatur in craticula. Pſal. 16. Sanatur diuinitùs ab aduſtione.

VII. Ivssit ergo Maximianus ignem copioſum extra vrbem accendi, vt ſanctum Dei martyrem concremaret. Cumque eum officiales conieciſſent in ignem, ſublatis in cælum oculis, dixit: Adeſto nunc mihi Domine Ieſu Chriſte, qui in ardenti fornace tribus fidelibus pueris tuis adfuiſti, & in te credentibus, æternos & intolerabiles gehennæ ignes tuo ſanguine extinxiſti, ad quos ire non meruit impijſſimus præſes Maximianus: qui perſpecta modò potentia tua pudefiat. Prece completa, ita ignis omnis extinctus eſt, vt nec tepor quidem incendij ſupereſſet, & vir beatiſſimus ab omni flammæ vapore illæſus & intactus, in has diuinæ laudis voces erupit: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Vbi id vidit Maximianus, pudore affectus, dixit cuſtodibus: Ferro vinctum reducite eum in cuſtodiam, donec excogitemus noua genera pœnarum. Dan 3. Ignis illi præparatus extinguitur. Pſal. 65.

VIII. Retrvditvr ergò ſanctus Dei martyr in carcerem, & grauiſſimo ferri atque catenarum pondere oneratur. Cumque veſperi ingrederetur in carcerem, pſallebat: Dirigatur, Domine, oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Clauſo autem oſtio carceris, tantus in eo ſplendor refulſit, vt eo conſpecto, cuſtodes carceris crediderint in Chriſtum. Poſt multam verò fidei doctrinam, beatus Cucuphas gratias agens Deo: Satia, inquit, Domine Ieſu animas eſurientium & ſitientium ſanguinis tui recreatione. Hæc ſancto martyre orante, manè admodùm tranſmiſſis apparitoribus, Maximianus eum ſibi iuſſit præſentari, dixitque ad eum: Adhuc perſeueras in inſania tua, nec vis redire ad ſanitatem? S. Cucuphas reſpondit: Te planè obtinet inſania, qui patris tui diaboli iuſſa capeſſis, nec vis cognoſcere verum Deum: tecumque pariter hanc multitudinem perdis. Ijs verbis grauiſſimè commotus Maximianus, dixit militibus: Cædite eum virgis ferreis & taureis, vt exterminetur caro eius. Dum autem cæderetur, ſuſpiciens in cælum vir ſanctus, cum multis lachrymis dixit: Gratias tibi ago, omnipotens Deus, Domine Ieſu Chriſte: appropinquabit enim mihi gratia tua. Exaudi Domine preces ſerui tui, & pudefac impijſſimum Maximianum: vt omnes, qui credunt in verum Deum, videant mirabilia tua, & corroborentur in fide ſua. His dictis, vox cœlitùs audita eſt: Quicquid petiêris, dabitur tibi ſecundùm fidem tuam. Tum beatus martyr ita orauit: Confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis. Corrobora cor meum, & da vires ſeruo tuo ad ſuperanda tela omnia nequiſſimi hoſtis. Ego enim cognoſco te verum Deum. Quòd ſi iuſto iudicio tuo periturus eſt Maximianus, fac vt celeriter intereat cum patre ſuo diabolo & omnibus dæmonum idolis. Iuſſerat autem Maximianus ornari aras, vt dæmonibus ſacrificia offerret cum pontificibus. Cumque aſcenſo curru eò tenderet, in medio foro nutu Dei in terram decidit, crepuitque miſerè, & extinctus eſt. Porrò idola, quibus volebat immolare, pariter collapſa, & in puluerem redacta ſunt. Pſal. 140. Tauris cæditur. Præſes Maximianus perit.

IX. Qvæ vt vidit populus, ſumma vocis contentione dixit: Magnus eſt Deus Cucuphatis, & verus eſt Deus Chriſtianorum, eorumque potentiſſimus liberator. S. Cucuphas ait: Tibi laus Domine Ieſu Chriſte, tibi gratiarum actio, tibi omnis debetur honor & adoratio. Tibi Deus omnipotens gratias ago, te intùs & foris glorifico, qui incredulos enertis, & te diligentes extollis. Tum Ruffinus quidam, qui ciuitati præeſſe videbatur, ita populum affatus eſt: Quid ita à paterna religione & cultu degeneratis, & hac perfidia generi veſtro ignominiam affertis, relictis magnis dijs, ignotum adorantes? Reſponderunt omnes: Cur nos hortaris illos colere, qui non ſunt dij, ſed opera manuum hominum? Æquum eſt, in illum potiùs nos credere, illumq; adorare, quem S. Cucuphas confitetur & colit. Ait autem Ruffinus ad Chriſti martyrem Cucuphatem: Improbiſſime, cur tantæ multitudini perſuades deos maximos blaſphemare, & neſcio cuius Chriſti nomen confiteri? S. Cucuphas reſpondit: Nos confitemur viuentem, &

tem, & adoramus immortalem: vos autem illos adoratis, quibus nec vox, nec auditus eſt, perituri hauddubiò cum illis in iudicio ſempiterno. Tum Ruffinus ait ſpiculatoribus: Nunquàm hunc rebellem ſuperabimus, niſi gladio in illum animaduertamus. Dictauit ergò hanc in eum ſententiam: Cucupharem aduersùs principes noſtros rebellem, & dijs magnis ſacrificare contemnentem, gladio feriri iubemus.

Mortis ſententia pronunciatur in martyrē.

E A lecta ſententia, ſpiculatores eum extra vrbem abduxerunt ad locum, qui Tianus dicitur, octauo ab vrbe X.
milliario, vt illic eum capite punirent. Orauit tum eos S. Cucuphas, vt breue precandi ſpatium ipſi præberent. Illis annuentibus, humi ſe proſternens, dixit: Deus omnipotens, Domine Ieſu Chriſte, qui feciſti omnia in virtute tua, & regnas cum patre & ſpiritu ſancto: fac miſericordiam cum me ſeruo tuo, & ſuſcipe animam meam in pace. Scis enim Domine, quòd toto corde deſideraui te. His dictis caput ei amputatum eſt. Porrò Chriſtiani rapuerunt corpus eius, & cum digna veneratione ſepelierunt octauo Calendas Auguſti. In eo autem ſepulturæ eius loco virtus Domini noſtri Ieſu Chriſti per ſanctum ſuum martyrem petentibus benignas prebet aures, & pijs precibus præſtar effectum in laudem & gloriam nominis ſui: Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Capite punitur.

Corpus eius transfertur.

P A S S V S eſt beatus Cucuphas pro glorioſa confeſſione nominis Chriſti, & ſepultus apud Barcinonem octauo, XI.
vt diximus, Calendas Auguſti. Indè verò poſteà tranſlatum eſt venerabile corpus eius à Fulrado reuerentiſſimo & religioſo Abbate cœnobij ſanctorum martyrum Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij 14. Calendas Martij, in Cellam eiuſdem cœnobij, quam idem Fulradus in ſuo proprio munificentia diuæ memoriæ Caroli Imperatoris conſtruxit, & patrono ſuo eximio Dionyſio tradidit: quæ quidem ſita eſt in ſaltu * Voſago, dicitutq; Lebraha. Vbi cùm aliquandiù ita, vt allatum erat, inhumatum iacuiſſet, religioſi patris & eiuſdem monaſterij Abbatis Hilduini expeditiori conſilio, ſolerti ſtudio & ingenti deſiderio (vt erat Dei & ſanctorum eius amator & cultor) in crypta ad pedes beatiſſimi Dionyſij ſociorumq; eius, quam idem Hilduinus in honorem Dei, & ſanctæ atque intemeratæ eius genitricis & ſanctorum omnium extruxerat, Dominicæ incarnationis octingenteſimo triceſimoquinto, octauo Calendas Septembris, humatum eſt.

* *alias Vogaſo.*

AN. 590. *VITA S. GLODESINDIS VIRGINIS, CVIVS AVTHOREM QVIDAM CODICES HABENT QVENDAM BENARdum Abbatem, alij Arbertum monachum. Stylum, vbi viſum eſt, nonnihil mutauit F. Laur. Surius.*

IVLII 25.

Præfatio.

M V L T A iamdiù pace ſanctitatis veſtræ, ſorores in Chriſto chariſſimæ, me paulò immoderatiùs perurgente, ne quid veſtræ negarem dilectioni, id demùm effecit, quòd id, quod petebatis, non modò honeſtum, ſed etiam omninò pium & religioſum eſt: idque me perperuò recuſare, cùm indignum, tum verò etiam periculoſum ſentiebam. Etſi enim pares tantæ rei vires me putabam adferre non poſſe: at rursùm animum ſubibat, quo difficiliora ſuſcipiuntur propter charitatem, quæ non ſua, ſed quæ proximorum ſunt, cogit ſpectare, eo faciliores per eam ipſam ſucceſſus obtineri. Neque in ijs rebus, quæ Dei ſunt, verendum eſt illi, qui eas curandas ſuſcipit, illùm propter ipſum operanti defuturum: modò ne fide vacillet. Cogitis itaque, vt ſacratiſſimæ virginis Chriſti Glodeſindis, cui deuotas continenter excubias defertis, quæ conuerſationis initia, qui totius ſequentis vitæ actus, quis demùm è vita exceſſus fuerit, quantùm ex ſcriptis, quæ ad noſtram ætatem qualibuſcunq; literis annotata habentur, colligi liceat, ſtylo proſequi attentem. Quod ſanè tam longo tempore, tam multa inſtantia flagitantibus vobis cùm indecorum ſit abnuere, ope eiuſdem præſtantiſſimæ virginis, Deo puro ſpiritu inhærentis, tum veſtris quoquè fretus orationum ſubſidijs, etſi non ſine rubore quodam, vt qui proprij ingenij tenuitatem agnoſcam, ociùs iam tandèm abſque longis ambagibus narrationi me accingam.

forte Childeberti.

Parentes S. Glodeſindis.

Deſpōſatur Oboleno adoleſcenti nequiſſimo.

T EMPORIBVS * Childerici Francorum Regis in Gallia Belgica virgo Domini Glodeſindis egregijs orta natali- I.
bus, patre illuſtriſſimo, eodemque Duce clariſſimo, qui Vuintro dicebatur, matre Gudila, non impari generis nobilitate: ab ineunte ætate multa virtutum dote inſignis, multiſq, de ſe caſtitatis exempla præbitura, vita & moribus clara enituit. Cumq; in parentum domo in puellaribus annis integrè & omni cura ac ſtudio eſſet educata, vbi tempus aduenit, quo ad nuptias traderetur, iuueni cuidam, Oboleno nomine, à parentibus ex more ſponſa decernitur: ſed Chriſto illam vbiq; protegente, non minùs corpore, quàm animo, intacta ſeruatur. Et ô miram ſemper Dei miſerentis erga electos eius benignitatem & cuſtodiam. Cùm poſt deſponſationem iuuenis virginis, vt fit à parentibus accepiſſet, domum eam cum grandi frequentia, nuptias paraturus, abducit. Sed quia ſancta virgo cæleſti ſponſo iam corpus & animam ſuam conſecrauerat, non ſine nutu Dei iubente Rege euocatus iuuenis, ad palatium eius cum feſtinatione contendit. Vbi eò peruenit, multis ei nefarijs illatis criminibus. Rex grauiter in eum commotus, arctæ eum cuſtodiæ iuſſit tradi, & integro anno, ita vt dignus erat, carceris ſquallore confectus, eductus tandèm, lata in eum ſententia, capite plexus eſt. Ita ſancta virginitas, dum totis viribus carnalem reſpuit voluptatem, cunctamq; gloriæ temporalis pompam pro nihilo ducit, Domino Ieſu Chriſto, quem omnibus rerum labentium præferebat illecebris & oblectamentis, pro ipſa decertante, cui vni, vt ſemper optauerat, corde & corpore inhærebat, læta & victrix de corruptione triumphat.

Spōſus eius capite punitur.

Reſpuit alterum ſpōſum.

S E D neque ſic tamen aduerſæ poteſtatis defecère doli & machinæ. Pater nece ſponſi prioris accepta, puel- II.
lam venerabilem rursùs compellit cogitare de nuptijs. Illa verò, quæ iam ſponſum Chriſtum ipſis animi medullis imbiberat, modis omnibus recuſat, nec animum ſemel virtuti addictum, qualibet inductione ad conſenſum inclinari ſuſtinet. Iam aduentabat dies, quem parentes nouis nuptijs præſtituerant, & ſancta virgo præ eius ſpecie, quem oculis interioribus incorruptibilem, immarceſcibilem, immortalem contemplabatur, nouum ſponſum, poſt paululum putredinem & vermem futurum cogitans, patre piè contempto, ad Dei & ſanctæ matris Eccleſiæ perfugium ſe recepit. Erat patri eius ſoror memorandæ ſanctitatis, * Rodindis nomine, apud Treuiros propter religionis famam celeberrima. Ad eam pater volebat Glodeſindim ſecum adducere, vt vel eius perſuaſione animus puellæ emollitus, paternis non detrectaret parere conſilijs. Sed quid contra lumen æternitatis cæca molitur inſtantia? Sancta virgo, poſthabitis paternis iuſſis, Metim Mediomatricum vrbem, populis, potentia & antiquitate memorabilem, profecta eſt. In ea vrbe baſilica habetur beatiſſimi protomartyris Stephani, multis miraculorum ſignis illuſtris. In eam ancilla Chriſti, cùm iam res propè ad vim ſpectaret, ingreſſa, intrà altare & confeſſionem, vbi cum eiuſdem præclari martyris ſanguine, plurimorum Sanctorum reliquiæ continentur, ſe profugam abdidit. O ſæculis omnibus caſtitatis ſtudium meritò efferendum! Quò enim fluxa mortalitas, natura per peccatum vitiata trahente, captiua deſcendit: hoc puella, ſpiritûs vigore ipſam fortiter retinente, quaſi immanis præcipitij voraginem

* *Rothilda.*

Fugit Metim, & intrà eccleſiam latitat.

perhor-

perhorreſcens, cùm non pateret alia euadendi via, fugæ præſidium captauit. Nec ſanè infimæ ſortis, non egeni aut quilibet è plebe erant, qui cogerent. Nimirum Dux præpotens pater erat, qui & ipſis locupletibus terrori eſſet, & eum cohors minax & terribilis ſtipantium ſatellitum comitabatur. At virgo pudica mori paratior, quàm florem virginitatis & clariſſimæ integritatis ſplendorem prodere, nec nimis concuſſa, nec blandimentis illecta, tanquam in portu tutiſſimo interrita manebat. Diſcant virgines præſenti exemplo, non pulcherrimum ipſis eſſe maritalibus implicari vinculis: nec poſſeſſionum amplitudine, nec ſeruorum ancillarumque gregibus, non ornamentorum diuerſi generis apparatu, non quorumcunque obſequentium cuneis delectentur: maximè quòd ſciant hæc omnia variis caſibus non ſine multo dolore, ſi ſint amata, poſſe eripi, nec quicquam ex iis ſequi aut comitari à corpore excedentes, morte omnia diſſipante. Quin potius beatæ integritatis, Deo angelicisque agminibus vnicè charæ, præ omnibus mundi huius vilibus & caducis oblectamentis, ſancto & immaculato ferantur deſiderio, illius eximia pulchritudine illectæ.

Exemplum imitabile virginitatis conſeruandæ.

III. Sed vt cœpta proſequamur, parentes puellam fugientem eueſtigiò inſecuti, tum eius facto obſtupefacti, tum ira inflammati, præſertim quod ſponſalium adminiſtri ſe deluſos conqueſti, acrioris doloris ſtimulis vrgerentur, ancillam Chriſti ex ſacro perfugij loco omni arte adhibita extrahere conabantur. Itaque fit iugis ante fores ædis ſacræ pernoctatio, intenta diu noctuque obſeruatio, vt qualibet fortaſſis oblata facultate, vi eam poſſint abducere. At puella venerabilis, robuſto ſpiritu animoque obfirmato immobilis perſeuerans, ſacroſancto adhærebat altari, nec vlla inde ratione vel puncto temporis aliquatenus potuit auelli: & quod dictu mirum eſt, ſex perpetuos in eccleſia dies permanens, non modo nuſquam egreſſa eſt, ſed etiam omni prorſus cibo potuque abſtinuit. Verùm is, qui dat eſcam omni carni, & implet omne animal benedictione: famulam ſuam humanis fruſtratam, diuinis, recreauit alimentis eamque precibus aſſiduis cælo intentam, angelica refectione ſuſtentauit. Interea tam conſtanti fide perſeuerantiæ ſuæ remunerationem exigente, lux gratiſſima diuinæ conſolationis repentè emicuit, quæ omnem illam mœroris nubem diſſiparet. Inſtante enim iam die ſeptimo, qui erat Dominicus, vir quidam vultu angelico, duobus pueris formoſiſſimis ſequentibus, ſub omnium conſpectu aduenit, partemque altaris, qua virgo ſacratiſſima pudoris tuendi cauſa celabatur, rectà ingreſſus, velamen, quod eſt ſanctæ religionis ſpecimen, cunctis cernentibus, in eius caput impoſuit. Moxque cum duobus pueris ab eorum oculis ſublatus, rei magnitudine & nouitate omnium animos obſtupefecit, atque adeò prope mentis inopes effecit, vt neque proloqui quicquam, neque quinam aut vnde illi eſſent, qui eo aduenerant, ſciſcitari poſſent. Cùm verò ea viſione ablata, ad ſe rediiſſent, & ſanctam virginem ita velatam conſpicerent, facile animaduerterunt angelos illos apparuiſſe, totumque, quod viderant, diuinitùs fuiſſe. Itaque non ſe vltrà oppoſuere virgini, ſed ad eius veſtigia humi proſtrati, omni feritatis tumore in ſupplices geſtus mutato, pro irrogatis iniuriis veniam petierunt. Nec verò apud eius animum, cui ſpiritus pietatis & Rex manſuetudinis præſidebat, difficilis fuit ea veniæ impetratio: ſed confeſtim perinde ac ſi nihil eſſet perpeſſa moleſtiæ, in integram cum parentibus & cæteris gratiam rediit.

Parentes eam perſequuntur fugientem.

Diuinis alimentis recreatur.

Pſalm. 135. & 144.

Diuinitus ei ſacrũ velamen imponitur, & ita ceſſant ei moleſtiam exhibere parentes.

IV. Attendant hìc virgines, & caſtitatis theſauro diſcant nihil Deo gratius, nihil angelis familiarius. Virginitati Chriſtus inter omnia adeſt diſcrimina: ſpiritus cæleſtes, vt ſponſæ Imperatoris ſui deuotiſſimi obſequuntur. Ea ſola agnum vbique ſequitur, immaculata immaculatum: quantoque ei arctiori neceſſitudine coniungitur, tanto in precibus ſuis propenſius exauditur. En quàm præſtò huic ancillæ ſuæ gratia illa inæſtimabilis adſuit. Vere prope eſt Dominus omnibus, qui obtriuerunt cor: & prope timentes eum ſalutare ipſius. Quo verò ore tum eam putas in laudes ſui erupiſſe creatoris? aut cuiuſmodi voce hymnum inæſtimabili cum iubilo fudiſſe, cùm oculos illius lucis inuiſibilis tam placide in ſe coniectos, & aures illas ſecretiſſimas voci ſuæ tam celeriter admotas, tamque facili via preces ſuum habuiſſe effectum cognouit, idque adeo, vt angelum Dei ſub ipſis mortalium oculis ad ſe exhilarandam & conſolandam præpotenti maieſtate adueniſſe gratularetur? Nimirum iam ſponſa cæleſtis Regis effecta, prophetica exultatione dicere poterat: Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me. Itemq; voce vniuerſæ Eccleſiæ, ex vtroq; ſexu collectæ, vni capiti ſuo dicere gratulabunda: Sicut ſponſo impoſuit mihi mitram, & ſicut ſponſam ornauit me ornamento (vel mundo.)

Virginitas quam ſit grata Deo & angelis.

Apocal. 14.

Pſalm. 33.

Pſalm. 84.

Eſai. 16.

Ibid. iuxta 70.

V. Cum ergo, vt diximus, ſancta virgo viſceribus pietatis affluens, cunctis ipſi paulò ante infeſtis libenter ignouiſſet, & parentibus deinceps comiter ſe ſubmiſiſſet, ad ſupradictam amitam ſuam * Rothildam, magnæ probitatis fama inſignem, quam tum, cum de ſecundis nuptiis ageretur, fugerat non mente contumaci, ſed pudore metuens: in gratia percepta non minimum fiduciæ gerens: Treuiros ſponte contendit. Ibi verò pro modo conuerſationis tempore non multo exacto, cunctis bonorum morum ſtudiis ad cæleſtis diſciplinæ & æqui ac honeſti præſcriptum pleniſſimè imbuta, vrbem propter diuina patrocinia ipſi amicam Metim repetiit, atque illic quamprimum vitæ arctioris inſtitutum, cui iampridem ſanctus eius ſpiritus toto pectore inhiabat, ancillarum Chriſti grege collecto, magno ſtudio complexa eſt. Eſt intra eius vrbis mœnia locus quidam, hæreditario iure tunc parentum eius ditioni ſubiacens, religioſo viuendi inſtituto admodum opportunus. Eum ſancta virgo dono dati ſibi petiit, diuinis vſibus applicandũ. Non eſt negatum ei, quod petiit, moxq; puellarum Dei monaſterium, in hunc vſque diem inſigne, multa operis elegantia conſtruxit, ſed elegantiori virtutũ decore præclarè gubernauit. In quo vſq; ad centenarium numerum Chriſto famulantes collegit, quibus etiam omni ſedulitate inuigilauit.

** Rotlindẽ,*

** Rodindẽ.*

Conſtruit monaſteriũ & multis illic præeſt virginibus.

VI. Quæ verò eius ibi deinceps in ſancto certamine conuerſatio fuerit, quæ omnis generis ſpiritualis profectus acceſſio quotidiana, quo diſciplinæ rigore ſeipſam continuerit, & cæteris, quibus dux cæleſtis itineris facta erat, in ſe, quod ſequerentur, exhibuerit, ſicque eis potius, quàm ſibi, vixerit: id ego ſanè cogitandum aliis relinquere, quàm ſcripto proſequi, malim. Nam attentius conſideranti perſpicuum fit, ſanctam virginem ob oculos cordis ſemper verſantem cæleſtem illam & angelicam viſitationem, non minus opere exteriori ſtrenuam, quàm ſpiritu feruentem, fuiſſe. Denique cum monaſterium illud totidem annis, quot diebus in mirabili inedia in eccleſia durauerat, feliciter gubernaſſet, Deo hominibuſque chara, vita quoque & miraculis inſignis, in propoſito ſanctitatis curſu fideliter peracto, coronam iuſtitiæ perceptura à Domino, ſponſoque diu deſiderato in cæleſti thalamo ſocianda, immaculata ab hoc ſæculo migrauit. Totum vitæ ſuæ ſpatium triginta annis fertur confeciſſe. Nec id quicquam ſanctitati eius derogare debet, cum quicquid fructuum annoſæ ſenectuti fuerit acceſſurum, nihil inde breui conſummata iuuentus diminuerit. Vt enim in Sapientiæ libro habetur, Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Quin potius magno Dei munere, iuſti in æternam quietem recipiendi, mundo prouidè ſubtrahuntur, ne videntes mala, quæ fiunt ſub ſole, aut ab internis retardentur deliciis, aut vitiis mortalis vitæ, quorum ipſe quoque noxius eſt conſpectus, contactu aſſiduo corrumpantur. Raptus eſt, inquit Sapientia, ne malitia mutaret ſenſum eius, aut fictio deciperet animam illius. Funus virginis debito honore curatum eſt, & ex more ab ea in illo monaſterio iam inde ab initio inſtituto, ad ſanctorum Apoſtolorũ baſilicam haud procul ab vrbis mœnibus verſus meridiem exportatũ, atque illic in crypta admodum depreſſa ad ſiniſtrum latus depoſitum. Ita enim ipſa viuens iuſſerat, quòd per id tempus ſanctarum eius loci puellarum cœmeterium in Apoſtolorum eccleſia eſſet, & necdum corpus glorioſiſſimi confeſſoris Chriſti Arnulphi, quem poſt multa indè tempora magnis vitæ & virtutum inſignibus enituiſſe conſtat, ea-

Abit in cælos, ſeptimo regiminis ſui anno.

Sap. 4.

Ibidem.

Ex hoc loco coniicio in pri-

cipio hiſtoriæ mendoſe legi Childericum regem. 1. Tim. 3.

dem eccleſia auguſto, vt nunc cernitur, tumulo ſuſcepiſſet. Vnde etiam poſtea nomen illi eccleſiæ impoſitum eſt, nec vllius alterius Sancti, præterquam ipſius beati antiſtitis, apud vulgum illic memoria notata eſt. Manſit autem ſacræ virginis venerabile pignus annis circiter vigintiquinque in eodem loco humatum, ſpiritu inter præmia æternitatis, omni iam temporis mutabilitate ſubacta, illi, qui verè ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, adhærente, vitaque immortaliter & immutabiliter cum illo perfruente, cui immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

An. 754.

HISTORIA TRANSLATIONIS CORPORIS BEATISSIMI GERMANI EPISCOPI PARISIENSIS, PER MONACHVM QVENDAM MONASTERII EIVSDEM S. GERMANI, QVI EAM EX ORE Caroli Magni Imperatoris ſcripſiſſe aſſerit.

Ivlii 25.

Carolus Martellus Franciæ monarcha. Lantfredus monaſterii S. Germani Abbas. Pipinus minor Francorum Rex.

OPERÆPRECIVM reor nequaquam ſilentio præterire, qualiter beatiſſimus Germanus venerabilem corporis ſui tranſpoſitionem præeuntibus velut ſignis oſtendere. Etenim cum ducentis circiter vel eo ampliùs annis in porticu eccleſiæ beati Vincentii leuitæ & martyris, iam quidem baſilica facta, ſanctum eius corpus iacuiſſet humatum, anno xxiij. quo Carolus Pipini ſenioris filius regni Francorum tenebat monarchiam, venerabilis vir Lantfredus præfati monaſterii pater, diuini ſpiritus incitamento ſuccenſus, qualiter tanto patrono condigna deberet augeri veneratio, vt videlicet eius ſanctiſſima membra infra maioris eccleſiæ aulam transferri debuiſſent, tacita cœpit mente tractare, atque deuoto non deſtitit corde rimari. Sed quoniam piis ſemper conatibus impedimenta huius ſe mundi obiiciunt, eiuſdem negotii dilato tempore, à ſupraſcripto principe legationis cauſa in Aquitaniam mittitur. Interea Carolus moritur. Idem verò Abbas ab Hunoldo ipſius Aquitaniæ patricio quaſi explorator tribus ſemis annis inuitus detinetur. Sed tandem ſubſtituto in regno Pipino minore, firmataque inter regna pace, Lantfredus abſoluitur: qui reuerſus, annis ferè duodecim in reſtauratione monaſterii, quod eo abſente diſſipatum fuerat, occupatur. I.

Fuit hoc ſub annum 754. Viſio cuiuſdam fœminæ.

SED licet his & aliis cauſis præpeditus, tamen ne deuotionis priſtinæ poſſet obliuiſci, recentibus & admirandis beati Germani ruſſus cœpit miraculis admoneri. Siquidem anno ſequenti, ex quo Apoſtolicæ ſedis Pontifex Stephanus ingreſſus Gallias, excellentiſſimi Pipini, quem idem vnxit in regem, contra gentem Longobardorum Romanam ſedem crudeliter opprimentem expetiuit auxilium, cuidam fœminæ huiuſcemodi oſtenſa eſt viſio. Putabat enim ſe quaſi cauſa orationis noctis tempore ad eccleſiam beati peti exiſſe Vincentii. Vbi dum veniens clauſas eccleſiæ ianuas reperiſſet, ante fores orationi procumbens, audiuit pſallentium multitudinem intra eandem eccleſiam reſonantem, atque omnem humanæ iocunditatis cantilenam modulationis ſuauitate ſuperantem: Cumq; tanti miraculi auditu attonita, quid hoc eſſet, cuperet agnoſcere: ſubitò quaſi cuiuſdam præclari adſpectus pueri miniſterio conſpicit eccleſiæ ſibi ianuas aperiri, tantique ſplendoris luce eandem repleri, quæ etiam diei vinceret claritatem. Quam cum ingreſſa fuiſſet præcedente ſe puero, reſpicit in partem ſiniſtram è regione ſepulcri beati confeſſoris Germani: & ecce multitudo virorum angelicis veſtibus indutorum, inter quos etiam præfulgidi adſpectus conſpicit virum, niuea ſenectutem canicie prætereuntem, cui quaſi recognito ait: Sanctiſſime Domine Germane, multum, inquiens, iam temporis eſt, quo hæc quæ video ſeruus tuus Lantfredus fieri deſiderabat. Et ille: Scio inquit, nam hodie viginti anni ſunt, ex quo ei ego illi, vt hinc me transferre deberet, oſtendi. Tu autem vade & dic ei, quoniam voluntatis eius deuotio omnimodis mihi placet, at verò exequendi operis tarditas valde per omnia diſplicet. Et ſi me hinc vel tandem transferre deliberat, retro beati Stephani altare me ponat. II.

Locum in quê transferatur ſuum corpus S. Germanus deſignat.

Quam viſionem mulier dum Abbati & fratribus retuliſſet, duobus indiciis veram fuiſſe probarunt: ſiue quia numerum annorum ſola Abbatis retinebat memoria, ſeu quia omni congregationi, quod in altari quoque ſanctæ Crucis beati Stephani reliquiæ eſſent, adhuc manebat incognitum, quas tamen poſtmodum ſagax inquiſitio prodidit.

S. Carolus Magnus adhuc puer translationi S. Germani interfuit.

TVNC ſæpedictus Abbas glorioſiſſimum Regem Pipinum adiit, & tam ea quæ ſibi præcedenti tempore ab ipſo ſancto fuerant oſtenſa, quàm etiam illa quæ nuper ipſi fœminæ fuerant reuelata, fideli ſtuduit narratione ſuggerere. Audiens autem hæc glorioſiſſimus & Dei cultor Rex Pipinus, gaudio gauiſus eſt magno: conuocatiſque vniuerſis regni ſui præſulibus, eis myſterium ſibi reuelatum innotuit, qualiterque tantum perficere negocium debuiſſet, ſolerti ab eis indagine perquiſiuit atque tractauit. Deinde quomodo illud expleuerit, licet ipſe non viderim, tamen multis qui viderunt narrantibus agnoui. Ex quibus omnibus vnum mihi in hoc opere excellentiſſimum authorem ponere placuit, dominum videlicet Carolum glorioſiſſimum Imperatorem, qui tunc puer ſeptennis operi pii genitoris interfuit, & ea quæ ibi vidit, admiranda memoria retinebat, nec non & admiranda facundia diligentiſſime fatebatur. Cuius vtique verbis maiorem vt decuit fidem adhibui, quàm ſi ea quæ dicebantur ipſe vidiſſem. Vnde tot fere tam Epiſcoporum quàm Abbatum, ſiue etiam reliquorum totius regni nobilium hæc eadem audientes, hactenus teſtes exiſtunt, quot pene magnitudo eiuſdem eccleſiæ, vbi hæc ſtans loquebatur, capere poterat. Aiebat namque (vt verbis ipſius eloquar) ad omnem circumſtantium multitudinem: Videtis ô populi condignum decorem huius eccleſiæ. Reminiſcor certe illius temporis, quo nihil horum ornamentorum, auri ſcilicet & argenti, excepta hac cruce, hic fabricatum erat. Dominus itaque Germanus in illa adhuc crypta quieſcebat. Et paruum quidem illud, quod ibi habebatur, pro magno computabatur. At vbi ipſo ſancto demonſtrante genitori meo placuit, vt hunc in hac orientali parte huius baſilicæ tumulare condigne ſatageret, libet mihi narrare, vidiſſe me ibi talia miracula, qualia poſtea nec vidi, nec anteriori tempore de aliquo ſanctorum facta relegi. III.

Caroli Magni Imperatoris, de translatione eius narratio. † Carolomannus Aimon li. 4. cap. 62 ª Manet immobile corpus eius nec vult à Rege elauari.

ADVENIENTE nanque bonæ memoriæ genitore meo vna cum proceribus regni ſui, adeſt optata dies: aperitur terra, leuatur cum omni facilitate ipſum ſanctum corpus cum ſuo ſepulcro diligenter clauſo, atque pariete eccleſiæ perforato, intrà aulam huius occidentali in parte cunctis exultantibus reponitur: ibique reliquum diei & ſequentis noctis officium digne celebrantes, craſtinum præſtolati ſunt diem. Nec mora, adeſt primo mane diuæ memoriæ genitor meus, ego quoq; germanuſque† meus pediſſequi ipſius cunctique proceres ipſius regni, cupientes cœptum opus ad finem honeſtum vſque perducere. Vectes autem præparati ſunt longiſſimi, quibus ſuperpoſitum deberet ſanctum corpus à multis efferri, non propter ponderis grauedinem, quod iam experti erant à paucis poſſe portari: ſed propter religioſum obſequium, quod gaudebat ſe vnuſquiſque vel aliis portantibus vectes contingere poſſe. Tum autem religioſe accedens ipſe genitor meus & primates electi ab ipſo, apprehenderunt ſepulcrum, volentes perficere opus inchoatum: ſed ita multorum manibus leuare nitentium ª perſtitit immotũ, ac ſi radicitus terris teneretur affixum. Et cùm ab his diu diuerſis machinis labor fuiſſet ſine effectu expenſus, cœpit ipſe genitor meus omneſque optimates illius contriſtari, ſequemetipſos vehementer reprehendere, quare eum de loco, quem ſibi viuens ad IV.

uenit ad pauſandum elegerat, in quo tot annorum curriculis iacuerat, leuare præſumpſerint: vocanturque Epiſcopi, & interrogati dixerunt: Scit, ô glorioſiſſime Rex, ſerenitas veſtra, beatiſſimum Germanum Epiſcopum eſſe, ideoque nobis rectum videtur, & hoc ipſum ſanctum delectare putamus, vt ab Epiſcopis ſanctum eius corpus transferatur. Omnibus autem hoc conſilium collaudantibus, & multa prece hoc ab eis fieri depoſcentibus, remotis cæteris, accedunt Epiſcopi, conanturque à terra leuare eum: ſed nihilominus ipſos vectes apprehendentes, aliquandiù fruſtra laborantes, impoſſibilitatem ſuam omnibus patefecerunt, ſepulcro immoto manente. Cunctis autem impoſſibilitatem ipſum leuandi expertis, rurſum conſuluntur Epiſcopi: dixeruntque, Certum eſt nobis, ô piiſſime Rex, beatum Germanum ſe hinc ad deſignatum locum transferri velle, tamen quia nec celſitudo veſtra, nec humilitas noſtra id perficere potuit, opinamur quod ipſe ſanctus ſeruientes ſibi in hoc monaſterio fratres de baiulatione ſui corporis honorare velit, quo eos ſemper rectiùs & amabiliùs in ſanctitate ipſi ſeruire delectet. Aſſenſi ſunt omnes, iuſſiq; acceſſerunt ipſi monachi ad ſancti tumulum, volentes eum à terra leuare: ſed nulla arte id facere valentes, diu multumq; inaniter laborantes fatigati, impoſſibilitatem ſuam & opere & voce fatentes ceſſerunt.

Similiter nec ab Epiſcopis.

Nec à monachis.

V. PIISSIMO autem genitore meo flente, cunctiſque optimatibus ipſius vehementer contriſtatis, extitit quidam qui diceret: Si dignetur clementiſſimus dominus noſter Rex audire verbum ex ore tantilli ſerui ſui, cauſas huius impoſſibilitatis puto me veraciter narraturum. Eſt in hoc pago Pariſiaco villa veſtra vocabulo Palaciolum, & in circuitu ipſius ſunt villæ iſtius monaſterii conſtitutæ: ipſi autem Fiſcalini veſtri ob fortitudinem celſitudinis veſtræ valdè ſunt inſolentes & temerarii, & multa mala contra hunc locum perpetrant, videlicet homines & pecora cædendo, & occidendo, vineas & meſſes prata & ſyluas deuaſtando, atque in aliis modis familiam huius eccleſiæ perſequendo & affligendo. Ideoque ſpero quod hanc à larga munificentia veſtra hic beatiſſimus his impoſſibilitatibus expoſcat antiſtes. Quo audito, piæ recordationis genitor meus, ſtupore attonitus magno, ait: Verè iuſta eſt in hac parte tribulatio noſtra, & pia extat beatiſſimi Germani circa nos admonitio: quia dum nos valdè fuimus intenti hoc opus ocyus conſummare, non auaritia nobis, ſed obliuio hunc mœrorem, quem perpeſſi ſumus, noſcitur induxiſſe. Et ponens vadium ſuum ſuper ſanctum tumulum, Accipe, inquit, ô beatiſſime Germane villam noſtram Palaciolum cum omnibus appendiciis ſuis, tibi familiæque tuæ hactenus inimicam, amodò autem & deinceps perpetualiter profuturam,: tantùm vt ſacri corporis tui portitor dignus exiſtam. Simulque cum hac voce mittentes tam ipſe quàm optimates ab ipſo electi [b] manus ad feretrum, tanta cum celeritate ac facilitate leuarunt, ac ſi nihil in ſe ponderis haberet. Viſo autem tanto miraculo, tam Epiſcopi quàm reliqui clerici, quàm magna poterant voce, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur, præcedentes ſanctum feretrum iubilare cœperunt. Sed quis dignè referre queat lætitiam atque alacritatem totius populi, quomodo vnuſquiſque gaudendo certabat humeros ſancto feretro ſupponere? [a] Multi autem quibus hæc facultas minimè dabatur, magnum ſibi lucrū ducebant, vel extremam partem vectium manu contingere poſſe. Alii verò quibus & hoc minimè ſuppetebat, vel veſtes portantium ſe contingere poſſe gaudebant.

Flet Pipinus Rex.

Attende quam ſit nefariū eccleſiaſticas res deuaſtare, & abalienare.

Rex tradit villam Palaciolū nomine S. Germano perpetuo poſſidendam.

b Transfertur corpus eius

a Attende populi deuotionem erga ſacras reliquias.

VI. VENTVM erat ad foſſam in orientali parte huius eccleſiæ, quæ præparata tantum onus expectabat ſuſcipere: & ecce altera naſcitur difficultas. Nam vectes ſuper quos ſanctum delatum fuerat corpus, ob longitudinem ſui & breuitatem cryptæ, ipſum ſarcophagum foſſæ aptari prohibebant. Iuuat ergo paululum ſiſtere, donec quid facto opus ſit plenius poſſit videri. Cōſenſerūt omnes, vt vectes à ſuperiori parte inciderentur, quatenus ipſe ſarcophagus foſſæ coaptari poſſit. Sed his obſtitit genitor meus, dicens: Vereor ne dum ſecundum veſtram ſententiam vectes reciduntur, ſanctum ſepulcrum his ſuperpoſitum in aliquo, quod abſit, lædatur: tutius ergo conſilium exinde quærere oportet. Et illo hæc dicente, nullo hominum tangente, ſed cunctis in verbo Regis ſuſpenſis, repentè motus eſt ſarcophagus de vectibus illis, & celeri lapſu, cunctis ſtupentibus & præ timore ora tenentibus, depoſitus in foſſam ſibi præparatam. In ipſa autem motione tantus odor miræ & inexpertæ ſuauitatis de ipſo ſepulcro euaporauit, totamque hanc eccleſiam repleuit, vt omnes inibi conſiſtentes, quaſi in ecſtaſi à dulcedine illa conuerſi, per dimidiam ferè horam nec aliquid ſibi colloqui, nec ſe inuicem reſpicere poſſent. Tum demum quaſi de ſopore euigilantes, vt data eſt copia fandi, inter ſe mutua cœperunt allocutione admirando conquirere quid ſibi actum eſſet: reſpicienteſque ad foſſam, ipſum ſepulchrum quod minutatim fractum eſſe timebant, vident ſanum & integrum, tam ordinatè atque decenter compoſitum, vt nulli eſſet dubium hoc miniſterio Angelorum fuiſſe peractum. Cunctis verò ſtupentibus, ego vtpotè pueriliter ludens, caſu ipſam foſſam inſilii, vbi mox primum dentem de ore meo mutaui.

Attende miraculum.

Ecce quid acciderit Carolo Magno in hac translatione.

MIRACVLA ET ALIAE TRANSLATIONES EIVSDEM S. GERMANI EPISCOPI PARISIENSIS PER Aimoinum monachum duobus libris conſcripta.

An. 845.

STVDIOSIS in Chriſto piiſque lectoribus, ſempiterna ſalus & pax perennis à Ieſu omnium dominatore dominantium. Quoniam non ſaturatur oculus viſu, nec auris impletur auditu: ſiquidem pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia: hunc libellum miraculorum domini noſtri Germani, eluceſcentibus permicantem inſignibus, per aliquorum manus minime dubito reuoluendum. Hæc priſcorum temporibus Danorum, Ragenarii ſcilicet eiuſque ſociorum, meritis ipſius ſancti pontificis ſuperno fauore mundo conceſſa, ad aures vſque ſereniſſimi Caroli digna paſſim relatione peruulgata fluxerunt. Quibus ille gauiſus, veluti eorum precioſitate ſe regnante munificentior redderetur orbis, mandauit ea ſolerti diligentia notari, atque eccleſiaſtico iure catholicis paginis aggregari. Tunc namque memorati ſancti præſulis cœnobio præerat dominus & Abbas vir venerabilis Ebronius Pictauenſis eccleſiæ ſedis Epiſcopus. Hic regali cenſura iniunctum ſibi negocium quomodo perficeretur incumbens, duobus hoc delegauit agendum eiuſdem noſtræ congregationis fratribus, maturitate pariter ac ſcientia prouectis. Qui pro ſui quiſque ſenſus vbertate ſeorſum ſcribentes, ediderunt exinde ſinguli ſingula opuſcula: quod vtrunque à præfato domino antiſtite Ebroino aliiſque recitantibus approbari placuit, ſed alterum alteri vtcunque præferri. Idcircò manſit amborum inuſitatus labor vſque ad tempus domini Gozlini eiuſdem loci præcipui patris. Quod cùm ſibi iam aliquorum quidem poſt tempus annorum ita compertum fuiſſet, præcepit mihi non vt ſapientiori, ſed vt manuali potius fratri, quatenus vnum è duobus coadunarem corpuſculum, tantùm vt ſi qua prorſus inuenirem ſuperflua reciderem, quæue minus compta, florentioris ſtyli venuſtate, nihil extra veritatem faciens, polirem. Quod ego fateor non viribus niſi cælitus datis, aut ingenio tumens arripui, ſed magis obedientia tanto primati debita fidens, ſuſcepi: merebarque mihi noxam criminis, ſi iubentis domini iuſſa proſequi negligerem.

Eccl ſia. 1.

Daniel. 12.

Miracula S. Germani Epiſcopi iuſſu Caroli Regis conſcripta.

Ebroinus Epiſcopus Pictauienſ. & Abbas S. Germani.

PROLOGVS

IN LIB. I.

SICVT laude dignos credimus eos, qui geſta vel miracula ſanctorum, quæ diuina virtus per eos operari dignatur, ad ædificationem fidelium ſcribere ſatagunt: ita abſque dubio ſcimus culpari illos, qui pro deſidia ac torpore

mentis ea literis tradere ad profectum negligunt poſterorum. Iam veluti à ſomno quotidiè ad amorem Dei ſtudiumque bene viuendi excitantur plurimi legentes in libris facta ſanctorum patrum ; eorumque ac ſi præſentia ſacra cernentes miracula. Proinde vnuſquiſque talenti donum habens, timeat, ne fortè audiat quod ille malus ſeruus, qui acceptam pecuniam, ac malè humo defoſſam, ad dominum ſine vſuræ lucris reportare non formidauit. Et hoc non ſolùm ſponte agendum verumetiam & cum iniungitur, ſummopere iniungentis eſt imperio parendum. Plura quidem ac ſtupenda dignaque relatu omnipotens Deus per eundem antiſtitem præteritis noſtriſque dignatus eſt patrare temporibus, quæ ob inertiam ſilentio ſunt preſſa, atque per incuriam ſcriptorum omiſſa. Tunc verò ea quæ nouiter cunctarum rerum conditori gratia eiuſdem ſanctiſſimi viri placuit operari, auxiliante Domino & ipſius ſancti iuuantib. meritis, iubente domino Rege, Ebroino antiſtiti eiuſq; monaſterii rectori, licet incompto atque inerudito, veraci tamen ac fideli ſermone læti conamur perſtringere, & vt veraciter ſunt geſta, atque etiam in populo Nortmannorum iam vulgata, tam præſentibus quàm futuris legenda relinquere.

Matth. 25. Luc. 19.

Poſt mortẽ Ludouici Pii Gallia in partes diuiſa, magnas paſſa eſt clades. Baronio anno 845. §. de his a ctari placet hæc anno 845 accidiſſe. Eum cõſule.

ANno incarnationis Dominicæ octingenteſimo quadrageſimo ſexto, Regis autem præcellentiſſimi Caroli ſexto, cum regnum Francorum poſt obitum Ludouici Imperatoris varias diuiſum eſſet in partes, & peccata populi creſcerent, ſanguiſque ſanguinem tangeret, Deo permittente, flagitiis quidem exigentibus actum eſt noſtris, vt exteræ nationes è propriis egrederentur ſedibus, videlicet gens Danorum, qui vulgo Nortmanni id eſt Septentrionales homines appellantur, & ſuperbo tumentiq; ſe corde cum valido nauium apparatu Chriſtianorum ceperunt vaſtando diuerſas inſulas maris, donec nemine ſibi reſiſtente fluuium Sequanæ ingreſſi, Rothomago ſorte incredibili applicarent. Cumque in eadem ciuitate aliquantiſper demorantes, regionis principes (quod abſque ingenti contritione cordis effari nequimus) ad bellandum pigros timidoſque aduerterent, exeuntes à nauibus longè lateque diffuſi, cœperunt vtriuſque ſexus multitudinem trucidare, captiuare, villas, monaſteria, eccleſiaſque depopulando cremare, totamque ſuæ libidinis immenſitatem cum omni crudelitate in populum Dei debacchando exercere, quouſque ad locum qui vocatur Carolivenna, ventis veliſque ſuæ malignitati iuſto Dei iudicio ſecundantibus, vltra ſpem ſecuri nauigando peruenirent. Tunc glorioſus princeps Rex Carolus, quia propter ſubitaneum eorum aſcenſum ex toto non poterat, conuocata aliqua exercitus ſui parte, venit primum ad monaſterium Macarii Dionyſii, vt eius orationibus fultus, ſecurius contra Dei ſuoſque pergeret hoſtes. Denique vt erat, vti adoleſcens, animo armiſque ſtrenuus, ad ſupradictum locum pugnaturus acceſſit, paratus non ſolùm dimicare, ſed etiam pro fide proque defenſione ſanctæ Dei Eccleſiæ laudabiliter mori. Cuius aduerſarii cognoſcentes aduentum, diuerterunt ad alteram prædicti fluminis ripam, vbi quædam parua tantùm pars populi erat. Quibus confeſtim in fugam verſis, in inſula quadam eiuſdem fluuii ad opprobrium Chriſtianorum plus minus centum XI. captiuos ſudibus ſuſpenderunt, multoſque alios per domos & arbores confixerunt, atque nonnullos per villas campoſque miſerabili inſecutione trucidantes peremerunt: ipſoque ſanctiſſimo Paſchalis feſtiuitatis ſabbato Pariſius peruenientes, vacuam penitùs ipſam vrbem quondam populoſam, & omnia in circuitu illius monaſteria ſuis habitatoribus deſerta repererunt. Timor ſiquidem & metus vniuerſos inuaſerat, vtpotè merito iniquitatis diuino denudatos auxilio, atque ideo mundanæ defenſionis deſtitutos ſolatio. Quis rogo non doleret, antequam bellum committeretur, fugatum exercitum: antequam iaceretur ſagitta, confoſſum: ante ſcuti alliſionem ignominioſe ſubactum? Vniuerſorum namque ordo penitus in eccleſia confuſus, atque à bonitatis ſtudio permutatus, hac ipſa priuatione boni vſque ad ex-tii ſummam digna ſatis vltione promeruerat. At pius pater iuſtus delinquentium ſemper correctior, correctorumque clemens ſuſceptor, non hoc intulit, vt nos ob innumera delictorum noſtrorum pondera crudelis damnaret, ſed vt per immenſam benignitatis ſuæ largitatem afflictos emendaret. Tunc, proh dolor, ſanctiſſimum beati Germani corpus de ſuo effoſſum ſepulcro, in poſſeſſionem quandam eiuſdem eccleſiæ, quæ Cumbis dicitur, delatum eſt. Sed quæ facundia quisve ſermo exponere poſſet, qualis dum hæc agerentur quantuſque in eadem eccleſia extiterit luctus? Senes itaque ac iuuenes, pueri flebant & infantes, vtpotè nemo ſeſe à lachrymis temperare valens. Similiter & aliorum corpora ſanctorum in eodem pago degentium extumulata, atque per diuerſa ſunt loca deportata, exceptis membris duntaxat macarii Dionyſii, ſociorumque eius martyrum. Quæ licet à ſuis fuerint abſtracta ſepulcris, propter tamen Regis præſentiam non ſunt tunc ad alia loca tranſire compulſa. Statuerat quippe, populo videlicet à ſe labente, vt vel iam dicti martyris monaſterium defenderet, eo quod diuæ memoriæ genitor illius eum cùm eſſet paruulus eidem ſancto ſpeciali traditione commendaſſet.

Lib. 1. I.

Attende tyrannidem Nortmannorum in Chriſtianos.

Deus temporaliter ſuos caſtigat, vt ab æterno ſupplicio conſeruet.

Defertur S. Germani corpus in villam Cũbis aſſeruandum.

HOc interea iuxta narrationis ordinem inſeratur, quod dum ſanctum eius moueretur corpus, cunctipotens Deus dignatus eſt oſtendere. Nam dum in effoſſione ipſius, & quomodo portari deberet, vnanimes intenti eſſemus, cereis pro reuerentia accenſis, caſu accidit vt vnus, quem puer incautè tenebat, è manibus ipſius labens rueret, totoque priuatus extingueretur lumine. Quem cùm à ſolo idem puer cum omni velocitate leuaſſet, lumen amiſſum ab altero mutuare cupiens, meritis tanti patroni actum eſt, vt ſtatim in manibus eius cereus extinctus illuminaretur. Quod quidem mirum, nec ab re tamen ducimus, ſi ibidem ignis diuinus reſplenduit, vbi quamuis lugubre filius venerabatur lucis. Vnde qui aderant vniuerſi gratias Deo referentes, atq; præclara pontificis merita collaudantes, cœperunt magis magiſq; in pſalmodiis Deique laudibus eſſe deuoti, quouſque opus licet triſte conſummaretur honeſtè. II.

Cereus ſancti viri meritis ſponte accẽſus eſt.

NVM viſio illa, quæ ab aliquibus ipſius monaſterii fratribus eadem nocte qua beatiſſimum eius corpus effoſſum eſt, antequam aurora ſubſequentis appareret diei, oſtenſa eſt, vt non dicatur omitti debet? Cum ergo ad fluuium Sequanæ ſua quæque ad naues ferentes, prima ipſius noctis vigilia quidam perrexiſſent fratres, indeque ad monaſterium iam remearent, apparuit eis, ſecumque etiam comitantibus famulis, tam immenſus claritatis ſplendor ſuper eam eccleſiæ partem, qua eiuſdem ſanctiſſimi viri corpus poſitum erat, vt claritati æquaretur diei, eademq; eccleſia veluti igne ſuppoſito videretur cremari. Qui cum intra ſe nimium mirarentur, & eorum corda huiuſcemodi conſideratione ſtupefacta hærerent, viſio paulatim deficiens diſparuit: peruenienteſque ad monaſterium, ſciſcitati ſunt ſi aliquis fratrum ea hora cum lumine ſuper ipſam fuiſſet eccleſiam. Nemine tamen qui fuerit reperto, cognouerunt viſionem angelicam diuina virtute meritis ſancti patratam, qui ſua migratura oſſa pioſq; cineres talis ſibi claritatis conceſſa gratia inuiſere curauiſſet. III.

Sequana fluuius per medium ciuitatis Pariſienſis tranſiens.

Lux cælitus viſa, ſupra ſanctas reliquias.

ILLVD quoq; inſigne miraculum, quod ante biennium quàm hæc acciderint, cuidam monacho ipſius monaſterii ætate & moribus grandæuo oſtenſum eſt, minime oportet ſilere. Cuius exempla actuſq; eximii ſi ſequantur, plurimum prodeſſe poterunt ad ſalutem. Vidit idem quadam nocte poſitus in ſopore beatum Germanum quaſi ſuo egredientem de ſepulcro, expeditum atque ad iter agendum præparatum. Qui veluti ſciens eundem eſſe beatum Germanum Dei famulum, interrogauit humili voce, quo tali proceſſu ire diſpoſuerit. At ille migraturum ſe ex eodem loco reſpõdit. Qui rurſus animo quidẽ timenti interrogãs, ait: Domine, & ſi tu hinc abieris, nos iſti tui ſeruuli quid poſtea faciemus? Cui quaſi triſti vultu & cum magno mœrore, vt eidem fratri videbatur, ait: Et vos ex iſto migrabitis IV.

Viſio cuiuſdem monachi.

bitis loco. Attamen verè cognoſcas, quoniam ego teneittar, voſque miſeratione diuina ſimul cum tempore diſpoſito remeabitis. Quam viſionem veriſſimam fuiſſe, ea quæ conſequuti fine ſunt completa, declararunt.

V. Nec illud, quod cuidam in eadem eccleſia reuelante Chriſto patefactum eſt, ſilentio premere debemus: quoniam dum prædicantur talia, excitantur audientium corda ad melliflua ſanctorum depoſcenda ſuffragia. Quidã verò religioſus eiuſdem monſterii frater, cum alii completorio peracto feſtinarent ad requiem, quo feſſa poſt diei laborem corpora lectulis reclinarent, ſeſe ille ante ſepulcrum beati Germani peculiaris orationis cauſa proiecit. Cumque diu cæli ac totius mundi Dominum pro ſuis exorans delictis, opem beati Germani cæterorumque ſanctorum intento corde fidelis cunctis depoſceret, (iam enim frequens paganorum rumor ad noſtras certiſſime percrebuerat aures) ante ferè quindecim dies aduentus illorum hæc mirabilis ſibi oſtenſa eſt viſio. Nam ab oratione qua iacuerat ſurgens apertis vidit oculis (vt olim totum mundum Pater Benedictus) ſepulcrum beatiſſimi Germani veluti patefactũ, ipſumque ſanctiſſimum corpus indiruptis veſtibus indutum, atque miniſterio vt fuerat diuino in ipſo ſarcophago ordinate compoſitum, quemadmodum ipſe poſt paululum omneſq; qui ſimul adfuimus dolendum inſpeximus. Sic Dominus ſuo dilecto ſanctuſq; Germanus oſtendere voluit, quod in breui, peccatis noſtris facientibus, erat implendum: nec viſio prius quam viſionis ſequentia omnibus panditur.

Viſio alteri us monachi & quid talis viſio prætignabat.

VI. In memorato denique Caroliuennæ loco, ipſi Nortmannorum populi ſe victores ſeque ſuperiores eſſe conſpicientes, dum adhuc morarentur, exeuntes è nauibus, cellam noſtram, quæ contra vel ſecus eundem locum poſita eſt, curſu propero feſtinantes intrauerunt: vnde miraculum, quod illic tunc factum comperimus, optimum, ſi narretur, putamus. Namque in eadem cella eccleſiis Apoſtoli Petri almique Germani ignem terque quaterque ſupponere nitentes, cum defeciſſent, eas incendere amborum meritis non valentes, clauſtra eiuſdem cellæ tandem egreſſi, horreum quod ibi erat iuxta poſitum † intrauerunt, ex quo tantus flammarum globus aëris alta petens aſcendit, qui quaſdam arbores vltra etiam iam dictam cellam virentes incenderet, ipſas vero eccleſias intactas integraſque vt erant relinqueret. Cum inſuper ventus auſtralis validiſſime flaret, totumq; ferè incendium eandem in partem proiiceret, ilico ſeptentrionalis è regione ſpirans intumuit, atq; in alterius partis latus auſtrale mira connexione reflectens, omnem vim ardoris pariter retorſit. Ita mirabilis Deus, qui per famulos ſuos ſecum fulgentes in cælis, ſemper mira communi pietatis gratia operatur in terris.

Nortmãni non valent incendere S. Germani eccleſiam.

† Incenderunt

Ignis ingẽs vicinus eidẽ nihil nocet.

VII. Cùm igitur ſabbato Paſchali diffuſa nauium claſſi Pariſius, vt ſupra dictum eſt, perueniſſent, in craſtinum cum ſuos iam ſol lucifluos emitteret radios, propria totum illuſtrans lampade mundum, è nauibus prorumpentes, ipſam ciuitatem, vt præmiſimus, vicinaque ſuburbana abſque habitatoribus repererunt: Ingreſſique monaſterium beatiſſimi Germani, Dei fanum reſiduumq; eccleſiæ, quod ſecuritatis damno remanſerat, apparatum contaminare, pollutiſq; manibus cœperunt deſtruere. Sed quia Domino miſerante nec ibi virtus defuit eiuſdem ſanctiſſimi patris, minime debent reticeri, quæ tunc illic totius mundi creator ad laudem ſui nominis gratia ipſius pontificis oſtendere dignatus eſt miracula. Quæ, quia nemo noſtrum interfuit, penitus ignorabamus: poſtea tamen à fidelibus Miſſis Ludouici † Beuuariorum Regis Kobbone videlicet aliiſq; quos ad Principem Nortmannorum Horich nomine legationis cauſa direxerat, ea cognouimus. Qui nobis illa fideliter narrauerunt, quemadmodum ipſi inteſtati ſunt coram Horich, qui præſentes ex parte viderunt, atque ex parte ab ipſis qui tunc in ipſa eccleſia quando hæc geſta ſunt ſimul aderant Chriſtianis audierunt. Nam cum trabes eccleſiæ miſerrimus ille populus, quia erant abiegnæ & idcirco habiles nauigio, incidere tentauiſſet, tres ex maligno eorum numero ante altaris crepidinem beati Stephani inualidi totius virtutis robore ruentes ceciderunt, atq; conſtricti incredulas Deoq; odibiles animas, aliis timore perculſis, exhalantes, perpetuas deſcenderunt ad vmbras, vbi edax vermis eorum non morietur, & nimius eorum ignis non extinguetur.

† Bauariorum.

Vindicta Dei in deuaſtatores eccleſiæ S. Germani.

Eſa 66.

VIII. Cumque illud Dei templum à trabibus ita caſſatum, totumque ſimul depopularetur monaſterium, accidit vt vnus eorum etiam apud eos nefandiſſimus, ad confeſſionem domini Germani ſtrictum gladium polluta geſtans manu (mira quidem dicentur) deueniret, columnamque marmoream, quæ ibidem orantibus ad dexteram ſita erat, tredecies totius corporis anniſu veluti capulans hoſtem percuteret: cui continuo manus dexteræ, qua columnam ipſam inciderat, virilitas euanuit, vt poſt primum diem, quemadmodum idem Kobbo vidit, qui & eas inciſiones nobis ignorantibus præſens oſtendit, vſque ad infelicem eius ex hac vita deceſſum ſemper immobilis aridaque & vt fuerat extenſa permaneret. Manubrium verò ferri ita manui compaginatum inhæſerat, vt nunquam ab ea aliquo ingenio vel arte, niſi cum cutis parte auelli potuerit. Qui tamdiu nimia vexatione compatientis corporis cruciatus eſt, donec miſerrimam finiret vitam, plenus indignationis & iræ manibus dæmoniorum deuectus ad tartareas ſedes Cocyti fœtidumq; lacum auerni.

Alterius vaſtatoris manus manet immobilis & areſcit.

IX. Operæpretium fore credimus, ſi & illud magnum narretur miraculum. Igitur dum ipſum ſanctiſſimum oratorium à crudeliſſima impiè violaretur turba, tanta ſubito nebulæ eſt denſitate repletum, eiuſdemque obſcœni violatores ità diuini iudicii cæcitate perculſi, quatenus id metu ac tremore nimio paueſacti linquere cupientes, vix oſtia vel fores per quas intrauerant inuenire valerent. Sicque in oberrando diutius fatigati, tandem erumpentes quantocyus effugerunt, tali ab illo die tantoque perſuaſi terrore, quo nec auſi vlterius eſſent quacunque fœditate ipſam contaminare eccleſiam. Inſuper & ita dyſenteriæ morbo exinde, vt eſt vulgatum, ſunt afflicti, vt dum quotidie morerentur, nullus ex tanta multitudine ſe putaret euadere. Interea † ſimulato languore, legationis cauſam dirigunt ad præcellentiſſimum Regem Carolum, vt eos cum pace fideles ſuſcipiens, ad propriam, dato regni tributo, redire permitteret patriam. His ita placitis, Rege quidem nolente, principibus tamen quibuſdam, vt fatebatur, muneribus læſis, Ragenarius dux eorum cunctique principes ad Regem, qui tunc in monaſterio macarii Dionyſii reſidebat, adducuntur, per Deos perque omnia, quibus maxime ſe protegi & ſaluari putabant teſtantes, numina vel arma, quatenus nequaquam vlterius vel ſui regni niſi fortaſſe auxiliatores intrarent aut contingerent. Qui ita dimiſſi, atque pro ſui euaſione quam minime ſperauerant gauiſi, per iter quo venerant, accepta auri argentiq; ſumma impoſita, læti redierunt. Sed reuertentes, morbo quo in prædicta eccleſia perculſi fuerant, quotidie deficientes cruciabantur, cruciatique nequiſſimas miſerabiliter animas expirauerunt, nemine quos ſecum habebant Chriſtianorum huiuſmodi plagam ſentiente. In quibus omnibus Dei eſt conſideranda potentia, eiuſque pietas amplectenda, qui tam miſericorditer ſaluat innocentes; tamque terribiliter ſanctos ſuos mirificando punit profanos.

Violatores templi cæcitate & incurabili affliguntur morbo.

† Simulati.

Dimittũtur a Rege, ſed omnes ex prædicto morbo pereunt.

X. Quod in eadem eccleſia, poſtquam maior pars fratrum ab exulatu reuerſa fuit, geſtum eſt, ſilentio premere non debemus, necdum enim ſanctiſſima beati viri oſſa ad proprium fuerant reportata ſepulcrum. Vna namque noctium cuſtodibus eiuſdem eccleſiæ dormientibus, antequam fratres ad referendas Deo laudes more ſolito excitarentur, auditur ab eiſdem coram altari ſancti Stephani ſtrepitus dæmoniorum ingens, veluti hominum multitudo ad aliquid pararetur diſcurrens. Qui confeſtim ſurgentes, & cum lumine totam eccleſiam circumeuntes, cum neminem repeciſſent, intellexerunt fraudem fallaciamque dæmonum fuiſſe: qui nimirum dolebant

ſe expelli à ſanctis ſedibus templi, in quo, dum à perfidis permiſſum fuerat pollui, haud dubium quin aliquantulum iuxta illud, Et piloſi ſaltabunt ibi: inttandi licitum habuerint. Poſtquam autem ſacri eius cineres relati, atque ſuo loco Chriſto fauente ſunt reſtituti, nil tale in eadem baſilica ipſius ſanctitate promerente auditum eſt.

Reliquiæ ſanctorum expellũt dæmones à ſuis tẽplis.

SIQVIDEM Ragenarius dux authorque totius memorati mali ante præfatum Hotich Nortmannorũ principem cum ingenti ſuperbia veniens, oſtendit ei quod ſecum hinc aſportauerat aurũ argentumque multum, dixitq; quod opinatiſſimam Pariſius ciuitatem captam haberet, quoque manſionem Germani ſenis, quæ in eadem terra decentiſſima habetur, intraſſet, inſuper & quod omne Caroli regnum ſibi ratione tributi ſubiugatum haberet: Horich autem dum talia non crederet, iuſſit iam dictus Ragenarius partem inciſæ trabis monaſterii diui Germani ſeramque portæ Pariſiacæ vrbis ante eum in teſtimonium adduci. Præterea retulit ei quàm bonam quamque fertilem, vti omnibus repletam copiis inueniſſet terram, populum verò eam incolentem ad dimicandum pauidum ac timentem. Referebatque dicens, quod maiorem ibi mortui quàm viuentes haberent virtutem, nullumque ſibi inueneriint reſiſtentem præter Germanum ſenem mortuum. Hæc cum diceret, tremens illico ac pauens corruit in terram, atque terrifica cœpit voce clamare, Germanum coram aſſiſtere, eumque ſe baculo quem manu geſtabat grauiter flagellare. Quod videntes Horich videlicet vniuerſique ſibi adſtantes ipſeque Kobbo Ludouici Regis illuc directus legatus, ex hoc quod acciderat ſtupore nimio permoti, admirati ſunt. Idem verò Ragenarius ſic humiliatus ac repentè contritus, aliorum manibus cito ſublatus receſſit: qui maximis per triduum tormentis ignominioſe afflictus, præcepit tandem vnam auream ſuæ ſimilitudinis ſtatuam fieri, atque per eundem Kobbonem Germano ſeni deferri, ſpondens ſe ſi euaderet Chriſtianum deinceps futurum, Deumque Chriſtianorum indubitanter crediturum. Sed qui non erat ex ouibus Chriſti, idcirco quod petebat obtinere non meruit. Ita prorſus inflatus, quemadmodum nobis idem Kobbo manifeſtum fecit, ac totus turgidus extitit, vt nec auditus, nec viſus, nec odoratus vel guſtus in eius corpore mortis tempore diſcerni potuerit. Sicque diffuſis ad poſtremum viſceribus medius crepuit, vitamque miſerrimus inanem finiuit. Statua verò ſacris oblationibus indigna, à quibus delegata fuerat retenta, veluti immundiſſima à mundiſſimo cordium inſpectore refutata remanſit. XI.

Sancti viri mortui plus habent virtutis, quam viuentes in carne.

Ragenarius diuinitus caſtigatur.

Miſere perit.

SED adhuc qualiter qui reſidui fuerant ex hac defecerunt vita proſequendo narremus. Ab eo ſane die quo monaſterium almi præſulis Germani ingreſſi ſunt, donec pœnaliter cuncti interirent, ita vt diximus turgenti ſunt, Kobbone teſte, viſcerum inflatione perculſi, quatenus omnis eorum cœtus etiam in patria quotidiè moriens periret, præter quos Horich poſtea iuſſit occidi. Timens etenim ipſe eiuſque optimates & populus pariter vniuerſus huiuſmodi morte peſſima damnari, præcepit omnes qui reſidui erant, exceptis paucis fuga lapſis, quos nec mortis credimus euaſiſſe exitium, decollari, eorumque capita, veluti ſatisfaciens morbo, Chriſtiano qui captiuus illic erat populo tradi. Nam ita clades ingraſſata Deo permittente ſæuiebat in plures, vt penè quicunque morbidum tangeret, eodem exemplo attactus morbo & ipſe deficeret. Inſuper iuſſit cunctos captiuos qui Chriſtianitatis vocabulo cenſerentur, in regno ſuo perquiri, eoſque cum libertate & honore abſque alicuius contradictione in ſuam patriam reuerti. Qui etiam hæc & alia vitiã quàm ſint inſerta dicebant. Nos tamen ea, quæ à videntibus percepimus, ſolummodo ponere diſpoſuimus, magnum ſatis habentes quod victoriam quam populi multitudo communi obſtante crimine ex inimicis habere non potuit, beatus Germanus inclytus meritis, glorioſus miraculis, apud Deum tali donatus triumpho obtinere promeruit. XII.

Reliquiæ violatorum prænominatorum, oẽs miſere pereunt.

Captiui omnes Chriſtiani dimittũtur liberi.

Victoria S. Germano adſcribitur.

QVIA verò duce Chriſto hucuſque ſignorum dulcedinem ſequentes proceſſimus, nunc ordinem quo ipſius beatiſſimi corpus relatum ſit, dicere aggrediamur: his præmiſſis quæ in villa Cumbis accedentibus infirmis eius meritis donata cognouimus, quæ quo magis narrantur, eo amplius iuuat à præ na rationis tramite non diſcedere. Igitur cum quidam puer Dagoënus nomine ex familia eiuſdem monaſterii, ſurdus & mutus, omniumque membrorum officio deſtitutus, ad præfatam villam auxilio parentum deportatus fuiſſet, ita eſt ſubitò meritis ipſius glorioſi pontificis priſtinæ redditus ſanitati, vt & loqueretur pariter & audiret: & qui paralyticus deuectus manibus venerat alienis, ouans ac lætabundus tribus in ſe miris oſtenſis, propriis iam cœpit ire veſtigiis. Namque à terra poſt paululum incolumis ſurgens, cum magna cordis alacritate illis qui aderant aiebat: Ecce ecce adeſt beatus Germanus, per quem me totum, Deo gratias, agnoſco curatum. XIII.

Quidã puer à paralyſi, cæcitate & mutitate curatur.

NEC illud omitti debet, quod Chriſtus ad laudem & gloriam famuli ſui largiri dignatus eſt, quod etiam audientibus proficere credimus. Fuerunt itaque in eadem villa duæ puellæ longo tempore ſic febribus valde vexatæ, vt vix iam pedibus incedere valerent, quibus nec vlla medicinæ ars eatenus potuit ſubuenire. Quæ cum fiducia magna ad eandem eccleſiam in qua ſanctiſſima eius membra poſita erant pergentes, petierunt à cuſtodibus, vt ſaltem ſub tanti pontificis venerabile corpus eis tranſitus præberetur. At illi fidem illarum plenam conſiderantes, permiſerunt eis ſicut humili petierant prece pertranſire. Nec fides præmium diſtulit: ita ſanè ipſius corporis tranſito feretro, ab eadem mox infirmitate curatæ ſunt, vt nullam exinde moleſtiam per idem tempus vlterius paterentur. Ergo mirabilis Deus in ſanctis ſuis, qui non ſolùm eos in præſenti g atiarum donis mirificat, verùm & poſt mortem tantis beneficiorum muneribus, eorum meritis languentibus præſtitis, miraculorum glorificat ſignis. XIV.

Duæ puellæ à febribus ſanantur.

POST hæc verò cùm eius ſacratiſſimum corpus à ſupradicta villa Cumbis ad monaſterium reportaretur, quid tunc in via actum ſit, manifeſtare placet in populis. Tanti denique præſulis beatiſſima membra monachis cum laudibus & hymnis ad proprium referentibus locum, contigit vt cereus qui præferebatur, validiſſimo flante vento, etiam in laterna in qua poſitus erat, extingueretur: dumq; cum equo quis ad villam propter ignem quo rurſus debuiſſet accendi ire voluiſſet, cæ'itus effulſit, vt omnibus qui aderant tanquam extinctus non fuiſſet in eadem laterna rutilans appareret. Vnde ad huius rei teſtimonium in eodem loco Crux à fidelibus lignea ponitur, vt quod ibi tunc geſtum eſt, quodq; priuſquam ad monaſterium perueniretur geminatum miraculum, à tranſeuntibus futuriſq; non ignoretur generationibus. XV.

S. Germani corpus ad propriũ locum reportatur.

Cereus extinctus, cælitus denuo accenditur.

VENTVM eſt autem, non paucis ſanatis infirmis, cum magnificentia & honoris obſequio ad Theodoſium eiuſdem ſancti villam: vnde ſequenti die comitantibus rurſum virtutum prodigiis gratanter egreſſi, venerunt pſallentes rectoque itinere gradientes vſq; ad vicinum fluuium: quo tranſmiſſo, venerabilis præſul & Abba ipſius monaſterii dominus Ebroinus obuiam venit, multique vtriuſque ſexus diuerſi gradus & ordinis cum crucibus & ceteris reliquoque ſanctiſſimo apparatu. Plebs quoque ciuitatis villarumque circumquaque non modica cum omni alacritate ac deuotione cordis vniuerſi currentes. Nam clerici magna cum voce Deum laudantes, ſingultu interdum quatiente pſallebant. Populi autem nunc præ immenſo gaudio lachrymas fundentes, nunc verò præ cordis iubilo exultantes, innumeras Deo gratias referebant. Nec vberior mœſtitiæ fletus in tranſmigratione, quàm lætitiæ extitit in reuerſione. Præfatus itaque antiſtes aliique ad hoc delecti ſacerdotes nobileſque viri ſanctiſſimum eius corpus propriis humeris viciſſim geſtantes, reliquis omnibus ante & poſt feretrum cum laudibus & hymnis tripudiantibus, baiulantiumque veſtes attingere feſtinantibus, ad propriam deportauerunt eccleſiam. Cumque ad primam monaſterii portam perueniſſent, cœperunt hymnum, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur, cælo re- XVI.

Attende populi deuotionem in reportatione S. corporis

lo reſonante ante ipſum decantare, ponentes eum ſuper altare ſancti Stephani in eadem eccleſia principalem: vbi tam diu manſit, donec tranſlationis eius feſtus dies, qui octauo Calendas Auguſtas celebratur, adueniret. Tunc accedens memoratus Abbas dominus Ebroinus Epiſcopus, tulit illum & collocauit in ſuo ſacrophago, cum metu & nimia diligentia, benedicentibus vniuerſis qui aderant ac laudantibus Deum. *Dies tranſlationis eius.*

XVII. Denique poſtquam eius ſanctiſſimum corpus in ſuo eſt collocatum ſepulcro, illam viſionem ſilentio prætertire non debemus, quæ cuidam fratri noſtro in eodem cœnobio quadam nocte reuelata eſt. *Viſio cuiuſdam monachi.* Videbatur enim illi in ſopore poſito, omnes fratres ipſius monaſterii ſtantes in choro veſtibus indutos ſolennibus, loquentes ad inuicem quaſi de his quæ acciderant malis: reſpicienteſque contra orientalem eiuſdem eccleſiæ partem, viderunt beatiſſimum Germanum veluti in habitu militari ante altare ſancti Stephani galeatum atque mirifice loricatum ſtantem, & vti ex campo certaminis armigeratum feſſumque venientem: adſpicienſque cunctos interrogauit vſitato gentis nomine vbi eſſent, vel quo abiſſent Normanni ipſius templi violatores, patriæ diſſipatores, qui ſua aliorumque ſanctorum membra effodi compuliſſent. Cui humili ſatis vt decebat reſponſione dixerunt, quia receſſiſſent. Tunc venerabilis pater: Benè, inquit, & Deo gratias reſpondit. Deinde in ſedili quod ibi ante memoratum altare paratum erat, vt eidē videbatur fratri, reſidens, vocauit eos, iuſſitq; vt ſeſe ad deponendum ea quæ portabat arma militaria iuuarent. Interea quod adſpiciebatur defecit. Nos vero tali habitu taliq; viſione præfiguratum animaduertimus, quod iam veraciter factum eſſe cognoſcimus, vltionem duntaxat à ſancto viro ex inimicis cælitus reportatam. Cuius interrogatio, eorum perditionis declaratio fuit. In armorum quoq; deponendorum adiuuatione colligimus, quod eum immo noſmetipſos bene viuendo adiuuare debeamus, ne talia nobis aut illi pro nobis vltra proueniant. *Arma S. Germani victoriam præfigurabant.*

XVIII Nunc igitur pauliſper conſiderare libet, quàm metuenda ſint omnipotentis Dei iudicia, quantaque ſit longanimitas atq; iuſtitia piiſſimi creatoris noſtri. Vere terribilis in conſiliis ſuis, patiens & æquiſſimus in vniuerſis operibus. *Pſal. 59.* Qui ſi iratus ſeruis ſuis negligentibus fuerit, cito illis pœnitentibus placatus reconciliabitur, atque viſibilibus ſiue inuiſibilibus proſtratis hoſtibus, pacem contritis corde cum victoria dabit. Sic de populo Iſraëlitico ſæpe legimus, ſic noſtris temporibus frequenter audiuimus, ſicque in nobiſipſis eius pietatis gratiam experti ſumus. Ipſe eſt enim Deus repellens & deſtruens, iraſcens & miſerans, commotorumque contritiones ſanans. *Hier. 12.* Attendendum etiam, beatiſſimus Germanus quantum ſit glorificandus, quantumque venerandus, qui ſic miſericorditer iuuat ad ſe cum fiducia confugientes, ſicque terribiliter iuſtis (quod eſt fatendum) meritis percutit aduerſantes. Et quia longum ac difficile eſt per ſingula eius virtutes retexere, maxime cum & antequam naſceretur ita dilectus gratuſque Deo, vt Iohannes in vtero matris exultans, inuentus ſit, cui vterus miraculi famulatrix extitit: placet in eius laudem hoc in loco paucis ludere verſibus, ſitq; prioris libelli finis: *Luc. 1.*

Hic eſt Germanus, voluit quem mater in aluo
  Perdere, præſumptis hauſtibus atriſetis:
Sed quia vitali fuerat reſperſus oliuo,
  Non potuit ſanctum commaculare malum.
Nam fuit egregia genitus de ſtirpe parentum,
  Qui quondam terris, nunc ſuper aſtra nitet.
Optat e im fragili ſi quis dum carne manebat
  Noſſe qualis fuerit hic ſua geſta legat.
At cælos poſtquam conſcendit quanta per ipſum
  Geſſerit Omnipotens, promere lingua nequit.
Linquitur hoc illi, bibulas qui ſolus arenas
  Ac pelagi guttas dinumerare valet.
Horror enim cunctos, maculat quos actio vitæ,
  Huius opem precibus poſcere ſæpe piis.
Debilis ad cuius venit ſi tumba ſepulcrum,
  Inde means rediit ſana, fauente Deo.

Multi debiles ad eius ſepulcrum curantur.

Cvi nunc & ſemper gratias agamus, qui nos meritis huius fideliſſimi ſui præſulis de tot tantiſque malis eripuit, quique nobis quotidie innumerabilium donorum beneficia eius ſuffragiis præſtat, faciens magna & mirabilia ſine numero. Cui ſit honor & poteſtas, decus & imperium per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

PRÆFATIO IN LIB. II

QVIA prioris libelli metas optatum propinquantes portum, Chriſto ſermonis vela regente, attigimus: acceptum ducimus ea modo miraculorum ſubnectere ſigna, quæ poſtea Dominus per eiuſdem pontificis merita glorioſa dignatus eſt pandere. Illa quoq; quæ rurſus in ipſius ſancti noſtraq; peregrinatione ſunt facta, non incongrue addenda cenſerentur, niſi forte pudoris eſſe viderentur: ſcilicet qui caſtigationis diuinæ poſthabitis eruditionibus, tempus emendationis necnon & fructum correctionis paruipendentes, ad hoc iterum prolapſi ſumus, vt longiorem demum exulationem digniſſima expulſione pateremur. Sed abſit vt vel noſtra tacendo inaccuſata pallietur iniquitas, aut cæleſtis qua ſanaremur nobis clementer adhibita quo non præconetur, reticeatur benignitas, vel etiam tanti pontificis humanæ ſaluti largita virtutum gratia immemorata tranſiliatur.

LIB. II. I.

SANCTI vero corpus dum reuectum atq; ordine ſupra digeſto ſuo in loco eſt reſtitutum, acceſſit ex pago Oximenſi quædam paupercula mulier, nomine Hirmintrudis: hæc per nouem annorum curricula contractionis calamitate oppreſſa, de loco ad locum niſi aliorum manibus delata, nequaquam incedere valebat. Cumque eam Dominus per glorioſum antiſtitem Germanum curare voluiſſet, nocte quadam ſuperueniente vidit duas ſanctimoniales virgines præclaris vultibus coram ſe aſſiſtere, deferentes ſibi panem & lac, ſignum futuræ ſanitatis hortanteſq; vt comederet. *Viſio cuiuſdam mulieris paralyticæ.* Moleſtia namq; infirmitatis fatigata obdormierat. Cumq; comediſſet ex his quæ attulerant, dixerunt illi: Surge, & quomodocunque potes Pariſius ad ſepulcrum beati Germani ire feſtina, cuius munere noſcas te ex propria corporis debilitate curandam. Quæ longo ægritudinis vinculo de ſua deſperata ſalute, putauit ſe vano ſomnii phantaſmate deludi: idipſum & parentes quibus hæc retulerat, dicebant. Sed alia iterum nocte prædictæ virgines eidem apparentes cum quadam indignatione, blando quidem ſermone eam allocutę, dixerunt: Gaude, in proximo eſt enim vt cureris. Et quare quod tibi præcepimus non iſti? Vade igitur ſaltem nunc, nec moram feceris. Porro expergefacta mulier auxilio tandem fratris aſello leuatur, ſicq; ante tumulum tanti patroni delata exponitur. Permiſſa itaq; eſt in atrio eiuſdem eccleſiæ ipſa nocte requieſcere: ſed priuſquam mediæ noctis ſpatium tranſmitteretur, euigilans, quaſi quodā medicamine delibuta, per ſeipſam aggreditur eccleſiam, fratribus iam ex more vigiliarum ſolemnia celebrantibus. Interea membra ſibi male cohærentia cœperunt reſolui, atq; in antiquum mox officium reuerti. *Mulier paralytica reſtituitur integritati.* Quæ pro anxietate cordis corporiſq; relaxatione magnas inſtitit voces emittere, vt omnes qui aderamus audiuimus: factoq; mane, illi, Domino beati Germani precibus miſerante, propriis conceſſum eſt ambulare veſtigiis. Sicq; per iter quo venerat rediit, omnibus bonum ſibi largitum narrans.

Nec illud prætérire debemus, quod ſimili modo contigit factū miraculū. Nā inter cæteros ex diuerſo propetantes

 venit

Quidam iuuenis contractus, & renū dolore vexatus, ſanatur.

venit quidam iuuenis ex pago Baiocaſſino, vocabulo Hildemodus, qui ita renibus contractus tribus continue extiterat annis, vt eo ipſo dolore genuum acribiarum ſeu pedum priuaretur officio. Itaque multa venerabilium ſanctorum circuiens loca, quo priſtinam illorum ſuffragiis recuperaret ſoſpitatem, à nullo prorſus deſtinatus eſt ſanari. Supradicta autem ſanctiſſimi pontificis imminente tranſlationis celebritate, à quodam venerabili viro per ſoporem eſt admonitus, vt monaſterium eiuſdem ſanandus adiret. Qui nihil de viſione dubitans, eo die qui eandem præceſſit ſolennitatem nono Calendas Auguſtas cum aſcellaribus venit, ante ſancti patris ſepulcrum iaciens ſe pronus in terram. Cumque diutius pro ſui recuperatione Deum beatiſſimumque præſulem intentiſſime exoraret, ſubitò cœpit coram oculis omnium illic adſtantium membra prolixa ægritudine torpentia gemens extendere. Nec mora, ſtatim namque ſurrexit benedicens Deum, ſanctumq; glorificans Germanum: & non ſolum ipſe; verum & qui præſentes eramus, omniſq; frequentia populi quæ conuenerat, pariter benediximus Domino, qui talia meritis ſui confeſſoris dignatur concedere.

Item alius.

Illvd quoq; quod diuina bonitas eodem veſpere ad famam nominis tanti viri oſtendere voluit, reticeri non debet, quin inter cætera narretur miraculorum inſignia. Fuit quidam puer vt putabatur duodennis, de pago Aurelianenſi & familia beati patris Benedicti, qui de matris vulua in lucem renibus contractus ac genibus proruperat, nec aliter vllo modo moueri poterat, niſi manibus nitens ſemiualidum promoueret corpuſculum. Inſuper & ita ab ineunte ætate officio loquendi priuatus adoleuerat, vt in ore ipſius lingua potius ſtrepitum quàm verborum exprimeret ſenſum. Qui cum ad beati Caronis martyris ſepulcrum, quod iuxta oppidum ſitum eſt Carnotenum, à quolibet gratia pietatis deportatus fuiſſet, interuentu ipſius ſancti Caronis pedes eius, contractione genuum perſeuerante, à poſterioribus ſolummodo ſunt diſiuncti. Inde vero ad patrocinia almi patroni noſtri quandoq; perductus, obtentu miſericordiæ permiſſum eſt ad ſancti pontificis confeſſionem manere. Cumq; iaceret fratribus iam in eccleſia veſperè pſallentibus, cœperunt mox nerui atque nodi à neceſſitate contracti corporis reſolui, necnon & ad vſum ambulandi diuina miſeratione per beati viri ſuffragium aptati, qui cum fide venienti impetrare potuit, quod natura vitiata negauerat. III.

Non eſſe debent etiam (quod longe à fidelibus ſit) oneri, quæ Chriſtus ſuis ſanctis amicis dignatur largiri. IV. Nam qui geſta virtuteſque eorum, qui iam cum Domino in cæleſti regnant Ieruſalem, audire renuit, ipſe ſibi proculdubio teſtis exiſtit, quia nondum ad illorum perfectè ſuſpirat conſortium. Contra verò qui recolit, legit vel audit, ille vtique licet in terris adhuc poſitus, conciuem tamen illorum ſe euidenter eſſe demonſtrat in excelſis. Igitur ex quadam poſſeſſione ipſius beati viri, quæ in pago Pinciacenſi ſita Prunidus dicitur, fuit quidam homo nomine Adoardus, ita oculorum priuatus lumine, vt illi continua nox eſſet, nec quicqnam lucis haurire poſſet. Hic ad ſancti pontificis feſtiuitatem manibus, vtpote cæcus, aliorum perductus, ad ſacra Miſſarum ſolennia inter reliquos qui conuenerant deuotus adſtabat. Et ecce ſubito antequam euangelium legi inchoaretur, cœpit ab eius oculis magnus quaſi lachrymarum fluxus mirum in modum manare: cumque diu hoc ageretur, & ipſe riuulorum fontem de ſuis maxillis crebra manus adhibitione detergeret, ſuperno mox reſpectus intuitu, incipit paululū ſplendoris inſpicere. Deinde gratias agens, toto deuotionis affectu ſolo proſtratus, obnixe precabatur, vt ſibi iam partim reſeratum lumen plenius redderetur. Nec eius ſunt preces apud altiſſimum cordis inſpectorem ſanctumq; caſſatę virum. Statim namq; exauditus priſtinum recepit viſum, Miſſarumque peracta ſolennitate, venit iam clare videns ante polyandrum beatiſſimi confeſſoris glorificans Deum, qui ſibi eius precibus per tot annorum curricula luminis ademptam reddiderit dignitatem.

Cæcus meritis S. Germani videt.

Vt igitur caſtigantis nos inæſtimabilis diuinæ bonitatis miſeratio euidentius prædicetur, ea quæ rurſus in eiuſdem ſancti ac noſtra peregrinatione, vt meminimus, ſunt facta miracula, proſequamur, & ſi non ſermone verborum copia phalerato, virtutum tamen ſpecioſitate colendo. V. Non poſt multos denique annos iteratis ſæpius malis, ſuſcitauit nobis Deus ſæuiſſimam earundem gentium perſecutionem, qua nos meritò affligeret, afflictoſque vt pietatis pater ad emendationem compelleret. Nam quemadmodum proſpera à recto tramite per mentis elationem aliquando deuiant, ita & aduerſa per contriti cordis humilitatem ad noſtri nos cuſtodiam reuocant. Sola enim vexatio intellectum dat auditui. Huius itaque perſecutionis orto flagello, ſanctorum circumquaque iacentium corpora non ſolum à ſepulcris inſtaurato dolore effoſſa, verum etiam & ad proprias ſunt poſſeſſiones hac illacq; deuecta. Cumque paratum fuiſſet quo ſanctiſſimi corpus Germani ad ſuperius dictam villam Cumbis iterum ferri deberet, illud nos quod tunc ibidem geſtum eſt miraculum dicere iuuat. Quidam autem noſtrum nomine Adalarius monachus & ſacerdos ſic per tempus continua renum fatigatione debilis factus extiterat, quod nullo modo per ſe, vel ad modicum, niſi vno & præſertim duobus ſuſtentatus baculis incedere valeret. Quibus adductus venit ad eccleſiam inter reliquos gemens, accedenſque ad ſancti præſulis corpus iam ad efferendum feretro aptatum, ſtuduit vnus, nec tardior quidem eſſe portantium: & hoc diuino ſuffragante auxilio, precibus ſancti ſubleuatus, relicto, immo (vt ipſe poſtea aiebat) oblito baculorum officio viciſſim peregit, vſque dum ad præfatam Cumbis villam vinculo infirmitatis ſolutus pertingeret. Quo in loco beati corporis gleba ſuper altare venerandum expoſita, ipſe gratias agens, ad omne quicquid voluit ſanus euaſit.

Normannorū altera incurſio.

Proſpera in eleuationē: aduerſa, ad vitæ emendationem nos reuocāt.

Eſai. 28

Quidam frater debilis reſtituitur ſoſpitati

Deinde contigit poſt aliquod deuolutū tēporis ſpatiū, vt illuc quiſpiā dæmonio plenus adduceretur, quē quatuor fermè viri tenere vix poſſent. VI. Maligna quippe vigebat virtute, eratq; ex ipſius ſancti familiæ colonis, atq; de villa ſupra memorata Prunido. Aduenit ergo manib. violentorū impulſus, tergiuerſatione reluctante hoſtis, iuſti præſentiā nimiū formidantis. Itaq; multas illi adiutationes iuxta conſuetudinē exorciſmi quidā noſtri fecerunt, dantes inſuper ei hauſtū aquæ benedictæ. Sed vt in eo potius apoſtolici viri præfulgens meritum panderetur, vniuerſis ab eo tandem quieſcentibus, acceſſit vltima eiuſdem exorabilis medicina: qua depulſa callidi peruaſoris morbida fœditate, omnis in eo incolumitas ſenſus vigore reſtituto informatur. Iniquiſſimo ſiquidem habitatore proiecto, liber exiuit captiuus ab angue, remanſitq; non ſolum quatuor ſed vno minus homine valens.

Dæmoniacus liberatur.

Adducitur & quædam fœmina vtramque manum geſtans aridam. Hæc olim pro qualibet adhæſibili infirmitate ad ſanctæ Mariæ baſilicam, quæ ibi prope ſita eſt, annuale votum iuxta ſuæ paupertatis modulum ex dimidii denarii quantitate conſtituerat: ſed adueniente Dominicæ Reſurrectionis die, emit inde blanda diei ſubripiente occaſione edulium carnis atque comedit, paruipendens melius non vouere, quàm poſt votum vota non reddere. VII. Statimq; vt ſole clauſo gratia ſoporis, cubilis ſui ſecreta petiuit, ita manibus voti violatricibus ea in nocte contrahitur, quemadmodum emortuo in eis operandi officio, palmarū intima vngues producti penetrare viderentur. Quæ mane facto veniens, dum ante altare in quo ſanctū quieſcebat corpus ſtatuta fuiſſet, ſic poſt modicum emendato delicto, vt fuerat priùs ſana regreditur, nec glorioſa Domina glorioſum dedignata eſt Germanum conſortem ſeu reparatorem ſui habere miraculi

Eccl. 5.

Contractæ manus cuiuſdam mulieris ſanantur.

Vt autem taceamus de reliquis ea tempeſtate per eundem ſanctum in eodem loco patratis miraculis, dicatur nunc illud de quodam cæco mirabiliter curato, qui dum alieni greſſus ſolario fuiſſet attractus, ſuam illic per dies exorando præſtolabatur ſalutem. VIII. Nam & ſolitus erat, alia neſcio quadam intercurrente infirmitate, multas crebrius

quàm

quàm ſubitas cum gemitu doloris effundere voces. Vndè aliquando quaſi importunus, & qui eccleſiæ ſilentiis eſſet inquietus, à quibuſdam correptus, nimis mœrens alíorſum ire diſponens receſſit: deſtinauitque animo vt ad quandam eccleſiam in villa Ruoilo in ipſius ſancti honore dedicatam, quia propè erat, diuerteret, ibique dum tempus ſui veniret miſerendi maneret: quod tùm præuio ſe ducente feciſſet, antequam eiuſdem baſilicæ ianuam intraret, lumē oculorum recepit. Moxq; tanta cælitus ſibi data viſitatione iocundus, ad eundem ſanctum videns laudeſq; vociferans Cumbis reuertitur. Fuit itaq; gaudium fratribus vniuerſiſq; inibi conuenientibus, atq; per omnes circunquaq; non modica admirationis lætitia. Hi ergo à quibus exaſperatus receſſerat pœnitentes, aiebant ſe & alios tali facto cōmonitos, ad pauperum debiliumq; importunitates patientes eſſe debere.

Cæcus videt.

IX. Hinc Elagiam generoſi ſanguinis fœminam inter reliquos illuc veniſſe ſanandam, ſimulque ſanatam rediſſe videamus. Hæc ita ſuffocationis moleſtia per prolixi temporis curſum elanguerat, vt nec ſaltem diuinis intereſſe aliquando cupiens officiis, dum ſolius tantum legeretur Euangelii lectio, durare pedibus ſtando valeret. Neque hanc Dominus piis ſancti carere voluit beneficiis. Quæ diebus plurimis alieno portatu ſubuecta, eam in qua ipſius erat corpus frequentans eccleſiam, cum cereis necnon & aliis oblationibus piiſſimum ex animo venerabatur patronum. Cumque terminus, quo eius deuotionis labor terminari deberet, diuinitus iam præfixus incumberet, ſtatim cæleſti perfuſa medicamine, tanta corporis valentia ante ſancti corporis præſentiam donatur, quatenus Deo ipſique beatiſſimo gratias agens reparata ſaluti exultans rediret.

Matrona quædā debilis & languens curatur.

X. Dignum ducimus, quod in ſequentibus rhythmo continetur, recolendum interſerere miraculum. Nortmanni verò apud eundem locum qui dicitur Oſcellus, in quadam Sequanæ inſula reſidentes, Pariſius ſæpè dum prorſus placebat, nauali excurſu veniebant. Redimebantur ergo omnia in circuitu vicina monaſteria, ne illorum ſæuitia impoſitis ignibus cremarentur. Studebantq; præterea viciſſim equis, quatenus aliquos nobilium gratia pecuniæ capere poſſent. Vnde veluti ex mitiſſimi viri domini Ludouici Abbatis redemptione non modicum & incomparabile acquirebant lucri negocium. Et quotieſcunq; tale quid agere diſpoſuiſſent, diſſimulabant ſe multis diebus ante nullatenus quoquam ire, ne cui illorum furtiuus innoteſceret aduentus. Proinde decreuerant mutua ſilentiq; conſideratione Pariſius, ſiue ad noſtrum aliquando percurrere locum, omneſque ibidem ſub maleſida ſecuritate commorantes inſperate decipere. Reſtiterant ſiquidem in eodem monaſterio, qui ipſum cuſtodirent, fratres fere viginti. Quibus matutinale otio iam crepuſculo Paſchalis ſacroſanctæ feſtiuitatis officium celebrantibus, aſſunt Nortmanni, qui Paraſceue die equis aſcenſis iter arripuerant veniendi. Quos quidam noſtrorum equites præuenientes, eorum eis quamuis ſerò malignum nunciauerunt aduentum. Illis autem non credentibus ſed magis laudibus diuinis inſiſtentibus, pagani ſine mora inſequentes venerunt, cunctoſque vt erant in eccleſia circumcinxere pſallentes. Tunc quod magnum fuit declinandi ſubſidium, clauſis in eorum oculis eccleſiæ portis omnes ſeſe in quæque latibula vel puteos immergentes abſconderunt, quo non ex omnibus niſi vnum equo ſidentem, tanti præſulis ſuffragantibus meritis, interficerent. Itaque fugientibus ante conſpectum eorum ibant: nec aliter inquam veriſſime, niſi vt quidam illorum ante enudatos etiam gladios, cum eſſet dies, illæſi tranſirent. Quibus ita angelica cælitus adminiſtratione ſaluatis, interfectis prænunciis atque aliis in circuitu & in medio monaſterii ex familia plurimis, omnia veluti ſpurciſſimi inuaſores quæq; in eccleſia vel extra inuenerant diripientes, cum prouentus exultatione cellaria fratrum igne ſuppoſito reuerſi ſunt. Tunc vniuerſi de qualibuſcunque quibus ſe abdiderant egreſſi latebris, concurrente etiā hincinde populo ciuitatis, ſubuerterunt tandem ſpiritus ſancti gratia ignis ardorem, iam ad cuncta conſumenda ſpatia altiora petentem. Neque, quod poſtea noſtris iterato contigit delictis, locus tunc penitus crematus diſperiit.

Nortmāni rurſus Pariſios veniunt ſpoliandi cauſa.

Cōſeruantur fratres in choro pſallentes S. Germani meritis.

Monaſteriū S. Germani iterato liberatur ab incēdio.

XI. Cæterum vt ſit memoria iuſti cum laudibus, ad ea quæ in Nouigento villa noſtra ſuper Matronam fluuiū ſita, dum ibi moraretur dumque inde reuerteretur, facta didicimus, dicendi, ſed non ad cuncta vertamus ſermonem. Nam ſi eamus per ſingula, exuberans erit modus in pagina. Contigerat ergo terrore paganorum, vltra Pariſius iam & caſtelli Milidonis terminos excurrentium, ſanctiſſimum corpus ab Acmando, quo nuper delatum abierat, illuc transferri. Homo igitur ex eadem villa ita infirmus per annos vt vix incedere poſſet, totoque corpore nulla ſibi ſubueniente medicina debilitatus adueniens, candelam ſecum detulit, munus fidei, precium ſanitatis. Sed antequam illam accendere conatus, quod cœperat peregiſſet, quæſitum, videntibus qui aderant vniuerſis, è cælo reſpectus donum percepit. Ergo ſi regni cælorum inæſtimabilis magnitudo cuiuſlibet quantitate precii emi poteſt, multo magis vero fide ſanitas corporis. Tantum enim Chriſtianus accipit, quantum credit. Confeſtim ſiquidem oblato munere ſanatur, atque domus ſuæ limina gaudens reuiſit.

Quidam infirmus ex oblatione candelæ venius ſanatur.

XII. Erat ibidem ſane concurſus infirmorum hincinde confluentium plurimus, quorum cauſas vt ſic breuiter colligam, cæci gaudebant videntes, claudi ambulantes curati, diuerſi febricitantes atque plurimi variis corporum contagiis liberati, gratias agebant lætantes. Singuliſq; largiebatur remedii gratia, prout digni inueniebantur medicantis clementia: ita quoque duntaxat, vt qui veſpere debilis adueniret, mane facto ſæpiſſime incolumis exiret. Inter quos quidam puerulus de pago Stampinſi inſanus defertur, habebat enim contractione neruorum membra damnata. Qui à matre deportatus, deprecatur ipſa obnixe, vt ſecū puero ea nocte in eadem baſilica, in qua ſancti præſulis corpus venerabatur, manere liceret. Deinde hora eiuſdem noctis adueniente, vt putabatur, iam media, puer matre neſciente ſolus aſſurgens, per eandem eccleſiam, pedum cohæſione vtcunque ſoluta, ambulare tentabat. Euigilat mulier, gaudetq; de nati viſa ſalute, ſicque ipſa atq; ſequenti nocte eodem in loco tranſacta, totus poſt biduum ſoſpes effectus, genitrice iocunda receſſit.

Plurimi à ſuis infirmitatibus liberantur.

Puer inſanus & contractus ſoſpitati reſtituitur.

XIII. In eadem denique Nouigento villa quæ & quanta fuerint, vt paulò ſuperius retulimus, ſanitatum charismata, eius bonitatis munere aduenientibus exhibita, ſine crimine fatemur nos ignorare. Quam verò fuerint innumera, ille qui dedit cooperator piiſſimus ſolus nouit Ieſus. Ideo ad id quod ardet animus tranſeuntes, eius reuerſionem mente hilari exponere feſtinemus. Fratres igitur qui illic aderant ſanctiſſima eius corporis membra cuſtodientes, vna cum ipſo loci ruinas ſaltem inuiſere feſtinantes egreſſi, Nortmannis iam amico pacis fœdere regno eductis, iter reuerſionis læti ſuſcipiunt, fuitq; eis in reuertendo naualis congruus apparatus. Vnde Matronæ fluuium pariterq; Sequanam enauigantes, venerunt citra Biberis ac Sequanæ confluentia portum facientes: eductumq; ſanctiſſimum corpus è naui, excepimus illud multi vtriuſque ſexus & ordinis ibidem congregati, vt miraretur, vix clericos ad eum tollendum accedere poſſe. Nam ex ſui quondam epiſcopii domo Canonici primi vti pontifici aſſiſtentes, exceptionis peregêre miniſterium, huius antiphonæ congruam iubilantes melodiam: O quam venerandus es egregie Germane confeſſor, qui terrena tempſiſti, & cæli ianuam lætus petiſti: modo victor fulges in virtute cæleſti, ideoque ſupplices te exoramus, vt intercedas pro nobis ad Dominum Deum noſtrum. Factaque geniculatione ac oratione Dominica, & Miſſa pro vniuerſis ſolenniter dicta, ex monaſterio ſancti Petri necnon & beatæ Genouefæ virginis religioſe accedentes clerici eundem ſequentes ordinem cœperunt ſancto humeris ſuſcepto corpore hanc pſallere antiphonam, dicentes: Iſte eſt Germanus pontifex maximus, qui per ſupernam gratiam diuina dans miracula, promiſſa ſumens munera, viuit perenni gloria. Deinde nos vti dicebat ſeruulos corruentes, ſalutationis nouum habentes hymnum, reuerenter aſſuimus: ſurgenteſque à ſolo, quo

Inita pace cum Nortmannis, corpus eius ad proprium rurſum defertur monaſterium.

Contracta ſanatur. Duo cæci vident. Authoris hymnus in laudē ſancti decantatus.

digniſſima eius reuerentia proſtrati iacueramus, poſt orationem & Collectam iam cuidam contractæ fœminæ ac cæcis duobus collato ſanitatis beneficio, quo vnaquæq; videlicet exceptio proprio decoraretur miraculo, ita concrepantes intulimus: XIV.

Aue præſul benedicte, aue nunc piiſſime
O Germane, venerande pater & eximie,
Plebis temet cum fideli comitatus agmine
Veni iam veni benigne, redi paſtor optime,
Oues proprias require, ac paci teſtitue,
Nec triſtari vltrà ſine de ſublato pignore.
Deplorabat te ceſſiſſe dominum Lutetia,
Se plangebat & lugebat caruiſſe gloria,
Quam applaudet recepiſſe iam tua præſentia.
Heu quàm flebant ac gemebant ſerui tui monachi,
Et caterua populorum cuncta nimis propria,
Cùm fuiſſes exul loco à tuo ſanctiſſime.
Quis illorum ſermo valet planctus fari cordium,
Atque ſimul expedire fletus amariſſimos,
Quod ſacerdos pulſus eſſet impie?
Qui ſi ceſſit feritati paganorum rigidæ,
Nec non loco, vel vltrici flammæ, tamen affuit
Votis dignis famulorum præſens in periculis.
Vnde iuuat nos adire illud dictu nobile
Quod ſtupendum & mirandum inferat miraculum,
Pro quo dignæ confeſſori referantur gratiæ.
Itaque dum illuceſcit Paſchæ dies ſplendida,
Dumque laudes celebrarent matutinas monachi,
Circundantes ſe paganos miro ludunt ordine.
Nam vt cunctos gloriantur ſe cepiſſe miſeri,
Vtque gyro mox vallarunt omnes ferè proximo,
Te præſtante liberantur propè capti ſeruuli.
Dumque nullus ſeſe putat habere ſuperſtitem,
Gladiatam euaſiſſet qui Danorum aciem,
Omnes ſe de locis mergunt abditis incolumes.
Cerneres tunc lachrymantes non loquentes inuicem,
Dum de necis quaſi fauce ſe viderunt ſurgere,
Vota ſolùm cordis dabant tacita digniſſimè.
Vnus tantùm præpeditur cæcæ mortis obice,
Atque telo perforatur hoſtis velociſſime,
Ne tanto ſummus careret pontifex libamine.
Salue clemens, hinc precamur, ſalue præſul agie,
Omnem clerum te colentem cum deuoto populo
In præſenti mereamur vti pace commoda:
Hincque celſi paradiſi regnum nobis obtine,
Quo tecum ſimul pſallamus Patri laudes Domino,
Atque toti Trinitati conſonantes angelis:
Sanctus ſanctus ſanctus Dominus Deus exercituum,
Cæli tuæ pleni manent atque terra gloriæ.
Oſanna qui benedictus in excelſis venerat.
Gloria ſit Deo Patri atque laus altiſſimo,
Honor virtus & poteſtas Ieſu Chriſto Domino,
Dignitas & vnus apex ſit quoque paracleto. Amen.

Quo ad finem vſque ita completo, fuimus iam licet ex aduerſo proximi partim aduſtæ necnon & permultum diſſipatæ ciuitati, cuius demolita facies nos omnes in dolorem adducens, & cōpetenter exegit pſallere: Adſpice Domine quia facta eſt deſolata ciuitas plena diuitiis, ſedet in triſtitia domina gentium, non eſt qui conſoletur eam niſi tu Deus noſter. Multi namque canentes, plures verò cernebantur plorantes. Sicque proceſſimus in pratum vſque, quod ſub ipſo eſt monaſterio. Eramus verò mœrentes, quòd poſteaquàm propriam intraueramus tellurem, nullas vt antea oſtenſas noueramus virtutes. Sed ecce ſubitò ex tanta populi multitudine vnus procurrens acceſſit: habebat enim cauſa pœnitentiæ in brachio ferri circulum, vt ſolet fieri, arctiſſime obuolutum. Iamque tempus increuerat, ex quo illi caſu propriam occidenti matrem huiuſmodi pœna acceſſerat. Qui vociferans & tanti viri pietatem ſibi adiutricem expoſtulans, vt manum ad feretrum, quo ſancti ſacrum baiulabatur corpus, pallium ſaltem deſuper contingere cupiens protendit, illico ferrum de brachio exiliens, mirandum crepuit, ita vt in aëra furſum euolans videretur à multis. Quæ res nos vniuerſos hilariores efficiens, nonnullos etiam in lachrymas præ gaudio mouit. Sed & caro armillæ huiuſmodi aſperitate in profundum exeſa, quod geſtum erat precioſum pandebat miraculum.

Thren. 1.

Attende ſtupendū miraculum.

ADVENERAT & quædam mulier adiumentis fidei comitata, quæ à cunabulis ita nuncupata dicebatur Electa: XV.
hæc prorſus, vt nobis quaſi eadē adhuc infirmitate dolens aiebat, ita per annorū decē curricula manus dexteræ ariditate contabuerat, quod nullo modo vel ad os eam porrigendi poſſe habuerit. Accedens itaque cœpit magnæ humilitatis precibus ſupplicare, quemadmodū ſibimet tantū ſub eiuſdē ſancti corporis feretro, vt eramus in ambulando, tranſitus concederetur. At vbi vix intromiſſa (erat enim compreſſio populi multa) tranſiſſet, ſic illius aridæ manus debilitas extemplo curatur, quatenus omni recepto vigore, ſolitū propriç actionis exerceret officium. Hanc namq; vidimus incolumem: Et Meroldum qui venerat cæcus, necnon & Aldegundem videntes.

Cuiuſdam fœminæ arida manus curatur. Item cæcus & cæca quædam.

PERVENIMVS ergo pſallentes, nimia laſſitudine ac ſolis ardore fatigati, hora quaſi ſexta ad monaſterii ianuam. XVI
Annus autem circuli reſurgentis Chriſti octingenteſimus ſexageſimus tertius, dies verò menſis quartodecimo Calēdas computabatur Auguſti. Tunc hymno, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur, incepto, intrauimus eccleſiam, deponentes eiuſdem ſacroſanctum corpus ſuper ipſum in quo priùs iacuerat ſepulcrum. Deinde concinentes Antiphonam, Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius & qui timetis eum, puſilli & magni: quoniam

niam regnabit Dominus Deus noſter omnipotens, gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei. Facta oratione ac pro omni qui conuenerat cœtu peracta Miſſarum celebritate, intulimus illud in ſancti Symphoriani cryptam, vbi primum migrans quieuerat, atque poſt eiuſdem ſancti martyris altare in præparato ſibi tumulo venerandum poſuimus. Vnde euolutis temporum ſpatiis atque monaſterio iam ex parte reædificato, adueniens glorioſus ſemperq; pius Rex Carolus, eiuſq; regniq; conſors Richildis regina, ſimulq; pater & paſtor noſter dominus Ganzlinus Abbas & Ingeluuinus Epiſcopus, aliique præſules ſiue regni ſui principes, retulerunt eadem ſanctiſſima membra cum laudibus & hymnis ad proprii locum ſepulcri: Vbi auxiliante Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſocia ſpiritus ſancti gratia, multi vſq; hodie venientes, eiuſdem ſancti pontificis meritis ſanantur infirmi, ad gloriam & laudem ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis in ſæcula ſæculorum, Amen.

Iſte Carolus cognomine caluus multa monaſteria reſtaurauit.

MARTYRIVM S. HYACINTHI, EX MSS. CODICIBVS, QVIBVS ADSTIPVLANTVR ANTIQVISS. MARTYROLOGIA. STYLVM NONNIHIL HINCINDE ELIMAVIT F. Laur. Surius.

Ann. 90.

I. SANCTVM Hyacinthum Luxurius tradidit Leontio conſulari. Eum ergò intromiſſum ſub præconis voce interrogauit Leontius: Ecquis vocaris? Reſpondit ille: Hyacinthus dicor. Leontius conſularis ait: Seruus es, an ingenuus? Hyacinthus dixit: Seruus ſum. Conſularis Leontius ait: Cuiuſnam? Hyacinthus reſpondit: Domini mei Ieſu Chriſti. Leontius dixit: Domini noſtri Imperatores iuſſerunt, vt qui nolint ſacrificare diis, eos diuerſis pœnis & ſuppliciis afficiamus. S. Hyacinthus ait: Pœnæ veſtræ diuerſæ eſſe poſſunt, æternæ eſſe non poſſunt. Itaque cùm non tam diuerſa ego ſupplicia timeam, quam æterna, nec te audio iubentem, nec tuum principem comminantem. Hodiè enim ira veſtra & exardeſcit, & euaneſcit: & cum e-ritis vita functi, deinceps nihil eritis. Tum Luxurius exclamans, dixit ad Leontium: Audis Hyacinthum cum principum iniuria verba iactantem, & adhuc ceſſas eum pœnis ſubdere? Leontius conſularis reſpondit: Ecquæ nam in eum ferenda ſententia eſt? Luxurius ait: Vt comburatur igni, & deinde corpus eius in torrentem præcipitetur. Beatus Hyacinthus dixit: Me quidem igne concremaſti, at aqua, quæ me regenerauit, quaſi filium ſuum ex ſe renatū ſuſcipiet ipſaq; mox martyrem me efficiet, quæ priùs fecit Chriſtianum. Te autem, Luxuri, hodie comedet coluber, vt cognoſcat omnis hæc regio, quod vindicet Deus ſanguinem ſerui ſui, quem tu iuſſiſti ignibus concremari, & pro tua libidine in aquas iactari.

Iulii 26.

Egregium reſponſum martyris.

II. CVM ergo in ignem miſſus eſſet beatus Hyacinthus, illo quidem die nec ignis, nec aqua illi potuit præualere: ſed confeſtim extinctus eſt ignis: aqua verò, in quam coniectus fuit, ad litus incolumem eiecit, in quo Luxurius iacebat, totus inflatus ab ictu ſerpentis. Equo enim ſedens, ſolus properabat ad ſumendum prandium in villa. Cumq; arborem prætervéheretur, inter collum & capitium tunicæ eius coluber illapſus, ventrem eius ſuis morſibus lacerauit, ad cor eius pertingens. Iacens verò ita tumefactus, priuſquàm ſpiritum redderet, vidit oculis ſuis iuxta aquas deambulantem martyrem Chriſti, & ita pſallentem: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Nunciantur hæc conſulari Leontio, & ille mittit ſpiculatorem cum permultis militibus, vt eum comprehendant, capitalem in eum ſententiam ſubitò pronuncians. Duxerunt ergò eum milites non longè ab vrbe, illicque eum gladio percuſſerunt. Porrò matrona quædam religioſa, Iulia nomine, veniens ad vrbem Romam, nocte cum ſeruis ſuis collegit corpus eius, & inprimis honorificè ſepeliuit in prædio ſuo, quod erat in eodem loco: vbi etiam cubiculum ſibi conſtruxit iuxta ſepulcrum beati martyris: vbi conſequuntur beneficia omnes credentes in Chriſtum: qui regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ab igni & aqua nihil læditur.

Luxuriū lacerat coluber.

Pſalm. 65.

S. Hyacinthus capite plectitur.

DE SANCTISSIMA ANNA MATRE GENITRICIS DEI MARIÆ, EX S. IOANNE DAMASCENO.

I. QVod Ioſeph ex Dauidica tribu originem duxerit, ſanctiſſimi Euangeliſtæ Matthæus & Lucas liquido demonſtrarunt. Verum hoc inter eos diſcriminis eſt, quod Matthæus ex Dauide per Salomonem Ioſephū deducit: Lucas autem per Nathan. At vero ſanctæ Virginis ortum vterq; ſilentio præterit. Quocirca ſcire operæ pretiū eſt, nec [a] apud Hebræos, nec apud Scripturam ſacram, hoc in more poſitum fuiſſe, vt mulierum genus recenſeretur. Verum hoc demum lege cautum erat, ne tribus vlla vxores ex altera tribu acceſſeret. Ac proinde Ioſeph, qui ex tribu Dauid ortum trahebat, iuſtitiamq; colebat (hanc enim laudē ei tribuit diuinum Euangelium) ſanctam Virginem haudquaquam præter legis præſcriptum deſpondiſſet, niſi ex eodem ſceptro genus duxiſſet. Ob idque ſatis habuit Euangeliſta demonſtraſſe vnde Ioſeph ortum traxerit. Quin illud quoq; ſciendū eſt, quod lege ſancitū erat, vt ſi quiſpiā ſine liberis è vita diſceſſiſſet, ipſius frater vxorē mortui in matrimonium acciperet, ac fratri ſemen excitaret. Ita, quod in lucem edebatur, natura quidem ſecundi erat, hoc eſt, eius qui genuerat: ſi autē legem ſpectes, eius qui mortem obierat. Igitur ex ſtirpe Nathan, filii Dauid, Leui genuit Melchi & Pantherem. Pāther autē genuit [b] Barpātherē (nā ita vocabatur) Barpanther rurſus genuit Ioachim, Ioachim deniq; genuit ſanctā Dei genitricē. Rurſus ex ſtirpe Salomonis filii Dauid, Mathan ex vxore ſua genuit [c] Iacob. Mortuo autē Mathan Melchi ex tribu Nathan, filius Leui, ac frater Pantheris, vxorē ipſius Mathan, quæ et Iacobi mater erat, matrimonio ſibi copulauit atq; ex ea genuit Heli. Ita vterini erant fratres Iacob & Heli, ille nimirū ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus. Porro Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis ſuſceptis migrauit è vita: eaque de cauſa Iacob ipſius frater, qui ex tribu Salomonis fluxerat, ipſius vxorē accepit, fratriq; ſuo ſemen excitauit, ac Ioſephū progenuit. Ioſeph [d] itaq; natura quidē filius Iacob erat, à Salomone oriūdus: Legis autē ratione, patrē habebat Heli, ex Nathā oriundū. Quæ cū ita ſint, Ioachim lectiſſimā illā ac ſummis laudib. dignā mulierē Annā matrimonio ſibi copulauit. Verū quēadmodū priſca illa Anna, cū ſterilitatis morbo laboraret, per [e] orationē ac promiſſionē Samuelē procreauit: Eodē modo hæc ēt per obſecrationē & promiſſionē, Dei genitricē à Deo accepit, vt ne hic quoq; cuiquā ex illuſtrib. matronis cederet. Itaq; gratia (nā hoc ſonat Annæ vocabulū) Dominā parit (id enim Mariæ nomine ſignificatur.) Vere etenim [f] rerū omniū conditarum domina facta eſt, cum Creatoris mater extitit. In lucem autem editur in domo Probaticæ Ioachim.

[d] Ioſeph fuit natura filius Iacob, verū ratione legis Heli. [e] Sterilis obtinet à Deo precibus fœcunditatē. [f] Maria Domina omniū creaturarū.

Ex l. 4 de fide orthodoxa ca. 15.

Genealogia Chriſti à Matthæo & Luca ſcripta vt cōciliāda.

[a] Cur de Virginis ortu ſiluerit Euangeliſta.

Numer. 36.

Matth. 1.

Deuter. 25.

[b] Barpāther fuit pater Ioachim maritus Annæ

[c] Hūc Iacobū cognominatum fuiſſe Pantherē dicit Epiphanius Hæreſi 78.

II. AC Ioachim quidē, vt pecudū paſtor, cogitationes ſuas non minus quā oues paſcebat, ac pro arbitrio, & libitu ducebat. Etenim cū ſub Domino pecudis inſtar paſceretur, nullis præſtātiſſimis reb. carebat. Præſtantiſſima porro ea me dicere ne quis arbitretur, quæ pleriſq; grata ſunt, & quib. auidiorū hominū animus ſemper inhiat, quæque nec fixa ac durabilia ſuapte natura ſunt, nec meliorē Dominū efficiunt (Noſtis enim præſentis vitæ voluptates, quæ vim firmā ac ſtabilē habere nequeunt, ſed ſtatim effluunt, ac eadem propemodum hora dilabuntur) tametſi alioqui eorum copia abundaret. Abſit hoc. Non noſtrum eſt hæc mirari: nec pars hæc timentium dominum. Verum ea demum bona ſunt, quæ verè ab hominibus mente præditis expetuntur & adamantur, atque in æternum manent, quæque & Deū oblectant, & maturū dominis ſuis fructum producunt: hoc eſt virtutes, quæ fructū in tēpore ſuo, id eſt, in futuro

Ex orat. 1. de B. Mariæ dormitione.

Quæ verè, quæ non verè bona ſint.

Pſal. 1. Studium virtutum Ioachim. *Pſalm. 22.* Annæ virtus *Pſalm. 13.* Angelus eis nunciat cõceptionem.

æuo vitam æternam ijs daturæ ſunt, qui, vt dignum eſt, elaborarint; atque ante fructum labores pro viribus ſuis contulerint. Virtutum ſiquidem labor antecedit: ac beatitudo æterna conſequitur. Hic Ioachim cogitationes ſuas paſcebat, in loco paſcuæ, hoc eſt in ſacris oraculis, degens, atque in refectionis aqua, hoc eſt in diuina gratia ſeſe oblectans: ſic nimirum, vt eas à turpibus & obſcænis rebus auocaret, atque ad iuſtitiæ ſemitas ipſis dux eſſet. At vero Anna, quæ, ſi interpreteris, gratiam ſonat, non minus morũ, quam matrimonii iugo cum eo copulata erat. Verũ quãuis omni virtutum genere floreret, tamen arcana quadam ratione ſterilitatis morbo tenebatur. Etenim ſterilis vere gratia erat, vt quæ in hominum animis fructum edere minime poſſet: quandoquidem omnes declinauerant, ſimul inutiles facti erant: non erat intelligens, aut requirens Deum. Poſtea bonus Deus, manus ſuæ figmentum conſpicatus, ac miſeratus, illudq; ſaluti aſſerere volens, gratiæ, hoc eſt piæ Annæ ſterilitatem depellit: filiamq; parit, qualis nec ante fuit, nec poſt futura eſt. Sterilitatis porro depulſio apertiſſimè hoc indicabat, fore, vt bonorum ſterilitas, qua mundus laborabat, ſubmoueretur, atq; beatitudinis ſeges produceretur. Hinc Dei genitrix ex pollicitatione prodit. Angelus quippe conceptionem parentibus nunciat. Conueniebat enim vt hic quoq; mitti ea cederet ac poſteriores partes ferret, quæ ſolum ac vere perfectum Deum iuxta carnem paritura erat.

Ex 1. oratione eiuſdem de Dei genitricis natiuitate Laudanda Anna.

Adeste gentes omnes, omne hominum genus, omnes cuiuſuis linguæ & ætatis ac dignitatis, orbis vniuerſi lætitiæ natalem diem lætis animis celebremus. Nam cum gentiles, dæmonum, per commentitias fabulas mentem ſurripientium, ac veritatem obſcurantium, atq; regum natiuitates omni honori genere celebrarint, pro ſua quiſq; facultate minus quoddam offerentes, tametſi etiam alioqui illi vitæ humanæ perniciem inferrent, quanto tandem magis nos Dei genitricis natalem honore complecti conuenit, per quam mortalium genus redintegratum eſt, per quam primigeniæ matris Euæ mæror in lætitiam mutatus eſt? Omnis Creatura vna epuletur ac ſacræ Annæ ſacerrimum rationale laudibus proſequatur. Bonum enim theſaurum, quique nulla vi eripi poſſit mundo peperit. Per eã quippe Creator naturam omnem, interiectæ humanitatis beneficio, in melius commutauit. Nam cum homo, media quadam inter mentem & materiam ſede conſtitutus, rerum omnium conditarum, tam quæ in aſpectum cadunt, quam quæ oculorum ſenſum fugiunt, nodus ac vinculum ſit, profecto etiam artifex Dei Verbum humanæ naturæ copulatũ, per eam cum vniuerſis rebus conditis vnitum eſt. Quapropter humanæ ſterilitatis depulſionem celebremus: quãdoquidem bonorum ſterilitas ac velut mutilatio à nobis ſubmota eſt. III.

Cur Virgo mater ex ſterili naſcatur.

Quid autẽ eſt, cur virgo mater ex ſterili orta ſit? Quoniam ſcilicet oportebat, vt ad id, quod ſolum ſub ſole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula ſterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad ſublimiora progreſſus fieret. Quanquam alia quoq; altior & diuinior ratio à me afferri poteſt. Etenim natura gratiæ cedit, ac tremula ſtat, progredi non ſuſtinens. Quoniam itaq; futurũ erat, vt Dei genitrix ac virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minime auſa eſt: verùm tãtiſper exſpectauit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omniũ conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata ſunt, paritura erat.

Omnis creatura obſtricta eſt Ioachim & Annæ.

O par beatum, Ioachim & Anna! vobis omnis creatura obſtricta eſt. Per vos enim donum omnium donorum præſtantiſſimum Creatori obtulit, nempe caſtã matrẽ, quæ ſola Creatore digna erat. O beatos Ioachimi lumbos, ex quib. prorſus immaculatũ ſemen fluxit! O præclarã Annæ vuluã, in qua tacitis incremẽtis ex ea auctus, atq; formatus fuit fœtus ſanctiſſimus! O beatũ ventrẽ, qui viuũ cœlũ, cœlis ipſis latius peperit! O beatã arcã, quæ viuifici frumenti ſegetẽ tulit: quẽadmodum Christus ipſe pronũciauit.

Ioann. 12.

Niſi granũ frumenti cadens in terrã mortuũ fuerit ipſum ſolum manet. O beata vbera, quæ eius, qui mundũ nutrit nutricẽ lactarunt! O miraculorũ miracula, & rerũ admirandarũ res maximè admirandæ! Siquidẽ par erat, vt ad Dei incarnationẽ omni ſermonis facultate ſublimiorẽ atq; indulgenter ſe demittentem, iter per miracula muniretur. Cæterũ quonã modo vltra progrediar? Varius enim extra ſe rapitur, metuſq; ac cupiditas me inter ſe partiuntur. Pectus ſubſilit, ac lingua impeditur. Voluptatem ferre nequeo: vincor miraculis: lymphatum me affectus reddit. Vincat cupiditas, cedat metus, cantet cythara ſpiritus, lætentur cæli & exultet terra.

Iſa. 54. Matth. 7. Caſte ac ſanctè vixerunt.

Lætare Anna ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis. Exulta Ioachim, quoniã ex filia tua filius natus eſt nobis, & vocatur nomen eius magni conſilii, hoc eſt, ſalutis totius mundi angelus. O beatũ par, Ioachim & Anna! Ac profecto ex vẽtris veſtri fructu, immaculati agnoſcimini, quẽadmodũ Chriſtus quodã loco dixit, Ex fructibus eorũ cognoſcetis eos. Vt Deo gratũ erat, ac dignũ ea, quæ à vobis orta eſt, vitæ veſtræ rationes inſtituiſtis. Caſtè etenim ac ſanctè munere veſtro functi, virginitatis theſaurũ produxiſtis, virginẽ inquã, ante partũ, ſolã virginẽ ac ſẽper virginẽ, ſolã & mente & animo virginitatẽ perpetuo colentẽ. O caſtiſſimũ ratione præditorũ turturũ par, Ioachim & Anna! Vos, vt naturæ legi conſentaneũ erat, pudicitia conſeruata, ea, quę naturã ſuperant, diuinitus cõſecuti eſtis. Virginẽ enim Dei matrẽ mundo peperiſtis. Vos piè ac ſanctè in humana natura verſati, angelis ſuperiorem, ac nunc angelis dominantem filiam in lucem extuliſtis. IV.

Oſee 10.

Vinea vberrima ex Anna pullulauit, atq; vuam ſuauiſſimã protulit, nectar mortalibus fundentẽ in vitã æternã Ioachim & Anna ſibiipſis ad iuſtitiã ſeminarunt, ac vitæ fructũ meſſuerũt. Illuminauerunt ſibiipſis lumen ſcientiæ, ac Dominũ exquiſierunt: germenq; iuſtitiæ ipſis venit. Fiduciam terra concipiat, & filii Sion. Gaudete in Domino Deo veſtro, quia germinauit deſertũ, ſterilis protulit fructũ ſuũ: Ioachim & Anna, tanquam ſpirituales montes dulcedinẽ ſtillarunt. Lætare beata Anna, quoniam Fœminam peperiſti. Hæc enim fæmina Dei mater eſt, vitæ porta, lucis fons: atq; fæminarum crimen diſſoluit.

Operæ pretiũ enim eſt, eã quæ talẽ ſurculũ peperit, laudib. efferre. Proponitur itaq;, tanquã thalamus quidã, Annæ cubiculũ, liberorũ procreationis ſimul ac virginitatis perſonã delineans, illud nimirũ matris, hoc filiæ: quarũ altera recens ſterilitate liberata eſt, altera aũt aliquanto poſt humanæ Chriſti creationis partũ modo quodã natura præſtãtiori ſuſceptura eſt. Merito proinde diuino numine inſtincta Anna, læto atq; hilari animæ ſtatu, altiſſima voce adhũc modũ clamat. Gratulamini mihi, quæ promiſſionis germen ex ſterili ventre peperi, ac benedictionis fructũ vberib. meis, pro eo atq; optaui, nutrio. Sterilitatis mæſtitiã exui, ac lætã fecunditatis veſtẽ indui. Gratuletur mihi hodierno die exaudibilis illa Anna, Phenennæ aduerſaria, ac per ſuũ exemplũ, miraculũ, iſtud nouũ atq; ab humanis ſenſib. remotũ, V.

1 Reg. 1. Gen. 21.

quod in me contigit, plauſu ac lætitia proſequatur. Choreas etiã agat Sara, seniliter exiliens, meumq; poſt ſterilitatẽ partũ tanquã penicillo quodã adũbrans. Steriles etiã atq; infecundæ mulieres viſitationẽ cęlitus in me mirabili modo factã canant. Dicant itẽ matres oẽs, ac fecunditate præditæ, Benedictus qui orantibus, id quod optabant, dedit, & ſterilis vuluæ meatus patefecit, ac germẽ ex infructuoſo ſemine conceſſit, hoc eſt, ſũmopere admirandã ipſius iuxta carnẽ parentẽ, cuius venter cælũ eſt, in quo habitauit is, qui nullo loco capi poteſt. Conſentanea aũt his nos quoq; ipſi, quæ quondã ſterilis dicebatur, nũc aũt virginei thalami mater extitit, ad ipſius laudẽ ac prædicationẽ offeramus. Dicamus ad eã cũ ſcriptura Quã beata domus Dauid, ex qua produſti, & venter in quo Deus ſanctificationis arcã, hoc eſt eam, à qua ipſe ſine ſemine in lucẽ editus eſt, condidit. Vere beata es, ac ter beata, quæ beatitudine donatã à Deo infantẽ, hoc eſt Mariã, nomine quoq; ipſo magnopere venerandã, peperiſti, ex qua Chriſtus, vitę flos extitit: cuius & glorioſa progreſſio, & partus mũdo ſublimior fuit. Tibi quoq;, ô beatiſſima fæmina, gratulamur. Etenim noſtrũ omniũ ſpẽ diuinitus conceſsã, hoc eſt promiſſionis fœtũ peperiſti. Beata re vera es, & beatus fructus ventris tui. Beatæ quoque per te prædicantur mulieres, quæ ſterilitatem abiecerunt, ac poſt ſterilitatem fecundæ extiterũt. Piorum autem lingua germen tuum ingentibus laudibus afficit, ac ſermo omnis lætus partum tuum prædicat.

EX NI-

Ex Nicephoro libro 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 7.

POſteaquam perfici atque exhiberi debuit ingens illud, naturamque omnem longè ſuperans myſterium, opus fuit prorſus inſtruere & præparare vas, quod eum qui incomprehenſibilis eſt comprehenderet. Inuenta itaque eſt beata virgo Maria, dignum Deumque decens VERBI domicilium, etiam ante natiuitatem Deo conſecrata, atq; ex membris ſenilibus, & longè à naturæ feruore alienis, tãquam quidam diuinitus datus fructus producta. Ioachim & Anna parentum erant nomina. Ambo accuratiore, iuxta præſcriptum legis, vita præſtantes & clari, nec non primis quibuſque & ſplendidiſſimis nobiliſſimiſque genere connumerati, Vitam autem ad ſenectutem, ſine prole edita, produxerant. Erat enim ad liberorum procreationem Anna aluo infœcunda. Et cum ob ſterilitatis cauſam non haberet communes cum matronis & matribus à lege tributos honores, exemplo matris Samuelis ipſa quoque fit ſupplex Deo, & in templo ſedulo verſatur: ne ſcilicet à benedictionibus legis excluderetur, ſed vt ei matri eſſe liceret, orans: ac quod paritura eſſet, ipſi Deo dicaturam ſe eſſe vouens. Sed enim diuino nutu, ad eam quam petierat gratiam, Anna confirmata atque roborata, poſtquam puella è maternis prodiit locis, Mariam eam ſtatim nominauit benignitate latenter à Deo acceptam gratiam declarans.

Vita & genere clari Ioachim & Anna.

1. Reg. 1.

De beatiſſima porro Anna, Chriſti auia opuſculum conſcripſit Iohannes Trittenhemius Abbas, ad quod lectorẽ remittimus. Extat de eadem etiam Sermo Fulberti Epiſcopi Carnotenſis, ante quingentos annos conſcriptus. Nemo mirari debet, de matrona ſanctiſſima tam parum inueniri, cum vix pauca de incomparabili virgine Maria eius filia Sanctis Chriſti Apoſtolis, multiſque aliis præcipuis Sanctis habeamus.

DE SEPTEM MARTYRIBVS, QVOS DORMIENTES VOCANT, EX GREGORIO TVRONEN. DE GLORIA *Martyrum Lib. 1. cap 95.*

ANN. 250.

I. SEPTEM germanorum, qui apud vrbem Epheſum requieſcunt, hæc eſt * hiſtoria: Tempore Decii Imperatoris, cum perſecutio in Chriſtianos ageretur, ſeptem viri comprehenſi ſunt, ducti coram principe, horum nomina hæc ſunt: Maximianus, Malchus, Martinianus, Conſtantinus, Dionyſius, Iohannes, Serapion: qui diuerſis verbis tentati, vt cederent, nequaquam acquieuerunt. Imperator vero pro elegantia eorum, ne in momento perirent, ſpatium tractandi indulget. At illi in vnam ſe ſpeluncam condunt, ibique per multos dies habitauerunt. Egrediebatur tamen vnus ex eis, & comparabat victus, & quæ neceſſaria erant, exhibebat. Reuertente autem Imperatore in eandem ciuitatem, iſti petierunt à Domino, vt eos ab hoc periculo dignaretur eruere: factaque oratione, proſtrati ſolo, obdormierunt. Cumque Imperator didiciſſet eos in hoc antro morari, nutu Dei iuſſit os ſpeluncæ magnis lapidibus oppilari, dicens: Ibi intereant, qui diis noſtris immolare noluerunt. Quod dum ageretur, quidam Chriſtianus in tabula plumbea nomina & martyrium eorum ſcribens, clam in aditu cauernæ, priuſquam oppilaretur, incluſit.

IVLII 27.
** ratio.*
Eorum nomina.
Obſtruitur os ſpeluncæ in qua ſancti martyres latuerunt.

II. POST multorum vero annorum curricula, cum, data eccleſiis pace, Theodoſius Chriſtianus obtinuiſſet imperium, ſurrexit hæreſis immunda Sadducæorum, qui negant reſurrectionem futuram. Tunc quidam ciuis Epheſius, dum caulas ouibus ſecus mõtem ipſum facere deſtinat, ac lapides diuoluit ad coaptanda earum ſepta, ignarus quæ agerentur introrſum, patefecit ingreſſum eius: non tamen cognouit arcanum, quod habebatur intrinſecus. Dominus autem immiſit ſeptem viris ſpiritum vitæ, & ſurrexerunt: putanteſque, quod vna tantum nocte dormiſſent, miſerunt puerum vnum, qui cibos emeret. Cumque veniens, ſupra portam ciuitatis vidiſſet Crucis glorioſæ ſignaculum, audiſſetque per Chriſti nomen iurare populum, obſtupuit: prolatiſque nummis, quos à tempore Decii habebat, à mercatore comprehenditur, dicente ſibi: Quia abſconditos antiquitus theſauros reperiſti. At ille negans, deducitur ad Epiſcopum ac iudicem ciuitatis. Cumque ab his argueretur, compellente neceſſitate, abſconditum myſterium reuelauit, & deduxit eos ad ſpeluncam, in qua viri erant. Cumque ingrederetur Epiſcopus, inuenit tabulam plumbeam, in qua omnia, quæ pertulerant, habebantur ſcripta: locutuſque cum eis, nunciauerunt hæc curſu rapido Imperatori Theodoſio. At ille veniens, adorauit eos pronus in terra: qui tali colloquio cum eodem vſi ſunt principe:

Hæreſis Sadducæorum tempore Theodoſ. iunioris.
Euigilant 7. fratres.
Theodoſius Imperat. cum eis loquitur.

III. SVRREXIT glorioſe Auguſte hæreſis, quæ populum Chriſtianum à Dei promiſſionibus conatur auertere, vt dicant non fieri reſurrectionem mortuorum. Ergo vt ſcias, quia omnes, iuxta Apoſtolum Paulum, repræſentandi erimus ante tribunal Chriſti, idcirco iuſſit nos Dominus ſuſcitari, & tibi iſta loqui. Vide ergo, ne ſeducaris, & excludaris à regno Dei. Hæc audiens Theodoſius Imperator, glorificauit Dominum, qui non permiſit perire populum ſuum. Viri autem iterum proſtrati in terram, obdormierunt. Quibus cum Theodoſius Imperator ſepulcra ex auro fabricare vellet, per viſum prohibitus eſt, ne faceret. Viri autem vſque hodie palliolis ſericis aut carbaſinis cooperti, in ipſo loco requieſcunt. Quod paſſio eorum, quam Syro quodam interpretante, in Latinum tranſtulimus, plenius pandit.

2. Cor. 5.
Obdormiunt in Domino.

DE IISDEM EX SIMEONE METAPHRASTE, QVI HANC HABET INSCRIPTIONEM: COMMENTARII SEPTEM ADOLESCENTium, qui Epheſi dormierunt.

I. TENENTE Decio Romani Imperii principatum, accidit, vt ipſe ex Cartagenna ciuitate in Epheſum, multo furore percitus, deſcenderet. Tunc omnis finitima regio in eam vrbem conuenit, vt vanis & falſis diis immolaret. Eorum vero, qui Chriſti fidem ſequebantur, eccleſiæ diſperſæ ſunt. Chriſtiani enim tam ſacerdotes, quã laici, metuebant tyranni adſpectum. Qui cũ ingreſſus eſſet Epheſum, animo elato in media vrbe cœpit idola erigere: cumque illis totus eſſet addictus, præcepit vrbis optimatibus, vt vanis illis diis ſecum vna victimas offerrent. Itaque victimarum ſanguine loca illa replebantur, & omnes turbæ vndique ad idolorum, quæ erant Epheſi, celebritatem confluebant. Fama enim per fines illius regionis diuulgabatur, quod ſcilicet victimarum nidor ex vrbe media in altum proſiliret.

IVLII 27.
Feruor Decii Imper. erga cultum dæmonum.

II. CVM igitur diem feſtum ſuorum deorum Decius ageret, atque ipſius iuſſu vniuerſa multitudo ob eam celebritatem ad templa idolorum, quæ erant Epheſi, ex omnibus locis impigre conflueret, ac diis libaret, cumque tota illa vrbs ſacrificia redoleret, fideles homines triſtes erant, iidẽ & ab idolorum cultoribus opprimebantur. Itaque partim perſequentium ora fugiebant, ne comprehendi poſſent: partim ſeſe occultabant. Tribus autem diebus poſtea Imperator edictum propoſuit, vt Chriſtiani omnes caperentur: quo tempore gentiles ac Iudæi vrgebant milites. Paſſim igitur Chriſtiani homines trahebantur ad turbas, quæ in vnum locum conuenerant, vt vna cum Imperatore idolis ſacrificarent. Tunc nonnulli tormenta formidantes, excidebant à fide, & coram turba illa miſeri ad idolorum ſacrificia decidebant. At qui ex animo Chriſti fidem ſequebantur, cum audirent aliquos lapſos fuiſſe illorum caſum magnopere dolentes, miſerorum hominum animas lugebant, qui propter metum ad idolorum ſacri-

Chriſtiani fuga & latebris ſe tuentur.
Chriſtiani quidam deficiunt.

ficia delapſi fuerant. Quicunque vero ex eorum numero in Chriſti fide ſtabiliores inuenti ſunt, mentem atque cogitationem firmam conſeruantes, neque tyranni minas extimeſcentes, ſed nequiſſimi diaboli tela ſuis corporibus libenter excipientes, cruciatus omnes forti animo perferebant.

Multi atrociter cruciantur.

Itaqve ſanctorum martyrum carnes multis variiſque tormentis lacerabantur, ita vt ex illorum vulneribus multus ſanguis deflueret. Quorum corpora in vrbis mœnibus ac turribus ſuſpendebantur: capita vero palis affixa, erigebantur ante portas. Itaque corui, vultures, & eiuſmodi aues, mœnia illa circundantes, ſanctorum martyrum carnes dilaniabant. Quæ res Chriſtianis hominibus mœrorem afferebat. Tale tantumque certamen propoſitum erat his, qui Chriſti fidem confitebantur. Tales erant minæ terroris plenæ, omnibus planè formidoloſæ: tales ærumnæ, lapides fere ipſos commouentes. Sanctorum martyrum cadaueribus vrbis plateæ coarctabantur. Flebant autem fideles, quod ſancta illa corpora in terris deiecta, viderent à volucribus lacerati. Quæſo, quodnam facinus tantopere dolendum? Quæ cædes ſic immanis & acerba? Tunc Chriſtiani homines, manibus ad cælum erectis, precabantur Deum, vt eriperentur è manibus Tyranni. Patres filios, filii patres abnegabant. Calamitates ipſæ amiciſſimos viros à ſe viciſſim deiungebant. At * Maximilianus, Iamblicus, Martinus, Iohannes, Dionyſius, Exacuſtadius & Antoninus, ſimul [a] verſantes, omneſque pariter in Chriſti fide ſtabiles, & Chriſti paſſiones in corporibus ſuis geſtantes, cum viderent quæ quotidie contra Chriſtianos efficerentur, fletu, gemitu, ieiuniis ac precibus aſſidue ſe communiebant. Erant autem illuſtrium virorum & optimatum vrbis filij. III.

** Maximilianus, &c Alia nomina habet Gregorius Turonenſis cui conſentit Martyrologium Romanum.*

a Vide vt ſe communiebant aduerſus perſecutionē.

b Accuſatur apud Imperatorem.

** alias Maximianus, primus inter martyres.*

Cvm vero Imperator turbas Gentilium ad inanium idolorum ſacrificia congregaſſet, tunc ſancti viri, quos paulo ante nominauimus, in vnum locum conuenerunt, ſimulque ad Chriſtianorum eccleſiam ingreſſi, proſtrauerunt ſe in terram, & puluere capita ſua conſpergentes, ante Deum gemitus & lachrymas effundebant. Quod cum facerent, obſeruati ſunt à ſpeculatoribus quibuſdam, quod ſcilicet tempore illo, quo ſacrificia diis offerebantur, ipſi ad Chriſtianorum eccleſiam ſecederent. Cumque ſinguli diligenter exquirerentur, vt diis ſacrificarent, acceſſerunt qui homines illos obſeruauerant, & Imperatori dixerunt: [b] Viuas, Imperator, æterno tempore. Tu eos, qui longe abſunt, cogis ſacrificiis præſto eſſe, & qui prope ſunt, contemnunt imperium tuum, & iuſſa tua pro nihilo faciũt, Chriſtianorum obſeruantes religionem. Erat autem * Maximilianus ipſe Præſidis filius, item alii cumprimis illuſtres in exercitu. Tunc Decius Imperator ira percitus, illos ad ſe vinctos duci iuſſit. Quibus ductis: Quare, inquit, non permanſiſtis nobiſcum, vt diis ſacrificaretis, qui totum orbem terrarum ad ſibi obediendum conuocarunt? Accedite igitur, & debitum diis ſacrificium offerte, quemadmodum omnes facere conſueuerunt. Tunc * Maximilianus reſpondit: Habemus, Imperator, Deum in cælis habitantem, cuius gloria cælum & terra plena eſt, cui ſacrificiũ confeſſionis noſtræ offerre ſoliti ſumus, atque noſtrarum orationum libamine coram Deo exultamus omni tempore. Nos enim nidorem ac fumum veſtrorum ſacrificiorum iſtis idolis non offerimus, quandoquidem noſtras animas labefactare nolumus. IV.

Militares zonæ auferuntur 7. martyribus.

His auditis, Decius non amplius loqui voluit, ſed iuſſit militares zonas ab eis auferri. Cuius rei cauſam eſſe dixit, quod deorum potentiæ aduerſarios ipſos deprehenderat. Præterea illos à deorum munificentia repellendos, atq; ab Imperii militia procul arcendos eſſe decreuit, quoad opportune de illorum religione inquirere poſſet. Non enim æquum videri ſibi, aiebat, illorum iuuentutem tormentis conſumi: itaque miſericordia motum temporis ſpatium ſe illis concedere, vt interea reſipiſcerent, ad deos reuerterentur, & viuerent. Hæc dixit Imperator, & præcepit ferreis vinculis illorum colla exui, atque à ſuo conſpectu remoueri. Tunc Decius in alias vrbes profectus eſt, vt faceret quæ in animo habebat, eo tamen conſilio, vt Epheſum repeteret. Itaque ſanctis viris, quos diximus, conceſſum fuerat ab Imperatore, vt per aliquot dies libere verſari poſſent. V.

Cvm igitur opportunum tempus inueniſſent, & in Chriſti fide perſeuerare conſtituiſſent, iuſtitiæ operibus incumbebant: cumque aurum & argentum ex paternis facultatibus collegiſſent, pauperibus multam pecuniam diſtribuerunt: & inter ſe conſilium ineuntes, viciſſim ſe his verbis adhortabantur: Secedamus parumper ab hac vrbe, & ſubeamus ſpeluncam illam magnam, quæ vergit ad Orientem. Illic quiete viuentes, Deum noſtrum attentis & aſſiduis precibus oremus, vt tales effici poſſimus qui ante Tyranni adſpectum conſtanter ſtare valeamus: neque deſinamus Dei gloriam collaudare, vt Deus ipſe ope ſua nos adiuuet, quo rectam eius confeſſionem ſeruemus, coronamque illam incorruptam his paratam, qui eius fidem cuſtodiunt, & Chriſtum agnouerunt, accipere poſſimus. Itaque cum tantum argenti ſumpſiſſent, quantum illis ad ſumptum ſatis eſſe poſſet, aſcenderunt in ſpeluncam in monte ſitam, (mons Ochlon appellatur) quo in loco multos dies tranſegerunt, Deum ipſum orantes, & ſalutem animarum ſuarum ſemper ab eo poſtulantes. Iamblico autem, qui omnibus aliis erat natu minor, & obeundis miniſteriis aptior atque expeditior, impoſitum fuit negotium, vt in vrbem deſcenderet, & ſi quid fieri opus eſſet, ipſe faceret. Erat autem iuuenis ille valde prudens. Itaque cum ad vrbem deſcendebat, ne agnoſci poſſet, veſtem mutabat, & vnus aliquis è numero mendicorum videbatur: cumque pecuniam ſecum haberet, partem aliquã pauperibus diſtribuebat: dabat etiam operam, vt ſubauſcultaret, quidnam de Imperatore diceretur. VI.

Abdunt ſe in ſpeluncam 7 martyres.

Iamblicus natu minor eorum œconomus.

Post aliquot dies rediit Imperator Decius in vrbem Epheſum: & ſtatim iuſſit optimates cum his, qui Achillidem ſequebantur, & aliis qui erant illic, ſacrificia vanis idolis offerre: de falſis enim diis ſuis erat valde ſolicitus, cum eorum vanitatem non cognoſceret. Quamobrem Chriſtianæ fidei ſectatores timore magno afficiebãtur. Hæc cùm Iamblicus audiuiſſet, egreſſus eſt ex vrbe, paucos panes ſecum ferens, & ad montis ſpeluncam, vbi erant ſocii, reuerſus eſt. Narrauit Iamblicus, quæ in Tyranni palatio ad eius ingreſſum audiuerat, & quemadmodum quæſiti fuerant & ipſi, vt vna cum aliis ciuibus, præſente Imperatore, ſacrificarent. His auditis, timuerunt illi, & multo cum gemitu ac lachrymis Deum precati ſunt. Appoſita eſt igitur illis menſa, & panes, quos Iamblicus emerat, vt cibum ſumerent, & ad Tyranni certamen ſuſtinendum promptiores fierent. Conſedere igitur in media ſpelunca, & ſole occidente cibum ſumpſerunt. Cum vero triſtes ſederent, & inter ſe colloquerentur, dormire cœperunt: erant enim eorum oculi propter mœrorem grauati. VII.

Obdormiunt in ſpelunca.

At clemens ac benignus Deus, qui ſeruis ſuis ſemper prouidet, fecit illos mortis genus quoddam obire, vt per eos miracula quædam opportuna fierent. Itaque cum ſopore omnes correpti eſſent, in terra iacentes obierunt, animas ſuas Deo reddentes, & diuinam gloriam concelebrantes. Argentum autem, quod habebant in ſuis marſupiis, apud illos eo in loco, in quo iacebant, remanſit. Poſtridie mane Imperator inter optimates iuſſit iterum ſeptem illos adoleſcentes requiri. Qui cum non inuenirentur, ad optimates conuerſus: Magnopere, inquit, doleo propter adoleſcentum illorum calamitates, eo quod illuſtribus & claris parentibus orti ſunt. Opinor enim illos, arbitratos imperii noſtri maieſtatem ſibi valde iratam eſſe, propter pietatis noſtræ religionem ab eis violatam, aufugiſſe. Sed Imperii noſtri benignitas non ſuccenſet his, qui reſipiſcunt, & ad deorum noſtrorum clementiam animos reducunt. Hæc dixit Imperator. Cui optimates reſponderunt: Quod ad illos adoleſcentes pertinet religionis deſertores, Imperii tui maieſtas nequaquam doleat, neque reſipuiſſe illos arbitretur, adhuc enim in priſtina ſua ignorãtia perſeuerant, & vt audiuimus, eo ipſo tempore, quod ipſis præſcriptum fuit ad mutandum conſilium, pertinaciores facti, obſtinatam voluntatem retinent. Itaque argentum & aurum pauperibus per vrbis plateas diſpoſitis diſtribuerunt. VIII.

Digitized by Google

diſtribuerunt, neque amplius quiſquam eos vidit. Si placet igitur maieſtati tuæ, parentes illorum capiantur, & tormentis cogantur dicere, vbinam eorum filii lateant.

IX. Hæc audiens Imperator, ira percitus iuſſit adoleſcentum parentes accerſiri. Quos cum præſentes vidiſſet: Et vbinam, inquit, ſunt filii veſtri, Imperii & iuſſorum noſtrorum contemptores? Propterea vos etiam inſolentiæ ipſorum cauſa interfici iubeo. Tunc illi dixerunt: Precamur te, benigniſſime Imperator, vt noſtram cauſam audias. Nos Imperii & Maieſtatis tuæ iuſſa non violauimus, neque propitia deorum numina deſeruimus. Quare igitur nos illorum, qui deſertores ſunt, cauſa moriemur? Quod vero ad argentum & aurum pertinet, illi à nobis pecuniam ſubripuerunt: quam cùm pauperibus diſtribuiſſent, aufugerunt in montem, & ibi deliteſcunt in ſpelunca. Siue igitur viuant, ſiue mortui ſint, nos ignoramus. Hæc audiens Imperator, viros illos dimiſit, & multum ſecum cogitabat, quidnam faceret adoleſcentibus. Benignus autem Deus in eius mentem iniecit, vt ſpeluncæ illius aditum lapidibus obſtrueret, quò ſanctorum martyrum corpora ſepulta illic iacerent, neque ſanctæ reliquiæ amouerentur, ſed vſque ad reſurrectionem ipſam ſeruari poſſent.

Martyrum parentes capiuntur, & coguntur prodere filios.

Imperator iubet obſtrui os ſpeluncæ.

X. Decius ergo Imperator ſententiam contra illos adoleſcentes talem pronunciauit: Quoniam noſtris edictis parére noluerunt deſertores adoleſcentes, & noſtrorum deorum numen contempſerunt, propterea & ipſi benignitate noſtri imperii priuentur, neque amplius in conſpectum hominum appáreant. Quamobtem ſpeluncæ aditus ſaxis magnis obſtruatur, & ſigillorum munimine imprimatur, vt viui obruantur, & in eiuſmodi carcere moriantur. Exiſtimabat enim tam Imperator, quam tota ciuitas, adoleſcentes illos adhuc viuere. Theodorus vero & Barbus, qui fuerant à cubiculo Imperatoris, & miniſtri admodum fideles, cum eſſent & ipſi Chriſtiani, propter perſecutionem ſeſe occultauerant. Tum inter ſe ita dicebant: Scribamus martyrium ſeptem adoleſcentum in plumbeis tabulis, quoniam propter Chriſti fidem mortui ſunt, & martyres facti ſunt. Quæ autem ſcripſerimus, in æreis loculis teponamus, & loculos ipſos ſigillo munitos, inter lapides, qui ſunt in eo loco, ponamus: (fortaſſis enim Dominus ante nouiſſimi aduentus diem Martyres viſitabit) vt ſi quo tempore ſpelunca hæc patefacta & ſanctorum martyrũ corpora in apertum prolata fuerint, ex literarum monumentis illorum facta diſci poſſint. Fecerunt igitur Theodorus & Barbus, quod inter ſe communicauerant.

Decii in illos ſententia.

Theodorus & Barbus martyrium illorum cõſcripſerunt in tabulis plumbeis.

XI. Temporis interuallo mortuus eſt Decius Imperator, & tota ætas illa interiit. Succeſſerunt autem Imperatores ſuo quiſque tempore, quoad Theodoſius Imperator ſceptrum tenere cœpit. Qui cum religioſe & Chriſtianè imperaret, ſurrexerunt quidam hæretici, qui negabant mortuorum reſurrectionem, quam Chriſtus ipſe in ſua ſancta Eccleſia firmiter credi voluit. Milites enim quidam idolorum cultores, cum in palatio Imperatoris verſarentur, apertam perſecutionem aduerſus aliquos apud Imperatorem commouerunt. Quinetiam Epiſcopi quidam rectas Dei ſemitas peruertere cupientes, in eccleſiis multarum præuaricationum erant authores. Quorum princeps & malorum omnium caput habebatur Theodorus Aeginenſium Epiſcopus, ſimul cum iis, quos ſecum habebat: qui ne nominari quidem debent, cum Dei Eccleſiam perſecuti fuerint. At Imperator Theodoſius in dies magis perturbabatur ac dolebat, cum ſanctarum eccleſiarum fidem fluctuantem videret. Itaque à Deo ipſo eius mali curationem poſcebat. Erant enim, qui dicerent mortuis hominibus conſolationem nullam futuram. Alii affirmabant corpus vetuſtate conſumptum, ipſum quidem conſolationem nullam habiturum, ſed ſolam animam immortalis vitæ participem futuram. Eiuſmodi homines vanis opinionibus decepti ſic errabant, neque animaduertebant infantem puerum nunquam in ventre matris fuiſſe ſine carne, neque carnem è vulua exiiſſe ſine anima vitali. Item claudentes mentis oculos, ſacras literas non conſiderabant, in quibus ſcriptũ eſt: Audient qui ſunt in monumentis, vocem filii hominis, & viuent, & alio loco: Et multi de iis, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium: cum illud etiam in eis ſcriptum inueniatur: Ecce ego aperiam ſepulcra veſtra, & educam vos de ſepulcris veſtris, populе meus. Hæc ſunt diuinarum literarum teſtimonia. Sed hæretici homines à recta vitæ ſemita deuiantes aberrabant, & fidei ſynceritatem obliquis ſuarum animarum cogitationibus peruertebant.

Hæretici reſurrectionem negãtes exſiſtunt ſub Theodoſio

Vide Barõ. in notis ad Martyr. hoc die.

Theodorus pſeudo-epiſcopus

Errores ſub Theodoſio.

Iohan 5. Dan. 12. Ezech. 37.

XII. Imperator igitur Theodoſius eam rem moleſte ferebat, ob idque mœrore afficiebatur. Verum cum clemẽtiſſimus Deus neminem velit à fidei via errantem perire, fecit, vt reſurrectionis myſterium omnibus pateſieret. Immiſit enim in mentem cuiuſdam hominis, qui dicebatur Adolius, eius montis & ſpeluncæ dominus, vbi ſancti martyres dormierant, vt ouile quoddam ſuis pecudibus conſtrueret. Eius igitur ſerui vna cum his, qui operi faciendo vacabant, lapides pro ædificio ex eius ſpeluncæ oſtio reuoluebant. Tunc Domini noſtri Ieſu Chriſti iuſſu ſanctis illis viris, qui in ſpelunca dormierant, vita reſtituta eſt, & vox illa, quæ Lazarum è monumento excitauit, eadẽ & ſanctis martyribus vitæ ſpiritum reſtituit. Surrexerunt igitur, & Deum laudantés conſederunt, & quemadmodum quotidie conſueuerant, ſe viciſſim ſalutabant, quoniam nullum in eis ſignum exiſtebat, ex quo mortuos ſe fuiſſe iudicare poſſent: nam & veſtes tales erant, quales & antea, quam obiiſſent: corpora etiam ipſa florebant, hilaritatem præ ſe ferentia: denique tales erant, vt ſi pridie veſperi ſomnum cœpiſſent, & poſtridie mane experrecti fuiſſent. Adhuc & de idolorum ſuperſtitione ſoliciti, à Decio Imperatore ſe inquiri exiſtimabant: ob idq; multa cura affecti, vertebant oculos ad Iamblicum procuratorem, & ab eo denuo quærebant, quænam pridie veſperi audiuiſſet de ipſis in ciuitate. Quibus Iamblicus reſpondit: Quemadmodum vobis dixi heri veſperi, & nos vna cum reliquis ciuibus quæſiti fuimus, vt diis immolaremus coram Imperatore: qui niſi eius iuſſui obtemperauerimus, tormenta ſe nobis allaturum conſtituit. Quid autem facturus ſit, neſcio.

Adolius aperit ſpeluncam.

Iohan 11.

Reuiuiſcũt dormiẽtes.

Credebant ſe vna tantum nocte dormiſſe.

XIII. Tunc reſpondit * Maximilianus: Agite, fratres, parati ſimus prodire in conſpectum Imperatoris illius terribilis & veri Dei Ieſu Chriſti, neque timeamus mortalem iſtum Imperatorem. Tu vero, Iamblice, da operam: vt paretur nobis cibus ad horam conſtitutam. Accipe argentum, ingredere in vrbem, eme panes multos: pauci enim fuerũt, quos heri veſperi attuliſti, ob idque eſurimus. Eadem opera diſcas, quid Decius Imperator de nobis decernat. Cogitabant enim ſe nocte ſuperiore cubuiſſe, & poſtridie mane experrectos fuiſſe. Tunc igitur bene mane ſurrexit Iamblicus, & argentum ſumpſit ex loculis, quemadmodum conſueuerat. Erat autem moneta illa vetere nota impreſſa, quæ partim quadraginta, partim ſexaginta nummorum precio pendebatur veterum Imperatorum temporibus, cum ſancti viri, de quibus verba facimus, prius viuebant. Præterierant autem trecenti & ſeptuagintaduo anni, ex quo dormierant vſque ad eum diem, quo reſurrexerunt.

* Vide Bar. vbi ſupra.

Emittitur Iamblicus ad emendos panes.

Diuturnus ſomnus.

XIV. Cum igitur illuxiſſet, exiit Iamblicus ex ſpelunca, & vidit lapides ante ſpeluncam poſitos, atque obſtupuit: nihil enim de lapidibus illis cognouerat. Deſcendens autem de monte, timebat deambulare. Itaque in via totus trepidabat, metuens in vrbem ingredi, ne quo modo agnoſceretur, & ad Imperatorem Decium vinctus duceretur: quippe ignorabat eius tyranni oſſa in ſepulcro putrefacta eſſe. Cum vero in vrbem ingrederetur, & venerandæ Crucis ſignum ante vrbis portas erectum vidiſſet, ſic obſtupuit, vt à mente ferè exciderit: atque in quancunque partem oculos vertiſſet, rerum nouitate perculſus, magis obſtupeſcebat. Acceſſit ad aliam vrbis portam, & illic etiam Crucem ipſam ſupra muros erectam vidit. Cumque omnes portas obiiſſet, venerandæ Crucis figuram locatam adſpiciens, præ ſtupore mutus factus eſt. Itaque cum ad primam illam portam ſe contuliſſet, ita ſecum loquebatur Quid-

Viſe antiquiſſimum S. Crucis viſum.

Putat ſe alicuius ſpectri illuſione decepiſi, Iamblicus.

nam hoc eſt: Heri veſperi huius Crucis ſignum in latibulis ſeruabatur, & nunc aperte in ipſius vrbis foribus erectū
videmus. Veréne hoc video, an ſpectri alicuius illuſione decipior? Cum hæc diceret, & Crucis figuram vbique fi-
xam videret, animo magis confirmato, in vrbem aperto capite ingreſſus eſt. Cumque longius progrederetur, audi-
uit multos per Ieſu Chriſti nomen iurare. Quare magis perculſus: Quid hæc ſint, inquit, ignoro. Heri veſperi nemo
liberè Chriſtum nominabat, & nunc tam multis linguis Chriſti nomen celebratur. Ruſus ſecum ambigens, dice-
bat: Fortaſſe vrbem Epheſum non video; quoniam eius ædificia omnino mutata ſunt, & ipſius lingua, alia quædam
eſt Chriſtū edocta: quod in nullá alia vrbe heri vidi, niſi in hac ſola. Progreſſus igitur, quæſiuit à quodam ciue, quo
nomine vrbs illa vocaretur. Epheſus, inquit ille, hæc vocatur. Non credidit Iamblicus, ſed ſecum cogitans: Dece-
ptus, inquit, certe ſum, locorū oblitus, totaq; mente aberrans. Exeundū igitur mihi eſt ex hac vrbe, ne magis errem.

Cvm ergo ſolicitudine magna teneretur, & illinc exire vellet, prius voluit panes emere, & argentum ſumpſit, XV.
vt precium daret. Qui vero panem vendiderant, cum monetam illam magnam & diuerſam vidiſſent, mirati ſunt,
& viciſſim eam ſibi oſtendebant. Per manus igitur tradita, moneta illa per omnes, qui panem vendebant, tranſiit.
Qui viciſſim in aurem inſuſurrantes, & Iamblicum intuentes, dicebant: Vere homo iſte theſaurum inuenit, vetere
illum quidem, & multis ab hinc annis reconditum. Iamblicus cum illos ſuſurrantes videret, cœpit timere: exiſti-
mabat enim ſe ab illis agnoſci, & Decii imperio tradendum eſſe. Cum vero multi acceſſiſſent, & eius formam ne-
quaquam cognoſcere poſſent, in medio foro illum detinebant. Itaque turbæ multæ confluxerunt, & ſermo hic per
totam ciuitatem vulgatus eſt, adoleſcentem quendā cōprehenſum fuiſſe, qui theſaurū inuenerat. Turbæ autem ad
eum congregatæ, dicebant: Homo iſte peregrinus eſt, neq; vnquam illum vidimus. Hæc dicebant, & intentis ocu-
lis magis magiſq; ipſum intuebantur. Volebat Iamblicus cauſam ſuam agere, quod falſum eſſet, quod de theſauro
inuento dicerent: ſed ſtupore detentus, id facere non poterat. Cumq; omnes turbas circumſpiceret, neminem ag-
noſcebat, & nemini notus erat, licet claro & illuſtri genere apud vrbem Epheſum natus eſſet. Quapropter admira-
tione maxima detinebatur, quod pridie veſperi omnib. notus fuiſſet, & poſtridie mane neminē agnoſceret omnino
& ipſe ignotus. Dabat operā, vt inter turbā illā, patrem vel aliquem ex fratrib. inueniret, neq; quenquam videbat.

Monetæ veteris figura ciuibus Epheſinis teſtimonium dedit veræ reſurrectionis.

Tvnc ea res per totam vrbem vulgata, vſque ad Epiſcopi aures peruenit. Diuina quoque prouidentia factum XVI.
eſt, vt eius vrbis Proconſul illa ipſa hora veniret ad Epiſcopum. Qui dum diceret de theſauro, quem ab adoleſcen-
te illo inuentum cogitabat, ea res fecit, vt mortuorum reſurrectio pateret omnibus. Iuſſerunt enim tam Proconſul,
quam Epiſcopus, adoleſcentem illum benigne tractatum cuſtodiri, & ad ſe duci cum argento, quod ſecum habe-
bat. Cum igitur Iamblicus ad eccleſiam traheretur, putabat ad Decium Imperatorem ſe trahi. Itaque huc & illuc
circunſpiciebat, vt aliquem ſuorum videret, vel conſanguineorum, vel eorum, quibus notus fuerat. Adoleſcentem
ita circunſpicientem turba, vt inſanum aliquem, irridebat: itaque violentius ad eccleſiam impellebatur. Iam ve-
ro Proconſul & Stephanus Epiſcopus monetam illam in manus ſumptam inſpicientes, admirabantur. Tunc Pro-
conſul Iamblicum interrogans: Vbinam, inquit, eſt theſaurus, quem inueniſti? Moneta enim hæc è theſauro ſub-
repta eſt. Minime, inquit Iamblicus, theſaurum inueni, quemadmodum me vos inſimulatis. Illud vnum certo ſcio,
ex paternis meis pecuniis argentum hoc eſſe, cuius monetæ nota impreſſum, quæ huic vrbi conſueta eſt. Sed certe
miror, neque cogitare poſſum, vndenam tentatio hæc mihi acciderit. Ad hæc Præſes: Vndenam, inquit, es tu? Illi
autem reſpondit Iamblicus: Ex hac vrbe, vt opinor, ego ſum. Quo patre natus? inquit Præſes. Eſt ne aliquis, qui te
agnoſcat? Veniat, & teſtimonium dicat pro te, & credemus tibi. Protulit Iamblicus patris & fratrum ſuorum no-
mina: neque quiſquam nouerat, quos diceret. Tum Præſes: Vera, inquit, non ſunt, quæ dicis. Hæc audiens Iam-
blicus, perplexo erat animo, nec habens quid reſponderet, ſilebat. Quem cum ita perplexum ac triſtē vidiſſet: For-
taſſe, inquit, inſanus eſt. Alii dicebant: Nequaquam inſanus eſt, ſed inſaniam ſimulat, vt pericula effugiat. Acer-
bioribus verbis Præſes eum increpans: Qua ratione, inquit, te ferre poſſumus, aut tibi credere, argentum hoc ex pa-
ternis pecuniis ad te perueniſſe, cum moneta hæc ex inſcriptione & nota ſignificet, quod trecentis & octaginta an-
nis ante nos fuerit, ac priuſquam Decius imperaret, neque vlla ex parte ſimilis ſit illi, quæ nunc in vrbe impenditur?
Num parentes ita veteres, & ante trecentos annos genitos habere potes tu, qui adoleſcens es? An putas te ſic aſtu-
tum eſſe, vt ſenes & Epheſinæ vrbis ſapientes decipias? His de cauſis iubeo te in vincula coniici, & flagellis verbera-
ri, donec confitearis, vbinam ſit theſaurus iſte.

Iamblicus trahitur ad Epiſcopum & Proconſulem.

Dure accipitur a Proconſule.

Hæc audiens Iamblicus, & timens, faciem in terram proſtrauit, & his verbis illos affatus eſt: Precor vos, vt XVII.
mihi non grauemini dicere, quod quæſiero: omnia enim libere vobis confeſſus fuero. Decius Imperator, qui e-
rat in hac vrbe, viuit ne, an non? Ad hæc Stephanus Epiſcopus: Non eſt, inquit, fili, qui hodie in hac regione De-
cius Imperator nominetur. Tunc Iamblicus: Venite, quæſo, mecum, & oſtendam vobis in ſpelunca montis Och-
lon ſocios meos, vt ab illis diſcatis verum eſſe, quod dico. Certe ſcio ab Imperatore Decio nos illuc fugiſſe: quem
Decium & ego heri veſperi in vrbem Epheſum ingredientem vidi. Sit autem nec ne vrbs iſta Epheſus, neſcio. Tunc
Epiſcopus Stephanus in eam cogitationem veniens, quod Deus per iuuenem illum aliquid eis reuelare vellet: Ea-
mus, inquit, & videamus. Statimque Epiſcopus & Proconſul cum optimatibus & turbis multis aſcenderunt in
montem ad ſpeluncam, quam Iamblicus antecedens demonſtrauit. Dum autem Epiſcopus, & qui cum eo e-
rant, ingrederentur in ſpeluncam, in eius oſtio arculam quandam æream inuenit Epiſcopus, inter duos lapides poſi-
tam, & duobus argenteis ſigillis impreſſam: quam coram Præſide & optimatibus aperiens, duas plumbeas tabulas
in ea inuenit, in quibus ſcriptum erat, à Decio Tyranno fugiſſe Maximilianum Eparchi filium, Iamblicum, & re-
liquos adoleſcentes, & ipſius Decii Tyranni iuſſu ſpeluncæ illius aditum obſtructum fuiſſe. Erat & eorum martyriū
in earundem tabellarum latitudine conſcriptum. Quo lecto admiratione affecti ſunt, & Deum ipſum, qui tanto
miraculo adoleſcentes illos proſecutus fuerat, ſummis vocibus collaudârunt.

Arcula ærea continens martyrium 7. dormientium.

Ingressi vero in ſpeluncam, ſanctos illos ſedentes inuenerunt: quorum facies inſtar luminis effulgebat. Ad XIIX.
eorum igitur pedes ſe abiicientes, eos venerati ſunt, & Deo gratias egerunt, qui tanti miraculi ſpectaculum ipſis
conceſſerat. Cæterum ſancti martyres de omnibus, quæ ſub Decio facta fuerant, eos docuerunt. Statim vero Epi-
ſcopus & Proconſul miſerunt literas ad Imperatorem in hanc ſententiam: Celerrime iubeat maieſtas tua huc ali-
quos venire, & videre miracula, quæ Deus oſtendit Imperii tui tempore: quandoquidem futuræ in extremis tem-
poribus reſurrectionis ſignum noſtra ætate mundo ipſi præmonſtratum eſt, in ſanctorum virorum corporibus, quę
nunc reſurrexerunt. Ea re gauiſus eſt Imperator, & Dei gloriam laudabat. Quinetiam ad eum locum ex vrbe Con-
ſtantinopoli cum multis hominibus profectus eſt: eique tota ciuitas Epheſina obuiàm proceſſit. Illico autem ab
Epiſcopo, Proconſule & optimatibus deductus, in ſpeluncam ingreſſus eſt: cumque adoleſcentes ſalutâſſet & am-
plexus eſſet, flere cœpit: & Dei gloriam celebrans, toto animo exultauit. Cui Maximilianus vir ſanctiſſimus: Ex
hoc, inquit, tempore Imperium tuum propter fidei tuæ ſtabilitatem firmum erit, & Ieſus Chriſtus filius Dei viui cu-
ſtodiet ipſum in nomine ſuo ab omni tentatione. Mihi credas, tui cauſa fuiſſe nos à Deo ipſo exuſcitatos.

Theodoſius venit Epheſum ad 7. dormientes.

Imperator, & Epiſcopus, & tota turba hunc ſermonem audientes, mirum in modum lætabantur. Sancti vero XIX.
martyres cum ſua capita in terram declinâſſent, & Deum precarentur, dormierunt, & ita diuino nutu ſuos ſpiritus

Domino

Dn̄o tradiderunt. Imperator igitur iuſſit ſeptem aureas arcas componi, quibus ſeptem illorū iuuenum corpora cō-derentur. Nocte vero illa iuuenes in ſomnis apparuerunt Imperatori, eique dixerunt, vt in ſpelunca, in qua fuerant ſupra terram, eos requieſcere ſineret. Quamobrem Imperator vſque ad hodiernum diem illic eos eſſe voluit. Deinde magnus Epiſcoporum cœtus illic conuenit, & diem feſtum celebrauit, viroſque beatiſſimos, vt ipſorum dignitas poſtulabat, debitis honoribus omnes proſecuti ſunt. Ad hæc Imperator illius regionis pauperibus multa dedit, & qui erant in carcere, eos dimitti iuſſit. Quo facto, Theodoſius lætus rediit in vrbem Conſtantinopolim multo comitatu. Omnes autem exultantes, Chriſtum Deum noſtrum collaudabant, ſanctos ſuos mire glorioſos efficientem: Cui conuenit gloria, honor & adoratio nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Rurſus obdormiūt in Domino.

Attendant hūc locum noui Sadducæi.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI ET INSIGNIS MARTYRIS PANTELEEMONIS, EX PIMEONE METAPHRASTE. LATINA MARtyrologia Pantaleonem vocant. Simul etiam habetur hic martyrium Hermolai, Hermippi & Hermocratis martyrum.

Ãn. 290.

I. CVM idolorum caligo diffuſa eſſet per totum orbem terræ, quando Maximianus tenebat ſceptra Romani Imperii, tunc cognitus fuit Nicomediæ admirabilis & magnus inter martyres Panteleemon. Ex ea enim ſui generis ducebat originem: & vocabatur quidem Pantaleon: erat autem filius Euſtorgii, opibus quidem inſignis, impietate autem clarioris. Erat enim deditus ſuperſtitioni gentilium, & ardenti zelo in eam erat incenſus. Erat vero illi mater fidelis, quæ, quod ad religionem attinet, cum marito pugnabat ex diametro: & bene affecta erat Eubula (id enim erat ei nomē) in res Chriſtianorū. Cum à tali ergo matre & magiſtra bonus educaretur filius, corporali ſimul & ſpiritali eius priuatur nutrimento, lege mortis & communis naturæ, imperfectam & immaturam agens ætatem, cum parum, proh dolor, eſſet vſus materna illa curatione.

Ivlii 27.

Patria & parentes S. Panteleonis.

Immaturus obitus matris eius.

II. POSTQVAM autem vidit pater eum per ætatem eſſe aptum diſciplinis, tradit Grammatico: deinde præceptoribus & inſtitutoribus. Poſtquam vero fuit in Græcis ſatis doctus diſciplinis, docetur medicinam, in ea arte illo tē-pore viro excellentiſſimo, nomine Euphroſyno, traditus in diſciplinam. Ille autem celeritate ingenii, tanquam auis quædam ſecans aerem, magna facilitate omnia peruaſit; parum indigens eorum, qui eum adiuuarent, laboribus, propter vires ingenii. Sicque breui æquales omnes à tergo reliquit. Erat autem & moribus modeſtus, & ſermone iucundus, & pulchritudine inſignis. Quæ quidem faciebant, vt cum magna voluptate eſſet in ore omnium, & haberetur ab omnibus in admiratione: adeo vt ipſe Maximianus, cum illum aliquando vidiſſet (ventitabat enim in Regiam, ſequens magiſtrum) non ſilentio prætetierit: ſed eum accerſens, de ipſo inquiſierit, cuiuſnam eſſet filius, & vnde, & alia rogauerit: quinetiam præceptori mandauerit, vt eum, quam citiſſime fieri poſſet, in omni exerceret medicina: eius enim moribus & flore virtutis delectabatur, & ſtatuit illum habere in regia.

Adhibetur literis, inde medicinæ.

Maximianus Imperator vult eum habere in ſua regia.

III. ILLO autem tempore quidam ſenex religione Chriſtianus, nomine Hermolaus, erat abſconſus in quadam domuncula cum aliis Chriſtianis. (Id enim faciebat metus Imperatoris.) Qui cum videret Pantaleonem euntem ad præceptorem, & externa teſta animaduerteret celari margaritam, conſiderans quiſnam eſſet eius inceſſus, quis motus, quis adſpectus, quanta eſſet eius oculorum ſerenitas & tranquillitas: Hæc, inquam, cum ille videret, &, ſicut generoſum quendam equum ii, qui tenent harum rerum ſcientiam, etiamſi ſit adhuc pullus, iudicant fore optimū: aut ex tenera adhuc planta arborem aptam ad fructum: cognouiſſet per ſpiritum fore, vt Pauli ſententia cerneretur vas electionis, magni ducebat & plurimi hoc faciebat, ſi talem illam venatus eſſet animam. Cum eum itaque prætereuntem aliquando accerſiiſſet, rogauit, vt ingrederetur in illam, in qua latebat, domunculam. Ille autem ingreſſus eſt. Quem cum prope feciſſet ſedere, rogauit de genere, & parentibus, & cuiuſnam eſſet religionis, & deinceps ſingula. Pantaleon vero ſtatim omnia refert, vt rei habebat veritas: & quod mater quidem iam eſſet mortua, quæ erat religione Chriſtiana: pater autem viuens ſit mortuus, Gentilium ſequens ſuperſtitionem. Deindè cum adieciſſet ſenex: Tu autem, bone fili, cuiuſnam vis eſſe partis, & vtrius religionis? Pantoleon vero: Máter quidem, inquit, cum eſſet adhuc ſuperſtes, ſuaſit, vt aſſentirer eius religioni, quod quidem mihi placebat: Pater autem, vt qui ſit fortior, cogit me religioni ſuæ dare operam: vult enim me referre in numerum Palatinorum. Quænam vero eſt ea, cui ſtudes, diſciplina? ait ſenex. Aeſculapii, inquit, & Hippocratis, & Galeni. Nam hoc quoque viſum eſt patri meo. Quinetiam ipſe nobis affirmauit magiſter, quod ſi eam accurate didicero, potero curare omnem morbum humanum, & eam, vt fortiorem, obiicere cuiuis affectioni. Hermolaus autem ex illius verbis occaſione accepta & ſemine, tanquam pulcherrimum nactus receptaculum, cœpit diuinum fidei fluentum in id effundere: Crede mihi, dicens, ô optime adoleſcens, vera dicenti. Hæc Aeſculapii, Hippocratis & Galeni parua ſunt, & parum poſſunt prodeſſe iis, qui eis vtuntur. Quinetiam dii ipſi, quos colit Maximianus, ſunt vana omnino fabula, & leuiorum mentium deceptio. Vnus autem ſolus verus Deus eſt Chriſtus: in quem ſi credideris, eius ſola inuocatione omnes morbos ſolues & fugabis: qui cæcis quidem lucem, mortuis autem vitam, leproſis dedit purgationem: qui eos, qui à Maximiano adorantur, dæmones ſolo verbo & iuſſu expulit ab hominibus: cuius etiam veſtimenti fimbria, cum eam ſolum tetigiſſet mulier, ſtatim ſtitit canales ſanguinis, qui duodecim annos integros fluxerat. Et quid opus eſt, res illius dicere? perinde enim eſt, ac arenam, ſtellas, & aquæ guttas dimetiri, eius miracula enumerare & magnalia. Et nunc quoque adeſt ſuis adiutor inexpugnabilis, conſolans in moleſtiis, dilatans in afflictione: in rebus, inquam, aduerſis, & iis, quæ præter noſtram voluntatem accidunt, preces minime expectans, ſed præueniens ipſum quoque motum cordis. Qui etiam iis, qui ipſum diligunt, maiora quam ipſe fecit, præbens facienda miracula, donat deinde vitam, quæ nullum habet finem.

1 Tim. 1.

Venit ad Hermolaum ſenem Chriſtianū.

Hermolaus ei Chriſtum prædicat.

Matt 9.

IV. HÆC verba cum Pantoleon, tanquam bona terra, corde accepiſſet & abſcondiſſet, credebat, & vera eſſe iudicabat, & ab eis omnino pendebat, & ſuauiter in eis meditabatur, & dicebat Hermolao, ſe ea ſæpe audiuiſſe à matre, & vidiſſe eam orantem, & Deum, quem ipſe prædicat, inuocantem. Volebat autem hæc quoque ſuo magiſtro ſignificare. Quotidie ergo ibat Pantoleon ad ſenem, & ſe pulchris his fluentis oblectabat, & ad veram fidem paulatim confirmabatur: & ad magiſtrum quotidie ventitans, non prius domum redibat, quam ſuas aures oblectâſſet verbis ſenis. Aliquando itaque reuertens à præceptore, cum parum à via propter vſum aliquem declinâſſet, videt infantem mortuum, quem momorderat vipera, & ipſam belluam prope eum ſtantem, & veluti oſtendentē, quiſnam cædem feciſſet. Eum ergo, cum id vidiſſet, inuaſit timor, & ſeceſſit paululum. Deinde cum rurſus ſeipſum collegiſſet, eſt reuerſus, & ſtetit iuxta puerum. Iudicabat enim hoc eſſe ſufficiens ſignum eorum, quæ ſenex dixerat, ſi vera eſſent. Surget enim, inquit, puer eius verbo, & id patietur bellua, quod ipſi fecit. Hoc ei in mentem venit, & precibus petiuit, & ſimul viſus eſt infans viuus, & bellua mortua, & quæ apud eam erat, ea, quæ intelligentia apprehenditur, bellua multo magis perdita & enecta.

Credit in Chriſtum.

Mortuum puerum excitat.

Cvm ad perfectionem ergo fidei in Chriſtum ſic perueniſſet Pantoleon, ſtatim adſpexit in cælum exter- V.
nis oculis, & Deo, qui eum vocauerat à tenebris interitus ad lucem veritatis, benedixit cum multa animi tranquil-
litate. Deinde cum ferre non poſſet lætitiam, ad ſenem accedit Hermolaum, & exponit id, quod acciderat, & vene-
randum ab eo petit baptiſmum. Ille autem (ſciebat enim quidnam cuinam largitur) in hoc libenter inſeruit, &
eum, qui erat luce dignus, diuino perficit baptiſmate. Cum vero ſeptem dies manſiſſet apud ſenem, poculentis i-
pſius verbis cor eius irrigatur, & pingueſcit anima, venterque diuinis impletur fluminibus. Sicque vixit ſub bono
ſpiritu, multis conſeruatus vtilitas & illuminatio. Cum fuiſſet autem dies octauus, venit ad patrem. Ille vero: Vbi
eras, inquit, fili prioribus diebus, & me conieciſti in magnam animi ægritudinem? Numquid tibi accidit aliquid
præter expectationem? Is vero: Ad quendam, inquit, ex iis, qui verſantur in aula regia, graui morbo laborantem,
profecti eramus ego & magiſter, & quoniam is erat gratus Imperatori, & dignus cuius magna cura gereretur, nõ e-
rat omninò facile nobis illinc recedere, ſed perpetuos ſeptem dies illic fuimus præſentes, donec ille ſanitatem pu-
ram eſt conſecutus. Hæc dixit, non dicens mendacium, ſed myſtice verba diſpenſans in iudicio œconomiæ, non
autem mali alicuius conſilii cauſa.

Baptizatur ab Hermolao.

Myſtice verba diſpenſat.

Itidem cum ſequenti quoque die veniſſet ad magiſtrum Euphroſynum, (quoniam ille quoque eadem inter- VI.
rogauit) ad eum ſimili vſus eſt excuſatione: Pater, dicens, emit agrum, & me eum iuſſit accipere, à quo non eſt mi-
hi ocium diſcedendi, donec eius omnia attente inſpexero, & iis, quibus oportet, curam illius tradidero. Eſt enim
magni precii, & qui cum nulla alia poteſt conferri poſſeſſione. Hoc vero dicebat, tacite innuens gratiam diuini ba-
ptiſmatis. Porro autem magnum adhibebat ſtudium & diligentiam, vt patrem ab errore abduceret, & efficeret, vt
pietati aſſentiretur, eum, qui ipſum genuerat ſecundum carnẽ, ipſe per ſpiritũ ſtudens regenerare. Quocirca nunq̃
ceſſauit ipſum ſapienter aggredi, & proponere interrogationes, quæ non facile ſolui poſſent, & ſic eius in falſos de-
os ſuperſtitionem conari diſſoluere. Quanam enim de cauſa, dicebat, ô pater, qui ab initio quidem ſtabant, nunc
adhuc ſtant, ſedendi nunquam memores? Quicunque autem rurſus ſedent, ſic manent perpetuo, & nunquam viſi
ſurgere? Hæc & alia ſimilia pater audiens, hæſitabat in eorum ſolutione, & iam in ſua de diis opinione labaſcebat,
& erat ancipitis ſententiæ. Quod quidem videns Pantoleon, Chriſti nomen magnis laudibus efferebat, & magnas
ei agebat gratias, quod patrem ſuum ſaltem reddidiſſet dubitantem, & (quod diuinus ait Oſeas) cor diuidentem.
Quocirca nec eum videbat, vt ſolebat, frequentia & optima offerentem ſacrificia.

Multam nauat operam patri conuertendo.

Oſe 10.

Cvm itaque primo voluiſſet conterere & deſtruere patris ſimulacra, quæ in eius cubiculo erant multa, ſe cõ- VII.
tinuit. Is enim honorare patrem magni faciebat. Dicebat enim: Ego eum potius inducam perſuaſione, lenitateque
& manſuetudine efficiã, vt Chriſto credat: & ſic ambobus ea licebit deiicere. Et ideo is, qui patrem præcepit honõ-
rare, illius magnã amplectens pietatem, aptã præbuit occaſionẽ: quæ fecit, vt eius pater plane & placide crederet: &
procurauit, vt ille magnã ſibi pararet mercedẽ. Hæc eum cogitaret Pantoleon, accedũt quidã, cæcum, qui manu de-
ducitur, adducentes: Cum fores autem pulſaſſent, rogabant, an adeſſet Pantoleon medicus. Cum vero adeſſe intel-
lexiſſent, expectabant. Ille autem cum audiuiſſet, cum maximo ſtudio egreditur, patrem quoque ſimul aſſumens. Cũ
autem vidiſſet cæcum, rogauit quonam opus haberet. Ille vero: Luce, inquit, qua ſum priuatus, & qua nihil eſt
hominibus iucundius. Miſericordia ergo motus meæ calamitatis, da, ne ſic viuam imperfectè, & veluti ex dimidio:
ſed videam ſolem, videam cælum. Nam nos quidem ſic viuentes, nihil differimus ab iis, qui ſunt apud inferos. Et
cum facultates omnes medicis præbuerimus, modicum quoque lumen, quod erat nobis reliquum, amiſimus: hoc
ſolum à præclaris illis medicis aſſecuti, quod cum facultatibus luce quoque ſimus priuati. Pantoleon autem: Cum
aliis, inquit, medicis tuas dederis facultates, & nullam acceperis vtilitatem, ſi rurſus adſpexeris, quid mihi dabis?
Ille vero: Quæ ſunt, inquit, reliqua ex meis facultatibus, exoluam prompto & alacri animo. Deinde Pantoleon: Do-
num quidem, inquit, lucis per nos tibi dabit pater luminum: Tu autem, quæ mihi es pollicitus, vade, & da pauperi-
bus.

Exod. 20.

Offertur ei cæcus curandus.

Hæc cum audiiſſet pater, eum à cœpto abducebat: Noli, dicens, ô chariſſime, ne tu etiam irridearis. Quid e- VIII.
nim plus poteris, quam priores medici? Pantoleon autem: Nemo, inquit, ex aliis medicis ſcit hunc hominem tra-
ctare, vt ego ſum tractaturus. Multũ enim intereſt inter eos, & eum qui nos docuit. Cum putaſſet autem pater eum
hæc dixiſſe de Euphroſyno: Illum quoque, inquit, fili, audio in hoc curando ſuam adhibuiſſe diligentiam, & nihil
profeciſſe. Pantoleon vero: Expecta, inquit, pater, & ipſa res indicabit. Hæc eum dixiſſet, & cæci oculos tetigiſſet, &
magnum Chriſti nomen vocaſſet, & ab ipſo precibus petiiſſet illius curationem, ſtatim illi quidem oculorum, patri
autem ſoluit tenebras impietatis, & effecit, vt apertè confiteretur pietatem: vel potius cæco duplicem dedit me-
delam. Carnis enim & animæ cæcutiebat oculis, vt qui eſſet adorator idolorum, & per lucem iam corpoream aper-
tos cordis habuiſſet oculos. Ambos ergo, cum credidiſſent, diuino dignatur baptiſmate, & refert in numerum fide-
lium. Sed non eouſque ſiſti poterat Euſtorgii ſtudium pietatis, vt qui eſſet pater magni Pantoleonis: ſed apertiſſime
oſtendens ſe errorem habere odio, cum contriuiſſet idola, quæ erant in cubiculo, ea iacit in foſſam, vt quæ eſſent
obliuione & profundo verè digna.

Cæco reſtituit viſum & pater eius credit.

Pater eius ſua conterit idola.

Havd ita magnum intercedit ſpatium, & moritur pater Pantoleonis. Moritur autem morte corporis: nam à IX.
morte animæ iam erat omnino liberatus per fidem & diuinum baptiſmum. Quocirca Pantoleon cum inueniſſet
tempus opem ferre voluntati, famulos quidem liberat à ſeruitute, & eis ſatis dedit pecuniæ: alia autem habuerunt
manus pauperum. Deinde eos etiam, qui erant in carceribus, & qui tormentis vexabantur & morbis, circumiens cu-
rabat, & ea præbens, quæ erant neceſſaria: vt non ſolum morbi videretur medicus, ſed etiam egeſtatis. Qua ex re
quidnam accidit? Vniuerſa ferè ciuitas, cum alios iuſſiſſet valere medicos, accedunt ad Pantoleonem, & ab eo libe-
rantur ab iis, quos vnuſquiſque habebat, morbis: vt qui ſibi quoque opem ferentem haberet boni ſpiritus gratiam.
Hoc eum apud medicos in magnam vocat inuidiam: & eum aliquando prætermet, qui prius fuerat cæcus, cuius vi-
dendi facultatis reſtitutio erat opus pietatis Pantoleonis, ægre ferebant, & inter ſe dicebant: Non eſt hic cæcus,
qui noſtram arguit artem, vt quæ nihil ei profuerit? Quis eſt ergo is, qui eum curauit, & qui poteſt talem præbere
medicinam? Cumque eum aduocâſſent, rogabant. Ille autem non celauit eum, qui fuerat medicatus.

Facultates ſuas elargitur pauperibus.

Multorum curat morbos.

Postqvam vero intellexerunt eum fuiſſe Pantoleonem, Euphroſyni diſcipulum: Magni aiunt, magiſtri X.
magnus eſt reuera diſcipulus. Sic ignorantes de Chriſto prophetabant. Atque quærebatur quidem à medicis occa-
ſio propter inuidiam, vt de eo detraherent apud Imperatorem. Cum autem inueniſſent ex confeſſoribus quendam
ab ipſo curari, accedentes ad Maximianum, dixerunt: O Imperator, quem tu iuſſiſti omni ſtudio diſcere medicinam,
vt eſſet tuæ potentiæ vtilis, is, vt videtur, & metũ & beneuolentiam tuam parum curans, obit eos medicans, qui ſunt
in deos contumelioſi, & eadem, quæ illi, non ſolum ſentiens, ſed alios quoque ad eadem colenda attrahens, cui niſi
cito vitam ademeris, tibi non paruam afferet moleſtiam, vt qui multos quidem videas ab illo abduci à deorum ſa-
crificio, Chriſto autem adſcribi Aeſculapii curationes. Cum hoc dixiſſent, ad fidem faciendam eorum, quæ dicta
fuerant, rogabant, vt accederet is, qui aliquando fuerat cæcus: eum autem curârat Pantoleon. Poſtq̃ vero auditi
ſunt, & is adſtitit: Quomodo, dixerunt, Pantoleon tuos curauit oculos? Ille autem: Chriſto, inquit, inuocato:

Medici ex inuidia deferunt eum apud Imp.

idque cum nec breue quidem tempus mecum eſſet moratus, vt aliqua cogitatio artis nobis poſſet in mentem venire: ſed inuocationem propemodum præceſſit viſio oculorum. Tibi autem quid videtur? inquit Imperator: Chriſtum eſſe dicis, qui te curauit, an deos? Qui vero curatus fuerat: Imperator, inquit, huius rei iudicium eſt rebus ipſis permittendum. Hi quidem, quos vides, medici cum pro me multum laboraſſent, ſibi quidem profuerunt, vt qui meas attonderint facultates: mihi autem nihil, immò verò etiam obfuerunt, vt qui modicam lucem, quam habebam, corruperint. Quemnam ergo oportet exiſtimare adiutorem? Aeſculapium ne, qui à multis fuit vocatus, & nihil profuit: an Chriſtum, qui à ſolo Pantoleone inuocatus, charam mihi lucem ſtatim donauit? Hoc, ô Imperator, quonam modo aliter dixerim? Nam hoc ipſum eſt, vel cæco, vt dicitur, euidens.

Adſcribit curationẽ Chriſto cæcus qui fuerat.

XVII. Ad hæc Maximianus cum non haberet, quod diceret, & quodammodò ſolo iuſſu ei poſſet perſuaderi: Noli, inquit, te ſtultè gerere, & ne Chriſtum quidem omnino nominare: apertè enim dij tibi lucem donarunt. Is autem ad veritatem, non ad poteſtatem, omninò adſpiciens, & liberius loquens, quàm cæcus Euangelij: Tu, inquit, te ſtultè geris, qui eos, qui ſunt cæci, voeas datores lucis, quibus conſimiliter tu quoquè cæcus permanes, qui talia opinaris, & non potes intueri ad lucem veritatis. Propter hæc Tyrannus fuit ita incitatus. Quomodo enim omnino aures, quæ emarcuerunt & corruptæ ſunt aſſentationibus, aſperiorem, quę ex veritate dicitur, ſuſtinuerint orationem? Statimq; vera eſſe iudicans, quæ ei prius dicta fuerant à medicis, iubet amici Chriſti caput amputari, pœnam veritatis ei mortem inferens, & inuitus efficiens, vt pulchras Chriſto referret gratias, qui eum curauerat, nempe confeſſionem. Bonus autem Pantoleon ne ſic quidem neglexit ea facere, quæ tempori & rebus conueniebant. Sed cum martyris corpus emiſſet ab ijs, qui interfuerant, id cum patre ſuo ſepelit, vt qui per ſuam in Chriſtum confeſſionem, eum ſibi proprium eſſe duxiſſet, & cognatione ſanguinis eum reputaſſet longè coniunctiorem.

Iohan 9.

Cæci à Pantoleone curati caput amputatur.

XIIX. Deinde Imperator ad ſe accerſijt Pantoleonem. Ille verò cum abduceretur, labris canebat pſalmum tempori conuenientem: Deus, dicens, laudem meam nè tacueris: quoniam os peccatoris & doloſi in me apertum eſt. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & verbis odij circundederunt me, & oppugnauerunt me gratis. Pro eo vt me diligerent, calumniabantur. ego autem orabam. Et reddiderũt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Sed fer mihi opem, Domine Deus meus, & ſaluum me fac ſecundum tuam miſericordiam. Induantur, qui me calumniantur, confuſione, & amiciantur, tanquam diploide, ignominia ſua: Seruus autem tuus lætabitur in te. Cum finita autem eſſet eius precatio, ſtetit coram Rege, aut, vt melius dicam, non coram illo, ſed coram immortali, & eo, qui eſt in æternum. Coram eo enim verè ſtabat, & mente conuerſabatur. Cui ille primum placidè & benignè: Non bona ſunt, ô Pantoleon, ea quæ de te audiuimus, à te magnum quidem eſſe contemptui habitum Aeſculapium, & alios, qui ſunt apud te, deos: in illum autem Chriſtum, qui malè perijt, te tuam ſpem poſuiſſe, & eum ſolum Deum nominare. Quanquam non ignoras omnino, quam ego te benignis adſpexerim oculis, & quemadmodum, cum ego te in meam adſciuiſſem familiam, præceptori tuo Euphtoſyno diligenter mandauerim, vt te quamprimum faceret in medicina præſtantiſſimum, vt mihi ea in re poſſes eſſe vſui. Tu autem *. Sed omninò homines multa falſa dixerint & inania. Et ideò te accerſij, vt illa, quæ à me ſunt audita, arguantur eſſe vana, & inuidorum alioqui hominum calumnia: & maximis dijs, vt par eſt, offeras ſacrificium.

Pſal 108.

Siſtitur Pãtoleon coram Imp.

XIX. Ad hæc Pantoleon: Facta, inquit, ô Imperator, ſunt verbis magis credibilia & fortiora, & ante omnes quidem res alias præcedere oportet fidem & veritatem. In Deum autem pietas, quo eſt excelſior, eo maiori perfectione & abſolutione indiget. Atque is quidem, qui à me colitur & adoratur, cælum fecit, terram conſtituit, mortuos ſuſcitauit, cæcis viſum reddidit, leproſos curauit, paralyticos erexit: idque ſola voluntate & verbo. Qui autem à vobis dicuntur & coluntur dij, neſcio an aliquid tale fecerint, aut poſſint omninò facere. Et ſi velis, id nunc re ipſa experiamur. Accedat huc aliquis ex ijs, qui laborant immedicabiliter, & quorum curationem deſperat ars humana & manus. Accedant autem etiam, qui ſunt apud vos ſacerdotes. Deindè ab eis quidem ſunt primum dij illorum inuocandi: à me autem is, quem colo. Et qui nominatus morbum fugauerit, is Deus ſolus reputetur & colatur: alios autem in malam rem amandemus, eos magna obruentes obliuione. Placuerunt hæc Imperatori. Erat enim hoc Dei & diuinæ eius prouidentiæ conſilium, vt ſic tecta fides vel apud ipſos inimicos eſſet citra controuerſiam, & in aperto magis vinceret veritas.

Præclarè reſpondet Tyranno.

XX. Adducitur itaque in medium vir paralyticus, qui iam longo tempore decumbebat in lecto, & qui propemodum non poterat magis moueri, quam qui eum tenebat lectus. Cum itaque acceſſiſſent vanorum deorum ſacerdotes, & ij, qui verſati fuerant in medicina, alij quidem Aeſculapium, alij vero Iouem, alij autem Dianam, alij vero alios deos inuocabant, amentes ijs rebus ſupplicantes, quæ mente & ſenſu carent, & maximè in re tam magna, & quæ vſque adeo ſuperabat naturam. Erat enim æque difficile, & ipſum conualeſcere, & videri illorum deos ſenſu & ratione præditos. Quęnam enim adeo muta & leuia poſſunt alijs vllam præbere curationem? Ergo nec præbuerunt: ſed cum multa petijſſent ij, qui dicti ſunt, hoc ipſum, quod erant, nempe lapides, ijs, qui rogabant, apertè apparuerunt. Rogantes autem videns Pantoleon, inanem eorum laborem decorè ſubridendo, ſubſannauit. Poſtquam vero ipſe quoque iuſſus fuit inuocare, tollit quidem in cælum oculos, cum ijs autem extollit vocem, Et, Domine, inquit, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Ne auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me autem tuam. In qua die inuocauero te, celeriter exaudi me: & oſtende ijs, qui te ignorant, & eos, qui non ſunt, deos colunt, te omnia poſſe. ô Rex, tua potentia. Nihil eſt autem, quod à te non poſſit fieri. Sic dixit: & cum tetigiſſet manum eius, qui iacebat, dicit: In nomine Chriſti, qui erigit eos, qui ſunt confracti, eſto ſanus, & ſanè vtere membris tuis. Dixit, & verbum effectus eſt conſecutus: neque amplius lectus paralyticum, ſed eius pedes ſuſtinebant, audacter ingredientem, & propemodum exilientem, & ſtatim cum magna voluptate domo egredientem.

Subſannat inanem laborem ſacerdotum idolorum ſanctus Pãtoleon.

Pſa. 101.

Pſal 144. & 145.

Sanat paralyticum.

XXI. Neque vero ad eum vſque conſtitit curatio, ſed ipſe quidem corpore, multi autem alij animo paralytici, & morbo impietatis eneruati, cum vidiſſent quod factum fuerat, ſurrexerunt & erecti ſunt: & poſtremò priori errore condemnato, verum Deum coluerunt. Sic enim Dominus & illuminat cæcos, & ſcit erigere confractos. Atq; ſceleratos quidem ſacerdotes & medicos, qui ſua ſponte erant immedicabiles, non ſubijt lumen veritatis: ſed cum à malis rebus liberati non poſſent, vt qui eſſent ijs diu aſſuefacti, accedentes ad Maximianum, ad iracundiam prouocarunt eum aduerſus ſanctum: Si ſiueris illum viuere, dicebant, & dij ſimul tibi peribunt & ſacrificia: & apertè fabula, noſtra videbitur religio & ſacra orgia: Chriſtiani autem nos profuſe ridebunt, & res illorum magis florebunt, & erunt noſtris multò validiores. Hæc cum dixiſſent, ille facilem eis aurem præbuit, & paruit. Sanctum itaque accerſit Imperator, & tanquam eſcam benignitatis ei Imperator porrigens admonitionem: Crede mihi, inquit, Pantoleon, & dijs offer ſacrificium. An non vides, quod quibuſcunque non eſt perſuaſum, vt facerent quod dictum fuerat, ij grauiſſima ſupplicia & mortem habuerunt in credulitatis remunerationem? Horum eſt teſtis, qui nuper miſerè vita priuatus eſt, Anthimus ille ſenex. Ego autem curam gero tuæ iuuentutis, neque volo te tam malè perire. Scito enim, fore vt te multa & grauia excipiant ſupplicia, ſi eandem ſequaris inobedientiam.

Multi erigũtur in Dominum.

Anthimus martyr.

XXII. Pantoleon verò, vitans quidem admonitiones, tanquàm apertam fraudem, minas autem contemnens,

Et blandiẽtem & terrentem Tyrannum contemnit.

tanquam ipſis ſomnijs imbecilliores: Nè exiſtimes, inquit, ô Imperator, fore vt me perſuadeas admonitionibus, nec vt me minis terreas. Quid enim me vel ex bonis mundi capiet, vel terrebit ex rebus terribilibus, qui non ſolum mortem contemno, ſed eam etiam optandam arbitror propter Chriſtum? Pro eo autem tormenta tantum abeſt vt extimeſcam, vt etiam magnum damnum exiſtimem, ſi non ſint plura & grauiſſima, & in ijs clementiam quauis crudelitate duco eſſe grauiorem. Egregium certè Anthimum, non vt tu miſerum, ſed valde etiam beatum eſſe iudico, & eius mortem cuiuis vitæ præfero: quod tali fine talem ornauit ſenectutem, & canitiei alborem ſanguine cruentauit martyrij. Quod ſi ille, qui erat tam prouectæ ætatis, adeò fortem & conſtantem ſe oſtendit, me, qui ſum adhuc iuuenili ætate, quæ non oportet grauia ſuſtinere, vt ijſdem, quibus ſenex, coronis dignus habear? Non egò perſuadebis, non expugnabis, non nos ab hac abduces confeſſione: non per ſacra mihi & diuina ſigna, quibus ego factus ſum certior de veritate. Patriam enim pudore affecerim, & matris, quæ me peperit, pietatem, à qua in ijs, quæ ad pietatem pertinent, pulchrè prius fui informatus, & cum qua in æternis tabernaculis propero requieſcere. Hæc dixit Pantoleon, & paucis oſtendit, qualem virum offendiſſet is, qui de ſceptris & throno ſe iactabat. Quamobrem cum neſciret, quanam poſſet ratione perſuadere, expertus eſt per tormenta: quod erat poteſtatis, non autem ſapientiæ & prudentiæ.

Multis afficitur ſupplicijs. Chriſtus ei apparet.

XVII. Et primum quidem in ligno fuit appenſus, & ferreis martyr laniabatur vngulis. Præterea autem ignis quoque lampades lateribus eius admouebantur. Ille vero non plagis & vſtionibus, ſed ei, qui poteſt opem ferre, attendebat, & oculos in cælum tollens, orabat. & ideò ſtatim adfuit liberator, & Chriſtus apparens in habitu Hermolai ſenis, eum verè ac germane conſolabatur & recreabat: Ego enim ſum tecum, dicens, in omnibus, in quibus propter me patiens, te fortiter geris. Quod autem adeſſet, non procul abfuit probatio. Nam ſimul laxatæ fuerunt manus lictorum, extinctæ quoquè ſunt lampades, & à caſtigando abſtinuit Imperator, & planè dubitabat quid ageret. Iubet ergo eum demitti de ligno, non quòd miſeretur, ſed potius quòd plane neſciret, quid ageret. Deindè propius accedens: Quænam eſt, inquit, ô Pantoleon, ars præſtigiarum, quæ tibi extinxit lampades, & ſatellitibus vires & vigorem abſtulit? Ille autem, Meæ, inquit, præſtigiæ eſt Chriſtus, qui etiam adeſt mihi hæc operans. Si ergo, inquit, maiora tibi tormenta infligam, quidnam facies? Quid aliud, inquit martyr quàm ipſe quoque maiores conſequar remunerationes? Audiuit improbitas, & voluit experiri. Neque enim bonis nouerat credere, neque abſtinebat à malis.

In plumbũ liquidũ immittitur.

Iuſſit ergò afferri lebetem ferreum, cui inerat plumbum, ipſumque igne inferne ſuccendi, & in eum athletam inijci. Poſtquam autem diligenter factum eſt, quod iuſſum fuerat, cum duceretur martyr ad ſupplicium, rurſus orationem tanquam ad extinguendum comparatam, & conſolationem, quæ ſatis poſſit eum refrigerare, ſumit in ore, & eam in terribili illo cecinit lebete:

Pſal. 63.

Exaudi Deus vocem meam, dicens, dum oro ad te: à timore inimici libera animam meam: Protege me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Sic orauit, & rurſus in forma ſancti ſenis Hermolai Chriſtus ab eo viſus eſt, & lebetem vnà cum eo eſt ingreſſus, & ignis protinus eſt extinctus, & plumbum in naturalem mutatum eſt frigiditatem. Et rurſus oratio, & pſalmus opportunè ab eo canebatur:

Pſal. 53.

Ego ad Deum clamaui, & Dominus exaudiuit me. Veſpere & mane & meridie narrabo & anunciabo, & exaudiet deprecationem meam.

Manet pertinax Imperator in ſuo errore.

XVIII. Atqve ex ijs quidem, qui aderant, alios omnes cepit admiratio: ſolus autem Imperator validè in ſuo hæſit errore: qui apud ſe cogitabat, quonam ſupplicio Chriſti puniret martyrem, & aut eum à pietate traduceret, aut male vita priuaret. Cum autem conſulerent, qui aderant, vt in profundum maris iaceretur ſanctus, (Nam etiam poſt deceſſum, Chriſtianis eius inuidebant reliquias) audiens Imperator eſt perſuaſus, & iubet grauiſſimum lapidem eius collo alligari, & ſic in mare immitti. Curæ autem fuit miniſtris, vt citò id, quod eis imperatum fuerat, exequerentur: Deo verò, vt manum præberet adiutricem ei, qui propter ipſum patiebatur. Quod quidem etiam factum videre licuit.

Miſſum in mare Chriſtus eripit.

Nam illi quidem cum ad mare veniſſent, & eius collo lapidem alligaſſent, in profundum tranſmittunt. Chriſtus autem cum in priore Hermolai forma rurſus apparuiſſet, effecit, vt lapis quidem, non ſecus atque folium arboris, mari ſupernataret: illum verò, non ſecus atque magnum prius Petrum, manu deducens, fecit pedibus ambulare ſuper fluctus.

Matth 14. *Pſal 76.*

Ipſe enim, qui redimebat & ſeruabat, ipſe erat, cuius in mari viæ, & in multis aquis ſemitæ & veſtigia, vt diuinus ait Dauid, non ſunt cognita. Ingrediebatur ergò Pantoleon ille admirabilis, & iam erat in litore, laudem contexens ei, qui ſeruauerat, dignam pia illius anima, & rebus admirabilibus. Quem cum ſic vidiſſet ſaluum præter ſpem Imperator: Quid hoc eſt, inquit, Pantoleon, mare quoque tuis ſuperaſti præſtigijs? Ille autem, Etiam mare, inquit, fecit, quod iuſſum eſt à Domino. Ei etenim cedit mare & terra, & quæcunque ſunt, ei magis cedunt, quàm tibi Imperatori, qui nunc ad tempus ſeruiunt.

Diuerſi generis feræ producuntur ad deuorandum martyrem.

XIX. Ad hæc Tyrannus, volens potius malè perſuadere, quàm bene perſuaderi & ſalutariter, iubet omne genus feras produci aduerſus virum egregium. Quæ cum adductæ eſſent, & illum propè ſtatuiſſet, partim quidem ei metum incutiens, partim autem fingens ſe moueri miſericordia, & in omnem ſe partem verſans, vt perſuaderet: Hæ, inquit, ô Pantoleon (ei feras oſtendens) adductæ ſunt propter te & tuum interitum. Si tui ergo vlla moueris miſericordia, (ego enim tuæ curam gero formæ & ætatis) velis perſuaderi, & videri eſſe prudens & cordatus, vt qui poſſis vitam morti præferre, lætitiam doloribus, ignominiæ gloriam & delicias. Cui ſanctus: Si antequàm eſſem expertus Dei, quam mei ſuſcipit defenſionem, à tuis verbis non potui perſuaderi: nunc ex quo ſum tantum conſecutus auxilium, perſuadebor? Cur me ferarum crudelitate perterrefacere quæris, ô Imperator? Qui enim ſatellitum tuorum ad torquendum paratas manus inutiles effecit & imbecillas, & ignem reddidit frigidum, & plumbum in aquam tranſmutauit, & ipſum mare conſtrinxit compedibus, poterit omnino feras quoque manſuefacere, & eas nobis efficere ouibus manſuetiores.

XX. Cvm ergo non parens Chriſti martyr, eſſet pugnaturus cum beſtijs, vt qui leuius eſſe reputaſſet, tradi beſtijs, quàm adorare dæmones, confluxit quidem vniuerſa ciuitas ad videndum id quod fiebat, tam pulchrum ſcilicet iuuenem, & corpore & animo præſtantem, qui nihil mali feciſſet, malè paſſurum, & feris tradendum beſtijs. Abductus eſt autem iuſtus confidens vt leo, ſicut canitur,

Prou. 28

& nihil molle ac remiſſum intuens, aut quod moueret ad miſericordiam. Quomodo enim id erat facturus, cum rurſus in conſpectum veniret Hermolaus, & iuberet eum eſſe bono animo? Deindè cum beſtiæ iam cum athleta eſſent congreſſæ, ſic iubente Tyranno, qui aderant quidem, putabant fore, vt ſanctus ſtatim diſcerperetur, perindè ac ſi non eſſet qui ſeruaret & eriperet: ſed de viro pio non ſic ſtatuerat is, qui dicit:

Pſal 90.

Altiſſimum poſuiſti refugium tuum: Non accedent ad te mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Et, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Itaque nec ſpem fefellit eius, qui crediderat.

Feræ manſueſcunt martyri, eique blandiuntur.

Tantum enim abfuit, vt feræ ſancto malefacerent, vt eæ propemodum ne feræ quidem viderentur, Feræ, dixi, immò nec, vt ſemel dicam, animantia ratione carentia, & vi intelligendi priuata: ſed tanquam prudentia, & ex numero eorum, quæ ſunt ratione prædita, cum magna reuerentia accederent ad martyrem, ſuauiter blandientes, benignaque & medicante lingua pedes tangentes: & alioqui inter ſe contenderent, quænam prima ad eum accederet, & non prius recederet, quam martyr ei manum impoſuiſſet, & ei benedixiſſet.

XXI. LICEBAT ergò videre rem maximè nouam, & longè iucundiſſimam, homines quidem mutatos in ferarum ſæuitiam, rurſus autem videri feras, tanquam ratione præditas, & credi humanam habere manſuetudinem. Ij certè, qui aderant, admirati id quod factum fuerat, clamabant: Magnus eſt Deus Chriſtianorum, qui quidem eſt ſolus & verus: &, Dimittatur iuſtus. Quid igitur? Qui verè erat ferus & crudeliſſimus, Imperator itam infert in beſtias, & omnes ſtatim tollit de medio, perinde ac eis inuidens prudentiam, & non potens ferre earum reprehenſionem. Illæ autem cum ſic eſſent interfectæ, multos dies manſerunt à nullo comeſæ ex carniuoris, Deo in hoc quoque athletam honorante, & ad pietatem alios hortante: adeo vt cum hoc ſtultus reſciuiſſet Imperator, eas iuſſerit infodi, ſic multis fidem confirmans. Sic ergò dubitans Maximianus: Quid faciam, dicebat Pantoleoni; Iam enim, vt videtis, multos abduxit à deis. Illi autem: Fiat, aiunt, rota, & ea in altum locum feratur. Deinde cum ei fuerit alligatus Pantoleon, per decliue mittatur: Accidit enim omnino, vt cum deorſum feratur, ipſe per partes & membra conteratur, & ſic malus malè pereat. Et hæc quidem illi prompti ad malum inueniendum, & qui nihil æque bene faciebant, ac lædebant. Deus autem, qui ſemper protegit eos, qui illum diligunt, ne nunc quidem deſerit Pantoleonem: ſed eum rurſus defendit, ſicut charum filium.

Tyrannus ſæuit in beſtias.

Paratur ei rota ad conterendum eundem.

ATQVE interim quidem manſit in carcere, donec conſtructa eſſet rota. Cum vero ea eſſet iam conſtructa,
XXII. rurſus concurrente magna multitudine, vtpotè quod Imperator ipſe adeſſet ſpectator, alligatur martyr rotæ, & ipſe deſuper per decliue dimittitur. Et illi quidem pſalmus mouebat labra, & preces, quæ potentem vocabant ad auxilium. Ille autem protinus aderat, eum confirmans: & ad oſtendendam præſentiam, rumpebantur vincula, martyr relaxabatur, & erat ab omni malo integer. Rota autem non tam contra illum, quam pro illo acta, occidit multos infideles: & ſic fit pœna vltrix eo modo, qui dici nequit: & cognoſcitur Deus iudicia faciens, & Deus vltionum libere agit. Propter hoc timor inuaſit ciuitatem, Imperatorem admiratio. Et cum eſſet adhuc craſſus vitio, nec poſſet lucem ſuſcipere veritatis, rogauit ſanctum: Quid hæc ſibi volunt? & quouſque ex noſtro populo alios quidem à dijs abduces, alios autem morti dedes, vt horum quidem detrimentum patiamur, illos autem etiam nobis habeamus aduerſos? Deinde etiam rogauit, quemnam habuiſſet doctorem, & ex quo didiciſſet Chriſtianiſmum.

Diuina virtus mirè liberat martyrem.
Pſal. 9.
Pſal 93.

XXIII. CHRISTI verò martyr confidenter confitetur Hermolaum, vt qui non poſſet eum celare, qui non erat angulo dignus & obliuione: ſed luce. Cum autem iuſſiſſet, vt ei produceretur in conſpectum, minimè diſtulit martyr, vt qui didiciſſet experientia, qualis eſſet apud eum lingua & ingenium, quæ facilius capere poſſent, quàm capi. Abiens ergo ille iuſſus ſimul cum tribus militibus, quibus credita fuerat eius cuſtodia, venit in domum, in qua latebat diuinus Hermolaus. Quem cum ipſe adſpexiſſet: Cur huc veniſti, fili, & quanam de cauſa? rogauit. Ille verò: Te vocat, inquit, Imperator, domine mi ſenex. Is verò dixit, ſe hoc ſcire; quoniam adeſt tempus patiendi & moriendi pro Chriſto, vt ipſe ei ſignificauerat illa nocte. Poſtquam ergo illi conſtiterunt ante Imperatorem, ille rogauit, quiſnam eſſet, & quod eſſet ei nomen. Is vero & nomen dixit, & non celauit ſe eſſe Chriſtianum. Deinde cum rogaſſet Imperator, an etiam ſecum alios haberet Chriſtianos: ille, cum eſſet verax, dixit, Hermippum & Hermocratem, quos habebat. Cum eos ergo iuſſiſſet etiam ſiſti cum Hermolao, vbi affuerunt: Vos eſtis, inquit, qui Pantoleonem à cultu deorum abduxiſtis? Illi autem: Eos, inquiunt, qui ipſo digni ſunt, Chriſtus ſcit ad lucem vocare. Imperator autem: Miſſis, inquit, nugis, ſi vultis ab hac priore culpa abſolui, & ijs, qui à nobis amantur, & primos honores à nobis conſequuntur, annumerari, efficite vt ei perſuadeatur dijs ſacrificare. Illi verò: Quomodo, inquiunt, hoc fecerimus, qui primum nobis perſuaſerimus Chriſtum non deſerere, nec ſurdis ſimulacris offerre ſacrificium? Hæc dixerunt, & ſenſus & mentis oculos in cælos ſuſtulerunt. Sic precantibus autem apparet Saluator: & totus ſtatim locus agitatur & mouetur.

Hermolaus adducitur ad Imperatorem, item Hermippus & Hermocrates.

EMOTÆ autem re vera mentis Imperator dicebat, deos indignatos mouiſſe terram. Cui martyres pruden-
XXIV. ter admodum & fortiter: Si contigerit ipſos quoque deos tuos, inquiunt, vnà cadere? Nondum finita erat oratio, & quidam ex miniſtris Imperatoris acceſſit ad illum, nuncius calamitatis: Dij, dicens, ô Imperator, ceciderunt & contriti ſunt. Sic illi terribiles & terram quatientes, iacebant in terram deiecti triſti caſu, ijs, qui non erant æquè cæci & planè lapides, ridiculi. Atque alius quidem, qui vel parum habuiſſet prudentiæ, & non ei ſola forma obſtaret, ne apertè crederetur eſſe pecus, Deum verum agnouiſſet, & qui poſſet hæc facere. Sed non ille: qui quantum melior euaſiſſet, & quantam vtilitatem ex pietate percepiſſet, ſtatim ex rebus ipſis aperit. Statim enim tres illos ſanctos, poſtquam eos multis affeciſſet ſupplicijs, damnat capitis. Magnum autem Pantoleonem interim mittit in carcerem. Atque martyrum quidem ſic interfectorum corpora curæ fuit Chriſtianis tollere, & ea, vt par erat ſepelire:

Poſt multas pœnas decollatur.

XXV. PANTOLEONEM autem cum Imperator vocaſſet è carcere: Putaſne, inquit, te poſſe viuum meas manus effugere, ſi non accedens prius dijs ſacrificaueris? idque cum doctor tuus Hermolaus, Hermippusque & Hermocrates id, quod bonum eſt, mutati iam didicerint, & dijs ſacrificium obtulerint, qui etiam à nobis obedientiæ acceperunt remunerationem, vt ſint primi in palatio? Si ergo tu ſacrificaueris, eorum pulchram imitatus mutationem, tunc videbis, Pantoleon, quàm ego, qui ſum grauis in puniendis ijs, qui non parent, ſim liberalis & munificus in benefaciendo ijs, qui parent. Hoc autem dicebat maligne & malitioſe (quod attinet, inquam, ad ſanctos) ad illi perſuadendum. Quomodo enim, quos iam ante interfecerat? Sed vt ineſcaret eum, qui à Deo illuminabatur. Quamobrem nec latere potuit: ſed, Eos ipſe quoque videam, inquit, ô Imperator, ante tuam adſtantes faciem. Maximianus autem nondum ceſſans fraude agere, (poſuit enim ipſe quoque ſpem mendacium, vt dicam cum magno Eſaia, & ſtatuit ſe mendacio tegere) Non adſunt hic, dixit, ſed aliqua neceſſaria de cauſa miſſi ſunt à nobis in aliam ciuitatem. Martyr autem: Vel inuitus, inquit, verum dixiſti, cum diligas mendacium: ſunt enim nunc in cælis, degentes in ciuitate Dei.

Splendidũ fingit mendacium Imperator, vt ſubuertat martyrem.
Eſa. 28.
Sancti degunt in cælis.

CVM verò nullum non mouiſſet lapidem, lapidum adorator: videret autem eum nihil de ſua remittere con-
XXVI. ſtantia, & neque cedere aſſentationibus, nec verborum ſuaſionibus, nec donorum promiſſis, nec ſuppliciorum minis, neque aliquo alio ex ijs, quæ vel delinire, vel perterrere poſſunt, abduci à pietate, vbi eum adhuc flagellis vehementer cecidiſſet, non quod ſperaret ſe aliquid poſſe efficere, ſed vt expleret ſuam animi libidinem, vt gladio mortem ſubiret, eum condemnat: & deindè poſt mortem pulchrum corpus igni mandari: is, inquam, condemnat, qui æterno igne verè erat dignus. Ducebatur itaque athleta ad locum conſummationis, commiſſus manibus lictorum. Quo quidem cum veniſſet, & eſſet eius animus plenus gaudio, (ſciebat enim ex quibus afflictionibus quales eum eſſent excepturæ voluptates) pſallebat hoc Dauidicum: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam: Dominus iuſtè concidet ceruices peccatorum. Deinde facit hic quoque Deus miraculum non minus prioribus miraculis. Oleæ enim plantæ eum alligant, collum autem eius quidam enſe ferit. Statim autem ferri quidem conuerſa eſt acies ceræ ſimilis: manſit autem collum ſicut erat ab initio, ſectionis nullum penitus habens ſignum.

Flagellis dire cæſus, capite plectitur Pantaleon.
Pſal. 128.

XXVII. EA de cauſa tremor inuaſit occiſores, & accedentes ei fiunt ſupplices, quem prius exiſtimabant ne dignum quidem eſſe apud eos viuere: cuius etiam pedes ſpecioſos prehenſantes, quid non dicebant, quid non faciebant, audaciæ

Diuinitus ei nomen mutatur.

audaciæ petentes veniam,& in Chriſtum fidem apertè confitentes? Ille autem non ſolum, quod ad ſe attinet, remittit, ſed etiam eis à Chriſto perfectam petit remiſſionem. Quamobrem vocem quoque audijt de cælis confirmantem, conſummanda ea, quæ petierat: eumque non amplius eſſe vocandũ Pantoleonem, ſed Panteleemonem. Res autem, dicebat ea vox, nomini conueniet. Plurimi enim per te conſequentur miſericordiam. Hanc vocem cum ille audiiſſet; & de ijs, quibus dignus erat habitus, certior factus eſſet: conuerſus, iuſſit lictores facere, quod eis imperatum fuerat. Illi autem renuebant,& iudicabant hoc eſſe minimè tolerandum. Cum verò inſtaret martyr, vt facerent, quod à Tyranno eis imperatum fuerat, apertè dubitantes,& quid facerent ignorantes, ſeipſos vtriſque diuidunt, nempe pietati,& ſancti viri iuſſui. Et cum omnia prius membra eſſent deoſculati, quamq; eum reuererentur & colerent, ſatis teſtati eſſent, beatum eius caput deindè enſe amputant viceſimoſeptimo Iulij. Quod quidem, vt arbitror, non potuiſſent, ſi ille non annuiſſet, vt qui nollet à martyrij magna dignitate excidere.

Nota inſignia miracula.

Matth. 2.

SVNTQVE rurſus miracula miraculis conſequentia, eo, qui glorificabatur, glorificante eum, qui propter ipſum hæc pati delegit. Lac enim fluxit protinus pro ſanguine,& planta oleæ, cui fuerat alligatus, conſpecta eſt tota fructu onuſta. Quod quidem cum veniſſet ad Tyranni notitiam, iubet plantam excindi, & corpus martyris igni tradi, ſicut etiam prius iuſſerat. Atque milites quidem, qui crediderant, non amplius reuerſi ſunt ad Imperatorem, eum condemnantes magnæ crudelitatis,& quod Magi Herodi fecerunt, imitantes: Deum autem,& eius martyrem perpetuo glorificabant. Quinetiam cum quidam fideles conueniſſent in eoipſo loco extra ciuitatem, in quo martyr ſubijt conſummationem, ſacrum illud corpus in ſuburbano cuiuſdam ſcholaſtici (erat autem ei nomen Adamantius) ſacroſanctè deponunt: In gloriam patris, & filij, & ſpiritus ſancti, cui eſt vna diuinitas,& regnum: Cui conuenit honor & adoratio in ſæcula ſæculorum, Amen. XXVIII

An. 1130.

VITA B. BERTHOLDI ABBATIS GARSTENSIS, A COÆTANEO SCRIPTA, ET EX MANVSCRIPTO CODICE VIENNENSIS BIBLIOTHEcæ edita per R. P. Iacobum Gretzerum Societatis IESV.

Ivlii 27.

2. Cor. 2.

QVONIAM antiqua dignationis tuæ gratia, Venerande Pater Vdalrice, nec non & conuerſationis munditia feruorem in me nunquam abolendæ deuotionis accendit, deſiderio æſtuo agere aliquid, PROLOG. quo & tibi eadem deuotio innoteſcat; & mihi ex inconuulſa gratiæ tuæ confirmatione felicitas accreſcat. Felicem enim me æſtimo, ſi me pij & religioſi patris amplectatur dignatio. quia, re vera non contemnenda ſanctitatis eſt portio ab his diligi, qui cum beato Apoſtolo Chriſti bonus odor ſunt Deo in omni loco. Quorum de numero quia te, dilecte Pater, diuina benedictione nobis conſignatum deſiderabiliter tenemus, meritò felix debet prædicari, quiſquis tui amoris meretur honore ſublimari. Cum ergo aſſiduè cogitarem, quonam modo tuam venerabilem dulcedinem honorarem; quidue de ſacrificio meæ ſeruitutis dignè tuis præſentarem obtutibus, aut manibus offerrem veræ nobilitatis; repentè ſubiit animum, nil eſſe huic affectioni tam conſentaneum; quomodò ſi vel modicum aliquid de vita & actibus beati Patris tui, ſanctæ videlicet memoriæ Abbatis Bertholdi, etſi non ad aliquam ædificationem, tamen ad veritatis commendationem, vel certè ad oſtendendam tam erga te, quam erga eundem Patrem meam deuotionem, ſcribendo commemorarem; quatenus in hoc & tibi pro voto ſeruirem; & tam glorioſam materiam quaſi perire ſilentio non ſuſtinerem: ſiquidem vehementer admiror & doleo Beati viri veneranda geſta, magnaq; miracula tanto tempore incuriæ derelicta, graueq; damnum æſtimo, ita negligenter occultari, quod nunquam poteſt inutiliter publicari. Et quidem hoc ipſum modicũ vires prorſus excedit meas: ſed tanto amore ad eundem laborem accendor, quod quaſi quibuſdam pennis ſuperni adiutorij facillimè in alta ſuſtollor. Altum quippe eſt,& ſatis arduum peccatorem indoctum, viri ſapientis & ſancti velle præconia attollere: ſed tamen charitatem, quæ omnia ſperat, nulla poteſt formido deterrere. Ipſa eſt, quæ iuxta B. Gregorium ſubminiſtrat vires, quas imperitia denegat. Ipſa nimirum Duce, facile mihi videtur arduum ſubire propoſitum,& maximè ad diuinæ pietatis,& ipſius ſancti Patris reſpicienti ſuffragium. Et fortaſſe ſimplicitas dictaminis humilibus, quibus Deus dat gratiam: & propter quos ſolos labor mihi iſte ſumptus eſt, iocundior erit: quam ſi eſſet profunditate ponderoſi velaminis ſuperbus. Sed quid dico propter humiles hunc eſſe laborem aſſumptum, cum tibi ſoli tantum, Pater alme, hic ſeruire quærat laborantis intentio? ſcio enim, quod nequaquam contemptibile tibi ducetur, etſi contemptibiliter dicatur, quod tibi forſitan & honoris cauſa eſt:& abſque dubio perpetuæ erit fructus ſalutis. Igitur quomodo primò vir Beatus ad Garſtenſe monaſterium ſit electus,& qualiter ibi vixerit, quibuſue miraculis ſancta merita eius pietas diuina declarauerit, ſicut ab illis accepi, qui viuenti præſto fuerunt: qui magiſterio eius informati virtutibus & ſignis interfuerunt, iam aggrediar, Domino adiuuante, depromere: ita tamen, vt breuitate contenta eſſe dignetur veneranda paternitas tua, dilectiſſime Pater.

Charitas ſubminiſtrat vires.

Vnde habeat author, quæ ſcribit.

Otacher fundator monaſterij Garſtenſis.

FVNDATOR memorati cœnobij venerabilis Marchio Stirenſis Dominus Otacher extitit: qui & ibi in Eccleſia S. I. Laurentij in Chriſto requieſcit, Auus illius Otachari, qui nouiſſimus in Vngaria obiit in itinere, quod ad viſitandum & honorandum ſanctum Domini ſepulcrum, deuotus arripuit: Quæ fundatio ſiue inchoatio primo per Clericos inſtituta eſt, ſub Præpoſito, nomine Eberhardo. Quo mortuo, quadam die, dum Clerici in flumine locum præmanante, balnearent, quidam eorum ſubmerſi ſunt, raliq; ſua leuitate ſeu infortunio, fundatoris voluntatem mutauerunt. Erat enim egregius ille fundator, vir valde memorabilis Et licet Princeps ſæcularis, tamen aliis potentibus multum diſſimilis, cultor pacis, amator iuſtitiæ,& contra immanitatem perſecutionum turris Eccleſiæ inexpugnabilis. Nam Salzpurgenſem Archiepiſcopum laudabilis memoriæ Dominum Chuonradum, qui in ſyluis & montium latebris per multos dies perſecutiones fugiens latitauerat, ad ſe venientem cum honore magno ſuſcepit, manu tenuit, quod nullus Principum facere auſus fuit. Hoc factum eſt ſub beato Bertholdo, etiam ipſum Pontificem deuotè ſuſcipiente, atque in monaſterio ſuo cum reuerentia, quamdiu voluit, ſeruante.

Conradum Archiepiſcopũ Salisburgenſẽ à facie Hẽrici V. Schiſmatici profugũ ſuſcipit.

SED vt egrediar ad id, vnde digreſſus ſum: Clericis ſubmerſis, animus, ſicut dixi, mutatus eſt fundatoris. Qua- II. dam itaque die cum ad celebrandum anniuerſarium diem Dominæ Eliſabeth Marchioniſſæ, quæ in choro ſepulta eſt, multi de more Clerici conueniſſent: (Nam ſingulis annis ob eandem cauſam, rogatu Principis, ſtudioſè adeſſe conſueuerant:) venerabilis Marchio de loco eminenti ita eos per alium allocutus eſt: Noſſe vos volo, qui ad hunc anniuerſarium Dei & noſtri cauſa veniſtis, quod in hoc loco, quem in ſeruitium Domini & ſanctæ genitricis eius pro ſalute mea,& dilectæ coniugis erigendum ſuſcepi, ſtatum religionis, diuina largiente gratia, in melius tranſmutare diſpoſui; & per monachos, quorum beata opinio vitalem circumquaque ſpirat odorem, huic nouellæ plantationi deſiderati profectus prouidere ſuffragium. Quapropter admonitos vos eſſe volo, ad hunc anniuerſarium diem nequaquam vltra congregari. Debet enim, ſi Domino placuerit, deinceps alio modo celebrari. Prorſus ergo ab hoc concurſu amodò deſiſtite: quia monachis, qui hic habitaturi ſunt, talem nouimus conſuetudinem non conuenire. His ita peroratis, cunctiſque ad ſua properantibus, ipſe Kotvvig perrexit; & auxilio amici ſui [illegible]ſtrenſis

Marchio-

Marchionis Luipoldi, cuius ſororem, videlicet Dominam Eliſabeth, habuerat, fundationem ſuam Abbati regendam ſubiecit, & diligentiſſimè commendauit: Prioremque nomine Wirnt cum aliis Monachis acquiſitum, Garſten adduxit. Erant autem eo tempore in hac Prouincia admodum raræ Monachorum habitationes, & adhuc rudis Kotvvikcenſis Eccleſia: ſed, diuina benedictione, ita proſperis ſucceſſibus illuſtrata & eleuata; quod & monachis & rebus, maximè verò ſancta opinione, in breui eſt excellenter multiplicata & glorificata. Ita ergo Clerici, per quos primo in Garſtenſi monaſterio diuinum ſeruitium initiatum fuerat, monachis ſuperuenientibus, receſſerunt. Quidam autem eorum ad Marchionem iure proprietario pertinentes, dimiſſi non ſunt, ſed remanere coacti; Dixit enim vir nobiliſſimus, ſe nolle eos dimittere, ſed potius velle, vt ſecum, vtpote amici & dilecti, permanerent, & monachi fierent, Deoque omnipotenti in tam bona conuerſatione regnum cœlorum lucraturi ſeruirent. Erant autem, qui remanere cogebantur, Dominus Oudalricus, poſtea apud ſanctum Lambertum Abbas, & illius æquiuocus ad Gluonich Abbas futurus, & Dominus Eberhardus, Beati Bertholdi poſtmodum fidelis in Domino collaborator ac deuotus Capellanus; & alij quidam, quos hic nominare non arbitror neceſſe fore.

Eberhardus B. Bertholdi Capellanus.

III. Ergo cum Dominus Marchio ſermonem cum iſtis de abrenunciatione ſæculi & conuerſionis ſuſceptione haberet, abnuunt omnes; præcipuè Dominus Eberhardus, dicentes, nondum ſediſſe eis animo tale propoſitum, arduam rem eſſe, neminem ad hanc cogendum, ſolam hic Dei aſpirationem exſpectandam. Ad hæc Marchio, mei, inquit, eſtis, & meæ voluntati in omnibus concordare & obtemperare debetis. ſi ergo me audientis, animumque ad hoc, quod conſulo, libenter dulciterque adhibueritis, promptiorem me vobis, magiſque beneuolum ſemper ſentietis. ſin autem: nolo vos pertrahere; facietis tandem vel inuiti, quod ſponte noluiſtis, & voluntarij; quia, nolitis velitis, monachi eritis. Quid plura? Videntes fixum eſſe apud eum, vel conuerti eos, aut aduerſis affici, conſenſerunt. Sed Dominus Eberhardus in ſuæ manſit obſtinationis pertinacia immobilis. Iubetur itaque alligari, & verberibus compelli ad conſentiendum. Tunc acquieuit & iſte beatus: durum quidem, & quodammodo coactum habens conuerſationis initium: ſed deinceps in promotu conuerſationis, ſupernæ illuſtrationis indubitabile demonſtrans indicium. Nam nullus eorum, qui ita compulſi ſunt intrare, adeo profecit in Dei timore, profectuque religionis, quamuis omnes profecerint, felicemque ſuæ conuerſionis, vel potius coactionis, apprehenderint fructum.

Compellitur fieri monachus.

IV. His ita geſtis; Kotvvikcenſes Dominum Bertholdum de S. * Blaſio, vbi tunc armarij pariter & clauſtralis Prioris fungebatur officio, Priorem ſibi, in locum Domini Wirnt acquiſierunt; virum ſancti teſtimonij, & prouidentem bona non ſolum coram Deo, ſed & coram omnibus hominibus. Sed cum iſdem Wirnt ad Formbacenſe monaſterium eſſet in patrem aſſumptus; tunc Dominus Bertholdus à Garſtenſibus, & ipſo Marchione, Abbas electus eſt, optimo quidem omine. quoniam ex tunc, & deinceps nunquam locus ille diuino deſtitutus eſt ſolamine. Veniens igitur ad locum ſibi à Deo deſtinatum, omni conamine diuino ſeruitio; & vtilitati intendebat Eccleſiæ. Nam Deus omnipotens in breui oſtendere dignatus eſt tam monachorum, fratrumq; multiplicatione, quã rerum opulentia: quod nequaquam abſq; eius nutu & prouidentia electus fuerit, cui tam felices ſucceſſus contulerit. Dominum Eberhardum, cuius in ſuperioribus mentio facta eſt, ſtatim in primo introitu ſuo Capellanum ſibi conſtituit; imo comitem indiuiduum in Dei opere, & ſpiritalium laboribus ſtudiorum. De rigore ordinis nihil relaxabat; & ita ſubditorum ſaluti ac neceſſitati inuigilabat: quod & ſe ipſum in nullo negligebat, & illorum curam omnibus forinſecis occupationibus ſemper anteponebat. Augebatur ſine ceſſatione Deo ſeruientium multitudo, quia, talis erat viri Dei conſuetudo; omnes admittere, qui Chriſti deſiderio ſarcinam mundi abiicere, & ſuaue conuerſationis iugum vellent iuſte victuri ſuſcipere. Iam locus monachis abundabat; & tamen rariſſimè aliquis eorum extra ſepta clauſtri apparebat, exceptis diſpenſatoribus, quibus ea cura credita erat.

** al. S. Blaſii*

B. Bertholdus eligitur Abbas Garſtenſis.

V. Et licet patrem ſe, & verbo exhiberet & opere; tamen certe magiſtrum experiebatur, quiſquis patris clementia abutebatur. Omne inconueniens, aut ordini contrarium nulla ratione diſſimulabat: ſed ſtatim, vt vidiſſet, dignis increpationibus ad debitam dirigebat correctionem. Leuia quoq;, & quæ vix, aut nullatenus digna reprehenſione æſtimares; verbi gratia; ſi quis veſtimentum, conuentu ad lectionem ſedente per clauſtrum ferre inciperet; ilicò clamabat, Ordinem confundi, ſanctam deſtrui conſuetudinem: & ita obiurgabat illa facientem, ac ſi grauiter exceſſiſſet. Hæc ad demonſtrandũ viri rigorẽ dicta ſint, contra illos maximè, qui dicũt; eũ quidẽ pio patris abũdaſſe affectu, magiſtri verò caruiſſe. Exuberabat vtriq; ſenſu vtroq;, qui pro loco & tẽpore, mentiorumq; diuerſitate, nunc hũc, vt pater, fouebat, nunc illum terrebat, vt magiſter: quod in hoc ſatis claret. quia, ſicut notiſſimum eſt, vt dulcis & pius ab omnibus amabatur; & tamen in his, quæ ſunt contra Deum, attentandis, vel appetendis, vt ignis formidabatur.

VI. In tali verò diſpoſitione locus poſitus erat, vt fratres quidẽ de cellario neceſſaria acciperent; hoſpites verò in domo hoſpitũ omnia parata inuenirẽt. Quod idcirco vir prudens ita conſtituerat; ne, propter frequentiã aduenientiũ quies clauſtralis turbaretur: ſed ibi omnia in promptu eſſent; & ad clauſtrum propter ſingula venire neceſſe non haberent. Et quãuis penè nunquã hoſpites deeſſent, pro eo maximè, quod eius cõſiliis & eruditionibus diligẽter informabãtur ad ſalutẽ: tamen Dño ſeruientes bonis omnibus affluebant, iuxta quod ſcriptũ eſt; nihil deeſt timentib' Deum. Et illi quidem cum gratiarũ actione ſua fruebãtur conſolatione. Ipſe verò rarò aliquid ſuo pani, præter vnũ, qualemcunq; cibũ adiecit: bonos aũt cibos, qui ſibi apponebantur, ſemper, vel diſcumbentibus coram ſe fratribus; vel foras mittebat leproſis & pauperibus. Panem ſingularem, ſiue pulmentum ſpeciale ſibi fieri paſſus non eſt: ſed eodem ſemper, quo cæteri, tam pane, quam pulmento ſuſtẽtatus eſt. Meritis ipſius & benedictione paucitas piſcium ſeu vini aliquando ita creuit in partitione, vt nullus ſua portione, vel menſura priuaretur, cum id primitus omnino fieri deſperaretur.

Pſal. 33.

Cibus B. Bertholdi.

Multiplicat ſua benedictione vinum & piſces.

VII. Apud Pechlaren ſedens ad menſam de vna ſcutella multis conuiuantibus piſces diuiſit, & tamen diuiſione facta in nullo minui plenitudo illa viſa eſt. Ipſe, nec piſcibus, vt præmiſſum eſt, vtebatur, nec cum aliqua diligentia paratis, ſed vno vili, aut aliquando duobus eduliis. quibus etiam clientes vtebantur, debilia membra ſuſtentare ſolebat. Rarò quieſcebat, tum propter deſiderium æternæ patriæ, tum propter adductos energumenos, quorum liberationi intendebat, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens Domino die ac nocte. At cum quietem laſſitudo imperabat, ita negligenter lecto accumbebat, vt nec iacere eum, nec ſedere diceres, pedibus dependentibus, & ſemper cuculla veſtitus. Nemo illum vnquam ocioſum; aut ſpiritalibus vidit ſtudiis * vacantem; ſed ſola ſomni vel cibi hora exempta, nunc legendo, nunc orando, modò vero ſcribendo, aut confeſſiones hominum audiendo, feriari neſciens inimicam animæ vitabat ocioſitatem. Hiemis tempore ad ignem ſedens; (nam ſtubas forte, ſeu æſtuaria, ſiue propter caput; vel potius ſtudio affligendi corporis, intrare cauebat) ſemper totam ſpiſſam & latam inter ſe & ignem, quaſi pro vmbraculo poſitam habebat, & ita pene nunquam caleſiebat, tantumque frigore & inedia carnem affligebat, vt hoc, quod ſcriptum eſt; nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, locum in eo vix vllum haberet. Vnde, in tantum erat attenuati corporis, quod vt ita dicam, vix oſſibus hærebat ſqualida cutis: mirantibus cunctis, quod labores illos diuinæ ſeruitutis ſic exhauſtus poſſet exſoluere. Sedens ad menſam, vbi modicũ

Somni paucitas.

** hoc eſt, vacuum ſeu ceſſantem à ſtudiis ſpiritualibus.*

comedisset,

Digitized by Google

comediſſet, dormire ſolebat: ſed cum Priot eum ſtrepitu pedum expergiſci faceret, mox arrepto coclear i, ſtrenuum quidem ſimulabat manducatorem; ſed rurſus, eius deciſione, valde negligentem exhibebat corpor is adiutorem.

VIII. IN primordio fundationis, & quando primo vir ſanctus venit ad locum ſuæ vocationis, admodum tenuis erat ſubſtantia Eccleſiaſticæ poſſeſſionis, ſed per eum magnificè amplificata eſt, atque à ſui tenuitate pulchrè euecta, quia eum tam potentes, quam mediocres in tantum dilexerunt, quod propter eius amorem copioſe locum prædiis ſuis ditauerunt. Igitur celebri edicto, & irrefragabili conſtituit charitate, ne quid eorum, quæ haberi poſſent, cuiquam negaretur, ſed omnibus, in ſua neceſſitate pro loci ſubueniretur poſſibilitate. Vnde aliquando contigiſſe non dubium eſt, vt; quod negatum eſt, & occultatum fuerat, poſtea deprehenſum, tanquam immundum & inutile proiiceretur in flumen.

IX. REM dicturus ſum forſitan incredibilem, ſed tamen veram, teſte Deo. Acceſſit ad eum quidam pauper, miſeriam ſuam deplorans, & petens aliquid ab eo: quem fecit exſpectare ante monaſterium, donec eius conſolaretur deſiderium. Nam ad manus nihil habebat, quia conſuetudinis eius nunquam fuit portare denarios, aut ſaltem ſuſcipere: ſed, quicquid dabatur ab aliis, ſuſceptum; ſecundum eius præceptum diſpenſabatur. Marſupium quidem terebat, ſed intus, præter * breues defunctorum, nihil habebat: Itaque camerario præcepit dare pauperi tres denarios. Ille, ſe non habere reſpondit. Date, inquit, pauperi, quod dixi. Rurſum ille aſſeruit, ſe non habere. Tunc ſanctus, audire, inquit, iſta nolo, nec ſcire, quod camera mea abſque nummis ſit. ſed cum camerarius perſeueraret in negatione; fecit ſibi dare claues; miſſiſque fratribus, iuſſit videre, quid ibi eſſet. qui venientes, inuenerunt labrum æneum plenum denariis. quos ita, vt inuenti ſunt, cum labro præcepit in flumen Aneſum, vbi maxima profunditas erat, præcipitari. Fratres autem illi cœperunt, quantum ſalua reuerentia potuerunt, reſiſtere, melius eſſe dicentes, ſeruari tantam copiam, & ſi ad nihil aliud, ſaltem ad conſolandos pauperes, quàm à flumine abſumi. Vir autem Domini in ſua perſiſtens ſententia, nulla potuit ab ea ratione deflecti; aſſerens immundam eſſe illam pecuniam, atque ideo nulli idoneam vtilitati. Quis rogo hoc modo faceret? quis vel tres denarios ob iſtiuſmodi proiiceret cauſam? Apparet ergo in hoc memorabili facto, quanta fuerit viri ſancti, & in præcipiendo auctoritas, & ab omni auaritiæ contagione quàm intacta ſemper præcordia habuerit. Camerarium autem, vt dignus fuit, coram omnibus vehementer increpatum, ab eadem obedientia abſoluit, & alium ſubſtituit. Item alia vice pauper eum adiit, vt eleemoſynam acciperet. Miſit protinus ad fratrem, qui piſtoribus præerat, iubens, panem dare mendico. Negauit ille, eſſe ſibi panes. Tunc vir Domini miſit quendam monachum nomine Erchengerum, vt videret, an ita eſſet: & inuenti ſunt ibi XXX. panes. Ilicò conuocatis fratribus inobedientem propria manu, aſſumpto & alio adiutore, diris verberibus corripuit, & panes omnes in flumen proiicere fecit.

* indices.

Pauperibus nega am pecuniam iubet in flumen proiici.

Item panes.

X. PROPTER confeſſionem multi veniebant ad eum, plurima offerentes donatia: quorum ipſe nihil tangebat; ſed, ad pedes eius, vel ad altare, iuxta quod ſederat, poſita, poſtquam expeditus inde receſſiſſet, fecit aliquem monachorum omnia accipere, & inter obedientias, vt ſibi videbatur, diſpertiri. Quæ obedientiarum officia, per illiteratos monachos, & fratres barbaros erant diſpoſita. Literati verò, & ſacro ordine ſublimati, diuinis officiis tenebantur ſpecialiter implicati: ſingulis obedientijs bini præerant fratres tam propter teſtimonium, quàm propter ſolatium. Inter quos ſi qua fortè ſimultas, vel, amotis improbitas emerſit, ſine dilatione regulariter emendabatur, ſtatimque ad bonum pacis patris imperio reformabantur. Iam fama ſanctitatis eius longè lateque declarabatur, adeò, vt etiam de remotis valde partibus multi venirent ad eum confitentes peccata ſua, & pœnitentiæ ab eo remedia ſuſcipientes. Hi quoque, qui propter Dominum pro tempore peregrinari deſiderabant, nullo modo terram ſuam exibant, niſi prius viderent ſanctum Domini: nihil eſſe exiſtimantes iter ſuum, ſi non eius fuiſſet commendatum orationibus, & benedictione munitum. Nam ardenti ſemper amore ſaluti hominum intendebat, nihil prætermittens, quod ad hanc fructificandam ſpectare videbat. Venientes ad confeſſionem, vbi adeſſe nuntiabantur, confeſtim dimiſſis omnibus, ad audiendos eos feſtinabat.

Qnotidie celebrat Miſſam.

XI. MISSAM celebraturus, (quod quidem quotidie cum magna deuotione & deſiderio faciebat) cum iam præpararetur proceſſurus, ſi qui interim confeſſionem facturi adeſſent, differebat officium, & illis morem gerebat: talique occaſione, vel neceſſitate vir clementiſſimus, multoties vltra ſolitam horam, interdum etiam fere vſque ad horam nonam, miſſæ celebrationem differre compulſus eſt, cauens diutius tenere protractos; quorum aliqui de longè venientes, quantocius ad reditum expediri deſiderabant: néue ſua quærere videretur potius, quam aliorum, vt ſalui fierent. quantū libet autem protelaretur dilatio, tamen ad vltimum, ſacroſancti officij nō omittebat fructū.

XII. HABEBAT vir beatiſſimus in confeſſionum auditione conſuetudinem, diligentiſſima indagatione cuncta perſcrutari, quæ contra Deum homo feciſſet; ſi Catholicam teneret fidem; ſi ſciret Dominicam orationem. Et quamuis magna eſſet expectantium multitudo, ipſumque ad alia facienda inuitaret neceſſitas, nullum tamen dimittebat, ante quàm diſertiſſima examinatione dirigeretur ad profectum: Et, ſicubi in Dominica oratione ſimpliciores, vt aſſolet, titubabant, tenebantur, donec pia inſtantia apprehenderent, quod ignorabant, ſic faciebat, eleemoſynam à ſe accipientibus. Interrogati an Dominicam ſcirent orationem; ſi neſciebant, benigniſſimè docebantur, & ſic, quod petierant, accipiebant, vtriuſque hominis ſtipe feliciter adiuti.

Pœnitentibus imponebat diſciplinas.

XIII. SED, vt redeam ad confeſſiones: nam his maximam partem temporis expendebat. Morem habuit verberare omnes, abſque perſonarum acceptione, nullum omnino tranſire ſinens implagatum. Ibi plerumque per ſpiritum cognoſcebat, qui ſe habitu mutato, & voce ſimulata finxerant eſſe, quod non erant. Erat in Chremſmünſter ſacerdos quidam nomine Heinricus, Prior ibi, ſed aliquantulum ſæcularis. Hic ad eum nocte inter alios confitentes & ipſe confeſſurus acceſſit, habitu monachi ad horam, ne agnoſceretur, depoſito. ſed cum ſurrexiſſet de loco, & iam abire cœpiſſet, lætus quod latuerit, vir Domini hac eum voce, ſua illa dulcedine ſubſecutus eſt: Eia, Domine Prior, videte, quod omnia benè diſponatis: Quo audito, Prior vehementer admirans obſtupuit, ipſeque poſtea retulit, ita ſe contra ſpem, voluntatemque deprehenſum.

XIV. HAC autem occupatione ita domi foriſque tenebatur impeditus, quòd penè nihil aliud agere valebat, miſertus multitudinis ob hanc cauſam indeſinenter confluentis. Vnde & monachi ſtulta indignatione exaſperati, cauſabantur eandem occupationem valde eſſe inutilem, grauiſque cauſam iacturæ: quod omnia quaſi neglecta iacerent, quæ ad viri Dei diſpoſitionem pertinerent. ſed ipſe hæc quaſi ignorata diſſimulabat, nihil curans de tali eorum cauſatione: cum ſciret ſuas neceſſatias, & incontradicibiles occupationes nullius damni, ſed potius multorum bonorum eſſe cauſam. eò quod Prior ſuus, aliique diſpenſatores plenam totius adminiſtrationis, ipſo omittente, haberent poteſtatem, & illi, quorum ipſe conſiliis & eruditionibus vacabat ſaluti, tam ſibi, quàm toti congregarioni & loco magnæ felicitatis cauſa exiſterent.

XV. AMABATVR ab omnibus, honorabatur ab vniuerſis: ſed, ipſe humilitati ac ſimplicitati totus deditus, nihil penitus illa mouebatur honoris exhibitione. Nunquam in illius ore aliquid, vt de S. Martino ſcribitur, niſi pax, niſi Chriſtus, niſi miſericordia erat; ita vt in plateis ſedens, ſacras aliquas recitationes præſentibus cauſis idoneas

ſimplici

ſimplici ore ediceret, dicentibus interdum diſcipulis, qui ſimul aderant, aliis de cauſis ſe adueniſſe, quibus expediendis intendere deberet potius, quam ſuas exponere lectiones.

XVI. ERAT aut in lege diuina apprimè eruditus, eloquentia clarus, innocentia purus, moribus venerandis decentiſſimè ornatus, & inter cætera chariſmatum dona etiam ſpiritu prophetiæ minimè carens. Habebat ſecum in monaſterio iuuenem quendam filium germani fratris, nomine Bertholdum, inquietum, mobilitati deditum, & ſpe conſanguinitatis volentem liberius exire de clauſtro; & agere quod libebat. Quem propterea vir Domini frequentius, vehementiusque cæteris increpare & caſtigare ſtudebat, ſed cum diu, multumque increpatus & portatus incorrigibilis appareret, motus pater, miſit eum in Kottvvicum, vbi & rigor diſciplinæ vrgeret; & ſpes propinquitatis nulla arrideret, ita dicens: Eia frater, ite nunc: turbaſtis me frequenter, plurimumque vexaſtis; vos quoque turbabimini, & nunquam aduerſis carebitis. Ita factum eſt. Nam eundem virum poſtea multo tempore ſuperſtitem, nunquam aduerſitatibus caruiſſe, notiſſimum eſt. De clauſtro enim proprio exturbatus, diuque abſque congregatione; circumiens, vagus & profugus, nouiſſimè in exilio finem vitæ fecit, vtinam & laborum.

Habuit ſpiritum prophetiæ.

XVII. QVODAM tempore torrens, qui dicitur Garſte, à quo etiam locus nomen accepit, terminum ſuum, vt ſolet, excurrens, totum ſitum loci operuerat; ita, vt etiam clauſtrum & officinas eius occupans, monachos inceſſum per aquas habere compelleret. Ex quo afflicti, dum cum Beato viro de eodem incommodo dolentes loquerentur, clementer conſolatus eſt eos dicens; Ite ad refectorium, & reficite, & æquo animo eſtote, quia ab hac aquæ inuaſione quamocyus liberabimini, quodque modò torrens iſte fecit, nunquam amplius facturus eſt: Iuit conuentus ad refectorium. Ipſe verò intrauit in oratorium. Et more ſuo proſtratus in orationem; tam celerem, tamque mirabilem precum ſuarum conſecutus eſt effectum, vt ſurgentes de menſa fratres nihil inuenirent de omni illa, quam ante prandium in clauſtro reliquerant, aqua. Verſi itaque in ſtuporem, cum admiratione & gaudio tantum miraculum in ſancto venerati ſunt, quæ aquæ inuaſio, nunquam poſtea contigit.

Torrentem intra limites oratione repellit.

XVIII. QVADAM die denunciauit fratribus quendam virum valdè anxiatum, in proximo affuturum, quem deberent ſuſcipere, & ab imminenti liberare periculo. Cumque interrogarent, quis eſſet? hoc ſolum reſpondit: hominem eſſe miſericordiæ indigum, atque in ſuprema neceſſitate conſtitutum, pietatis intuitu conſolandum. Altera die feſtinus aduolat miles quidam, Leo nomine, qui prædis & latrociniis plurimiſque crudelitatis operibus vitam demeruerat; poſitusque in perſecutionem, etiam ſententia ſuſpendij damnatus erat. Et cum iam quæreretur ad pœnam, Monaſterium concitu curſu petiit, proſtratusque fratribus obſecrat & conteſtatur, quatenus dato conuerſionis habitu, liberent illum de inſtanti interitu. Curritur ad patrem: vt, quid ſit faciendum, decernat. Imperat, celeriter tonderi virum, ſuſcipique in congregationem, vt euadat prometitam damnationem. Profugus ergo ille, diuinæ, qua liberatus fuerat, gratias agens clementiæ, ita conuerſus eſt ad Dominum, mutatoque habitu apud liberatores ſuos bona vita conuerſatus eſt. Hoc peracto; continuo ad pœnam requiſitus eſt, ſed exaudiri non ſunt requirentes, quia iam ſibi eum ſociauerant omnipotenti Domino famulantes. Imò, ipſe eum aſſumpſerat, qui venit quærere, & ſaluum facere, quod perierat.

Latronē ad ſuſpendium condemnatum, in monachum ſuſcipit.

XIX. IN feſto S. Iacobi cum congregatio piſces non habuiſſet, ſicut ipſius ſtatuto in ſimilibus feſtis habere conſueuerat: fit grauis cauſatio coram eo poſtera die, in Capitulo, tantuſque ſtrepitus tumultuantium, quod pius vir veniam petere compulſus eſt ad pedes omnium, cum non poſſet compeſcere rancorem murmurantium, ſed cum nimis importuni exiſterent, & vltra modum tumultuarentur; contriſtatus valde: Bene, inquit, vos haberote, & eſtote quieti, hodie vobis piſcium deſideratam dabo ſufficientiam. Et licet hoc diceret, tamen nondum aderat, vnde hoc, quod promittebat, exſolueret. Cum poſt modicum, egredienti de clauſtro, obuiam factus eſt quidam immanem * Coracinum portans, veracem faciens promiſſorem, plurimumque hoc beneficio ſupernum commendans conſolatorem, antiquum iterantem conſilium, quo murmurantium in deſerto infelix repleuit concilium. Nam ſicut tunc Moyſes certus de Domini potentia, illis promiſit carnes, quas deſiderauerant: ita iſtis vir Domini Bertholdus, confiſus de Dei clementia, ſpopondit piſces, quos amabant. Manducauerunt ergo, & ſaturati ſunt: & ei, qui deſiderium eorum attulit eis, gratias agere, vt dignum fuit, non omiſerunt. Verè pius Dominus, vere miſericors; qui, ne videretur de ſe præſumentem deſerere, etiam inimicis & murmuratoribus clementer dignatus eſt ſatisfacere.

* MS ſupra ponit, id eſt, Rot Coracinus, nomen & genus piſcis, Athen. lib. 7. Idem Coracinus, paulo poſt vocatur, Rufus.

XX. ALIO tempore hoſpites aderant, qui, quod eſſent amici & venerabiles, diligentiori cura & miniſterio honorandi erant. Sed, cum item piſces deeſſent, hocque patri diſpenſatores quererentur: ite, inquit, ad aquam, quærite: Magna eſt Dei clementia. Reſponderunt, ſatis ſe quærendo laboraſſe, ſed nihil profeciſſe. Iterum, inquit, ite, quid tentare nocet? Ipſeque cum eis vſque ante portam, quæ reſpiciebat ad flumen, proceſſit: & ibi ſubſiſtens, exitum rei præſtolabatur. Appropinquantibus illis fluuio cum ſagena, ecce mirum dictu, piſcis, qui vocatur * Tymallus, Rufo perſequente, actus in fugam, mirantibus cunctis, de aqua in terram exiliuit. Capti ſunt tam fugans, quàm fugiens: deſiderabile ſpectaculum exhibentes, non pro ſui vtilitate, ſed pro Beati viri indubitabili ſanctitate. Et illi quidem factum hoc pro miraculo declamare feſtinabant: ſed, vir Domini nihil huiuſmodi audire, vel ſcire volens, repreſſit eos dicens: non eſſe mirandum, ſi quid vna vice non poſſit, alia poſſit, Domino prouidente, fieri. Ita verò timebat publicari ſua merita, ſicut fures timere ſolent, ne deprehendantur eorum furta, Publicabantur tamen. Quomodo enim poterat abſcondi populis, quod aſſiduè prodebatur oculis: cùm vix, aut nunquam vel ab vno vidente poſſit ſileri, quod à nullo poteſt ſine admiratione & iubilo audiri.

*MS etiam hic, & recte ſuperaddit. Aeſch.

XXI. ADERANT ſine ceſſatione quærentium eius conſilia, & benedictiones, diuerſorum hominum multitudines. Et niſi pietate & miſericordia ad occurrendum eis & conſulendum cogeretur; vtique nec aſpexiſſet eum viſus hominis. Conſiderans igitur vir perfectæ pietatis, melius eſſe, multis, quam ſoli, vel paucis prodeſſe, commune commodum priuato anteponens, neminem voluit repellere. quia, quantum in ipſo erat, omnibus voluiſſet bene facere. Igitur virtute bonitatis eius vbique diuulgata, frequentia tam languentium, quam nihil in corpore patientium, & qui vexabantur à ſpiritibus, veniebant ad eum, animæ & corporis remedia quærentes, & frequenter inuenientes, ſanè tanta per illum dignatus eſt Dominus tam manentem in corpore, quàm quieſcentem in terræ puluere oſtendere bona, quod valde admiror, ita vniuerſa vſque nunc ſuppreſſa ſilentio, ac ſi aut minimè facta ſint, aut à nemine viſa.

Multis miraculis claret.

XXII. ERGA dæmoniacos non mediocri præditus erat liberationis effectu, quos ſemper in hoſpitali præcepit, cum his, qui ſimul aderant, ſeruari, & benignè tractari, vſque dum eis ieiuniis & orationibus, ſanitate obtenta, cum gaudio redire permiſit. Ante altare ſancti Petri vir beatus frequenter orare ſolebat, ibi miſſas celebrare, ibi confeſſiones audire, ibi diuinæ contemplationi familiarius inhærere conſueuerat. Illuc mulier, poſſeſſa dæmone, adducta ad eum, ſub omni celeritate liberata eſt. Et licet nonnulli eiuſdem ſaluationis apud eum gratiam inuenirent; non tamen dicimus, omnibus indifferenter præſto fuiſſe curationem. Aliqui curabantur, aliqui non valebant curari. Ipſe quidem omnibus piæ compaſſionis impendebat affectum ibi habens, vbi Deus dignabatur, ſubuentionis effectum.. Erat non longe à monaſterio mulier quædam repleta dæmonio, nomine Haiza, pro qua diu multumque laborauit: ſed nequam ſpiritum ab ea repellere non potuit: loqui tamen,

Varios dæmoniacos liberat.

non niſi quodammodo latrando & ganniendo,ipſo viuente,præualuit. Verum poſt tranſitum eius, vltra modum garrula effecta,oſtendit receſſiſſe magiſtrum,quo præſente,non aperuit os ſuum.

QVADAM die Dominus Adelrammus,qui poſtea ad Chrembſmünſter Abbas factus eſt,aſſumptis quibuſdam XXIII Fratribus,interrogandi gratia acceſſit:& his eam verbis alloqui cœpit:Dic,inquit,quæ te cauſa modo fecit ita loquacem? cum ante hos dies penitus mutam fuiſſe,omnes ſciamus. Ille,ait,qui in monaſterio ſepultus iacet, dum vixit,præcepto mihi poteſtatem ademerat loquendi. At nunc quia mortuus eſt,nullo refrænor timore ad tacendum. Immenſis ergo adiurationibus compulit eam reſpondere ſibi ad interrogata. Obierant autem ſub eodem tempore duo monachi eiuſdem monaſterii. Vnus vocabatur Erchangerus,pater duorum puerorum ibi ab eo oblatorum, & de voluptuoſa ſæculi vita molliter ad Deum in ſenectute conuerſus. Alter Dietmarus dicebatur Cellerarius monaſterii.& in vita ſua reprehenſibilis quidem,ſed tamen valde charitatiuus. Quæſiuit ergo Dominus Adelrammus ab illa obſeſſa,imo à ſpiritu,qui habitauit in illa,terribiliter adiurans,vt vera diceret,& nequaquam mentiri præſumeret. Vbi eſt, inquit,Dominus Erchengerus? Illum,ait,nos habemus. Interrogauit autem & de alio,hoc eſt, Domino Dietmaro. Vbi etiam ipſe eſſet? De quo ſic reſpondit: Noſtræ,inquit,ſorti deputatus fuit:ſed dicente illo monacho,dum iſte moreretur,reddat tibi omnipotens Deus omnia bona, quæ mihi feciſti. Et alio, retribuat tibi pius Dominus bonum,quo me frequenter ſuſtentaſti,& aliis,ſimilia imprecantibus,dum putaremus eum noſtris iam acceſſiſſe partibus, ſubito elapſus eſt, & noſter eſſe deſiit. Illum etiam,quem habemus,diu non poſſidebimus,quoniam eum per duas,quas in Admunte habet,religioſas filias, quantocyus amiſſuri ſumus. Hæc illa mulier ita quidem,vt digeſta ſunt teſtata eſt,nimius coniurationibus conſtricta.ſed ante mortem ipſa dæmone liberata non eſt; nec tamen aliorum conſolationem impedire potuit,quos omnipotens Dominus per dilectum ſuum ſaluti reſtituere voluit.

ERAT vir Domini tantæ ſimplicitatis,vt cum paruulis ita loqueretur,quaſi ſenes eſſent:Et,qui de virtute obe- XXIV. dientiæ nihil omnino ſciebant,hos per obedientiam vel cogebat ad aliquid, vel reuocabat. Nam Dominus Oudalricus Chremeſmünſtrenſis Abbas,filius fratris ipſius,quando primum ei in monaſterio diuino ſeruitio nutriendus,matre offerente, præſentatus eſt,mirabili præcepto à quadam puerilitate per eum coërcitus eſt. Dum enim quotidie ad menſam matris,vt puta puer nondum tonſuratus,nec adhuc receptus in cõgregationẽ,in domũ hoſpitũ curreret:ea die,qua ipſa receſſit,puer more ſolito quaſi pranſurus exiuit,ſed cum eam non inueniret, dolens abſcondit ſe. Porro magiſter hoſpitum miſertus pueri,prodere eum noluit,ſed cibis dormienti appoſitis, quos ipſe expergefactus abſumebat,aliquamdiu ita ſeruauit. Verum B. Pater,dum pro puero triſtaretur, eumq; faceret vbiq; diligenter inquiri,tunc ille Frater,ſumpta manu eius,duxit ad eum ante altare B. Petri orationi inſtantem. Quem ducens in auditorium,(nam in oratorio,præter confeſſiones,nihil prorſus loquebatur)ita allocutus eſt: Infideliter, inquit, erga me egiſti,quod tam diu latendo conturbare me præſumpſiſti, præcipio tibi per ſanctam obedientiam, ne amplius facias,quod modo feciſti. Ecce,quam ſimplici edicto ſimplici puero fugæ lambula interdixit, qui tamen puer, quamuis obedientiæ nec intellectum haberet,obedientiæ virtute, & ſine dubio præcipientis ſanctitate, ita ad obediendum confirmatus eſt,quod in hoc præcepto nunquam inobediens apparuit: nec enim vltra de monaſterio receſſit.

QVODAM tempore quidam nobilis de Rachez cognatus huius S. Patris,multis ſæpe precibus, vt ad domum XXV. ſuam venire dignaretur,ſtudioſe rogare ſolitus impetrauit. Habebat autem,quem vnicè diligebat, paruulum filium,nomine Oulricum:in quo ea, quæ ſequuntur,tunc viſa,& poſtmodum narrata ſunt. Cum enim vir Domini ad pauſandum ſe collocaſſet, refectis paululum ſomno artubus,ſurrexit,& Domino ſeruire cœpit. Et ecce per fumarium,id eſt,caminum hoſtis humani generis,quaſi in modum ſuis deorſum ſe præcipitauit,nulli viſus,niſi ſoli beato viro,& iuxta Patrem,iacenti paruulo. Cœpit ergo puer immodicis fletibus,clamoribuſque inconſolabiliter perſtrepere,& omnibus fore cauſa inquietudinis,ſed cum à nemine poſſet fletus ille compeſci, intelligens vir Domini diabolum eſſe tanti cauſam ploratus,acceſſit ad locum,in quo iacuerat, ſumenſque modicum ſtraminis, quaſi pro verbere,ſuem illum diabolicum cœpit velle eiicere. Cumque aliquamdiu hinc illucque diuertendo egreſſum negare tentaret,tandem ea parte,qua intrauerat,exire compulſus eſt. Quæ res tunc quidem puero illi horrendum exhibuit ſpectaculum, ſed poſtea admirandæ narrationis fuit materia, dignæque venerationis exemplum: meritò namque dignus venerari,quem conſtat ita diabolo dominari, vt faſciculo ſtraminis omne ſibi adimat robur fortitudinis.

Diabolum faſciculo ſtraminis fugat.

HABEBAT vir Domini quendam famulum nomine Siboto,quem à puero vſque ad virilem ætatem educauerat,bonis pollentem moribus,& deſiderio ſupernæ patriæ minime carentem. XXVI. Hic cum enſe accingi deberet miles futurus,monitis Beati viri reliquit ſeculum,& conuerſionis ſuſcepit habitum. Non longo autem poſt conuerſionem tranſacto tempore, cœpit infirmari,crebriſque anguſtiis appropinquare ad finem. Et cum iam morti vicinus eſſet, rogauit ad ſe ſanctum venire patrem. Commendata igitur et anima ſua,& exitus neceſſitate: O quam felices,inquit, ſunt,qui tibi, venerande Pater,obediunt,qui tua ſectantes itinera voluntatem amant,præcepta non negligunt. Felices,inquam,quoniam perpetuæ felicitatis gaudia ſine dubio apprehendunt. O quam decora ſedes veſtra! quam ineffabili ornatu veſtræ exſpectationi præparata,quæ venerabilis Pater ſubito interrupit, & adhuc loqui volentem, cum increpatione compeſcuit dicens: Tacete,Frater. Neſcitis,quid dicitis Et ille,Ego,inquit,taceo quidem, attamen ſcio,quid loquor,& vera dico:pulcherrima eſt ſedes veſtra. His dictis,beato fine quieuit.

Commendatur a moriente

ALIVM quendam Emhich nomine de latrocinio,& ipſis,vt ita dicam,mortis faucibus ereptum,Domino bene XXVII. conuerſum conſignauit & ſanctum. Iſte cum negociatores aſſumptis † ſibi cõtionibus quaſi deprædaturus inuaderet, oppidò vulneratus eſt,& inde ſemiuiuus aſportatus,ſed adepta per diuinam miſericordiam ſanitate conuerti paratus, imo deſiderio æſtuans conuerſionis,ad hominem Dei conuolauit,humiliter poſtulans dari ſibi opem ſalutis, & facultatem Domino in ſpirituali conuerſatione famulandi. Reſiſtunt omnes,contradicunt vniuerſi, timentes, quia prædator fuerat,& multa abſtulerat,quod pro eo eſſent expoſtulatoribus rationem reddituri. At, qui nullum repellere,ſed omnes admittere conſtituerat,nec iſtum paſſus eſt ſua ſpe fruſtrari, ſed fracti per dulciloquia contradictoribus,ſociatus eſt congregationi ſumma humilitate ſupernæ reſponſurus vocationi. Nam, qui quos prædeſtinat, vocat,& quos vocat,iuſtificat:verè & in iſto oſtendere dignatus eſt, quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Libenter cognouiſſet literaturam,ſed diſcendi gratiam non habuit: magiſterio tamen Spiritus ſancti minime caruit:quem ſuæ humilitatis moderatorem & inhabitatorem habuit. Infirmorum curam à Patre ſuſcepit,deuote quidem,ſed, deuotius adminiſtrauit,nullo valens ſuperari labore,quo eorum commodis poſſet & vtilitatibus proſpicere:Ipſe ligna ſuper humeros ſuos de ſilua portabat,quibus ignẽ eis extruebat,& ſtubã calefaciebat, in quo itinere ab oratione non ceſſabat. Ipſe eis cibos manib. ſuis ferebat,& ante eos ſtans,vel incidẽs quod manducarẽt, orationẽ Dominicã dicebat,nihil vnquã guſtans eorũ,quę ipſis anteponebat. Quod reſiduũ fuit,ad pueros clauſtrales afferẽs interrogabat,ſi quod Pſalteriũ ad præſens haberẽt decantare?cumq; reſpõderẽt,etiã:vt,inquit,& me aſſumatis facia-

† ſic M. S. forte comitibus.

Prædonem admittit ad ordinem.

faciatiſque participem, accipite iſtud, & comedite, ſtanſque ante eos, & carnes frangens Dominicam orationem de ore non dimittebat. Conuentus quidem ex auctoritate ordinis ſagimine in cibo vtebatur; ſed iſte, licet ad hoc etiam præcepto cogeretur, tamen, vix guſtato, ne inobediens exiſteret, amplius tangere perhorrebat: ſimulabat tamen comedere propter alios, ne notaretur, & de ſua proclamaretur abſtinentia. Ita in humilitate & vera ſpiritus contritione poſtquam Domino per biennium de latrone monachus & ſanctus ſeruiuit, volente Domino magnificare miſericordiam ſuam cum illo, imò & declarare, quoniam non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, infirmitate correptus eſt, ſedebat ergo continue, in lectulo iacere nolens, ne nimis corporali videretur indulgere quieti; & non diebus, neque noctibus à colloquiis diuinis & oratione ceſſabat. Poſt non multos dies, ingraueſcente languore, vocari ad ſe ſanctum Patrem rogauit; qui, cum adeſſet, præſentibus etiam quibuſdam de fratribus; Dominus, inquit, remuneret omnia bona, quæ mihi, Domine Pater, clementia veſtra hucuſque impertita eſt. Iam nunc proficit opus bonum, quod cœpiſtis in me, vt completis extremæ neceſſitatis officiis dirigar, quò iturus ſum. Cumque venerandus Pater blandè conſolaretur eum, ſpacium ei adhuc viuendi de Dei miſericordia promittens, ſe quoque non defuturum neceſſitati, vbi tempus adeſſet. Modò, inquit, eſt tempus faciendi, quia quantocyus migraturus ſum. Nominauit autem quoſdam monachos ſe in morte ſecuturos, dicens ad Patrem; Hortamini illos, vt ſint parati: quia citò ſunt me ſecuturi, ſed cum vir Domini hanc vellet vocem comprimere, & omnino huiuſcemodi verba compeſcere, dicens, illum nullam prorſus eorum, quæ memorabat, habere notitiam. Imo, ſcio, inquit, quid loquor ſeptem ſine dilatione morientur, quatuor obitum veſtrum præcedent; tres: ſubſequentur. Ita factum eſt, ſic de hac vita omnes exierunt, ſicut ab eo fuerant nominibus deſignati. Primò, illi quatuor; poſt quos, venerabilis Pater: deinde, tres alij, vti erant in denominatione ordinati. De viro autem Dei dixit, paratam eſſe ſedem eius; & glorioſo decore venuſtatam. Inde ſumpto viatico, feliciter perrexit ad patriam de exilio. Claret ergo, non ſolum ipſum Patrem Prophetico ſpiritu, vt ſupra memoratum eſt, ventura prænotaſſe; ſed etiam diſcipulos vtique meritis eius, vera de futuris præſenſiſſe.

XXVIII. INFIRMABATVR vir beatus, rogauitque adhærentem ſibi Capellanum, Dominum videlicet Eberhardum, afferre ſibi de proximo fonte aquam ad bibendum. Miſit ergo famulum nomine Hiltiboldum, nutritum ab ipſo Patre, atque in eius ſeruitio tunc familiariter manentem, vt deferret aquam. Allatam ergo dedit Domino Eberhardo, ipſeque ægrotanti porrexit. Vbi bibit Venerabilis Pater. Ego, inquit, aquam poſtulaui. Cui, cum diceret Dominus Eberhardus iam à ſeruo allatam. Ite, ait, & ipſi mihi afferte. Perrexerunt pariter Capellanus & famulus; hauſtamque, vt antea, de puteo aquam petenti præbuerunt. Bibit: &, vt prius, vinum fuit. Tunc reſolutus in lacrymas; quid, inquit, Saluator agis? Nonne peccator ſum, indignus, propter quem ſigna facias? Iuſſit itaque hæc omnino taceri; &, ne manifeſtarentur, tota auctoritate interdixit. Hæc mihi idem Hiltiboldus cum lacrymis, & in anima ſua, ita eſſe, vt expoſita ſunt, aſſeruit, ſed & idem miraculum, videlicet vinum ex aqua factum, non ſemel ei eueniſſe, multi hodieque teſtantur. Sed iam ad beatum eius tranſitum, quem ipſe, Domino reuelante, non ignorabat, verba vertenda ſunt. Deinde ſanitates & miracula, quæ ad ſepulcrum eius fieri viſa ſunt, commemoranda.

Aqua in vinū ad hauſtum illius mutatur.

XXIX. NON longè ante obitum eius, Admuntenſis Pater, ſanctæ memoriæ, Dominus Gotfridus, valde ægrotabat, miſſumque eſt pro eo, vt eius exequiis adeſſet, imò ipſe eum terræ commendare dignaretur. Verum cum ſuam legati legationem dediſſent, Pater ſanctus tali eos reſponſione conſolatus eſt, dicens. Reuertimini, Dominus veſter melius habere cœpit, & benè conualeſcet, ſed rogate eum, vt ſi ei nuntius meus venerit, mihi venire non pigritetur. Ita factum eſt. Conualuit ille Pater: & poſt modicum iſto inuitante, venit, eumque ſepeliuit. Sed, antequam obiret, vocata ad ſe omni congregatione, ſingulorum audiuit confeſſiones, datiſque omnibus propria manu flagellis, & eos abſoluit, & ſibi ab eis remitti, quæ in eos deliquiſſet, humiliter rogauit. Fit ploratus multus, mœror & luctus omnes occupat, nolentes nimirum eo carere, quem habuiſſe ſalus habentium fuit. Tum Venerabilis Pater, tantis eorum permotus ſingultibus conſolatos eos fore deſiderans, Tempus, inquit, aduenit hinc tranſeundi, nec vltra differri valet diu exoptatum, vix exſpectatum. Sed ſcitote, quia vos nunquam deſeram, & huic loco fidelis in perpetuum, deuotuſque cooperator aſſiſtam. Corporali quidem diuiſione ſeparandi ſumus, ſed ſpiritu ſemper vobiſcum ero: Dico tamen, quod poſt diſceſſum meum locus iſte minimè carebit aduerſis, & ſemetipſo minor & inferior multum retroceſſiſſe videbitur, ſed tamen, per gratiam Dei citò reſurget, & melioris ſtatus reſumet dignitatem. Rogant deinde, dari ſibi conſilium, ad eligendum Patrem: pariter pollicentes, vt quem ipſe nomine deſignauerit, hunc proculdubio habituri ſint, quicunque ſit ille: Tum ille, ſi, inquit, conſilium meum in electione veſtra ſecuti fueritis, benè vos feciſſe videbitis & gaudebitis, ſin autem, perperam vos egiſſe, manifeſtum erit. Igitur Eberhardum Capellanum ſuum, virum in Dei rebus approbatum, indubitanter ſibi cenſet ſubrogandum, ſi hunc, inquiens, acceperitis, ſtabit honor Dei in hoc loco: & ſtatus hic veſter, ipſo viuente, nutare non poterit: ſed quoniam idem Eberhardus impeditæ linguæ exiſtens, eloquentiæ donum non habebat, & de hoc ipſo non dimiſit inconſolatos ita dicens: Eſt quidem ibi paruus defectus, ſed hunc, diuina prouidentia, vtiliori ſupplebit munificentia, & minus nocebit, non eſſe facundum, quem conſtat cœleſti approbatum ſententia. Laudant omnes conſilium, ſpondentes ita ſe libenter facturos. Inter hæc autem ipſe Eberhardus pedes ſancti viri, quoniam frigidi erant, in manibus & gremio tenens, more ſuo, dulciter confouebat, nihil curans de illa eorum circa regimen confabulatione. At vbi omnibus digreſſis, ipſi duo ſoli fuerunt, his verbis virum Dei cum mœrore allocutus eſt. Eia, inquit, quid feciſtis? Quale conſilium in me dediſtis? Hæccine eſt gratia, quam laboribus meis & ſeruitio retribuitis? Hoc eſt, quod tanto tempore vobis ſeruiendo promerui? Pia merces, clemens retributio, quod vos tenditis ad requiem, & me tribulationibus immergitis. Vos pergitis ad Chriſtum, & mihi onus imponere nitimini, ſub quo curuari neceſſe eſt etiam eos, qui portant orbem. Aliam fidei meæ, & deuotioni ſperabam ſeruari retributionem. Huiuſcemodi quaſi improperiis ſæpe dictus Capellanus pium obiurgabat Patrem, flens largiter: & totis præcordiorum affectibus vel ſimul abire deſiderans, vel ſub omni ſubſequi celeritate. Quod etiam precabatur multis conteſtationibus, videlicet, ne hic diutius dimitteretur, reducens ei ad memoriam, inſtanterque inculcans recordationi, ſi quid ſeruiuiſſet, ſi aliquid dignum gratia egiſſet, quatenus hoc totum hac ſola exauditione remuneraretur. Igitur cum ingraueſcente languore, quam plures ei ſine alimento tranſiſſent dies, iamque penè defeciſſet, accedens iſdem Eberhardus non tam Capellani, quam piiſſimi nutritoris & procuratoris vbique agens officium aliquid ei in os pro refocillatione immittere cœpit. Quo accepto, collectis in hæc verba viribus: O, inquit, quare ſic feciſtis? Eſſe mihi debuit pro pœnitentia manere ita abſque cibo, vſque ad feſtum Sancti Petri ad Vincula, vt ſic de carnis vinculis abſolutus, eorundem vinculorum pro voto feſtum celebrarem. Nunc verò quia cibatus ſum, citò migraturus conſtitutum diem exſpectare non poſſum. Nec mora. Nocte, quæ B Pantaleonis Martyris feſtiuum præcedit diem, modicum ante nocturnale officium, vocata congregatione, ipſe litaniam incepit, & ad vſque animæ redditionem cum aliis decantauit. tunc leuare manus (* volens), ſed minimè præualens, quieuit in Domino. Tunc miſſum eſt, ſicut præmiſimus pro Patre Admuntenſe, vt veniret: & eius depoſitioni officia humanitatis exhiberet. Venit, & eum commendauit terræ, quem ſuæ prius commendationi ipſe infirmus

Alterius ſanitatem, ſuam verò mortem prædicit.

Eberhardū Capellanū ſuum in ſucceſſorē ſibi nominat.

Moritur.
* in M S. deſideratur.

 aſciuerat.

ficia delapſi fuerant. Quicunque vero ex eorum numero in Chriſti fide ſtabiliores inuenti ſunt, mentem atque cogitationem firmam conſeruantes, neque tyranni minas extimeſcentes, ſed nequiſſimi diaboli tela ſuis corporibus libenter excipientes, cruciatus omnes forti animo perferebant.

Multi atrociter cruciantur.

III. Itaqve ſanctorum martyrum carnes multis variiſque tormentis lacerabantur, ita vt ex illorum vulneribus multus ſanguis deflueret. Quorum corpora in vrbis mœnibus ac turribus ſuſpendebantur: capita vero palis affixa, erigebantur ante portas. Itaque corui, vultures, & eiuſmodi aues, mœnia illa circundantes, ſanctorum martyrum carnes dilaniabant. Quæ res Chriſtianis hominibus mœrorem afferebat. Tale tantumque certamen propoſitum erat his, qui Chriſti fidem confitebantur. Tales erant minæ terroris plenæ, omnibus planè formidoloſæ: tales ærumnæ, lapides fere ipſos commouentes. Sanctorum martyrum cadaueribus vrbis plateæ coarctabantur. Flebant autem fideles, quod ſancta illa corpora in terris deiecta, viderent à volucribus lacerari. Quæſo, quodnam facinus tantopere dolendum? Quæ cædes ſic immanis & acerba? Tunc Chriſtiani homines, manibus in cælum erectis, precabantur Deum, vt eriperentur è manibus Tyranni. Patres filios, filij patres abnegabant. Calamitates ipſæ amiciſſimos viros à ſe viciſſim deſiungebant. At* Maximilianus, Iamblicus, Martinus, Iohannes, Dionyſius, Exacuſtadius & Antoninus, ſimul[a] verſantes, omneſque pariter in Chriſti fide ſtabiles, & Chriſti paſſiones in corporibus ſuis geſtantes, cum viderent quæ quotidie contra Chriſtianos efficerentur, fletu, gemitu, ieiuniis ac precibus aſſidue ſe communiebant. Erant autem illuſtrium virorum & optimatum vrbis filij.

* Maximilianus, &c. Alia nomina habet Gregorius Turonenſis cui conſentit Martyrologium Romanum.

a Vide vt ſe communiant aduerſus perſecutionẽ.

IV. Cvm vero Imperator turbas Gentilium ad inanium idolorum ſacrificia congregaſſet, tunc ſancti viri, quos paulo ante nominauimus, in vnum locum conuenerunt, ſimulque ad Chriſtianorum eccleſiam ingreſſi, proſtrauerunt ſe in terram, & puluere capita ſua conſpergentes, ante Deum gemitus & lachrymas effundebant. Quod cum facerent, obſeruati ſunt à ſpeculatoribus quibuſdam, quod ſcilicet tempore illo, quo ſacrificia diis offerebantur, ipſi ad Chriſtianorum eccleſiam ſecederent. Cumque ſinguli diligenter exquirerentur, vt diis ſacrificarent, acceſſerunt qui homines illos obſeruauerant, & Imperatori dixerunt:[b] Viuas, Imperator, æterno tempore. Tu eos, qui longe abſunt, cogis ſacrificiis præſto eſſe, & qui prope ſunt, contemnunt imperium tuum, & iuſſa tua pro nihilo faciũt, Chriſtianorum obſeruantes religionem. Erat autem * Maximilianus ipſe Præſidis filius, item alii cumprimis illuſtres in exercitu. Tunc Decius Imperator ira percitus, illos ad ſe vinctos duci iuſſit. Quibus ductis: Quare, inquit, non permanſiſtis nobiſcum, vt diis ſacrificaretis, qui totum orbem terrarum ad ſibi obediendum conuocarunt? Accedite igitur, & debitum diis ſacrificium offerte, quemadmodum omnes facere conſueuerunt. Tunc * Maximilianus reſpondit: Habemus, Imperator, Deum in cælis habitantem, cuius gloria cælum & terra plena eſt, cui ſacrificiũ confeſſionis noſtræ offerre ſoliti ſumus, atque noſtrarum orationum libamine coram Deo exultamus omni tempore. Nos enim nidorem ac fumum veſtrorum ſacrificiorum iſtis idolis non offerimus, quandoquidem noſtras animas labefactare nolumus.

b Accuſatur apud Imperatorem.

* alias Maximianus, primus inter martyres.

V. His auditis, Decius non amplius loqui voluit, ſed iuſſit militares zonas ab eis auferri. Cuius rei cauſam eſſe dixit, quod deorum potentiæ aduerſarios ipſos deprehenderat. Prætereа illos à deorum munificentia repellendos, atq; ab Imperii militia procul arcendos eſſe decreuit, quoad opportune de illorum religione inquirere poſſet. Non enim æquum videri ſibi, aiebat, illorum iuuentutem tormentis conſumi: itaque miſericordia motum temporis ſpatium ſe illis concedere, vt interea reſipiſcerent, ad deos reuerterentur, & viuerent. Hæc dixit Imperator, & præcepit ferreis vinculis illorum colla exui, atque à ſuo conſpectu remoueri. Tunc Decius in alias vrbes profectus eſt, vt faceret quæ in animo habebat, eo tamen conſilio, vt Epheſum repeteret. Itaque ſanctis viris, quos diximus, conceſſum fuerat ab Imperatore, vt per aliquot dies libere verſari poſſent.

Militares zonæ auferuntur 7. martyribus.

VI. Cvm igitur opportunum tempus inueniſſent, & in Chriſti fide perſeuerare conſtituiſſent, iuſtitiæ operibus incumbebant: cumque aurum & argentum ex paternis facultatibus collegiſſent, pauperibus multam pecuniam diſtribuerunt: & inter ſe conſilium ineuntes, viciſſim ſe his verbis adhortabantur: Secedamus parumper ab hac vrbe, & ſubeamus ſpeluncam illam magnam, quæ vergit ad Orientem. Illic quiete viuentes, Deum noſtrum attentis & aſſiduis precibus oremus, vt tales effici poſſimus qui ante Tyranni adſpectum conſtanter ſtare valeamus: neque deſinamus Dei gloriam collaudare, vt Deus ipſe ope ſua nos adiuuet, quo rectam eius confeſſionem ſeruemus, coronamque illam incorruptam his paratam, qui eius fidem cuſtodiunt, & Chriſtum agnouerunt, accipere poſſimus. Itaque cum tantum argenti ſumpſiſſent, quantum illis ad ſumptum ſatis eſſe poſſet, aſcenderunt in ſpeluncam in monte ſitam, (mons Ochlon appellatur) quo in loco multos dies tranſegerunt, Deum ipſum orantes, & ſalutem animarum ſuarum ſemper ab eo poſtulantes. Iamblico autem, qui omnibus aliis erat natu minor, & obeundis miniſteriis aptior atque expeditior, impoſitum fuit negotium, vt in vrbem deſcenderet, & ſi quid fieri opus eſſet, ipſe faceret. Erat autem iuuenis ille valde prudens. Itaque cum ad vrbem deſcendebat, ne agnoſci poſſet, veſtem mutabat, & vnus aliquis è numero mendicorum videbatur: cumque pecuniam ſecum haberet, partem aliquã pauperibus diſtribuebat: dabat etiam operam, vt ſubauſcultaret, quidnam de Imperatore diceretur.

Abdunt ſe in ſpeluncam 7 martyres. Iamblicus natu minor eorum œconomus.

VII. Post aliquot dies rediit Imperator Decius in vrbem Epheſum: & ſtatim iuſſit optimates cum his, qui Achillidem ſequebantur, & aliis qui erant illic, ſacrificia vanis idolis offerre: de falſis enim diis ſuis erat valde ſolicitus, cum eorum vanitatem non cognoſceret. Quamobrem Chriſtianæ fidei ſectatores timore magno afficiebãtur. Hæc cum Iamblicus audiuiſſet, egreſſus eſt ex vrbe, paucos panes ſecum ferens, & ad montis ſpeluncam, vbi erant ſocii, reuerſus eſt. Narrauit Iamblicus, quæ in Tyranni palatio ad eius ingreſſum audiuerat, & quemadmodum quæſiti fuerant & ipſi, vt vna cum aliis ciuibus, præſente Imperatore, ſacrificarent. His auditis, timuerunt illi, & multo cum gemitu ac lachrymis Deum precati ſunt. Appoſita eſt igitur illis menſa, & panes, quos Iamblicus emerat, vt cibum ſumerent, & ad Tyranni certamen ſuſtinendum promptiores fierent. Conſedere igitur in media ſpelunca, & ſole occidente cibum ſumpſerunt. Cum vero triſtes ſederent, & inter ſe colloquerentur, dormire cœperunt: erant enim eorum oculi propter mœrorem grauati.

Obdormiunt in ſpelunca.

VIII. At clemens ac benignus Deus, qui ſeruis ſuis ſemper prouidet, fecit illos mortis genus quoddam obire, vt per eos miracula quædam opportuna fierent. Itaque cum ſopore omnes correpti eſſent, in terra iacentes obierunt, animas ſuas Deo reddentes, & diuinam gloriam concelebrantes. Argentum autem, quod habebant in ſuis marſupiis, apud illos eo in loco, in quo iacebant, remanſit. Poſtridie mane Imperator inter optimates iuſſit iterum ſeptem illos adoleſcentes requiri. Qui cum non inuenirentur, ad optimates conuerſus: Magnopere, inquit, doleo propter adoleſcentum illorum calamitates, eo quod illuſtribus & claris parentibus orti ſunt. Opinor enim illos, arbitratos imperii noſtri maieſtatem ſibi valde iratam eſſe, propter pietatis noſtræ religionem ab eis violatam, aufugiſſe. Sed Imperii noſtri benignitas non ſuccenſet his, qui reſipiſcunt, & ad deorum noſtrorum clementiam animos reducunt. Hæc dixit Imperator. Cui optimates reſponderunt: Quod ad illos adoleſcentes pertinet religionis deſertores, Imperii tui maieſtas nequaquam doleat, neque reſipuiſſe illos arbitretur, adhuc enim in priſtina ſua ignorãtia perſeuerant, & vt audiuimus, eo ipſo tempore, quod ipſis præſcriptum fuit ad mutandum conſilium, pertinaciores facti, obſtinatam voluntatem retinent. Itaque argentum & aurum pauperibus per vrbis plateas diſpoſitis diſtribuerũt,

diſtribuerunt, neque amplius quiſquam eos vidit. Si placet igitur maieſtati tuæ, parentes illorum capiantur, & tormentis cogantur dicere, vbinam eorum filii lateant.

IX. HAEC audiens Imperator, ita percitus iuſſit adoleſcentum parentes accerſiri. Quos cum præſentes vidiſſet: Et vbinam, inquit, ſunt filii veſtri, Imperii & iuſſorum noſtrorum contemptores? Propterea vos etiam inſolentiæ ipſorum cauſa interfici iubeo. Tunc illi dixerunt: Precamur te, benigniſſime Imperator, vt noſtram cauſam audias. Nos Imperii & Maieſtatis tuæ iuſſa non violauimus, neque propitia deorum numina deſeruimus. Quare igitur nos illorum, qui deſertores ſunt, cauſa moriemur? Quod vero ad argentum & aurum pertinet, illi à nobis pecuniam ſubripuerunt: quam cùm pauperibus diſtribuiſſent, aufugerunt in montem, & ibi deliteſcunt in ſpelunca. Siue igitur viuant, ſiue mortui ſint, nos ignoramus. Hæc audiens Imperator, viros illos dimiſit, & multum ſecum cogitabat, quidnam faceret adoleſcentibus. Benignus autem Deus in eius mentem iniecit, vt ſpeluncæ illius aditum lapidibus obſtrueret, quô ſanctorum martyrum corpora ſepulta illic iacerent, neque ſanctæ reliquiæ amouerentur, ſed vſque ad reſurrectionem ipſam ſeruari poſſent.

Martyrum parentes capiuntur, & cogantur prodere filios.

Imperator iubet obſtrui os ſpeluncæ.

X. DECIVS ergo Imperator ſententiam contra illos adoleſcentes talem pronunciauit: Quoniam noſtris edictis parére noluerunt deſertores adoleſcentes, & noſtrorum deorum numen contempſerunt, propterea & ipſi benignitate noſtri imperii priuentur, neque amplius in conſpectum hominum appáreant. Quamobrem ſpeluncæ aditus ſaxis magnis obſtruatur, & ſigillorum munimine imprimatur, vt viui obruantur, & in eiuſmodi carcere moriantur. Exiſtimabat enim tam Imperator, quam tota ciuitas, adoleſcentes illos adhuc viuere. Theodorus vero & Barbus, qui fuerant à cubiculo Imperatoris, & miniſtri admodum fideles, cum eſſent & ipſi Chriſtiani, propter perſecutionem ſeſe occultauerant. Tum inter ſe ita dicebant: Scribamus martyrium ſeptem adoleſcentum in plumbeis tabulis, quoniam propter Chriſti fidem mortui ſunt, & martyres facti ſunt. Quæ autem ſcripſerimus, in æreis loculis reponamus, & loculos ipſos ſigillo munitos, inter lapides, qui ſunt in eo loco, ponamus: (fortaſſis enim Dominus ante nouiſſimi aduentus diem Martyres viſitabit) vt ſi quo tempore ſpelunca hæc patefacta & ſanctorum martyrũ corpora in apertum prolata fuerint, ex literarum monumentis illorum facta diſci poſſint. Fecerunt igitur Theodorus & Barbus, quod inter ſe communicauerant.

Decii in illos ſententia.

Theodorus & Barbus martyrium illorum cõſcripſerunt in tabulis plumbeis.

XI. TEMPORIS interuallo mortuus eſt Decius Imperator, & tota ætas illa interiit. Succeſſerunt autem Imperatores ſuo quiſque tempore, quoad Theodoſius Imperator ſceptrum tenere cœpit. Qui cum religioſe & Chriſtianè imperaret, ſurrexerunt quidam hæretici, qui negabant mortuorum reſurrectionem, quam Chriſtus ipſe in ſua ſancta Eccleſia firmiter credi voluit. Milites enim quidam idolorum cultores, cum in palatio Imperatoris verſarentur, apertam perſecutionem aduerſus aliquos apud Imperatorem commouerunt. Quinetiam Epiſcopi quidam rectas Dei ſemitas peruertere cupientes, in eccleſiis multarum præuaricationum erant authores. Quorum princeps & malorum omnium caput habebatur Theodorus Aeginenſium Epiſcopus, ſimul cum iis, quos ſecum habebat: qui ne nominari quidem debent, cum Dei Eccleſiam perſecuti fuerint. At Imperator Theodoſius in dies magis perturbabatur ac dolebat, cum ſanctarum eccleſiarum fidem fluctuantem videret. Itaque à Deo ipſo eius mali curationem poſcebat. Erant enim, qui dicerent mortuis hominibus conſolationem nullam futuram. Alii affirmabant corpus vetuſtate conſumptum, ipſum quidem conſolationem nullam habiturum, ſed ſolam animam immortalis vitæ participem futuram. Eiuſmodi homines vanis opinionibus decepti ſic errabant, neque animaduertebant infantem puerum nunquam in ventre matris fuiſſe ſine carne, neque carnem è vulua exiiſſe ſine anima vitali. Item claudentes mentis oculos, ſacras literas non conſiderabant, in quibus ſcriptũ eſt: Audient qui ſunt in monumentis, vocem filii hominis, & viuent, & alio loco: Et multi de iis, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium: cum illud etiam in eis ſcriptum inueniatur: Ecce ego aperiam ſepulcra veſtra, & educam vos de ſepulcris veſtris, populе meus. Hæc ſunt diuinarum literarum teſtimonia. Sed hæretici homines à recta vitæ ſemita deuiantes aberrabant, & fidei ſynceritatem obliquis ſuarum animarum cogitationibus peruertebant.

Hæretici reſurrectionem negãtes exiſtunt ſub Theodoſio

Vide Baró. in notis ad Martyr. hoc die.

Theodorus pſeudo-epiſcopus

Errores ſub Theodoſio.

Iohan 5.

Dan. 12.

Ezech. 37.

XII. IMPERATOR igitur Theodoſius eam rem moleſte ferebat, ob idque mœrore afficiebatur. Verum cum clemẽtiſſimus Deus neminem velit à fidei via errantem perire, fecit, vt reſurrectionis myſterium omnibus patefieret. Immiſit enim in mentem cuiuſdam hominis, qui dicebatur Adolius, eius montis & ſpeluncæ dominus, vbi ſancti martyres dormierant, vt ouile quoddam ſuis pecudibus conſtrueret. Eius igitur ſerui vna cum his, qui operi faciendo vacabant, lapides pro ædificio ex eius ſpeluncæ oſtio reuoluebant. Tunc Domini noſtri Ieſu Chriſti iuſſu ſanctis illis viris, qui in ſpelunca dormierant, vita reſtituta eſt, & vox illa, quæ Lazarum è monumento excitauit, eadẽ & ſanctis martyribus vitæ ſpiritum reſtituit. Surrexerunt igitur, & Deum laudantés conſederunt, & quemadmodum quotidie conſueuerant, ſe viciſſim ſalutabant, quoniam nullum in eis ſignum exiſtebat, ex quo mortuos ſe fuiſſe iudicare poſſent: nam & veſtes tales erant, quales & antea, quam obiiſſent: corpora etiam ipſa florebant, hilaritatem præ ſe ferentia: denique tales erant, vt ſi pridie veſperi ſomnum cœpiſſent, & poſtridie mane experrecti fuiſſent. Adhuc & de idolorum ſuperſtitione ſoliciti, à Decio Imperatore ſe inquiri exiſtimabant: ob idq; multa cura affecti, vertebant oculos ad Iamblicum procuratorem, & ab eo denuo quærebant, quænam pridie veſperi audiuiſſet de ipſis in ciuitate. Quibus Iamblicus reſpondit: Quemadmodum vobis dixi heri veſperi, & nos vna cum reliquis ciuibus quæſiti fuimus, vt diis immolaremus coram Imperatore: qui niſi eius iuſſui obtemperauerimus, tormenta ſe nobis allaturum conſtituit. Quid autem facturus ſit, neſcio.

Adolius aperit ſpeluncam.

Iohan 11.

Reuiuiſcũt dormiẽtes.

Credebant ſe vna tantum nocte dormiſſe.

XIII. TVNC reſpondit* Maximilianus: Agite, fratres, parati ſimus prodire in conſpectum Imperatoris illius terribilis & veri Dei Ieſu Chriſti, neque timeamus mortalem iſtum Imperatorem. Tu vero, Iamblice, da operam: vt paretur nobis cibus ad horam conſtitutam. Accipe argentum, ingredere in vrbem, eme panes multos: pauci enim fuerũt, quos heri veſperi attuliſti, ob idque eſurimus. Eadem opera diſcas, quid Decius Imperator de nobis decernat. Cogitabant enim ſe nocte ſuperiore cubuiſſe, & poſtridie mane experrectos fuiſſe. Tunc igitur bene mane ſurrexit Iamblicus, & argentum ſumpſit ex loculis, quemadmodum conſueuerat. Erat autem moneta illa vetere nota impreſſa, quæ partim quadraginta, partim ſexaginta nummorum precio pendebatur veterum Imperatorum temporibus, cum ſancti viri, de quibus verba facimus, prius viuebant. Præterierant autem trecenti & ſeptuaginta duo anni, ex quo dormierant vſque ad eum diem, quo reſurrexerunt.

*Vide Bar. vbi ſupra.

Emittitur Iamblicus ad emendos panes.

Diuturnus ſomnus.

XIV. CVM igitur illuxiſſet, exiit Iamblicus ex ſpelunca, & vidit lapides ante ſpeluncam poſitos, atque obſtupuit: nihil enim de lapidibus illis cognouerat. Deſcendens autem de monte, timebat deambulare. Itaque in via totus trepidabat, metuens in vrbem ingredi, ne quo modo agnoſceretur, & ad Imperatorem Decium vinctus duceretur: quippe ignorabat eius tyranni oſſa in ſepulcro putrefacta eſſe. Cum vero in vrbem ingrederetur, & venerandæ Crucis lignum ante vrbis portas erectum vidiſſet, ſic obſtupuit, vt à mente ferè exciderit: atque in quancunque partem oculos vertiſſet, rerum nouitate perculſus, magis obſtupeſcebat. Acceſſit ad aliam vrbis portam, & illic etiam Crucem ipſam ſupra muros erectam vidit. Cumque omnes portas obiiſſet, venerandæ Crucis figuram locatam adſpiciens, præ ſtupore mutus factus eſt. Itaque cum ad primam illam portam ſe contuliſſet, ita ſecum loquebatur Quid-

Viſe antiquiſſimum S. Crucis vſum.

Putat ſe alicuius ſpectri illuſione decepiſ, Iamblicus.

nam hoc eſt? Heri veſperi huius Crucis ſignum in laribulis ſeruabatur, & nunc aperte in ipſius vrbis foribus erectū videmus. Verène hoc video, an ſpectri alicuius illuſione decipior? Cum hæc diceret, & Crucis figuram vbique fixam videret, animo magis confirmato, in vrbem aperto capite ingreſſus eſt. Cumque longius progrederetur, audiuit multos per Ieſu Chriſti nomen iurare. Quare magis perculſus: Quid hæc ſint, inquit, ignoro. Heri veſperi nemo liberè Chriſtum nominabat, & nunc tam multis linguis Chriſti nomen celebratur. Rurſus ſecum ambigens, dicebat: Forraſſe vrbem Epheſum non video; quoniam eius ædificia omnino mutata ſunt, & ipſius lingua, alia quædam eſt Chriſtū edocta: quod in nullà alia vrbe fieri vidi, niſi in hac ſola. Progreſſus igitur, quæſiuit à quodam ciue, quo nomine vrbs illa vocaretur. Epheſus, inquit ille, hæc vocatur. Non credidit Iamblicus, ſed ſecum cogitans: Deceptus, inquit, certe ſum, locorū oblitus, totaq; mente aberrans. Exeundū igitur mihi eſt ex hac vrbe, ne magis errem.

Monetæ veteris figura cuius Epheſinis teſtimonium dedit veræ reſurrectionis.

CVM ergo ſolicitudine magna teneretur, & illinc exire vellet, prius voluit panes emere, & argentum ſumpſit, XV. vt precium daret. Qui vero panem vendiderant, cum monetam illam magnam & diuerſam vidiſſent, mirati ſunt, & viciſſim eam ſibi oſtendebant. Per manus igitur tradita, moneta illa per omnes, qui panem vendebant, tranſiit. Qui viciſſim in aurem inſuſurrantes, & Iamblicum intuentes, dicebant: Vere homo iſte theſaurum inuenit, veterē illum quidem, & multis ab hinc annis reconditum. Iamblicus cum illos ſuſurrantes videret, cœpit timere: exiſtimabat enim ſe ab illis agnoſci, & Decii imperio tradendum eſſe. Cum vero multi acceſſiſſent, & eius formam nequaquam cognoſcere poſſent, in medio foro illum detinebant. Itaque turbæ multæ confluxerunt, & ſermo hic per totam ciuitatem vulgatus eſt, adoleſcentem quendā cōprehenſum fuiſſe, qui theſaurū inuenerat. Turbæ autem ad eum congregatæ, dicebant: Homo iſte peregrinus eſt, neq; vnquam illum vidimus. Hæc dicebant, & intentis oculis magis magiſq; ipſum intuebantur. Volebat Iamblicus cauſam ſuam agere, quod falſum eſſet, quod de theſauro inuento dicerent: ſed ſtupore detentus, id facere non poterat. Cumq; omnes turbas circumſpiceret, neminem agnoſcebat, & nemini notus erat, licet claro & illuſtri genere apud vrbem Epheſum natus eſſet. Quapropter admiratione maxima detinebatur, quod pridie veſperi omnib. notus fuiſſet, & poſtridie mane neminē agnoſceret omnino & ipſe ignotus. Dabat operā, vt inter turbā illā, patrem vel aliquem ex fratrib. inueniret, neq; quenquam videbat.

Iamblicus trahitur ad Epiſcopum & Proconſulem.

TVNC ea res per totam vrbem vulgata, vſque ad Epiſcopi aures peruenit. Diuina quoque prouidentia factum XVI. eſt, vt eius vrbis Proconſul illa ipſa hora veniret ad Epiſcopum. Qui dum diceret de theſauro, quem ab adoleſcente illo inuentum cogitabat, ea res fecit, vt mortuorum reſurrectio pateret omnibus. Iuſſerunt enim tam Proconſul, quam Epiſcopus, adoleſcentem illum benigne tractatum cuſtodiri, & ad ſe duci cum argento, quod ſecum habebat. Cum igitur Iamblicus ad eccleſiam traheretur, putabat ad Decium Imperatorem ſe trahi. Itaque huc & illuc circunſpiciebat, vt aliquem ſuorum videret, vel conſanguineorum, vel eorum, quibus notus fuerat. Adoleſcentem ita circunſpicientem turba, vt inſanum aliquem, irridebat: itaque violentius ad eccleſiam impellebatur. Iam vero Proconſul & Stephanus Epiſcopus monetam illam in manus ſumptam inſpicientes, admirabantur. Tunc Proconſul Iamblicum interrogans: Vbinam, inquit, eſt theſaurus, quem inueniſti? Moneta enim hæc è theſauro ſubrepta eſt. Minime, inquit Iamblicus, theſaurum inueni, quemadmodum me vos inſimulatis. Illud vnum certo ſcio, ex paternis meis pecuniis argentum hoc eſſe, eius monetæ nota impreſſum, quæ huic vrbi conſueta eſt. Sed certe miror, neque cogitare poſſum, vndenam tentatio hæc mihi acciderit. Ad hæc Præſes: Vndenam, inquit, es tu? Illi autem reſpondit Iamblicus: Ex hac vrbe, vt opinor, ego ſum. Quo patre natus? inquit Præſes. Eſt ne aliquis, qui te agnoſcat? Veniat, & teſtimonium dicat pro te, & credemus tibi. Protulit Iamblicus patris & fratrum ſuorum nomina: neque quiſquam nouerat, quos diceret. Tum Præſes: Vera, inquit, non ſunt, quæ dicis. Hæc audiens Iamblicus, perplexo erat animo, nec habens quid reſponderet, ſilebat. Quem cum ita perplexum ac triſtē vidiſſet: Fortaſſe, inquit, inſanus eſt. Alii dicebant: Nequaquam inſanus eſt, ſed inſaniam ſimulat, vt pericula effugiat.

Dure accipitur à Proconſule.

Acerbioribus verbis Præſes eum increpans: Qua ratione, inquit, te ferre poſſumus, aut tibi credere, argentum hoc ex paternis pecuniis ad te perueniſſe, cum moneta hæc ex inſcriptione & nota ſignificet, quod trecentis & octaginta annis ante nos fuerit, ac priuſquam Decius imperaret, neque vlla ex parte ſimilis ſit illi, quæ nunc in vrbe impenditur? Num parentes ita veteres, & ante trecentos annos genitos habere potes tu, qui adoleſcens es? An putas te ſic aſtutum eſſe, vt ſenes & Epheſinæ vrbis ſapientes decipias: His de cauſis iubeo te in vincula conjici, & flagellis verberari, donec confitearis, vbinam ſit theſaurus iſte.

HÆC audiens Iamblicus, & timens, faciem in terram proſtrauit, & his verbis illos affatus eſt: Precor vos, vt XVII. mihi non grauemini dicere, quod quæſiero: omnia enim libere vobis confeſſus fuero. Decius Imperator, qui erat in hac vrbe, viuit ne, an non? Ad hæc Stephanus Epiſcopus: Non eſt, inquit, fili, qui hodie in hac regione Decius Imperator nominetur. Tunc Iamblicus: Venite, quæſo, mecum, & oſtendam vobis in ſpelunca montis Ochlon ſocios meos, vt ab illis diſcatis verum eſſe, quod dico. Certe ſcio ab Imperatore Decio nos illuc fugiſſe: quem Decium & ego heri veſperi in vrbem Epheſum ingredientem vidi. Sit autem nec ne vrbs iſta Epheſus, neſcio. Tunc Epiſcopus Stephanus in eam cogitationem veniens, quod Deus per iuuenem illum aliquid eis reuelare vellet: Eamus, inquit, & videamus. Statimque Epiſcopus & Proconſul cum optimatibus & turbis multis aſcenderunt in montem ad ſpeluncam, quam Iamblicus antecedens demonſtrauit.

Arcula ærea continens martyrium 7. dormientium.

Dum autem Epiſcopus, & qui cum eo erant, ingrederentur in ſpeluncam, in eius oſtio arculam quandam æream inuenit Epiſcopus, inter duos lapides poſitam, & duobus argenteis ſigillis impreſſam: quam coram Præſide & optimatibus aperiens, duas plumbeas tabulas in ea inuenit, in quibus ſcriptum erat, à Decio Tyranno fugiſſe Maximilianum Eparchi filium, Iamblicum, & reliquos adoleſcentes, & ipſius Decii Tyranni iuſſu ſpeluncæ illius aditum obſtructum fuiſſe. Erat & eorum martyriū in earundem tabellarum latitudine conſcriptum. Quo lecto admiratione affecti ſunt, & Deum ipſum, qui tanto miraculo adoleſcentes illos proſecutus fuerat, ſummis vocibus collaudârunt.

INGRESSI vero in ſpeluncam, ſanctos illos ſedentes inuenerunt: quorum facies inſtar luminis effulgebat. Ad XIIX. eorum igitur pedes ſe abiicientes, eos venerati ſunt, & Deo gratias egerunt, qui tanti miraculi ſpectaculum ipſis conceſſerat. Cæterum ſancti martyres de omnibus, quæ ſub Decio facta fuerant, eos docuerunt. Statim vero Epiſcopus & Proconſul miſerunt literas ad Imperatorem in hanc ſententiam: Celerrime iubeat maieſtas tua huc aliquos venire, & videre miracula, quæ Deus oſtendit Imperii tui tempore: quandoquidem futuræ in extremis temporibus reſurrectionis ſignum noſtra ætate mundo ipſi præmonſtratum eſt, in ſanctorum virorum corporibus, quę nunc reſurrexerunt.

Theodoſius venit Epheſum ad 7. dormientes.

Ea re gauiſus eſt Imperator, & Dei gloriam laudabat. Quinetiam ad eum locum ex vrbe Conſtantinopoli cum multis hominibus profectus eſt: eique tota ciuitas Epheſina obuiàm proceſſit. Illico autem ab Epiſcopo, Proconſule & optimatibus deductus, in ſpeluncam ingreſſus eſt: cumque adoleſcentes ſalutâſſet & amplexus eſſet, flere cœpit: & Dei gloriam celebrans, toto animo exultauit. Cui Maximilianus vir ſanctiſſimus: Ex hoc, inquit, tempore Imperium tuum propter fidei tuæ ſtabilitatem firmum erit, & Ieſus Chriſtus filius Dei viui cuſtodiet ipſum in nomine ſuo ab omni tentatione. Mihi credas, iuſ cauſa fuiſſe nos à Deo ipſo exuſcitatos.

IMPERATOR, & Epiſcopus, & tota turba hunc ſermonem audientes, mirum in modum lætabantur. Sancti vero XIX. martyres cum ſua capita in terram declinâſſent, & Deum precarentur, dormierunt, & ita diuino nutu ſuos ſpiritus

Domino

Dño tradiderunt. Imperator igitur iuſſit ſeptem aureas arcas componi, quibus ſeptem illorũ iuuenum corpora cõderentur. Nocte vero illa iuuenes in ſomnis apparuerunt Imperatori, eique dixerunt, vt in ſpelunca, in qua fuerant ſupra terram, eos requieſcere ſineret. Quamobrem Imperator vſque ad hodiernum diem illic eos eſſe voluit. Deinde magnus Epiſcoporum cœtus illic conuenit, & diem feſtum celebrauit, viroſque beatiſſimos, vt ipſorum dignitas poſtulabat, debitis honoribus omnes proſecuti ſunt. Ad hæc Imperator illius regionis pauperibus multa dedit, & qui erant in carcere, eos dimitti iuſſit. Quo facto, Theodoſius lætus rediit in vrbem Conſtantinopolim multo comitatu. Omnes autem exultantes, Chriſtum Deum noſtrum collaudabant, ſanctos ſuos mire glorioſos efficientem: Cui conuenit gloria, honor & adoratio nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Rurſus obdormiũt in Domino.

Attendant hũc locum noui Sadducæi.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI ET INSIGNIS MARTYRIS PANTELEEMONIS, EX SIMEONE METAPHRASTE. LATINA MARTYROLOGIA *Pantaleonem vocant. Simul etiam habetur hic martyrium Hermolai, Hermippi & Hermocratis martyrum.*

An. 290.

I. Cum idolorum caligo diffuſa eſſet per totum orbem terræ, quando Maximianus tenebat ſceptra Romani Imperii, tunc cognitus fuit Nicomediæ admirabilis & magnus inter martyres Panteleemon. Ex ea enim ſui generis ducebat originem: & vocabatur quidem Pantaleon: erat autem filius Euſtorgii, opibus quidem inſignis, impietate autem clarioris. Erat enim deditus ſuperſtitioni gentilium, & ardenti zelo in eam erat incenſus. Erat vero illi mater fidelis, quæ, quod ad religionem attinet, cum marito pugnabat ex diametro: & bene affecta erat Eubula (id enim erat ei nomẽ) in res Chriſtianorũ. Cum à tali ergo matre & magiſtra bonus educaretur filius, corporali ſimul & ſpirituali eius priuatur nutrimento, lege mortis & communis naturæ, imperfectam & immaturam agens ætatem, cum parum, proh dolor, eſſet vſus materna illa curatione.

Iulii 27.

Patria & parentes S. Panteleonis.

Immaturus obitus matris eius.

II. Postquam autem vidit pater eum per ætatem eſſe aptum diſciplinis, tradit Grammatico: deinde præceptoribus & inſtitutoribus. Poſtquam vero fuit in Græcis ſatis doctus diſciplinis, docetur medicinam, in ea arte illo tẽpore viro excellentiſſimo, nomine Euphroſyno, traditus in diſciplinam. Ille autem celeritate ingenii, tanquam auis quædam ſecans aerem, magna facilitate omnia peruaſit, parum indigens eorum, qui eum adiuuarent, laboribus, propter vires ingenii. Sicque breui æquales omnes à tergo reliquit. Erat autem & moribus modeſtus, & ſermone iucundus, & pulchritudine inſignis. Quæ quidem faciebant, vt cum magna voluptate eſſet in ore omnium, & haberetur ab omnibus in admiratione: adeo vt ipſe Maximianus, cum illum aliquando vidiſſet (ventitabat enim in Regiam, ſequens magiſtrum) non ſilentio præterierit: ſed eum acceſſens, de ipſo inquiſierit, cuiuſnam eſſet filius, & vnde, & alia rogauerit: quinetiam præceptori mandauerit, vt eum, quam citiſſime fieri poſſet, in omni exerceret medicina: eius enim moribus & flore virtutis delectabatur, & ſtatuit illum habere in regia.

Adhibetur literis, inde medicinæ.

Maximianus Imperator vult eum habere in ſua regia.

III. Illo autem tempore quidam ſenex religione Chriſtianus, nomine Hermolaus, erat abſconſus in quadam domuncula cum aliis Chriſtianis. (Id enim faciebat metus Imperatoris.) Qui cum videret Pantaleonem euntem ad præceptorem, & externa teſta animaduerteret celari margaritam, conſiderans quiſnam eſſet eius inceſſus, quis motus, quis adſpectus, quanta eſſet eius oculorum ſerenitas & tranquillitas: Hæc, inquam, cum ille videret, &, ſicut generoſum quendam equum ii, qui tenent harum rerum ſcientiam, etiamſi ſit adhuc pullus, iudicant fore optimũ: aut ex tenera adhuc planta arborem aptam ad fructum: cognouiſſet per ſpiritum fore, vt Pauli ſententia cerneretur vas electionis, magni ducebat & plurimi hoc faciebat, ſi talem illam venatus eſſet animam. Cum eum itaque prætereuntem aliquando acceſſiſſet, rogauit, vt ingrederetur in illam, in qua latebat, domunculam. Ille autem ingreſſus eſt. Quem cum prope feciſſet ſedere, rogauit de genere, & parentibus, & cuiuſnam eſſet religionis, & deinceps ſingula. Pantaleon vero ſtatim omnia refert, vt rei habebat veritas: & quod mater quidem iam eſſet mortua, quæ erat religione Chriſtiana: pater autem viuens ſit mortuus, Gentilium ſequens ſuperſtitionem. Deinde cum adieciſſet ſenex: Tu autem, bone fili, cuiuſnam vis eſſe partis, & vtrius religionis? Pantoleon vero: Mater quidem, inquit, cum eſſet adhuc ſuperſtes, ſuaſit, vt aſſentirer eius religioni, quod quidem mihi placebat: Pater autem, vt qui ſit fortior, cogit me religioni ſuæ dare operam: vult enim me referre in numerum Palatinorum. Quænam vero eſt ea, cui ſtudes, diſciplina? ait ſenex. Aeſculapii, inquit, & Hippocratis, & Galeni. Nam hoc quoque viſum eſt patri meo. Quinetiam ipſe nobis affirmauit magiſter, quod ſi eam accurate didicero, potero curare omnem morbum humanum, & eam, vt fortiorem, obiicere cuiuis affectioni. Hermolaus autem ex illius verbis occaſione accepta & ſemine, tanquam pulcherrimum nactus receptaculum, cœpit diuinum fidei fluentum in id effundere: Crede mihi, dicens, ô optime adoleſcens, vera dicenti. Hæc Aeſculapii, Hippocratis & Galeni parua ſunt, & parum poſſunt prodeſſe iis, qui eis vtuntur. Quinetiam dii ipſi, quos colit Maximianus, ſunt vana omnino fabula, & leuiorum mentium deceptio. Vnus autem ſolus verus Deus eſt Chriſtus: in quem ſi credideris, eius ſola inuocatione omnes morbos ſolues & fugabis: qui cæcis quidem lucem, mortuis autem vitam, leproſis dedit purgationem: qui eos, qui à Maximiano adorantur, dæmones ſolo verbo & iuſſu expulit ab hominibus: cuius etiam veſtimenti fimbria, cum eam ſolum tetigiſſet mulier, ſtatim ſtitit canales ſanguinis, qui duodecim annos integros fluxerat. Et quid opus eſt, res illius dicere? perinde enim eſt, ac arenam, ſtellas, & aquæ guttas dimetiri, eius miracula enumerare & magnalia. Et nunc quoque adeſt ſuis adiutor inexpugnabilis, conſolans in moleſtiis, dilatans in afflictione: in rebus, inquam, aduerſis, & iis, quæ præter noſtram voluntatem accidunt, preces minime expectans, ſed præueniens ipſum quoque motum cordis. Qui etiam iis, qui ipſum diligunt, maiora quam ipſe fecit, præbens facienda miracula, donat deinde vitam, quæ nullum habet finem.

1 Tim. 1.

Venit ad Hermolaum ſenem Chriſtianũ.

Hermolaus ei Chriſtum prædicat. Matt. 9.

IV. Hæc verba cum Pantoleon, tanquam bona terra, corde accepiſſet & abſcondiſſet, credebat, & vera eſſe iudicabat, & ab eis omnino pendebat, & ſuauiter in eis meditabatur, & dicebat Hermolao, ſe ea ſæpe audiuiſſe à matre, & vidiſſe eam orantem, & Deum, quem ipſe prædicat, inuocantem. Volebat autem hæc quoque ſuo magiſtro ſignificare. Quotidie ergo ibat Pantoleon ad ſenem, & ſe pulchris his fluentis oblectabat, & ad veram fidem paulatim confirmabatur: & ad magiſtrum quotidie ventitans, non prius domum redibat, quam ſuas aures oblectaſſet verbis ſenis. Aliquando itaque reuertens à præceptore, cum parum à via propter vſum aliquem declinaſſet, videt infantem mortuum, quem momorderat vipera, & ipſam belluam prope eum ſtantem, & veluti oſtendentẽ, quiſnam cædem feciſſet. Eum ergo, cum id vidiſſet, inuaſit timor, & ſeceſſit paululum. Deinde cum rurſus ſeipſum collegiſſet, eſt reuerſus, & ſtetit iuxta puerum. Iudicabat enim hoc eſſe ſufficiens ſignum eorum, quæ ſenex dixerat, ſi vera eſſent. Surget enim, inquit, puer eius verbo, & id patietur bellua, quod ipſi fecit. Hoc ei in mentem venit, & precibus petiuit, & ſimul viſus eſt infans viuus, & bellua mortua, & quæ apud eam erat, ea, quæ intelligentia apprehenditur, bellua multo magis perdita & enecta.

Credit in Chriſtum.

Mortuum puerum excitat.

CVM ad perfectionem ergo fidei in Chriſtum ſic peruenisſet Pantoleon, ſtatim adſpexit in cælum exter- V.
nis oculis, & Deo, qui eum vocauerat à tenebris interitus ad lucem veritatis, benedixit cum multa animi tranquillitate. Deinde cum ferre non poſſet lætitiam, ad ſenem accedit Hermolaum, & exponit id, quod acciderat, & venerandum ab eo petit baptiſmum. Ille autem (ſciebat enim quidnam cuinam largitur) in hoc libenter inſeruit, & eum, qui erat luce dignus, diuino perficit baptiſmate. Cum vero ſeptem dies manſiſſet apud ſenem, poculentis ipſius verbis cor eius irrigatur, & pinguefit anima, venterque diuinis impletur fluminibus. Sicque vixit ſub bono ſpiritu, multis conſeruatus vtilitas & illuminatio. Cum fuiſſet autem dies octauus, venit ad patrem. Ille vero: Vbi eras, inquit, fili prioribus diebus, & me conieciſti in magnam animi ægritudinem? Numquid tibi accidit aliquid præter expectationem? Is vero: Ad quendam, inquit, ex iis, qui verſantur in aula regia, graui morbo laborantem, profecti eramus ego & magiſter, & quoniam is erat gratus Imperatori, & dignus cuius magna cura gereretur, nō erat omnino facile nobis illinc recedere, ſed perpetuos ſeptem dies illic fuimus præſentes, donec ille ſanitatem puram eſt conſecutus. Hæc dixit, non dicens mendacium, ſed myſtice verba diſpenſans in iudicio œconomiæ, non autem mali alicuius conſilii cauſa.

Baptizatur ab Hermolao.

Myſtice verba diſpenſat.

ITIDEM cum ſequenti quoque die veniſſet ad magiſtrum Euphroſynum, (quoniam ille quoque eadem inter- VI.
rogauit) ad eum ſimili vſus eſt excuſatione: Pater, dicens, emit agrum, & me eum iuſſit accipere, à quo non eſt mihi ocium diſcedendi, donec eius omnia attente inſpexero, & iis, quibus oportet, curam illius tradidero. Eſt enim magni precii, & qui cum nulla alia poteſt conferri poſſeſſione. Hoc vero dicebat, tacite innuens gratiam diuini baptiſmatis. Porro autem magnum adhibebat ſtudium & diligentiam, vt patrem ab errore abduceret, & efficeret, vt pietati aſſentiretur, eum, qui ipſum genuerat ſecundum carnē, ipſe per ſpiritū ſtudens regenerare. Quocirca nunq̄ ceſſauit ipſum ſapienter aggredi, & proponere interrogationes, quæ non facile ſolui poſſent, & ſic eius in falſos deos ſuperſtitionem conari diſſoluere. Quanam enim de cauſa, dicebat, ô pater, qui ab initio quidem ſtabant, nunc adhuc ſtant, ſedendi nunquam memores? Quicunque autem rurſus ſedent, ſic manent perpetuo, & nunquam viſi ſurgere? Hæc & alia ſimilia pater audiens, hæſitabat in eorum ſolutione, & iam in ſua de diis opinione labaſcebat, & erat ancipitis ſententiæ. Quod quidem videns Pantoleon, Chriſti nomen magnis laudibus efferebat, & magnas ei agebat gratias, quod patrem ſuum ſaltem reddidiſſet dubitantem, & (quod diuinus ait Oſeas) cor diuidentem. Quocirca nec eum videbat, vt ſolebat, frequentia & optima offerentem ſacrificia.

Multam nauat operam patri conuertendo.

Oſe 10.

CVM itaque primo voluiſſet conterere & deſtruere patris ſimulacra, quæ in eius cubiculo erant multa, ſe cō- VII.
tinuit. Is enim honorare patrem magni faciebat. Dicebat enim: Ego eum potius inducam perſuaſione, lenitateque & manſuetudine efficiā, vt Chriſto credat: & ſic ambobus ea licebit deiicere. Et ideo is, qui patrem præcepit honorare, illius magnā amplectens pietatem, aptā præbuit occaſionē: quæ fecit, vt eius pater plane & placide crederet: & procurauit, vt ille magnā ſibi pararet mercedē. Hæc cum cogitaret Pantoleon, accedūt quidā, cæcum, qui manu deducitur, adducentes: Cum fores autem pulſaſſent, rogabant, an adeſſet Pantoleon medicus. Cum vero adeſſe intellexiſſent, expectabant. Ille autem cum audiſſet, cum maximo ſtudio egreditur, patrem quoque ſimul aſſumens. Cū autem vidiſſet cæcum, rogauit quonam opus haberet. Ille vero: Luce, inquit, qua ſum priuatus, & qua nihil eſt hominibus iucundius. Miſericordia ergo motus meæ calamitatis, da, ne ſic viuam imperfectè, & veluti ex dimidio: ſed videam ſolem, videam cælum. Nam nos quidem ſic viuentes, nihil differimus ab iis, qui ſunt apud inferos. Et cum facultates omnes medicis præbuerimus, modicum quoque lumen, quod erat nobis reliquum, amiſimus: hoc ſolum à præclaris illis medicis aſſecuti, quod cum facultatibus luce quoque ſimus priuati. Pantoleon autem: Cum aliis, inquit, medicis tuas dederis facultates, & nullam acceperis vtilitatem, ſi rurſus adſpexeris, quid mihi dabis? Ille vero: Quæ ſunt, inquit, reliqua ex meis facultatibus, exoluam prompto & alacri animo. Deinde Pantoleon: Donum quidem, inquit, lucis per nos tibi dabit pater luminum: Tu autem, quæ mihi es pollicitus, vade, & da pauperibus.

Exod. 20.

Offertur ei cæcus curandus.

HÆC cum audiiſſet pater, eum à cœpto abducebat: Noli, dicens, ô chariſſime, ne tu etiam irrideаris. Quid e- VII.
nim plus poteris, quam priores medici? Pantoleon autem: Nemo, inquit, ex aliis medicis ſcit hunc hominem tractare, vt ego ſum tractaturus. Multū enim intereſt inter eos, & eum qui nos docuit. Cum putaſſet autem pater eum hæc dixiſſe de Euphroſyno: Illum quoque, inquit, fili, audio in hoc curando ſuam adhibuiſſe diligentiam, & nihil profeciſſe. Pantoleon vero: Expecta, inquit, pater, & ipſa res indicabit. Hæc cum dixiſſet, & cæci oculos tetigiſſet, & magnum Chriſti nomen vocaſſet, & ab ipſo precibus petiiſſet illius curationem, ſtatim illi quidem oculorum, patri autem ſoluit tenebras impietatis, & effecit, vt apertè confiteretur pietatem: vel potius cæco duplicem dedit medelam. Carnis enim & animæ cæcutiebat oculis, vt qui eſſet adorator idolorum, & per lucem iam corpoream apertos cordis habuiſſet oculos. Ambos ergo, cum credidiſſent, diuino dignatur baptiſmate, & refert in numerum fidelium. Sed non eouſque ſiſti poterat Euſtorgii ſtudium pietatis, vt qui eſſet pater magni Pantoleonis: ſed apertiſſime oſtendens ſe errorem habere odio, cum contriuiſſet idola, quæ erant in cubiculo, ea iacit in foſſam, vt quæ eſſent obliuione & profundo verè digna.

Cæco reſtituit viſum & pater eius credit.

Pater eius ſua contrerit idola.

HAVD ita magnum intercedit ſpatium, & moritur pater Pantoleonis. Moritur autem morte corporis: nam à
morte animæ iam erat omnino liberatus per fidem & diuinum baptiſmum. Quocirca Pantoleon cum inueniſſet IX.
tempus opem ferre voluntati, famulos quidem liberat à ſeruitute, & eis ſatis dedit pecuniæ: alia autem habuerunt manus pauperum. Deinde eos etiam, qui erant in carceribus, & qui tormentis vexabantur & morbis, circumiens curabat, & ea præbens, quæ erant neceſſaria: vt non ſolum morbi videretur medicus, ſed etiam egeſtatis. Qua ex re quidnam accidit? Vniuerſa ferè ciuitas, cum alios iuſſiſſet valere medicos, accedunt ad Pantoleonem, & ab eo liberantur ab iis, quos vnuſquiſque habebat, morbis: vt qui ſibi quoque opem ferentem haberet boni ſpiritus gratiam. Hoc eum apud medicos in magnam vocat inuidiam: & cum aliquando præteriret, qui prius fuerat cæcus, cuius videndi facultatis reſtitutio erat opus pietatis Pantoleonis, ægre ferebant, & inter ſe dicebant: Non eſt hic cæcus, qui noſtram arguit artem, vt quæ nihil ei profuerit? Quis eſt ergo is, qui eum curauit, & qui poteſt talem præbere medicinam? Cumque eum aduocâſſent, rogabant. Ille autem non celauit eum, qui fuerat medicatus.

Facultates ſuas elargitur pauperibus.

Multorum curat morbos.

POSTQVAM vero intellexerunt eum fuiſſe Pantoleonem, Euphroſyni diſcipulum: Magni aiunt, magiſtri
magnus eſt reuera diſcipulus. Sic ignorantes de Chriſto prophetabant. Atque quærebatur quidem à medicis occa- X.
ſio propter inuidiam, vt de eo detraherent apud Imperatorem. Cum autem inueniſſent ex confeſſoribus quendam ab ipſo curari, accedentes ad Maximianum, dixerunt: O Imperator, quem tu iuſſiſti omni ſtudio diſcere medicinam, vt eſſet tuæ potentiæ vtilis, is, vt videtur, & metū & beneuolentiam tuam parum curans, obit eos medicans, qui ſunt in deos contumelioſi, & eadem, quæ illi, non ſolum ſentiens, ſed alios quoque ad eadem colenda attrahens, cui niſi cito vitam ademeris, tibi non paruam afferet moleſtiam, vt qui multos quidem videas ab illo abduci à deorum ſacrificio, Chriſto autem adſcribi Aeſculapii curationes. Cum hoc dixiſſent, ad fidem faciendam eorum, quæ dicta fuerant, rogabant, vt accederet is, qui aliquando fuerat cæcus: eum autem curârat Pantoleon. Poſtq̄ vero auditi ſunt, & is adſtitit: Quomodo, dixerunt, Pantoleon tuos curauit oculos? Ille autem: Chriſto, inquit, inuocato:

Medici ex inuidia deferunt eum apud Imp.

idque

idque cum nec breue quidem tempus mecum eſſet moratus, vt aliqua cogitatio artis nobis poſſet in mentem venire: ſed inuocationem propemodum præceſſit viſio oculorum. Tibi autem quid videtur? inquit Imperator: Chriſtum eſſe dicis, qui te curauit, an deos? Qui vero curatus fuerat: Imperator, inquit, huius rei iudicium eſt rebus ipſis permittendum. Hi quidem, quos vides, medici cum pro me multum laboraſſent, ſibi quidem profuerunt, vt qui meas attonderint facultates: mihi autem nihil, immò verò etiam obfuerunt, vt qui modicam lucem, quam habebam, corruperint. Quemnam ergo oportet exiſtimare adiutorem? Aeſculapium ne, qui à multis fuit vocatus, & nihil profuit: an Chriſtum, qui à ſolo Pantoleone inuocatus, charam mihi lucem ſtatim donauit? Hoc, ô Imperator, quonam modo aliter dixerim? Nam hoc ipſum eſt, vel cæco, vt dicitur, euidens.

Adſcribit curationē Chriſto cæcus qui fuerat.

XVII. Ad hæc Maximianus cum non haberet, quod diceret, & quodammodò ſolo iuſſu ei poſſet perſuaderi: Noli, inquit, te ſtultè gerere, & ne Chriſtum quidem omnino nominare: apertè enim dij tibi lucem donarunt. Is autem ad veritatem, non ad poteſtatem, omninò adſpiciens, & liberius loquens, quàm cæcus Euangelij: Tu, inquit, te ſtultè geris, qui eos, qui ſunt cæci, vocas datores lucis, quibus conſimiliter tu quoquè cæcus permanes, qui talia opinaris, & non potes intueri ad lucem veritatis. Propter hæc Tyrannus fuit ira incitatus. Quomodo enim omnino aures, quæ emarcuerunt & corruptæ ſunt aſſentationibus, aſperiorem, quę ex veritate dicitur, ſuſtinuerint orationem? Statimq; vera eſſe iudicans, quæ ei prius dicta fuerant à medicis, iubet amici Chriſti caput amputari, pœnam veritatis ei mortem inferens, & inuitus efficiens, vt pulchras Chriſto referret gratias, qui eum curauerat, nempe confeſſionem. Bonus autem Pantoleon ne ſic quidem neglexit ea facere, quæ tempori & rebus conueniebant. Sed cum martyris corpus emiſſet ab ijs, qui interfuerant, id cum patre ſuo ſepelit, vt qui per ſuam in Chriſtum confeſſionem, eum ſibi proprium eſſe duxiſſet, & cognatione ſanguinis eum reputaſſet longè coniunctiorem.

Iohan 9.

Cæci à Pantoleone curati caput amputatur.

XIIX. Deinde Imperator ad ſe accerſijt Pantoleonem. Ille verò cum abduceretur, labris canebat pſalmum tempori conuenientem: Deus, dicens, laudem meam nè tacueris: quoniam os peccatoris & doloſi in me apertum eſt. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & verbis odij circundederunt me, & oppugnauerunt me gratis. Pro eo vt me diligerent, calumniabantur. ego autem orabam. Et reddiderũt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Sed fer mihi opem, Domine Deus meus, & ſaluum me fac ſecundum tuam miſericordiam. Induantur, qui me calumniantur, confuſione, & amiciantur, tanquam diploide, ignominia ſua: Seruus autem tuus lætabitur in te. Cum finita autem eſſet eius precatio, ſtetit coram Rege, aut, vt melius dicam, non coram illo, ſed coram immortali, & eo, qui eſt in æternum. Coram eo enim verè ſtabat, & mente conuerſabatur. Cui ille primum placidè & benigne: Non bona ſunt, ô Pantoleon, ea quæ de te audiuimus, à te magnum quidem eſſe contemptui habitum Aeſculapium, & alios, qui ſunt apud te, deos: in illum autem Chriſtum, qui malè perijt, te tuam ſpem poſuiſſe, & eum ſolum Deum nominare. Quanquam non ignoras omnino, quam ego te benignis adſpexerim oculis, & quemadmodum, cum ego te in meam adſciuiſſem familiam, præceptori tuo Euphroſyno diligenter mandauerim, vt te quamprimum faceret in medicina præſtantiſſimum, vt mihi ea in re poſſes eſſe vſui. Tu autem *. Sed omninò homines multa falſa dixerint & inania. Et ideò te accerſij, vt illa, quæ à me ſunt audita, arguantur eſſe vana, & inuidorum alioqui hominum calumnia: & maximis dijs, vt par eſt, offeras ſacrificium.

Pſal 108.

Siſtitur Pantoleon coram Imp.

XIX. Ad hæc Pantoleon: Facta, inquit, ô Imperator, ſunt verbis magis credibilia & fortiora, & ante omnes quidem res alias præcedere oportet fidem & veritatem. In Deum autem pietas, quo eſt excelſior, eo maiori perfectione & abſolutione indiget. Atque is quidem, qui à me colitur & adoratur, cælum fecit, terram conſtituit, mortuos ſuſcitauit, cæcis viſum reddidit, leproſos curauit, paralyticos erexit: idque ſola voluntate & verbo. Qui autem à vobis dicuntur & coluntur dij, neſcio an aliquid tale fecerint, aut poſſint omninò facere. Et ſi velis, id nunc te ipſa experiamur. Accedat huc aliquis ex ijs, qui laborant immedicabiliter, & quorum curationem deſperat ars humana & manus. Accedant autem etiam, qui ſunt apud vos ſacerdotes. Deindè ab eis quidem ſunt primum dij illorum inuocandi: à me autem is, quem colo. Et qui nominatus morbum fugauerit, is Deus ſolus reputetur & colatur: alios autem in malam rem amandemus, eos magna obruentes obliuione. Placuerunt hæc Imperatori. Erat enim hoc Dei & diuinæ eius prouidentiæ conſilium, vt ſic recta fides vel apud ipſos inimicos eſſet citra controuerſiam, & in aperto magis vinceret veritas.

Præclarè reſpondet Tyranno.

XX. Addvcitvr itaque in medium vir paralyticus, qui iam longo tempore decumbebat in lecto, & qui propemodum non poterat magis moueri, quam qui eum tenebat lectus. Cum itaque acceſſiſſent vanorum deorum ſacerdotes, & ij, qui verſati fuerant in medicina, alij quidem Aeſculapium, alij vero Iouem, alij autem Dianam, alij vero alios deos inuocabant, amentes ijs rebus ſupplicantes, quæ mente & ſenſu carent, & maximè in re tam magna, & quæ vſqueadeo ſuperabat naturam. Erat enim æque difficile, & ipſum conualeſcere, & videri illorum deos ſenſu & ratione præditos. Quænam enim adeo muta & leuia poſſunt alijs vllam præbere curationem? Ergo nec præbuerunt: ſed cum multa petijſſent ij, qui dicti ſunt, hoc ipſum, quod erant, nempe lapides, ijs, qui rogabant, apertè apparuerunt. Rogantes autem videns Pantoleon, inanem eorum laborem decorè ſubridendo, ſubſannauit. Poſtquam vero ipſe quoque iuſſus fuit inuocare, tollit quidem in cælum oculos, cum ijs autem extollit vocem, Et, Domine, inquit, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Ne auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In qua die inuocauero te, celeriter exaudi me: & oſtende ijs, qui te ignorant, & eos, qui non ſunt, deos colunt, te omnia poſſe. ô Rex, tua potentia. Nihil eſt autem, quod à te non poſſit fieri. Sic dixit: & cum tetigiſſet manum eius, qui iacebat, dicit: In nomine Chriſti, qui erigit eos, qui ſunt confracti, eſto ſanus, & ſanè vtere membris tuis. Dixit, & verbum effectus eſt conſecutus: neque amplius lectus paralyticum, ſed eius pedes ſuſtinebant, audacter ingredientem, & propemodum exilientem, & ſtatim cum magna voluptate domo egredientem.

Subſannat inanem laborem ſacerdotum idolorum ſanctus Pantoleon.

Pſa. 101.

Pſal 144. & 145.

Sanat paralyticum.

XXI. Neqve vero ad eum vſque conſtitit curatio, ſed ipſe quidem corpore, multi autem alij animo paralytici, & morbo impietatis eneruati, cum vidiſſent quod factum fuerat, ſurrexerunt & erecti ſunt: & poſtremò priori errore condemnato, verum Deum coluerunt. Sic enim Dominus & illuminat cæcos, & ſcit erigere confractos. Atq; ſceleratos quidem ſacerdotes & medicos, qui ſua ſponte erant immedicabiles, non ſubijt lumen veritatis: ſed cum à malis rebus liberari non poſſent, vt qui eſſent ijs diu aſſuefacti, accedentes ad Maximianum, ad iracundiam prouocarunt eum aduerſus ſanctum: Si ſiueris illum viuere, dicebant, & dij ſimul tibi peribunt & ſacrificia: & apertè fabula, noſtra videbitur religio & ſacra orgia: Chriſtiani autem nos profuſe ridebunt, & res illorum magis florebunt, & erunt noſtris multò validiores. Hæc cum dixiſſent, ille facilem eis aurem præbuit, & paruit. Sanctum itaque accerſit Imperator, & tanquam eſcam benignitatis ei Imperator porrigens admonitionem: Crede mihi, inquit, Pantoleon, & dijs offer ſacrificium. An non vides, quòd quibuſcunque non eſt perſuaſum, vt facerent quod dictum fuerat, ij grauiſſima ſupplicia & mortem habuerunt incredulitatis remunerationem? Horum eſt teſtis, qui nuper miſerè vita priuatus eſt, Anthimus ille ſenex. Ego autem curam gero tuæ iuuentutis, neque volo te tam malè perire. Scito enim, fore vt te multa & grauia excipiant ſupplicia, ſi eandem ſequaris inobedientiam.

Multi credunt in Dominum.

Anthimus martyr.

XXII. Pantoleon verò, vitans quidem admonitiones, tanquàm apertam fraudem, minas autem contemnens,

Et blandiẽtem & terrentem Tyrannum contemnit.

tanquam ipſis ſomnijs imbecilliores: Nè exiſtimes, inquit, ô Imperator, fore vt me perſuadeas admonitionibus, nec vt me minis terreas. Quid enim me vel ex bonis mundi capiet, vel terrebit ex rebus terribilibus, qui non ſolum mortem contemno, ſed eam etiam optandam arbitror propter Chriſtum? Pro eo autem tormenta tantum abeſt vt extimeſcam, vt etiam magnum damnum exiſtimem, ſi non ſint plura & grauiſſima, & in ijs clementiam quauis crudelitate duco eſſe grauiorem. Egregium certè Anthimum, non vt tu miſerum, ſed valde etiam beatum eſſe iudico, & eius mortem cuiuis vitæ præfero: quod tali fine talem ornauit ſenectutem, & caniriei alborem ſanguine cruentauit martyrij. Quod ſi ille, qui erat tam prouectæ ætatis, adeò fortem & conſtantem ſe oſtendit, me, qui ſum adhuc iuuenili ætate, quæ non oportet grauia ſuſtinere, vt ijſdem, quibus ſenex, coronis dignus habear? Non egò perſuadebis, non expugnabis, non nos ab hac abduces confeſſione: non per ſacra mihi & diuina ſigna, quibus ego factus ſum certior de veritate. Patriam enim pudore affecerim, & matris, quæ me peperit, pietatem, à qua in ijs, quæ ad pietatem pertinent, pulchrè prius fui informatus, & cum qua in æternis tabernaculis propero requieſcere. Hæc dixit Pantoleon, & paucis oſtendit, qualem virum offendiſſet is, qui de ſceptris & throno ſe iactabat. Quamobrem cum neſciret, quanam poſſet ratione perſuadere, expertus eſt per tormenta: quod erat poteſtatis, non autem ſapientiæ & prudentiæ.

Multis afficitur ſupplicijs. Chriſtus ei apparet.

XVII. Et primum quidem in ligno fuit appenſus, & ferreis martyr laniabatur vngulis. Præterea autem ignis quoque lampades lateribus eius admouebantur. Ille vero non plagis & vſtionibus, ſed ei, qui poteſt opem ferre, attendebat, & oculos in cælum tollens, orabat. & ideò ſtatim adfuit liberator, & Chriſtus apparens in habitu Hermolai ſenis, eum verè ac germane conſolabatur & recreabat: Ego enim ſum tecum, dicens, in omnibus, in quibus propter me patiens, te fortiter geris. Quod autem adeſſet, non procul abfuit probatio. Nam ſimul laxatæ fuerunt manus lictorum, extinctæ quoquè ſunt lampades, & à caſtigando abſtinuit Imperator, & planè dubitabat quid ageret. Iubet ergo eum demitti de ligno, non quòd miſeretur, ſed potius quòd plane neſciret, quid ageret. Deindè propius accedens: Quænam eſt, inquit, ô Pantoleon, ars præſtigiarum, quæ tibi extinxit lampades, & ſatellitibus vires & vigorem abſtulit? Ille autem, Meæ, inquit, præſtigiæ eſt Chriſtus, qui etiam adeſt mihi hæc operans. Si ergo, inquit, maiora tibi tormenta infligam, quidnam facies? Quid aliud, inquit martyr quàm ipſe quoque maiores conſequar remunerationes? Audiuit improbitas, & voluit experiri. Neque enim bonis nouerat credere, neque abſtinebat à malis. Iuſſit ergò afferri lebetem ferreum, cui inerat plumbum, ipſumque igne inferne ſuccendi, & in eum athletam inijci. Poſtquam autem diligenter factum eſt, quod iuſſum fuerat, cum duceretur martyr ad ſupplicium, rurſus orationem tanquam ad extinguendum comparatam, & conſolationem, quæ ſatis poſſit eum refrigerare, ſumit in ore, & eam in terribili illo cecinit lebete: Exaudi Deus vocem meam, dicens, dum oro ad te: à timore inimici libera animam meam: Protege me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Sic orauit, & rurſus in forma ſancti ſenis Hermolai Chriſtus ab eo viſus eſt. & lebetem vnà cum eo eſt ingreſſus, & ignis protinus eſt extinctus, & plumbum in naturalem mutatum eſt frigiditatem. Et rurſus oratio, & pſalmus opportunè ab eo canebatur: Ego ad Deum clamaui, & Dominus exaudiuit me. Veſpere & mane & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet deprecationem meam.

In plumbũ liquidũ immittitur.

Pſal. 63.

Pſal. 53.

Manet pertinax Imperator in ſuo errore.

XIII. Atque ex ijs quidem, qui aderant, alios omnes cepit admiratio: ſolus autem Imperator validè in ſuo hæſit errore: qui apud ſe cogitabat, quonam ſupplicio Chriſti puniret martyrem, & aut eum à pietate traduceret, aut male vita priuaret. Cum autem conſulerent, qui aderant, vt in profundum maris iaceretur ſanctus, (Nam etiam poſt deceſſum, Chriſtianis eius inuidebant reliquias) audiens Imperator eſt perſuaſus, & iubet grauiſſimum lapidem eius collo alligari, & ſic in mare immitti. Curæ autem fuit miniſtris, vt citò id, quod eis imperatum fuerat, exequerentur: Deo verò, vt manum præberet adiutricem ei, qui propter ipſum patiebatur. Quod quidem etiam factum videre licuit. Nam illi quidem cum ad mare veniſſent, & eius collo lapidem alligaſſent, in profundum tranſmittunt. Chriſtus autem cum in priore Hermolai forma rurſus apparuiſſet, effecit, vt lapis quidem, non ſecus atque folium arboris, mari ſupernataret: illum verò, non ſecus atque magnum prius Petrum, manu deducens, fecit pedibus ambulare ſuper fluctus. Ipſe enim, qui redimebat & ſeruabat, ipſe erat, cuius in mari viæ, & in multis aquis ſemitæ & veſtigia, vt diuinus ait Dauid, non ſunt cognita. Ingrediebatur ergò Pantoleon ille admirabilis, & iam erat in litore, laudem contexens ei, qui ſeruauerat, dignam pia illius anima, & rebus admirabilibus. Quem cum ſic vidiſſet ſaluum præter ſpem Imperator: Quid hoc eſt, inquit, Pantoleon, mare quoque tuis ſuperaſti præſtigijs? Ille autem, Etiam mare, inquit, fecit, quod iuſſum eſt à Domino. Ei etenim cedit mare & terra, & quæcunque ſunt, ei magis cedunt, quàm tibi Imperatori, qui nunc ad tempus ſeruiunt.

Miſſum in mare Chriſtus eripit.

Matth. 14.

Pſal. 76.

Diuerſi generis feræ producuntur ad deuotandum martyrem.

XIX. Ad hæc Tyrannus, volens potius malè perſuadere, quàm bene perſuaderi & ſalutariter, iubet omne genus feras produci aduerſus virum egregium. Quæ cum adductæ eſſent, & illum propè ſtatuiſſet, partim quidem ei metum incutiens, partim autem fingens ſe moueri miſericordia, & in omnem ſe partem verſans, vt perſuaderet: Hæ, inquit, ô Pantoleon (ei feras oſtendens) adductæ ſunt propter te & tuum interitum. Si tui ergo vlla moueris miſericordia, (ego enim tuæ curam gero formæ & ætatis) velis perſuaderi, & videri eſſe prudens & cordatus, vt qui poſſis vitam morti præferre, lætitiam doloribus, ignominiæ gloriam & delicias. Cui ſanctus: Si antequàm eſſem expertus Dei, quam mei ſuſcipit defenſionem, à tuis verbis non potui perſuaderi: nunc ex quo ſum tantum conſecutus auxilium, perſuadebor? Cur me ferarum crudelitate perterrefacere quæris, ô Imperator? Qui enim ſatellitum tuorum ad torquendum paratas manus inutiles effecit & imbecillas, & ignem reddidit frigidum, & plumbum in aquam tranſmutauit, & ipſum mare conſtrinxit compedibus, poterit omnino feras quoque manſuefacere, & eas nobis efficere ouibus manſuetiores.

XX. Cum ergo non parens Chriſti martyr, eſſet pugnaturus cum beſtijs, vt qui leuius eſſe reputaſſet, tradi beſtijs, quàm adorare dæmones, confluxit quidem vniuerſa ciuitas ad videndum id quod fiebat, tam pulchrum ſcilicet iuuenem, & corpore & animo præſtantem, qui nihil mali feciſſet, malè paſſurum, & feris tradendum beſtijs. Abductus eſt autem iuſtus confidens vt leo, ſicut canitur, & nihil molle ac remiſſum intuens, aut quod moueret ad miſericordiam. Quomodo enim id erat facturus, cum rurſus in conſpectum veniret Hermolaus, & iuberet eum eſſe bono animo? Deindè cum beſtiæ iam cum athleta eſſent congreſſæ, ſic iubente Tyranno, qui aderant quidem, putabant fore, vt ſanctus ſtatim diſcerperetur, perindè ac ſi non eſſet qui ſeruaret & eriperet: ſed de viro pio non ſic ſtatuerat is, qui dicit: Altiſſimum poſuiſti refugium tuum: Non accedent ad te mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Et, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Itaque nec ſpem fefellit eius, qui crediderat. Tantum enim abfuit, vt feræ ſancto malefacerent, vt eæ propemodum ne feræ quidem viderentur, Feræ, dixi, immò nec, vt ſemel dicam, animantia ratione carentia, & vi intelligendi priuata: ſed tanquam prudentia, & ex numero eorum, quæ ſunt ratione prædita, cum magna reuerentia accederent ad martyrem, ſuauiter blandientes, benignaque & medicante lingua pedes tangentes: & alioqui inter ſe contenderent, quænam prima ad eum accederet, & non prius recederet, quam martyr ei manum impoſuiſſet, & ei benedixiſſet.

Prou. 28

Pſal. 90.

Feræ manſueſcunt martyri, eique blandiuntur.

LICEBAT

XXI. LICEBAT ergò videre rem maximè nouam,& longè iucundiſſimam, homines quidem mutatos in ferarum ſæuitiam,rurſus autem videri feras,tanquam ratione præditas,& credi humanam habere manſuetudinem. Ij certè, qui aderant,admirati id quod factum fuerat,clamabant: Magnus eſt Deus Chriſtianorum, qui quidem eſt ſolus & verus: &,Dimittatur iuſtus. Quid igitur? Qui verè erat ferus & crudeliſſimus, Imperator iram infert in beſtias,& omnes ſtatim tollit de medio,perinde ac eis inuidens prudentiam,& non potens ferre earum reprehenſionem. Illæ autem cum ſic eſſent interfectæ, multos dies manſerunt à nullo comeſæ ex carniuoris,Deo in hoc quoque athletam honorante,& ad pietatem alios hortante: adeo vt cum hoc ſtultus reſciuiſſet Imperator, eas iuſſerit infodi, ſic multis fidem confirmans. Sic ergò dubitans Maximianus: Quid faciam,dicebat Pantoleoni; Iam enim, vt videtis,multos abduxit à deis. Illi autem: Fiat,aiunt,rota,& ea in altum locum feratur. Deinde cum ei fuerit alligatus Pantoleon,per decliue mittatur: Accidit enim omnino,vt cum deorſum feratur, ipſe per partes & membra conteratur,& ſic malus malè pereat. Et hæc quidem illi prompti ad malum inueniendum, & qui nihil æque bene faciebant,ac lædebant. Deus autem,qui ſemper protegit eos,qui illum diligunt,ne nunc quidem deſerit Pantoleonem: ſed eum rurſus defendit, ſicut charum filium.

Tyrannus ſæuit in beſtias.

Paratur ei rota ad conterendum eundem.

XXII. ATQVE interim quidem manſit in carcere, donec conſtructa eſſet rota. Cum vero ea eſſet iam conſtructa, rurſus concurrente magna multitudine,vtpotè quod Imperator ipſe adeſſet ſpectator,alligatur martyr rotæ,& ipſe deſuper per decliue dimittitur. Et illi quidem pſalmus mouebat labra,& preces, quæ potentem vocabant ad auxilium. Ille autem protinus aderat,eum confirmans: & ad oſtendendam præſentiam,rumpebantur vincula, martyr relaxabatur,& erat ab omni malo integer. Rota autem non tam contra illum, quam pro illo acta, occidit multos infideles: & ſic fit pœna vltrix eo modo,qui dici nequit: & cognoſcitur Deus iudicia faciens, & Deus vltionum liberè agit. Propter hoc timor inuaſit ciuitatem, Imperatorem admiratio. Et cum eſſet adhuc craſſus vitio, nec poſſet lucem ſuſcipere veritatis,rogauit ſanctum: Quid hæc ſibi volunt? & quouſque ex noſtro populo alios quidem à dijs abduces,alios autem morti dedes, vt horum quidem detrimentum patiamur, illos autem etiam nobis habeamus aduerſos? Deinde etiam rogauit,quemnam habuiſſet doctorem, & ex quo didiciſſet Chriſtianiſmum.

Diuina virtus mirè liberat martyrem.
Pſal. 9.
Pſal. 93.

XXIII. CHRISTI verò martyr confidenter confitetur Hermolaum, vt qui non poſſet eum celare, qui non erat angulo dignus & obliuione:ſed luce. Cum autem iuſſiſſet, vt ei produceretur in conſpectum, minimè diſtulit martyr, vt qui didiciſſet experientia,qualis eſſet apud eum lingua & ingenium,quæ facilius capere poſſent,quàm capi. Abiens ergo ille iuſſus ſimul cum tribus militibus,quibus credita fuerat eius cuſtodia,venit in domum, in qua latebat diuinus Hermolaus. Quem cum ipſe adſpexiſſet: Cur huc veniſti,fili,& quanam de cauſa? rogauit. Ille verò: Te vocat,inquit,Imperator, domine mi ſenex. Is verò dixit,ſe hoc ſcire; quoniam adeſt tempus patiendi & moriendi pro Chriſto, vt ipſe ei ſignificauerat illa nocte Poſtquam ergo illi conſtiterunt ante Imperatorem, ille rogauit, quiſnam eſſet,& quod eſſet ei nomen. Is vero & nomen dixit,& non celauit ſe eſſe Chriſtianum. Deinde cum rogaſſet Imperator, an etiam ſecum alios haberet Chriſtianos: ille, cum eſſet verax, dixit, Hermippum & Hermocratem, quos habebat. Cum eos ergo iuſſiſſet etiam ſiſti cum Hermolao, vbi affuerunt: Vos eſtis,inquit,qui Pantoleonem à cultu deorum abduxiſtis? Illi autem: Eos,inquiunt, qui ipſo digni ſunt, Chriſtus ſcit ad lucem vocare. Imperator autem: Miſſis,inquit,nugis, ſi vultis ab hac priore culpa abſolui,& ijs, qui à nobis amantur,& primos honores à nobis conſequuntur,annumerari,efficite vt ei perſuadeatur dijs ſacrificare. Illi verò: Quomodo, inquiunt, hoc fecerimus, qui primum nobis perſuaſerimus Chriſtum non deſerere, nec ſurdis ſimulacris offerre ſacrificium? Hæc dixerunt, & ſenſus & mentis oculos in cælos ſuſtulerunt. Sic precantibus autem apparet Saluator: & totus ſtatim locus agitatur & mouetur.

Hermolaus adducitur ad Imperatorem item Hermippus & Hermocrates.

XXIV. EMOTÆ autem re vera mentis Imperator dicebat,deos indignatos mouiſſe terram. Cui martyres prudenter admodum & fortiter: Si contigerit ipſos quoque deos tuos,inquiunt,vnà cadere? Nondum finita erat oratio, & quidam ex miniſtris Imperatoris acceſſit ad illum,nuncius calamitatis: Dij, dicens, ô Imperator, ceciderunt & contriti ſunt. Sic illi terribiles & terram quatientes,iacebant in terram deiecti triſti caſu, ijs, qui non erant æquè cæci & planè lapides, ridiculi. Atque alius quidem, qui vel parum habuiſſet prudentiæ, & non ei ſola forma obſtaret, ne apertè crederetur eſſe pecus, Deum verum agnouiſſet,& qui poſſet hæc facere. Sed non ille: qui quantum melior euaſiſſet, & quantam vtilitatem ex pietate percepiſſet, ſtatim ex rebus ipſis aperit. Statim enim tres illos ſanctos, poſtquam eos multis affeciſſet ſupplicijs, damnat capitis. Magnum autem Pantoleonem interim mittit in carcerem. Atque martyrum quidem ſic interfectorum corpora curæ fuit Chriſtianis tollere, & ea, vt par erat ſepelire.

Poſt multas pœnas decollantur.

XXV. PANTOLEONEM autem cum Imperator vocaſſet è carcere: Putaſne, inquit, te poſſe viuum meas manus effugere,ſi non accedens prius dijs ſacrificaueris? idque cum doctor tuus Hermolaus, Hermippuſque & Hermocrates id,quod bonum eſt,mutari iam didicerint,& dijs ſacrificium obtulerint, qui etiam à nobis obedientiæ acceperunt remunerationem,vt ſint primi in palatio? Si ergo tu ſacrificaueris,eorum pulchram imitatus mutationem, tunc videbis,Pantoleon,quàm ego,qui ſum grauis in puniendis ijs,qui non parent, ſim liberalis & munificus in benefaciendo ijs,qui parent. Hoc autem dicebat maligne & malitioſe (quod attinet,inquam, ad ſanctos) ad illi perſuadendum. Quomodo enim,quos iam ante interfecerat? Sed vt ineſcaret eum, qui à Deo illuminabatur. Quamobrem nec latere potuit: ſed, Eos ipſe quoque videam,inquit,ô Imperator, ante tuam adſtantes faciem. Maximianus autem nondum ceſſans fraude agere, (poſuit enim ipſe quoque ſpem mendacium, vt dicam cum magno Eſaia, & ſtatuit ſe mendacio tegere) Non adſunt hic, dixit, ſed aliqua neceſſaria de cauſa miſſi ſunt à nobis in aliam ciuitatem. Martyr autem: Vel inuitus, inquit, verum dixiſti, cum diligas mendacium: ſunt enim nunc in cælis, degentes in ciuitate Dei.

Splendidũ fingit mendacium Imperator, vt ſubuertat martyrem.
Eſa 28.
Sancti degunt in cælis.

XXVI. CVM verò nullum non mouiſſet lapidem, lapidum adorator: videret autem eum nihil de ſua remittere conſtantia,& neque cedere aſſentationibus,nec verborum ſuaſionibus,nec donorum promiſſis, nec ſuppliciorum minis,neque aliquo alio ex ijs,quæ vel delinire,vel perterrere poſſunt,abduci à pietate, vbi eum adhuc flagellis vehementer cecidiſſet,non quod ſperaret ſe aliquid poſſe efficere,ſed vt expleret ſuam animi libidinem, vt gladio mortem ſubiret,eum condemnat: & deindè poſt mortem pulchrum corpus igni mandari: is, inquam, condemnat, qui æterno igne verè erat dignus. Ducebatur itaque athleta ad locum conſummationis,commiſſus manibus lictorum. Quo quidem cum veniſſet,& eſſet eius animus plenus gaudio, (ſciebat enim ex quibus afflictionibus quales eum eſſent exceptura voluptates) pſallebat hoc Dauidicum: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea:etenim non potuerunt mihi: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam: Dominus iuſtè concidet ceruices peccatorum. Deinde facit hic quoque Deus miraculum non minus prioribus miraculis. Oleæ enim plantæ eum alligant,collum autem eius quidam enſe ferit. Statim autem ferri quidem conuerſa eſt acies ceræ ſimilis:manſit autem collum ſicut erat ab initio,ſectionis nullum penitus habens ſignum.

Flagellis dire cæſus capite punitur Pantaleon.
Pſal. 128.

XXVII. EA de cauſa tremor inuaſit occiſores, & accedentes ei fiunt ſupplices, quem prius exiſtimabant ne dignum quidem eſſe apud eos viuere: cuius etiam pedes ſpecioſos prehenſantes, quid non dicebant, quid non faciebant,

audaciæ

Digitized by Google

Diuinitus ei nomen mutatur.

audaciæ petentes veniam, & in Chriſtum fidem apertè confitentes? Ille autem non ſolum, quod ad ſe attinet, remittit, ſed etiam eis à Chriſto perfectam petit remiſſionem. Quamobrem vocem quoque audijt de cælis confirmantem, conſummanda ea, quæ petiuerat: eumque non amplius eſſe vocandũ Pantoleonem, ſed Panteleemonem. Res autem, dicebat ea vox, nomini conueniet. Plurimi enim per te conſequentur miſericordiam. Hanc vocem cum ille audiſſet, & de ijs, quibus dignus erat habitus, certior factus eſſet: conuerſus, iuſſit lictores facere, quod eis imperatum fuerat. Illi autem renuebant, & iudicabant hoc eſſe minimè tolerandum. Cum verò inſtaret martyr, vt facerent, quod à Tyranno eis imperatum fuerat, apertè dubitantes, & quid facerent ignorantes, ſeipſos vtriſque diuidunt, nempe pietati, & ſancti viri iuſſui. Et cum omnia prius membra eſſent deoſculati, quamq; eum reuererentur & colerent, ſatis teſtati eſſent, beatum eius caput deindè enſe amputant viceſimo ſeptimo Iulij. Quod quidem, vt arbitror, non potuiſſent, ſi ille non annuiſſet, vt qui nollet à martyrij magna dignitate excidere.

Nota inſignia miracula.

Svntqve rurſus miracula miraculis conſequentia, eo, qui glorificabatur, glorificante eum, qui propter ipſum hæc pati delegit. Lac enim fluxit protinus pro ſanguine, & planta oleæ, cui fuerat alligatus, conſpecta eſt tota fructu onuſta. Quod quidem cum veniſſet ad Tyranni notitiam, iubet plantam excindi, & corpus martyris igni tradi, ſicut etiam prius iuſſerat. Atque milites quidem, qui crediderant, non amplius reuerſi ſunt ad Imperatorem, eum condemnantes magnæ crudelitatis, & quod Magi Herodi fecerunt, imitantes: Deum autem, & eius martyrem perpetuo glorificabant. Quinetiam cum quidam fideles conueniſſent in eoipſo loco extra ciuitatem, in quo martyr ſubijt conſummationem, ſacrum illud corpus in ſuburbano cuiuſdam ſcholaſtici (erat autem ei nomen Adamantius) ſacroſanctè deponunt: In gloriam patris, & filij, & ſpiritus ſancti, cui eſt vna diuinitas, & regnum: Cui conuenit honor & adoratio in ſæcula ſæculorum, Amen. XXVIII

Matth 2.

An. 1130.

VITA B. BERTHOLDI ABBATIS GARSTENSIS, A COÆTANEO SCRIPTA, ET EX MANVSCRIPTO CODICE VIENNENSIS BIBLIOTHECÆ edita per R. P. Iacobum Gretzerum Societatis IESV.

Ivlii 27.

2. Cor. 2.

PROLOG.

Qvoniam antiqua dignationis tuæ gratia, Venerande Pater Vdalrice, nec non & conuerſationis munditia feruorem in me nunquam abolendæ deuotionis accendit, deſiderio æſtuo agere aliquid, quo & tibi eadem deuotio innoteſcat; & mihi ex inconuulſa gratiæ tuæ confirmatione felicitas accreſcat. Felicem enim me æſtimo, ſi me pij & religioſi patris amplectatur dignatio. quia, re vera non contemnenda ſanctitatis eſt portio ab his diligi, qui cum beato Apoſtolo Chriſti bonus odor ſunt Deo in omni loco. Quorum de numero quia te, dilecte Pater, diuina benedictione nobis conſignatum deſiderabiliter tenemus, meritò felix debet prædicari, quiſquis tui amoris meretur honore ſublimari. Cum ergo aſſiduè cogitarem, quonam modo tuam venerabilem dulcedinem honorarem; quidue de ſacrificio meæ ſeruitutis dignè tuis præſentarem obtutibus, aut manibus offerrem veræ nobilitatis; repente ſubiit animum, nil eſſe huic affectioni tam conſentaneum; quomodo ſi vel modicum aliquid de vita & actibus beati Patris tui, ſanctæ videlicet memoriæ Abbatis Bertholdi, etſi non ad aliquam ædificationem, tamen ad veritatis commendationem, vel certè ad oſtendendam tam ergate, quam erga eundem Patrem meam deuotionem, ſcribendo commemorarem; quatenus in hoc & tibi pro voto ſeruirem; & tam glorioſam materiam quaſi perire ſilentio non ſuſtinerem: ſiquidem vehementer admiror & doleo Beati viri veneranda geſta, magnaq; miracula tanto tempore incuriæ derelicta, graueq; damnum æſtimo, ita negligenter occultari, quod nunquam poteſt inutiliter publicari. Et quidem hoc ipſum modicũ vires prorſus excedit meas: ſed tanto amore ad eundem laborem accendor, quod quaſi quibuſdam pennis ſuperni adiutorij facillimè in alta ſuſtollor. Altum quippe eſt, & ſatis arduum peccatorem indoctum, viri ſapientis & ſancti velle præconia attollere: ſed tamen charitatem, quæ omnia ſperat, nulla poteſt formido deterrere. Ipſa eſt, quæ iuxta B. Gregorium ſubminiſtrat vires. quas imperitia denegat. Ipſa nimirum Duce, facile mihi videtur arduum ſubire propoſitum, & maximè ad diuinæ pietatis, & ipſius ſancti Patris reſpicienti ſuffragium. Et fortaſſe ſimplicitas dictaminis humilibus, quibus Deus dat gratiam: & propter quos ſolos labor mihi iſte ſumptus eſt, iocundior erit: quam ſi eſſet profunditate ponderoſi velaminis ſuperbus. Sed quid dico propter humiles hunc eſſe laborem aſſumptum, cum tibi ſoli tantum, Pater alme, hic ſeruire quærat laborantis intentio? ſcio enim, quod nequaquam contemptibile tibi ducetur, etſi contemptibiliter dicatur, quod tibi forſitan & honoris cauſa eſt: & abſque dubio perpetuæ erit fructus ſalutis. Igitur quomodo primò vir Beatus ad Garſtenſe monaſterium ſit electus, & qualiter ibi vixerit, quibuſue miraculis ſancta merita eius pietas diuina declarauerit, ſicut ab illis accepi, qui viuenti præſto fuerunt: qui magiſterio eius informati virtutibus & ſignis interfuerunt, iam aggrediar, Domino adiuuante, depromere: ita tamen, vt breuitate contenta eſſe dignetur veneranda paternitas tua, dilectiſſime Pater.

Charitas ſubminiſtrat vires.

Vnde habeat author, quæ ſcribit.

Otacher fundator monaſterij Garſtenſis.

I. Fvndator memorati cœnobij venerabilis Marchio Stirenſis Dominus Otacher exſtitit: qui & ibi in Eccleſia S. Laurentij in Chriſto requieſcit, Auus illius Otachari, qui nouiſſimus in Vngaria obiit in itinere, quod ad viſitandum & honorandum ſanctum Domini ſepulcrum, deuotus arripuit: Quæ fundatio ſiue inchoatio primo per Clericos inſtituta eſt, ſub Præpoſito, nomine Eberhardo. Quo mortuo, quadam die, dum Clerici in flumine locum præmanante, balnearent, quidam eorum ſubmerſi ſunt, taliq; ſua leuitate ſeu infortunio, fundatoris voluntatem mutauerunt. Erat enim egregius ille fundator, vir valde memorabilis. Et licet Princeps ſæcularis, tamen aliis potentibus multum diſſimilis, cultor pacis, amator iuſtitiæ, & contra immanitatem perſecutionum turris Eccleſiæ inexpugnabilis. Nam Salzpurgenſem Archiepiſcopum laudabilis memoriæ Dominum Chuonradum, qui in ſyluis & montium latebris per multos dies perſecutiones fugiens latitauerat, ad ſe venientem cum honore magno ſuſcepit, manu tenuit, quod nullus Principum facere auſus fuit. Hoc factum eſt ſub beato Bertholdo, etiam ipſum Pontificem deuotè ſuſcipiente, atque in monaſterio ſuo cum reuerentia, quamdiu voluit, ſeruante.

Conradum Archiepiſcopũ Saltsburgenſẽ à facie Hẽrici V. Schiſmatici profugũ ſuſcipit.

II. Sed vt egrediar ad id, vnde digreſſus ſum: Clericis ſubmerſis, animus, ſicut dixi, mutatus eſt fundatoris. Quadam itaque die cum ad celebrandum anniuerſarium diem Dominæ Eliſabeth Marchioniſſæ, quæ in choro ſepulta eſt, multi de more Clerici conueniſſent: (Nam ſingulis annis ob eandem cauſam, rogatu Principis, ſtudioſè adeſſe conſueuerant:) venerabilis Marchio de loco eminenti ita eos per alium allocutus eſt: Noſſe vos volo, qui ad hunc anniuerſarium Dei & noſtri cauſa veniſtis, quod in hoc loco, quem in ſeruitium Domini & ſanctæ genitricis eius pro ſalute mea, & dilectæ coniugis erigendum ſuſcepi, ſtatum religionis, diuina largiente gratia, in melius tranſmutare diſpoſui; & per monachos, quorum beata opinio vitalem circumquaque ſpirat odorem, huic nouellæ plantationi deſiderati profectus prouidere ſuffragium. Quapropter admonitos vos eſſe volo, ad hunc anniuerſarium diem nequaquam vltra congregari. Debet enim, ſi Domino placuerit, deinceps alio modo celebrari. Prorſus ergo ab hoc concurſu amodò deſiſtite: quia monachis, qui hic habitaturi ſunt, talem nouimus conſuetudinem non conuenire. His ita peroratis, cunctiſque ad ſua properantibus, ipſe Kotvvig perrexit; & auxilio amici ſui Auſtrenſis

Marchio-

Marchionis Luipoldi, cuius ſororem, videlicet Dominam Eliſabeth, habuerat, fundationem ſuam Abbati regendam ſubiecit, & diligentiſſimè commendauit: Prioremque nomine Wirnt cum aliis Monachis acquiſitum, Garſten adduxit. Erant autem eo tempore in hac Prouincia admodum raræ Monachorum habitationes, & adhuc rudis Kotvvikcenſis Eccleſia: ſed, diuina benedictione, ita proſperis ſucceſſibus illuſtrata & eleuata; quod & monachis & rebus, maximè verò ſancta opinione, in breui eſt excellenter multiplicata & glorificata. Ita ergo Clerici, per quos primo in Garſtenſi monaſterio diuinum ſeruitium initiatum fuerat, monachis ſuperuenientibus, receſſerunt. Quidam autem eorum ad Marchionem iure proprietario pertinentes, dimiſſi non ſunt, ſed remanere coacti. Dixit enim vir nobiliſſimus, ſe nolle eos dimittere, ſed potius velle, vt ſecum, vtpote amici & dilecti, permanerent, & monachi fierent, Deoque omnipotenti in tam bona conuerſatione regnum cœlorum lucraturi ſeruirent. Erant autem, qui remanere cogebantur, Dominus Oudalricus, poſtea apud ſanctum Lambertum Abbas, & illius æquiuocus ad Gluonich Abbas futurus, & Dominus Eberhardus, Beati Bertholdi poſtmodum fidelis in Domino collaborator ac deuotus Capellanus; & alij quidam, quos hic nominare non arbitror neceſſe fore.

Eberhardus B. Bertholdi Capellanus.

III. Ergo cùm Dominus Marchio ſermonem cum iſtis de abrenunciatione ſæculi & conuerſionis ſuſceptione haberet, abnuunt omnes; præcipuè Dominus Eberhardus, dicentes, nondum ſediſſe eis animo tale propoſitum, arduam rem eſſe, neminem ad hanc cogendum, ſolam hic Dei aſpirationem exſpectandam. Ad hæc Marchio, mei, inquit, eſtis, & meæ voluntati in omnibus concordare & obtemperare debetis. ſi ergo me audieritis, animumque ad hoc, quod conſulo; libenter dulciterque adhibueritis, promptiorem me vobis, magiſque beneuolum ſemper ſentietis. ſin autem: nolo vos pertrahere; facietis tandem vel inuiti, quod ſponte noluiſtis, & voluntarij; quia, nolitis velitis, monachi eritis. Quid plura? Videntes fixum eſſe apud eum, vel conuerti eos, aut aduerſis affici, conſenſerunt. Sed Dominus Eberhardus in ſuæ manſit obſtinationis pertinacia immobilis. Iubetur itaque alligari, & verberibus compelli ad conſentiendum. Tunc acquieuit & iſte beatus: durum quidem, & quodammodo coactum habens conuerſationis initium: ſed deinceps in promotu conuerſationis, ſupernæ illuſtrationis indubitabile demonſtrans indicium. Nam nullus eorum, qui ita compulſi ſunt intrare, adeo profecit in Dei timore, profectuque religionis, quamuis omnes profecerint, felicemque ſuæ conuerſionis, vel potius coactionis, apprehenderint fructum.

Compellitur fieri monachus.

IV. His ita geſtis; Kotvvikcenſes Dominum Bertholdum de S.* Blaſio, vbi tunc armarij pariter & clauſtralis Prioris fungebatur officio, Priorem ſibi, in locum Domini Wirnt acquiſierunt; virum ſancti teſtimonij, & prouidentem bona non ſolum coram Deo, ſed & coram omnibus hominibus. Sed cum iſdem Wirnt ad Formbacenſe monaſterium eſſet in patrem aſſumptus; tunc Dominus Bertholdus à Garſtenſibus, & ipſo Marchione, Abbas electus eſt, optimo quidem omine. quoniam ex tunc, & deinceps nunquam locus ille diuino deſtitutus eſt ſolamine. Veniens igitur ad locum ſibi à Deo deſtinatum, omni conamine diuino ſeruitio; & vtilitati intendebat Eccleſiæ. Nam Deus omnipotens in breui oſtendere dignatus eſt tam monachorum, fratrumq; multiplicatione, quã rerum opulentia: quod nequaquam abſq; eius nutu & prouidentia electus fuerit, cui tam felices ſucceſſus contulerit. Dominum Eberhardum, cuius in ſuperioribus mentio facta eſt, ſtatim in primo introitu ſuo Capellanum ſibi conſtituit; imo comitem indiuiduum in Dei opere, & ſpiritalium laboribus ſtudiorum. De rigore ordinis nihil relaxabat; & ita ſubditorum ſaluti ac neceſſitati inuigilabat: quod & ſe ipſum in nullo negligebat, & illorum curam omnibus forinſecis occupationibus ſemper anteponebat. Augebatur ſine ceſſatione Deo ſeruientium multitudo, quia, talis erat viri Dei conſuetudo; omnes admittere, qui Chriſti deſiderio ſarcinam mundi abijcere, & ſuaue conuerſationis iugum vellent iuſte victuri ſuſcipere. Iam locus monachis abundabat; & tamen rariſſimè aliquis eorum extra ſepta clauſtri apparebat, exceptis diſpenſatoribus, quibus ea cura credita erat.

* in ſ. Blaſio

B. Bertholdus eligitur Abbas Garſtenſis.

V. Et licet patrem ſe, & verbo exhiberet & opere; tamen certe magiſtrum experiebatur, quiſquis patris clementia abutebatur. Omne inconueniens, aut ordini contrarium nulla ratione diſſimulabat: ſed ſtatim, vt vidiſſet, dignis increpationibus ad debitam dirigebat correctionem. Leuia quoq;, & quæ vix, aut nullatenus digna reprehenſione æſtimares; verbi gratia; ſi quis veſtimentum, conuentu ad lectionem ſedente per clauſtrum ferre inciperet; ilicò clamabat, Ordinem confundi, ſanctam deſtrui conſuetudinem: & ita obiurgabat illa facientem, ac ſi grauiter exceſſiſſet. Hæc ad demonſtrandũ viri rigorẽ dicta ſint, contra illos maximè, qui dicũt; eũ quidẽ pio patris abũdaſſe affectu, magiſtri verò caruiſſe Exuberabat vtiq; ſenſu vtroq;, qui pro loco & tẽpore, meritorumq; diuerſitate, nunc hũc, vt patet, fouebat, nunc illum terrebat, vt magiſter: quod in hoc ſatis claret. quia, ſicut notiſſimum eſt, vt dulcis & pius ab omnibus amabatur; & tamen in his, quæ ſunt contra Deum, attentandis, vel appetendis, vt ignis formidabatur.

VI. In tali verò diſpoſitione locus poſitus erat, vt fratres quidẽ de cellario neceſſaria acciperent; hoſpites verò in domo hoſpitũ omnia parata inuenirẽt. Quod idcirco vir prudens ita conſtituerat; ne, propter frequentiã aduenientiũ quies clauſtralis turbaretur: ſed ibi omnia in promptu eſſent; & ad clauſtrum propter ſingula venire neceſſe non haberent. Et quãuis penè nunquã hoſpites deeſſent, pro eo maximè, quod eius cõſilijs & eruditionibus diligẽter informabãtur ad ſalutẽ: tamen Dño ſeruientes bonis omnibus affluebant, iuxta quod ſcriptũ eſt; nihil deeſt timentib* Deum. Et illi quidem cum gratiarũ actione ſua fruebãtur conſolatione Ipſe verò rarò aliquid ſuo pani, præter vnũ, qualemcunq; cibũ adiecit: bonos aũt cibos, qui ſibi apponebantur, ſemper, vel diſcumbentibus coram ſe fratribus; vel foras mittebat leproſis & pauperibus. Panem ſingularem, ſiue pulmentum ſpeciale ſibi fieri paſſus non eſt: ſed eodem ſemper, quo cæteri, tam pane, quam pulmento ſuſtẽtatus eſt. Meritis ipſius & benedictione paucitas piſcium ſeu vini aliquando ita creuit in partitione, vt nullus ſua portione, vel menſura priuaretur, cum id primitus omnino fieri deſperaretur.

Pſal. 33.

Cibus B. Bertholdi.

Multiplicat ſua benedictione vinum & Piſces.

VII. Apud Pechlaren ſedens ad menſam de vna ſcutella multis conuiuantibus piſces diuiſit, & tamen diuiſione facta in nullo minui plenitudo illa viſa eſt. Ipſe, nec piſcibus, vt præmiſſum eſt, vtebatur, nec cum aliqua diligentia paratis, ſed vno vili, aut aliquando duobus eduliis. quibus etiam clientes vtebantur, debilia membra ſuſtentare ſolebat. Rarò quieſcebat, tum propter deſiderium æternæ patriæ, tum propter adductos energumenos, quorum liberationi intendebat, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens Domino die ac nocte. At cum quietem laſſitudo imperabat, ita negligenter lecto accumbebat, vt nec iacere eum, nec ſedere diceres, pedibus dependentibus, & ſemper cuculla veſtitus. Nemo illum vnquam otioſum; aut ſpiritalibus vidit ſtudiis * vacantem; ſed ſola ſomni vel cibi hora exempta, nunc legendo, nunc orando, modò verò ſcribendo, aut confeſſiones hominum audiendo, feriari neſciens inimicam animæ vitabat otioſitatem. Hiemis tempore ad ignem ſedens; (nam ſtubas forte, ſeu æſtuaria, ſiue propter caput; vel potius ſtudio affligendi corporis, intrare cauebat) ſemper rotam ſpiſſam & latam inter ſe & ignem, quaſi pro vmbraculo poſitam habebat, & ita pene nunquam calefiebat, tantumque frigore & inedia carnem affligebat, vt hoc, quod ſcriptum eſt; nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, locum in eo vix vllum haberet. Vnde, in tantum erat attenuati corporis, quod vt ita dicam, vix oſſibus hærebat ſqualida cutis: mirantibus cunctis, quod labores illos diuinæ ſeruitutis ſic exhauſtus poſſet exſoluere. Sedens ad menſam, vbi modicũ

Somni parcitas.

* hoc eſt, vacuum ſeu ceſſantem à ſtudiis ſpiritualibus,

comediſſet,

comediſſet, dormire ſolebat: ſed cum Prior eum ſtrepitu pedum expergiſci faceret, mox arrepto coclear i, ſtrenuum quidem ſimulabat manducatorem; ſed rurſus, eius deciſione, valde negligentem exhibebat corpor is adiutorem.

IN primordio fundationis, & quando primo vir ſanctus venit ad locum ſuæ vocationis, admodum tenuis erat ſubſtantia Eccleſiaſticæ poſſeſſionis, ſed per eum magnificè amplificata eſt, atque à ſui tenuitate pulchrè euecta, quia eum tam potentes, quam mediocres in tantum dilexerunt, quod propter eius amorem copioſe locum prædiis ſuis ditauerunt. Igitur celebri edicto, & irrefragabili conſtituit charitate, ne quid eorum, quæ haberi poſſent, cuiquam negaretur, ſed omnibus, in ſua neceſſitate pro loci ſubueniretur poſſibilitate. Vnde aliquando contigiſſe non dubium eſt, vt; quod negatum eſt, & occultatum fuerat, poſtea deprehenſum, tanquam immundum & inutile proiiceretur in flumen. VIII

REM dicturus ſum forſitan incredibilem, ſed tamen veram, teſte Deo. Acceſſit ad eum quidam pauper, miſeriam ſuam deplorans, & petens aliquid ab eo: quem fecit exſpectare ante monaſterium, donec eius conſolaretur deſiderium. Nam ad manus nihil habebat, quia conſuetudinis eius nunquam fuit portare denarios, aut ſaltem ſuſcipere: ſed, quicquid dabatur ab aliis, ſuſceptum, ſecundum eius præceptum diſpenſabatur. Marſupium quidem terebat, ſed intus, præter * breues defunctorum, nihil habebat: Itaque camerario præcepit dare pauperi tres denarios. Ille, ſe non habere reſpondit. Date, inquit, pauperi, quod dixi. Rurſum ille aſſeruit, ſe non habere. Tunc ſanctus, audire, inquit, iſta nolo, nec ſcire, quod camera mea abſque nummis ſit. ſed cum camerarius perſeueraret in negatione; fecit ſibi dare claues; miſſiſque fratribus, iuſſit videre, quid ibi eſſet. qui venientes, inuenerunt labrum æneum plenum denariis. quos ita, vt inuenti ſunt, cum labro præcepit in flumen Aneſum, vbi maxima profunditas erat, præcipitari. Fratres autem illi cœperunt, quantum ſalua reuerentia potuerunt, reſiſtere; melius eſſe dicentes, ſeruari tantam copiam, & ſi ad nihil aliud, ſaltem ad conſolandos pauperes, quàm à flumine abſumi. Vir autem Domini in ſua perſiſtens ſententia, nulla potuit ab ea ratione deflecti, aſſerens immundam eſſe illam pecuniam, atque ideo nulli idoneam vtilitati. Quis rogo hoc modo faceret? quis vel tres denarios ob iſtiuſmodi proiiceret cauſam? Apparet ergo in hoc memorabili facto, quanta fuerit viri ſancti, & in præcipiendo auctoritas, & ab omni auaritiæ contagione quàm intacta ſemper præcordia habuerit. Camerarium autem, vt dignus fuit, coram omnibus vehementer increpatum, ab eadem obedientia abſoluit, & alium ſubſtituit. Item alia vice pauper eum adiit; vt eleemoſynam acciperet. Miſit protinus ad fratrem, qui piſtoribus præerat, iubens, panem dare mendico. Negauit ille, eſſe ſibi panes. Tunc vir Domini miſit quendam monachum nomine Etchengerum, vt videret, an ita eſſet: & inuenti ſunt ibi XXX. panes. Ilicò conuocatis fratribus inobedientem propria manu, aſſumpto & alio adiutore, diris verberibus corripuit, & panes omnes in flumen proiicere fecit. IX.

* indices.

Pauperibus nega am pecuniam iubet in flumen proiici.

Item panes.

PROPTER confeſſionem multi veniebant ad eum, plurima offerentes donaria: quorum ipſe nihil tangebat; ſed, ad pedes eius, vel ad altare, iuxta quod ſederat, poſita, poſtquam expeditus inde receſſiſſet, fecit aliquem monachorum omnia accipere, & inter obedientias, vt ſibi videbatur, diſpertiri. Quæ obedientiarum officia, per illiteratos monachos, & fratres barbatos erant diſpoſita. Literati verò, & ſacro ordine ſublimati, diuinis officiis tenebantur ſpecialiter implicati: ſingulis obedientijs bini præerant fratres tam propter teſtimonium, quàm propter ſolatium. Inter quos ſi qua fortè ſimultas, vel, amoris improbitas emerſit, ſine dilatione regulariter emendabatur, ſtatimque ad bonum pacis patris imperio reformabantur. Iam fama ſanctitatis eius longè lateque declarabatur, adeò, vt etiam de remotis valde partibus multi venirent ad eum confitentes peccata ſua, & pœnitentiæ ab eo remedia ſuſcipientes. Hi quoque, qui propter Dominum pro tempore peregrinari deſiderabant, nullo modo terram ſuam exibant, niſi prius viderent ſanctum Domini: nihil eſſe exiſtimantes iter ſuum, ſi non eius fuiſſet commendatum orationibus, & benedictione munitum. Nam ardenti ſemper amore ſaluti hominum intendebat, nihil prætermittens, quod ad hanc fructificandam ſpectare videbat. Venientes ad confeſſionem, vbi adeſſe nuntiabantur, confeſtim dimiſſis omnibus, ad audiendos eos feſtinabat. X.

Quotidie celebrat Miſſam.

MISSAM celebraturus, (quod quidem quotidie cum magna deuotione & deſiderio faciebat) cum iam præpararetur proceſſurus, ſi qui interim confeſſionem facturi adeſſent, differebat officium, & illis morem gerebat: talique occaſione, vel neceſſitate vir clementiſſimus, multoties vltra ſolitam horam, interdum etiam ferè vſque ad horam nonam, miſſæ celebrationem differre compulſus eſt, cauens diutius tenere protractos; quorum aliqui de longè venientes, quantocius ad reditum expediri deſiderabant: néue ſua quærere videretur potius, quam aliorum, vt ſalui fierent. quantũ liber autem protelaretur dilatio. tamen ad vltimum, ſacroſancti officij nõ omittebat fructũ. XI.

HABEBAT vir beatiſſimus in confeſſionum auditione conſuetudinem, diligentiſſima indagatione cuncta perſcrutari, quæ contra Deum homo feciſſet; ſi Catholicam teneret fidem; ſi ſciret Dominicam orationem. Et quamuis magna eſſet expectantium multitudo, ipſumque ad alia facienda inuitaret neceſſitas, nullum tamen dimittebat, ante quàm diſertiſſima examinatione dirigeretur ad profectum: Et, ſicubi in Dominica oratione ſimpliciores, vt aſſolet, titubabant, tenebantur, donec pia inſtantia apprehenderent, quod ignorabant, ſic faciebat, eleemoſynam à ſe accipientibus. Interrogati an Dominicam ſcirent orationem; ſi neſciebant, benigniſſimè docebantur, & ſic, quod petierant, accipiebant, vtriuſque hominis ſtipe feliciter adiuti. XII.

Pœnitentibus imponebat diſciplinas.

SED, vt redeam ad confeſſiones: nam his maximam partem temporis expendebat. Morem habuit verberare omnes, abſque perſonarum acceptione, nullum omnino tranſire ſinens implagatum. Ibi plerumque per ſpiritum cognoſcebat, qui ſe habitu mutato, & voce ſimulata finxerant eſſe, quod non erant. Erat in Chremſmünſter ſacerdos quidam nomine Heinricus, Prior ibi, ſed aliquantulum ſæcularis. Hic ad eum nocte inter alios confitentes & ipſe confeſſurus acceſſit, habitu monachi ad horam, ne agnoſceretur, depoſito. ſed cum ſurrexiſſet de loco, & iam abire cœpiſſet, lætus quod latuerit, vir Domini hac eum voce, ſua illa dulcedine ſubſecutus eſt: Eia, Domine Prior, videte, quod omnia benè diſponatis: Quo audito, Prior vehementer admirans obſtupuit, ipſeque poſtea retulit, ita ſe contra ſpem, voluntatemque deprehenſum. XIII.

HAC autem occupatione ita domi foriſque tenebatur impeditus, quòd penè nihil aliud agere valebat, miſertus multitudinis ob hanc cauſam indeſinenter confluentis. Vnde & monachi ſtulta indignatione exaſperati, cauſabantur eandem occupationem valde eſſe inutilem, grauiſque cauſam iacturæ: quod omnia quaſi neglecta iacerent, quæ ad viri Dei diſpoſitionem pertinerent. ſed ipſe hæc quaſi ignorata diſſimulabat, nihil curans de tali eorum cauſatione: cum ſciret ſuas neceſſarias, & incontradicibiles occupationes nullius damni, ſed potius multorum bonorum eſſe cauſam. eò quod Prior ſuus, aliique diſpenſatores plenam totius adminiſtrationis, ipſo omittente, haberent poteſtatem, & illi, quorum ipſe conſiliis & eruditionibus vacabat ſaluti, tam ſibi, quàm toti congregationi & loco magnæ felicitatis cauſa exiſterent. XIV.

AMABATVR ab omnibus, honorabatur ab vniuerſis: ſed, ipſe humilitati ac ſimplicitati totus deditus, nihil penitus illa mouebatur honoris exhibitione. Nunquam in illius ore aliquid, vt de S. Martino ſcribitur, niſi pax, niſi Chriſtus, niſi miſericordia erat; ita vt in plateis ſedens, ſacras aliquas recitationes præſentibus cauſis idoneas XV.

ſimplici

ſimplici ore ediceret,dicentibus interdum diſcipulis, qui ſimul aderant,aliis de cauſis ſe aduenisſe, quibus expediendis intendere deberet potius,quam ſuas exponere lectiones.

XVI. ERAT aut in lege diuina apprimè eruditus, eloquentia clarus, innocentia purus,moribus venerandis decentisſimè ornatus, & inter cætera chariſmatum dona etiam ſpiritu prophetiæ minimè carens. Habebat ſecum in monaſterio iuuenem quendam filium germani fratris, nomine Bertholdum, inquietum, mobilitati deditum, & ſpe conſanguinitatis volentem liberius exire de clauſtro, & agere quod libebat. Quem propterea vir Domini frequentius,vehementiusque cæteris increpare & caſtigare ſtudebat, ſed cum diu, multumque increpatus & portatus incorrigibilis appareret, motus pater, miſit eum in Kottvvicum, vbi & rigor diſciplinæ vrgeret; & ſpes propinquitatis nulla arrideret, ita dicens: Eia frater, ite nunc: turbaſtis me frequenter, plurimumque vexaſtis; vos quoque turbabimini, & nunquam aduerſis carebitis. Ita factum eſt. Nam eundem virum poſtea multo tempore ſuperſtitem,nunquam aduerſitatibus caruiſſe,notiſſimum eſt. De clauſtro enim proprio exturbatus, diuque abſque congregatione; circumiens,vagus & profugus,nouiſſimè in exilio finem vitæ fecit, vtinam & laborum.

Habuit ſpiritum prophetiæ.

XVII. QVODAM tempore torrens, qui dicitur Gatſte, à quo etiam locus nomen accepit, terminum ſuum, vt ſolet,excurrens, totum ſitum loci operuerat; ita, vt etiam clauſtrum & officinas eius occupans, monachos inceſſum per aquas habere compelleret. Ex quo afflicti,dum cum Beato viro de eodem incommodo dolentes loquerentur, clementer conſolatus eſt eos dicens; Ite ad refectorium, & reficite, & æquo animo eſtote, quia ab hac aquæ inuaſione quantocyus liberabimini,quodque modò torrens iſte fecit,nunquam amplius facturus eſt: Iuit conuentus ad refectorium. Ipſe verò intrauit in oratorium. Et more ſuo proſtratus in orationem; tam celerem, tamque mirabilem precum ſuarum conſecutus eſt effectum, vt ſurgentes de menſa fratres nihil inuenirent de omni illa, quam ante prandium in clauſtro reliquerant, aqua. Verſi itaque in ſtuporem, cum admiratione & gaudio tantum miraculum in ſancto venerati ſunt,quæ aquæ inuaſio,nunquam poſtea contigit.

Torrentem intra limites oratione repellit.

XVIII. QVADAM die denunciauit fratribus quendam virum valdè anxiatum,in proximo affuturum, quem deberent ſuſcipere, & ab imminenti liberare periculo. Cumque interrogarent, quis eſſet? hoc ſolum reſpondit: hominem eſſe miſericordiæ indigum,atque in ſuprema neceſſitate conſtitutum, pietatis intuitu conſolandum. Altera die feſtinus aduolat miles quidam, Leo nomine, qui prædis & latrociniis plurimiſque crudelitatis operibus vitam demeruerat; poſituſque in perſecutionem, etiam ſententia ſuſpendij damnatus erat. Et cum iam quæreretur ad pœnam, Monaſterium concitu curſu periit, proſtratuſque fratribus obſecrat & conteſtatur, quatenus dato conuerſionis habitu, liberent illum de inſtanti interitu. Curritur ad patrem: vt, quid ſit faciendum, decernat. Imperat, celeriter tonderi virum, ſuſcipique in congregationem, vt euadat promeritam damnationem. Profugus ergo ille, diuinæ, qua liberatus fuerat,gratias agens clementiæ, ita conuerſus eſt ad Dominum, mutatoque habitu apud liberatores ſuos bona vita conuerſatus eſt. Hoc peracto; continuo ad pœnam requiſitus eſt, ſed exaudiri non ſunt requirentes, quia iam ſibi eum ſociauerant omnipotenti Domino famulantes. Imò, ipſe eum aſſumpſerat, qui venit quærere, & ſaluum facere, quod perierat.

Latronē ad ſuſpendium condemnatum, in monachum ſuſcipit.

XIX. IN feſto S. Iacobi cum congregatio piſces non habuiſſet, ſicut ipſius ſtatuto in ſimilibus feſtis habere conſueuerat: fit grauis cauſatio coram eo poſtera die, in Capitulo, tantuſque ſtrepitus tumultuantium, quod pius vir veniam petere compulſus eſt ad pedes omnium,cum non poſſet compeſcere rancorem murmurantium, ſed cum nimis importuni exiſterent, & vltra modum tumultuarentur; contriſtatus valde: Bene,inquit,vos habetote, & eſtote quieti, hodie vobis piſcium deſideratam dabo ſufficientiam. Et licet hoc diceret, tamen nondum aderat, vnde hoc,quod promittebat,exſolueret. Cum poſt modicum, egredienti de clauſtro, obuiam factus eſt quidam immanem * Coracinum portans,veracem faciens promiſſorem, plurimumque hoc beneficio ſupernum commendans conſolatorem,antiquum iterantem conſilium,quo murmurantium in deſerto infelix repleuit concilium. Nam ſicut tunc Moyſes certus de Domini potentia,illis promiſit carnes,quas deſiderauerant: ita iſtis vir Domini Bertholdus,confiſus de Dei clementia,ſpopondit piſces,quos amabant. Manducauerunt ergo, & ſaturati ſunt: & ei, qui deſiderium eorum attulit eis,gratias agere,vt dignum fuit,non omiſerunt. Verè pius Dominus,vere miſericors; qui, ne videretur de ſe præſumentem deſerere,etiam inimicis & murmuratoribus clementer dignatus eſt ſatisfacere.

* MS ſupra ponit,ideſt, Rot Corat einus, nomen & genus piſcis, Athen. lib. 7. Idem Coracinus, paulo poſt vocatur,Rufus.

XX. ALIO tempore hoſpites aderant,qui,quod eſſent amici & venerabiles,diligentiori cura & miniſterio honorandi erant. Sed,cum item piſces deeſſent, hocque patri diſpenſatores quererentur: ite,inquit,ad aquam, quærite: Magna eſt Dei clementia. Reſponderunt,ſatis ſe quærendo laboraſſe,ſed nihil profeciſſe. Iterum,inquit, ite, quid tentare nocet? Ipſeque cum eis vſque ante portam,quæ reſpiciebat ad flumen,proceſſit: & ibi ſubſiſtens, exitum rei præſtolabatur. Appropinquantibus illis fluuio cum ſagena, ecce mirum dictu, piſcis,qui vocatur * Tymallus, Ruſo perſequente, actus in fugam, mirantibus cunctis, de aqua in terram exiliuit. Capti ſunt tam fugans, quàm fugiens: deſiderabile ſpectaculum exhibentes, non pro ſui vtilitate, ſed pro Beati viri indubitabili ſanctitate. Et illi quidem factum hoc pro miraculo declamare feſtinabant: ſed, vir Domini nihil huiuſmodi audire,vel ſcire volens,repreſſit eos dicens: non eſſe mirandum,ſi quid vna vice non poſſit,alia poſſit, Domino prouidente, fieri. Ita verò timebat publicari ſua merita,ſicut fures timere ſolent,ne deprehendantur eorum furta. Publicabantur tamen. Quomodo enim poterat abſcondi populis,quod aſſiduè prodebatur oculis: cùm vix,aut nunquam vel ab vno vidente poſſit ſileri,quod à nullo poteſt ſine admiratione & iubilo audiri.

* MS etiam hic, & rectè ſuperaddit. Aeſch.

XXI. ADERANT ſine ceſſatione quærentium eius conſilia, & benedictiones, diuerſorum hominum multitudines. Et niſi pietate & miſericordia ad occurrendum eis & conſulendum cogeretur; vtique nec aſpexiſſet eum viſus hominis. Conſiderans igitur vir perfectæ pietatis, melius eſſe, multis, quam ſoli, vel paucis prodeſſe, commune commodum priuato anteponens, neminem voluit repellere. quia, quantum in ipſo erat, omnibus voluiſſet benefacere. Igitur virtute bonitatis eius vbique diuulgata, frequentia tam languentium, quam nihil in corpore patientium, & qui vexabantur à ſpiritibus, veniebant ad eum, animæ & corporis remedia quærentes, & frequenter inuenientes, ſanè tanta per illum dignatus eſt Dominus tam manentem in corpore, quàm quieſcentem in terræ puluere oſtendere bona, quod valde admiror, ita vniuerſa vſque nunc ſuppreſſa ſilentio, ac ſi aut minimè facta ſint, aut à nemine viſa.

Multis miraculis claret.

XXII. ERGA dæmoniacos non mediocri præditus erat liberationis effectu, quos ſemper in hoſpitali præcepit, cum his, qui ſimul aderant, ſeruari, & benignè tractari, vſque dum eis ieiuniis & orationibus, ſanitate obtenta, cum gaudio redire permiſit. Ante altare ſancti Petri vir beatus frequenter orare ſolebat, ibi miſſas celebrare, ibi confeſſiones audire, ibi diuinæ contemplationi familiarius inhærere conſueuerat. Illuc mulier, poſſeſſa dæmone, adducta ad eum, ſub omni celeritate liberata eſt. Et licet nonnulli eiuſdem ſaluationis apud eum gratiam inuenirent; non tamen dicimus, omnibus indifferenter præſto fuiſſe curationem. Aliqui curabantur, aliqui non valebant curari. Ipſe quidem omnibus piæ compaſſionis impendebat affectum ibi habens, vbi Deus dignabatur, ſubuentionis effectum.. Erat non longe à monaſterio mulier quædam repleta dæmonio, nomine Haiza, pro qua diu multumque laborauit: ſed nequam ſpiritum ab ea repellere non potuit: loqui tamen,

Varios dæmoniacos liberat.

non niſi quodammodo latrando & ganniendo, ipſo viuente, præualuit. Verum poſt tranſitum eius, vltra modum garrula effecta, oſtendit receſſiſſe magiſtrum, quo præſente, non aperuit os ſuum.

QVADAM die Dominus Adelrammus, qui poſtea ad Chiembſmünſter Abbas factus eſt, aſſumptis quibuſdam XXIII Fratribus, interrogandi gratia acceſſit: & his eam verbis alloqui cœpit: Dic, inquit, quæ te cauſa modo fecit ita loquacem? cum ante hos dies penitus mutam fuiſſe, omnes ſciamus. Ille, ait, qui in monaſterio ſepultus iacet, dum vixit, præcepto mihi poteſtatem ademerat loquendi. At nunc quia mortuus eſt, nullo teſtæ nor timore ad tacendum. Immenſis ergo adiurationibus compulit eam reſpondere ſibi ad interrogata. Obierant autem ſub eodem tempore duo monachi eiuſdem monaſterii. Vnus vocabatur Erchengerus, pater duorum puerorum ibi ab eo oblatorum, & de voluptuoſa ſæculi vita molliter ad Deum in ſenectute conuerſus. Alter Dietmarus dicebatur Cellerarius monaſterii, & in vita ſua reprehenſibilis quidem, ſed tamen valde charitatiuus. Quæſiuit ergo Dominus Adelrammus ab illa obſeſſa, imo à ſpiritu, qui habitauit in illa, terribiliter adiurans, vt vera diceret, & nequaquam mentiri præſumeret. Vbi eſt, inquit, Dominus Erchengerus? Illum, ait, nos habemus. Interrogauit autem & de alio, hoc eſt, Domino Dietmaro. Vbi etiam ipſe eſſet? De quo ſic reſpondit: Noſtræ, inquit, ſorti deputatus fuit: ſed dicente illo monacho, dum iſte moreretur, reddat tibi omnipotens Deus omnia bona, quæ mihi feciſti. Et alio, retribuat tibi pius Dominus bonum, quo me frequenter ſuſtentaſti, & aliis, ſimilia imprecantibus, dum putaremus eum noſtris iam acceſſiſſe partibus, ſubito elapſus eſt, & noſter eſſe deſiit. Illum etiam, quem habemus, diu non poſſidebimus, quoniam eum per duas, quas in Admunte habet, religioſas filias, quantocyus amiſſuri ſumus. Hæc illa mulier ita quidem, vt digeſta ſunt teſtata eſt, nimiis coniurationibus conſtricta, ſed ante mortem ipſa dæmone liberatá non eſt; nec tamen aliorum conſolationem impedire potuit, quos omnipotens Dominus per dilectum ſuum ſaluti reſtituere voluit.

ERAT vir Domini tantæ ſimplicitatis, vt cum paruulis ita loqueretur, quaſi ſenes eſſent: Et, qui de virtute obe- XXIV. dientiæ nihil omnino ſciebant, hos per obedientiam vel cogebat ad aliquid, vel reuocabat. Nam Dominus Oudalricus Chremeſmünſtrenſis Abbas, filius fratris ipſius, quando primum ei in monaſterio diuino ſeruitio nutriendus, matre offerente, præſentatus eſt, mirabili præcepto à quadam puerilitate per eum coërcitus eſt. Dum enim quotidie ad menſam matris, vt puta puer nondum tonſuratus, nec adhuc receptus in cõgregationẽ, in domũ hoſpitũ curreret: ea die, qua ipſa receſſit, puer more ſolito quaſi pranſurus exiuit, ſed cum eam non inueniret, dolens abſcondit ſe. Porro magiſter hoſpitum miſertus pueri, prodere eum noluit, ſed cibis dormienti appoſitis, quos ipſe expergefactus abſumebat, aliquamdiu ita ſeruauit. Verum B. Pater, dum pro puero triſtaretur, eumq; faceret vbiq; diligenter inquiri, tunc ille Frater, ſumpta manu eius, duxit ad eum ante altare B. Petri orationi inſtantem. Quem ducens in auditorium, (nam in oratorio, præter confeſſiones, nihil prorſus loquebatur) ita allocutus eſt: Infideliter, inquit, erga me egiſti, quod tam diu latendo conturbare me præſumpſiſti, præcipio tibi per ſanctam obedientiam, ne amplius facias, quod modo feciſti. Ecce, quam ſimplici edicto ſimplici puero fugæ latibula interdixit, qui tamen puer, quamuis obedientiæ nec intellectum haberet, obedientiæ virtute, & ſine dubio præcipientis ſanctitate, ita ad obediendum confirmatus eſt, quod in hoc præcepto nunquam inobediens apparuit: nec enim vltra de monaſterio receſſit.

QVODAM tempore quidam nobilis de Rachez cognatus huius S. Patris, multis ſæpe precibus, vt ad domum XXV. ſuam venire dignaretur, ſtudioſe rogare ſolitus impetrauit. Habebat autem, quem vnicè diligebat, paruulum filium nomine Oulricum: in quo ea, quæ ſequuntur, tunc viſa, & poſtmodum narrata ſunt. Cum enim vir Domini ad pauſandum ſe collocaſſet, refectis paululum ſomno artubus, ſurrexit, & Domino ſeruire cœpit. Et ecce per fumarium, id eſt, caminum hoſtis humani generis, quaſi in modum ſuis deorſum ſe præcipitauit, nulli viſus, niſi ſoli beato viro, & iuxta Patrem, iacenti paruulo. Cœpit ergo puer immodicis fletibus, clamoribuſque inconſolabiliter perſtrepere, & omnibus fore cauſa inquietudinis, ſed cum à nemine poſſet fletus ille compeſci, intelligens vir Domini diabolum eſſe tanti cauſam ploratus, acceſſit ad locum, in quo iacuerat, ſumenſque modicum ſtraminis, quaſi pro verbere, ſuem illum diabolicum cœpit velle eiicere. Cumque aliquamdiu huc illucque diuertendo egreſſum negare tentaret, tandem ea parte, qua intrauerat, exire compulſus eſt. Quæ res tunc quidem puero illi horrendum exhibuit ſpectaculum, ſed poſtea admirandæ narrationis fuit materia, dignæque venerationis exemplum: meritò namque dignus venerari, quem conſtat ita diabolo dominari, vt faſciculo ſtraminis omne ſibi adimat robur fortitudinis.

Diabolum faſciculo ſtraminis fugat.

HABEBAT vir Domini quendam famulum nomine Siboto, quem à puero vſque ad virilem ætatem educaue- XXVI. rat, bonis pollentem moribus, & deſiderio ſupernæ patriæ minime carentem. Hic cum enſe accingi deberet miles futurus, monitis Beati viri reliquit ſeculum, & conuerſionis ſuſcepit habitum. Non longo autem poſt conuerſionem tranſacto tempore, cœpit infirmari, crebriſque anguſtiis appropinquare ad finem. Et cum iam morti vicinus eſſet, rogauit ad ſe ſanctum venire patrem. Commendata igitur ei anima ſua, & exitus neceſſitate: O quam felices, inquit, ſunt, qui tibi, venerande Pater, obediunt, qui tua ſectantes itinera voluntatem amant, præcepta non negligunt. Felices, inquam, quoniam perpetuæ felicitatis gaudia ſine dubio apprehendunt. O quam decora ſedes veſtra! quam ineffabili ornatu veſtræ exſpectationi præparata, quæ venerabilis Pater ſubito interrupit, & adhuc loqui volentem, cum increpatione compeſcuit dicens: Tacete, Frater. Neſcitis, quid dicitis? Et ille, Ego, inquit, taceo quidem, attamen ſcio, quid loquor, & vera dico: pulcherrima eſt ſedes veſtra. His dictis, beato fine quieuit.

Commendatur à moriente

ALIVM quendam Emhich nomine de latrocinio, & ipſis, vt ita dicam, mortis faucibus ereptum, Domino bene XXVII. conuerſum conſignauit & ſanctum. Iſte cum negociatores aſſumptis† ſibi cõtionibus quaſi deprædaturus inuaderet, oppidò vulneratus eſt, & inde ſemiuiuus aſportatus, ſed adepta per diuinam miſericordiam ſanitate conuerti paratus, imo deſiderio æſtuans conuerſionis, ad hominem Dei conuolauit, humiliter poſtulans dari ſibi opem ſalutis, & facultatem Domino in ſpirituali conuerſatione famulandi. Reſiſtunt omnes, contradicunt vniuerſi, timentes, quia prædator fuerat, & multa abſtulerat, quod pro eo eſſent expoſtulatoribus rationem reddituri. At, qui nullum repellere, ſed omnes admittere conſtituerat, nec iſtum paſſus eſt ſua ſpe fruſtrari, ſed fracti per dulciloquia contradictoribus, ſociatus eſt congregationi ſumma humilitate ſupernæ reſponſurus vocationi. Nam, qui quos prædeſtinat, vocat, & quos vocat, iuſtificat: verè & in iſto oſtendere dignatus eſt, quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Libenter cognouiſſet literaturam, ſed diſcendi gratiam non habuit: magiſterio tamen Spiritus ſancti minime caruit: quem ſuæ humilitatis moderatorem & inhabitatorem habuit. Infirmorum curam à Patre ſuſcepit, deuote quidem, ſed, deuotius adminiſtrauit, nullo valens ſuperari labore, quo eorum commodis poſſet & vtilitatibus proſpicere: Ipſe ligna ſuper humeros ſuos de ſilua portabat, quibus ignẽ eis extruebat, & ſtubã calefaciebat, in quo itinere ab oratione non ceſſabat. Ipſe eis cibos manib. ſuis ferebat, & ante eos ſtans, vel incidẽs quod in indicarẽt, orationẽ Dominicã dicebat, nihil vnquã guſtans eorũ, quę ipſis anteponebat. Quod reſiduũ fuit, ad pueros clauſtrales afferẽs interrogabat, ſi quod Pſalteriũ ad præſens haberẽt decantare? cumq; reſpõderẽt, etiã: vt, inquit, & me aſſumatis facia-

†ſic M. S. fortè comitibus.

Prædonem admittit ad ordinem.

faciatiſque participem, accipite iſtud, & comedite, ſtanſque ante eos, & carnes frangens Dominicam orationem de ore non dimittebat. Conuentus quidem ex auctoritate ordinis ſagimine in cibo vtebatur; ſed iſte, licet ad hoc etiam præcepto cogeretur, tamen, vix guſtato, ne inobediens exiſteret, amplius tangere perhorrebat: ſimulabat tamen comedere propter alios, ne notaretur, & de ſua proclamaretur abſtinentia. Ita in humilitate & vera ſpiritus contritione poſtquam Domino per biennium de latrone monachus & ſanctus ſeruiuit, volente Domino magnificare miſericordiam ſuam cum illo, imò & declarare, quoniam non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, infirmitate correptus eſt, ſedebat ergo continue, in lectulo iacere nolens, ne nimis corporali videretur indulgere quieti; & non diebus, neque noctibus à colloquiis diuinis & oratione ceſſabat. Poſt non multos dies, ingraueſcente languore, vocari ad ſe ſanctum Patrem rogauit; qui, cum adeſſet, præſentibus etiam quibuſdam de fratribus; Dominus, inquit, remuneret omnia bona, quæ mihi, Domine Pater, clementia veſtra hucuſque impertita eſt. Iam nunc proficit opus bonum, quod cœpiſtis in me, vt completis extremæ neceſſitatis officiis dirigar, quò iturus ſum. Cumque venerandus Pater blandè conſolaretur eum, ſpacium ei adhuc viuendi de Dei miſericordia promittens, ſe quoque non defuturum neceſſitati, vbi tempus adeſſet. Modò, inquit, eſt tempus faciendi, quia quantocyus migraturus ſum. Nominauit autem quoſdam monachos ſe in morte ſecuturos, dicens ad Patrem; Hortamini illos, vt ſint parati: quia citò ſunt me ſecuturi, ſed cum vir Domini hanc vellet vocem comprimere, & omnino huiuſcemodi verba compeſcere, dicens, illum nullam prorſus eorum, quæ memorabat, habere notitiam. Imo, ſcio, inquit, quid loquor ſeptem ſine dilatione morientur, quatuor obitum veſtrum præcedent; tres: ſubſequentur. Ita factum eſt, ſic de hac vita omnes exierunt, ſicut ab eo fuerant nominibus deſignati. Primò, illi quatuor; poſt quos, venerabilis Pater: deinde, tres alij, vti erant in denominatione ordinati. De viro autem Dei dixit, paratam eſſe ſedem eius; & glorioſo decore venuſtatam. Inde ſumpto viatico, feliciter perrexit ad patriam de exilio. Claret ergo, non ſolum ipſum Patrem Prophetico ſpiritu, vt ſupra memoratum eſt, ventura prænotaſſe; ſed etiam diſcipulos vtique meritis eius, vera de futuris præſenſiſſe.

XXVIII INFIRMABATVR vir beatus, rogauitque adhærentem ſibi Capellanum, Dominum videlicet Eberhardum, afferre ſibi de proximo fonte aquam ad bibendum. Miſit ergo famulum nomine Hiltiboldum, nutritum ab ipſo Patre, atque in eius ſeruitio tunc familiariter manentem, vt deferret aquam. Allatam ergo dedit Domino Eberhardo, ipſeque ægrotanti porrexit. Vbi bibit Venerabilis Pater. Ego, inquit, aquam poſtulaui. Cui, cum diceret Dominus Eberhardus iam à ſeruo allatam. Ite, ait, & ipſi mihi afferte. Perrexerunt pariter Capellanus & famulus; hauſtamque, vt antea, de puteo aquam petenti præbuerunt. Bibit: &, vt prius, vinum fuit. Tunc reſolutus in lacrymas; quid, inquit, Saluator agis? Nonne peccator ſum, indignus, propter quem ſigna facias? Iuſſit itaque hæc omnino taceri; &, ne manifeſtarentur, tota auctoritate interdixit. Hæc mihi idem Hiltiboldus cum lacrymis, & in anima ſua, ita eſſe, vt expoſita ſunt, aſſeruit, ſed & idem miraculum, videlicet vinum ex aqua factum, non ſemel ei eueniſſe, multi hodieque teſtantur. Sed iam ad beatum eius tranſitum, quem ipſe, Domino reuelante, non ignorabat, verba vertenda ſunt. Deinde ſanitates & miracula, quæ ad ſepulcrum eius fieri viſa ſunt, commemoranda.

Aqua in vinū ad hauſtum illius mutatur.

XXIX. NON longè ante obitum eius, Admuntenſis Pater, ſanctæ memoriæ, Dominus Gotfridus, valde ægrotabat, miſſumque eſt pro eo, vt eius exequiis adeſſet, imò ipſe eum terræ commendare dignaretur. Verum cum ſuam legati legationem dediſſent, Pater ſanctus tali eos reſponſione conſolatus eſt, dicens. Reuertimini, Dominus veſter melius habere cœpit, & benè conualeſcet, ſed rogate eum, vt ſi ei nuntius meus venerit, mihi venire non pigritetur. Ita factum eſt. Conualuit ille Pater: & poſt modicum iſto inuitante, venit, eumque ſepeliuit. Sed, antequam obiret, vocata ad ſe omni congregatione, ſingulorum audiuit confeſſiones, datiſque omnibus propria manu flagellis, & eos abſoluit, & ſibi ab eis remitti, quæ in eos deliquiſſet, humiliter rogauit. Fit ploratus multus, mœror & luctus omnes occupat, nolentes nimirum eo carere, quem habuiſſe ſalus habentium fuit. Tum Venerabilis Pater, tantis eorum permotus ſingultibus conſolatos eos fore deſiderans, Tempus, inquit, aduenit hinc tranſeundi, nec vltra differri valet diu exoptatum, vix exſpectatum. Sed ſcitote, quia vos nunquam deſeram, & huic loco fidelis in perpetuum, deuotuſque cooperator aſſiſtam. Corporali quidem diuiſione ſeparandi ſumus, ſed ſpiritu ſemper vobiſcum ero: Dico tamen, quod poſt diſceſſum meum locus iſte minimè carebit aduerſis, & ſemetipſo minor & inferior multum retroceſſiſſe videbitur, ſed tamen, per gratiam Dei citò reſurget, & melioris ſtatus reſumet dignitatem. Rogant deinde, dari ſibi conſilium, ad eligendum Patrem: pariter pollicentes, vt quem ipſe nomine deſignauerit, hunc procul dubio habituri ſint, quicunque ſit ille: Tum ille, ſi, inquit, conſilium meum in electione veſtra ſecuri fueritis, benè vos feciſſe videbitis & gaudebitis, ſin autem, perperam vos egiſſe, manifeſtum erit. Igitur Eberhardum Capellanum ſuum, virum in Dei rebus approbatum, indubitanter ſibi cenſet ſubrogandum, ſi hunc, inquiens, acceperitis, ſtabit honor Dei in hoc loco: & ſtatus hic veſter, ipſo viuente, nutare non poterit: ſed quoniam idem Eberhardus impeditæ linguæ exiſtens, eloquentiæ donum non habebat, & de hoc ipſo non dimiſit inconſolatos ita dicens: Eſt quidem ibi paruus defectus, ſed hunc, diuina prouidentia, vtiliori ſupplebit munificentia, & minus nocebit, non eſſe facundum, quem conſtat cœleſti approbatum ſententia. Laudant omnes conſilium, ſpondentes ita ſe libenter facturos. Inter hæc autem ipſe Eberhardus pedes ſancti viri, quoniam frigidi erant, in manibus & gremio tenens, more ſuo, dulciter confouebat, nihil curans de illa eorum circa regimen confabulatione. At vbi omnibus digreſſis, ipſi duo ſoli fuerunt, his verbis virum Dei cum mœrore allocutus eſt. Eia, inquit, quid feciſtis? Quale conſilium in me dediſtis? Hæccine eſt gratia, quam laboribus meis & ſeruitio retribuitis? Hoc eſt, quod tanto tempore vobis ſeruiendo promerui? Pia merces, clemens retributio, quod vos tenditis ad requiem, & me tribulationibus immergitis. Vos pergitis ad Chriſtum, & mihi onus imponere nitimini, ſub quo curuari neceſſe eſt etiam eos, qui portant orbem. Aliam fidei meæ, & deuotioni ſperabam ſeruari retributionem. Huiuſcemodi quaſi improperiis ſæpe dictus Capellanus pium obiurgabat Patrem, flens largiter: & totis præcordiorum affectibus vel ſimul abire deſiderans, vel ſub omni ſubſequi celeritate. Quod etiam precabatur multis conteſtationibus, videlicet, ne hic diutius dimitteretur, reducens ei ad memoriam, inſtanterque inculcans recordationi, ſi quid ſeruiuiſſet, ſi aliquid dignum gratia egiſſet, quatenus hoc totum hac ſola exauditione remuneraretur. Igitur cum ingraueſcente languore, quam plures ei ſine alimento tranſiſſent dies, iamque penè defeciſſet, accedens iſdem Eberhardus non tam Capellani, quam piiſſimi nutritoris & procuratoris vbique agens officium aliquid ei in os pro refocillatione immittere cœpit. Quo accepto, collectis in hæc verba viribus: O, inquit, quare ſic feciſtis? Eſſe mihi debuit pro pœnitentia manere ita abſque cibo, vſque ad feſtum Sancti Petri ad Vincula, vt ſic de carnis vinculis abſolutus, eorundem vinculorum pro voto feſtum celebrarem. Nunc verò quia cibatus ſum, citò migraturus conſtitutum diem exſpectare non poſſum. Nec mora. Nocte, quæ B Pantaleonis Martyris feſtiuum præcedit diem, modicum ante nocturnale officium, vocata congregatione, ipſe litaniam incepit, & ad vſque animæ redditionem cum aliis decantauit. tunc leuare manus (* volens), ſed minimè præualens, quieuit in Domino. Tunc miſſum eſt, ſicut præmiſimus pro Patre Admuntenſe, vt veniret: & eius depoſitioni officia humanitatis exhiberet. Venit, & eum commendauit terræ, quem ſuæ prius commendationi ipſe infirmus

Alterius ſanitatem, ſuam verò mortem prædicit.

Eberhardū Capellanū ſuum in ſucceſſorē ſibi nominat.

Moritur.

* in M S. deſideratur.

ſicia delapſi fuerant. Quicunque vero ex eorum numero in Chriſti ſide ſtabiliores inuenti ſunt, mentem atque cō-
gitationem firmam conſeruantes, neque tyranni minas extimeſcentes, ſed nequiſſimi diaboli tela ſuis corporibus
libenter excipientes, cruciatus omnes ſorti animo perferebant.

Multi atrociter cruciantur.

ITAQVE ſanctorum martyrum carnes multis variiſque tormentis lacerabantur, ita vt ex illorum vulneribus III.
multus ſanguis deflueret. Quorum corpora in vrbis mœnibus ac turribus ſuſpendebantur: capita vero palis affixa,
erigebantur ante portas. Itaque corui, vultures, & eiuſmodi aues, mœnia illa circundantes, ſanctorum martyrum
carnes dilaniabant. Quæ res Chriſtianis hominibus mœrorem afferebat. Tale tantumque certamen propoſitum e-
rat his, qui Chriſti fidem confitebantur. Tales erant minæ terroris plenæ, omnibus planè formidoloſæ: tales ærum-
næ, lapides fere ipſos commouentes. Sanctorum martyrum cadaueribus vrbis plateæ coarctabantur. Flebant au-
tem fideles, quod ſancta illa corpora in terris deiecta, viderent à volucribus lacerari. Quæſo, quodnam facinus tan-
topere dolendum? Quæ cædes ſic immanis & acerba? Tunc Chriſtiani homines, manibus ad cælum erectis, preca-
bantur Deum, vt eriperentur è manibus Tyranni Patres filios, filii patres abnegabant. Calamitates ipſæ amiciſſimos
viros à ſe viciſſim deiungebant. At * Maximilianus, Iamblicus, Martinus, Iohannes, Dionyſius, Exacuſtadius & An-
toninus, ſimul [a] verſantes, omneſque pariter in Chriſti fide ſtabiles, & Chriſti paſſiones in corporibus ſuis geſtantes,
cum viderent quæ quotidie contra Chriſtianos efficerentur, fletu, gemitu, ieiuniis ac precibus aſſidue ſe commu-
niebant. Erant autem illuſtrium virorum & optimatum vrbis filij.

* *Maximilianus*, &c. Alia nomina habet Gregorius Turonenſis cui conſentit Martyrologium Romanum.
[a] Vide vt ſe communitiant aduerſus perſecutionē.
[b] Accuſantur apud Imperatorem.
* alias *Maximianus*, primus inter martyres.

CVM vero Imperator turbas Gentilium ad inanium idolorum ſacrificia congregaſſet, tunc ſancti viri, quos IV.
paulo ante nominauimus, in vnum locum conuenerunt, ſimulque ad Chriſtianorum eccleſiam ingreſſi, proſtraue-
runt ſe in terram, & puluere capita ſua conſpergentes, ante Deum gemitus & lachrymas effundebant. Quod cum
facerent, obſeruati ſunt à ſpeculatoribus quibuſdam, quod ſcilicet tempore illo, quo ſacrificia diis offerebantur, i-
pſi ad Chriſtianorum eccleſiam ſecederent. Cumque ſinguli diligenter exquirerentur, vt diis ſacrificarent, acceſſe-
runt qui homines illos obſeruauerant, & Imperatori dixerunt: [b] Viuas, Imperator, æterno tempore. Tu eos, qui lon-
ge abſunt, cogis ſacrificiis præſto eſſe, & qui prope ſunt, contemnunt imperium tuum, & iuſſa tua pro nihilo faciūt,
Chriſtianorum obſeruantes religionem. Erat autem * Maximilianus ipſe Præſidis filius, item alii cum primis illu-
ſtres in exercitu. Tunc Decius Imperator ira percitus, illos ad ſe vinctos duci iuſſit. Quibus ductis: Quare, inquit,
non permanſiſtis nobiſcum, vt diis ſacrificaretis, qui totum orbem terrarum ad ſibi obediendum conuocarunt? Ac-
cedite igitur, & debitum diis ſacrificium offerte, quemadmodum omnes facere conſueuerunt. Tunc * Maximilia-
nus reſpondit: Habemus, Imperator, Deum in cælis habitantem, cuius gloria cælum & terra plena eſt, cui ſacrificiū
confeſſionis noſtræ offerre ſoliti ſumus, atque noſtrarum orationum libamine coram Deo exultamus omni tem-
pore. Nos enim nidorem ac fumum veſtrorum ſacrificiorum iſtis idolis non offerimus, quandoquidem noſtras a-
nimas labefactare nolumus.

Militares zonæ auferuntur 7. martyribus.

HIS auditis, Decius non amplius loqui voluit, ſed iuſſit militares zonas ab eis auferri. Cuius rei cauſam eſſe di- V.
xit, quod deorum potentiæ aduerſarios ipſos deprehenderat. Præterea illos à deorum munificentia repellendos,
atq; ab Imperii militia procul arcendos eſſe decreuit, quoad opportune de illorum religione inquirere poſſet. Non
enim æquum videri ſibi, aiebat, illorum iuuentutem tormentis conſumi: itaque miſericordia motum temporis ſpa-
tium ſe illis concedere, vt interea reſipiſcerent, ad deos reuerterentur, & viuerent. Hæc dixit Imperator, & præ-
cepit ferreis vinculis illorum colla exui, atque à ſuo conſpectu remoueri. Tunc Decius in alias vrbes profectus eſt,
vt faceret quæ in animo habebat, eo tamen conſilio, vt Epheſum repeteret. Itaque ſanctis viris, quos diximus, con-
ceſſum fuerat ab Imperatore, vt per aliquot dies libere verſari poſſent.

CVM igitur opportunum tempus inueniſſent, & in Chriſti fide perſeuerare conſtituiſſent, iuſtitiæ operibus VI.
incumbebant: cumque aurum & argentum ex paternis facultatibus collegiſſent, pauperibus multam pecuniam
diſtribuerunt: & inter ſe conſilium ineuntes, viciſſim ſe his verbis adhortabantur: Secedamus parumper ab hac vr-
be, & ſubeamus ſpeluncam illam magnam, quæ vergit ad Orientem. Illic quiete viuentes, Deum noſtrum attentis
& aſſiduis precibus oremus, vt tales effici poſſimus qui ante Tyranni adſpectum conſtanter ſtare valeamus: neque
deſinamus Dei gloriam collaudare, vt Deus ipſe ope ſua nos adiuuet, quo rectam eius confeſſionem ſeruemus,
coronamque illam incorruptam his paratam, qui eius fidem cuſtodiunt, & Chriſtum agnouerunt, accipere

Abdunt ſe in ſpeluncam 7 martyres.
Iamblicus natu minor eorum œconomus.

poſſimus. Itaque cum tantum argenti ſumpſiſſent, quantum illis ad ſumptum ſatis eſſe poſſet, aſcenderunt in
ſpeluncam in monte ſitam, (mons Ochlon appellatur) quo in loco multos dies tranſegerunt, Deum ipſum orantes,
& ſalutem animarum ſuarum ſemper ab eo poſtulantes. Iamblico autem, qui omnibus aliis erat natu minor, & ob-
eundis miniſteriis aptior atque expeditior, impoſitum fuit negotium, vt in vrbem deſcenderet, & ſi quid fieri opus
eſſet, ipſe faceret. Erat autem iuuenis ille valde prudens. Itaque cum ad vrbem deſcendebat, ne agnoſci poſſet, ve-
ſtem mutabat, & vnus aliquis è numero mendicorum videbatur: cumque pecuniam ſecum haberet, partem aliquā
pauperibus diſtribuebat: dabat etiam operam, vt ſubauſcultaret, quidnam de Imperatore diceretur.

POST aliquot dies redit Imperator Decius in vrbem Epheſum: & ſtatim iuſſit optimates cum his, qui Achil- VII.
lidem ſequebantur, & aliis qui erant illic, ſacrificia vanis idolis offerre: de falſis enim diis ſuis erat valde ſolicitus,
cum eorum vanitatem non cognoſceret. Quamobrem Chriſtianæ fidei ſectatores timore magno afficiebātur. Hæc
cum Iamblicus audiuiſſet, egreſſus eſt ex vrbe, paucos panes ſecum ferens, & ad montis ſpeluncam, vbi erant ſo-
cii, reuerſus eſt. Narrauit Iamblicus, quæ in Tyranni palatio ad eius ingreſſum audiuerat, & quemadmodum quæ-
ſiti fuerant & ipſi, vt vna cum aliis ciuibus, præſente Imperatore, ſacrificarent. His auditis, timuerunt illi, & multo
cum gemitu ac lachrymis Deum precati ſunt. Appoſita eſt igitur illis menſa, & panes, quos Iamblicus emerat, vt ci-
bum ſumerent, & ad Tyranni certamen ſuſtinendum promptiores fierent. Conſedere igitur in media ſpelunca, &
ſole occidente cibum ſumpſerunt. Cum vero triſtes ſederent, & inter ſe colloquerentur, dormire cœperunt: erant
enim eorum oculi propter mœrorem grauati.

Obdormiunt in ſpelunca.

AT clemens ac benignus Deus, qui ſeruis ſuis ſemper prouidet, fecit illos mortis genus quoddam obire, vt per VIII.
eos miracula quædam opportuna fierent. Itaque cum ſopore omnes correpti eſſent, in terra iacentes obierunt, ani-
mas ſuas Deo reddentes, & diuinam gloriam concelebrantes. Argentum autem, quod habebant in ſuis marſupiis,
apud illos eo in loco, in quo iacebant, remanſit. Poſtridie mane Imperator inter optimates iuſſit iterum ſeptem il-
los adoleſcentes requiri. Qui cum non inuenirentur, ad optimates conuerſus: Magnopere, inquit, doleo propter
adoleſcentum illorum calamitates, eo quod illuſtribus & claris parentibus orti ſunt. Opinor enim illos, arbitra-
tos imperii noſtri maieſtatem ſibi valde iratam eſſe, propter pietatis noſtræ religionem ab eis violatam, aufugiſſe.
Sed Imperii noſtri benignitas non ſuccenſet his, qui reſipiſcunt, & ad deorum noſtrorum clementiam animos re-
ducunt. Hæc dixit Imperator. Cui optimates reſponderunt: Quod ad illos adoleſcentes pertinet religionis deſer-
tores, Imperii tui maieſtas nequaquam doleat, neque reſipuiſſe illos arbitretur, adhuc enim in priſtina ſua ignorā-
tia perſeuerant, & vt audiuimus, eo ipſo tempore, quod ipſis præſcriptum fuit ad mutandum conſilium, pertina-
ciores facti, obſtinatam voluntatem retinent. Itaque argentum & aurum pauperibus per vrbis plateas diſpoſitis
diſtribuerunt,

diſtribuerunt, neque amplius quiſquam eos vidit. Si placet igitur maieſtati tuæ, parentes illorum capiantur, & tormentis cogantur dicere, vbinam eorum filii lateant.

IX. Hæc audiens Imperator, ira percitus iuſſit adoleſcentum parentes acceſſiri. Quos cum præſentes vidiſſet: Et vbinam, inquit, ſunt filii veſtri, Imperii & iuſſorum noſtrorum contemptores? Propterea vos etiam inſolentiæ ipſorum cauſa interfici iubeo. Tunc illi dixerunt: Precamur te, benigniſſime Imperator, vt noſtram cauſam audias. Nos Imperii & Maieſtatis tuæ iuſſa non violauimus, neque propitia deorum numina deſeruimus. Quare igitur nos illorum, qui deſertores ſunt, cauſa moriemur? Quod vero ad argentum & aurum pertinet, illi à nobis pecuniam ſubripuerunt: quam cùm pauperibus diſtribuiſſent, aufugerunt in montem, & ibi deliteſcunt in ſpelunca. Siue igitur viuant, ſiue mortui ſint, nos ignoramus. Hæc audiens Imperator, viros illos dimiſit, & multum ſecum cogitabat, quidnam faceret adoleſcentibus. Benignus autem Deus in eius mentem iniecit, vt ſpeluncæ illius aditum lapidibus obſtrueret, quô ſanctorum martyrum corpora ſepulta illic iacerent, neque ſanctæ reliquiæ amouerentur, ſed vſque ad reſurrectionem ipſam ſeruari poſſent.

Martyrum parentes capiuntur, & coguntur prodere filios.

Imperator iubet obſtrui os ſpeluncæ.

X. Decivs ergo Imperator ſententiam contra illos adoleſcentes talem pronunciauit: Quoniam noſtris edictis parére noluerunt deſertores adoleſcentes, & noſtrorum deorum numen contempſerunt, propterea & ipſi benignitate noſtri imperii priuentur, neque amplius in conſpectum hominum appáreant. Quamobrem ſpeluncæ aditus ſaxis magnis obſtruatur, & ſigillorum munimine imprimatur, vt viui obruantur, & in eiuſmodi carcere moriantur. Exiſtimabat enim tam Imperator, quam tota ciuitas, adoleſcentes illos adhuc viuere. Theodorus vero & Barbus, qui fuerant à cubiculo Imperatoris, & miniſtri admodum fideles, cum eſſent & ipſi Chriſtiani, propter perſecutionem ſeſe occultauerant. Tum inter ſe ita dicebant: Scribamus martyrium ſeptem adoleſcentum in plumbeis tabulis, quoniam propter Chriſti fidem mortui ſunt, & martyres facti ſunt. Quæ autem ſcripſerimus, in æreis loculis reponamus, & loculos ipſos ſigillo munitos, inter lapides, qui ſunt in eo loco, ponamus: (fortaſſis enim Dominus ante nouiſſimi aduentus diem Martyres viſitabit) vt ſi quo tempore ſpelunca hæc patefacta & ſanctorum martyrũ corpora in apertum prolata fuerint, ex literarum monumentis illorum facta diſci poſſint. Fecerunt igitur Theodorus & Barbus, quod inter ſe communicauerant.

Decii in illos ſententia.

Theodorus & Barbus martyrium illorum cōſcripſerunt in tabulis plumbeis.

XI. Temporis interuallo mortuus eſt Decius Imperator, & tota ætas illa interiit. Succeſſerunt autem Imperatores ſuo quiſque tempore, quoad Theodoſius Imperator ſceptrum tenere cœpit. Qui cum religioſe & Chriſtianè imperaret, ſurrexerunt quidam hæretici, qui negabant mortuorum reſurrectionem, quam Chriſtus ipſe in ſua ſancta Eccleſia firmiter credi voluit. Milites enim quidam idolorum cultores, cum in palatio Imperatoris verſarentur, apertam perſecutionem aduerſus aliquos apud Imperatorem commouerunt. Quinetiam Epiſcopi quidam rectas Dei ſemitas peruertere cupientes, in eccleſiis multarum præuaricationum erant authores. Quorum princeps & malorum omnium caput habebatur Theodorus Aeginenſium Epiſcopus, ſimul cum iis, quos ſecum habebat: qui ne nominari quidem debent, cum Dei Eccleſiam perſecuti fuerint. At Imperator Theodoſius in dies magis perturbabatur ac dolebat, cum ſanctarum eccleſiarum fidem fluctuantem videret. Itaque à Deo ipſo eius mali curationem poſcebat. Erant enim, qui dicerent mortuis hominibus conſolationem nullam futuram. Alii affirmabant corpus vetuſtate conſumptum, ipſum quidem conſolationem nullam habiturum, ſed ſolam animam immortalis vitæ participem futuram. Eiuſmodi homines vanis opinionibus decepti ſic errabant, neque animaduertebant infantem puerum nunquam in ventre matris fuiſſe ſine carne, neque carnem è vulua exiiſſe ſine anima vitali. Item claudentes mentis oculos, ſacras literas non conſiderabant, in quibus ſcriptũ eſt: Audient qui ſunt in monumentis, vocem filii hominis, & viuent, & alio loco: Et multi de iis, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium: cum illud etiam in eis ſcriptum inueniatur: Ecce ego aperiam ſepulcra veſtra, & educam vos de ſepulcris veſtris, popule meus. Hæc ſunt diuinarum literarum teſtimonia. Sed hæretici homines à recta vitæ ſemita deuiantes aberrabant, & fidei ſynceritatem obliquis ſuarum animarum cogitationibus peruertebant.

Hæretici reſurrectionem negãtes exiſtunt ſub Theodoſio

Vide Barō. in notis ad Martyr. hoc die.

Theodorus pſeudo-epiſcopus

Errores ſub Theodoſio.

Iohan 5.

Dan. 12.

Ezech. 37.

XII. Imperator igitur Theodoſius eam rem moleſte ferebat, ob idque mœrore afficiebatur. Verum cum clemẽtiſſimus Deus neminem velit à fidei via errantem perire, fecit, vt reſurrectionis myſterium omnibus patefieret. Immiſit enim in mentem cuiuſdam hominis, qui dicebatur Adolius, eius montis & ſpeluncæ dominus, vbi ſancti martyres dormierant, vt ouile quoddam ſuis pecudibus construeret. Eius igitur ſerui vna cum his, qui operi faciendo vacabant, lapides pro ædificio ex eius ſpeluncæ oſtio reuoluebant. Tunc Domini noſtri Ieſu Chriſti iuſſu ſanctis illis viris, qui in ſpelunca dormierant, vita reſtituta eſt, & vox illa, quæ Lazarum è monumento excitauit, eadẽ & ſanctis martyribus vitæ ſpiritum reſtituit. Surrexerunt igitur, & Deum laudantés conſederunt, & quemadmodum quotidie conſueuerant, ſe viciſſim ſalutabant, quoniam nullum in eis ſignum exiſtebat, ex quo mortuos ſe fuiſſe iudicare poſſent: nam & veſtes tales erant, quales & antea, quam obiiſſent: corpora etiam ipſa florebant, hilaritatem præ ſe ferentia: denique tales erant, vt ſi pridie veſperi ſomnum cœpiſſent, & poſtridie mane experrecti fuiſſent. Adhuc & de idolorum ſuperſtitione ſoliciti, à Decio Imperatore ſe inquiri exiſtimabant: ob idq; multa cura affecti, vertebant oculos ad Iamblicum procuratorem, & ab eo denuo quærebant, quænam pridie veſperi audiuiſſet de ipſis in ciuitate. Quibus Iamblicus reſpondit: Quemadmodum vobis dixi heri veſperi, & nos vna cum reliquis ciuibus quæſiti fuimus, vt diis immolaremus coram Imperatore: qui niſi eius iuſſui obtemperauerimus, tormenta ſe nobis allaturum conſtituit. Quid autem facturus ſit, neſcio.

Adolius aperit ſpeluncam.

Iohan 11.

Reuiuiſcũt dormiẽtes.

Credebant ſe vna tantum nocte dormiſſe.

XIII. Tvnc reſpondit * Maximilianus: Agite, fratres, parati ſimus prodire in conſpectum Imperatoris illius terribilis & veri Dei Ieſu Chriſti, neque timeamus mortalem iſtum Imperatorem. Tu vero, Iamblice, da operam: vt paretur nobis cibus ad horam conſtitutam. Accipe argentum, ingredere in vrbem, eme panes multos: pauci enim fuerũt, quos heri veſperi attuliſti, ob idque eſurimus. Eadem opera diſcas, quid Decius Imperator de nobis decernat. Cogitabant enim ſe nocte ſuperiore cubuiſſe, & poſtridie mane experrectos fuiſſe. Tunc igitur bene mane ſurrexit Iamblicus, & argentum ſumpſit ex loculis, quemadmodum conſueuerat. Erat autem moneta illa vetere nota impreſſa, quæ partim quadraginta, partim ſexaginta nummorum precio pendebatur veterum Imperatorum temporibus, cum ſancti viri, de quibus verba facimus, prius viuebant. Præterierant autem trecenti & ſeptuagintaduo anni, ex quo dormierant vſque ad eum diem, quo reſurrexerunt.

**Vide Bar. vbi ſupra.*

Emittitur Iamblicus ad emendos panes.

Diuturnus ſomnus.

XIV. Cvm igitur illuxiſſet, exiit Iamblicus ex ſpelunca, & vidit lapides ante ſpeluncam poſitos, atque obſtupuit: nihil enim de lapidibus illis cognouerat. Deſcendens autem de monte, timebat deambulare. Itaque in via totus trepidabat, metuens in vrbem ingredi, ne quo modo agnoſceretur, & ad Imperatorem Decium vinctus duceretur: quippe ignorabat eius tyranni oſſa in ſepulcro putrefacta eſſe. Cum vero in vrbem ingrederetur, & venerandæ Crucis ſignum ante vrbis portas erectum vidiſſet, ſic obſtupuit, vt à mente ferè excideri: atque in quancunque partem oculos vertiſſet, rerum nouitate perculſus, magis obſtupeſcebat. Acceſſit ad aliam vrbis portam, & illic etiam Crucem ipſam ſupra muros erectam vidit. Cumque omnes portas obiiſſet, venerandæ Crucis figuram locatam adſpiciens, præ ſtupore mutus factus eſt. Itaque cum ad primam illam portam ſe contuliſſet, ita ſecum loquebatur Quid-

Vis e antiquiſſimum S. Crucis vſum.

Putat ſe alicuius ſpectri illuſione deceptũ, Iamblicus.

nam hoc eſt? Heri veſperi huius Crucis ſignum in latibulis ſeruabatur, & nunc aperte in ipſius vrbis foribus erectũ
videmus. Veréne hoc video, an ſpectri alicuius illuſione decipior? Cum hæc diceret, & Crucis figuram vbique fi-
xam videret, animo magis confirmato, in vrbem aperto capite ingreſſus eſt. Cumque longius progrederetur, audi-
uit multos per Ieſu Chriſti nomen iurare. Quare magis perculſus: Quid hæc ſint, inquit, ignoro. Heri veſperi nemo
liberè Chriſtum nominabat, & nunc tam multis linguis Chriſti nomen celebratur. Rurſus ſecum ambigens, dice-
bat: Fortaſſe vrbem Epheſum non video: quoniam eius ædificia omnino mutata ſunt, & ipſius lingua, alia quædam
eſt Chriſtũ edocta: quod in nulla alia vrbe heri vidi, niſi in hac ſola. Progreſſus igitur, quæſiuit à quodam ciue, quo
nomine vrbs illa vocaretur. Epheſus, inquit ille, hæc vocatur. Non credidit Iamblicus, ſed ſecum cogitans: Dece-
ptus, inquit, certe ſum, locorũ oblitus, totaq; mente aberrans. Exeundũ igitur mihi eſt ex hac vrbe, ne magis errem.
Cvm ergo ſolicitudine magna teneretur, & illinc exire vellet, prius voluit panes emere, & argentum ſumpſit, XV.

Monetæ veteris figura cuius Epheſinis teſtimonium dedit veræ reſurrectionis.

vt precium daret. Qui vero panem vendiderant, cum monetam illam magnam & diuerſam vidiſſent, mirati ſunt,
& viciſſim eam ſibi oſtendebant. Per manus igitur tradita, moneta illa per omnes, qui panem vendebant, tranſiit.
Qui viciſſim in aurem inſuſurrantes, & Iamblicum intuentes, dicebant: Vere homo iſte theſaurum inuenit, veterẽ
illum quidem, & multis ab hinc annis reconditum. Iamblicus cum illos ſuſurrantes videret, cœpit timere: exiſti-
mabat enim ſe ab illis agnoſci, & Decii imperio tradendum eſſe. Cum vero multi acceſſiſſent, & eius formam ne-
quaquam cognoſcere poſſent, in medio foro illum detinebant. Itaque turbæ multæ confluxerunt, & ſermo hic per
totam ciuitatem vulgatus eſt, adoleſcentem quendã cõprehenſum fuiſſe, qui theſaurũ inuenerat. Turbæ autem ad
eum congregatæ, dicebant: Homo iſte peregrinus eſt, neq; vnquam illum vidimus. Hæc dicebant, & intentis ocu-
lis magis magiſq; ipſum intuebantur. Volebat Iamblicus cauſam ſuam agere, quod falſum eſſet, quod de theſauro
inuento dicerent: ſed ſtupore detentus, id facere non poterat. Cumq; omnes turbas circumſpiceret, neminem ag-
noſcebat, & nemini notus erat, licet claro & illuſtri genere apud vrbem Epheſum natus eſſet. Quapropter admira-
tione maxima detinebatur, quod pridie veſperi omnib. notus fuiſſet, & poſtridie mane neminẽ agnoſceret omnino
& ipſe ignotus. Dabat operã. vt inter turbã illã, patrem vel aliquem ex fratrib. inueniret, neq; quenquam videbat.
Tvnc ea res per totam vrbem vulgata, vſque ad Epiſcopi aures peruenit. Diuina quoque prouidentia factum XVI.
eſt, vt eius vrbis Proconſul illa ipſa hora veniret ad Epiſcopum. Qui dum diceret de theſauro, quem ab adoleſcen-
te illo inuentum cogitabat, ea res fecit, vt mortuorum reſurrectio pateret omnibus. Iuſſerunt enim tam Proconſul,

Iamblicus trahitur ad Epiſcopum & Proconſulem.

quam Epiſcopus, adoleſcentem illum benigne tractatum cuſtodiri, & ad ſe duci cum argento, quod ſecum habe-
bat. Cum igitur Iamblicus ad eccleſiam traheretur, putabat ad Decium Imperatorem ſe trahi. Itaque huc & illuc
circunſpiciebat, vt aliquem ſuorum videret, vel conſanguineorum, vel eorum, quibus notus fuerat. Adoleſcentem
ita circunſpicientem turba, vt inſanum aliquem, irridebat: itaque violentius ad eccleſiam impellebatur. Iam ve-
ro Proconſul & Stephanus Epiſcopus monetam illam in manus ſumptam inſpicientes, admirabantur. Tunc Pro-
conſul Iamblicum interrogans: Vbinam, inquit, eſt theſaurus, quem inueniſti? Moneta enim hæc è theſauro ſub-
repta eſt. Minime, inquit Iamblicus, theſaurum inueni, quemadmodum me vos inſimulatis. Illud vnum certo ſcio,
ex paternis meis pecuniis argentum hoc eſſe, eius monetæ nota impreſſum, quæ huic vrbi conſueta eſt. Sed certe
miror, neque cogitare poſſum, vndenam tentatio hæc mihi acciderit. Ad hæc Præſes: Vndenam, inquit, es tu? Illi
autem reſpondit Iamblicus: Ex hac vrbe, vt opinor, ego ſum. Quo patre natus? inquit Præſes. Eſtne aliquis, qui te
agnoſcat? Veniat, & teſtimonium dicat pro te, & credemus tibi. Protulit Iamblicus patris & fratrum ſuorum no-
mina: neque quiſquam nouerat, quos diceret. Tum Præſes: Vera, inquit, non ſunt, quæ dicis. Hæc audiens Iam-
blicus, perplexo erat animo, nec habens quid reſponderet, ſilebat. Quem cum ita perplexum ac triſtẽ vidiſſet: For-
taſſe, inquit, inſanus eſt. Alii dicebant: Nequaquam inſanus eſt, ſed inſaniam ſimulat, vt pericula effugiat. Acer-

Dure accipitur à Proconſule.

bioribus verbis Præſes eum increpans: Qua ratione, inquit, te ferre poſſumus, aut tibi credere, argentum hoc ex pa-
ternis pecuniis ad te perueniſſe, cum moneta hæc ex inſcriptione & nota ſignificet, quod trecentis & octaginta an-
nis ante nos fuerit, ac priuſquam Decius imperaret, neque vlla ex parte ſimilis ſit illi, quæ nunc in vrbe impenditur?
Num parentes ita veteres, & ante trecentos annos genitos habere potes tu, qui adoleſcens es? An putas te ſic aſtu-
tum eſſe, vt ſenes & Epheſinæ vrbis ſapientes decipias? His de cauſis iubeo te in vincula coniici, & flagellis verbera-
ri, donec confitearis, vbinam ſit theſaurus iſte.
Hæc audiens Iamblicus, & timens, faciem in terram proſtrauit, & his verbis illos affatus eſt: Precor vos, vt XVII.
mihi non grauemini dicere, quod quæſiero: omnia enim libere vobis confeſſus fuero. Decius Imperator, qui e-
rat in hac vrbe, viuit ne, an non? Ad hæc Stephanus Epiſcopus: Non eſt, inquit, fili, qui hodie in hac regione De-
cius Imperator nominetur. Tunc Iamblicus: Venite, quæſo, mecum, & oſtendam vobis in ſpelunca montis Och-
lon ſocios meos, vt ab illis diſcatis verum eſſe, quod dico. Certe ſcio ab Imperatore Decio nos illuc fugiſſe: quem
Decium & ego heri veſperi in vrbem Epheſum ingredientem vidi. Sit autem nec ne vrbs iſta Epheſus, neſcio. Tunc
Epiſcopus Stephanus in eam cogitationem veniens, quod Deus per iuuenem illum aliquid eis reuelare vellet: Ea-
mus, inquit, & videamus. Statimque Epiſcopus & Proconſul cum optimatibus & turbis multis aſcenderunt in

Arcula ærea continens martyrium 7. dormientium.

montem ad ſpeluncam, quam Iamblicus antecedens demonſtrauit. Dum autem Epiſcopus, & qui cum eo e-
rant, ingrederentur in ſpeluncam, in eius oſtio arculam quandam æream inuenit Epiſcopus, inter duos lapides poſi-
tam, & duobus argenteis ſigillis impreſſam: quam coram Præſide & optimatibus aperiens, duas plumbeas tabulas
in ea inuenit, in quibus ſcriptum erat, à Decio Tyranno fugiſſe Maximilianum Eparchi filium, Iamblicum, & re-
liquos adoleſcentes, & ipſius Decii Tyranni iuſſu ſpeluncæ illius aditum obſtructum fuiſſe. Erat & eorum martyriũ
in earundem tabellarum latitudine conſcriptum. Quo lecto admiratione affecti ſunt, & Deum ipſum, qui tanto
miraculo adoleſcentes illos proſecutus fuerat, ſummis vocibus collaudàrunt.
Ingressi vero in ſpeluncam, ſanctos illos ſedentes inuenerunt: quorum facies inſtar luminis effulgebat. Ad XIIX.
eorum igitur pedes ſe abiicientes, eos venerati ſunt, & Deo gratias egerunt, qui tanti miraculi ſpectaculum ipſis
conceſſerat. Cæterum ſancti martyres de omnibus, quæ ſub Decio facta fuerant, eos docuerunt. Statim vero Epi-
ſcopus & Proconſul miſerunt literas ad Imperatorem in hanc ſententiam: Celerrime iubeat maieſtas tua huc ali-
quos venire, & videre miracula, quæ Deus oſtendit Imperii tui tempore: quandoquidem futuræ in extremis tem-
poribus reſurrectionis ſignum noſtra ætate mundo ipſi præmonſtratum eſt, in ſanctorum virorum corporibus, quę

Theodoſius venit Epheſum ad 7. dormientes.

nunc reſurrexerunt. Ea re gauiſus eſt Imperator, & Dei gloriam laudabat. Quinetiam ad eum locum ex vrbe Con-
ſtantinopoli cum multis hominibus profectus eſt: eique tota ciuitas Epheſina obuiàm proceſſit. Illico autem ab
Epiſcopo, Proconſule & optimatibus deductus, in ſpeluncam ingreſſus eſt: cumque adoleſcentes ſalutâſſet & am-
plexus eſſet, flere cœpit: & Dei gloriam celebrans, toto animo exultauit. Cui Maximilianus vir ſanctiſſimus: Ex
hoc, inquit, tempore Imperium tuum propter fidei tuæ ſtabilitatem firmum erit, & Ieſus Chriſtus filius Dei viui cu-
ſtodiet ipſum in nomine ſuo ab omni tentatione. Mihi credas, tui cauſa fuiſſe nos à Deo ipſo exuſcitatos.
Imperator, & Epiſcopus, & tota turba hunc ſermonem audientes, mirum in modum lætabantur. Sancti vero XIX.
martyres cum ſua capita in terram declinâſſent, & Deum precarentur, dormierunt, & ita diuino nutu ſuos ſpiritus
Domino

Digitized by Google

Dn̄o tradiderunt. Imperator igitur iuſſit ſeptem aureas arcas componi, quibus ſeptem illorū iuuenum corpora cōderentur. Nocte vero illa iuuenes in ſomnis apparuerunt Imperatori, eique dixerunt, vt in ſpelunca, in qua fuerant ſupra terram, eos requieſcere lineret. Quamobrem Imperator vſque ad hodiernum diem illic eos eſſe voluit. Deinde magnus Epiſcoporum cœtus illic conuenit, & diem feſtum celebrauit, viroſque beatiſſimos, vt ipſorum dignitas poſtulabat, debitis honoribus omnes proſecuti ſunt. Ad hæc Imperator illius regionis pauperibus multa dedit, & qui erant in carcere, eos dimitti iuſſit. Quo facto, Theodoſius lætus rediit in vrbem Conſtantinopolim multo comitatu. Omnes autem exultantes, Chriſtum Deum noſtrum collaudabant, ſanctos ſuos mire glorioſos efficientem: Cui conuenit gloria, honor & adoratio nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Rurſus obdormiūt in Domino.

Attendant hūc locum noui Sadducæi.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI ET INSIGNIS MARTYRIS PANTELEEMONIS, EX PIMEONE METAPHRASTE. LATINA MARtyrologia Pantaleonem vocant. Simul etiam habetur hic martyrium Hermolai, Hermippi & Hermocratis martyrum.

An. 290.

I. CVM idolorum caligo diffuſa eſſet per totum orbem terræ, quando Maximianus tenebat ſceptra Romani Imperii, tunc cognitus fuit Nicomediæ admirabilis & magnus inter martyres Panteleemon. Ex ea enim ſui generis ducebat originem: & vocabatur quidem Pantaleon: erat autem filius Euſtorgii, opibus quidem inſignis, impietate autem clarioris. Erat enim deditus ſuperſtitioni gentilium, & ardenti zelo in eam erat incenſus. Erat vero illi mater fidelis, quæ, quod ad religionem attinet, cum marito pugnabat ex diametro: & bene affecta erat Eubula (id enim erat ei nomē) in res Chriſtianorū. Cum à tali ergo matre & magiſtra bonus educaretur filius, corporali ſimul & ſpiritali eius priuatur nutrimento, lege mortis & communis naturæ, imperfectam & immaturam agens ætatem, cum parum, proh dolor, eſſet vſus materna illa curatione.

Ivlii 27.

Patria & parentes S. Panteleonis.

Immaturus obitus matris eius.

II. Postqvam autem vidit pater eum per ætatem eſſe aptum diſciplinis, tradit Grammatico: deinde præceptoribus & inſtitutoribus. Poſtquam vero fuit in Græcis ſatis doctus diſciplinis, docetur medicinam, in ea arte illo tēpore viro excellentiſſimo, nomine Euphroſyno, traditus in diſciplinam. Ille autem celeritate ingenii, tanquam auis quædam ſecans aerem, magna facilitate omnia peruaſit, parum indigens eorum, qui eum adiuuarent, laboribus, propter vires ingenii. Sicque breui æquales omnes à tergo reliquit. Erat autem & moribus modeſtus, & ſermone iucundus, & pulchritudine inſignis. Quæ quidem faciebant, vt eum magna voluptate eſſet in ore omnium, & haberetur ab omnibus in admiratione: adeo vt ipſe Maximianus, cum illum aliquando vidiſſet (ventitabat enim in Regiam, ſequens magiſtrum) non ſilentio prætererit: ſed eum accerſens, de ipſo inquiſierit, cuiuſnam eſſet filius, & vnde, & alia rogauerit: quinetiam præceptori mandauerit, vt eum, quam citiſſime fieri poſſet, in omni exerceret medicina: eius enim moribus & flore virtutis delectabatur, & ſtatuit illum habere in regia.

Adhibetur literis, inde medicinæ.

Maximianus Imperator vult eum habere in ſua regia.

III. Illo autem tempore quidam ſenex religione Chriſtianus, nomine Hermolaus, erat abſconſus in quadam domuncula cum aliis Chriſtianis. (Id enim faciebat metus Imperatoris.) Qui cum videret Pantaleonem euntem ad præceptorem, & externa teſta animaduerteret celari margaritam, conſiderans quiſnam eſſet eius inceſſus, quis motus, quis adſpectus, quanta eſſet eius oculorum ſerenitas & tranquillitas: Hæc, inquam, cum ille videret, &, ſicut generoſum quendam equum ii, qui tenent harum rerum ſcientiam, etiamſi ſit adhuc pullus, iudicant fore optimū: aut ex tenera adhuc planta arborem aptam ad fructum: cognouiſſet per ſpiritum fore, vt Pauli ſententia cerneretur vas electionis, magni ducebat & plurimi hoc faciebat, ſi talem illam venatus eſſet animam. Cum eum itaque prætereuntem aliquando accerſiſſet, rogauit, vt ingrederetur in illam, in qua latebat, domunculam. Ille autem ingreſſus eſt. Quem cum prope feciſſet ſedere, rogauit de genere, & parentibus, & cuiuſnam eſſet religionis, & deinceps ſingula. Pantaleon vero ſtatim omnia refert, vt rei habebat veritas: & quod mater quidem iam eſſet mortua, quæ erat religione Chriſtiana: pater autem viuens ſit mortuus, Gentilium ſequens ſuperſtitionem. Deinde cum adieciſſet ſenex: Tu autem, bone fili, cuiuſnam vis eſſe partis, & vtrius religionis? Pantoleon vero: Mater quidem, inquit, cum eſſet adhuc ſuperſtes, ſuaſit, vt aſſentirer eius religioni, quod quidem mihi placebat: Pater autem, vt qui ſit fortior, cogit me religioni ſuæ dare operam: vult enim me referre in numerum Palatinorum. Quænam vero eſt ea, cui ſtudes, diſciplina? ait ſenex. Aeſculapii, inquit, & Hippocratis, & Galeni. Nam hoc quoque viſum eſt patri meo. Quinetiam ipſe nobis affirmauit magiſter, quod ſi eam accurate didicero, potero curare omnem morbum humanum, & eam, vt fortiorem, obiicere cuiuis affectioni. Hermolaus autem ex illius verbis occaſione accepta & ſemine, tanquam pulcherrimum nactus receptaculum, cœpit diuinum fidei fluentum in id effundere: Crede mihi, dicens, ô optime adoleſcens, vera dicenti. Hæc Aeſculapii, Hippocratis & Galeni parua ſunt, & parum poſſunt prodeſſe iis, qui eis vtuntur. Quinetiam dii ipſi, quos colit Maximianus, ſunt vana omnino fabula, & leuiorum mentium deceptio. Vnus autem ſolus verus Deus eſt Chriſtus: in quem ſi credideris, eius ſola inuocatione omnes morbos ſolues & fugabis: qui cæcis quidem lucem, mortuis autem vitam, leproſis dedit purgationem: qui eos, qui à Maximiano adorantur. dæmones ſolo verbo & iuſſu expulit ab hominibus: cuius etiam veſtimenti fimbria, cum eam ſolum tetigiſſet mulier, ſtatim ſtitit canales ſanguinis, qui duodecim annos integros fluxerat. Et quid opus eſt, res illius dicere? perinde enim eſt, ac arenam, ſtellas, & aquæ guttas dimetiri, eius miracula enumerare & magnalia. Et nunc quoque adeſt ſuis adiutor inexpugnabilis, conſolans in moleſtiis, dilatans in afflictione: in rebus, inquam, aduerſis, & iis, quæ præter noſtram voluntatem accidunt, preces minime expectans, ſed præueniens ipſum quoque motum cordis. Qui etiam iis, qui ipſum diligunt, maiora quam ipſe fecit, præbens facienda miracula, donat deinde vitam, quæ nullum habet finem.

1 Tim. 1.

Venit ad Hermolaum ſenem Chriſtianū.

Hermolaus ei Chriſtum prædicat.

Matt 9.

IV. Hæc verba cum Pantoleon, tanquam bona terra, corde accepiſſet & abſcondiſſet, credebat, & vera eſſe iudicabat, & ab eis omnino pendebat, & ſuauiter in eis meditabatur, & dicebat Hermolao, ſe ea ſæpe audiuiſſe à matre, & vidiſſe eam orantem, & Deum, quem ipſe prædicat, inuocantem. Volebat autem hæc quoque ſuo magiſtro ſignificare. Quotidie ergo ibat Pantoleon ad ſenem, & ſe pulchris his fluentis oblectabat, & ad veram fidem paulatim confirmabatur: & ad magiſtrum quotidie ventitans, non prius domum redibat, quam ſuas aures oblectâſſet verbis ſenis. Aliquando itaque reuertens à præceptore, cum parum à via propter vſum aliquem declinâſſet, videt infantem mortuum, quem momorderat vipera, & ipſam belluam prope eum ſtantem, & veluti oſtendentē, quiſnam cædem feciſſet. Eum ergo, cum id vidiſſet, inuaſit timor, & receſſit paululum. Deinde cum rurſus ſeipſum collegiſſet, eſt reuerſus, & ſtetit iuxta puerum. Iudicabat enim hoc eſſe ſufficiens ſignum eorum, quæ ſenex dixerat, ſi vera eſſent. Surget enim, inquit, puer eius verbo, & id patietur bellua, quod ipſi fecit. Hoc ei in mentem venit, & precibus petiuit, & ſimul viſus eſt infans viuus, & bellua mortua, & quæ apud eam erat, ea, quæ intelligentia apprehenditur, bellua multo magis perdita & enecta.

Credit in Chriſtum.

Mortuum puerum excitat.

Digitized by Google

V. Cvm ad perfectionem ergo fidei in Chriſtum ſic perueniſſet Pantoleon, ſtatim adſpexit in cælum externis oculis, & Deo, qui eum vocauerat à tenebris interitus ad lucem veritatis, benedixit cum multa animi tranquillitate. Deinde cum ferre non poſſet lætitiam, ad ſenem accedit Hermolaum, & exponit id, quod acciderat, & venerandum ab eo petit baptiſmum. Ille autem (ſciebat enim quidnam cuinam largitur) in hoc libenter inſeruit, & eum, qui erat luce dignus, diuino perficit baptiſmate. Cum vero ſeptem dies manſiſſet apud ſenem, poculentis ipſius verbis cor eius irrigatur, & pingueſcit anima, venterque diuinis impletur fluminibus. Sicque vixit ſub bono ſpiritu, multis conſeruatus vtilitas & illuminatio. Cum fuiſſet autem dies octauus, venit ad patrem. Ille vero: Vbi eras, inquit, fili prioribus diebus, & me conieciſti in magnam animi ægritudinem? Numquid tibi accidit aliquid præter expectationem? Is vero: Ad quendam, inquit, ex iis, qui verſantur in aula regia, graui morbo laborantem, profecti eramus ego & magiſter, & quoniam is erat gratus Imperatori, & dignus cuius magna cura gereretur, nõ erat omnino facile nobis illinc recedere, ſed perpetuos ſeptem dies illic fuimus præſentes, donec ille ſanitatem puram eſt conſecutus. Hæc dixit, non dicens mendacium, ſed myſtice verba diſpenſans in iudicio œconomiæ, non autem mali alicuius conſilii cauſa.

Baptizatur ab Hermolao.

Myſtice verba diſpenſat.

VI. Itidem cum ſequenti quoque die veniſſet ad magiſtrum Euphroſynum, (quoniam ille quoque eadem interrogauit) ad eum ſimili vſus eſt excuſatione: Pater, dicens, emit agrum, & me eum iuſſit accipere, à quo non eſt mihi ocium diſcedendi, donec eius omnia attente inſpexero, & iis, quibus oportet, curam illius tradidero. Eſt enim magni precii, & qui cum nulla alia poteſt conferri poſſeſſione. Hoc vero dicebat, tacite innuens gratiam diuini baptiſmatis. Porro autem magnum adhibebat ſtudium & diligentiam, vt patrem ab errore abduceret, & efficeret, vt pietati aſſentiretur, eum, qui ipſum genuerat ſecundum carnẽ, ipſe per ſpiritũ ſtudens regenerare. Quocirca nunquam ceſſauit ipſum ſapienter aggredi, & proponere interrogationes, quæ non facile ſolui poſſent, & ſic eius in falſos deos ſuperſtitionem conari diſſoluere. Quanam enim de cauſa, dicebat, ô pater, qui ab initio quidem ſtabant, nunc adhuc ſtant, ſedendi nunquam memores? Quicunque autem rurſus ſedent, ſic manent perpetuo, & nunquam viſi ſurgere? Hæc & alia ſimilia pater audiens, hæſitabat in eorum ſolutione, & iam in ſua de diis opinione labaſcebat, & erat ancipitis ſententiæ. Quod quidem videns Pantoleon, Chriſti nomen magnis laudibus efferebat, & magnas ei agebat gratias, quod patrem ſuum ſaltem reddidiſſet dubitantem, & (quod diuinus ait Oſeas) cor diuidentem. Quocirca nec eum videbat, vt ſolebat, frequentia & optima offerentem ſacrificia.

Multam nauat operam patri conuertendo.

Oſe 10.

VII. Cvm itaque primo voluiſſet conterere & deſtruere patris ſimulacra, quæ in eius cubiculo erant multa, ſe cõtinuit. Is enim honorare patrem magni faciebat. Dicebat enim: Ego eum potius inducam perſuaſione, lenitateque & manſuetudine efficiã, vt Chriſto credat: & ſic ambobus ea licebit deiicere. Et ideo is, qui patrem præcepit honorare, illius magnã amplectens pietatem, aptã præbuit occaſionẽ: quæ fecit, vt eius pater plane & placide crederet: & procurauit, vt ille magnã ſibi pararet mercedẽ. Hæc cum cogitaret Pantoleon, accedũt quidã, cæcum, qui manu deducitur, adducentes: Cum fores autem pulſaſſent, rogabant, an adeſſet Pantoleon medicus. Cum vero adeſſe intellexiſſent, expectabant. Ille autem cum audiiſſet, cum maximo ſtudio egreditur, patrem quoque ſimul aſſumens. Cũ autem vidiſſet cæcum, rogauit quonam opus haberet. Ille vero: Luce, inquit, qua ſum priuatus, & qua nihil eſt hominibus iucundius. Miſericordia ergo motus meæ calamitatis, da, ne ſic viuam imperfectè, & veluti ex dimidio: ſed videam ſolem, videam cælum. Nam nos quidem ſic viuentes, nihil differimus ab iis, qui ſunt apud inferos. Et cum facultates omnes medicis præbuerimus, modicum quoque lumen, quod erat nobis reliquum, amiſimus: hoc ſolum à præclaris illis medicis aſſecuti, quod cum facultatibus luce quoque ſimus priuati. Pantoleon autem: Cum aliis, inquit, medicis tuas dederis facultates, & nullam acceperis vtilitatem, ſi rurſus adſpexeris, quid mihi dabis? Ille vero: Quæ ſunt, inquit, reliqua ex meis facultatibus, exoluam prompto & alacri animo. Deinde Pantoleon: Donum quidem, inquit, lucis per nos tibi dabit pater luminum: Tu autem, quæ mihi es pollicitus, vade, & da pauperibus.

Exod. 20.

Offertur ei cæcus curandus.

VII. Hæc cum audiiſſet pater, eum à cœpto abducebat: Noli, dicens, ô chariſſime, ne tu etiam irridearis. Quid enim plus poteris, quam priores medici? Pantoleon autem: Nemo, inquit, ex aliis medicis ſcit hunc hominem tractare, vt ego ſum tractaturus. Multũ enim intereſt inter eos, & eum qui nos docuit. Cum putaſſet autem pater eum hæc dixiſſe de Euphroſyno: Illum quoque, inquit, fili, audio in hoc curando ſuam adhibuiſſe diligentiam, & nihil profeciſſe. Pantoleon vero: Expecta, inquit, pater, & ipſa res indicabit. Hæc cum dixiſſet, & cæci oculos tetigiſſet, & magnum Chriſti nomen vocaſſet, & ab ipſo precibus petiiſſet illius curationem, ſtatim illi quidem oculorum, patri autem ſoluit tenebras impietatis, & effecit, vt apertè confiteretur pietatem: vel potius cæco duplicem dedit medelam. Carnis enim & animæ cæcutiebat oculis, vt qui eſſet adorator idolorum, & per lucem iam corpoream apertos cordis habuiſſet oculos. Ambos ergo, cum credidiſſent, diuino dignatur baptiſmate, & refert in numerum fidelium. Sed non eouſque ſiſti poterat Euſtorgii ſtudium pietatis, vt qui eſſet pater magni Pantoleonis: ſed apertiſſime oſtendens ſe errorem habere odio, cum contriuiſſet idola, quæ erant in cubiculo, ea iacit in foſſam, vt quæ eſſent obliuione & profundo verè digna.

Cæco reſtituit viſum & pater eius credit.

Pater eius ſua contetit idola.

IX. Havd ita magnum intercedit ſpatium, & moritur pater Pantoleonis. Moritur autem morte corporis: nam à morte animæ iam erat omnino liberatus per fidem & diuinum baptiſmum. Quocirca Pantoleon cum inueniſſet tempus opem ferre voluntati, famulos quidem liberat à ſeruitute, & eis ſatis dedit pecuniæ: alia autem habuerunt manus pauperum. Deinde eos etiam, qui erant in carceribus, & qui tormentis vexabantur & morbis, circumiens curabat, & ea præbens, quæ erant neceſſaria: vt non ſolum morbi videretur medicus, ſed etiam egeſtatis. Qua ex re quidnam accidit? Vniuerſa ferè ciuitas, cum alios iuſſiſſet valere medicos, accedunt ad Pantoleonem, & ab eo liberantur ab iis, quos vnuſquiſque habebat, morbis: vt qui ſibi quoque opem ferentem haberet boni ſpiritus gratiam. Hoc eum apud medicos in magnam vocat inuidiam: & cum aliquando præteriret, qui prius fuerat cæcus, cuius videndi facultatis reſtitutio erat opus pietatis Pantoleonis, ægre ferebant, & inter ſe dicebant: Non eſt hic cæcus, qui noſtram arguit artem, vt quæ nihil ei profuerit? Quis eſt ergo is, qui eum curauit, & qui poteſt talem præbere medicinam? Cumque eum aduocâſſent, rogabant. Ille autem non celauit eum, qui fuerat medicatus.

Facultates ſuas elargitur pauperibus.

Multorum curat morbos.

X. Postqvam vero intellexerunt eum fuiſſe Pantoleonem, Euphroſyni diſcipulum: Magni aiunt, magiſtri magnus eſt reuera diſcipulus. Sic ignorantes de Chriſto prophetabant. Atque quærebatur quidem à medicis occaſio propter inuidiam, vt de eo detraherent apud Imperatorem. Cum autem inueniſſent ex confeſſoribus quendam ab ipſo curari, accedentes ad Maximianum, dixerunt: O Imperator, quem tu iuſſiſti omni ſtudio diſcere medicinam, vt eſſet tuæ potentiæ vtilis, is, vt videtur, & metũ & beneuolentiam tuam parum curans, obit eos medicans, qui ſunt in deos contumelioſi, & eadem, quæ illi, non ſolum ſentiens, ſed alios quoque ad eadem colenda attrahens, cui niſi cito vitam ademeris, tibi non paruam afferet moleſtiam, vt qui multos quidem videas ab illo abduci à deorum ſacrificio, Chriſto autem adſcribi Aeſculapii curationes. Cum hoc dixiſſent, ad fidem faciendam eorum, quæ dicta fuerant, rogabant, vt accederet is, qui aliquando fuerat cæcus: eum autem curârat Pantoleon. Poſtquam vero auditi ſunt, & is adſtitit: Quomodo, dixerunt, Pantoleon tuos curauit oculos? Ille autem: Chriſto, inquit, inuocato:

Medici ex inuidia deferunt eum apud Imp.

idque cum nec breue quidem tempus mecum eſſet moratus, vt aliqua cogitatio artis nobis poſſet in mentem venire: ſed inuocationem propemodum præceſſit viſio oculorum. Tibi autem quid videtur? inquit Imperator: Christum eſſe dicis, qui te curauit, an deos? Qui vero curatus fuerat: Imperator, inquit, huius rei iudicium eſt rebus ipſis permittendum. Hi quidem, quos vides, medici cum pro me multum laboraſſent, ſibi quidem profuerunt, vt qui meas attonderint facultates: mihi autem nihil, immò verò etiam obfuerunt, vt qui modicam lucem, quam habebam, corruperint. Quemnam ergo oportet exiſtimare adiutorem? Aeſculapium ne, qui à multis fuit vocatus, & nihil profuit: an Chriſtum, qui à ſolo Pantoleone inuocatus, charam mihi lucem ſtatim donauit? Hoc, ô Imperator, quoniam modo aliter dixerim? Nam hoc ipſum eſt, vel cæco, vt dicitur, euidens.

Adſcribit curationē Chriſto cæcus qui fuerat.

XVII. Ad hæc Maximianus cum non haberet, quod diceret, & quodammodò ſolo iuſſu ei poſſet perſuaderi: Noli, inquit, te ſtultè gerere, & ne Chriſtum quidem omnino nominare: apertè enim dij tibi lucem donarunt. Is autem ad veritatem, non ad poteſtatem, omninò adſpiciens, & liberius loquens, quàm cæcus Euangelij: Tu, inquit, te ſtulte geris, qui eos, qui ſunt cæci, vocas datores lucis, quibus conſimiliter tu quoquè cæcus permanes, qui talia opinaris, & non potes intueri ad lucem veritatis. Propter hæc Tyrannus fuit ita incitatus. Quomodo enim omnino aures, quæ emarcuerunt & corruptæ ſunt aſſentationibus, aſperiorem, quę ex veritate dicitur, ſuſtinuerint orationem? Statimq; vera eſſe iudicans, quæ ei prius dicta fuerant à medicis, iubet amici Chriſti caput amputari, pœnam veritatis ei mortem inferens, & inuitus efficiens, vt pulchras Chriſto referret gratias, qui eum curauerat, nempe confeſſionem. Bonus autem Pantoleon ne ſic quidem neglexit ea facere, quæ tempori & rebus conueniebant. Sed cum martyris corpus emiſſet ab ijs, qui interfuerant, id cum patre ſuo ſepelit, vt qui per ſuam in Chriſtum confeſſionem, eum ſibi proprium eſſe duxiſſet, & cognatione ſanguinis eum reputaſſet longè coniunctiorem.

Iohan 9.

Cæci à Pantoleone curati caput amputatur.

XIIX. Deinde Imperator ad ſe accerſijt Pantoleonem. Ille verò cum abduceretur, labris canebat pſalmum tempori conuenientem: Deus, dicens, laudem meam nè tacueris: quoniam os peccatoris & doloſi in me apertum eſt. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & verbis odij circumdederunt me, & oppugnauerunt me gratis. Pro eo vt me diligerent, calumniabantur. ego autem orabam. Et reddiderũt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Sed fer mihi opem, Domine Deus meus, & ſaluum me fac ſecundum tuam miſericordiam. Induantur, qui me calumniantur, confuſione, & amiciantur, tanquam diploide, ignominia ſua: Seruus autem tuus lætabitur in te. Cum finita autem eſſet eius precatio, ſtetit coram Rege, aut, vt melius dicam, non coram illo, ſed coram immortali, & eo, qui eſt in æternum. Coram eo enim verè ſtabat, & mente conuerſabatur. Cui ille primum placidè & benigne: Non bona ſunt, ô Pantoleon, ea quæ de te audiuimus, à te magnum quidem eſſe contemptui habitum Aeſculapium, & alios, qui ſunt apud te, deos: in illum autem Chriſtum, qui malè perijt, te tuam ſpem poſuiſſe, & eum ſolum Deum nominare. Quanquam non ignoras omnino, quam ego te benignis adſpexerim oculis, & quemadmodum, cum ego te in meam adſciuiſſem familiam, præceptori tuo Euphroſyno diligenter mandauerim, vt te quamprimum faceret in medicina præſtantiſſimum, vt mihi ea in re poſſes eſſe vſui. Tu autem *. Sed omninò homines multa falſa dixerint & inania. Et ideò te accerſij, vt illa, quæ à me ſunt audita, arguantur eſſe vana, & inuidorum alioqui hominum calumnia: & maximis dijs, vt par eſt, offeras ſacrificium.

Pſal 108.

Siſtitur Pantoleon coram Imp.

XIX. Ad hæc Pantoleon: Facta, inquit, ô Imperator, ſunt verbis magis credibilia & fortiora, & ante omnes quidem res alias præcedere oportet fidem & veritatem. In Deum autem pietas, quo eſt excelſior, eo maiori perfectione & abſolutione indiget. Atque is quidem, qui à me colitur & adoratur, cælum fecit, terram conſtituit, mortuos ſuſcitauit, cæcis viſum reddidit, leproſos curauit, paralyticos erexit: idque ſola voluntate & verbo. Qui autem à vobis dicuntur & coluntur dij, neſcio an aliquid tale fecerint, aut poſſint omninò facere. Et ſi velis, id nunc re ipſa experiamur. Accedat huc aliquis ex ijs, qui laborant immedicabiliter, & quorum curationem deſperat ars humana & manus. Accedant autem etiam, qui ſunt apud vos ſacerdotes. Deindè ab eis quidem ſunt primum dij illorum inuocandi: à me autem is, quem colo. Et qui nominatus morbum fugauerit, is Deus ſolus reputetur & colatur: alios autem in malam rem amandemus, eos magna obruentes obliuione. Placuerunt hæc Imperatori. Erat enim hoc Dei & diuinæ eius prouidentiæ conſilium, vt ſic recta fides vel apud ipſos inimicos eſſet citra controuerſiam, & in aperto magis vinceret veritas.

Præclare reſpondet Tyranno.

XX. Adducitur itaque in medium vir paralyticus, qui iam longo tempore decumbebat in lecto, & qui propemodum non poterat magis moueri, quam qui eum tenebat lectus. Cum itaque acceſſiſſent vanorum deorum ſacerdotes, & ij, qui verſati fuerant in medicina, alij quidem Aeſculapium, alij vero Iouem, alij autem Dianam, alij vero alios deos inuocabant, amentes ijs rebus ſupplicantes, quæ mente & ſenſu carent, & maximè in re tam magna, & quæ vſqueadeo ſuperabat naturam. Erat enim æque difficile, & ipſum conualeſcere, & videri illorum deos ſenſu & ratione præditos. Quænam enim adeo muta & leuia poſſunt alijs vllam præbere curationem? Ergo nec præbuerunt: ſed cum multa petijſſent ij, qui dicti ſunt, hoc ipſum, quod erant, nempe lapides, ijs, qui rogabant, apertè apparuerunt. Rogantes autem videns Pantoleon, inanem eorum laborem decorè ſubridendo, ſubſannauit. Poſtquam vero ipſe quoque iuſſus fuit inuocare, tollit quidem in cælum oculos, cum ijs autem extollit vocem, Et, Domine, inquit, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Ne auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In qua die inuocauero te, celeriter exaudi me: & oſtende ijs, qui te ignorant, & eos, qui non ſunt, deos colunt, te omnia poſſe. ô Rex, tua potentia. Nihil eſt autem, quod à te non poſſit fieri. Sic dixit: & cum tetigiſſet manum eius, qui iacebat, dicit: In nomine Chriſti, qui erigit eos, qui ſunt confracti, eſto ſanus, & ſanè vtere membris tuis. Dixit, & verbum effectus eſt conſecutus: neque amplius lectus paralyticum, ſed eius pedes ſuſtinebant, audacter ingredientem, & propemodum exilientem, & ſtatim cum magna voluptate domo egredientem.

Subſannat inanem laborem ſacerdotum idolorum ſanctus Pantoleon.

Pſa. 101.

Pſal 144. & 145.

Sanat paralyticum.

XXI. Neque vero ad eum vſque conſtitit curatio, ſed ipſe quidem corpore, multi autem alij animo paralytici, & morbo impietatis eneruati, cum vidiſſent quod factum fuerat, ſurrexerunt & erecti ſunt: & poſtremò priori errore condemnato, verum Deum coluerunt. Sic enim Dominus & illuminat cæcos, & ſcit erigere confractos. Atq; ſceleratos quidem ſacerdotes & medicos, qui ſua ſponte erant immedicabiles, non ſubijt lumen veritatis: ſed cum à malis rebus liberari non poſſent, vt qui eſſent ijs diu aſſuefacti, accedentes ad Maximianum, ad iracundiam prouocarunt eum aduerſus ſanctum: Si ſiueris illum viuere, dicebant, & dij ſimul tibi peribunt & ſacrificia: & apertè fabula, noſtra videbitur religio & ſacra orgia: Chriſtiani autem nos profuſe ridebunt, & res illorum magis florebunt, & erunt noſtris multò validiores. Hæc cum dixiſſent, ille facilem eis aurem præbuit, & paruit. Sanctum itaque accerſit Imperator, & tanquam eſcam benignitatis ei Imperator porrigens admonitionem: Crede mihi, inquit, Pantoleon, & dijs offer ſacrificium. An non vides, quod quibuſcunque non eſt perſuaſum, vt facerent quod dictum fuerat, ij grauiſſima ſupplicia & mortem habuerunt incredulitatis remunerationem? Horum eſt teſtis, qui nuper miſerè vita priuatus eſt, Anthimus ille ſenex. Ego autem curam gero tuæ iuuentutis, neque volo te tam malè perire. Scito enim, fore vt te multa & grauia excipiant ſupplicia, ſi eandem ſequaris inobedientiam.

Multi credunt in Dominum.

Anthimus martyr.

XXII. Pantoleon verò, vitans quidem admonitiones, tanquam apertam fraudem, minas autem contemnens,

Et blandiẽtem & terrentem Tyrannum contemnit.

tanquam ipſis ſomnijs imbecilliores: Nè exiſtimes, inquit, ô Imperator, fore vt me perſuadeas admonitionibus, nec vt me minis terreas. Quid enim me vel ex bonis mundi capiet, vel terrebit ex rebus terribilibus, qui non ſolum mortem contemno, ſed eam etiam optandam arbitror propter Chriſtum? Pro eo autem tormenta tantum abeſt vt extimeſcam, vt etiam magnum damnum exiſtimem, ſi non ſint plura & grauiſſima, & in ijs clementiam quauis crudelitate duco eſſe grauiorem. Egregium certè Anthimum, non vt tu miſerum, ſed valde etiam beatum eſſe iudico, & eius mortem cuiuis vitæ præfero: quod tali fine talem ornauit ſenectutem, & canitiei alborem ſanguine cruentauit martyrij. Quod ſi ille, qui erat tam prouectæ ætatis, adeò fortem & conſtantem ſe oſtendit, me, qui ſum adhuc iuuenili ætate, quæ non oportet grauia ſuſtinere, vt ijſdem, quibus ſenex, coronis dignus habear? Non egò perſuadebis, non expugnabis, non nos ab hac abduces confeſſione: non per ſacra mihi & diuina ſigna, quibus ego factus ſum certior de veritate. Patriam enim pudore affecerim, & matris, quæ me peperit, pietatem, à qua in ijs, quæ ad pietatem pertinent, pulchrè prius ſui informatus, & cum qua in æternis tabernaculis propero requieſcere. Hæc dixit Pantoleon, & paucis oſtendit, qualem virum offendiſſet is, qui de ſceptris & throno ſe iactabat. Quamobrem cum neſciret, quanam poſſet ratione perſuadere, expertus eſt per tormenta: quod erat poteſtatis, non autem ſapientiæ & prudentiæ.

Multis afficitur ſupplicijs. Chriſtus ei apparet.

Et primum quidem in ligno fuit appenſus, & ferreis martyr laniabatur vngulis. Præterea autem ignis quoque lampades lateribus eius admouebantur. Ille vero non plagis & vſtionibus, ſed ei, qui poteſt opem ferre, attendebat, & oculos in cælum tollens, orabat. & ideò ſtatim adfuit liberator, & Chriſtus apparens in habitu Hermolai ſenis, eum verè ac germane conſolabatur & recreabat: Ego enim ſum tecum, dicens, in omnibus, in quibus propter me patiens, te fortiter geris. Quod autem adeſſet, non procul abfuit probatio. Nam ſimul laxatæ fuerunt manus lictorum, extinctæ quoquè ſunt lampades, & à caſtigando abſtinuit Imperator, & planè dubitabat quid ageret. Iubet ergo eum demitti de ligno, non quòd miſeretur, ſed potius quòd plane neſciret, quid ageret. Deindè propius accedens: Quænam eſt, inquit, ô Pantoleon, ars præſtigiarum, quæ tibi extinxit lampades, & ſatellitibus vires & vigorem abſtulit? Ille autem, Meæ, inquit, præſtigiæ eſt Chriſtus, qui etiam adeſt mihi hæc operans. Si ergo, inquit, maiora tibi tormenta inſligam, quidnam facies? Quid aliud, inquit martyr quàm ipſe quoque maiores conſequar remunerationes? Audiuit improbitas, & voluit experiri. Neque enim bonis nouerat credere, neque abſtinebat à malis. Iuſſit ergò afferri lebetem ferreum, cui inerat plumbum, ipſumque igne inferne ſuccendi, & in eum athletam inijci. Poſtquam autem diligenter factum eſt, quod iuſſum fuerat, cum duceretur martyr ad ſupplicium, rurſus orationem tanquam ad extinguendum comparatam, & conſolationem, quæ ſatis poſſit eum refrigerare, ſumit in ore, & eam in terribili illo cecinit lebete: Exaudi Deus vocem meam, dicens, dum oro ad te: à timore inimici libera animam meam: Protege me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Sic orauit, & rurſus in forma ſancti ſenis Hermolai Chriſtus ab eo viſus eſt, & lebetem vnà cum eo eſt ingreſſus, & ignis protinus eſt extinctus, & plumbum in naturalem mutatum eſt frigiditatem. Et rurſus oratio, & pſalmus opportunè ab eo canebatur: Ego ad Deum clamaui, & Dominus exaudiuit me. Veſpere & mane & meridie narrabo & anuunciabo, & exaudiet deprecationem meam. XVII.

In plumbũ liquidũ immittitur.

Pſal. 63.

Pſal. 53.

Manet pertinax Imperator in ſuo errore.

Atqve ex ijs quidem, qui aderant, alios omnes cepit admiratio: ſolus autem Imperator validè in ſuo hæſit errore: qui apud ſe cogitabat, quonam ſupplicio Chriſti puniret martyrem, & aut eum à pietate traduceret, aut male vita priuaret. Cum autem conſulerent, qui aderant, vt in profundum maris iaceretur ſanctus, (Nam etiam poſt deceſſum, Chriſtianis eius inuidebant reliquias) audiens Imperator eſt perſuaſus, & iubet grauiſſimum lapidem eius collo alligari, & ſic in mare immitti. Curæ autem fuit miniſtris, vt citò id, quod eis imperatum fuerat, exequerentur: Deo verò, vt manum præberet adiutricem ei, qui propter ipſum patiebatur. Quod quidem etiam factum videre licuit. Nam illi quidem cum ad mare veniſſent, & eius collo lapidem alligaſſent, in profundum tranſmittunt. Chriſtus autem cum in priore Hermolai forma rurſus apparuiſſet, effecit, vt lapis quidem, non ſecus atque folium arboris, mari ſupernataret: illum verò, non ſecus atque magnum prius Petrum, manu deducens, fecit pedibus ambulare ſuper fluctus. Ipſe enim, qui redimebat & ſeruabat, ipſe erat, cuius in mari viæ, & in multis aquis ſemitæ & veſtigia, vt diuinus ait Dauid, non ſunt cognita. Ingrediebatur ergò Pantoleon ille admirabilis, & iam erat in litore, laudem contexens ei, qui ſeruauerat, dignam pia illius anima, & rebus admirabilibus. Quem cum ſic vidiſſet ſaluum præter ſpem Imperator: Quid hoc eſt, inquit, Pantoleon, mare quoque tuis ſuperaſti præſtigijs? Ille autem, Etiam mare, inquit, fecit, quod iuſſum eſt à Domino. Ei etenim cedit mare & terra, & quæcunque ſunt, ei magis cedunt, quàm tibi Imperatori, qui nunc ad tempus ſeruiunt. XVIII.

Miſſum in mare Chriſtus eripit.

Matth 14.

Pſal 76.

Diuerſi generis feræ producuntur ad deuorandum martyrem.

Ad hæc Tyrannus, volens potius malè perſuadere, quàm bene perſuaderi & ſalutariter, iubet omne genus feras produci aduerſus virum egregium. Quæ cum adductæ eſſent, & illum propè ſtatuiſſet, partim quidem ei metum incutiens, partim autem fingens ſe moueri miſericordia, & in omnem ſe partem verſans, vt perſuaderet: Hæ, inquit, ô Pantoleon (ei feras oſtendens) adductæ ſunt propter te & tuum interitum. Si tui ergo vlla moueris miſericordia, (ego enim tuæ curam gero formæ & ætatis) velis perſuaderi, & videri eſſe prudens & cordatus, vt qui poſſis vitam morti præferre, lætitiam doloribus, ignominiæ gloriam & delicias. Cui ſanctus: Si antequàm eſſem expertus Dei, quam mei ſuſcipit defenſionem, à tuis verbis non potui perſuaderi: nunc ex quo ſum tantum conſecutus auxilium, perſuadebor? Cur me ferarum crudelitate perterreſacere quæris, ô Imperator? Qui enim ſatellitum tuorum ad torquendum paratas manus inutiles effecit & imbecillas, & ignem reddidit frigidum, & plumbum in aquam tranſmutauit, & ipſum mare conſtrinxit compedibus, poterit omnino feras quoque manſuefacere, & eas nobis efficere ouibus manſuetiores. XIX.

Cvm ergo non parens Chriſti martyr, eſſet pugnaturus cum beſtijs, vt qui leuius eſſe reputaſſet, tradi beſtijs, quàm adorare dæmones, confluxit quidem vniuerſa ciuitas ad videndum id quod fiebat, tam pulchrum ſcilicet iuuenem, & corpore & animo præſtantem, qui nihil mali feciſſet, malè paſſurum, & feris tradendum beſtijs. Abductus eſt autem iuſtus confidens vt leo, ſicut canitur, & nihil molle ac remiſſum intuens, aut quod moueret ad miſericordiam. Quomodo enim id erat facturus, cum rurſus in conſpectum veniret Hermolaus, & iuberet eum eſſe bono animo? Deindè cum beſtiæ iam cum athleta eſſent congreſſæ, ſic iubente Tyranno, qui aderant quidem, putabant fore, vt ſanctus ſtatim diſcerperetur, perindè ac ſi non eſſet qui ſeruaret & eriperet: ſed de viro pio non ſic ſtatuerat is, qui dicit: Altiſſimum poſuiſti refugium tuum: Non accedent ad te mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Et, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Itaque nec ſpem fefellit eius, qui crediderat. Tantum enim abfuit, vt feræ ſancto malefacerent, vt eæ propemodum ne feræ quidem viderentur, Feræ, dixi, immò nec, vt ſemel dicam, animantia ratione carentia, & vi intelligendi priuata: ſed tanquam prudentia, & ex numero eorum, quæ ſunt ratione prædita, cum magna reuerentia accederent ad martyrem, ſuauiter blandientes, benignaque & medicante lingua pedes tangentes: & alioqui inter ſe contenderent, quænam prima ad eum accederet, & non prius recederet, quam martyr ei manum impoſuiſſet, & ei benedixiſſet. XX.

Prou. 28

Pſal 90.

Feræ manſueſcunt martyri, eique blandiuntur.

Licebat

XXI. Licebat ergò videre rem maximè nouam, & longè iucundiſſimam, homines quidem mutatos in ferarum ſæuitiam, rurſus autem videri feras, tanquam ratione præditas, & credi humanam habere manſuetudinem. Ij certè, qui aderant, admirati id quod factum fuerat, clamabant: Magnus eſt Deus Chriſtianorum, qui quidem eſt ſolus & verus: &, Dimittatur iuſtus. Quid igitur? Qui verè erat ferus & crudeliſſimus, Imperator iram infert in beſtias, & omnes ſtatim tollit de medio, perinde ac eis inuidens prudentiam, & non potens ferre earum reprehenſionem. Illæ autem cum ſic eſſent interfectæ, multos dies manſerunt à nullo comeſæ ex carniuoris, Deo in hoc quoque athletam honorante, & ad pietatem alios hortante: adeo vt cum hoc ſtultus reſciuiſſet Imperator, eas iuſſerit infodi, ſic multis fidem confirmans. Sic ergò dubitans Maximianus: Quid faciam, dicebat Pantoleoni; Iam enim, vt videtis, multos abduxit à deis. Illi autem: Fiat, aiunt, rota, & ea in altum locum feratur. Deinde cum ei fuerit alligatus Pantoleon, per decliue mittatur: Accidit enim omnino, vt cum deorſum feratur, ipſe per partes & membra conteratur, & ſic malus male pereat. Et hæc quidem illi prompti ad malum inueniendum, & qui nihil æque bene faciebant, ac lædebant. Deus autem, qui ſemper protegit eos, qui illum diligunt, ne nunc quidem deſerit Pantoleonem: ſed eum rurſus defendit, ſicut charum filium.

Tyrannus ſæuit in beſtias.

Paratur ei rota ad conterendum eundem.

Atque interim quidem manſit in carcere, donec conſtructa eſſet rota. Cum vero ea eſſet iam conſtructa,
XXII. rurſus concurrente magna multitudine, vtpotè quod Imperator ipſe adeſſet ſpectator, alligatur martyr rotæ, & ipſe deſuper per decliue dimittitur. Et illi quidem pſalmus mouebat labra, & preces, quæ potentem vocabant ad auxilium. Ille autem protinus aderat, eum confirmans: & ad oſtendendam præſentiam, rumpebantur vincula, martyr relaxabatur, & erat ab omni malo integer. Rota autem non tam contra illum, quam pro illo acta, occidit multos infideles: & ſic fit pœna vltrix eo modo, qui dici nequit: & cognoſcitur Deus iudicia faciens, & Deus vltionum libere agit. Propter hoc timor inuaſit ciuitatem, Imperatorem admiratio. Et cum eſſet adhuc craſſus vitio, nec poſſet lucem ſuſcipere veritatis, rogauit ſanctum: Quid hæc ſibi volunt? & quouſque ex noſtro populo alios quidem à dijs abduces, alios autem morti dedes, vt horum quidem detrimentum patiamur, illos autem etiam nobis habeamus aduerſos? Deinde etiam rogauit, quemnam habuiſſet doctorem, & ex quo didiciſſet Chriſtianiſmum.

Diuina virtus mirè liberat martyrem.
Pſal. 9.
Pſal. 93.

XXIII. Christi verò martyr confidenter confitetur Hermolaum, vt qui non poſſet eum celare, qui non erat angulo dignus & obliuione: ſed luce. Cum autem iuſſiſſet, vt ei produceretur in conſpectum, minimè diſtulit martyr, vt qui didiciſſet experientia, qualis eſſet apud eum lingua & ingenium, quæ facilius capere poſſent, quàm capi. Abiens ergo ille iuſſus ſimul cum tribus militibus, quibus credita fuerat eius cuſtodia, venit in domum, in qua latebat diuinus Hermolaus. Quem cum ipſe adſpexiſſet: Cur huc veniſti, fili, & quanam de cauſa? rogauit. Ille verò: Te vocat, inquit, Imperator, domine mi ſenex. Is verò dixit, ſe hoc ſcire; quoniam adeſt tempus patiendi & moriendi pro Chriſto, vt ipſe ei ſignificauerat illa nocte. Poſtquam ergo illi conſtiterunt ante Imperatorem, ille rogauit, quiſnam eſſet, & quod eſſet ei nomen. Is vero & nomen dixit, & non celauit ſe eſſe Chriſtianum. Deinde cum rogaſſet Imperator, an etiam ſecum alios haberet Chriſtianos: ille, cum eſſet verax, dixit, Hermippum & Hermocratem, quos habebat. Cum eos ergo iuſſiſſet etiam ſiſti cum Hermolao, vbi affuerunt: Vos eſtis, inquit, qui Pantoleonem à cultu deorum abduxiſtis? Illi autem: Eos, inquiunt, qui ipſo digni ſunt, Chriſtus ſcit ad lucem vocare. Imperator autem: Miſſis, inquit, nugis, ſi vultis ab hac priore culpa abſolui, & ijs, qui à nobis amantur, & primos honores à nobis conſequuntur, annumerari, efficite vt ei perſuadeatur dijs ſacrificare. Illi verò: Quomodo, inquiunt, hoc fecerimus, qui primum nobis perſuaſerimus Chriſtum non deſerere, nec ſurdis ſimulacris offerre ſacrificium? Hæc dixerunt, & ſenſus & mentis oculos in cælos ſuſtulerunt. Sic precantibus autem apparet Saluator: & totus ſtatim locus agitatur & mouetur.

Hermolaus adducitur ad Imperatorem: item Hermippus & Hermocrates.

Emotæ autem re vera mentis Imperator dicebat, deos indignatos mouiſſe terram. Cui martyres pruden-
XXIV. ter admodum & fortiter: Si contigerit ipſos quoque deos tuos, inquiunt, vnà cadere? Nondum finita erat oratio, & quidam ex miniſtris Imperatoris acceſſit ad illum, nuncius calamitatis: Dij, dicens, ô Imperator, ceciderunt & contriti ſunt. Sic illi terribiles & terram quatientes, iacebant in terram deiecti triſti caſu, ijs, qui non erant æquè cæci & planè lapides, ridiculi. Atque alius quidem, qui vel parum habuiſſet prudentiæ, & non ei ſola forma obſtaret, ne apertè crederetur eſſe pecus, Deum verum agnouiſſet, & qui poſſet hæc facere. Sed non ille: qui quantum melior euaſiſſet, & quantam vtilitatem ex pietate percepiſſet, ſtatim ex rebus ipſis aperit. Statim enim tres illos ſanctos, poſtquam eos multis affeciſſet ſupplicijs, damnat capitis. Magnum autem Pantoleonem interim mittit in carcerem. Atque martyrum quidem ſic interfectorum corpora curæ fuit Chriſtianis tollere, & ea, vt par erat ſepelire:

Poſt multas pœnas decollātur.

XXV. Pantoleonem autem cum Imperator vocaſſet è carcere: Putaſne, inquit, te poſſe viuum meas manus effugere, ſi non accedens prius dijs ſacrificaueris? idque cum doctor tuus Hermolaus, Hermippuſque & Hermocrates id, quod bonum eſt, mutati iam didicerint, & dijs ſacrificium obtulerint, qui etiam à nobis obedientiæ acceperunt remunerationem, vt ſint primi in palatio? Si ergo tu ſacrificaueris, eorum pulchram imitatus mutationem, tunc videbis, Pantoleon, quàm ego, qui ſum grauis in puniendis ijs, qui non parent, ſim liberalis & munificus in benefaciendo ijs, qui parent. Hoc autem dicebat maligne & malitioſe (quod attinet, inquam, ad ſanctos) ad illi perſuadendum. Quomodo enim, quos iam ante interfecerat? Sed vt ineſcaret eum, qui à Deo illuminabatur. Quamobrem nec latere potuit: ſed, Eos ipſe quoque videam, inquit, ô Imperator, ante tuam adſtantes faciem. Maximianus autem nondum ceſſans fraude agere, (poſuit enim ipſe quoque ſpem mendacium, vt dicam cum magno Eſaia, & ſtatuit ſe mendacio tegere) Non adſunt hic, dixit, ſed aliqua neceſſaria de cauſa miſſi ſunt à nobis in aliam ciuitatem. Martyr autem: Vel inuitus, inquit, verum dixiſti, cum diligas mendacium: ſunt enim nunc in cælis, degentes in ciuitate Dei.

Splendidū fingit mendacium Imperator, vt ſubuertat martyrem.
Eſa. 28.
Sancti degunt in cælis.

Cum verò nullum non mouiſſet lapidem, lapidum adorator: videret autem eum nihil de ſua remittere con-
XXVI. ſtantia, & neque cedere aſſentationibus, nec verborum ſuaſionibus, nec donorum promiſſis, nec ſuppliciorum minis, neque aliquo alio ex ijs, quæ vel delinire, vel perterrere poſſunt, abduci à pietate, vbi eum adhuc flagellis vehementer cecidiſſet, non quod ſperaret ſe aliquid poſſe efficere, ſed vt expleret ſuam animi libidinem, vt gladio mortem ſubiret, eum condemnat: & deindè poſt mortem pulchrum corpus igni mandari: is, inquam, condemnat, qui æterno igne verè erat dignus. Ducebatur itaque athleta ad locum conſummationis, commiſſus manibus lictorum. Quo quidem cum veniſſet, & eſſet eius animus plenus gaudio, (ſciebat enim ex quibus afflictionibus quales eum eſſent exceptura voluptates) pſallebat hoc Dauidicum: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam: Dominus iuſtè concidet ceruices peccatorum. Deinde facit hic quoque Deus miraculum non minus prioribus miraculis. Oleæ enim plantæ eum alligant, collum autem eius quidam enſe ferit. Statim autem ferri quidem conuerſa eſt acies ceræ ſimilis: manſit autem collum ſicut erat ab initio, ſectionis nullum penitus habens ſignum.

Flagellis dire cæſus, capite punitur Pantaleon.
Pſal. 128.

Ea de cauſa tremor inuaſit occiſores, & accedentes ei fiunt ſupplices, quem prius exiſtimabant ne dignum
VII quidem eſſe apud eos viuere: cuius etiam pedes ſpecioſos prehenſantes, quid non dicebant, quid non faciebant,

audaciæ

audaciæ petentes veniam,& in Chriſtnm fidem apertè confitentes? Ille autem non ſolum, quod ad ſe attinet, remittit, ſed etiam eis à Chriſto perfectam petit remiſſionem. Quamobrem vocem quoque audijt de cælis confirmantem, conſummanda ea, quæ petiuerat: eumque non amplius eſſe vocandũ Pantoleonem, ſed Panteleemonem. Res autem, dicebat ea vox, nomini conueniet. Plurimi enim per te conſequentur miſericordiam. Hanc vocem cum ille audiſſet, & de ijs, quibus dignus erat habitus, certior factus eſſet: conuerſus, iuſſit lictores facere, quod eis imperatum fuerat. Illi autem renuebant, & iudicabant hoc eſſe minimè tolerandum. Cum verò inſtaret martyr, vt facerent, quod à Tyranno eis imperatum fuerat, apertè dubitantes, & quid facerent ignorantes, ſeipſos vtriſque diuidunt, nempe pietati, & ſancti viri iuſſui. Et cum omnia prius membra eſſent deoſculari, quamq; eum reuererentur & colerent, ſatis teſtati eſſent, beatum eius caput deindè enſe amputant viceſimoſeptimo Iulij. Quod quidem, vt arbitror, non potuiſſent, ſi ille non annuiſſet, vt qui nollet à martyrij magna dignitate excidere.

Diuinitus ei nomen mutatur.

Nota inſignia miracula.

XXVIII

SVNTQVE rurſus miracula miraculis conſequentia, eo, qui glorificabatur, glorificante eum, qui propter ipſum hæc pati delegit. Lac enim fluxit protinus pro ſanguine, & planta oleæ, cui fuerat alligatus, conſpecta eſt tota fructu onuſta. Quod quidem cum veniſſet ad Tyranni notitiam, iubet plantam excindi, & corpus martyris igni tradi, ſicut etiam prius iuſſerat. Atque milites quidem, qui crediderant, non amplius reuerſi ſunt ad Imperatorem, eum condemnantes magnæ crudelitatis, & quod Magi Herodi fecerunt, imitantes: Deum autem, & eius martyrem perpetuo glorificabant. Quinetiam cum quidam fideles conueniſſent in eoipſo loco extra ciuitatem, in quo martyr ſubijt conſummationem, factum illud corpus in ſuburbano cuiuſdam ſcholaſtici (erat autem ei nomen Adamantius) ſacroſanctè deponunt: In gloriam patris, & filij, & ſpiritus ſancti, cui eſt vna diuinitas, & regnum: Cui conuenit honor & adoratio in ſæcula ſæculorum, Amen.

Matth 2.

An. 1130.

VITA B. BERTHOLDI ABBATIS GARSTENSIS, A COÆTANEO SCRIPTA, ET EX MANVSCRIPTO CODICE VIENNENSIS BIBLIOTHECÆ edita per R. P. Iacobum Gretzerum Societatis IESV.

IVLII 27.

2. Cor. 2.

PROLOG.

QVONIAM antiqua dignationis tuæ gratia, Venerande Pater Vdalrice, nec non & conuerſationis omnadiua feruorem in me nunquam abolendæ deuotionis accendit, deſiderio æſtuo agere aliquid, quo & tibi eadem deuotio innoteſcat; & mihi ex inconuulſa gratiæ tuæ confirmatione felicitas accreſcat. Felicem enim me æſtimo, ſi me pij & religioſi patris ampleċtatur dignatio. quia, re vera non contemnenda ſanctitatis eſt portio ab his diligi, qui cum beato Apoſtolo Chriſti bonus odor ſunt Deo in omni loco. Quorum de numero quia te, dilecte Pater, diuina benedictione nobis conſignatum deſiderabiliter tenemus, meritò felix debet prædicari, quiſquis tui amoris meretur honore ſublimari. Cum ergo aſſiduè cogitarem, quonam modo tuam venerabilem dulcedinem honorarem; quidue de ſacrificio meæ ſeruitutis dignè tuis præſentarem obtutibus, aut manibus offerrem veræ nobilitatis; repentè ſubiit animum, nil eſſe huic affectioni tam conſentaneum; quomodo ſi vel modicum aliquid de vita & actibus beati Patris tui, ſanctæ videlicet memoriæ Abbatis Bertholdi, etſi non ad aliquam ædificationem, tamen ad veritatis commendationem, vel certè ad oſtendendam tam erga te, quam erga eundem Patrem meam deuotionem, ſcribendo commemorarem; quatenus in hoc & tibi pro voto ſeruirem; & tam glorioſam materiam quaſi perire ſilentio non ſuſtinerem: ſiquidem vehementer admiror & doleo Beati viri veneranda geſta, magnaq; miracula tanto tempore incuriæ derelicta, graueq; damnum æſtimo, ita negligenter occultari, quod nunquam poteſt inutiliter publicari. Et quidem hoc ipſum modicũ vires prorſus excedit meas: ſed tanto amore ad eundem laborem accendor, quod quaſi quibuſdam pennis ſuperni adiutorij facillimè in alta ſuſtollor. Altum quippe eſt, & ſatis arduum peccatorem indoctum, viri ſapientis & ſancti velle præconia attollere: ſed tamen charitatem, quæ omnia ſperat, nulla poteſt formido deterrere. Ipſa eſt, quæ iuxta B.Gregotium ſubminiſtrat vires, quas imperitia denegat. Ipſa nimirum Duce, facile mihi videtur arduum ſubire propoſitum, & maximè ad diuinæ pietatis, & ipſius ſancti Patris reſpicienti ſuffragium. Et fortaſſe ſimplicitas dictaminis humilibus, quibus Deus dat gratiam: & propter quos ſolos labor mihi iſte ſumptus eſt, iocundior erit: quam ſi eſſet profunditate ponderoſi velaminis ſuperbus. Sed quid dico propter humiles hunc eſſe laborem aſſumptum, cum tibi ſoli tantum, Pater alme, hic ſeruire quærat laborantis intentio? ſcio enim, quod nequaquam contemptibile tibi ducetur, etſi contemptibiliter dicatur, quod tibi forſitan & honoris cauſa eſt: & abſque dubio perpetuæ erit fructus ſalutis. Igitur quomodo primò vir Beatus ad Garſtenſe monaſterium ſit electus, & qualiter ibi vixerit, quibuſue miraculis ſancta merita eius pietas diuina declarauerit, ſicut ab illis accepi, qui viuenti præſto fuerunt: qui magiſterio eius informati virtutibus & ſignis interfuerunt, iam aggrediar, Domino adiuuante, depromere: ita tamen, vt breuitate contenta eſſe dignetur veneranda paternitas tua, dilectiſſime Pater.

Charitas ſubminiſtrat vires.

Vnde habeat au-ctor, quæ ſcribit.

I. FVNDATOR memorati cœnobij venerabilis Marchio Stirenſis Dominus Otacher extitit: qui & ibi in Eccleſia S. Laurentij in Chriſto requieſcit, Auus illius Otachari, qui nouiſſimus in Vngaria obiit in itinere, quod ad viſitandum & honorandum ſanctum Domini ſepulcrum, deuotus arripuit: Quæ fundatio ſiue inchoatio primo per Clericos inſtituta eſt, ſub Præpoſito, nomine Eberhardo. Quo mortuo, quadam die, dum Clerici in flumine locum præmanante, balnearent, quidam eorum ſubmerſi ſunt, raliq; ſua leuitate ſeu infortunio, fundatoris voluntatem mutauerunt. Erat enim egregius ille fundator, vir valde memorabilis. Et licet Princeps ſecularis, tamen aliis potentibus multum diſſimilis, cultor pacis, amator iuſtitiæ, & contra immanitatem perſecutionum turris Eccleſiæ inexpugnabilis. Nam Salzpurgenſem Archiepiſcopum laudabilis memoriæ Dominum Chuonradum, qui in ſyluis & montium latebris per multos dies perſecutiones fugiens latitauerat, ad ſe venientem cum honore magno ſuſcepit, mann tenuit, quod nullus Principum facere auſus fuit. Hoc factum eſt ſub beato Bertholdo, etiam ipſum Pontificem deuotè ſuſcipiente, atque in monaſterio ſuo cum reuerentia, quamdiu voluit, ſeruante.

Otacher fundator monaſterij Garſtenſis.

Conradum Archiepiſcopũ Salisburgenſẽ à facie Hẽrici V. Schiſmatici profugũ ſuſcipit.

II. SED vt egrediar ad id, vnde digreſſus ſum: Clericis ſubmerſis, animus, ſicut dixi, mutatus eſt fundatoris. Quadam itaque die cum ad celebrandum anniuerſarium diem Dominæ Eliſabeth Marchioniſſæ, quæ in choro ſepulta eſt, multi de more Clerici conueniſſent: (Nam ſingulis annis ob eandem cauſam, rogatu Principis, ſtudioſè adeſſe conſueuerant:) venerabilis Marchio de loco eminenti ita eos per alium allocutus eſt: Noſſe vos volo, qui ad hunc anniuerſarium Dei & noſtri cauſa veniſtis, quod in hoc loco, quem in ſeruitium Domini & ſanctæ genitricis eius pro ſalute mea, & dilectæ coniugis erigendum ſuſcepi, ſtatum religionis, diuina largiente gratia, in melius tranſmutare diſpoſui; & per monachos, quorum beata opinio vitalem circumquaque ſpirat odorem, huic nouellæ plantationi deſiderati profectus prouidere ſuffragium. Quapropter admonitos vos eſſe volo, ad hunc anniuerſarium diem nequaquam vltra congregari. Debet enim, ſi Domino placuerit, deinceps alio modo celebrari. Prorſus ergo ab hoc concurſu amodò deſiſtite: quia monachis, qui hic habitaturi ſunt, talem nouimus conſuetudinem non conuenire. His ita peroratis, cunctiſque ad ſua properantibus, ipſe Kotvvig perrexit; & auxilio amici ſui [illegible]ſtrenſis Marchio-

Marchionis Luipoldi, cuius ſororem, videlicet Dominam Eliſabeth, habuerat, fundationem ſuam Abbati regendam ſubiecit, & diligentiſſimè commendauit: Prioremque nomine Wirnt cum aliis Monachis acquiſitum, Garſten adduxit. Erant autem eo tempore in hac Prouincia admodum raræ Monachorum habitationes, & adhuc rudis Kotvvikcenſis Eccleſia: ſed, diuina benedictione, ita proſperis ſucceſſibus illuſtrata & eleuata; quod & monachis & rebus, maximè verò ſancta opinione, in breui eſt excellenter multiplicata & glorificata. Ita ergo Clerici, per quos primo in Garſtenſi monaſterio diuinum ſeruitium initiatum fuerat, monachis ſuperuenientibus, receſſerunt. Quidam autem eorum ad Marchionem iure proprietario pertinentes, dimiſſi non ſunt, ſed remanere coacti; Dixit enim vir nobiliſſimus, ſe nolle eos dimittere, ſed potius velle, vt ſecum, vtpote amici & dilecti, permanerent, & monachi fierent, Deoque omnipotenti in tam bona conuerſatione regnum cœlorum lucraturi ſeruirent. Erant autem, qui remanere cogebantur, Dominus Oudalricus, poſtea apud ſanctum Lambertum Abbas, & illius æquiuocus ad Gluonich Abbas futurus, & Dominus Eberhardus, Beati Bertholdi poſtmodum fidelis in Domino collaborator ac deuotus Capellanus; & alij quidam, quos hic nominare non arbitror neceſſe fore. Eberhardus B. Bertholdi Capellanus.

III. Ergo cum Dominus Marchio ſermonem cum iſtis de abrenunciatione ſæculi & conuerſionis ſuſceptione haberet, abnuunt omnes; præcipuè Dominus Eberhardus, dicentes, nondum ſediſſe eis animo tale propoſitum, arduam rem eſſe, neminem ad hanc cogendum, ſolam hic Dei aſpirationem exſpectandam. Ad hæc Marchio, mei, inquit, eſtis, & meæ voluntati in omnibus concordare & obtemperare debetis. ſi ergo me audieritis, animumque ad hoc, quod conſulo, libenter dulciterque adhibueritis, promptiorem me vobis, magisque beneuolum ſemper ſentietis. ſin autem: nolo vos pertrahere; facietis tandem vel inuiti, quod ſponte noluiſtis, & voluntarij; quia, nolitis velitis, monachi eritis. Quid plura? Videntes fixum eſſe apud eum, vel conuerti eos, aut aduerſis allici, conſenſerunt. Sed Dominus Eberhardus in ſuæ manſit obſtinationis pertinacia immobilis. Iubetur itaque alligari, & verberibus compelli ad conſentiendum. Tunc acquieuit & iſte beatus: durum quidem, & quodammodo coactum habens conuerſationis initium: ſed deinceps in promotu conuerſationis, ſupernæ illuſtrationis indubitabile demonſtrans indicium. Nam nullus eorum, qui ita compulſi ſunt intrare, adeo profecit in Dei timore, profectuque religionis, quamuis omnes profecerint, felicemque ſuæ conuerſionis, vel potius coactionis, apprehenderint fructum. Compellitur fieri monachus.

IV. His ita geſtis, Korrvvikcenſes Dominum Bertholdum de S. * Blaſio, vbi tunc armarij pariter & clauſtralis Prioris fungebatur officio, Priorem ſibi, in locum Domini Wirnt acquiſierunt; virum ſancti teſtimonij, & prouidentem bona non ſolum coram Deo, ſed & coram omnibus hominibus. Sed cum iſdem Wirnt ad Formbacenſe monaſterium eſſet in patrem aſſumptus; tunc Dominus Bertholdus à Garſtenſibus, & ipſo Marchione, Abbas electus eſt, optimo quidem omine. quoniam ex tunc, & deinceps nunquam locus ille diuino deſtitutus eſt ſolamine. Veniens igitur ad locum ſibi à Deo deſtinatum, omni conamine diuino ſeruitio, & vtilitati intendebat Eccleſiæ. Nam Deus omnipotens in breui oſtendere dignatus eſt tam monachorum, fratrumq; multiplicatione, quã rerum epulentia: quod nequaquam abſq; eius nutu & prouidentia electus fuerit, cui tam felices ſucceſſus contulerit. Dominum Eberhardum, cuius in ſuperioribus mentio facta eſt, ſtatim in primo introitu ſuo Capellanum ſibi conſtituit, imo comitem indiuiduum in Dei opere, & ſpiritalium laboribus ſtudiorum. De rigore ordinis nihil relaxabat; & ita ſubditorum ſaluti ac neceſſitati inuigilabat: quod & ſe ipſum in nullo negligebat, & illorum curam omnibus forinſecis occupationibus ſemper anteponebat. Augebatur ſine ceſſatione Deo ſeruientium multitudo, quia, talis erat viri Dei conſuetudo; omnes admittere, qui Chriſti deſiderio ſarcinam mundi abijcere, & ſuaue conuerſationis iugum vellent * iſte victuri ſuſcipere. Iam locus monachis abundabat; & tamen rariſſimè aliquis eorum extra ſepta clauſtri apparebat, exceptis diſpenſatoribus, quibus ea cura credita erat. * m. ſ. Blaſii. B. Bertholdus eligitur Abbas Garſtenſis.

V. Et licet patrem ſe, & verbo exhiberet & opere; tamen certe magiſtrum experiebatur, quiſquis patris clementia abutebatur. Omne inconueniens, aut ordini contrarium nulla ratione diſſimulabat: ſed ſtatim, vt vidiſſet, dignis increpationibus ad debitam dirigebat correctionem. Leuia quoq;, & quæ vix, aut nullatenus digna reprehenſione æſtimares; verbi gratia; ſi quis veſtimentum, conuentu ad lectionem ſedente per clauſtrum ferre inciperet; ilicò clamabat, Ordinem confundi, ſanctam deſtrui conſuetudinem: & ita obiurgabat illa facientem, ac ſi grauiter exceſſiſſet. Hæc ad demonſtrandũ viri rigorẽ dicta ſint, contra illos maximè, qui dicũt; eũ quidẽ pio patris abũdaſſe affectu, magiſtri verò caruiſſe Exuberabat vtriq; ſenſu vtroq;, qui pro loco & tẽpore, meritorumq; diuerſitate, nunc hũc, vt pater, fouebat, nunc illum terrebat, vt magiſter. quod in hoc ſatis claret. quia, ſicut notiſſimum eſt, vt dulcis & pius ab omnibus amabatur; & tamen in his, quæ ſunt contra Deum, attentandis, vel apperendis, vt ignis formidabatur.

VI. In tali verò diſpoſitione locus poſitus erat, vt fratres quidẽ de cellario neceſſaria acciperent; hoſpites verò in domo hoſpitũ omnia parata inuenirẽt. Quod idcirco vir prudens ita conſtituerat; ne, propter frequentiã aduenientiũ quies clauſtralis turbaretur: ſed ibi omnia in promptu eſſent; & ad clauſtrum propter ſingula venire neceſſe non haberent. Et quãuis penè nunquã hoſpites deeſſent, pro eo maximè, quod eius cõſiliis & eruditionibus diligẽter informabãtur ad ſalutẽ: tamen Dño ſeruientes bonis omnibus affluebant, iuxta quod ſcriptũ eſt; nihil deeſt timentib Deum. Et illi quidem cum gratiarũ actione ſua fruebãtur conſolatione Ipſe verò rarò aliquid ſuo pani, præter vnũ, qualemlunq; cibũ adiecit: bonos aũt cibos, qui ſibi apponebantur, ſemper, vel diſcumbentibus coram ſe fratribus; vel foras mittebat leproſis & pauperibus. Panem ſingularem, ſiue pulmentum ſpeciale ſibi fieri paſſus non eſt: ſed eodem ſemper, quo cæteri, tam pane, quam pulmento ſuſtẽtatus eſt. Meritis ipſius & benedictione paucitas piſcium ſeu vini aliquando ita creuit in partitione, vt nullus ſua portione, vel menſura priuaretur, cum id primitus omnino fieri deſperaretur. Pſal 33. Cibus B. Bertholdi. Multiplicat ſua benedictione vinum & piſces.

VII. Apud Pechlaren ſedens ad menſam de vna ſcutella multis conuiuantibus piſces diuiſit, & tamen diuiſione facta in nullo minui plenitudo illa viſa eſt. Ipſe, nec piſcibus, vt præmiſſum eſt, vtebatur, nec cum aliqua diligentia paratis, ſed vno vili, aut aliquando duobus edulijs, quibus etiam clientes vtebantur, debilia membra ſuſtentare ſolebat. Rarò quieſcebat, tum propter deſiderium æternæ patriæ, tum propter adductos energumenos, quorum liberationi intendebat, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens Domino die ac nocte. At cum quietem laſſitudo imperabat, ita negligenter lecto accumbebat, vt nec iacere eum, nec ſedere diceres, pedibus dependentibus, & ſemper cuculla veſtitus. Nemo illum vnquam ocioſum; aut ſpiritalibus vidit ſtudiis * vacantem; ſed ſola ſomni vel cibi hora exempta, nunc legendo, nunc orando, modò vero ſcribendo, aut confeſſiones hominum audiendo, feriari neſciens inimicam animæ vitabat ocioſitatem. Hiemis tempore ad ignem ſedens; (nam ſtubas forte, ſeu æſtuaria, ſiue propter caput; vel potius ſtudio affligendi corporis, intrare cauebat) ſemper totam ſpiſſam & latam inter ſe & ignem, quaſi pro vmbraculo poſitam habebat, & ita pene nunquam caleſiebat, tantumque frigore & inedia carnem affligebat, vt hoc, quod ſcriptum eſt; nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, locum in eo vix vllum haberet. Vnde, in tantum erat attenuati corporis, quod vt ita dicam, vix oſſibus hærebat ſqualida cutis: mirantibus cunctis, quod labores illos diuinæ ſeruitutis ſic exhauſtus poſſet exſoluere. Sedens ad menſam, vbi modicũ Somni paucitas. * hoc eſt, vacuum ſeu ceſſantem à ſtudiis ſpiritualibus.

domo diſſer;

comediſſet,dormire ſolebat: ſed cum Prior eum ſtrepitu pedum expergiſci faceret, mox arrepto coclear i, ſtre-
nuum quidem ſimulabat manducatorem; ſed rurſus, eius deciſione, valde negligentem exhibebat corporis ad-
iutorem.

IN primordio fundationis, & quando primo vir ſanctus venit ad locum ſuæ vocationis, admodum tenuis VIII
erat ſubſtantia Eccleſiaſticæ poſſeſſionis, ſed per eum magnificè amplificata eſt, atque à ſui tenuitate pulchrè e-
uecta, quia eum tam potentes; quam mediocres in tantum dilexerunt, quod propter eius amorem copioſe locum
prædiis ſuis ditauerunt. Igitur celebri edicto, & irrefragabili conſtituit charitate, ne quid eorum, quæ haberi
poſſent, cuiquam negaretur, ſed omnibus, in ſua neceſſitate pro loci ſubueniretur poſſibilitate. Vnde aliquando
contigiſſe non dubium eſt, vt; quod negatum eſt, & occultatum fuerat, poſteà deprehenſum, tanquam immun-
dum & inutile proiiceretur in flumen.

REM dicturus ſum forſitan incredibilem, ſed tamen veram, teſte Deo. Acceſſit ad eum quidam pauper, mi- IX.
ſeriam ſuam deplorans, & petens aliquid ab eo: quem fecit exſpectare ante monaſterium, donec eius conſolare-
tur deſiderium. Nam ad manus nihil habebat, quia conſuetudinis eius nunquam fuit portare denarios, aut ſal-
rem ſuſcipere: ſed; quicquid dabatur ab aliis, ſuſceptum, ſecundum eius præceptum diſpenſabatur. Marſupium
* indices. quidem terebat, ſed intus, præter * breues defunctorum, nihil habebat: Itaque camerario præcepit dare pauperi
tres denarios. Ille, ſe non habere reſpondit. Date, inquit, pauperi, quod dixi. Rurſum ille aſſeruit, ſe non habe-
re. Tunc ſanctus, audire, inquit, iſta nolo, nec ſcite, quod camera mea abſque nummis ſit. ſed cum camerarius
perſeueraret in negatione; fecit ſibi dare claues; miſſiſque fratribus, iuſſit videre, quid ibi eſſet. qui venientes, in-
uenerunt labrum æneum plenum denariis. quos ita, vt inuenti ſunt, cum labro præcepit in flumen Aneſum, vbi
Pauperibus nega am pecuniam iuberſin flumen proiјci. maxima profunditas erat, præcipitari. Fratres autem illi cœperunt, quantum ſalua reuerentia potuerunt, reſiſte-
re, melius eſſe dicentes, ſeruari tantam copiam, & ſi ad nihil aliud, ſaltem ad conſolandos pauperes, quàm à flu-
mine abſumi. Vir autem Domini in ſua perſiſtens ſententia, nulla potuit ab ea ratione deflecti, aſſerens immun-
dam eſſe illam pecuniam, atque ideo nulli idoneam vtilitati. Quis rogo hoc modo faceret? quis vel tres denarios
ob iſtiuſmodi proiiceret cauſam? Apparet ergo in hoc memorabili facto, quanta fuerit viri ſancti, & in præcipien-
do auctoritas, & ab omni auaritiæ contagione quàm intacta ſemper præcordia habuerit. Camerarium autem, vt
dignus fuit, coram omnibus vehementer increpatum, ab eadem obedientia abſoluit, & alium ſubſtituit. Item a-
lia vice pauper eum adiit; vt eleemoſynam acciperet. Miſit protinus ad fratrem, qui piſtoribus præerat, iubens,
panem dare mendico. Negauit ille, eſſe ſibi panes. Tunc vir Domini miſit quendam monachum nomine Erch-
Item panes. engerum, vt videret, an ita eſſet: & inuenti ſunt ibi XXX. panes. Ilicò conuocatis fratribus inobedientem pro-
pria manu, aſſumpto & alio adiutore, diris verberibus corripuit, & panes omnes in flumen proiicere fecit.

PROPTER confeſſionem multi veniebant ad eum, plurima offerentes donaria: quorum ipſe nihil tange- X.
bat; ſed, ad pedes eius, vel ad altare, iuxta quod ſederat, poſita. poſtquam expeditus inde receſſiſſet, fecit aliquem
monachorum omnia accipere, & inter obedientias, vt ſibi videbatur, diſpertiri. Quæ obedientiarum officia, per
illiteratos monachos, & fratres barbatos erant diſpoſita. Literati verò, & ſacro ordine ſublimati, diuinis officiis
tenebantur ſpecialiter implicati: ſingulis obedientijs bini præerant fratres tam propter teſtimonium, quàm pro-
pter ſolatium. Inter quos ſi qua fortè ſimultas, vel, amoris improbitas emerſit, ſine dilatione regulariter emenda-
batur, ſtatimque ad bonum pacis patris imperio reformabantur. Iam fama ſanctitatis eius longè lateque declara-
batur, adeò, vt etiam de remotis valde partibus multi venirent ad eum confitentes peccata ſua, & pœnitentiæ ab
eo remedia ſuſcipientes. Hi quoque, qui propter Dominum pro tempore peregrinari deſiderabant, nullo modo
terram ſuam exibant, niſi prius viderent ſanctum Domini: nihil eſſe exiſtimantes iter ſuum, ſi non eius fuiſſet com-
mendatum orationibus, & benedictione munitum. Nam ardenti ſemper amore ſaluti hominum intendebat, ni-
hil prætermittens, quod ad hanc fructificandam ſpectare videbat. Venientes ad confeſſionem, vbi adeſſe nuntia-
bantur, confeſtim dimiſſis omnibus, ad audiendos eos feſtinabat.

Quotidie celebrat Miſſam. MISSAM celebraturus, (quod quidem quotidie cum magna deuotione & deſiderio faciebat) cum iam XI.
præpararetur proceſſurus, ſi qui interim confeſſionem facturi adeſſent, differebat officium, & illis morem gerebat:
talique occaſione, vel neceſſitate vir clementiſſimus, multoties vltra ſolitam horam, interdum etiam ferè vſque ad
horam nonam, miſſæ celebrationem differre compulſus eſt, cauens diutius tenere protractos; quorum aliqui de
longè venientes, quantocius ad reditum expediri deſiderabant: néue ſua quærere videretur potius, quam aliorum,
vt ſalui fierent. quantũ liber autem protelaretur dilatio, tamen ad vltimum, ſacroſancti offi cij nõ omittebat fructũ.

HABEBAT vir beatiſſimus in confeſſionum auditione conſuetudinem, diligentiſſima indagatione cuncta XII.
perſcrutari, quæ contra Deum homo feciſſet; ſi Catholicam teneret fidem; ſi ſciret Dominicam orationem. Et
quamuis magna eſſet expectantium multitudo, ipſumque ad alia facienda inuitaret neceſſitas, nullum tamen di-
mittebat, ante quàm diſertiſſima examinatione dirigeretur ad profectum: Et, ſicubi in Dominica oratione ſimpli-
ciores, vt aſſolet, titubabant, tenebantur, donec pia inſtantia apprehenderent, quod ignorabant, ſic faciebat, elee-
moſynam à ſe accipientibus. Interrogati an Dominicam ſcirent orationem; ſi neſciebant, benigniſſimè docebantur,
& ſic, quod petierant, accipiebant, vtriuſque hominis ſtipe feliciter adiuti.

Pœnitentibus imponebat diſciplinas. SED, vt redeam ad confeſſiones: nam his maximam partem temporis expendebat. Morem habuit verbera- XIII.
re omnes, abſque perſonarum acceptione, nullum omnino tranſire ſinens implagatum. Ibi plerumque per ſpiri-
tum cognoſcebat, qui ſe habitu mutato, & voce ſimulata finxerant eſſe, quod non erant. Erat in Chremſmünſter
ſacerdos quidam nomine Henricus, Prior ibi, ſed aliquantulum ſæcularis. Hic ad eum nocte inter alios confiten-
tes & ipſe confeſſurus acceſſit, habitu monachi ad horam, ne agnoſceretur, depoſito. ſed cum ſurrexiſſet de loco, &
iam abire cœpiſſet, lætus quod latuerit, vir Domini hac eum voce, ſua illa dulcedine ſubſecutus eſt: Eia, Domine
Prior, videte, quod omnia benè diſponatis: Quo audito, Prior vehementer admirans obſtupuit, ipſeque poſtea re-
tulit, ita ſe contra ſpem, voluntatemque deprehenſum.

HAC autem occupatione ita domi foriſque tenebatur impeditus, quòd penè nihil aliud agere valebat, mi- XIV.
ſertus multitudinis ob hanc cauſam indeſinenter confluentis. Vnde & monachi ſtulta indignatione exaſperati,
cauſabantur eandem occupationem valde eſſe inutilem, grauiſque cauſam iacturæ: quod omnia quaſi neglecta ia-
cerent, quæ ad viri Dei diſpoſitionem pertinerent. ſed ipſe hæc quaſi ignorata diſſimulabat, nihil curans de tali eo-
rum cauſatione: cum ſciret ſuas neceſſarias, & incontradicibiles occupationes nullius damni, ſed potius multo-
rum bonorum eſſe cauſam. eò quod Prior ſuus, aliique diſpenſatores plenam totius adminiſtrationis, ipſo omit-
tente, haberent poteſtatem, & illi, quorum ipſe conſiliis & eruditionibus vacabat ſaluti, tam ſibi, quàm toti con-
gregationi & loco magnæ felicitatis cauſa exiſterent.

AMABATVR ab omnibus, honorabatur ab vniuerſis: ſed, ipſe humilitati ac ſimplicitati totus deditus, ni- XV.
hil penitus illa mouebatur honoris exhibitione. Nunquam in illius ore aliquid, vt de S. Martino ſcribitur, niſi pax,
niſi Chriſtus, niſi miſericordia erat; ita vt in plateis ſedens, ſacras aliquas recitationes præſentibus cauſis idoneas
ſimplici

ſimplici ore ediceret, dicentibus interdum diſcipulis, qui ſimul aderant, aliis de cauſis ſe adueniſſe, quibus expediendis intendere deberet potius, quam ſuas exponere lectiones.

XVI. ERAT aut in lege diuina apprimè eruditus, eloquentia clarus, innocentia purus, moribus venerandis decentiſſimè ornatus, & inter cætera chariſmatum dona etiam ſpiritu prophetiæ minimè carens. Habebat ſecum in monaſterio iuuenem quendam filium germani fratris, nomine Bertholdum, inquietum, mobilitati deditum, & ſpe conſanguinitatis volentem liberius exire de clauſtro; & agere quod libebat. Quem propterea vir Domini frequentius, vehementiusque cæteris increpare & caſtigare ſtudebat, ſed cum diu, multumque increpatus & portatus incorrigibilis appareret, motus pater, miſit eum in Kottvvicum, vbi & rigor diſciplinæ vrgeret; & ſpes propinquitatis nulla arrideret, ita dicens: Eia frater, ite nunc: turbaſtis me frequenter, plurimumque vexaſtis; vos quoque turbabimini, & nunquam aduerſis carebitis. Ita factum eſt. Nam eundem virum poſtea multo tempore ſuperſtitem, nunquam aduerſitatibus caruiſſe, notiſſimum eſt. De clauſtro enim proprio exturbatus, diuque abſque congregatione; circumiens, vagus & profugus, nouiſſimè in exilio finem vitæ fecit, vtinam & laborum.

Habuit ſpiritum prophetiæ.

XVII. QVODAM tempore torrens, qui dicitur Gatſte, à quo etiam locus nomen accepit, terminum ſuum, vt ſolet, excurrens, totum ſitum loci operuerat; ita, vt etiam clauſtrum & officinas eius occupans, monachos inceſſum per aquas habere compelleret. Ex quo afflicti, dum cum Beato viro de eodem incommodo dolentes loquerentur, clementer conſolatus eſt eos dicens; Ite ad refectorium, & reficite, & æquo animo eſtote, quia ab hac aquæ inuaſione quantocyus liberabimini, quodque modò torrens iſte fecit, nunquam amplius facturus eſt: Iuit conuentus ad refectorium. Ipſe verò intrauit in oratorium. Et more ſuo proſtratus in orationem; tam celerem, tamque mirabilem precum ſuarum conſecutus eſt effectum, vt ſurgentes de menſa fratres nihil inuenirent de omni illa, quam ante prandium in clauſtro reliquerant, aqua. Verſi itaque in ſtuporem, cum admiratione & gaudio tantum miraculum in ſancto venerati ſunt, quæ aquæ inuaſio, nunquam poſtea contigit.

Torrentem intra limites oratione repellit.

XVIII. QVADAM die denunciauit fratribus quendam virum valdè anxiatum, in proximo affuturum, quem deberent ſuſcipere, & ab imminenti liberare periculo. Cumque interrogarent, quis eſſet? hoc ſolum reſpondit: hominem eſſe miſericordiæ indigum, atque in ſuprema neceſſitate conſtitutum, pietatis intuitu conſolandum. Altera die feſtinus aduolat miles quidam, Leo nomine, qui prædis & latrociniis plurimiſque crudelitatis operibus vitam demeruerat; poſitusque in perſecutionem, etiam ſententia ſuſpendij damnatus erat. Et cum iam quæreretur ad pœnam, Monaſterium concitu curſu petiit, proſtratusque fratribus obſecrat & conteſtatur, quatenus dato conuerſionis habitu, liberent illum de inſtanti interitu. Curritur ad patrem: vt, quid ſit faciendum, decernat. Imperat, celeriter tonderi virum, ſuſcipique in congregationem, vt euadat promeritam damnationem. Profugus ergo ille, diuinæ, qua liberatus fuerat, gratias agens clementiæ, ita conuerſus eſt ad Dominum, mutatoque habitu apud liberatores ſuos bona vita conuerſatus eſt. Hoc peracto; continuo ad pœnam requiſitus eſt, ſed exauditi non ſunt requirentes, quia iam ſibi eum ſociauerant omnipotenti Domino famulantes. Imò, ipſe eum aſſumpſerat, qui venit quærere, & ſaluum facere, quod perierat.

Latronē ad ſuſpendium condemnatum, in monachum ſuſcipit.

XIX. IN feſto S. Iacobi cum congregatio piſces non habuiſſet, ſicut ipſius ſtatuto in ſimilibus feſtis habere conſueuerat: fit grauis cauſatio coram eo poſtera die, in Capitulo, tantuſque ſtrepitus tumultuantium, quod pius vir veniam petere compulſus eſt ad pedes omnium, cum non poſſet compeſcere rancorem murmurantium, ſed cum nimis importuni exiſterent, & vltra modum tumultuarentur; contriſtatus valde: Bene, inquit, vos habetote, & eſtote quieti, hodie vobis piſcium deſideratam dabo ſufficientiam. Et licet hoc diceret, tamen nondum aderat, vnde hoc, quod promittebat, exſolueret. Cum poſt modicum, egredienti de clauſtro, obuiam factus eſt quidam immanem * Coracinum portans, veracem faciens promiſſorem, plurimumque hoc beneficio ſupernum commendans conſolatorem, antiquum iterantem conſilium, quo murmurantium in deſerto infelix repleuit concilium. Nam ſicut tunc Moyſes certus de Domini potentia, illis promiſit carnes, quas deſiderauerant: ita iſtis vir Domini Bertholdus, confiſus de Dei clementia, ſpopondit piſces, quos amabant. Manducauerunt ergo. & ſaturati ſunt: & ei, qui deſiderium eorum attulit eis, gratias agere, vt dignum fuit, non omiſerunt. Verè pius Dominus, vere miſericors; qui, ne videretur de ſe præſumentem deſerere, etiam inimicis & murmuratoribus clementer dignatus eſt ſatisfacere.

* MS ſupra ponit, id eſt, Rot Corar einus, nomen & genus piſcis, Athen. lib. 7. Idem Coracinus, paulo poſt vocatur, Rufus.

XX. ALIO tempore hoſpites aderant, qui, quod eſſent amici & venerabiles, diligentiori cura & miniſterio honorandi erant. Sed, cum item piſces deeſſent, hocque patri diſpenſatores quererentur: ite, inquit, ad aquam, quærite: Magna eſt Dei clementia. Reſponderunt, ſatis ſe quærendo laboraſſe, ſed nihil profeciſſe. Iterum, inquit, ite, quid tentare nocet? Ipſeque cum eis vſque ante portam, quæ reſpiciebat ad flumen, proceſſit: & ibi ſubſiſtens, exitum rei præſtolabatur. Appropinquantibus illis fluuio cum ſagena, ecce mirum dictu, piſcis, qui vocatur * Tymallus, Rufo perſequente, actus in fugam, mirantibus cunctis, de aqua in terram exiliuit. Capti ſunt tam fugans, quàm fugiens: deſiderabile ſpectaculum exhibentes, non pro ſui vtilitate, ſed pro Beati viri indubitabili ſanctitate. Et illi quidem factum hoc pro miraculo declamare feſtinabant: ſed, vir Domini nihil huiuſmodi audire, vel ſcire volens, repreſſit eos dicens: non eſſe mirandum, ſi quid vna vice non poſſit, alia poſſit, Domino prouidente, fieri. Ita verò timebat publicari ſua merita, ſicut fures timere ſolent, ne deprehendantur eorum furta, Publicabantur tamen. Quomodò enim poterat abſcondi populis, quod aſſiduè prodebatur oculis: cùm vix, aut nunquam vel ab vno vidente poſſit ſileri, quod à nullo poteſt ſine admiratione & iubilo audiri.

* MS etiam hic, & rectè ſuperaddit. Aeſch.

XXI. ADERANT ſine ceſſatione quærentium eius conſilia, & benedictiones, diuerſorum hominum multitudines. Et niſi pietate & miſericordia ad occurrendum eis & conſulendum cogeretur; vtique nec aſpexiſſet eum viſus hominis. Conſiderans igitur vir perfectæ pietatis, melius eſſe, multis, quam ſoli, vel paucis prodeſſe, commune commodum priuato anteponens, neminem voluit repellere. quia, quantum in ipſo erat, omnibus voluiſſet bene facere. Igitur virtute bonitatis eius vbique diuulgata, frequentia tam languentium, quam nihil in corpore patientium, & qui vexabantur à ſpiritibus, veniebant ad eum, animæ & corporis remedia quærentes, & frequenter inuenientes, ſanè tanta per illum dignatus eſt Dominus tam manentem in corpore, quàm quieſcentem in terræ puluere oſtendere bona, quod valde admiror, ita vniuerſa vſque nunc ſuppreſſa ſilentio, ac ſi aut minimè facta ſint, aut à nemine viſa.

Multis miraculis claret.

XXII. ERGA dæmoniacos non mediocri præditus erat liberationis effectu, quos ſemper in hoſpitali præcepit, cum his, qui ſimul aderant, ſeruari, & benignè tractari, vſque dum eis ieiuniis & orationibus, ſanitate obtenta, cum gaudio redire permiſit. Ante altare ſancti Petri vir beatus frequenter orare ſolebat, ibi miſſas celebrare, ibi confeſſiones audire, ibi diuinæ contemplationi familiarius inhærere conſueuerat. Illuc mulier, poſſeſſa dæmone, adducta ad eum, ſub omni celeritate liberata eſt. Et licet nonnulli eiuſdem ſaluationis apud eum gratiam inuenirent; non tamen dicimus, omnibus indifferenter præſto fuiſſe curationem. Aliqui curabantur, aliqui non valebant curari. Ipſe quidem omnibus piæ compaſſionis impendebat affectum ibi habens, vbi Deus dignabatur, ſubuentionis effectum.. Erat non longe à monaſterio mulier quædam repleta dæmonio, nomine Haiza, pro qua diu multumque laborauit: ſed nequam ſpiritum ab ea repellere non potuit: loqui tamen,

Varios dæmoniacos liberat.

faciatiſque participem, accipite iſtud, & comedite, ſtanſque ante eos, & carnes frangens Dominicam orationem de ore non dimittebat. Conuentus quidem ex auctoritate ordinis ſagimine in cibo vtebatur; ſed iſte, licet ad hoc etiam præcepto cogeretur, tamen, vix guſtato, ne inobediens exiſteret, amplius tangere perhorrebat: ſimulabat tamen comedere propter alios, ne notaretur, & de ſua proclamaretur abſtinentia. Ita in humilitate & vera ſpiritus contritione poſtquam Domino per bienninm de latrone monachus & ſanctus ſeruiuit, volente Domino magnificare miſericordiam ſuam cum illo, imò & declarare, quoniam non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, infirmitate correptus eſt, ſedebat ergo continue, in lectulo iacere nolens, ne nimis corporali videretur indulgere quieti; & non diebus, neque noctibus à colloquiis diuinis & oratione ceſſabat. Poſt non multos dies, ingraueſcente languore, vocari ad ſe ſanctum Patrem rogauit; qui, cum adeſſet, præſentibus etiam quibuſdam de fratribus; Dominus, inquit, remuneret omnia bona, quæ mihi, Domine Pater, clementia veſtra hucuſque impertita eſt. Iam nunc proficit opus bonum, quod cœpiſtis in me, vt completis extremæ neceſſitatis officiis dirigar, quò iturus ſum. Cumque venerandus Pater blandè conſolaretur eum, ſpacium ei adhuc viuendi de Dei miſericordia promittens, ſe quoque non defuturum neceſſitati, vbi tempus adeſſet. Modò, inquit, eſt tempus faciendi, quia quantocyus migraturus ſum. Nominauit autem quoſdam monachos ſe in morte ſecuturos, dicens ad Patrem; Hortamini illos, vt ſint parati: quia citò ſunt me ſecuturi, ſed cum vir Domini hanc vellet vocem comprimere, & omnino huiuſcemodi verba compeſcere, dicens, illum nullam prorſus eorum, quæ memorabat, habere notitiam. Imo, ſcio, inquit, quid loquor ſeptem ſine dilatione morientur, quatuor obitum veſtrum præcedent; tres: ſubſequentur. Ita factum eſt, ſic de hac vita omnes exierunt, ſicut ab eo fuerant nominibus deſignati. Primò, illi quatuor; poſt quos, venerabilis Pater: deinde, tres alij, vti erant in denominatione ordinati. De viro autem Dei dixit, paratam eſſe ſedem eius; & glorioſo decore venuſtatam. Inde ſumpto viatico, feliciter perrexit ad patriam de exilio. Claret ergo, non ſolum ipſum Patrem Prophetico ſpiritu, vt ſupra memoratum eſt, ventura prænotaſſe; ſed etiam diſcipulos vtique meritis eius, vera de futuris præſenſiſſe.

XXVIII INFIRMABATVR vir beatus, rogauitque adhærentem ſibi Capellanum, Dominum videlicet Eberhardum, afferre ſibi de proximo fonte aquam ad bibendum. Miſit ergo famulum nomine Hiltiboldum, nutritum ab ipſo Patre, atque in eius ſeruitio tunc familiariter manentem, vt deferret aquam. Allatam ergo dedit Domino Eberhardo, ipſeque ægrotanti porrexit. Vbi bibit Venerabilis Pater. Ego, inquit, aquam poſtulaui. Cui, cum diceret Dominus Eberhardus iam à ſeruo allatam. Ite, ait, & ipſi mihi afferte. Perrexerunt pariter Capellanus & famulus; hauſtamque, vt antea, de puteo aquam petenti præbuerunt. Bibit: &, vt prius, vinum fuit. Tunc reſolutus in lacrymas; quid, inquit, Saluator agis? Nonne peccator ſum, indignus, propter quem ſigna facias? Iuſſit itaque hæc omnino taceri; &, ne manifeſtarentur, tota auctoritate interdixit. Hæc mihi idem Hiltiboldus cum lacrymis, & in anima ſua, ita eſſe, vt expoſita ſunt, aſſeruit, ſed & idem miraculum, videlicet vinum ex aqua factum, non ſemel ei eueniſſe, multi hodieque teſtantur. Sed iam ad beatum eius tranſitum, quem ipſe, Domino reuelante, non ignorabat, verba vertenda ſunt. Deinde ſanitates & miracula, quæ ad ſepulcrum eius fieri viſa ſunt, commemoranda.

Aqua in vinũ ad hauſtum illius mutatur.

XXIX. NON longè ante obitum eius, Admuntenſis Pater, ſanctæ memoriæ, Dominus Gotfridus, valde ægrotabat, miſſumque eſt pro eo, vt eius exequiis adeſſet, imò ipſe eum terræ commendare dignaretur. Verum cum ſuam legati legationem dediſſent, Pater ſanctus tali eos reſponſione conſolatus eſt, dicens. Reuertimini, Dominus veſter melius habere cœpit, & benè conualeſcet, ſed rogate eum, vt ſi ei nuntius meus venerit, mihi venire non pigritetur. Ita factum eſt. Conualuit ille Pater: & poſt modicum iſto inuitante, venit, eumque ſepeliuit. Sed, antequam obiret, vocata ad ſe omni congregatione, ſingulorum audiuit confeſſiones, datiſque omnibus propria manu flagellis, & eos abſoluit, & ſibi ab eis remitti, quæ in eos deliquiſſet, humiliter rogauit. Fit ploratus multus, mœror & luctus omnes occupat, nolentes nimirum eo carere, quem habuiſſe ſalus habentium fuit. Tum Venerabilis Pater, tantis eorum permotus ſingultibus conſolatos eos fore deſiderans, Tempus, inquit, aduenit hinc tranſeundi, nec vltra differri valet diu exoptatum, vix exſpectatum. Sed ſcitote, quia vos nunquam deſeram, & huic loco fidelis in perpetuum, deuotuſque cooperator aſſiſtam. Corporali quidem diuiſione ſeparandi ſumus, ſed ſpiritu ſemper vobiſcum ero: Dico tamen, quod poſt diſceſſum meum locus iſte minimè carebit aduerſis, & ſemetipſo minor & inferior multum retroceſſiſſe videbitur, ſed tamen, per gratiam Dei citò reſurget, & melioris ſtatus reſumet dignitatem. Rogant deinde, dari ſibi conſilium, ad eligendum Patrem: pariter pollicentes, vt quem ipſe nomine deſignauerit, hunc proculdubio habituri ſint, quicunque ſit ille: Tum ille, ſi, inquit, conſilium meum in electione veſtra ſecuti fueritis, benè vos feciſſe videbitis & gaudebitis, ſin autem, perperam vos egiſſe, manifeſtum erit. Igitur Eberhardum Capellanum ſuum, virum in Dei rebus approbatum, indubitanter ſibi cenſet ſubrogandum, ſi hunc, inquiens, acceperitis, ſtabit honor Dei in hoc loco: & ſtatus hic veſter, ipſo viuente, nutare non poterit: ſed quoniam idem Eberhardus impeditæ linguæ exiſtens, eloquentiæ donum non habebat, & de hoc ipſo non dimiſit inconſolatos ita dicens: Eſt quidem ibi paruus defectus, ſed hunc, diuina prouidentia, vtiliori ſupplebit munificentia, & minus nocebit, non eſſe facundum, quem conſtat cœleſti approbatum ſententia. Laudant omnes conſilium, ſpondentes ita ſe libenter facturos. Inter hæc autem ipſe Eberhardus pedes ſancti viri, quoniam frigidi erant, in manibus & gremio tenens, more ſuo, dulciter confouebat, nihil curans de illa eorum circa regimen confabulatione. At vbi omnibus digreſſis, ipſi duo ſoli fuerunt, his verbis virum Dei cum mœrore allocutus eſt. Eia, inquit, quid feciſtis? Quale conſilium in me dediſtis? Hæccine eſt gratia, quam laboribus meis & ſeruitio retribuitis? Hoc eſt, quod tanto tempore vobis ſeruiendo promerui? Pia merces, clemens retributio, quod vos tenditis ad requiem, & me tribulationibus immergitis. Vos pergitis ad Chriſtum, & mihi onus imponere nitimini, ſub quo curuari neceſſe eſt etiam eos, qui portant orbem. Aliam fidei meæ, & deuotioni ſperabam ſeruari retributionem. Huiuſcemodi quaſi improperiis ſæpe dictus Capellanus pium obiurgabat Patrem, flens largiter: & totis præcordiorum affectibus vel ſimul abire deſiderans, vel ſub omni ſubſequi celeritate. Quod etiam precabatur multis conteſtationibus, videlicet, ne hic diutius dimitteretur, reducens ei ad memoriam, inſtanterque inculcans recordationi, ſi quid ſeruiuiſſet, ſi aliquid dignum gratia egiſſet, quatenus hoc totum hac ſola exauditione remuneraretur. Igitur cum ingraueſcente languore, quam plures ei ſine alimento tranſiſſent dies, iamque penè defeciſſet, accedens iſdem Eberhardus non tam Capellani, quam piiſſimi nutritoris & procuratoris vbique agens officium aliquid ei in os pro refocillatione immittere cœpit. Quo accepto, collectis in hæc verba viribus: O, inquit, quare ſic feciſtis? Eſſe mihi debuit pro pœnitentia manere ita abſque cibo, vſque ad feſtum Sancti Petri ad Vincula, vt ſic de carnis vinculis abſolutus, eorundem vinculorum pro voto feſtum celebrarem. Nunc verò quia cibatus ſum, citò migraturus conſtitutum diem exſpectare non poſſum. Nec mora. Nocte, quæ B Pantaleonis Martyris feſtiuum præcedit diem, modicum ante nocturnale officium, vocata congregatione, ipſe litaniam incepit, & ad vſque animæ redditionem cum aliis decantauit. tunc leuare manus (* volens), ſed minimè præualens, quieuit in Domino. Tunc miſſum eſt, ſicut præmiſimus pro Patre Admuntenſe, vt veniret: & eius depoſitioni officia humanitatis exhiberet. Venit, & eum commendauit terræ, quem ſuæ prius commendationi ipſe infirmus

Alterius ſanitatem, ſuam verò mortem prædicit.

Eberhardũ Capellanũ ſuum in ſucceſſorẽ ſibi nominat.

Moritur.

* in M S. deſideratur.

Miraculum in exequiis eius.

aſciuerat. Ergo cum portaretur ad Eccleſiam, honeſtioribus perſonis, quæ erant in congregatione feretrum ſubeuntibus, apparuit eis magnum miraculum quia, idem feretrum virtute diuina ſubleuatum, nequaquam eorum humeros tangebat; mirantibus primo eis, & ante rei perceptionem ab alterutro fieri putantibus, dum iſte ab illo feretrū altrius leuari crederet, & ille ab iſto idipſum fieri exiſtimaret. Reſpiciunt ſe inuicem, & omnipotentis Dei gratiam oculis ſuis præſentem euidenter agnoſcunt.

Dolor dētiū ſedatur pallio, quo feretrū eius tegebatur.

ACCIDIT autem, vt quidam peregrinus eadem hora, inopinate ſuperueniens, ſanctumque deportari conſpiciens, interrogaret, quiſnam eſſet defunctus, qui baiulabatur. Notitiam autem beati viri antea ex confeſſione perceperat. Ergo, vbi audiuit eum obiſſe, dolens ſolamen patriæ ſubtractum, altaque trahens ſuſpiria, propitietur, inquit, tibi ſancte Pater omnipotens Deus, bonus homo fuiſti: accedenſque ad feretrum, pallio, quod ſuper iacebat, mentum ſibimet liniuit & faciem. Quo facto, dolore dentium, quem attulerat, caruit: & diuinæ pietati gratias lætus perſoluit. Conuenit autem omnis Eccleſiæ familia, ſauciata doloribus habens præcordia. Nec mirum, quippe tali patrono orbata, quo meliorem nulla habuit alia. Sepultus eſt ergo cum tanto vniuerſorum planctu, vt non videretur poſſe finiri doloris lachrymarumque magnitudo. Sed cum Monachi Dominum Eberhardum nollent, ſicut laudauerant eligere, ipſe vero de tali ſua abiectione nihil omnino curans, toto Dominum & Magiſtrum ſuum ſequi deſiderio anhelaret: &, vt hoc quantocyus fieret, apud ſepulcrum eius continuis precibus lamentiſque flagitaret, apparuit ei vir beatus, iubens, vt paratus eſſet: &, ſicut petierat, dum adhuc ſimul eſſent, ad eum velociter veniret; viſione tranſacta, cœpit infirmari, atque in grabato, in quo vir Domini obierat, propter eius amorem decubans, factus in exſtaſi, vidit quadam die ſanctum Domini ad altare B. Petri quaſi Miſſam celebrare, exilienſque cœpit currere, vt eum adiuuaret. Et cum vſque ad oſtium monaſterii cucurriſſet, interrogatus eſt à videntibus, quo ſic properaret. Neſcitis, inquit, quod Dominus noſter Miſſam celebrat ad altare S. Petri? Illuc feſtino, vt eum adiuuem. Tunc ad lectum reductus eſt; & poſt modicum ex hac luce ſubtractus. Non ſunt ergo occultata à filiis hominum glorioſa ſancti Patris merita: ſed præclaris miraculorum indiciis ex tunc & de reliquo, luce clarius conſtat eſſe manifeſtata. Quorum aliqua pro gloria Dei, & ipſius ſancti Patris amore, iam mihi commemoranda ſunt, partim, me ipſo præſente, facta, partim ab aliis videntibus indubitabili veritate adſtricta. XXX

Apparet Eberhardo.

Eberhardus non electus à monachis in ſucceſſorē B. Bertholdi moritur.

Claudus ad ſepulcrū eius curatur.

MORABATVR in hoſpitali quidam pauper nomine Luitoldus, multo tempore claudus: Hic cum diu ferulis ſuſtentantibus ſe omnibus per Cellam notiſſimus traxiſſet, quadam nocte Sabbati reuelatum eſt ei in ſomnis, quod ad ſepulcrum B. Bertholdi opem deberet quærere ſalutis. Neglexit. Et ſecundo, eadem nocte, reuelationem accepit. Tunc quibuſdam, quod viderat, narrare, & ab eis, quod offerret, petere cœpit. Quod ſuper tumbam ponens, & ſe ibi in orationem proſternens: poſtquam aliquantiſper cruciatibus fatigatus iacuit, ſuffragantibus ſancti viri meritis, ſoſpes ſurrexit, dimiſſiſque in eodem loco ferulis, abſq; baculorum ſuſtentamine de Eccleſia progreſſus eſt. Quæ ferulæ ſancto eius ſepulcro contigue in teſtimonium veritatis iugiter ibi dependere videntur. XXXI.

Mulieri capitis dolores ſedantur.

MVLIER quædam dolore capitis valde afflicta, cum comam capitis ſatis decentem haberet, vrgentibus anguſtiis vouit Domino & B. Bertholdo eorundem crinium deciſionem, ſi ſuæ infirmitatis aſſequeretur euaſionem. Ergo cum ad ſancta oſſa eius auxilium quæſitura & inuentura procumberet, oblatis, quæ habere poterat, gratiam ſenſit, depoſitaque coma cum ſanitatis dono læta remeauit ad propria. XXXII.

Quadam die, cum populi vicinarum parochiarum monaſterium Garſtenſe ſolita deuotione cum crucibus viſitarent, & corpus Beati viri ſuis oblationibus votorumque ſolutione diligenter honorarent, affuit inter eos vna de ſtultis mulieribus, iuxta vanum, peſſimumque huius ſæculi morem, arctis ſtudioſe induta, & conſtricta veſtibus. Quæ ſancto ſepulcro à multitudine propius appulſa, nutu diuino acriter, vt infelix & indigna tali ſtatione correpta eſt. Nā ſtans ante tumbam ſubito diſruptis veſtibus, ſericiſque faſciis celeriter peſſundatis, nuda coram cunctis apparuit, corruenſque in pauimentum, proiecto ſuper eam pallio, quaſi mortua de monaſterio elata eſt. cumque diu ſic iacentem tandem aqua benedicta aſperſiſſent, ſpirare cœpit, & poſt longam moram, vix recuperatis ad pergendum viribus vlterius ſimili intentione non reditura. Quæ res magnæ deinceps fuit aduenientibus occaſio diſciplinæ, maximè fæminis, dum quæque timuit ſuæ fieri irreuerentiæ, quod huic miſeræ factum meminiſſet. XXXIII

Viſio Wolfkeri monachi.

FRATER quidam nomine Wolfkerus homo ſimplex & verax, cum quadam die ad ianuam, monaſterii foris ſederet, obfirmatis vndique diligenter oſtiis, nulloque interius exiſtente, ſicut ipſe multis iuramentis affirmare ſolet, res ei mirabilis apparuit. Nam cum ita ſedens caput ad oſtium reclinaſſet, repente multitudo puerulorum de ſepulchro ſancti viri vſque ad eum accurrens, plauſu manuum quaſi lætitiam magnam celebrabant. Quod cum aliquotiens feciſſent, intelligens homo aliquid eſſe diuini ſecreti, ſimul & horrore perfuſus ſurrexit & abiit. XXXIV

Mulier contracta ſanatur.

EADEM die mulier debilis & contracta, inceſſu pedū multis carens diebus, de territorio Hadergeſperge curru ſubuehente adducta eſt, & in monaſterium ad memoriam ſancti viri deportata. Rogat igitur acquiri ſibi ſacerdotem, Miſſamque in honorem B. Bertholdi celebrari. Intra quam Miſſam, imo ante perlectum Euangelium ſanata eſt, atque ita ad incedendum in breui conſolidatis membris reparata, vt abſq; humano adminiculo ad offerendum accederet, & de Eccleſia ad vehiculum ſuum repedaret. XXXV.

Dæmoniaca liberatur

ALIA quædam honeſtæ familiæ, & ipſa ſatis honeſta, ſi non eſſet poſſeſſa dæmone, comitantibus ſimul multis affinibus & amicis, ad ſepulcrum hominis Dei ſpe conſolationis adducta eſt. Adeſt Abbas Guntherus, noſque, & quam plures tam ſæcularium hominum, quam ſpiritualium. Allatæ ſunt cruces & reliquiæ de altari, atque inter benedictiones & exorciſmos dicta eſt etiam & letania à nobis cum magnæ intentionis deuotione, vt Dominus creaturam ſuam liberare dignaretur à tam miſerabili tyrannide inimici. Cœpit itaque vltra modum vexari, & plus ſolito crudeliſſimas adhærentis inimici ſuſtinere fatigationes, dolentibus cunctis, & pro eius ereptione inſtanter Dn̄m deprecantibus. Tenebatur vix à multis: Et hac ſola voce veniſſe ſe cōquerens audiebatur, Væ qd huc veni, Væ quid huc veni? Hoc poſtquam innumerabiliter ad caput ſancti ſepulcri vociferata eſt; opitulantibus piiſſimi patroni meritis, diſceſſit inimicus. Et, quæ ante à pluribus teneri non potuit, deſerente eam hoſte, ſtare nequaquam præualuit, ſed ſtatim collapſa eſt, atque in modum crucis ad ſanctum proſtrata gratias agens Deo, & præſenti liberatori ſuo. Tollitur ad ſidera clamor populorum, diuinam miſericordiam collaudantium, quia plures aderant, quos dies illa Dominica circa monaſterium exoccupatos tenebat. Ergo Abbas, qui eius ereptioni quantam potuit adhibuerat diligentiam, aſſidens mulieri, monuit de confeſſione: qua audita, & ei pœnitentia iniuncta, cum magno multorum gaudio dimiſit ad propria. XXXVI.

Pœna prædia Eccleſiæ iniquè poſſidentis.

MILES quidam nomine Ludouicus habitans iuxta aquam, quæ vocatur Rubeneke, prædium quoddam ſibi adiacens Garſtenſis Eccleſiæ ſuæ proprietati iniqua dominatione attraxerat: quod cum aliquamdiu diuina tuliſſet patientia, illeque tanta, vt ſtultus & inſipiens abuteretur clementia, nulla ratione volens dimittere, quod inuaſerat, percuſſus eſt paralyſi, atque diuturnæ iniectus afflictioni. Non dimiſit ille allodium, nec dimiſit eum pœnæ conterentis incommodum. Tandem, in ſe reuerſus, compulſus eſt cogitare: quia durum ſit contra ſtimulum calcitrare. Ergo vbi continuæ valetudinis adeo debilitatus eſt attritione, vt prorſus inutilis, nec ſpem vitæ vllam haberet, XXXVII.

beret; conſulentibus ſuis ad monaſterium ſe duci fecit, atque in conſpectu Abbatis Chunradi & Monachorum, publicato reato ſuo, idem prædium ſuper reliquias iuxta tumbam B. Bertholdi reſignauit, rogans cum fletu, clementer ſibi indulgere, quod tanto tempore bona præſumpſiſſet ſanctæ Mariæ violenter poſſidere. Igitur percepta ab Abbate indulgentia, ex præſentia Spiritus ſancti, & præſentium Fratrum conniuentia, poſitis ad memoriam viri Dei cum ſui penſatione oblationibus, modicaque refectione accepta, domum reductus eſt, atq; in breui ita melioratus, quod & incedendi & equitandi facultate potitus eſt.

Idem pœnitens ad ſepulchrū B. Bertholdi ſanatur.

XXXVIII. Vir quidam de Zvvetel, cuius nomen, quamuis ipſe ſe nominauerit, modo non occurrit, graui per quatuor annos deprimebatur infirmitate; nihil ſuarum rerum diſponere, imò nec de lectulo ſuo, niſi adiutus, exurgere valens. Cum ergo miſerabiliter anguſtiaretur, & iam mori magis placeret, quam tormentuoſam ducere vitam; votum fecit Deo, & B. Bertholdo, quod ſepulcrum eius cum omni deuotione viſitaret; ſi, in eius conſolatione, ſua ſancta merita commendanda declararet. Quod, vbi vouit, pietas diuina protinus affuit homini, exoptatam afferens conſolationem, atque ad voti ſui clementer dirigens perſolutionem: Nam conualuit de infirmitate, fortiſque factus, memoriam Beati Viri adiit, & quæ ſibi ſanctus feciſſet bona, Cuſtodi Eccleſiæ, & aliis, qui præſentes erant, retulit. Igitur poſita oblatione reuerſus eſt cum lætitia cordis & exultatione. Miſer, inquiens, fui & miſerabilis; nunc, potens ſum & fortis.

Ægrotus ſanatur.

XXXIX. Miles quidam in Valle Aneſi grauiter ægrotabat. Iſte, ob ſalutis deſiderium votum fecit ad B. Bertholdum. Statim ſalutem conſecutus eſt; ſed immemor ſponſionis, imò oblitus fidei, & benefici conſolatoris, quod promiſit, mentitus eſt. Secuta eſt ergo vltio digna recidiuæ infirmitatis, infidelitatis arguens miſerum: Et, quod nemo mentiri Deo debeat maniſeſtè oculis eius anteponens. Rediit ergo præuaricator ad cor: & audiens Guntherum Abbatem ad eaſdem deueniſſe partes, vt ſe viſitare dignaretur, ſtudioſe per nuncium exorauit. Confeſſus eſt ergo reatum ſuum; iterumque ſi ſanitati redderetur, memoriam S. Patris ſe deuotiſſimè experiturum promiſit. Miſit etiam per eundem Patrem, quos ante promiſerat denarios, obnixè poſtulans, quatenus ſuæ anxietatis clementer memor eſſe dignaretur. Reuerſus domum Abbas, oblationem infirmi ſuper ſepulcrum viri Dei poſuit, cauſamque fratribus exponens, vt ægrotum orationibus adiuuarent, admonuit. Poſt aliquot dies venit idem miles, non iam infirmus, ſed melioratus & ſanus, proſtratusq; ſancto Dei gratias egit paternæ eius miſerationi.

Pœna votum non ſoluentis.

XL. Nec ſilenter prætereundum, qualem vir Domini Abbati Chremſmünſter Domino Oudalrico in ſua infirmitate exhibuerit gratiæ dignationem. Nam cum adhuc in Garſtenſi Cœnobio, antequam in fratrem aſſumeretur, ſub Abbate militaret: quadam die de refectorio exiens, de gradibus eius improuiſe corruit, non quidem alto caſu, graui tamen & periculoſo. quia, talo de loco ſuo moto, tam grauiter dolere cœpit, quod non niſi deportatus inde abſcedere potuit. quem caſum tumor protinus ſecutus, multis diebus viro inceſſum negauit. ſed, cum mœrore pariter & dolore deficeret; & neque minutionibus neque medicamentis proficeret ad reparationem, dixit ad ſemetipſum. Nonne apud ſepulcrum Domini & patrui mei frequenter experti ſunt infirmi, quantum honorandus ſit, quantumque de eius ſancta dulcedine præſumendum? Quare ergo negligo me ipſum? quare ibi, ſicut cæteri, non quæro conſolationis auxilium? Forte mihi & hoc ſpecialiter apud eius valebit miſericordiam, quod patruus meus eſt; quod me à puero in ſpiritalibus ſtudiis educatum, ſingulari & vnica pietate fouere conſueuerat. Hæc ſecum voluens; ſtatimque pro quærenda apud ſancta eius oſſa ſuffragio baculis ſuffultus exire tentauit. Veniens igitur ad limen domus, ſibique nimis altum reperiens, cum infirmum leuaret pedem, offendit ipſo limine, & iterum cecidit, iacens in eodem loco, ſui prorſus impotens, vſque dum Patres de menſa ſurgentes, inuenerunt ita iacentem, & ad lectum reportauerunt. Poſtea eodem limine vſque ſecus terram exciſo, & ad egreſſum infirmi complanato, acceſſit ad tumulum, cum difficultate tamen: poſitoque ſuper tumbam pede, cum oraſſet breuiter, virtutem ſuperni ſenſit ſolaminis, rediensque inde, & ex hoc melius habere incipiens, in breui ad inceſſum & ſalutis integritatem reformatus eſt.

Pes luxatus reſtituitur.

XLI. Accidit quoque, vt quædam mulier cæcam filiam in ſacratiſſimo die Aſſumptionis ſanctæ Mariæ ad monaſterium afferret. Cumque de memoria ſancti Patris cum eadem infantula minimè recederet; poſitiſque oblatiunculis, non ſtatim ſequeretur conſolatio, ſed aliquantulum differretur, timens mulier, ſe non exauditam, dolenſque fructu ſui priuari laboris, cum iam cogitaret abire: O, inquit, ſancte Pater, cur me miſeram de tua benignitate multum præſumentem non exaudis? Cur abire ſpe caſſata permittis? Cum multa fiducia tuæ paternæ conſolationis adueni. Et ecce plena mœroris cum confuſione reuertor. Hæc matre cum gemitu proſequente; puella miſſam manu candelam de ſepulcro tulit. Illaque interrogante, an videret, quod tenebat, benè ſe videre reſpondit. Mox ſumptam in brachia, currenſque in chorum cum lætitia, dominis publicam miſſam cantantibus cum ingenti gaudio præſentauit. Hanc, inquit, domini mei, lucis prorſus expertem huc adduxi; & ecce patrocinio ſancti Dei promerente deſiderabiliter ſua illuminatione præcordia mea lætificat. Gaudent omnes, exultant vniuerſi: magnificè de ſui patroni, beati videlicet Bertholdi, virtute & in hoc præclaro miraculo certificati. Et quia turbam multam, quæ conuenerat ad diem feſtum gratia hæc latere non poterat, vtpute in præſentia omnium exhibita, omnes ad ſua cum hoc quaſi deſiderabili ſui laboris fructu lætiſſimi remearunt.

Puella cæca videt.

XLII. Item in aſſumptione S. Dei genitricis alia mulier cum filia ferè per biennium nihil loquente, ad ſepulcrum beati viri venerandum, ſimul & pro quærenda ipſius ac ſanctiſſimæ Virginis miſericordia aduenit. Quæ, cum mutam ſuam iuxta tumbam, vt moris eſt, penſaſſet, fuſaque oratione aliquantulum differretur exauditio, tulit eam ad principale altare in honore ſacratiſſimæ Dominæ noſtræ conſecratum, ibique ſimiliter * penſatam dimiſit quaſi per horam ſuperni muneris ſolamen exſpectare. Poſt modicum, miſerante Domino, ſuamque gratiam declarante conſolata eſt puella; farique incipiens; ô, inquit, quanta hic eſt pulcritudo, quantus decor domus Dei. quod audiens de prope matertera eius; dixit matri; locutam eſſe puellam. Adſunt fratres & plures alij adhuc ſuperſtites eiuſdem miraculi non contemnendi teſtes. Mater ergo iuuenculæ, & qui ſimul aderant, gratias ſummæ referentes pietati, cum gaudio ad propria reuerſi ſunt deſiderabiliter conſolati.

* ſic quidē MS forte pauſatum.

Muta loquitur.

XLIII Tectum maioris Eccleſiæ inſtauratione opus habebat, quia, vetuſtate diſſolutum inundantiis imbrium reſiſtere non valebat. Cum ergo tegeretur, ſcala erecta erat de inferiori tabulato ad ſuperius tectum, per quam tegulæ ſurſum deferebantur. Ibi inter portantes, inimico inſidiante ſcurrilitas fomitem inuenit, vno alterum impellente, & per ſcalam deorſum currere compellente. In quo decurſu vnus eorum de ſcala ſuper tabulatum, eoque effracto deorſum ſuper nudum pauimentū ita horribiliter cecidit, vt audito à Monachis caſu, de Clauſtro in chorum currerent, & miſerum iam verſum in nigredinem, atque tumoribus inuaſum, timentes ne ſibi inter manus exſpiraret, exportarent. Et cum tanta eſſet præcipitij immanitas, vt mirum valdè videretur, quod non ſtatim mors ſecuta eſt; ita adhuc viuit incolumis, quod & omnium gaudet integritate membrorum, & tam horrendæ ruinæ omnino caret indiciis. Cui hoc adſcribendum eſt, niſi præcelſæ & incogitabili Dei genitricis pietati? ſuper nos vigilantis, ſibique ſeruientium vitam, ſalutemque negligere non valentis. Ante ipſius namque ſacroſanctum altare famulus eius, & in ipſo ſeruitio corruens meritò gratiam ſenſit protectionis, adiutus nimirum

Caſu attritus conualeſcit.

mirum & beati Capellani eius meritis in eodem monaſterio ſepulti, ſuæque virtutis potentiam multifariam declarantis.

Erat quidam ſeruus in beati viri familiari obſequio nomine Adelbertus; poſt eius obitum longo tempore in conuerſione, amiſſo oculorum lumine, ſimpliciter viuens, & de animæ ſuæ non negligenter ſalute cogitans. Iſte de beato Patre multa narratu digna ſciebat, vtpote iugiter præſens, & eius, ſicut prædictum eſt, familiariter obſequiis inhærens, ſed religioſus valdè erat, raroq; aliquid loquebatur, ſtudioſe tacebat omnia, pro eo maximè, quia, ſibi non credi formidabat, ſic enim dicebat; quia, ſi verbis eius fides adhiberetur, multa dicere poſſet, vnde audientium credulitas ad profectum vtiliter informaretur: Huius innotuit aſſertione res, quam dicturus ſum. XLIV

Solent monachi per totam æſtatem mandatum trium pauperum, quotidie poſt cœnam cum pedum manuumque lauatione, atque eleemoſynæ erogatione celebrare. Ad quam, quamuis ipſe Pater ex conſuetudine & auctoritate Ordinis ſemper Dominicis diebus adnotaretur, tamen aſſiduè ob amorem eiuſdem officij ad titulatum præueniebat ſacerdotem. Obſeruabat enim ex induſtria eam horam, qua fieri debebat, ſi fortè ſacerdos ille vel negligentia, vel neceſſitate tardaret: & ſic nacta occaſione, ipſe mandatum illud ſumma celebrabat deuotione. Multotiens enim præſentem piè violenter excludens, pietatis opere ſancta deſideria excolebar. Accidit ergo quadam die, vt more ſolito adueniens, illos tres panes non inueniret, reliquo apparatu ad plenum appoſito. Requirens autem cur panes deeſſent, audiuit nullum eſſe in promptu, ſed nec alibi quidem poſſe quenquam reperiri. Iuſſit afferri celeriter panes; quæſitumque eſt diligenter in ſcrinio, vbi reponi conſueuerant, cum fuſcinula, quæ ibi continuè iacebat, & nihil inuentum. Et cum hoc etiam ſecundò feciſſent, dolens ſanctus Pater opus illud miſericordiæ ita remanere imperfectum, tertiò miſit, & ſibi tres panes deferri præcepit. Tunc ibi inuenti ſunt, vbi primitus diligenter quæſiti, inueniri non potuerunt, quia re vera nec aderant. ſi enim præſto fuiſſent, procul dubio inuenti fuiſſent; ſed, nunc per Dei omnipotentiam, ne dilectus ſuus contriſtaretur; aut pietatis & in hoc opere fructu priuaretur, miſericorditer ſimul ac mirabiliter ſunt prouiſi. XLV.

Panes reperiuntur diuinitus concessi.

Nec abs re videri debet, ſi poſt deſcriptionem miraculorum, quæ apud ſepulcrum eius facta ſunt, nunc ea, quæ viuens egit, inſero narrationi, quoniam ſicut diuerſæ ſunt perſonæ, à quibus hæc mihi comperta ſunt; ita etiam neceſſe fuit ſingula ſcribere, prout quemque eorum potui ad interrogandum conuenire. Nec verò multum intereſt, quo ſcribantur ordine ſancti geſta Patris; de quibus ad hoc ſolum me intromiſi, ne tacerentur. Vir quidam nobilis & diues nomine Wolricus de Bernecke, audiens hominem Dei eſſe apud Kotvvicum, miſit ad eum, vt ad ſe venire dignaretur. Qui, licet infirmus eſſet aliquantum, profectus eſt tamen, ne tantus vir ſua ſpe fruſtraretur. Veniens ergo inuenit in domo viri duodecim dominas muliebri ornatu ad placendum ſæculo, & ſuo temporali domino ſatis ambitioſe compoſitas, quarum ſingulas, quia coniux obierat, ſuo lecto vir ille pro libitu adeſſe ſemper præcipiebat. Quibus vir Domini viſis, auditoque ab ipſo hoſpite, quæ eſſent, &, qua de cauſa ſecum morarentur: quamuis eſſet glorioſus & magnæ potentiæ, accepit tamen in reſponſo, quæ dignus fuit audire. Increpauit enim eum vir ſanctus vehementer ſuper tanta incontinentia: ſpem ſalutis ei omnem amputans, ſi talem eum vltima inueniret ſententia. Porro illis ſimiliter talem vitam certæ perditionis fore cauſam prædixit: eiſque, ne vltrà ad eum accederent, ſub interminatione grauis vltionis interdixit. ſed vir ille, licet eandem intemperantiam erga Beatum virum denotaſſet; tamen ipſa nocte vnam illarum ſibi adeſſe præcepit. Quæ vadens, media via ſubſtitit; vlterius progredi diuina virtute prohibita, & ſanctitate, vt credimus, mundi hoſpitis prohibita. Interrogata ergo ſequenti die à Viro; cur, ſicut iuſſerat, non veniſſet? dixit, ita ſe in eundo ſubito fixam hæſiſſe, ac ſi forti ligamine accepto reſtringeretur. Tunc intellexit, tantum miraculum ex Beati viri prouenіſſe præſentia, quodque ſuorum deſideriorum, conſequi, ipſo præſente non potuiſſet effectum. Cœpit igitur plus ſolito ſanctum virum venerari, & iam credere, vera eſſe de illo, de quibus antea dubitauerat; repudiataque illa mulierum multitudine, vnam duxit legitimam, cum qua reliquum vitæ ſuæ ſine diſcrimine clauſit compendium. XLVI

Concubinatium corripit B. Bertholdus.

Svb eodem tempore à Comitiſſa de Wilperga inuitatus eſt, quia Comes nuper obierat; vt animam eius, & ſeipſam, quoniam prægnans erat, ſuis orationibus commendaret. Erat autem in acceſſu Caſtri fons muro contiguus magnæ amplitudinis & amœnitatis, delectabilisque ad bibendum: De quo vir Domini ſibi ad menſam afferri rogauit. Cum ergo bibiſſet, & ante ſe poſuiſſet, Comitiſſa dixit; ſi cum gratia ipſius potuiſſet fieri, cum eo, de potu ſuo biberet. Quod, cum benigne annuiſſet, bibit illa, non, quam ille guſtauerat aquam, ſed elegantiſſimum vinum. Tacuit, & ante ſeruum Domini vas repoſitum eſt. Et cum iteratò bibere volens inueniſſet vinum, noluit vltra tangere, ſed redditum eſt Comitiſſæ; & illa, miſit cuidam coram ſe diſcumbenti inter cæteros præcipuo. Cumque per ordinem bibiſſent, & omnes ſtudioſe tacuiſſent, nouiſſimè cuidam cæco porrectum eſt; ſed & ille tacens ductori ſuo præbuit. Tunc ab illo exclamatum eſt, eſſe optimum vinum, quod de terra vnquam virtus diuina produxerit. Ibi, ſi accipere voluiſſet, multis donis ditatus rediſſet, ſed ea ſolummodò accepit, quæ poſtera die in Miſſæ celebratione oblata ſunt; &, quæ Comitiſſa pro ſalute animæ viri ſui conferre curauit. Ab his ergo ibi multorum confeſſionibus, eiſque in orationes, & fraternitate ſuſceptis, non ſine magna ædificationis lætitia dimiſſus eſt. XLVII

Aqua in vinum [illegible] conuertitur.

Erat Marchioni Orientali Luipoldo Præpoſitus nomine Anſelmus, vir magnarum opum & amplæ poſſeſſionis, ſed tam plenus vitiis, quam diuitiis. Hic, cum Præpoſituram multis adminiſtraſſet (*annis), percuſſus eſt Paralyſi, vna parte corporis totus factus inualidus. Sed quamuis iam alter idem ageret officium, iſte tamen ad reſignandum nulla potuit ratione conuinci. Rogatus eſt ergo ſanctus Pater ab ipſo Marchione, vt ægrum viſitaret, & ei ſalutis dare conſilium dignaretur. Perrexit; ſed miſerum ad reatus ſui cognitionem, vel reſignationem culpabilis officij, nullo ingenio conuertere potuit. Cum ergo, nocte ſuperueniente, omnes ſe quieti dediſſent, viro Dei deorſum in Caminata cum Monachis ſuis iacente; militibus verò, qui in eius comitatu erant, ſurſum in ſolario dormientibus, ecce cati diuerſi coloris & magnitudinis ita idem repleuêre ſolarium, quod poſſe ſubſiſtere non ſperabatur. Quorum quatuor vnum de militibus, vocabulo Ourinch, aliquantulum iocundum, atque mirabilem, & poſt ſatietatem oblitum ſe ſignare, inuadentes, de loco ſuo in alium traxerunt, nihil omnino dicere, nec mouere ſe valentem: niſi quod tantummodò Crucem ſibi lingua in palato formauit, ſicut audierat fieri debere in huiuſmodi monſtruoſis dæmonum ludibriis. Et ita dimiſſus eſt vix ſpirans præ timore, ſudoreque perfuſus. Verum vnus de omnibus ſpecie aſpidis aſſumpta, deorſum ad ſanctum virum deſcendit, & latinis verbis cum eo loqui incipiens, huiuſmodi aduerſus eum querela vſus eſt. Quid, inquit, tu hic facis? aut, quæ tibi cum meis rebus ſocietas? Nonne domus hæc condita eſt apud me & ſignata in theſauris meis? Vnde igitur tibi habitare in ea? Recede hinc, & vlterius, quæ noſtræ partis ſunt, occupare caueto, ne totis tibi viribus aduerſemur, facereque, quod non cupis, compellamur, quemadmodum vni tuorum modo fecimus, peiora propter tuam præſentiam differentes. Aderat autem ibi quidam Monachus nomine Fridericus, qui de Garſtenſi monaſterio receſſerat, atque illuc ſeruo Domini occurrens, ea nocte cum ipſo pernoctabat. Iſte vigilans illam diaboli cum Beato viro audiuit altercationem: Et poſtea inde recedentibus, narrauit omnia per ordinem. XLVIII.

** in MS. deſiderabatur.*

Igitur

Igitur vir Dei præcepit immundo ſpiritui illam quantocyus deſerere habitationẽ, &, ne quid læſionis cuiquam inferre pſumeret, potẽti auctoritate imperauit. Tibi, inquit, cedere, & de loco iſto modò recedere Dei tui nos fortitudo, tuæque magnitudo ſanctitatis compellit: ſed, te diſcedente, nos hic potentes eſſe conſtabit. Ilico diſparuit illa infernalium canum infelix aggregatio, monachi minime dormientis, nec non & militis ſeorſum iacentis comprobata teſtimonio. Die itaque inſecuta, cum ſermo eius in Præpoſito illo non caperet, ad recedendum inde cum celeritate ſuos cœpit inſtigare; à quibus vix, dum cibum ſumpſiſſent, compulſus eſt exſpectare. Poſt non multum tempus Præpoſitum illum præpoſitura ſua deſeruit, quamuis ipſe eam deſerere noluiſſet. Et cum in vas eum poſuiſſent ad ſepulturam deducendum, tam immenſos dedit illud vas crepitus, ac ſi motibus introrſum iacentis ita crepare cogeretur.

Diaboli præſtigias pellit. Nota de Præpoſito maleuitæ, nec Præpoſiturâ reſignante.

XLIX. QVOTIESCVNQVE vir ſanctus, vigente aliqua neceſſitate, opus habebat foras exiens externas agere cauſas, raro aut nunquam pro velle ſuo redire ad monaſterium potuit; ſed ſemper diutius, quam vellet, extra morari compellebatur. Tanta fuit inuitantium inſtantia, tantus amor videre cupientium: tenebatur autem maxime ſpiritali occupatione, dum ſe quiſque infelicem reputaret, ſi eius non audiſſet conſilium, ſuam ei confeſſionem non feciſſet. Rediens igitur ad clauſtrum, donaria, quibus ab inuitantibus fuerat honoratus, ſemper omnia in Capitulo Fratribus præſentabat; memorans his eos ab amicis & fidelibus viſitatos, quibus deberent orationibus & ſeruitiis fideliter & infatigabiliter reſpondere. Erant vero tot & tanta, quæ frequenter afferebat, quod ex eis multum emolumenti ſingulis obedientiis conferebat. In quorum præſentatione, vel diuiſione, ſiue quotiens largientium recordari opportunitas monebat, mirum dictu, ita cunctorum nomina, quantacunque eſſent, memorabat, ac ſi coram ſe forent vniuerſa conſcripta. Porro pauperum inter hæc minime obliuiſcebatur, ſuam illis partem clementer excipiens ſibi in futuro centupliciter multiplicandam.

L. QVADAM die dum iter ageret, obuiauerunt ei multi peregrini, omnes nudis incedentes pedibus, quanquam immenſis vniuerſa replerentur niuibus. Quibus cum ſigillatim dare nummos iuſſiſſet, & eos diuinæ protectioni cum magna dulcedine commendaſſet, vnus ex illis tanta animatus pietate, manum debilem, multis diebus prorſus inutilem ei obtulit benedicendam, ſpem habens magnam recipiendæ ſalutis, ſi eius adtactibus ſanctis fuiſſet attrectata. Tum ſanctus; vtinam, inquit, bone vir, tibi vtile eſſet, quam libenter facerem, quod petis. Accipienſque manũ illius benedicere & tractare benignissime cœpit; extemploque ſanata eſt, cunctis, qui aderant, cauſa admirationis & exultationis effecta.

Sanat benedictione ſua manum aridam.

LI. MILES quidam nomine Tyemo de Honeſtetin filiam dæmone vexante cunctis lamentabilem propinquis (habebat.) Hanc cum multi liberare conarentur, ſed minime valerent, dicente dæmone, nullam ſibi de eis curam eſſe, ſolum Bertholdum de Garſte plus omnibus valere. Hic niſi veniret, locum ſuum propter nullum deſereret: venire eò vir ſanctus, Patre diligenter ſimpliciterque inuitante, dignatus eſt. Pro quo, cum miſiſſet, cœpit illa Patri quaſi fraudem improperare, dicens; Infideliter mecum egiſti, quod pro illo, qui mihi non placet, miſiſti. Et alia ſimilia exprobrans, timorem, quem de aduentu Sancti habebat, celare non potuit. Veniens ergo, malignum ab ea ſpiritum ſine dilatione eiiciens, gaudium quidem magnum parentibus illius & amicis fecit; ſibimet vero tantus miraculorum virtutibus cauſam operatus eſt benedicibilis memoriæ, & perpetuæ venerationis, iuxta quod ſcriptum eſt; Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Quæ verba, quam apte, imo, quam ſpecialiter huic Beato viro conueniant, non eſt neceſſe ſcribendo comprobare, cum profecto id tota patria clamet, omnis circumpoſitæ regionis frequentia aſſiduis accurſibus, apud eius ſepulcrum ſoleat declarare. Sicut enim viuens in corpore frequentabatur ab omnibus, inuitabatur à multis, adeo, vt etiam Regis Chuonradi eſſet ſpecialis Confeſſor & carus amicus; quod & munerum, prædiorumque comprobauit largitionibus: ita quoque adhuc indeſinenter iuxta ſancta eius oſſa multis fidelium demonſtratur excubiis, quantum diligatur, quantaq; dignus ſit veneratione, cuius ſic viuit memoria in benedictione. Conſtat autẽ, & omnino caret dubitatione, quod nequaquam ita amaretur ab hominibus, niſi etiam omnipotentis Dei eſſet felix dilectione: Dicatur ergo recte de eo; Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Vere in benedictione eius memoria, dum à fidelibus benedicitur Deus, qui ſimilem illum fecit in gloria ſanctorum, dum ipſis ſuis veneratoribus inſuperabilis datur cœleſti benedictione contra inimicos potentia.

Dæmonem ex puella expellit. Eccleſ. 45.

B. Bertholdus confeſſarius Cunradi Imp.

LII. PERGEBAT vir Domini verſus Medelik orandi gratia, vt B. Cholomanni veneraretur merita, & imploraret ſuffragia. In quo itinere, cum hoſpitio indigeret, miſit nuntium ſuum ad quendam magnæ ſtrenuitatis & libertatis virum, qui vocabatur Meginhardus, rogans ſibi, ſuoque comitatui curam hoſpitalitatis ea nocte exhibere. Quod cum ille optime accepiſſet: (quis enim de eius ſuſceptione non ſe exiſtimaret felicem, dignumque benedictione?) intrauit in domum viri, & cum lætitia magna ſuſceptus eſt. Ibi venit ante eum pauper quidam contracto pede debilis, baculo ſuſtentante vix incedens, ſperans ſe aliquid accepturum ab eo. Quem videns homo Dei miſericordia motus ſuper illum, cœpit cum illo de eadem eius loqui infirmitate. Cur, inquiens, bone vir, non quæritis à Deo opem veſtræ debilitatis? Accedite mane ad altare, quando miſſã celebraturus ſum, & penſate vos ibi, vt moris eſt, & permittite vos aſpergi aqua benedicta: fortè diuina miſericordia magnificabitur in conſolatione veſtra. Ita factum eſt: Vbi mane venientem ſanctus vir ægrum benedixit, & aqua benedicta aſperſit, ilico ſanus effectus eſt, erectoq; pede incolumis & lætus de Eccleſia progreditur.

Claudum benedicens ſanat.

LIII. ERAT apud Woluaren quidam ruſticus liber homo Rudolphus nomine; qui tanta inſania arreptus, vt affines eius, vxorem & liberos prædicti Ruſtici cuſtodirent, ne ab eo interimerentur. Hic, per abrupta montium, per concaua ac deuia ſyluarum die noctuq; laborans non quieſcebat, niſi vbi eum laſſitudo corporis quieſcere coegiſſet. Contigit autem hunc quadam nocte cum ſeruis Domini Marquardi bonorum omnium memoria digni, tunc Glunicenſis Cœnobii Abbatis, ſed poſtmodum in Garſten in Patrem aſſumpti, vigilias noctis ſuper equos iam præfati patris agentibus manere. Qui ſerui, propter timores nocturnos, & inſanum pariter commanentem, terminum in modum coronæ ſibi circumdabant: quem terminum, ſigno ſanctæ Crucis diligentius ſignabant. Et ecce intempeſta nocte canes teterrimi veniebant latratuſque magnos in locum ſignatum dabant; ſed minime terminũ tranſgredi præſumebant. Seruis vero hæc aſpicientibus, & finem rei præſtolantibus; ille, ab eis ſaliens, circulum ſignatũ tranſgreſſus eſt; ac ab eiſdem infernalium Canum aggregationibus in morem leporis, vel alius feræ, infeſtatus eſt. Hanc infeſtationem ipſi in tantum audierunt, quantum longitudo terræ audire eos conceſſit. Die itaque inſecuta Cellerarius prætaxati videlicet Glunicenſis Cœnobii, cauſa curæ ſibi creditæ, ſummo diluculo clauſtrũ egreſſus eſt; ipſum inſanum, arboremque ſpinæ proceræ ſtaturæ, quam ſecum demens ille aſportauerat, pro foribus inuenit. Quẽ miſer intuens ac ſalutans; ſalutatoq; eo, ait; O Domine Cellerari, ſupſedete equo iſti: quia, omni lenitati aptus eſt. Iterũ inquit: Eia, quantos equos indomitos ego cuſtodiui in hac nocte? ſi vobis placet, dabo vobis duos; ſed nulli licet hoc ſcire pter nos. Quod munus Cellerarius renuit; eumq; pranſũ ire iuſſit. Inſaniã. n. eius oẽs timebãt; & ideo eũ oẽs repellebant, ſed ipſe, licet inſanus, neceſſitatẽ tñ corporis cõpulſus patrẽ, ſicut oẽs egẽtes, ita & ipſe ſine intermiſſione adiuit. Idem iterũ inſanus vna nocte in domum cuiuſdam ciuis regionis illius intrauit, & apud eum per

litus animis fidei ſanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiuerunt: ſed corde ſemper Chriſtianiſmum ſuum retentans, cum ad ſolam deriſionem [a] meditationi periturarũ inſiſteret literarum, eo amplius in amorem Chriſtianæ fidei exardeſcebat, quo liquidius deliramenta peruerſi dogmatis probans, ſubtilem dæmonioſi illius fallaciam aduertebat. Et cum non poſſet publice cultum fidei gerere, vbiq; tamen Dei ſacerdotibus ſeſe commendans, pro ſe efficacius exorari poſcebat.

a Studio.

II. INTEREA prouehitur in annis iuuenilibus ſtrenuus adoleſcens, & florentibus genis virili facies exornatur decore. Hinc adhortatione affinium condignum ſuæ nobilitati connubium appetere cogitur. Hinc vnuſquiſq; ſuorum, prout nouerat, illius, vel illius optimam eſſe ſobolem aſſerebat: ipſe autem interius aliter ruminans, Chriſto ſui connubii negotium committebat, crebris interuentibus precum cœleſte numen exorans, vt talibus præpollens votis coniux ſibi daretur, quæ ſecretum ſuum in melius proficere contenderet, faueretq; mente & corpore cultori latenti. Cuius fauore tandem adiutus reperit honeſto germine virginem conſtipatam, rebus inclytam, moribus comptam, ſpecieq; pulcherrimam. Quæ cum præcipuo venuſtatis habitu extrinſecus decoraretur, præſtantius tamen interius ſpiritali enitebat decore. Quia omnis gloria filiæ regis ab intus, id eſt in penetralibus mentis. Ibi enim ſanctitate, in fimbriis aureis varietate ſcilicet amicta virtutum [b] Chriſto regi placitum exhibebat famulatum. Hæc namque puella parentibus paganis progenita, adhuc cunabulis incubans, patre orbata eſt. Cuius genitrix alium virum ducens, qui fidem Chriſti occulte retinebat, coniugem impietatis errore extirpans, priuignam Chriſto aſſignare ſtuduit, eamque ex ſacramento Baptiſmatis [b] Sabigotho appellans: licet publice paganis admiſcerentur, geſtabant vero animo firmiori vtriq; pietatis religionem. Hanc ſibi puellam venerabilis iuuenis iure [c] coniugalitatis aſciſcens, completis ſponſalium titulis, arrarumq; pignore alternanti in inuicem exhibitione contradita legitima, ad vltimum miniſterio ſacerdotum ex more ſacrantur, ſicq; pari commercio aliquo tempore clancule fidem Chriſti gerentes, non omnibus arcanum ſuæ fidei reuelabant carnis infirmitate depreſſi, non diminutione vtiq; voti.

Pſalm. 44.

b Matrimonii inter virum & vxorẽ alterius religionis.

b alii Natalĩ appellant.

c Sabigotho Aurelii vxor.

III. FVIT autem beato Aurelio proximus genere vir quidam nomine [d] Felix, ſancta inſuper eidem dilectione connexus, qui occaſione diaboli in fide vacillans, cum poſtea lapſum præuaricationis ſuæ altius ſuſpiraret, vltra non potuit patulo congreſſu religionem Chriſti exercere. Qui & ipſe filiam occultorum Chriſtianorum nomine [e] Lilioſam in coniugem ducens, Chriſtum in abditis tectius excolebat. Quapropter inconuulſibiliter inuicem adhærentes, ſemper vnam habuere familiaritatem, eandem geſſerunt dulcedinem, nec proſperis, nec aduerſis caſibus ſe diſparantes, idem illis extitit affectus: tantaque illa pietatis neceſſitas in vtroq; fratre perfectionem contulit charitatis, vt nec vita, nec morte diuiderentur, quos par religionis occaſio glomerauerat, de quibus merito enarrandum eſt: Sancti, amabiles, & decori, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe inuicem, ita & in morte non ſunt diuiſi. Exactis igitur non plurimis annis accidit, vt eo die in forũ proficiſceretur Aurelius venerabilis, quo Ioannes ille (cuius in priori libro meminimus) odio nominis Chriſti vſq; ad necem verberibus cruentatus, retrorſum aſello euectus, immenſoq; vinculorum pondere coarctatus, vt in parte [f] ſtramentum reclinaretur iumenti, qua eius crura pendebant, præcedentibus illuſorum præconibus, totam circumeundo vrbem ſatellitum miniſterio ad ſpectaculum vulgi pertractus eſt. Et cum hinc inde voces exprobrantium reſultarent, dicentes, nullatenus dignam ſui ſceleris pœnam eundem adhuc perſoluiſſe, quippe quem tantæ reuerentiæ [g] vatem ſubſannatione impetere non verentem, plectendum potius morte turpiſſima congruebat.

d Felix Aurelii propinquus.

e Lilioſa Felicis vxor.

2. Regum 1.

Ioannes confeſſor.

f Significat pondere ea tenarũ aſini clitellas ſubuertas & deiectas, ita vt in caudã deflueteni.

IV. EXTEMPLO futurus belliger amore compunctus martyrii, cœleſti quodammodo flamine aſpiratur, vt illud pro ſe fieri ſpectaculum crederet, cauſaq; admonitionis ſibi fuiſſe oſtenſum, ne ſcilicet formidare deberet eos, qui corpora trucidant, cum nihil anxietatis animabus poſſint inferre, ſed illum potius pertimeſceret, qui poteſt corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Cuius [h] fidei ſtabilitatem admirans: vere, inquit, ſuper angelicam petram tabernaculum credulitatis huius viri fundatum eſt, quod tanta vis tormentorum non impulit, nec labilium pœnarum aura concuſſit. Quod ſi qui vexillum Chriſti reuelatis gerit aſpectibus, tot feria cruciamenta zelo Redemptoris ſuſtinuit, cum vtique cladem illius ſupplicii præuaricando poſſet euadere: & melius carnis ſuæ iacturam, quam perniciem animæ iudicans, non ſe paſſus eſt ſub vnius vocis articulo à Chriſti religione abſtrahere: quibus me ego dignum conuitiis credam erudiendum, vel quo me arguendum ſupplicio debeo tradere, vt vigorem illius damnati, quem hodie intuitus ſum, capiam, fruarq; conſtantia? Hæc, dum crebreſcentibus ſupernis iam vocationis ſuſpiriis, ruminare animo cœpiſſet, regreſſus domum retulit piæ ſodali cuncta, quæ viderat, lætoq; ſpiritu addit. Tu ſemper dulciſſima coniux, cum ego mihimet viuerem, & Deo mortuus eſſem, ſedulo me adhortata ad confeſſionem trahebas: inſtabas quotidie me ſæculi voluptatibus nitens auellere: tenebroſis mundi affectibus felicitatem æterni regni præferebas, labentia cuncta, & omne quod fine arctatur, ſuadebas relinquere: prædicabas monachos, mundum renuntiantes laudabas religioſarumq; conuerſationem oblectans, vitam ſæpius ſuſpirabas ſanctorum. Sed ego necdum ſupernæ gratiæ compunctione luſtratus, omnino ſalutaribus non poteram acquieſcere hortamentis, aut forte correctionis meæ præfinitam à Deo patre nondum inſiſtens admonitionem, differebam operibus exequi, quod, licet tenuiter, animo meditabar. Ecce iam nunc, chariſſima, tempus acceptabile venit: adſunt dies ſalutis, in quibus à retroactis, & exterioribus reſilientes, in id quod inane eſt, nos extendamus. Et primo omnium munditiæ, & continentiæ perfectius ſtudentes, vacemus orationi, quo facilius ad reliqua ſanctitatis induſtria properemus. Fiat nunc ſoror, quæ extitit coniux: in affectu germanitatis thorus noſtræ coniunctionis pertranſeat: proficiant ſoboles animarum: ſubcreſcat ſpiritualium generatio, & ſpreta glutinatione membrorum cœnoſa, nouerit mens præſtantius (adempta carnis delectatione) perpetuæ incolumitatis producere germina. Vt quoquo modo condigni martyrii præmio habeamur talium meditatione laborum.

ita Ambr. Morales ad hũc locum

g Mahometi dicit.

h Aurelius viſo ſpectaculo agonis prædicti Ioannis, animatur ad pœnitentiã & martyriũ.

2. Cor. 6.

Is poſtea cũ ſua cõiuge viuit continenter.

V. SVSCIPIT lætantibus animis venerabilis mulier pium viri conſultum, gaudenſq; multipliciter in ſubitatione inſperatæ ſalutis, hæc eſt (ait) immutatio dexteræ altiſſimi: hæc ſunt iam noſtræ vocationis auſpicia: hæc ſunt, quæ ſemper optabam, æterni regis commercia; vt carne morientes, viuamus ſpiritu, quo illi facilius vniamur, de quo ſcriptum eſt: Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Quamobrem, Domine mi, quia hoc tibi non humanitus reuelatum eſt, ſed pater cœleſtis te olim ad æternum præſcriptum militiam, concitis vultiã greſſibus properare: cunctis nos vinculis abſoluamur, excutiamur à puluere, deſiderio vitæ perennis ſurgamus. Fit itaque vtrorumq; communis in Dei ſeruitute aſſenſus. Diuiduntur cubilibus: votis conciliantur. Præfulgent lectuli fulcra veſtium, colorumq; varietate, qua ſuam conuerſationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi ſuper ſtructum [g] crudo latere thorum hiſpidis tantummodo inſtructum ciliciis [h] diſpares incubabant.

Sapient. 5.

Ioan. 4.

g Hiſpaniſmus, pro; nullo ſtragulo aut veſte ſtrato.

h Seorſum, alter ab altero.

VI. IEIVNABANT ſæpe: ſine intermiſſione orabant, & quoſcunq; nouerãt pſalmos, noctu meditabantur. Vincebant tenebrarum chaos interiecto vigiliarũ labore, omnemq; dæmoniorum fraudẽ talibus euincebant ſtudiis. Miniſtrabant egenis: curã pauperũ omnino gerebant. Et quoniã adhuc iam dictus Ioannes carcere detinebatur, nos quoq; ex antro educti his vinculis detinebamur: vtraq; etiam virgo, Maria ſcilicet & Flora, tunc fœminarũ latibulis cauſa fidei incolebant: aderat frequens eorũ erga compeditos diſcurſus, ex eo videlicet tẽpore quo beatus Iſaac monachus, ſeu cæteri ſancti

Ioannes cõfeſſor.

Maria & Flora Mart.

Iſaac martyr.

quentes, totum aliud ſtipendiis applicant egenorum. Virorum ac mulierum viſitant monaſteria, præcipue tamen Tabanenſe cœnobium, quia ſummis monaſticæ regulis diſciplinæ cunctum honeſtæ famæ rumoribus illuſtrabat Occiduum. Inde athletæ fortiſſimi hauriunt documentum: inde inſtituta percipiunt: ibi ſe poculo vitæ perennis ingurgitant. Ibi ſanctiſſima Sabigotho frequenter cum ancillis Dei moratur: diſcit ibi totius ſancti timoris induſtriam. Ibi geminum pignus ſub beatarum tutela conſtituunt. O ſtupenda mundi renunciatio, & admirabilis ardor diuinus, quo filiorum affectus reſpuitur: quo opum affluentiæ repugnatur: quo proximorum dulcedo refellitur: quo mors pro vita eligitur: quo labentia cuncta contemnuntur: quo intuitu æternæ felicitatis vincla, cædes, cruces, carceres, verbera & tormenta pro ſummis habentur deliciis. Vna ſiquidem filiarum octennio, luſtro altera ducebatur. E quibus ego poſt necem parentum minorem reperiens, vix tenerrimo ore facundiam exprimens, me infantiſſime adhortatur, vt genitorum geſta ſcriberem, proderem actus, elucubrarem trophæa. Et cum propter hoc quid ab ea beneficii præſtolarer, exquirerem (mira dicturus ſum, tantillam ætatem talia quiuiſſe in promptu aduertere, niſi forte credendum ſit, quod ab illo imbuebatur interius, qui ex ore infantium, & lactentium perficit laudem ſuam) impetrabo (inquit) pater tibi à Domino Paradiſum.

Tabanenſe cœnobiũ.

Aurelii filiæ infantes.

Pſalm 8.

Diuinũ infantulæ ad D. Eulogiũ reſponſum.

VERVM quia competenti occaſione gratia differendi paruitatem infantularum, paululum ab ordine directo receſſimus, quorem ſcilicet poſt nouenum martyrii eorum menſem patratam ſubiungeremus: nunc ærumnoſæ & ſub mundanis adhuc moleſtiis laboranti inſeruimus hiſtoriæ. Non nos obinde fraterna infamare debet reprehenſio, vnde culpabiles argui non veremur à Domino. Nec obſtat vltimo, an priori, medioue loco veritas differatur, quandoquidem veritatis aſſertor nullatenus benedictione priuatur. Idcirco è veſtigio repedantes, ad reliqua beatorum ſtudioſius geſta referenda curramus. Cum ergo intenti cœleſtibus, omni tempore vigiliis, orationibus, eleemoſynis, & ieiuniis incumberent: (frequenter tamen ſuperno ſydere in cubiculo ſuo, quo iſta meditabantur, reſperſi ſunt, adeo vt illapſum iubar æthereum omnem præſentis ſpeciem luminaris interpollans, horridum eſſe chaos ſui comparatione autumari compelleret) diuinis ſæpe reuelationibus eriguntur: fruuntur colloquiis Angelorum: lætitia cœlicolis mente & ſpiritu adunati, non ſine graui moleſtia corporale onus ferebant. Quodam namque die, cum atrium ſereniſſimi præceptoris noſtri Aluari, toto in ſcripturarum ſcientia Occiduo laudati, gratia † collationis mutuæ, noſtraque alternanti propoſitione mentem erudiendi in ſcripturarum problematibus, petiuiſſem: reperi coram eo militem Chriſti Aurelium, conſultum agonizandi quærentem, & quatenus arriperet martyriale auſpicium implorantem. Quem idem Doctor egregius, & temporis noſtri fons ſapientiæ profluus, Patrum exemplis inſtituens, iubet primo conſtantiæ vires perpendere, ſecretum ſuum aduertere: conſiderare arcanum: & vtrum imminentia magis noſſet ferre, quam declinare ſupplicia, vltimo excepturus delicatis ceruicibus gladium. Et ſi magis merita martyrum adipiſci, quam vocari martyr contenderet. Et ſi magis terris ignotus florentibus cœlo meritis catalogo electorum ſeſe affectaret deſcribi, quam in ſupernis diminuto præmio, famoſum temporalis martyrii anhelaret nomen habere. Tunc ille, ſe vſque ad mortem dimicaturum ſpondens, nulla prorſus vi tormentorum intentionem ſuam ſuperandã eſſe fatetur. Mihi, mihi, inquit, maximum vitæ ſolatium Chriſtus eſt, & mori lucrum. Cui terrena conuerſatio teterrimæ noctis caligo eſt, & memoria tranſitus mundialis perpetuæ lucis odorem aſpirat. Fit commune deinceps gaudium cauſa noſtri aduentus: de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus intereſſe concilio noſtro verbum Patris altiſſimi, qui vbique nomini ſuo dicato collegio ſe illabi teſtatus eſt, dicens: Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum. Et cum plura ſuo agoni competentia referremus, idemq; gratiſſimis animis noſtrum exciperet documentum: ſatis, vt reor, collatione noſtra iuuatus, continua bella Domini initurus, ad propria regreditur. Beata vero Sabigotho nonnullis ante paſſionem diebus dum ſola domo reſideret, Chriſtumque ob perfectionem martyrii ſui, quibus poſſet † queſtibus obſecraretur: ſubito aſtare ſibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, vt putabatur, adoleſcentiæ florem gerentem. Cui cum illa diceret: Tu qui es filia? & ſi è vicino accedis, cauſas tui aduentus ediſſere. Protinus ſpectabilis virgo, ſoboles, inquit, amici veſtri Monteſis ſum, quam tu mundialibus ærumnis ſcis olim exemptam, quamque eadem hora, qua ſupremis vexabatur anguſtiis, priuſquam propius viſitares, repertiſti exanimem. Et cum te ego ſæculo pene eliminata non nouiſſem, ipſo tamen obitus mei momento quis eſſes Domino reuelante agnoui: & nunc eo mittente præmia nunciatrix palmæ tuæ acceſſi. Inſtat namque iam vobis tempus exequendæ victoriæ: adſunt dies publice profitendi fidem Catholicam, hoſtemque repellendi teterrimum. Quibus ſedatis litibus cœlorum penetralia vos coronandos adſument, perpetua deinceps pace fundatos. Igitur ſeruans cor ſuum venerabilis fœmina, ſecumque meditans eloquium adſiſtentis, confeſtim reuoluta memoria, rem geſtam agnoſcit, & priuſquam grates euangelizanti ſibi puellæ referret, labitur à conſpectu eius illa virginalis ſpecies ætheris nuncia, & præco ſui martyrii. Fit læta tali præconio: animatur cœleſti oraculo, & tanto ſpe firmiori ad prælium excitatur, quanto ſeſe patratæ actionis veritate cernit informari.

Aularũ adiit Aurelius, quẽ Eulogius, cũ eſſi diſcipulus fuerit, præceptorẽ vocat modeſtiæ cauſa, Moralez.

† Pro colloquio, aut cõuerſatione.

Ad Phil. 1.

Matth. 18.

† Pro, lamẽtationibus, aut querelis.

Monteſis filia Sabigothoni apparuit.

VERVM vt magis magiſque ſcopo prædeſtinationis ſuæ intenderent, eſſentq; non dubii de mercede repoſita, ſine vt ſanctarum virginum impleretur edictum: octonis ante ſuam captionem diebus, dudum promiſſus ille confeſſor contuberniis eorum adſciſcitur, & inconuulſibiliter his quodammodo alligatus, felici martyrio omnes ſub vno momento pariter coronantur. Idcirco congruum iudicauimus, eiuſdem monachi rationem, quia optio interceſſit, exponere, & quod vehementi admiratione ætatem noſtram eius cauſa concuſſit, ſucciduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari: vt in eo Catholicorum religioſitas incremento fidei augeatur, in quo ſui Redemptoris oraculum ſpeciali quodammodo cernit eſſe veritate impletum. Prædixerat quippe magiſter noſter & Dominus, quod multi ab Oriente & Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum. Quod teſtimonium reuelatis contuemur effectibus in ipſo monacho, atque leuita Georgio omnino perfectum. Huic rus Bethleemiticum ortum, & incolatum æthereum peregrina littora contulerunt: hic, inquam, vir vltra maria procreatus, ab adoleſcentia ſeruitute Dei oblectatur. Viginti & ſeptem annos apud monaſterium ſancti Sabbæ, quod ab Hieroſolyma in parte Auſtrali octo milliaribus diſtat, cum quingentis, (vt ipſe nobis ore ſuo profeſſus eſt,) qui in eodem cœnobio morabantur fratribus adunatus, ſub regulari magiſterio deguit. Quem venerabilis Abbas Dauid, eius aſciſterii tunc procurator, ob † ſtipendium monachorum Africam mittens, is nullo modo tot interiacentia terrarum, mariumque diſtulit ſubire diſcrimina, quibus vtique incunctanter commodum ſummæ virtutis obedientiæ nouerat prometeri. Sed cum ibidem vapulare aſperius Dei Eccleſiam incurſatione tyrannorum reperiſſet, Hiſpaniam quoque eorum, quibus miſſus fuerat, conſultu aggreditur. Erat enim, vt ipſi de eo certiſſime approbauimus, ſummæ humilitatis, magnæque abſtinentiæ vir. In omni eloquio ſuo, dicto, atque reſponſo timor Domini reſonabat: ocyus ſemper de puro cordis fonte charitatem exhauriens, fauum dilectionis promebat. Prædicabat cœleſtis deſiderii requirendam eſſe compunctionem, mortificare cum vitiis & concupiſcentiis membra iubebat, vt in aduentum Domini recidiuo virtutum animata vigore, glorioſiora cum ipſo apparerent. Ita ſobria præditus ſanctitate, iuſtus videri, vel dici nimium recuſabat, iucundus admodum, hilaris, modeſtus, & abſtinens ſic vtebatur mundo, tanquam non vteretur. Et cum forte, fraterna impetrante charitate, cibum ſumere cogeretur,

Matth 8.

Georgius monachus & Martyr.

† Victũ & eleemoſynã.

Africæ, Eccleſia D. Eulogii tẽpore afflictiſſima.

S. Georgii ſermones.

Carnis mortificatio.

tepidaba-

XVI. Vix ille ſermonem compleuerat, & iam furens dextra ſatellitum in iniuriam monachi laborabat. Quem diuerſis laceratum ſtimulis ſolo allidentes, calcibus etiam, pugniſq; acerrime tundunt. Cui cum ſancta Sabigotho (iam emortuum putans) ſurge, frater, eamus, clamaret: ille, quaſi nihil mali eſſet perpeſſus, reſpondit. Hæc omnia, ſoror, meritorum commodis proſunt, augentque coronam. Et ita, ſeminecem à terra leuantes, pari cum ſanctis ducatu iudici aſtare fecerunt. Quibus oblatis, cum primum ab eis blando affatu requireret, cuius rei cauſâ à cultu ſuo recederent? viuere recuſarent? niterenturque perdere temporalium commodum multiplici deliciarum flore vernans? quos vtique poſtmodum in futuro non ſolum muliebris oblectatio admirabilis, verumetiam dignitatum, & ferculorum copia demulcendos expectaret: protinus quaſi ex vno ore. Nulla (inquiunt) ô arbiter temporis, affluentia lucris comparatur æternis, quorum gratia hanc vitam deſpicientes per fidem Ieſu Chriſti, qua omnis ſanctitatis operator iuſtificatur, eius denique in futurum benedictionis requie; quæ ſanctis promiſſa eſt, nos potituros confidimus. Omnem vero cultum, qui à Chriſti diuinitate diſſentit, nec profitetur ſanctæ Trinitatis eſſentiam, refutat baptiſmum, infamat Chriſticolas, ſacerdotio derogat, omnino reprobum iudicamus, pro nihilo rerum labentia computantes, quæ non diu ſubſiſtunt: quæ autem diligentibus ſe Chriſtus promiſit, cum ſint ineffabilia, ſemper tamen indefeſſa iugitate perdurant, & nec oculis contemplantur, nec aure captantur, nec corde perpenduntur.

Georgius capitur, & miſere pulſatur.
Sancti Martyres præſentantur iudici.

XVII. Verum, vt credo, quiddam etiam aliud religioſius diffuſo ore ſanctis ante iudicem aſſerentibus, ſectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur iudex: rapido tractu eos carceri applicandos inſinuans, importabilium vinculorum onere aggrauari decreuit. Continuo exultantibus animis beati martyres ergaſtulum adeuntes, gaudent auſpicio paſſionis, paruipendunt ſupplicium, perſtrepunt hymnos, inſonant laudes; pſalmos perſoluunt; inſiſtunt orationi, qua fauente Domino victoriam adipiſci præualeant. Viſitantur ab Angelis; miraculis illuſtrantur; diſſiliunt vincula; & non audent reſtringere, quos Chriſtus abſoluerat. Ibi etiam, quam cœlis ſortem haberent, reuelante Deo agnoſcunt. Hinc de palma ſecuri manentes, & Chriſtum, cui fideliter ſeruierunt, cernere feſtinius anhelantes, dilatant vſque in quintum diem mortem ſuam, ſerumque putant ſe diutius elongari ab illa ſuauitate regni cœlorum, quam crebris iam corporeis † viſibus ferme intuebantur. At cum iam in forum proſternendi educerentur, venerabilis Sabigotho armare virum ſanctis alloquijs cœpit, confortat, inſtruit, & confirmat.

Sancti in carcerem miſſi.
† forte, viſibus.

XIIX. Introducuntur palatio, conſulibus adſiſtunt, adhibentur opes, exhibentur faſces, quibus, ſi crederent, fruerentur. Sed his oppidò in profeſſione ſua demorantibus lictoribus perimendos inſtituunt conſules: ſoſpitem abire ſanctum Georgium decernentes, pro eo quod ijdem ipſi optimates & priores palatij nihil conuitiorum proferentem cum aduerſus vatem ſuum audijſſent. Ille vero miniſter egregius protinus, vt ſe comperit derelinqui, nec ſub vno cum ſocijs ictu mucronis perimendum inſtitui: cur ait, ô principes de profeſſione mea, quam coram vobis non protuli, dubitatis? aut putatis me de diſcipulo Sathanæ quidquam proſperum cogitare? Ego enim, vt verius agnoſcatis illum angelum, qui eidem præceptori veſtro, transfigurando ſe in ſpiritum lucis, apparuit; dæmonem credo fuiſſe, & hunc cunctis abiectiorem hominibus adiudico, vtpote diaboli credulum, Antichriſti miniſtrum, & vitiorum omnium labyrinthum: qui non ſolum ſe voragini barathri immerſerit, verum & nos ſequipedas ſua per inania inſtituta æternis dedicarit incendijs. Tunc in inſaniam proceres concitati præualidam, vna ſimul cum cæteris ſententia necandum præcipiunt.

Georgius denuo ſe offert martyrio.

XIX. Ac ſic primo beatum Felicem, deinde ſanctum Georgium trucidantes, poſt venerabilem Linioſam, vltimò egregios Agoniſtas Aurelium & Sabigothonem interimunt, 6. Kalendas Auguſtas, Era DCCCXC. Quorum corpora noſtri Chriſtiani furantes diuerſis locis recondunt: Georgius namque cum ſancto Aurelio Pilemelarienſi cœnobio ſeruantur. Beatus Felix ſancti Chriſtophori, quæ vltra flumen eſt, aulam tuetur. Sancta Sabigotho ſanctorum trium cineribus adunata eſt. Requieſcit apud Geneſium martyrem venerabilis Linioſa. Capita vero Georgij & Sabigothonis incolunt..... Hi ſunt qui propter teſtimonium Dei, & fidem Ieſu Chriſti, vſque ad mortem certantes, nihil amori eius præpoſuerunt, non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non poſſeſſiones, non prædia. Sed omnia poſt tergum abijcientes, mortificatis cum vitijs, & concupiſcentijs corporibus, ad æternam immortalitatem producti ſunt. Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Annus Domini DCCCLII. dies Iulij 27

VITA S. VRSI ET LEVBATII ABBATVM, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENS. LIB. DE *Vita Patrum*, cap. 18.

An. 490.

I. Legiferi vatis oraculum, cum de Principio principium fandi ſumpſiſſet, & Dominum extendiſſe cælos dextera maieſtatis fuiſſet effatus, ait: Et fecit duo luminaria magna, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli, vt præeſſent diei ac nocti, vt lucerent in firmamento cæli. Sic & nunc menti humanæ, ſicut priorum ſanxit authoritas, luminaria magna dedit, Chriſtum ſcilicet, & Eccleſiam eius, quæ luceant in tenebris ignorantiæ, & illuminent ſenſus humilitatis noſtræ: ſicut Iohannes Euangeliſta de ipſo Domino ait: Quia hic eſt lux mundi, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Poſuit etiam in eo & ſtellas, Patriarchas videlicet, Prophetas, Apoſtoloſque, qui vel doctrinis nos erudiant, vel mirabilibus ſuis illuminent, ſicut in Euangelio ait: Quia vos eſtis lux mundi: &, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cælis. Hi enim Apoſtoli meritò pro tota accipiuntur Eccleſia, quæ non habens rugam aut maculã, impolluta ſubſiſtit, ſicut ait Apoſtolus: Quia ipſe ſibi exhibuit Eccleſiam mundam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſcemodi. Ex horum ergò doctrina & vſque ad noſtra fuerunt tempora, qui in hoc ſæculo, quaſi aſtrorum iubar, non ſolùm meritorum radiantes luce, verumetiam dogmatum magnitudine coruſcantes, orbem totum radio ſuæ prædicationis illuſtrauerunt, euntes per loca ſingula prædicando, ac monaſteria ad diuinum cultum locando, docendoque homines à curis ſæcularibus abſtinere, & relictis tenebris concupiſcentiæ, Deum verum ſequi, per quem facta ſunt omnia: ſicut de Vrſo Leubatioque Abbatibus fidelium fratrum relatio ſignat.

Ivlii 28. *Geneſ.* 1.
Duo luminaria myſticè.
Iohan 1.
Item Stellæ.
Matth. 5.
Epheſ. 5.

II. Igitvr Vrſus Abbas, Cadurcinæ vrbis incola fuit, ab ineunte ætate religioſus, & in Dei amore deuotus. De quo egreſſus loco, Bituricum terminum eſt ingreſſus, fundatiſque monaſterijs apud Tauſitiacum, Oniam atque Pontiniacum, ſtabilitiſque Præpoſitis ſanctitate honorificis & prudentibus, ad Turonicum territorium in locum, quem Senapariam vocitari priſcus inſtituit author, acceſſit, ædificatoque oratorio, monaſterium ſtabiliuit, & commiſſa Leubatio Præpoſito ſumma regulæ, monaſterium aliud ſtatuit, quod nunc Locis vocant, ſitum ſcilicet ſuper fluuium Angerem in receſſu montis, cui nunc caſtrum ſupereminet, ipſo nomine vt monaſterium vocitatum. Illic adiuncta congregatione, ſtatuit apud animum ſuum, nè vltrà alium proficiſceretur in locum: ſed in eo cum omni congre-

Vrſus condit monaſteria.
Præficit S. Leubatium vni monaſterio.

comediſſet,dormire ſolebat: ſed cum Prior eum ſtrepitu pedum expergiſci faceret, mox arrepto coclear i, ſtrenuum quidem ſimulabat manducatorem; ſed rurſus, eius deciſione, valde negligentem exhibebat corpor is adiutorem.

IN primordio fundationis, & quando primo vir ſanctus venit ad locum ſuæ vocationis, admodum tenuis VIII.
erat ſubſtantia Eccleſiaſticæ poſſeſſionis, ſed per eum magnificè amplificata eſt, atque à ſui tenuitate pulchrè euecta, quia eum tam potentes; quam mediocres in tantum dilexerunt, quod propter eius amorem copioſe locum prædiis ſuis ditauerunt. Igitur celebri edicto, & irrefragabili conſtituit charitate, ne quid eorum, quæ haberi poſſent, cuiquam negaretur, ſed omnibus, in ſua neceſſitate pro loci ſubueniretur poſſibilitate. Vnde aliquando contigiſſe non dubium eſt, vt; quod negatum eſt, & occultatum fuerat, poſteà deprehenſum; tanquam immundum & inutile proiiceretur in flumen.

REM dicturus ſum forſitan incredibilem, ſed tamen veram, teſte Deo. Acceſſit ad eum quidam pauper, mi- IX.
ſeriam ſuam deplorans, & petens aliquid ab eo: quem fecit exſpectare ante monaſterium, donec eius conſolaretur deſiderium. Nam ad manus nihil habebat, quia conſuetudinis eius nunquam fuit portare denarios, aut ſaltem ſuſcipere: ſed, quicquid dabatur ab aliis, ſuſceptum, ſecundum eius præceptum diſpenſabatur. Marſupium
* indices. quidem terebat, ſed intus, præter * breues defunctorum, nihil habebat: Itaque camerario præcepit dare pauperi tres denarios. Ille, ſe non habere reſpondit. Date, inquit, pauperi, quod dixi. Rurſum ille aſſeruit, ſe non habere. Tunc ſanctus, audire, inquit, iſta nolo, nec ſcire, quod camera mea abſque nummis ſit. ſed cum camerarius perſeueraret in negatione; fecit ſibi dare claues; miſſisque fratribus, iuſſit videre, quid ibi eſſet. qui venientes, inuenerunt labrum æneum plenum denariis. quos ita, vt inuenti ſunt, cum labro præcepit in flumen Aneſum, vbi
Pauperibus negatam pecuniam iubet in flumen proiici. maxima profunditas erat, præcipitari. Fratres autem illi cœperunt, quantum ſalua reuerentia potuerunt, reſiſtere, melius eſſe dicentes, ſeruari tantam copiam, & ſi ad nihil aliud, ſaltem ad conſolandos pauperes, quàm à flumine abſumi. Vir autem Domini in ſua perſiſtens ſententia, nulla potuit ab ea ratione deflecti; aſſerens immundam eſſe illam pecuniam, atque ideo nulli idoneam vtilitati. Quis rogo hoc modo faceret? quis vel tres denarios ob iſtiuſmodi proiiceret cauſam? Apparet ergo in hoc memorabili facto, quanta fuerit viri ſancti, & in præcipiendo auctoritas, & ab omni auaritiæ contagione quàm intacta ſemper præcordia habuerit. Camerarium autem, vt dignus fuit, coram omnibus vehementer increpatum, ab eadem obedientia abſoluit, & alium ſubſtituit. Item alia vice pauper eum adiit; vt eleemoſynam acciperet. Miſit protinus ad fratrem, qui piſtoribus præerat, iubens, panem dare mendico. Negauit ille, eſſe ſibi panes. Tunc vir Domini miſit quendam monachum nomine Erch-
Item panes. engerum, vt videret, an ita eſſet: & inuenti ſunt ibi XXX. panes. Ilicò conuocatis fratribus inobedientem propria manu, aſſumpto & alio adiutore, diris verberibus corripuit, & panes omnes in flumen proiicere fecit.

PROPTER confeſſionem multi veniebant ad eum, plurima offerentes donaria: quorum ipſe nihil tange- X.
bat; ſed, ad pedes eius, vel ad altare, iuxta quod ſederat, poſita. poſtquam expeditus inde receſſiſſet, fecit aliquem monachorum omnia accipere, & inter obedientias, vt ſibi videbatur, diſpertiri. Quæ obedientiarum officia, per illiteratos monachos, & fratres barbatos erant diſpoſita. Literati verò, & ſacro ordine ſublimati, diuinis officiis tenebantur ſpecialiter implicari: ſingulis obedientijs bini præerant fratres tam propter teſtimonium, quàm propter ſolatium. Inter quos ſi qua fortè ſimultas, vel, amotis improbitas emerſit, ſine dilatione regulariter emendabatur, ſtatimque ad bonum pacis patris imperio reformabantur. Iam fama ſanctitatis eius longè lateque declarabatur, adeò, vt etiam de remotis valde partibus multi venirent ad eum confitentes peccata ſua, & pœnitentiæ ab eo remedia ſuſcipientes. Hi quoque, qui propter Dominum pro tempore peregrinari deſiderabant, nullo modo terram ſuam exibant, niſi prius viderent ſanctum Domini: nihil eſſe exiſtimantes iter ſuum, ſi non eius fuiſſet commendatum orationibus, & benedictione munitum. Nam ardenti ſemper amore ſaluti hominum intendebat, nihil prætermittens, quod ad hanc fructificandam ſpectare videbat. Venientes ad confeſſionem, vbi adeſſe nuntiabantur, confeſtim dimiſſis omnibus, ad audiendos eos feſtinabat.

Quotidie celebrat Miſſam. MISSAM celebraturus, (quod quidem quotidie cum magna deuotione & deſiderio faciebat) cum iam XI.
præpararetur proceſſurus, ſi qui interim confeſſionem facturi adeſſent, differebat officium, & illis morem gerebat: talique occaſione, vel neceſſitate vir clementiſſimus, multoties vltra ſolitam horam, interdum etiam ferè vſque ad horam nonam, miſſæ celebrationem differre compulſus eſt, cauens diutius tenere protractos; quorum aliqui de longè venientes, quantocius ad reditum expediri deſiderabant: néue ſua quærere videretur potius, quam aliorum, vt ſalui fierent. quantû liber autem protelaretur dilatio, tamen ad vltimum, ſacroſancti officij nô omittebat fructû.

HABEBAT vir beatiſſimus in confeſſionum auditione conſuetudinem, diligentiſſima indagatione cuncta XII.
perſcrutari, quæ contra Deum homo feciſſet; ſi Catholicam teneret fidem; ſi ſciret Dominicam orationem. Et quamuis magna eſſet expectantium multitudo, ipſumque ad alia facienda inuitaret neceſſitas, nullum tamen dimittebat, ante quàm diſertiſſima examinatione dirigeretur ad profectum: Et, ſicubi in Dominica oratione ſimpliciores, vt aſſolet, titubabant, tenebantur, donec pia inſtantia apprehenderent, quod ignorabant, ſic faciebat, eleemoſynam à ſe accipientibus. Interrogati an Dominicam ſcirent orationem; ſi neſciebant, benigniſſimè docebantur, & ſic, quod petierant, accipiebant, vtriuſque hominis ſtipe feliciter adiuti.

Pœnitentibus imponebat diſciplinas. SED, vt redeam ad confeſſiones: nam his maximam partem temporis expendebat. Morem habuit verbera- XIII.
re omnes, abſque perſonarum acceptione, nullum omnino tranſire ſinens implagatum. Ibi plerumque per ſpiritum cognoſcebat, qui ſe habitu mutato, & voce ſimulata finxerant eſſe, quod non erant. Erat in Chremſmünſter ſacerdos quidam nomine Heinricus, Prior ibi, ſed aliquantulum ſæcularis. Hic ad eum nocte inter alios confitentes & ipſe confeſſurus acceſſit, habitu monachi ad horam, ne agnoſceretur, depoſito. ſed cum ſurrexiſſet de loco, & iam abire cœpiſſet, lætus quod latuerit, vir Domini hac eum voce, ſua illa dulcedine ſubſecutus eſt: Eia, Domine Prior, videte, quod omnia benè diſponatis: Quo audito, Prior vehementer admirans obſtupuit, ipſeque poſtea retulit, ita ſe contra ſpem, voluntatemque deprehenſum.

HAC autem occupatione ita domi foriſque tenebatur impeditus, quòd penè nihil aliud agere valebat, mi- XIV.
ſertus multitudinis ob hanc cauſam indeſinenter confluentis. Vnde & monachi ſtulta indignatione exaſperati, cauſabantur eandem occupationem valde eſſe inutilem, grauisque cauſam iacturæ: quod omnia quaſi neglecta iacerent, quæ ad viri Dei diſpoſitionem pertinerent. ſed ipſe hæc quaſi ignorata diſſimulabat, nihil curans de tali eorum cauſatione: cum ſciret ſuas neceſſarias, & incontradicibiles occupationes nullius damni, ſed potius multorum bonorum eſſe cauſam. eò quod Prior ſuus, aliique diſpenſatores plenam totius adminiſtrationis, ipſo omittente, haberent poteſtatem, & illi, quorum ipſe conſiliis & eruditionibus vacabat ſaluti, tam ſibi, quàm toti congregationi & loco magnæ felicitatis cauſa exiſterent.

AMABATVR ab omnibus, honorabatur ab vniuerſis: ſed, ipſe humilitati ac ſimplicitati totus deditus, ni- XV.
hil penitus illa mouebatur honoris exhibitione. Nunquam in illius ore aliquid, vt de S. Martino ſcribitur, niſi pax, niſi Chriſtus, niſi miſericordia erat; ita vt in plateis ſedens, ſacras aliquas recitationes præſentibus cauſis idoneas

ſimplici

ſimplici ore ediceret, dicentibus interdum diſcipulis, qui ſimul aderant, aliis de cauſis ſe aduenïſſe, quibus expediendis intendere deberet potius, quam ſuas exponere lectiones.

XVI. ERAT aut in lege diuina apprimè eruditus, eloquentia clarus, innocentia purus, moribus venerandis decentiſſimè ornatus, & inter cætera chariſmatum dona etiam ſpiritu prophetiæ minimè carens. Habebat ſecum in monaſterio iuuenem quendam filium germani fratris, nomine Bertholdum, inquietum, mobilitati deditum, & ſpe conſanguinitatis volentem liberius exire de clauſtro; & agere quod libebat. Quem propterea vir Domini frequentius, vehementiusque cæteris increpare & caſtigare ſtudebat, ſed cum diu, multumque increpatus & portatus incorrigibilis appareret, motus pater, miſit eum in Kottvvicum, vbi & rigor diſciplinæ vrgeret; & ſpes propinquitatis nulla arrideret, ita dicens: Eia frater, ite nunc: turbaſtis me frequenter, plurimumque vexaſtis; vos quoque turbabimini, & nunquam aduerſis carebitis. Ita factum eſt. Nam eundem virum poſtea multo tempore ſuperſtitem, nunquam aduerſitatibus caruiſſe, notiſſimum eſt. De clauſtro enim proprio exturbatus, diuque abſque congregatione; circumiens, vagus & profugus, nouiſſimè in exilio finem vitæ fecit, vtinam & laborum.

Habuit ſpiritum prophetiæ.

XVII. QVODAM tempore torrens, qui dicitur Garſte, à quo etiam locus nomen accepit, terminum ſuum, vt ſolet, excurrens, totum ſitum loci operuerat; ita, vt etiam clauſtrum & officinas eius occupans, monachos inceſſum per aquas habere compelleret. Ex quo afflicti, dum cum Beato viro de eodem incommodo dolentes loquerentur, clementer conſolatus eſt eos dicens; Ite ad refectorium, & reficite, & æquo animo eſtote, quia ab hac aquæ inuaſione quantocyus liberabimini, quodque modò torrens iſte fecit, nunquam amplius facturus eſt: Iuit conuentus ad refectorium. Ipſe verò intrauit in oratorium. Et more ſuo proſtratus in orationem; tam celerem, tamque mirabilem precum ſuarum conſecutus eſt effectum, vt ſurgentes de menſa fratres nihil inuenirent de omni illa, quam ante prandium in clauſtro reliquerant, aqua. Verſi itaque in ſtuporem, cum admiratione & gaudio tantum miraculum in ſancto venerati ſunt, quæ aquæ inuaſio, nunquam poſtea contigit.

Torrentem intra limites oratione repellit.

XVIII. QVADAM die denunciauit fratribus quendam virum valdè anxiatum, in proximo affuturum, quem deberent ſuſcipere, & ab imminenti liberare periculo. Cumque interrogarent, quis eſſet? hoc ſolum reſpondit: hominem eſſe miſericordiæ indigum, atque in ſuprema neceſſitate conſtitutum, pietatis intuitu conſolandum. Altera die feſtinus aduolat miles quidam, Leo nomine, qui prædis & latrociniis plurimiſque crudelitatis operibus vitam demeruerat; poſituſque in perſecutionem, etiam ſententia ſuſpendij damnatus erat. Et cum iam quæreretur ad pœnam, Monaſterium concitu curſu petiit, proſtratusque fratribus obſecrat & conteſtatur, quatenus dato conuerſionis habitu, liberent illum de inſtanti interitu. Curritur ad patrem: vt, quid ſit faciendum, decernat. Imperat, celeriter tonderi virum, ſuſcipique in congregationem, vt euadat promeritam damnationem. Profugus ergo ille, diuinæ, qua liberatus fuerat, gratias agens clementiæ, ita conuerſus eſt ad Dominum, mutatoque habitu apud liberatores ſuos bona vita conuerſatus eſt. Hoc peracto; continuo ad pœnam requiſitus eſt, ſed exauditi non ſunt requirentes, quia iam ſibi eum ſociauerant omnipotenti Domino famulantes. Imò, ipſe eum aſſumpſerat, qui venit quærere, & ſaluum facere, quod perierat.

Latronē ad ſuſpendium condemnatum, in monachum ſuſcipit.

XIX. IN feſto S. Iacobi cum congregatio piſces non habuiſſet, ſicut ipſius ſtatuto in ſimilibus feſtis habere conſueuerat: fit grauis cauſatio coram eo poſtera die, in Capitulo, tantuſque ſtrepitus tumultuantium, quod pius vir veniam petere compulſus eſt ad pedes omnium, cum non poſſet compeſcere rancorem murmurantium, ſed cum nimis importuni exiſterent, & vltra modum tumultuarentur; contriſtatus valde: Bene, inquit, vos habetote, & eſtote quieti, hodie vobis piſcium deſideratam dabo ſufficientiam. Et licet hoc diceret, tamen nondum aderat, vnde hoc, quod promittebat, exſolueret. Cum poſt modicum, egredienti de clauſtro, obuiam factus eſt quidam immanem * Coracinum portans, veracem faciens promiſſorem, plurimumque hoc beneficio ſupernum commendans conſolatorem, antiquum iterantem conſilium, quo murmurantium in deſerto infelix repleuit concilium. Nam ſicut tunc Moyſes certus de Domini potentia, illis promiſit carnes, quas deſiderauerant: ita iſtis vir Domini Bertholdus, confiſus de Dei clementia, ſpopondit piſces, quos auabant. Manducauerunt ergo, & ſaturati ſunt: & ei, qui deſiderium eorum attulit eis, gratias agere, vt dignum fuit, non omiſerunt. Verè pius Dominus, vere miſericors; qui, ne videretur de ſe præſumentem deſerere, etiam inimicis & murmuratoribus clementer dignatus eſt ſatisfacere.

* MS ſupra ponit, ideſt, Rot Coracinus, nomen & genus piſcis, Athen. lib. 7. Idem Coracinus, paulo poſt vocatur, Rufus.

XX. ALIO tempore hoſpites aderant, qui, quod eſſent amici & venerabiles, diligentiori cura & miniſterio honorandi erant. Sed, cum item piſces deeſſent, hocque patri diſpenſatores quererentur: ite, inquit, ad aquam, quærite: Magna eſt Dei clementia. Reſponderunt, ſatis ſe quærendo laboraſſe, ſed nihil profeciſſe. Iterum, inquit, ite, quid tentare nocet? Ipſeque cum eis vſque ante portam, quæ reſpiciebat ad flumen, proceſſit: & ibi ſubſiſtens, exitum rei præſtolabatur. Appropinquantibus illis fluuio cum ſagena, ecce mirum dictu, piſcis, qui vocatur * Tymallus, Ruſo perſequente, actus in fugam, mirantibus cunctis, de aqua in terram exiliuit. Capti ſunt tam fugans, quàm fugiens: deſiderabile ſpectaculum exhibentes, non pro ſui vtilitate, ſed pro Beati viri indubitabili ſanctitate. Et illi quidem factum hoc pro miraculo declamare feſtinabant: ſed, vir Domini nihil huiuſmodi audire, vel ſcire volens, repreſſit eos dicens: non eſſe mirandum, ſi quid vna vice non poſſit, alia poſſit, Domino prouidente, fieri. Ita verò timebat publicari ſua merita, ſicut fures timere ſolent, ne deprehendantur eorum furta, Publicabantur tamen. Quomodo enim poterat abſcondi populis, quod aſſiduè prodebatur oculis: cùm vix, aut nunquam vel ab vno vidente poſſit ſileri, quod à nullo poteſt ſine admiratione & iubilo audiri.

* MS etiam hic, & recte ſup. raddit. Aeſch.

XXI. ADERANT ſine ceſſatione quærentium eius conſilia, & benedictiones, diuerſorum hominum multitudines. Et niſi pietate & miſericordia ad occurrendum eis & conſulendum cogeretur; vtique nec aſpexiſſet eum viſus hominis. Conſiderans igitur vir perfectæ pietatis, melius eſſe, multis, quam ſoli, vel paucis prodeſſe, commune commodum priuato anteponens, neminem voluit repellere. quia, quantum in ipſo erat, omnibus voluiſſet bene facere. Igitur virtute bonitatis eius vbique diuulgata, frequentia tam languentium, quam nihil in corpore patientium, & qui vexabantur à ſpiritibus, veniebant ad eum, animæ & corporis remedia quærentes, & frequenter inuenientes, ſanè tanta per illum dignatus eſt Dominus tam manentem in corpore, quàm quieſcentem in terræ puluere oſtendere bona, quod valde admiror, ita vniuerſa vſque nunc ſuppreſſa ſilentio, ac ſi aut minimè facta ſint, aut à nemine viſa.

Multis miraculis claret.

XXII. ERGA dæmoniacos non mediocri præditus erat liberationis effectu, quos ſemper in hoſpitali præcepit, cum his, qui ſimul aderant, ſeruari, & benignè tractari, vſque dum eis ieiuniis & orationibus, ſanitate obtenta, cum gaudio rediſſe permiſit. Ante altare ſancti Petri vir beatus frequenter orare ſolebat, ibi miſſas celebrare, ibi confeſſiones audire, ibi diuinæ contemplationi familiarius inhærere conſueuerat. Illuc mulier, poſſeſſa dæmone, adducta ad eum, ſub omni celeritate liberata eſt. Et licet nonnulli eiuſdem ſaluationis apud eum gratiam inuenirent; non tamen dicimus, omnibus indifferenter præſto fuiſſe curationem. Aliqui curabantur, aliqui non valebant curari. Ipſe quidem omnibus piæ compaſſionis impendebat affectum ibi habens, vbi Deus dignabatur, ſubuentionis effectum.. Erat non longe à monaſterio mulier quædam repleta dæmonio, nomine Haiza, pro qua diu multumque laborauit: ſed nequam ſpiritum ab ea repellere non potuit: loqui tamen,

Varios dæmoniacos liberat.

faciatisque participem, accipite iſtud, & comedite, ſtansque ante eos, & carnes frangens Dominicam orationem de ore non dimittebat. Conuentus quidem ex auctoritate ordinis ſagimine in cibo vtebatur; ſed iſte, licet ad hoc etiam præcepto cogeretur, tamen, vix guſtato, ne inobediens exiſteret, amplius tangere perhorrebat: ſimulabat tamen comedere propter alios, ne notaretur, & de ſua proclamaretur abſtinentia. Ita in humilitate & vera ſpiritus contritione poſtquam Domino per biennium de latrone monachus & ſanctus ſeruiuit, volente Domino magnificare miſericordiam ſuam cum illo, imò & declarare, quoniam non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, infirmitate correptus eſt, ſedebat ergo continue, in lectulo iacere nolens, ne nimis corporali videretur indulgere quieti; & non diebus, neque noctibus à colloquiis diuinis & oratione ceſſabat. Poſt non multos dies, ingraueſcente languore, vocari ad ſe ſanctum Patrem rogauit; qui, cum adeſſet, præſentibus etiam quibuſdam de fratribus; Dominus, inquit, remuneret omnia bona, quæ mihi, Domine Pater, clementia veſtra hucuſque impertita eſt. Iam nunc proficit opus bonum, quod cœpiſtis in me, vt completis extremæ neceſſitatis officiis dirigar, quò iturus ſum. Cumque venerandus Pater blandè conſolaretur eum, ſpacium ei adhuc viuendi de Dei miſericordia promittens, ſe quoque non defuturum neceſſitati, vbi tempus adeſſet. Modò, inquit, eſt tempus faciendi, quia quantocyus migraturus ſum. Nominauit autem quoſdam monachos ſe in morte ſecuturos, dicens ad Patrem; Hortamini illos, vt ſint parati: quia citò ſunt me ſecuturi, ſed cum vir Domini hanc vellet vocem comprimere, & omnino huiuſcemodi verba compeſcere, dicens, illum nullam prorſus eorum, quæ memorabat, habere notitiam. Imo, ſcio, inquit, quid loquor ſeptem ſine dilatione morientur, quatuor obitum veſtrum præcedent; tres: ſubſequentur. Ita factum eſt, ſic de hac vita omnes exierunt, ſicut ab eo fuerant nominibus deſignati. Primò, illi quatuor; poſt quos, venerabilis Pater: deinde, tres alij, vti erant in denominatione ordinati. De viro autem Dei dixit, paratam eſſe ſedem eius; & glorioſo decore venuſtatam. Inde ſumpto viatico, feliciter perrexit ad patriam de exilio. Claret ergo, non ſolum ipſum Patrem Prophetico ſpiritu, vt ſupra memoratum eſt, ventura prænotaſſe; ſed etiam diſcipulos vtique meritis eius, vera de futuris præſenſiſſe.

XXVIII INFIRMABATVR vir beatus, rogauitque adhærentem ſibi Capellanum, Dominum videlicet Eberhardum, afferre ſibi de proximo fonte aquam ad bibendum. Miſit ergo famulum nomine Hiltiboldum, nutritum ab ipſo Patre, atque in eius ſeruitio tunc familiariter manentem, vt deferret aquam. Allatam ergo dedit Domino Eberhardo, ipſeque ægrotanti porrexit. Vbi bibit Venerabilis Pater. Ego, inquit, aquam poſtulaui. Cui, cum diceret Dominus Eberhardus iam à ſeruo allatam. Ite, ait, & ipſi mihi afferte. Perrexerunt pariter Capellanus & famulus; hauſtamque, vt antea, de puteo aquam petenti præbuerunt. Bibit: &, vt prius, vinum fuit. Tunc reſolutus in lacrymas; quid, inquit, Saluator agis? Nonne peccator ſum, indignus, propter quem ſigna facias? Iuſſit itaque hæc omnino taceri; &, ne manifeſtarentur, tota auctoritate interdixit. Hæc mihi idem Hiltiboldus cum lacrymis, & in anima ſua, ita eſſe, vt expoſita ſunt, aſſeruit, ſed & idem miraculum, videlicet vinum ex aqua factum, non ſemel ei eueniſſe, multi hodieque teſtantur. Sed iam ad beatum eius tranſitum, quem ipſe, Domino reuelante, non ignorabat, verba vertenda ſunt. Deinde ſanitates & miracula, quæ ad ſepulcrum eius fieri viſa ſunt, commemoranda.

Aqua in vinū ad hauſtum illius mutatur.

XXIX. NON longè ante obitum eius, Admuntenſis Pater, ſanctæ memoriæ, Dominus Gotfridus, valde ægrotabat, miſſumque eſt pro eo, vt eius exequiis adeſſet, imò ipſe eum terræ commendare dignaretur. Verum cum ſuam legati legationem dediſſent, Pater ſanctus tali eos reſponſione conſolatus eſt, dicens. Reuertimini, Dominus veſter melius habere cœpit, & benè conualeſcet, ſed rogate eum, vt ſi ei nuntius meus venerit, mihi venire non pigritetur. Ita factum eſt. Conualuit ille Pater: & poſt modicum iſto inuitante, venit, eumque ſepeliuit. Sed, antequam obiret, vocata ad ſe omni congregatione, ſingulorum audiuit confeſſiones, datiſque omnibus propria manu flagellis, & eos abſoluit, & ſibi ab eis remitti, quæ in eos deliquiſſet, humiliter rogauit. Fit ploratus multus, mœror & luctus omnes occupat, nolentes nimirum eo carere, quem habuiſſe ſalus habentium fuit. Tum Venerabilis Pater, tantis eorum permotus ſingultibus conſolatos eos fore deſiderans, Tempus, inquit, aduenit hinc tranſeundi, nec vltra differri valet diu exoptatum, vix exſpectatum. Sed ſcitote, quia vos nunquam deſeram, & huic loco fidelis in perpetuum, deuotusque cooperator aſſiſtam. Corporali quidem diuiſione ſeparandi ſumus, ſed ſpiritu ſemper vobiſcum ero: Dico tamen, quod poſt diſceſſum meum locus iſte minimè carebit aduerſis, & ſemetipſo minor & inferior multum retroceſſiſſe videbitur, ſed tamen, per gratiam Dei citò reſurget, & melioris ſtatus reſumet dignitatem. Rogant deinde, dari ſibi conſilium, ad eligendum Patrem: pariter pollicentes, vt quem ipſe nominé deſignauerit, hunc proculdubio habituri ſint, quicunque ſit ille: Tum ille, ſi, inquit, conſilium meum in electione veſtra ſecuti fueritis, benè vos feciſſe videbitis & gaudebitis, ſin autem, perperam vos egiſſe, manifeſtum erit. Igitur Eberhardum Capellanum ſuum, virum in Dei rebus approbatum, indubitanter ſibi cenſet ſubrogandum, ſi hunc, inquiens, acceperitis, ſtabit honor Dei in hoc loco: & ſtatus hic veſter, ipſo viuente, nutare non poterit: ſed quoniam idem Eberhardus impeditæ linguæ exiſtens, eloquentiæ donum non habebat, & de hoc ipſo non dimiſit inconſolatos ita dicens: Eſt quidem ibi paruus defectus, ſed hunc, diuina prouidentia, vtiliori ſupplebit munificentia, & minus nocebit, non eſſe facundum, quem conſtat cœleſti approbatum ſententia. Laudant omnes conſilium, ſpondentes ita ſe libenter facturos. Inter hæc autem ipſe Eberhardus pedes ſancti viri, quoniam frigidi erant, in manibus & gremio tenens, more ſuo, dulciter confouebat, nihil curans de illa eorum circa regimen confabulatione. At vbi omnibus digreſſis, ipſi duo ſoli fuerunt, his verbis virum Dei cum mœrore alloeutus eſt. Eia, inquit, quid feciſtis? Quale conſilium in me dediſtis! Hæccine eſt gratia, quam laboribus meis & ſeruitio retribuitis? Hoc eſt, quod tanto tempore vobis ſeruiendo promerui? Pia merces, clemens retributio, quod vos tenditis ad requiem, & me tribulationibus immergitis. Vos pergitis ad Chriſtum, & mihi onus imponere nitimini, ſub quo curuari neceſſe eſt etiam eos, qui portant orbem. Aliam fidei meæ, & deuotioni ſperabam ſeruari retributionem. Huiuſcemodi quaſi improperiis ſæpe dictus Capellanus pium obiurgabat Patrem, flens largiter: & totis præcordiorum affectibus vel ſimul abire deſiderans, vel ſub omni ſubſequi celeritate. Quod etiam precabatur multis conteſtationibus, videlicet, ne hic diutius dimitteretur, reducens ei ad memoriam, inſtanterque inculcans recordationi, ſi quid ſeruiuiſſet, ſi aliquid dignum gratia egiſſet, quatenus hoc totum hac ſola exauditione remuneraretur. Igitur cum ingraueſcente languore, quam plures ei ſine alimento tranſiſſent dies, iamque penè defeciſſet, accedens iſdem Eberhardus non tam Capellani, quam piiſſimi nutritoris & procuratoris vbique agens officium aliquid ei in os pro refocillatione inmittere cœpit. Quo accepto, collectis in hæc verba viribus: O, inquit, quare ſic feciſtis? Eſſe mihi debuit pro pœnitentia manere ita abſque cibo, vſque ad feſtum Sancti Petri ad Vincula, vt ſic de carnis vinculis abſolutus, eorundem vinculorum pro voto feſtum celebrarem. Nunc verò quia cibatus ſum, citò migraturus conſtitutum diem exſpectare non poſſum. Nec mora. Nocte, quæ B Pantaleonis Martyris feſtiuum præcedit diem, modicum ante nocturnale officium, vocata congreg: tione, ipſe litaniam incepit, & ad vſque animæ redditionem cum aliis decantauit. tunc leuare manus (* volens), ſed minimè præualens, quieuit in Domino. Tunc miſſum eſt, ſicut præmiſimus pro Patre Admuntenſe, vt veniret: & eius depoſitioni officia humanitatis exhiberet. Venit, & eum commendauit terræ, quem ſuæ prius commendationi ipſe infirmus aſciuerat.

Alterius ſanitatem, ſuam verò mortem prædicit.

Eberhardū Capellanū ſuum in ſucceſſorē ſibi nominat.

Moritur.

** in M S. deſideratur.*

beret; conſulentibus ſuis ad monaſterium ſe duci fecit, atque in conſpectu Abbatis Chunradi & Monachorum, publicato reato ſuo, idem prædium ſuper reliquias iuxta tumbam B. Bertholdi reſignauit, rogans cum fletu, clementer ſibi indulgere, quod tanto tempore bona præſumpſiſſet ſanctæ Mariæ violenter poſſidere. Igitur percepta ab Abbate indulgentia, ex præſentia Spiritus ſancti, & præſentium Fratrum conniuentia, poſitis ad memoriam viri Dei cum ſui penſatione oblationibus, modicaque refectione accepta, domum reductus eſt; atq; in breui ita melioratus, quod & incedendi & equitandi facultate potitus eſt.

Idem pœnitens ad ſepulchrū B. Bertholdi ſanatur.

XXXVIII. VIR quidam de Zvvetel, cuius nomen, quamuis ipſe ſe nominauerit, modo non occurrit, graui per quatuor annos deprimebatur infirmitate; nihil ſuarum rerum diſponere, imò nec de lectulo ſuo, niſi adiutus, exurgere valens. Cum ergo miſerabiliter anguſtiaretur, & iam mori magis placeret, quam tormentuoſam ducere vitam; votum fecit Deo, & B. Bertholdo, quod ſepulcrum eius cum omni deuotione viſitaret; ſi, in eius conſolatione, ſua ſancta merita commendanda declararet. Quod, vbi vouit, pietas diuina protinus affuit homini, exoptatam afferens conſolationem, atque ad voti ſui clementer dirigens perſolutionem: Nam conualuit de infirmitate, fortiſque factus, memoriam Beati Viri adiit, & quæ ſibi ſanctus feciſſet bona, Cuſtodi Eccleſiæ, & aliis, qui præſentes erant, retulit. Igitur poſita oblatione reuerſus eſt cum lætitia cordis & exultatione. Miſer, inquiens, fui & miſerabilis; nunc, potens ſum & fortis.

Ægrotus ſanatur.

XXXIX. MILES quidam in Valle Aneſi grauiter ægrotabat. Iſte, ob ſalutis deſiderium votum fecit ad B. Bertholdum. Statim ſalutem conſecutus eſt, ſed immemor ſponſionis, imò oblitus fidei, & benefici conſolatoris, quod promiſit, mentitus eſt. Secuta eſt ergo vltio digna recidiuæ infirmitatis, infidelitatis arguens miſerum: Et, quod nemo mentiri Deo debeat manifeſtè oculis eius anteponens. Rediit ergo præuaricator ad cor: & audiens Guntherum Abbatem ad eaſdem deueniſſe partes, vt ſe viſitare dignaretur, ſtudioſe per nuncium exorauit. Confeſſus eſt ergo reatum ſuum; iterúmque ſi ſanitati redderetur, memoriam S. Patris ſe deuotiſſimè experiturum promiſit. Miſit etiam per eundem Patrem, quos ante promiſerat denarios, obnixè poſtulans, quatenus ſuæ anxietatis clementer memor eſſe dignaretur. Reuerſus domum Abbas, oblationem infirmi ſuper ſepulcrum viri Dei poſuit, cauſamque fratribus exponens, vt ægrotum orationibus adiuuarent, admonuit. Poſt aliquot dies venit idem miles, non iam infirmus, ſed melioratus & ſanus, proſtratusq; ſancto Dei gratias egit paternæ eius miſerationi.

Pœna votum non ſoluentis.

XL. NEC ſilenter prætereundum, qualem vir Domini Abbati Chremſmünſter Domino Oudalrico in ſua infirmitate exhibuerit gratiæ dignationem. Nam cum adhuc in Garſtenſi Cœnobio, antequam in fratrem aſſumeretur, ſub Abbate militaret: quadam die de refectorio exiens, de gradibus eius improuiſe corruit, non quidem alto caſu, graui tamen & periculoſo. quia, talo de loco ſuo moto, tam grauiter dolere cœpit, quod non niſi deportatus inde abſcedere potuit. quem caſum tumor protinus ſecutus, multis diebus viro inceſſum negauit. ſed, cum mœrore pariter & dolore deficeret; & neque minutionibus neque medicamentis proficeret ad reparationem, dixit ad ſemetipſum. Nonne apud ſepulcrum Domini & patrui mei frequenter experti ſunt infirmi, quantum honorandus ſit, quantúmque de eius ſancta dulcedine præſumendum? Quare ergo negligo me ipſum? quare ibi, ſicut cæteri, non quæro conſolationis auxilium? Forte mihi & hoc ſpecialiter apud eius valebit miſericordiam, quod patruus meus eſt; quod me à puero in ſpiritalibus ſtudiis educatum, ſingulari & vnica pietate fouere conſueuerat. Hæc ſecum voluens; ſtatimque pro quærenda apud ſancta eius oſſa ſuffragio baculis ſuffultus exire tentauit. Veniens igitur ad limen domus, ſibique nimis altum reperiens, cum infirmum leuaret pedem, offendit ipſo limine, & iterum cecidit, iacens in eodem loco, ſui prorſus impotens, vſque dum Patres de menſa ſurgentes, inuenerunt ita iacentem, & ad lectum reportauerunt. Poſtea eodem limine vſque ſecus terram exciſo, & ad egreſſum infirmi complanato, acceſſit ad tumulum, cum difficultate tamen: poſitoque ſuper tumbam pede, cum oraſſet breuiter, virtutem superni ſenſit ſolaminis, rediensque inde, & ex hoc melius habere incipiens, in breui ad inceſſum & ſalutis integritatem reformatus eſt.

Pes luxatus reſtituitur.

XLI. ACCIDIT quoque, vt quædam mulier cæcam filiam in ſacratiſſimo die Aſſumptionis ſanctæ Mariæ ad monaſterium afferret. Cumque de memoria ſancti Patris cum eadem infantula minimè recederet; poſitiſque oblatiunculis, non ſtatim ſequeretur conſolatio, ſed aliquantulum differretur, timens mulier, ſe non exauditam, dolenſque fructu ſui priuari laboris, cum iam cogitaret abire: O, inquit, ſancte Pater, cur me miſeram de tua benignitate multum præſumentem non exaudis? Cur abire ſpe caſſata permittis? Cum multa fiducia tuæ paternæ conſolationis adueni. Et ecce plena mœroris cum confuſione reuertor. Hæc matre cum gemitu proſequente; puella miſſam manu candelam de ſepulcro tulit. Illaque interrogante, an videret, quod tenebat, benè ſe videre reſpondit. Mox ſumptam in brachia, currenſque in chorum cum lætitia, dominis publicam miſſam cantantibus cum ingenti gaudio præſentauit. Hanc, inquit, domini mei, lucis prorſus expertem huc adduxi; & ecce patrocinio ſancti Dei promerente deſiderabiliter ſua illuminatione præcordia mea lætificat. Gaudent omnes, exultant vniuerſi: magnificè de ſui patroni, beati videlicet Bertholdi, virtute & in hoc præclaro miraculo certificati. Et quia turbam multam, quæ conuenerat ad diem feſtum gratia hæc latere non poterat, vt puta in præſentia omnium exhibita, omnes ad ſua cum hoc quaſi deſiderabili ſui laboris fructu lætiſſimi remearunt.

Puella cæca videt.

XLII. ITEM in aſſumptione S. Dei genitricis alia mulier cum filia ferè per biennium nihil loquente, ad ſepulcrum beati viri venerandum, ſimul & pro quærenda ipſius ac ſanctiſſimæ Virginis miſericordia aduenit. Quæ, cum mutam ſuam iuxta tumbam, vt moris eſt, penſaſſet, fuſaque oratione aliquantulum differretur exauditio, tulit eam ad principale altare in honore ſacratiſſimæ Dominæ noſtræ conſecratum, ibique ſimiliter * penſatam dimiſit quaſi per horam ſuperni muneris ſolamen exſpectare. Poſt modicum, miſerante Domino, ſuamque gratiam declarante conſolata eſt puella; farique incipiens; ô, inquit, quanta hic eſt pulcritudo, quantus decor domus Dei. quod audiens de prope matertera eius; dixit matri; locutam eſſe puellam. Adſunt fratres & plures alij adhuc ſuperſtites eiuſdem miraculi non contemnendi teſtes. Mater ergo iuuenculæ, & qui ſimul aderant, gratias ſummæ referentes pietati, cum gaudio ad propria reuerſi ſunt deſiderabiliter conſolati.

** ſic quidē MS forte pauſatam.*

Muta loquitur.

XLIII. TECTVM maioris Eccleſiæ inſtauratione opus habebat, quia, vetuſtate diſſolutum inundantiis imbrium reſiſtere non valebat. Cum ergo tegeretur, ſcala erecta erat de inferiori tabulato ad ſuperius tectum, per quam tegulæ ſurſum deferebantur. Ibi inter portantes, inimico inſidiante ſcurrilitas fomitem inuenit, vno alterum impellente, & per ſcalam deorſum currere compellente. In quo decurſu vnus eorum de ſcala ſuper tabulatum, eoque effracto deorſum ſuper nudum pauimentū ita horribiliter cecidit, vt audito à Monachis caſu, de Clauſtro in chorum currerent, & miſerum iam verſum in nigredinem, atque tumoribus inuaſum, timentes ne ſibi inter manus exſpiraret, exportarent. Et cum tanta eſſet præcipitij immanitas, vt mirum valdè videretur, quod non ſtatim mors ſecuta eſt; ita adhuc viuit incolumis, quod & omnium gaudet integritate membrorum, & tam horrendæ ruinæ omnino caret indiciis. Cui hoc adſcribendum eſt, niſi præcelſæ & incogitabili Dei genitricis pietati? ſuper nos vigilantis, ſibique ſeruientium vitam, ſalutemque negligere non valentis. Ante ipſius namque ſacroſanctum altare famulus eius, & in ipſo ſeruitio corruens meritò gratiam ſenſit protectionis, adiutus mirum

Caſu atteritus conualeſcit.

mirum & beati Capellani eius meritis in eodem monaſterio ſepulti, ſuæque virtutis potentiam multifariam declarantis.

Erat quidam ſeruus in beati viri familiari obſequio nomine Adelbertus; poſt eius obitum longo tempore in conuerſione, amiſſo oculorum lumine, ſimpliciter viuens, & de animæ ſuæ non negligenter ſalute cogitans. Iſte de beato Patre multa narratu digna ſciebat, vtpote iugiter præſens, & eius, ſicut prædictum eſt, familiariter obſequiis inhærens, ſed religioſus valdè erat, raroq; aliquid loquebatur, ſtudioſe tacebat omnia, pro eo maximè, quia, ſibi non credi formidabat, ſic enim dicebat; quia, ſi verbis eius fides adhiberetur, multa dicere poſſet, vnde audientium credulitas ad profectum vtiliter informaretur: Huius innotuit aſſertione res, quam dicturus ſum. XLIV

Solent monachi per totam æſtatem mandatum trium pauperum, quotidie poſt cœnam cum pedum manuumque lauatione, atque eleemoſynæ erogatione celebrare. Ad quam, quamuis ipſe Pater ex conſuetudine & auctoritate Ordinis ſemper Dominicis diebus adnotaretur, tamen aſſiduè ob amorem eiuſdem officij ad titulatum præueniebat ſacerdotem. Obſeruabat enim ex induſtria eam horam, qua fieri debebat, ſi fortè ſacerdos ille vel negligentia, vel neceſſitate tardaret: & ſic nacta occaſione, ipſe mandatum illud ſumma celebrabat deuotione. Multotiens enim præſentem piè violenter excludens, pietatis opere ſancta deſideria excolebat. Accidit ergo quadam die, vt more ſolito adueniens, illos tres panes non inueniret, reliquo apparatu ad plenum appoſito. Requirens autem cur panes deeſſent, audiuit nullum eſſe in promptu, ſed nec alibi quidem poſſe quenquam reperiri. Iuſſit afferri celeriter panes; quæſitumque eſt diligenter in ſcrinio, vbi reponi conſueuerant, cum fuſcinula, quæ ibi continuè iacebat, & nihil inuentum. Et eum hoc etiam ſecundò feciſſent, dolens ſanctus Pater opus illud miſericordiæ ita remanere imperfectum, tertiò miſit, & ſibi tres panes deferri præcepit. Tunc ibi inuenti ſunt, vbi primitus diligenter quæſiti, inueniri non potuerunt, quia re vera nec aderant. ſi enim præſto fuiſſent, procul dubio inuenti fuiſſent; ſed, nunc per Dei omnipotentiam, ne dilectus ſuus contriſtaretur; aut pietatis & in hoc opere fructu priuaretur, miſericorditer ſimul ac mirabiliter ſunt prouiſi. XLV

Panes reperiuntur diuinitus concessi.

Nec abs re videri debet, ſi poſt deſcriptionem miraculorum, quæ apud ſepulcrum eius facta ſunt, nunc ea, quæ viuens egit, inſero narrationi, quoniam ſicut diuerſæ ſunt perſonæ, à quibus hæc mihi comperta ſunt; ita etiam neceſſe fuit ſingula ſcribere, prout quemque eorum potui ad interrogandum conuenire. Nec verò multum intereſt, quo ſcribantur ordine ſancti geſta Patris; de quibus ad hoc ſolum me intromiſi, ne tacerentur. Vir quidam nobilis & diues nomine Wolricus de Bernecke, audiens hominem Dei eſſe apud Kotwvicum, miſit ad eum, vt ad ſe venire dignaretur. Qui, licet infirmus eſſet aliquantum, profectus eſt tamen, ne tantus vir ſua ſpe fruſtraretur. Veniens ergo inuenit in domo viri duodecim dominas muliebri ornatu ad placendum ſæculo, & ſuo temporali domino ſatis ambitioſe compoſitas, quarum ſingulas, quia coniux obierat, ſuo lecto vir ille pro libitu adeſſe ſemper præcipiebat. Quibus vir Domini viſis, auditoque ab ipſo hoſpite, quæ eſſent, &, qua de cauſa ſecum morarentur: quamuis eſſet glorioſus & magnæ potentiæ, accepit tamen in reſponſo, quæ dignus fuit audire. Increpauit enim eum vir ſanctus vehementer ſuper tanta incontinentia: ſpem ſalutis ei omnem amputans, ſi talem eum vltima inueniret ſententia. Porro illis ſimiliter talem vitam certæ perditionis fore cauſam prædixit: eiſque, ne vlterà ad eum accederent, ſub interminatione grauis vltionis interdixit. ſed vir ille, licet eandem intemperantiam erga Beatum virum denotaſſet; tamen ipſa nocte vnam illatum ſibi adeſſe præcepit. Quæ vadens, media via ſubſtitit; vlterius progredi diuina virtute prohibita, & ſanctitate, vt credimus, mundi hoſpitis prohibita. Interrogata ergo ſequenti die à Viro; cur, ſicut iuſſerat, non veniſſet? dixit, ita ſe in eundo ſubito fixam hæſiſſe, ac ſi forti ligamine accepto reſtringeretur. Tunc intellexit, tantum miraculum ex Beati viri proueniſſe præſentia, quodque ſuorum deſideriorum, conſequi, ipſo præſente non potuiſſet effectum. Cœpit igitur plus ſolito ſanctum virum venerari, & iam credere, vera eſſe de illo, de quibus antea dubitauerat; repudiataque illa mulierum multitudine, vnam duxit legitimam, cum qua reliquum vitæ ſuæ ſine diſcrimine clauſit compendium. XLVI

Concubinarium corripit B. Bertholdus.

Sub eodem tempore à Comitiſſa de Wilperga inuitatus eſt, quia Comes nuper obierat; vt animam eius, & ſeipſam, quoniam prægnans erat, ſuis orationibus commendaret. Erat autem in acceſſu Caſtri fons muro contiguus magnæ amplitudinis & amœnitatis, delectabiliſque ad bibendum: De quo vir Domini ſibi ad menſam afferri rogauit. Cum ergo bibiſſet, & ante ſe poſuiſſet, Comitiſſa dixit; ſi cum gratia ipſius potuiſſet fieri, cum eo, de potu ſuo biberet. Quod, cum benigne annuiſſet, bibit illa, non, quam ille guſtauerat aquam, ſed elegantiſſimum vinum. Tacuit, & ante ſeruum Domini vas repoſitum eſt. Et cum iteratò bibere volens inueniſſet vinum, noluit vltra tangere, ſed redditum eſt Comitiſſæ; & illa, miſit cuidam coram ſe diſcumbenti inter cæteros præcipuo. Cumque per ordinem bibiſſent, & omnes ſtudioſe tacuiſſent, nouiſſimè cuidam cæco porrectum eſt; ſed & ille tacens ductori ſuo præbuit. Tunc ab illo exclamatum eſt, eſſe optimum vinum, quod de terra vnquam virtus diuina produxerit. Ibi, ſi accipere voluiſſet, multis donis ditatus rediſſet, ſed ea ſolummodò accepit, quæ poſtera die in Miſſæ celebratione oblata ſunt; &, quæ Comitiſſa pro ſalute animæ viri ſui conferre curauit. Auditis ergo ibi multorum confeſſionibus, eiſque in orationes, & fraternitate ſuſceptis, non ſine magna ædificationis lætitia dimiſſus eſt. XLVII

Aqua in vinum [illegible] conuertitur.

Erat Marchioni Orientali Luipoldo Præpoſitus nomine Anſelmus, vir magnarum opum & amplæ poſſeſſionis, ſed tam plenus vitiis, quam diuitiis. Hic, cum Præpoſituram multis adminiſtraſſet (* annis), percuſſus eſt Paralyſi, vna parte corporis totus factus inualidus. Sed quamuis iam alter idem ageret officium, iſte tamen ad reſignandum nulla potuit ratione conuinci. Rogatus eſt ergo ſanctus Pater ab ipſo Marchione, vt ægrum viſitaret, & ei ſalutis dare conſilium dignaretur. Perrexit; ſed miſerum ad reatus ſui cognitionem, vel reſignationem culpabilis officij, nullo ingenio conuertere potuit. Cum ergo, nocte ſuperueniente, omnes ſe quieti dediſſent, viro Dei deorſum in Caminata cum Monachis ſuis iacente; militibus verò, qui in eius comitatu erant, ſurſum in ſolario dormientibus, ecce cati diuerſi coloris & magnitudinis ita idem repleuêre ſolarium, quod poſſe ſubſiſtere non ſperabatur. Quorum quatuor vnum de militibus, vocabulo Outinch, aliquantulum iocundum, atque mirabilem, & poſt ſatietatem oblitum ſe ſignare, inuadentes, de loco ſuo in alium traxerunt, nihil omnino dicere, nec mouere ſe valentem: niſi quod tantummodò Crucem ſibi lingua in palato formauit, ſicut audierat fieri debere in huiuſmodi monſtruoſis dæmonum ludibriis. Et ita dimiſſus eſt vix ſpirans præ timore, ſudoreque perfuſus. Verum vnus de omnibus ſpecie aſpidis aſſumpta, deorſum ad ſanctum virum deſcendit, & latinis verbis cum eo loqui incipiens, huiuſmodi aduerſus eum querela vſus eſt. Quid, inquit, tu hic facis? aut, quæ tibi cum meis rebus ſocietas? Nonne domus hæc condita eſt apud me & ſignata in theſauris meis? Vnde igitur tibi habitare in ea? Recede hinc, & vlterius, quæ noſtræ partis ſunt, occupare caueto, ne totis tibi viribus aduerſemur, facereque, quod non cupis, compellamur, quemadmodum vni tuorum modo fecimus, peiora propter tuam præſentiam differentes. Aderat autem ibi quidam Monachus nomine Fridericus, qui de Garſtenſi monaſterio receſſerat, atque illuc ſeruo Domini occurrens, ea nocte cum ipſo pernoctabat. Iſte vigilans illam diaboli cum Beato viro audiuit altercationem; Et poſtea inde recedentibus, narrauit omnia per ordinem. XLVIII.

** in MS. deſiderabatur.*

Igitur

Igitur vir Dei præcepit immundo ſpiritui illam quantocyus deſerere habitationẽ, &, ne quid læſionis cuiquam inferre pſumeret, potẽti auctoritate imperauit. Tibi, inquit, cedere, & de loco iſto modò recedere Dei tui nos fortitudo, tuæque magnitudo ſanctitatis compellit: ſed, te diſcedente, nos hic potentes eſſe conſtabit. Ilico diſparuit illa infernalium canum infelix aggregatio, monachi minime dormientis, nec non & militis ſeorſum iacentis comprobata teſtimonio. Die itaque inſecuta, cum ſermo eius in Præpoſito illo non caperet, ad recedendum inde cum celeritate ſuos cœpit inſtigare, à quibus vix, dum cibum ſumpſiſſent, compulſus eſt exſpectare. Poſt non multum tempus Præpoſitum illum præpoſitura ſua deſeruit, quamuis ipſe eam deſerere noluiſſet. Et cum in vas eum poſuiſſent ad ſepulturam deducendum, tam immenſos dedit illud vas crepitus, ac ſi motibus introrſum iacentis ita crepare cogeretur.

Diaboli præſtigias pellit. Nota de Præpoſito male vitæ, nec Præpoſiturã reſignante.

XLIX. QVOTIESCVNQVE vir ſanctus, vrgente aliqua neceſſitate, opus habebat foras exiens externas agere cauſas, raro aut nunquam pro velle ſuo redire ad monaſterium potuit; ſed ſemper diutius, quam vellet, extra morari compellebatur, Tanta fuit inuitantium inſtantia, tantus amor videre cupientium: tenebatur autem maximè ſpiritali occupatione, dum ſe quiſque infelicem reputaret, ſi eius non audiſſet conſilium, ſuam ei confeſſionem non feciſſet. Rediens igitur ad clauſtrum, donaria, quibus ab inuitantibus fuerat honoratus, ſemper omnia in Capitulo Fratribus præſentabat; memorans his eos ab amicis & fidelibus viſitatos, quibus deberent orationibus & ſeruitiis fideliter & infatigabiliter reſpondere. Erant vero tot & tanta, quæ frequenter afferebat, quod ex eis multum emolumenti ſingulis obedientiis conferebat. In quorum præſentatione, vel diuiſione, ſiue quotiens largientium recordari opportunitas monebat, mirum dictu, ita cunctorum nomina, quantacunque eſſent, memorabat, ac ſi coram ſe fuerent vniuerſa conſcripta. Porro pauperum inter hæc minime obliuiſcebatur, ſuam illis partem clementer excipiens ſibi in futuro centupliciter multiplicandam.

L. QVADAM die dum iter ageret, obuiauerunt ei multi peregrini, omnes nudis incedentes pedibus, quanquam immenſis vniuerſa replerentur niuibus. Quibus cum ſigillatim dare nummos iuſſiſſet, & eos diuinæ protectioni cum magna dulcedine commendaſſet, vnus ex illis tanta animatus pietate, manum debilem, multis diebus prorſus inutilem ei obtulit benedicendam, ſpem habens magnam recipiendæ ſalutis, ſi eius adtactibus ſanctis fuiſſet attrectata. Tum ſanctus; vtinam, inquit, bone vir, tibi vtile eſſet, quam libenter facerem, quod peris. Accipienſque manũ illius benedicere & tractare benigniſſime cœpit; extemploque ſanata eſt, cunctis, qui aderant, cauſa admirationis & exultationis effecta.

Sanat benedictionẽ ſua manum aridam.

LI. MILES quidam nomine Tyemo de Houeſtetin filiam dæmone vexante cunctis lamentabilem propinquis (habebat.) Hanc cum multi liberare conarentur, ſed minime valerent, dicente dæmone, nullam ſibi de eis curam eſſe, ſolum Bertholdum de Garſte plus omnibus valere. Hic niſi veniret, locum ſuum propter nullum deſereret: venire eò vir ſanctus, Patre diligenter, ſimpliciterque inuitante, dignatus eſt. Pro quo, cum miſiſſet, cœpit illa Patri quaſi fraudem improperare, dicens; Infideliter mecum egiſti, quod pro illo, qui mihi non placet, miſiſti. Et alia ſimilia exprobrans, timorem, quem de aduentu Sancti habebat, celare non potuit. Veniens ergo, malignum ab ea ſpiritum ſine dilatione eiiciens, gaudium quidem magnum parentibus illius & amicis fecit; ſibimet vero tantis miraculorum virtutibus cauſam operatus eſt benedicibilis memoriæ, & perpetuæ venerationis, iuxta quod ſcriptum eſt; Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Quæ verba, quam apte, imo, quam ſpecialiter huic Beato viro conueniant, non eſt neceſſe ſcribendo comprobare, cum profecto id tota patria clamet, omnis circumpoſitæ regionis frequentia aſſiduis accurſibus, apud eius ſepulcrum ſoleat declarare. Sicut enim viuens in corpore frequentabatur ab omnibus, inuitabatur à multis, adeo, vt etiam Regis Chuonradi eſſet ſpecialis Confeſſor & carus amicus; quod & munerum, prædiorumque comprobauit largitionibus: ita quoque adhuc indeſinenter iuxta ſancta eius oſſa multis fidelium demonſtratur excubiis, quantum diligatur, quantaq; dignus ſit veneratione, cuius ſic viuit memoria in benedictione. Conſtat autẽ, & omnino caret dubitatione, quod nequaquam ita amaretur ab hominibus, niſi etiam omnipotentis Dei eſſet felix dilectione: Dicatur ergo recte de eo; Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Vere in benedictione eius memoria, dum à fidelibus benedicitur Deus, qui ſimilem illum fecit in gloria ſanctorum, dum ipſis ſuis veneratoribus inſuperabilis datur cœleſti benedictione contra inimicos potentia.

Dæmonem ex puella expellit. Eccleſ. 45.

B. Bertholdus confeſſarius Cuanradi Imp.

LII. PERGEBAT vir Domini verſus Medelik orandi gratia, vt B. Cholomanni venenaretur merita, & imploraret ſuffragia. In quo itinere, cum hoſpitio indigeret, miſit nuntium ſuum ad quendam magnæ ſtrenuitatis & libertatis virum, qui vocabatur Meginhardus, rogans ſibi, ſuoque comitatui curam hoſpitalitatis ea nocte exhibere. Quod cum ille optime accepiſſet: (quis enim de eius ſuſceptione non ſe exiſtimaret felicem, dignumque benedictione?) intrauit in domum viri, & cum lætitia magna ſuſceptus eſt. Ibi venit ante eum pauper quidam contracto pede debilis, baculo ſuſtentante vix incedens, ſperans ſe aliquid accepturum ab eo. Quem videns homo Dei miſericordia motus ſuper illum, cœpit cum illo de eadem eius loqui infirmitate. Cur, inquiens, bone vir, non quæritis à Deo opem veſtræ debilitatis? Accedite mane ad altare, quando miſſã celebraturus ſum, & penſate vos ibi, vt moris eſt, & permittite vos aſpergi aqua benedicta: fortè diuina miſericordia magnificabitur in conſolatione veſtra. Ita factum eſt: Vbi mane venientem ſanctus vir ægrum benedixit, & aqua benedicta aſperſit, ilico ſanus effectus eſt, erectoq; pede incolumis & lætus de Eccleſia progreditur.

Claudum benedicens ſanat.

LIII. ERAT apud Woluaren quidam ruſticus liber homo Rudolphus nomine; qui tanta inſania arreptus, vt affines eius, vxorem & liberos prædicti Ruſtici cuſtodirent, ne ab eo interimerentur. Hic, per abrupta montium, per concaua ac deuia ſyluarum die noctuq; laborans non quieſcebat, niſi vbi eum laſſitudo corporis quieſcere coegiſſet. Contigit autem hunc quadam nocte cum ſeruis Domini Marquardi bonorum omnium memoria digni, tunc Glunicenſis Cœnobii Abbatis, ſed poſtmodum in Garſten in Patrem aſſumpti, vigilias noctis ſuper equos iam præfati patris agentibus manere. Qui ſerui, propter timores nocturnos, & inſanum pariter commanentem, terminum in modum coronæ ſibi circumdabant: quem terminum, ſigno ſanctæ Crucis diligentius ſignabant. Et ecce intempeſta nocte canes teterrimi veniebant latratuſque magnos in locum ſignatum dabant; ſed minime terminũ tranſgredi præſumebant. Seruis vero hæc aſpicientibus, & finem rei præſtolantibus; ille, ab eis ſaliens, circulum ſignatũ tranſgreſſus eſt; ac ab eiſdem infernalium Canum aggregationibus in morem leporis, vel alius feræ, infeſtatus eſt. Hanc infeſtationem ipſi in tantum audierunt, quantum longitudo terræ audire eos conceſſit. Die itaque inſecuta Cellerarius prætaxati videlicet Glunicenſis Cœnobii, cauſa curæ ſibi creditæ, ſummo diluculo clauſtrũ egreſſus eſt; ipſum inſanum, arboremque ſpinæ proceræ ſtaturæ, quam ſecum demens ille aſportauerat, pro foribus inuenit. Quẽ miſer intuens ac ſalutans; ſalutatoq; eo, ait; O Domine Cellerari, ſupſedete equo iſti: quia, omni lenitati aptus eſt. Iterũ inquit: Eia, quantos equos indomitos ego cuſtodiui in hac nocte? ſi vobis placet, dabo vobis duos; ſed nulli licet hoc ſcire pter nos. Quod munus Cellerarius renuit; eumq; pranſũ ire iuſſit. Inſaniã. n. eius oẽs timebãt; & ideo eũ oẽs repellebant, ſed ipſe, licet inſanus, neceſſitate tñ corporis cõpulſus patrẽ, ſicut oẽs egẽtes, ita & ipſe ſine intermiſſione adiuit. Idem iterũ inſanus vna nocte in domum cuiuſdam ciuis regionis illius intrauit, & apud eum per

litus animis fidei ſanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiuerunt: ſed corde ſemper Chriſtianiſmum ſuum retentans, cum ad ſolam deriſionem [a] meditationi periturarũ inſiſteret literarum, eo amplius in amorem Chriſtianæ fidei exardeſcebat, quo liquidius deliramenta peruerſi dogmatis probans, ſubtilem dæmonioſi illius fallaciam aduertebat. Et cum non poſſet publice cultum fidei gerere, vbiq; tamen Dei ſacerdotibus ſeſe commendans, pro ſe efficacius exorari poſcebat.

a Studio.

II. INTEREA prouehitur in annis iuuenilibus ſtrenuus adoleſcens, & florentibus genis virili facies exornatur decore. Hinc adhortatione affinium condignum ſuæ nobilitati connubium appetere cogitur. Hinc vnuſquiſq; ſuorum, prout nouerat, illius, vel illius optimam eſſe ſobolem aſſerebat: ipſe autem interius aliter ruminans, Chriſto ſui connubii negotium committebat, crebris interuentibus precum cœleſte numen exorans, vt talibus præpollens votis coniux ſibi daretur, quæ ſecretum ſuum in melius proficere contenderet, faueretq; mente & corpore cultori latenti. Cuius fauore tandem adiutus reperit honeſto germine virginem conſtipatam, rebus inclytam, moribus comptam, ſpecieq; pulcherrimam. Quæ cum præcipuo venuſtatis habitu extrinſecus decoraretur, præſtantius tamen interius ſpiritali enitebat decore. Quia omnis gloria filiæ regis ab intus, id eſt in penetralibus mentis. Ibi enim ſanctitate, in fimbriis aureis varietate ſcilicet amicta virtutum [b] Chriſto regi placitum exhibebat famulatum. Hæc namque puella parentibus paganis progenita, adhuc cunabulis incubans, patre orbata eſt. Cuius genitrix alium virum ducens, qui fidem Chriſti occulte retinebat, coniugem impietatis errore extirpans, priuignam Chriſto aſſignare ſtuduit, eamque ex ſacramento Baptiſmatis [b] Sabigotho appellans: licet publice paganis admiſcerentur, geſtabant vero animo firmiori vtriq; pietatis religionem. Hanc ſibi puellam venerabilis iuuenis iure [c] coniugalitatis aſciſcens, completis ſponſalium titulis, arratumq; pignore alternanti in inuicem exhibitione contradita legitima, ad vltimum miniſterio ſacerdotum ex more ſacrantur, ſicq; pari commercio aliquo tempore clancule fidem Chriſti gerentes, non omnibus arcanum ſuæ fidei reuelabant carnis infirmitate depreſſi, non diminutione vtriq; voti.

Pſalm. 44.

b Matrimoniũ inter virum & vxorẽ alterius religionis.

b alii Nataliã appellant.

c Sabigotho Aurelii vxor.

III. FVIT autem beato Aurelio proximus genere vir quidam nomine [d] Felix, ſancta inſuper eidem dilectione connexus, qui occaſione diaboli in fide vacillans, cum poſtea lapſum præuaricationis ſuæ altius ſuſpiraret, vltra non potuit patulo congreſſu religionem Chriſti exercere. Qui & ipſe filiam occultiorum Chriſtianorum nomine [e] Linoſam in coniugem ducens, Chriſtum in abditis tectius excolebat. Quapropter inconuulſibiliter inuicem adhærentes, ſemper vnam habuere familiaritatem, eandem geſſerunt dulcedinem, nec proſperis, nec aduerſis caſibus ſe diſparantes, idem illis extitit affectus: tantaque illa pietatis neceſſitas in vtroq; fratre perfectionem contulit charitatis, vt nec vita, nec morte diuiderentur, quos par religionis occaſio glomerauerat, de quibus merito enarrandum eſt: Sancti, amabiles, & decori, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe inuicem, ita & in morte non ſunt diuiſi. Exactis igitur non plurimis annis accidit, vt eo die in forũ proficiſceretur Aurelius venerabilis, quo Ioannes ille (cuius in priori libro meminimus) odio nominis Chriſti vſq; ad necem verberibus cruentatus, retrorſum aſello euectus, immenſoq; vinculorum pondere coarctatus, vt in parte [f] ſtramentum reclinaretur iumenti, qua eius crura pendebant, præcedentibus illuſorum præconibus, totam circumeundo vrbem ſatellitum miniſterio ad ſpectaculum vulgi pertractus eſt. Et cum hinc inde voces exprobrantium reſultarent, dicentes, nullatenus dignam ſui ſceleris pœnam eundem adhuc perſoluiſſe, quippe quem tantæ reuerentiæ [g] vatem ſubſannatione impetere non verentem, plectendum potius morte turpiſſima congruebat.

d Felix Aurelii propinquus.

e Linoſa Felicis vxor.

2. Regum 1.

Ioannes confeſſor.

f Significat pondere catenarũ aſini clitellas ſubuertas & deiectas, ita vt in caudã deflueret.

IV. EXTEMPLO futurus belliger amore compunctus martyrii, cœleſti quodammodo flamine aſpiratur, vt illud pro ſe fieri ſpectaculum crederet, cauſaq; admonitionis ſibi fuiſſe oſtenſum, ne ſcilicet formidare deberet eos, qui corpora trucidant, cum nihil anxietatis animabus poſſint inferre, ſed illum potius pertimeſceret, qui poteſt corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Cuius [h] fidei ſtabilitatem admirans: vere, inquit, ſuper angelicam petram tabernaculum credulitatis huius viri fundatum eſt, quod tanta vis tormentorum non impulit, nec labilium pœnarum aura concuſſit. Quod ſi qui vexillum Chriſti reuelatis gerit aſpectibus, tot feria cruciamenta zelo Redemptoris ſuſtinuit, cum vtique cladem illius ſupplicii præuaricando poſſet euadere: & melius carnis ſuæ iacturam, quam perniciem animæ iudicans, non ſe paſſus eſt ſub vnius vocis articulo à Chriſti religione abſtrahere: quibus me ego dignum conuitiis credam erudiendum, vel quo me arguendum ſupplicio debeo tradere, vt vigorem illius damnati, quem hodie intuitus ſum, capiam, fruarq; conſtantia? Hæc, dum crebreſcentibus ſupernis iam vocationis ſuſpiriis, ruminare animo cœpiſſet, regreſſus domum retulit piæ ſodali cuncta, quæ viderat, lætoq; ſpiritu addit. Tu ſemper dulciſſima coniux, cum ego mihimet viuerem, & Deo mortuus eſſem, ſedulo me adhortata ad confeſſionem trahebas: inſtabas quotidie me ſæculi voluptatibus nitens auellere: tenebroſis mundi affectibus felicitatem æterni regni præferebas, labentia cuncta, & omne quod fine arctatur, ſuadebas relinquere: prædicabas monachos, mundum renuntiantes laudabas religioſarumq; conuerſationem oblectans, vitam ſæpius ſuſpirabas ſanctorum. Sed ego necdum ſupernæ gratiæ compunctione luſtratus, omnino ſalutaribus non poteram acquieſcere hortamentis, aut forte correctionis meæ præfinitam à Deo patre nondum inſiſtens admonitionem, differebam operibus exequi, quod, licet tenuiter, animo meditabar. Ecce iam nunc, chariſſima, tempus acceptabile venit: adſunt dies ſalutis, in quibus à retroactis, & exterioribus reſilientes, in id quod inane eſt, nos extendamus. Et primo omnium munditiæ, & continentiæ perfectius ſtudentes, vacemus orationi, quo facilius ad reliqua ſanctitatis induſtria properemus. Fiat nunc ſoror, quæ extitit coniux: in affectu germanitatis thorus noſtræ coniunctionis pertranſeat: proficiant ſoboles animarum: ſubcreſcat ſpiritualium generatio, & ſpreta glutinatione membrorum cœnoſa, nouerit mens præſtantius (adempta carnis delectatione) perpetuæ incolumitatis producere germina. Vt quoquo modo condigni martyrii præmio habeamur talium meditatione laborum.

ita Ambr. Morales ad hũc locum

g Mahometũ dicit.

h Aurelius viſo ſpectaculo agonis prædicti Ioannis, animatur ad pœnitentiã & martyriũ

2. Cor. 6.

Is poſtea cũ ſua cõiuge viuit continenter.

V. SVSCIPIT lætantibus animis venerabilis mulier pium viri conſultum, gaudenſq; multipliciter in ſubitatione inſperatæ ſalutis, hæc eſt (ait) immutatio dexteræ altiſſimi: hæc ſunt iam noſtræ vocationis auſpicia: hæc ſunt, quæ ſemper optabam, æterni regis commercia: vt carne morientes, viuamus ſpiritu, quo illi facilius vniamur, de quo ſcriptum eſt: Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Quamobrem, Domine mi, quia hoc tibi non humanitus reuelatum eſt, ſed pater cœleſtis te olim ad æternum præſcriptum militiam, concitis vult iã greſſibus properare: cunctis nos vinculis abſoluamur, excutiamur à puluere, deſiderio vitæ perennis ſurgamus. Fit itaque vtrorumq; communis in Dei ſeruitute aſſenſus. Diuiduntur cubilibus: votis conciliantur. Præfulgent lectuli fulcra veſtium, colorumq; varietate, qua ſuam conuerſationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi ſuper ſtructum [g] crudo latere thorum hiſpidis tantummodo inſtructum ciliciis [h] diſpares incubabant.

Sapient: 5.

Ioan. 4.

g Hiſpaniſmus: pro; nullo ſtragulo aut veſte ſtrato.

h Seorſum, alter ab altero.

VI. IEIVNABANT ſæpe: ſine intermiſſione orabant, & quoſcunq; nouerãt pſalmos, noctu meditabantur. Vincebant tenebrarum chaos interiecto vigiliarũ labore, omnemq; dæmoniorum fraudẽ talibus euincebant ſtudiis. Miniſtrabant egenis: curã pauperũ omnino gerebant. Et quoniã adhuc iam dictus Ioannes carcere detinebatur, nos quoq; ex antro educti his vinculis detinebamur: vtraq; etiam virgo, Maria ſcilicet & Flora, tunc fœminarũ latibulis cauſa fidei incolebant: aderat frequens eorũ erga compeditos diſcurſus, ex eo videlicet tẽpore quo beatus Iſaac monachus, ſeu cæteri

Ioannes cõfeſſor.

Maria & Flora Martyr. Iſaac martyr.

ſancti

quentes, totum aliud ſtipendiis applicant egenorum. Virorum ac mulierum viſitant monaſteria, præcipue tamen Tabanenſe cœnobium, quia ſummis monaſticæ regulis diſciplinæ cunctum honeſtæ famæ rumoribus illuſtrabat Occiduum. Inde athletæ fortiſſimi hauriunt documentum: inde inſtituta percipiunt: ibi ſe poculo vitæ perennis ingurgitant. Ibi ſanctiſſima Sabigotho frequenter cum ancillis Dei moratur: diſcit ibi totius ſancti timoris induſtriam. Ibi geminum pignus ſub beatarum tutela conſtituunt. O ſtupenda mundi renunciatio, & admirabilis ardor diuinus, quo filiorum affectus reſpuitur: quo opum affluentiæ repugnatur: quo proximorum dulcedo refellitur: quo mors pro vita eligitur: quo labentia cuncta contemnuntur: quo intuitu æternæ felicitatis vincla, cædes, cruces, carceres, verbera & tormenta pro ſummis habentur deliciis. Vna ſiquidem filiarum octennio, luſtro altera ducebatur. E quibus ego poſt necem parentum minorem reperiens, vix tenerrimo ore facundiam exprimens, me infantiſſime adhortatur, vt genitorum geſta ſcriberem, proderem actus, elucubrarem trophæa. Et cum propter hoc quid ab ea beneficii præſtolarer, exquirerem (mira dicturus ſum, tantillam ætatem talia quiuiſſe in promptu aduertere, niſi forte credendum ſit, quod ab illo imbuebatur interius, qui ex ore infantium, & lactentium perficit laudem ſuam) impetrabo (inquit) pater tibi à Domino Paradiſum.

Tabanenſe cœnobiũ.

Aurelii filiæ infantes.

Pſalm 8.

Diuinũ infantulæ ad D. Eulogiũ reſponſum.

VERUM quia competenti occaſione gratia diſſerendi paruitatem infantularum, paululum ab ordine directo receſſimus, quo rem ſcilicet poſt nouenum martyrii eorum menſem patratam ſubiungeremus: nunc ærumnoſæ & ſub mundanis adhuc moleſtiis laboranti inſeruimus hiſtoriæ. Non nos obinde fraterna infamare debet reprehenſio, vnde culpabiles argui non veremur à Domino. Nec obſtat vltimo, an priori, mediove loco veritas diſſeratur, quandoquidem veritatis aſſertor nullatenus benedictione priuatur. Iccirco è veſtigio repedantes, ad reliqua beatorum ſtudioſius geſta referenda curramus. Cum ergo intenti cœleſtibus, omni tempore vigiliis, orationibus, eleemoſynis, & ieiuniis incumberent: (frequenter tamen ſuperno ſydere in cubiculo ſuo, quo iſta meditabantur, reſperſi ſunt, adeo vt illapſum iubar æthereum omnem præſentis ſpeciem luminaris interpollans, horridum eſſe chaos ſui comparatione autumari compelleret) diuinis ſæpe reuelationibus eriguntur: fruuntur colloquiis Angelorum: lætitia cœlicolis mente & ſpiritu adunati, non ſine graui moleſtia corporale onus ferebant. Quodam namque die, cum atrium ſereniſſimi præceptoris noſtri Aluari, toto in ſcripturarum ſcientia Occiduo laudati, gratia † collationis mutuæ, noſtraque alternanti propoſitione mentem erudiendi in ſcripturarum problematibus petiuiſſem: reperi coram eo militem Chriſti Aurelium, conſultum agonizandi quærentem, & quatenus arriperet martyriale auſpicium implorantem. Quem idem Doctor egregius, & temporis noſtri fons ſapientiæ profluus, Patrum exemplis inſtituens, iubet primo conſtantiæ vires perpendere, ſecretum ſuum aduertere: conſiderare arcanum: & vtrum imminentia magis noſſet ferre, quam declinare ſupplicia, vltimo excepturus delicatis ceruicibus gladium. Et ſi magis merita martyrum adipiſci, quam vocari martyr contenderet. Et ſi magis terris ignotus florentibus cœlo meritis catalogo electorum ſeſe affectaret deſcribi, quam in ſupernis diminuto præmio, famoſum temporalis martyrii anhelaret nomen habere. Tunc ille, ſe vſque ad mortem dimicaturum ſpondens, nulla prorſus vi tormentorum intentionem ſuam ſuperandã eſſe fatetur. Mihi, mihi, inquit, maximum vitæ ſolatium Chriſtus eſt, & mori lucrum. Cui terrena conuerſatio teterrimæ noctis caligo eſt, & memoria tranſitus mundialis perpetuæ lucis odorem aſpirat. Fit commune deinceps gaudium cauſa noſtri aduentus: de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus intereſſe concilio noſtro verbum Patris altiſſimi, qui vbique nomini ſuo dicato collegio ſe illabi teſtatus eſt, dicens: Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum. Et cum plura ſuo agoni competentia referremus, idemq; gratiſſimis animis noſtrum exciperet documentum: ſatis, vt reor, collatione noſtra iuuatus, continua bella Domini initurus, ad propria regreditur. Beata vero Sabigotho nonnullis ante paſſionem diebus dum ſola domo reſideret, Chriſtumque ob perfectionem martyrii ſui, quibus poſſet † queſtibus obſecraretur: ſubito aſtare ſibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, vt putabatur, adoleſcentiæ florem gerentem. Cui cum illa diceret: Tu quis es filia? & ſi è vicino accedis, cauſas tui aduentus ediſſere. Protinus ſpectabilis virgo, ſoboles, inquit, amici veſtri Monteſis ſum, quam tu mundialibus ærumnis ſcis olim exemptam, quamque eadem hora, qua ſupremis vexabatur anguſtiis, priuſquam propius viſitares, reperiſti exanimem. Et cum te ego ſæculo pene eliminata non nouiſſem, ipſo tamen obitus mei momento quis eſſes Domino reuelante agnoui: & nunc eo mittente præuia nunciatrix palmæ tuæ acceſſi. Inſtat namque iam vobis tempus exequendæ victoriæ: adſunt dies publice profitendi fidem Catholicam, hoſtemque repellendi teterrimum. Quibus ſedatis litibus cœlorum penetralia vos coronandos adſument, perpetua deinceps pace fundatos. Igitur ſcrutans cor ſuum venerabilis fœmina, ſecumque meditans eloquium adſiſtentis, confeſtim reuoluta memoria, rem geſtam agnoſcit, & priuſquam grates euangelizanti ſibi puellæ referret, labitur à conſpectu eius illa virginalis ſpecies ætheris nuncia, & præco ſui martyrii. Fit læta tali præconio: animatur cœleſti oraculo, & tanto ſpe firmiori ad prælium excitatur, quanto ſeſe patratæ actionis veritate cernit informari.

Aularẽ adit Aurelius, quẽ Eulogius, cũ cõs diſcipulus fuerit, præceptorẽ vocat modeſtiæ cauſa. Moralez.

†Pro, colloquio, aut cõuerſatione.

Ad Phil. 1.

Matth. 18.

†Pro, lamẽtationibus, aut querelis.

Monteſis filia Sabigothoni apparuit.

VERUM vt magis magiſque ſcopo prædeſtinationis ſuæ intenderent, eſſentq; non dubii de mercede repoſita, ſiue vt ſanctarum virginum impleretur edictum: octonis ante ſuam captionem diebus, dudum promiſſus ille confeſſor contuberniis eorum adſciſcitur, & inconuulſibiliter his quodammodo alligatus, felici martyrio omnes ſub vno momento pariter coronantur. Idcirco congruum iudicauimus eiuſdem monachi rationem, quia opiſo interceſſit, exponere, & quod vehementi admiratione ætatem noſtram eius cauſa concuſſit, ſucciduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari: vt in eo Catholicorum religioſitas incremento fidei augeatur, in quo ſui Redemptoris oraculum ſpeciali quodammodo cernit eſſe veritate impletum. Prædixerat quippe magiſter noſter & Dominus, quod multi ab Oriente & Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum. Quod teſtimonium reuelatis contuemur effectibus in ipſo monacho, atque leuita Georgio omnino perfectum. Huic rus Bethleemiticum ortum, & incolatum æthereum peregrina littora contulerunt: hic, inquam, vir vltra maria procreatus, ab adoleſcentia ſeruitute Dei oblectatur. Viginti & ſeptem annos apud monaſterium ſancti Sabbæ, quod ab Hieroſolyma in parte Auſtrali octo milliaribus diſtat, cum quingentis, (vt ipſe nobis ore ſuo profeſſus eſt,) qui in eodem cœnobio morabantur fratribus adunatus, ſub regulari magiſterio deguit. Quem venerabilis Abbas Dauid, eius aſciſterii tunc procurator, ob † ſtipendium monachorum Africam mittens, is nullo modo tot interiacentia terrarum, mariumque diſtulit ſubire diſcrimina, quibus vtrique incunctanter commodum ſummæ virtutis obedientiæ nouerat promereri. Sed cum ibidem vapulare aſperius Dei Eccleſiam incurſatione tyrannorum reperiſſet, Hiſpaniam quoque eorum, quibus miſſus fuerat, conſultu aggreditur. Erat enim, vt ipſi de eo certiſſime approbauimus, ſummæ humilitatis, magnæque abſtinentiæ vir. In omni eloquio ſuo, dicto, atque reſponſo timor Domini reſonabat: ocyus ſemper de puro cordis fonte charitatem exhauriens, fauum dilectionis promebat. Prædicabat cœleſtis deſiderii requirendam eſſe compunctionem, mortificare cum vitiis & concupiſcentiis membra iubebat, vt in aduentum Domini recidiuo virtutum animata vigore, glorioſiora cum ipſo apparerent. Ita ſobria præditus ſanctitate, iuſtus videri, vel dici nimium recuſabat, iucundus admodum, hilaris, modeſtus, & abſtinens ſic vtebatur mundo, tanquam non vteretur. Et cum forte, fraterna imperante charitate, cibum ſumere cogeretur,

Matth. 8.

Georgius monachus & Martyr.

†Victũ, & eleemoſynã.

Africæ, Eccleſia D. Eulogii tẽpore afflictiſſima.

S. Georgii ſermones.

Carnis mortificatio.

epulaba-

epulabatur parcius: bibebat ſobrie, vt magis abſtinentem iudicares, quam veſcentem. Merum aqua tamdiu temperabat, vſque dum color inficeretur, ſapor abeſſet. Inſipidus namque ille guſtus, (ita referebat) nec bibere nimiũ, nec temulari conuiuam patitur.

Preces & vigiliæ *Pſal.* 33.

Crebrivs ad exorandum currebat: vigilabat attentius: ſæpius corde diuinum carmen meditabatur, dicebatque: Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Et cum variis linguis peritus exiſteret, XII.
Græca ſcilicet, Latina, atque Arabica: nec qualemcunque ſaltem propter has gloriam affectauit. A die qua monaſterium petiit, & cohortibus monachorum aſcitus eſt vſque ad coronam martyrii ſui, (vt ipſe quibuſdam ſecretius retulit) nec lotus aqua, nec balneis vſus eſt. Quamdiu nobiſcum conuerſatus eſt, nulli omnino ordinem ſuum reuelauit, niſi cum iam carcere detineretur. Commentatus eſt fratribus, ac propinquis ſuis, cunctiſque patriæ ſuæ ciuibus martyrii ſui breuiarium: quod mihi cauſa expoliendi tranſmiſit: ne incultior ſermo fidẽ rei geſtæ, quibus mittebatur, adimeret. Ibi in principio dictionis ſuæ monachum ſe, atque leuitam fore teſtatus eſt. Verum quid opus eſt ſermonem in longum protrahere? Quaſi non ſummam reuerentiam vitæ hominis Dei martyrialis cruor adhibeat, præſertim cum quantus, & qualis extiterit effuſus propter iuſtitiam Dei ipſe eius martyrialis cruor inſinuet, & quod peregrinus mundo peregrinam non renuens ſepulturam, omnem penitus genitalis ſoli, affiniumque affectionem repulerit. Aut quæ potius laus militem Chriſti extollet, quam pro Domino mortem, pro vita animam, pro crucifixo cruorem dediſſe: vt ipſum eſſet redhibitio famuli, quod extitit victoria crucifixi. Quomodo autem beatus miniſter cœtui ſanctorum agglomeratus fuerit, melius ore ipſius ſancti Georgii credimus poſſe innoteſcere, quo vel noſtræ dictionis ſeries, interpoſito martyris eloquio, quaſi deſuper benedictionis ſale condiatur: vel præſtantius commercium ſuæ connexionis cum cæteris ſanctis eodem narrante addiſcatur. Nam & ipſis diebus, quibus vna cum ſanctis habuit conuerſationem, ſua ac prædictorum martyrum geſta breui ſatis ſtylo exponens, vltimo nobis comprobanda direxit. Ex cuius dictis ea huic operi inſerenda curauimus, quæ ad inſinuandam eorum coniunctionem ſatis eſſe præuidimus. Cætera vero, quæ poſt defectum ſermonum ſerui Dei ſequuntur, nos obtentu, quo cœpimus, indagauimus. Inquit autem hoc modo.

Georgius de ſeipſo ſcripſit.

Georgii monachi epiſtola.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ à me indigno & peccatore Georgio monacho, necnon & diacono fratre, & collega ſeruorum Dei filiorum ſancti Sabbæ quingentorum virorum, XIII.
perfectam in Domino Iesv Chriſto ſalutem. Cognoſcite, ô fratres chariſſimi, introitum meum in Hiſpaniam nihil aliud fuiſſe, niſi gratia ſtipendii veſtri requirendi, qui ſub arctiſſima regula, & regimine ſancti patris Dauid Hieroſolymis degitis. A quibus Africam miſſus, deinceps in Hiſpanias commigraui. Sed hanc ipſam* inſulam nimis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus variis æſtuare, vt aut proprium ſolum reuiſerem, aut regna Chriſtianorum, id eſt, Franciam peterem. Et cum proximos, & chariſſimos ſuper hac re conſulerem, nonnulli peragrare iubebant, plerique ad cœnobium meum reuertere cogebant. Hinc velut dubius, diuerſo præpeditus tractatu, cui me primo cogitationi ſubmitterem, neſciebam. Pergens autem de Corduba ad Tabanenſe cœnobium, quo fratrum & ſororum benedictio iter meum comitaretur, dixit mihi Abbas ille Martinus, & ſoror eius domina Eliſabeth. Veni frater, & accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis. Quæ mox vt me intuita eſt, promiſſus (inquit) noſtri certaminis comes, & collega, hic monachus erit. Ego vero agnita cauſa eius, & ratione comperta, illico pedibus eius aduolutus, pro me Dñm exorare rogaui, vt forſitan Spiritus ſancti reſpectu illuſtratus, ad ea, quæ illa præſtolabatur, peruenire meruiſſem. Et illa: Vnde hoc nobis (inquit) pater, vt tu cum peccatoribus pergas? Cumque eadem nocte ibidem manſiſſem, apparuit mihi in viſione noctis ipſa venerabilis mulier Sabigotho, & neſcio quod genus odoramenti pretioſiſſimi ligni accommodans, referebat. Ditior ex hoc mihi theſaurus eſt. Mane autem facto, deſcendimus ambo in ciuitatem ad virum ſuum Aurelium, proſtrauique me pedibus eius, petens ab eo, vt oraret pro me, quod illis in martyrio ſocius eſſem. Qui ſtatim præbens aſſenſum, exarſit in me ignis cœleſtis per orationem eorum, & factus ſum vnus ex illis: & ex tunc non ſum ab eis ſeparatus, ſed omnes pariter in domo ſancti Aurelii congregati, reddimus Domino cum iucunditate vota laudationis. Ibi apud illos reperi beatum Felicem cum coniuge ſanctiſſimaIliloſa, qui & ipſi iam omnia ſua vendiderant, & locis ſanctis, ſeu pauperibus erogauerant, parati omne genus tormentorum propter filium Dei, & dilectionem eius ſuſcipere. Eadem hora exiui ab eis, & cauſas, quibus præpediebar, in omni feſtinatione compoſui. Et ſic demum valde iam roboratus, ad eos reuerti. Qui læti & exultantes de reditu noſtro, gratias Deo referunt, dicentes: Scimus, frater chariſſime, quia Dominus te miſit ad nos.

Quod per mare ex Africa in eã traiecerit, ita vocat.

Post hæc omnes in communi cœpimus cogitare, quomodo ad deſideratam perueniremus coronam, & ita XIV.
Domino diſpenſante viſum eſt nobis, vt pergerent ſorores noſtræ reuelatis vultibus ad eccleſiam, ſi forte nos alligandi daretur occaſio, & ita factũ eſt. Nam reuertentibus de eccleſia mulieribus, quidam præpoſitus obuius adſtãs, cum cauſam religionis agnoſceret in fœminis, illico viros interrogat, quid ſibi vellet ille recurſus fœminarũ ad ſanctuaria Chriſtianorum? Qui reſponderunt: fidelium mos eſt eccleſias viſitare, & atria venerabilium martyrũ pio deuotionis affectu requirere. Vnde quia Chriſtiani ſumus, ideo nos ipſius fidei geſtare vexillum profitemur. Statimq; iudici delator accedens, omnem rationem noſtram coram eo doloſis linguis proponit. Poſt hæc vadit dominus Aurelius filias viſitare, quibus pacis oſculo vale dicens, cœleſti virtute armatus ad prælium feſtinauit. Sed hic iam ſanctus Georgius ſtylum compeſcens, nos quæ reſtant, vt occepimus, proſequamur.

Nota antiquum morem Chriſtianorum.

Ipso poſtea die, quo ſe beatus Aurelius nouerat comprehendi, priuſquam auroræ crepuſculũ reſpiraret, do- XV.
mo nos gratia valedicendi reuiſens, precatur pro ſe Dominum exorare, ſuique agonis fautorem per nos fraternam fieri charitatem expoſtulat. Ibi nos illi commendauimus. Ibi patrocinium ſuum pro nobis, & pro omni eccleſia fieri, oſculatis manibus eius, impetrauimus. Poſt hæc, datis inuicem oſculis, ſeparamur in pace. Igitur, cum prolatam aduerſum Dei ſanctos iudex quæſtionem intenderet, ſciretque authorem huius rei eſſe Aurelium: grauiter ex hoc interius vulneratus præcepit eos quam propere ſuis conſpectibus exhiberi. Tunc milites rapido curſu domũ beati Aurelii occupantes, qua omnes ſancti collecti manebant, præ foribus clamare cœperunt: Exite miſeri: exite cominus morituri, quibus vita præſens tædium eſt, & mors pro gloria computatur. En iudex vocat, inſtat decretum vltionis effundere: conterere vult recedentes à cultu, rebellia paratus colla præſcindere: pergite vos modo iam debitum mortis exoluere, & commiſſæ præuaricationis pendentem ſententiam. Ex hinc viri cum mulieribus ſuis quaſi ad epulas inuitati procedunt: vadunt ouantes: læti proſiliunt, putares eos iam apud iudicem ſua inuẽturos donaria, qui nihil aliud habere poterant, quam tormenta. Et cum ſe Georgius ſanctus à militibus cerneret non teneri, illico ſancta fretus audacia in exprobrationem lictorũ conuerſus. Quare (inquit) priuilegium hoc fidelibus irrogatis, & vanũ colere violenter cogitis numen, quos ſancta fides proprios hactenus vendicauit? Vt quid alieni à Deo vero perditioni veſtræ agglomerare nitimini prædeſtinatos ad vitam? An non poteritis vos infernalia clauſtra adire, niſi nos comites habeatis? Nunquid ſine nobis æterna vos cruciamina nõ adurent? Vos abite, vos illuc pergite perituri, quo ſimul cũ duce veſtro inferorũ deliciis perfruamini. Nam quid nobis cũ tartaro, quẽ Chriſtus Deus noſter penetrauit, abſorpſit, expoliauit, & vicit: vt nõ iã auderet fideles addicere, qui pridẽ cõſueuerat priuilegio ſuo Sãctus diripere?

Aurelius ante martyrium Eulogium inuiſit.

Aurelius cum cęteris comprehẽſus.

Alacriter properant ad martyrium.

Præclara S. Georgii vox.

Vix

XVI. VIX ille ſermonem compleuerat, & iam furens dextra ſatellitum in iniuriam monachi laborabat. Quem diuerſis laceratum ſtimulis ſolo allidentes, calcibus etiam, pugniſq; acerrime tundunt. Cui cum ſancta Sabigotho (iam emortuum putans) ſurge, frater, eamus, clamaret: ille, quaſi nihil mali eſſet perpeſſus, reſpondit. Hæc omnia, ſoror, meritorum commodis proſunt, augentque coronam. Et ita, ſeminecem à terra leuantes, pari cum ſanctis ducatu iudici aſtare fecerunt. Quibus oblatis, cum primum ab eis blando affatu requireret, cuius rei cauſa à cultu ſuo recederent? viuere recuſarent? niterenturque perdere temporalium commodum multiplici deliciarum flore vernans? quos vtique poſtmodum in futuro non ſolum muliebris oblectatio admirabilis, verumetiam dignitatum, & ferculorum copia demulcendos expectaret: protinus quaſi ex vno ore. Nulla (inquiunt) ô arbiter temporis, affluentia lucris comparatur æternis, quorum gratia hanc vitam deſpicientes per fidem Ieſu Chriſti, qua omnis ſanctitatis operator iuſtificatur, eius denique in futurum benedictionis requie; quæ ſanctis promiſſa eſt, nos potituros confidimus. Omnem vero cultum, qui à Chriſti diuinitate diſſentit, nec profitetur ſanctæ Trinitatis eſſentiam, refutat baptiſmum, infamat Chriſticolas, ſacerdotio derogat, omnino reprobum iudicamus, pro nihilo rerum labentia computantes, quæ non diu ſubſiſtunt: quæ autem diligentibus ſe Chriſtus promiſit, cum ſint ineffabilia, ſemper tamen indefeſſa iugitate perdurant, & nec oculis contemplantur, nec aure captantur, nec corde perpenduntur.

Georgius capitur, & miſere pulſatur.

Sancti Martyres præſentantur indici.

XVII. VERVM, vt credo, quiddam etiam aliud religioſius diffuſo ore ſanctisante iudicem aſſerentibus, ſectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur iudex: rapido tractu eos carceri applicandos inſinuans, importabilium vinculorum onere aggrauari decreuit. Continuo exultantibus animis beati martyres ergaſtulum adeuntes, gaudent auſpicio paſſionis, paruipendunt ſupplicium, perſtrepunt hymnos, inſonant laudes; pſalmos perſoluunt; inſiſtunt orationi, qua fauente Domino victoriam adipiſci præualeant. Viſitantur ab Angelis; miraculis illuſtrantur; diſſiliunt vincula; & non audent reſtringere, quos Chriſtus abſoluerat. Ibi etiam, quam cœlis ſortem haberent, reuelante Deo agnoſcunt. Hinc de palma ſecuri manentes, & Chriſtum, cui fideliter ſeruierunt, cernere feſtinius anhelantes, dilatant vſque in quintum diem mortem ſuam, ſerumque putant ſe diutius elongari ab illa ſuauitate regni cœlorum, quam crebris iam corporeis † vſibus ferme intuebantur. At cum iam in forum proſternendi educerentur, venerabilis Sabigotho armare virum ſanctis alloquijs cœpit, confortat, inſtruit, & confirmat.

Sancti in carcerem miſſi.

† forte, viſibus.

XIIX. INTRODVCVNTVR palatio, conſulibus adſiſtunt, adhibentur opes, exhibentur faſces, quibus, ſi crederent, fruerentur. Sed his oppidò in profeſſione ſua demorantibus lictoribus perimendos inſtituunt conſules: ſoſpitem abire ſanctum Georgium decernentes, pro eo quod ijdem ipſi optimates & priores palatij nihil conuitiorum proferentem eum aduerſus vatem ſuum audijſſent. Ille vero miniſter egregius protinus, vt ſe comperit derelinqui, nec ſub vno cum ſocijs ictu mucronis perimendum inſtitui: cur ait, ô principes de profeſſione mea, quam coram vobis non protuli, dubitatis? aut putatis me de diſcipulo Sathanæ quidquam proſperum cogitare? Ego enim, vt verius agnoſcatis illum angelum, qui eidem præceptori veſtro, transfigurando ſe in ſpiritum lucis, apparuit; dæmonem credo fuiſſe, & hunc cunctis abiectiorem hominibus adiudico, vtpote diaboli credulum, Antichriſti miniſtrum, & vitiorum omnium labyrinthum: qui non ſolum ſe voragini barathri immerſerit, verum & nos ſequipedas ſua per inania inſtituta æternis dedicarit incendijs. Tunc in inſaniam proceres conciti prævalidam, vna ſimul cum cæteris ſententia necandum præcipiunt.

Georgius denuo ſe offert martyrio.

XIX. AC ſic primo beatum Felicem, deinde ſanctum Georgium trucidantes, poſt venerabilem Linoſam, vltimò egregios Agoniſtas Aurelium & Sabigothonem interimunt, 6. Kalendas Auguſtas, Era DCCCXC. Quorum corpora noſtri Chriſtiani furantes diuerſis locis recondunt: Georgius namque cum ſancto Aurelio Pilemelarienſi cœnobio ſeruantur. Beatus Felix ſancti Chriſtophori, quæ vltra flumen eſt, aulam tuetur. Sancta Sabigotho ſanctorum trium cineribus adunata eſt. Requieſcit apud Geneſium martyrem venerabilis Linoſa. Capita vero Georgij & Sabigothonis incolumnt..... Hi ſunt qui propter teſtimonium Dei, & fidem Ieſu Chriſti, vſque ad mortem certantes, nihil amori eius præpoſuerunt, non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non poſſeſſiones, non prædia. Sed omnia poſt tergum abijcientes, mortificatis cum vitijs, & concupiſcentijs corporibus, ad æternam immortalitatem producti ſunt. Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Annus Domini DCCCLII. dies Iulij 27

VITA S. VRSI ET LEVBATII ABBATVM, AVTHORE S. GREGORIO TVRONENS. LIB. DE *Vita Patrum*, cap. 18.

An. 490.

I. LEGIFERI vatis oraculum, cum de Principio principium fandi ſumpſiſſet, & Dominum extendiſſe cælos dextera maieſtatis fuiſſet effatus, ait: Et fecit duo luminaria magna, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli, vt præeſſent diei ac nocti, vt lucerent in firmamento cæli. Sic & nunc menti humanæ, ſicut priorum ſanxit authoritas, luminaria magna dedit, Chriſtum ſcilicet, & Eccleſiam eius, quæ luceant in tenebris ignorantiæ, & illuminent ſenſus humilitatis noſtræ: ſicut Iohannes Euangeliſta de ipſo Domino ait: Quia hic eſt lux mundi, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Poſuit etiam in eo & ſtellas, Patriarchas videlicet, Prophetas, Apoſtoloſque, qui vel doctrinis nos erudiant, vel mirabilibus ſuis illuminent, ſicut in Euangelio ait: Quia vos eſtis lux mundi: &, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cælis. Hi enim Apoſtoli meritò pro tota accipiuntur Eccleſia, quæ non habens rugam aut maculā, impolluta ſubſiſtit, ſicut ait Apoſtolus: Quia ipſe ſibi exhibuit Eccleſiam mundam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſcemodi. Ex horum ergò doctrina & vſque ad noſtra fuerunt tempora, qui in hoc ſæculo, quaſi aſtrorum iubar, non ſolùm meritorum radiantes luce, verumetiam dogmatum magnitudine coruſcantes, orbem totum radio ſuæ prædicationis illuſtrauerunt, euntes per loca ſingula prædicando, ac monaſteria ad diuinum cultum locando, docendoque homines à curis ſæcularibus abſtinere, & relictis tenebris concupiſcentiæ, Deum verum ſequi, per quem facta ſunt omnia: ſicut de Vrſo Leubatioque Abbatibus fidelium fratrum relatio ſignat.

IVLII 28.

Geneſ. 1.

Duo luminaria myſticè.

Iohan. 1.

Item Stellæ.

Matth. 5.

Epheſ. 5.

II. IGITVR Vrſus Abbas, Cadurcinæ vrbis incola fuit, ab ineunte ætate religioſus, & in Dei amore deuotus. De quo egreſſus loco, Bituricum terminum eſt ingreſſus, fundatiſque monaſterijs apud Tauſiriacum, Oniam atque Pontiniacum, ſtabilitiſque Præpoſitis ſanctitate honorificis & prudentibus, ad Turonicum territorium in locum, quem Senapariam vocitari priſcus inſtituit author, acceſſit, ædificatoque oratorio, monaſterium ſtabiliuit, & commiſſa Leubatio Præpoſito ſumma regulæ, monaſterium aliud ſtatuit, quod nunc Locis vocant, ſitum ſcilicet ſuper fluuium Angerem in receſſu montis, cui nunc caſtrum ſupereminet, ipſo nomine vt monaſterium vocitatum. Illic adiuncta congregatione, ſtatuit apud animum ſuum, nè vltra alium proficiſceretur in locum: ſed in eo cum omni congre-

Vrſus condit monaſteria.

Præficit S. Leubatium vni monaſterio.

Epheſ. 4. *2. Theſ.* 3. Claret miraculis. Abſtinentia S. Viſi.

congregatione manibus proprijs operari, & victum à terra in ſudore vultûs exigere: illud fratribus inter reliqua prædicationum dona commendans, quod Paulus Apoſtolus ait: Labora manibus, vt habeas, vndè poſſis tribuere neceſſitatem patientibus. Et illud: Quia qui non laborat, nec manducet. Dedit autem ei Dominus gratiam curationum, ita vt inſufflatis energumenis, protinùs dæmonia eijcerentur à corporibus obſeſſis. Sed & alias per eum Dominus dignatus eſt operari virtutes. Erat autem abſtinens à cibis & potu, indicens monachis ſine ceſſatione auertere oculum & cogitationem ab omni luxuria.

III. DVM autem hæc ageret, ac fratres molam manu vertentes, triticum ad victûs neceſſaria comminuerent, pro minuendo labore fratrum, viſum eſt ei, molendinum in ipſo Angeris fluuij alueo ſtabilire. Itaq; defixis per flumen palis, aggregatiſque lapidum magnorum aceruis, excluſam fecit, atque aquam in canale collegit, cuius impetu rota fabricæ in magna volubilitate verti cœpit. Hoc opere laborem monachorum releuans, atque vni fratrum delegans curam, opus neceſſarium implebatur. Hanc autem fabricam Sichlarius quidam Gotthus, qui magno ab Alarico Rege amore diligebatur, æmulus monaſterio concupiuit, dixitque Abbati: Dona mihi hoc molendinum, vt ſit ſub ditione mea, & quod voluëris repenſabo. Cui ille: Cum grandi, inquit, labore hoc paupertas noſtra ſtatuit, & nunc non poſſumus ipſum donare, ne fratres mei fame pereant. At ille: Si vis, inquit, ipſum bona voluntate tribuere, gratias ago: ſin autem, vt ipſum auferam, aut certè faciam aliud, cuius excluſis aqua retrorsùm conuerſa, rotam tuam verti amplius non permittam. Abbas reſpondit: Non facies, quod Deus non voluerit: nam à nobis ipſum penitùs non accipies. Tunc Sichlarius feruens felle, ſimilem fabricam infrà adaptauit. Cumque aqua retrorsùm conuerſa, ſub huius operis rotam inundans, gurgitem feciſſet, reſtitit prorsùs, nec omnino verti potuit, vt conſueuerat. Venit igitur cuſtos eius ad Abbatem media (vt ferunt) nocte, illo in oratorio cum fratribus vigilante, & ait: Surge Abba, deprecare attentiùs Dominum: reſtitit enim rota molendini ab inundatione canalis alieni, quod Sichlarius fecit. At ille hæc audiens, miſit confeſtim fratres ſingulos ad monaſteria illa, quæ ſtatuerat, dicens: Proſternite vos in oratione, & non ſit vobis opus aliud, donèc iterùm ad vos dirigam. Sed & ipſe non egreſſus ab oratorio, deprecans Dominum attentè, ac præſtolans aduentûs eius miſericordiam, ſic fecit per integros duos dies, totidemque noctes. Tertia iam illuceſcente die, acceſſit iterùm monachus ille, qui cuſtos fuerat, nuncians rotam fabricæ ſuæ iuxta conſuetudinem priorem in ſumma verti velocitate. Egreſſuſque Abbas cum fratribus de oratorio, accedit ad litus, conſpicienſque versùs molendinum, quod Sichlarius fecerat, non reperit: accedenſque propiùs ad litus, & fundum aluei intuens, nullum indicium de eo accepit, non quicquam ligni, non lapidis, non ferri, nec vllius * vnquàm genus indicij potuit oſtendi, niſi quòd conijci potuit ipſo, quo fabricatum fuerat, loco virtute diuina abſorptum, atque ab oculis hominum ablatum. Tunc miſit nuncios ad fratres, dicens: Requieſcite iam à labore, quia vltus eſt Deus iniuriam fratrum noſtrorum.

Sichlarij deteſtanda cupiditas.

Nota vim precū eius & fratrum.

* *vſquam.*

Obitus eius.

IV. HIS & talibus virtutibus præditus, conſummato curſu vitæ, migrauit ad Dominum. Ad cuius tumulum poſteà & energumeni ſanati, & cæci illuminati ſunt. Poſt eius verò obitum Præpoſiti, qui per monaſteria erant, Abbatum officium, Epiſcopis largientibus, ſuſceperunt. Sed & Leubatius apud Senaparium monaſterium, quod intrà terminum Turonicum erat, Abbas inſtituitur, in ſumma ſanctitate ac ſenectute perdurans: ibique obijt ac ſepultus eſt.

Itemque S. Leubatij.

An. 560.

VITA S. SAMSONIS EPISCOPI, VNICO LIBRO DESCRIPTA, AB ANONYMO, VETERI TAMEN ET DOCTO AVTHORE, EX MS. Cod. Bibliothecæ Floriacenſis edita per Ioannem à Boſco Cæleſtinum.

Ivlii. 28.

Parentes Sancti Samſonis.

I. INTER alia Sancti Samſonis mirifica geſta, illud miraculum, quod Deus omnipotens ante conceptionem eius in vtero matris ſuæ de eo oſtendere dignatus eſt, ſilendum non eſſe puto. Nam pater eiuſdem Sancti Samſonis, Demetiano ex genere, Amon nomine, exortus eſt: & mater eius Anna nomine, de Venetia prouincia, quæ proxima eſt eidem Demetiæ, exorta eſt. Qui nobiles parentes, vnitis conſilijs vtrorumq; parentum ſuorum, ſecundum omnipotentis Dei diſpenſationem, nobiliter coniuncti ſunt. Nam parentes eorundem coniugum, altrices regum vtriuſq; prouinciæ fuerunt. Et nomina eorum enumerare atq; legere, multis vicibus audiui. Sed Amoni S. Sāſonis patri, frater fuit Vmbrafel nomine: & Annæ matri eius ſoror fuit Afrella nomine: boni ambo fratres, bonę ambę ſorores, de nobiliſſimis parentibus ꝓgeniti. Sed Vmbrafel frater Ammonis, Afrellam Annæ ſororē inito conſilio parentum, vxorem ſibi duxit. Et ipſa Afrella ſorore ſua Anna iunior erat, quæ ante Annam ſororē ſuam, tres filios concepit & peperit. Ammon verò ac vxor eius Anna, iam in deſperatione erant: eò ꝙ prolem non habebāt, & ab omnibus vicinis & amicis ac parentibus ſuis, Anna quaſi auorſa & ſterilis putabatur, deſperato iam vteri ſui partu. Interim Ammon & Anna cōtriſtati valde, ieiunijs inhærentes, vigilijs ſe cōſtringentes eleemoſynas pauperibus erogantes, debita debitoribus ſuis relaxantes, tributa ſeruis ſuis leuigātes, vnanimiter plena fide preces Deo Omnipotenti effuderunt: vt auxilium illis de hac ſterilitate præbere dignaretur. Quodam itaque die feſto: dum ad Eccleſiam conuenirent & ibi ſermocinationem inter multos de Librario quodam in longinquam Aquilonis terram habitante, & quamdam * precationis artem hominibus exercente audirent, quem à multis prouincijs innumera hominum multitudo frequentare conſueuerat, quia omnia quæ illis dicebat, pro certo & ſine dubio eueniebant. Hi itaque, certatim cùm alijs multis ire ad eum deſtinantibus, de eadem Eccleſiâ ad domum non reuertentes, & de Dei miſericordia confidentes, læti animo, vnanimiter ad eundem magiſtrum interrogandum iter direxerunt. Actumque eſt vt confecto tanti itineris labore, poſt diem tertium, ad locum vbi ille Librarius habitabat peruënere. Atque ibi magiſtrum illum cum populis multis ſedentem atque de cauſis ſingulis multa diſputantem, & illis quæ futura erant indicantem, reperiunt. Tunc Ammon citò munera attollens, Magiſtrúmque cum ſua vxore ſupplicans, vt ad eorum cauſam diligenter animum ſuum dirigeret, promptus & ſupplex precabatur. At ille alijs cauſis derelictis, pro bonis perſonis ac longinquis viatoribus vt ſilentium fieret, & cauſam illorum cùm ſilentio audiret, humiliter indicauit. Et inquiens ait, O filioli, propter quid tanto itinere veniſtis? Cauſam mihi narrate. Aperiente itaque os ſuum Ammone, cum ingenti lætitia compeſcuit eum magiſter, dicens. Cauſam ſcio aduentus veſtri, quia vxor tua huc vſque ſterilis fuit. Sed credo, quòd diuina miſericordia citò adueniet illi. Tu verò fac virgam argenteam ſecundum vxoris tuæ longitudinis menſuram, & da pro anima illius & tua in eleemoſynam: Et Deinde Deus Omnipotens reſuſcitabit vobis ſemen ſecundum voluntatem ſuam, & ſecundum deſiderium veſtrum. Quo audito Ammon hilariter reſpondens dixit. Tres virgas argenteas coæquantes ſibi dabo, videns autem magiſter intellectum & prudentiam viri, manere eos apud ſe in hoſpitium fecit.

* *Prædictionis.*

Prædicitur S. Samſon è ſterili matre eſſe cōcipiendus.

II. CVMQVE poſt laſſitudinem viæ, ſe ſopori dediſſent: mulieri Annæ quieſcenti, Angelus à Domino miſſus eſt, inquiens. O mulier firma in fide & ſtabilis in Dei dilectione, perſeuerans in bono opere, in prece felix es, felixque vterus tuus, feliciórque erit fructus vteri tui: Ecce enim Deo iubente filium habebis, & Samſonem nomen illi vocabis. Et quem tu paries, ille filius Dei erit. Tremebunda itaque mulier, necnon & læta nimietate viſionis, &

Angelus apparet matri S. Samſonis.

nis, & pro fulgore Angeli ſibi adſtantis, & pro verecundia, vt eſt moris bonarum fœminarum, nihil reſpondere poterat. Ad quam Angelus leniter fatur inquiens. Ne timeas bona mulier neque diffidas, Dominus enim confortari dignabitur mœrorem tuũ, & lachrymæ tuæ vertentur in gaudium: quia lachrymæ dum veniam poſtulant, citò miſericordiam promerentur. Et tuæ lachrymæ miſericordiam Dei meruerunt, & fidem huius rei mane habebis per magiſtrum ad quem veniſti. Et cum hoc dixiſſet Angelus, euanuit. Expergefacta itaque mulier à ſomno, cuncta quæ viderat & audierat per ordinem viro ſuo replicauit. Gaudentibus autem illis, & inuicem tractantibus: reciproca lux affuit diei. Cumque illi pro itineris prolixitate, manè ſurgerent: & veſtimenta induerent: magiſter affuit dicens. O fœmina bona es, beatúſque vterus tuus, ſed beatior erit fructus ventris tui: mihi enim hac nocte Dominus dignatus eſt reuelare de te, & de tua prole. Nam primus partus tuus, ſummus à Deo ſacerdos deſtinatus eſt: & vt hunc pepeteris Samſonem vocabis. Et poſtea legitimo tempore trades eum diſciplinis diſcendis. Hic erit Dei altiſſimi ſacerdos, multis gentibus profuturus. Benedictíſque illis, abierunt domum cùm lætitia & exultatione, & ſine mora promiſſio Dei adeſt.

III. Itaqve mater cùm viro ſuo dormiens, concepit in vtero ſuo filium. Ouánſquè, vſque ad tempus à Deo deſtinatum portabat illum. Sed tempus adfuit partus, & illa peperit filium ſuum primogenitum, iam à Deo Omnipotente electum atque benedictum. Et cum omnes vicini eorum hoc audiſſent, gratias Deo referentes gauiſi ſunt gaudio magno dicentes. Benedictus Dominus Deus noſter, qui ſuam miſericordiam vobis largiri dignatus eſt. Nutrito itaque nobiliter filio, & nobili ritu baptiſato ſecundum nobilitatem Patrum, nomen quòd Angelus indicauerat, ei impoſitum eſt. Et erat mater eius die ac nocte ſatagens, ne pars Deo deſtinata ac multis profutura, vllo modo pollueretur. Et ſi illa in hoc ſatagebat, magis erat ſollicitudo diuinæ prouidentiæ de eo, quæ illum antequam fieret, denunciauerat. Interim iuuenilis ætas iam diſcendi atque ſcribendi artem deſiderabat, quòd poſtea veritatis probauit euentus. Nam cum eſſet annorum circiter quinque, ille ſolus tota mentis auiditate ſcholam adire voluit. Sed pater eius renuebat illum eſſe clericum, magis cupiens militem eſſe terrenum: vt adeò conflictus indeſinens inter ambos parentes, nocte ac die fieret. Illa cupiebat militem eſſe cæleſtem, ille deſiderabat eſſe terrenum. Sed dum hæc conflictio inter illos erat: quadam nocte, Ammoni in lecto dormienti, cæleſtis increpatio adeſt dicens: O Ammon, quare partem mihi deſtinatam, à me prohibere cupis? Cito ergo ſi hoc facere non deſieris, vindictam de hac re inuenies. Ammon verò tantæ viſionis admiratione à ſomno expergefactus ad terrámque conſternatus, & timore ingenti conſtrictus: pænitudinem facti ſui gerens, nihil ampliùs contra Dei voluntatem de filio ſuo acturum ſe confirmabat. Illico verò, illo die Ammon ſine vlla mora filium ſuum duci ad ſcholam compulit, dicens: Non * moremur filium noſtrum, imò potiùs Dei, ad ſcholam duci. Nam Deus cum illo eſt, & nihil contra Dominum agere debemus. Et cuncta quæ viderat ille nocte de illo, ſuæ coniugi replicauit. Illa verò ouans, toto cordis affectu magnificabat Dominum in cunctis beneficijs ſuis: quæ miſericorditer præſtitit illis. Atque eadem hora ſimiliter ſurgentes, ad ſcholam filium ſuum, ad egregium magiſtrum Britannorum qui † Hildutus vocabatur, ducere perrexerunt. Et ipſe Hildutus diſcipulus ſancti Germani erat, ipſéque Germanus ordinauit eum in ſua iuuentute, ad gradum presbyteratus. Ille verò Hildutus de totis ſcripturis Veteris ac Noui Teſtamenti, & in omni Philoſophiæ genere ac Metricæ & Rethoricæ diſciplinis doctus erat: Scripturæ vniuerſæ peritiſſimus, ac futurorum præſcius.

S. Samſon naſcitur.

Pater S. Samſonis, dum eum non vult eſſe clericum, cælitus increpatur.

* S. Samſon traditur ſcholæ.

† Triſthemius Eldutum & Elturum vocat.

IV. Hic itaque Sanctus Hildutus, cùm electum Dei Samſonem oculis vidiſſet: ac de manu ſuæ matris cum donarijs quæ cum illo parentes eius adportauerant ſecundum morem recepiſſet: atque amanter illum deoſcularetur, reſpiciens in cælum & benedicens ei: ita ſermonem exorſus eſt dicens: Gratias agimus Deo Omnipotenti, qui luminare hoc nobis indignis, noſtra de gente in terra accendere dignatus eſt. En Auguſtum noſtræ regionis caput. En Pontifex ſummus multis citra vltraque mare profuturus. En egregius omnium Britannorum ſacerdos. En doctor poſt Apoſtolos omnium Eccleſiarum peritiſſimus. Hic erit ſanctus pius & Eccleſiaſticus. Hæc audientes parentes eius, plus de eo audire voluerunt, rogantes humiliter vt plus reuelaret. Sanctus vero Hildutus ita reſponſum reddidit dicens: Non meum hoc dicere vobis, nec veſtrum eſt à me interrogare. Quid plura? parentes reuerſi ſunt, & ille cum ſupradicto magiſtro remanſit. Nullus more infantum poſt matrem patrémue erat fletus, ſed quaſi à ſuis primis cunabulis ibi nutriretur, delectabiliter manſit. Mirum in modum ſub vna eademque die vicenas aleas, theſſeraſque agnouit totas: nec opus ei fuit amplius demonſtrare: Et quod eſt mirabilius his omnibus, in vna hebdomada omnium literarum diſtinctiones, prouerbiorum coniunctiones, Deo reuelante potuit intelligere. Nam in legendo ita tenuis erat ſenſus eius, tantum quantum humana mens capere vix poteſt. Cùm enim eſſet annorum circiter quindecim, ieiunijs frequentiſſimis & vigilijs prolixioribus, præ omnibus fratribus ibidem habitantibus ſe exercebat. Ita vt ſuper potitiones, ſæpè & biduanas ieiunij facere contenderet: prohibente illum prudentiſſimo magiſtro, ac dicente: Non conuenit fili, vt corpuſculum adhuc iuuenili ætate florens, intemperatis frangatur ieiunijs. In altioribus autem ſcripturarum intelligentijs tàm acutus erat ſenſus eius, vt plus in ſpiritualibus documentis, quàm quæ ei à ſupradicto magiſtro inſinuabatur, inquireret. Quadam itàque die dum colloquium inter ſeſe haberent ille & magiſter ſuus: In incertam inciderunt quæſtionem, & cunctos contractus Veteris ac Noui Teſtamenti diligenter perſcrutantes, explanationem eius nullatenùs reperire potuerunt. Quo facto deſtinauit ſanctus Samſon intra ſemetipſum, ieiunijs ac vigilijs orationibúſque incumbere, quoad explanationem huius quæſtionis, Deus illi monſtrare dignaretur. Tertia demum nocte, aſſiſtere ſibi lucem cælitùs emiſſam vidit, ac leniter ei dicentem. Ne amplius fatigeris electe Dei. Ecce enim non ſolum reſolutionem huius quæſtionis pro qua laboraſti conſequêris, ſed quæcunque à Deo per orationem & ieiunium petieris, exigentibus tuis meritis adepturus es. Tùm ſanctus Samſon Deo Omnipotenti gratias referens, lætus admodum, ſuo magiſtro quietè replicauit.

Ieiunia S. Samſonis.

V. Qvodam itaque die, multi innumerabiles ex diuerſis partibus conuenerunt ad locum vbi erat ſanctus Samſon, & ille qualitatem Prouinciæ requirebat ab eis. Et vnus prudentior cæteris, reſpondit ei dicens. Homines prouinciæ huius magnum mœrorem habent. Et ille cauſam percunctatus eſt. At vir ille ait. Imperatorem digniſſimum Ionam filium Riadam habebamus, & vnus Dux nequiſſimus nomine Commotus dolo interfecit eum. Ac deinde pro illo fœdiſſima dominatione, in hac regione dominatur. Sed magis dolent de filio Ionæ Indualo nomine, qui poſt mortem patris ſui, ante Commotum virum nequiſſimum, in Franciam fugit. Tunc ſanctus Samſon hoc admirans, & verum eſſe ſicut vir ei dixerat inueſtigans: cogitauit in Franciam ire: & ſic per diſpenſationem Dei, miſericordia motus adire Regem Childebertum deſtinauit, comitante cum eo ſemper in omnibus Chriſto. Et dum in illo itinere ambularet, ſemper virtutes multas faciebat: ita vt fama illius antequam ad palatium perueniret, exiret, adeò vt multi quibus mens ſanior erat, ante aduentum eius iam videre eum deſiderarent. Illo enim die, quo ad Regiam applicuit, antequam ad palatium veniret: Quidam cœcus ſancti Samſonis meritorum ignarus, Duce præeunte in via, comperit Beatum Samſonem hymnos ante ſe decantantem. Tum ille cœcus Spiritu ſancto accenſus, ſuauitatem hymnorum audiens, voce flebili deprecatur: vt ipſi perditum reſtitueret lumen.

Cæco viſum reſtituit.

Horæ Canonicæ.

men. Sanctus verò Samſon miſerum illum, inter aſperas vias, interque iacentia ſaxa non patiebatur dubio amplius oberrare greſſu. Beatus autem, interno mentis obtutu cœlorum myſteria penetrans, quamlibet cœcus ille in precibus garrula oratione perſiſteret, ſacrum officium non deſtitit perficere. Interea cum ſacramentum foret impletum, quaſi vox tumultuaria hactenus non fuiſſet obaudita: ſanctus Samſon digitos ſuos ſuper oculos eius impoſuit Hoc igitur potitus dono, clauſis vir cœpit palpitare luminibus: leuatiſque ſcammis, protinus cœcitate depulſa, luce recepta, obſcura lumina ſanantur.

T V N C Rex hæc verba atque miracula audiens, placere Sancto Samſoni volens, & virtutem de eo fieri deſiderans, ac verba de ore eius audire cupiens, atque auidius magis ac magis illum diligens, & in amore eius ſemper ardens, atque omnia bona ei promittens, & in colloquio illius ardenter ouans, & in faciem eius ſemper reſpiciens, gratiam Dei in eo fieri credens, Dominúmque cum eo vbique ambulare non dubitans, ac de ſupradicto Induualo bona promittens: ſupplex ac leniter precabatur, dicens: Ingentem, electe Dei, habemus querelam. Eſt enim malus ſerpens dirus valdè, magnam partem de noſtra terra deuaſtans. Audiuimus verò de te, multis vicibus iam victorem fuiſſe in ſimili cauſa. Et nos volumus: ſi tibi contrarium non eſt, vt expellas illum à loco in quo eſt. Et ſi Deus tuus in hoc tibi victoriam dederit, nos illam terram cum ſiluis, & pratis, & paſcuis, vineiſque, cum aquarum decurſibus, tibi in hæreditatem perpetuam indubitanter conſecrabimus. Tunc Sanctus Samſon, in Dei omnipotentis virtute fretus, hilari vultu, interrogauit eum, dicens: Quo nomine vocatur ille locus, in quo ille ſerpens malignus ac dirus, terram deuaſtans ac homines necans habitat? Tunc Rex ait illi: Si tu victor fueris de illo ſerpente, nomen illi loco impones. Et quodcumque nomen illi impones, illud erit nomen eius vſque in ſempiternum. Sanctus verò Samſon hoc audiens, reſpondens Regi dixit: Vos omnes vnà nobiſcum venite, & de illo ſerpente, ſicut deſideratis, mirabilia Dei Omnipotentis ſine dubio videbitis. Et illi omnes vnà cum Rege dixerunt: Antecede nos, electe Dei, & nos inſequemur veſtigia tua. Et vnum compertum poſuerunt ante illum fidentem in Dominum itineris cognitione fretum. Et Sanctus Samſon inſequutus eſt eum, & diſcipuli ſui poſt eum, & poſt diſcipulos, Rex vnà cum Comitibus, ac Ducibus ſuis, cum reliquis populis ſimul, & cum fœminis ambulabat. Factum eſt autem, vt tandem peruenirent ad horrendum illud antrum, in quo ſerpens erat, ex quo de capite ſerpentis fumus aſcendebat. Quo viſo, Sanctus Samſon Regi ac alijs inſequentibus dixit: Conſtantes eſtote, & hûc ſtate expectantes me, donec cum victoria reuertar ad vos. Manentibus autem illis, ipſe intrepidè, Deo comite, ad oſtium terribilis antri peruenit. Ibique genua ad terram flectentes, ex toto corde orationem fundens, totáque fide Dominum victorem omnium petens, ſerpente ad extremitatem ſpeluncæ fugiente, eleuata voce clamauit, dicens: In nomine Chriſti Filij Dei victoris inimici, præcipio tibi ne tardaueris foras venire. Et ille ſerpens ſtatim, videntibus omnibus ibi aſtantibus, toto corde tremens, inclinato ad terram capite, mitiſſimè foras egrediebatur. Tunc Sanctus Samſon ſtolam ſuam circa collum eius poſuit, & iuxta ſe trahebat eum: & ſemita illius in terra fumans ardebat. S. verò Samſon ad ſuperuerticem cuiuſdam montis ſolitum Pſalmum decantans, qui eſt: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? cum eo aſcendit. Et exinde imperauit ei, dicens, vt vltra quoddam flumen exiret, quod prope erat, & nunquam exinde vlli creaturæ noceret. Et ille ſerpens ſine mora, videntibus omnibus, trans flumen petiit deſertum. Et exinde nuſquam comparuit. Tunc Rex Childebertus eleuata voce dixit: Magnus eſt Deus Chriſtianorum, qui innumeras virtutes per ſeruos operatur. Cui ſubdita ſunt omnia in cœlo & in terra, cui feræ colla ſubmittunt, alites famulantur. VI.

Pſalm. 26.

Serpentem fugat.

R E G R E S S I S cunctis in palatium, tempus prandij affuit, & ille ad menſam, vnà cum Rege ſedere cōpellitur. Sed cùm ille ab omnibus miro affectu diligeretur, à Regina ſola magno odio habebatur, quæ Induuallum valdè amabat. Hæc enim volebat Sanctum Samſonem arte aliqua magica extinguere, ob quod venenum ei in vitro miſcere fecit: eique vnà cum Rege ſedenti, per ſuum miniſtrum dari præcepit. Recipiente itaquè Rege ſuum potum, miniſter ille vitrum plenum veneno mixtum, Sancto Samſoni attulit. Tùm ille diuinitùs inſpiratus, in vitrum poſitum in manu tenentis, in quo venenum poſitum erat, ſignum Crucis impoſuit, & vitrum ſtatim in quatuor partes diuiſum eſt. Et veneno effuſo, manus tenentis, videntibus cunctis, vſque ad oſſa crepuit. Sanctus verò Samſon humiliter dixit: O frater, indecens eſt hoc poculum homini ad bibendum dare. Interim periclitabatur ille miniſter, qui poculum ei porrexiſſet: ita vt nullo modo ſtare poſſet, ſed amarè fleret. Sanctus verò Samſon miniſtro flenti dixit: Amice, noli flere, ſi Deo placuerit, ſanus & incolumis eris. Statímque impoſito ſolito Crucis ſignaculo in manu læſi, coram Rege & multis alijs aſtantibus, ſanus factus eſt. VII.

Regina S. Samſoni varias ſtruit inſidias.

S. Samſon venenum ſigno crucis diſſipat.

Manum miniſtrantis venenū curat.

H O N O R A N T E itaquè illum Rege, & alijs ibi aſtantibus, eum adorantibus: Regina perſeuerabat contra eum in malitia ſua. Et factum eſt, cùm Rege concedente, ad locum vbi Induualus erat, Sanctus Samſon ire vellet. Regina illa equum furioſum indomitúmque, ad ducendum eum, de grege adduci iuſſit. Quo viſo, Sanctus Samſon ſignum Crucis in faciem eius impoſuit, & ſella deſuper impoſita, ipſe ſuper eum ſedit. Ita, tàm mitis equus & tremens erat, vt vix pedem mouere, vel progredi auderet, mitigante illum Chriſto ſub ſuo electo, qui omnia regit & conſeruat. Tunc timor inuaſit omnes, ita vt vna voce dicerent: Verè hic homo electus Dei eſt. Illud quoque miraculum, quod ante eum in illa hora in porta euenit, ſilendum non eſt. Nam cùm ille progrediebatur, & equus ſub illo mitiſſimè ambularet, Regina perniicioſa perſeuerans in ſua malitia, Sanctum Samſonem conſummare & extinguere cupiens, trucem ad iracundiam, furibundúmque à ſuis cuſtodibus prouocare, atque in portam diſſolutum obuiam ei, quaſi neſcientibus illis, adduci mandauit leonem. Progrediente itaque Sancto Samſone, cum ſolitis armis ante ſuos comites, Leo trux & furibundus videns eum recto curſu atque intrepido venientem, mutata ferocitate, ac Deo pro ſuo electo mitigante, quaſi ictum in oculis excepiſſet, in fugam ſe velociter dedit. Tunc Sanctus ille valdè turbatus, omnium quæ geſta erant conſcius: ſolitis iaculis de Diuinis ſententiis poſt beſtiam ſub Chriſti nominis inuocatione, quaſi ſpiritali fundibulo vocem emittens, ita dixit: Impero tibi in nomine Ieſu Chriſti, qui dedit nobis poteſtatem calcandi ſuper vos, & ſuper conſimiles veſtros, vt terror tuus ab hodierno die nunquam creſcat in humano genere: ſed præſentibus his omnibus, velociter expires. Vt ſciant hi & intelligant, quòd Chriſtus, quem confitemur, inuictus eſt. Et inter omnia, & ſuper omnia victor eſt, in cœlo & in terra. Completa itaque oratione, cunctis videntibus, leo crudelis ac furibundus præcipitauit ſe, atque ex illa hora extinctus eſt. Tunc hi omnes ſimiliter hoc videntes, timore arrepti ceciderunt ad pedes Sancti Samſonis, atque omnia ſecundùm voluntatem ſuam promiſerunt ei facere. Ac ne vltra iniuriam pateretur, Induualum ſupradictum tradiderunt ei, dicentes: Accipe illum quem quæris. Et ſi plus deſideras, citò inuenies. Tunc Sanctus Samſon hilariter dixit: Gloria Omnipotenti Deo, eiuſque Vnigenito Filio, vnà cum Spiritu Sancto, qui in Trinitate perfecta, & maieſtatis vnitate adoratur & colitur, & ex corde perfecto indeficienter magnificatur atque laudatur. Quis enim mortalium, Dominum perfectè aut condignè laudare, aut magnificare valet, quantum debet? VIII.

Ferocem equū Crucis ſigno domat.

Leonem enecat.

R E X verò Childebertus Sanctum Samſonem velut Angelum venerans, totum agrum illum à ſerpente vaſtatum, ſicut iam ſuperiùs promiſit, tradidit ei in hæreditatem perpetuam Rogauerúntq; illum omnes, vt in eo Miſſam celebraret, antequam ad agros ſibi commendatos diſpergerentur. Et ille voluntariè acquieuit. Illi verò certa- IX.

tim de-

tim deſcendebant ad Miſſam audiendam. Et ille ante eos in antrum horribile, in quo ſerpens fuerat, antecedit: & ibi poſito altari, Miſſam celebrauit. Sed Regina in ſua malitia perſeuerans, ad altare collum vertit, Sancti Samſonis orationem contemnens: & interim ſine mora, diuina vindicta ei adfuit. Nam cùm ad Agnus Dei ventum eſt, oculi Reginæ de capite ſuo euulſi ſunt, & ſuper petram ante pedes eius ceciderunt: ac totus eius ſanguis per locum oculorum foras emanauit. Móxque videntibus omnibus ita aſtantibus, antequàm S. Samſon vltimam Collectam compleret, fœdiſſima morte defuncta eſt. Sanctus verò Samſon nomen loci illius Penetale vocauit: & à Rege poſtulauit, vt Monaſterium ibi iuſſu illius ædificaretur. Et ille ſpontaneè permiſit. Tunc ſanctus Samſon diſcipulos ibi relinquens, ad palatium cum Rege, vnde venerant, iter arripuit. Atque illo in itinere, multos ægros diuerſis infirmitatibus detentos, priſtinæ reſtituit ſanitati. Quæ ſi per ſingula miracula replicamus, ad exceſſum ducimur antequàm perficiamus. Sermo enim eius charitate erat plenus. Quis enim vnquam eloquium eius ſuauiſſimum audiens, ſatiari potuit de his, quæ ex ſermonis eius dulcedine proferebantur? Sed quis vultum eius ſanctitatis imaginem præferentem reſpiciens, non magis videndi eum ſæpiùs deſiderium ſumeret? Nam in toto tempore vitæ ſuæ, abſtinentiæ regulam, quam in principio arripuerat, nunquam mutauit: extitit enim illis temporibus, Angelicam in terris agens vitam. Sanctus verò Samſon illud Monaſterium in loco ſerpentis conſtructum, cui Penetale eſt vocabulum, loco primo à ſe anteà conſtructo, cuius nomen eſt Dol, licentia & permiſſione Imperatoris Childeberti, in ſubiectionem vſque in perpetuum commendauit.

Horrendus Reginæ interitus.

Monaſterium à Rege Childeberto accipit S. Samſon.

X. ALIVD quoque miraculum, quod de virtute ſancti Samſonis euenit, replicandum eſt. Monaſterium eius propè mare eſt: & ille querelam habebat, eo quod diuerſæ aues innumerabiles circa Monaſterium ex vtraque parte, id eſt, Anſeres fuluæ & albicantes conueniebant, quæ moleſtiam illi ac alijs fratribus inferebant: ita vt aliquis verbum alterius, propter ſonos diuerſos vix audire poterat. Sanctus vero Samſon quadam die quando non putabatur, virgam in manu tenens perrexit inter paludes, vbi diuerſæ aues morabantur: & eleuata voce dixit. In nomine Christi filij Dei, qui me ad hunc locum inuitauit per gratiam ſuam, præcipio vobis vt ante me pergatis ad Monaſterium in quo nunc vſque moleſtiam feciſtis, & nulla ex vobis in altum alas extendere poſſit. Ita illæ tam diuerſæ aues ante eum in vno grege congregatæ ſunt, vt in Monaſterium quaſi aues domitæ intrarent, & ibi quaſi in cuſtodia vſque in craſtinum diem reſeruatæ ſunt. Sed in illa nocte vulpes caſu inter illas aues intrauit, & vnam ſecum tulit: ſed mirum in modum deuorare non potuit. In craſtina enim die circa horam diei tertiam, poſt orationes completas ſanctus Samſon ad locum in quo diuerſæ aues quaſi in cuſtodia erant clauſæ perrexit, & conſiderans aliquam ex eis deeſſe, dixit. Domine qui creaſti me, quod furatum eſt, reſtitue. Et ſine mora vulpes auem illæſam in ore deportans, & inter alias aues dimittens apparuit. Tunc ſanctus Samſon auibus dixit. Si vultis mihi promittere numquam moleſtiam in hoc Monaſterium inferre, ego dimittam vos in pace. Et illæ extendentes alas, quaſi fidem verbo promittentes, fugitum ſimiliter dederunt. Statimque cum magno ſilentio in diuerſa loca perrexerunt. Et ex illa die illaque hora, in tota terra ad illud Monaſterium pertinente, de illa generatione, nunc vſque nulla auis deſcendit. Et hoc miraculum in tota Francia innotuit.

Auium ſtrepitum mirabiliter compeſcit.

XI. QVODAM etiam tempore, quod ſancto Samſoni contigit dum in memoria adeſt, ſilendum non eſſe puto. Quadam igitur vice de palatio Regis Childeberti, ad Penetale Monaſterium regrediebatur ſanctus Samſon. Qui ſanctum Germanum in ſuo Monaſterio habitantem, & cum vindemiatoribus ſuis in vinea ſtantem reperit: & ſe inuicem oſculantes, gratias Deo referebant. Germanus lætabatur & aduentu S. Samſonis, & ſanctus Samſon lætus erat pro inuentione ſancti Germani. Tunc ſanctus Germanus ſuppliciter rogabat, vt illo die ſanctus Samſon cum illo maneret. Ille [illegible] feſtebat pro quantitate itineris, vixque compelli potuit, vt cum eo aliquid ſibi ſumeret. Factúmque eſt dum prandium pararetur, aqua ad lauandum defuit. Tunc Samſon interrogauit dicens. Quare tardatis, cum dies magis declinat? Germanus vero erubeſcens ait. Sancte Samſon magnam querelam pro penuria aquæ habemus. Samſon vero ait. Si aqua in prope non eſt, Dominum creatorem omnium inuocate, vt ſicut Iſraëlitico populo ſiti deficienti de petra in ſuper verticem montis Oreb, aquam tribuere dignatus: ita modo meritis veſtris, fontem aquæ in perpetuum manantem reddere dignetur. Et hæc dicens baculum in manu tenens, virtute Dei fretus, perrexit ad petram latam, quæ iuxta torcular erat: & tetigit eam cuſpide baculi ſui: quæ ſine mora coram cunctis fratribus, fontem largiſſimum, virtute Dei & ſancti Samſonis merito reddidit, qui vſque hodie largiſſimo riuo fluit. Ille verò, qui ad aquam deportandam in longinquo exierat: ad portam Monaſterij adpropinquans, riuum largiſſimum à monaſterio fluentem vidit. Et admirans dixit. Domine Deus quid eſt hoc? Ecce modo aqua largiter decurrit, vndè numquam fuit. Et in Monaſterium intrans, fontem luciduſſimum de petra manantem videns, aquam quā deportauerat in terram effundens, cum cæteris fratribus gratias Deo de hoc grandi miraculo referentibus, & honorem ſancto Samſoni certatim exhibentibus, inclinans ſe ad terram, Dominum omnium bonorum largitorem benedicebat. Tunc omnes gratias Deo referentes, cibum vna recipientes, magis de aqua illius noui fontis bibere, quam de vino ſolito delectabantur. Et poſt refectionem, ſanctum Samſonem vt ibi illa nocte maneret cogebant, dicentes: Abba pater eſto nobiſcum hac nocte, & manè proficiſcêris in pace. Et ille ne contriſtarentur fratres ſic fecit.

Fontem è petra elicit.

XII. TVNC Germanus ſanctum Samſonem percunctabatur de qualitate Monaſterij, ſcire cupiens de quibus rebus abundaret, aut de qua penuria vrgeretur. Et ſanctus Samſon reſpondit ei dicens. Noſtrum Monaſterium vinum non habet, ſed cera abundanter vtitur. Et ille ait. Valde neceſſaria eſt cera in Monaſterio ad luminaria incendenda. Sanctus vero Samſon viciſſim eum interrogauit, quibus rebus Monaſterium eius abundaret. Et ille ait. Vineæ plurimæ fructibus fertiliſſimæ huic ſunt Monaſterio. Tunc inito conſilio, inter ſe condictum fuit, vt in vnoquoque anno extunc vſque in ſempiternum, decima pars vini de Monaſterio ſancti Germani ad Monaſterium ſancti Samſonis quod vocatur Panetale redderetur. Quod ita factum eſt. Poſtea multis annis labentibus, fratres de Monaſterio Penetali cum cera ſicut mos erat, ad Monaſterium ſancti Germani vt decimam partem vini reciperent, perrexerunt. Et clerici Monaſterij ſancti Germani, illis dixerunt. Ite[a] cum cera veſtra, nos vino noſtro indigemus: & exhinc dare vobis nolumus. Illi vero reuertentes, nihil ſecum portantes, dixerunt. Sanctus Samſon & ſanctus Germanus iudices ſint inter nos. Secundus annus venit, & nihil in vineis inuentum eſt, niſi decima pars quæ antea fratribus ſancti Samſonis dabatur. Illi ſtatim cauſam penuriæ intelligentes, & fratres ſancti Samſonis inuitantes: & totum quod in vineis inuenerunt illis reddentes, dixerunt ceram ab eis accipientes: Orate ſanctum Samſonem pro nobis, ne hæc cauſa à Deo omnipotente imputetur nobis in culpam. Et ex hodierna die vſque in perpetuum, ſicut inter ſanctos Samſonem & Germanum condictum fuit, & vos & ſucceſſores veſtri poſt vos, decimam vini recipite ſine vlla mutatione, & nos decimam ceræ & ſucceſſores noſtri poſt nos, à vobis recipiemus: & ſic vſque nunc peragitur. Tertio vero anno adueniente, tanta vbertas vinearum affuit: vt totum quod ſecundo anno defuerat, & quod in illo præſente recipiendum erat, modum excederet. Ita in vno anno receperunt, quod ante defuerat.

S. Germanus pro cera vinum fratribus S. Samſonis largitur.

a Id poſtea negantes, fratres S. Germani puniti reſipiſcunt.

XIII. ILLO in tempore, erat quidam vir Comes Duxque nomine Frotgerius, qui vxorem malignam & multas diuitias

uitias habebat. Hic quadam vice vxorem ſuam cum familia ſua relinquens, ad Palatium perrexit: & ipſorum ſubulcus, porcos ſuos cotidie paſcendos in prata S. Samſonis pónebat. Cui ſanctus Samſon dixit. Ecce porci tui, roſtris ſuis prata mea ſubuertunt, ſed rogo, ne ex hac hora facias. Et ille ſuggeſtioni Dominæ ſuæ, quæ ſemper ſancto Samſoni inuidioſa erat, contra mutire non audens: altera die porcos in prata dimiſit. Hoc ſanctus videns, eleuata manu eos benedicens, ſtatim omnes porci in hircos, & omnes ſues in capras conuerſi ſunt: ita vt omnes vna voce dicerent. Verè hic homo verbo ſuo omnia poteſt, & nihil ei impoſſibile eſt. Illa mulier inuidioſa ad Monaſterium pergens, nullam mulierem in baſilicam ſancti Samſonis intrare audiens, & duas ancillas ſuas tàm volentes quàm nolentes, in baſilicam eius ante ſe introire compellens, & illas illæſas de Eccleſia reuerti videns: illa poſtremo de equo deſcendens, non cauſa orationis, ſed pro contumelia ſancti Samſonis, dùm in Eccleſiam intrare volebat: ſuper petram marmoream ſicut nix fulgentem, quæ ante limen iacet Eccleſiæ ſolo proſtrata eſt: & ſtatim oculi de capite ſuo ſuper petram ceciderunt, & ſanguis eorum qui ſuper petram cecidit, ſic vſque hodie indeletus apparet. Comes verò de palatio reuertens, & cauſam commutationis pecorum in aliam effigiem inueſtigans, mulierem ſuam excæcatam conſiderans, cum multis donarijs & plurimis in diſtributione æterna culturis, ad oratorium ſancti Samſonis, vxoris ſuæ oculos reſtitui humili ſupplicatione poſtulans: volens nolénſque peruenit. Tunc ſanctus Samſon miſericordia motus, omnia quæ attulerat ſuſcipiens, maximè pro amore Chriſti, digito ſuo loca oculorum tangens, illam quæ excæcata venerat, illuminatam viro reddidit, porcis manentibus in diuerſis naturis, ſicut illis corrigerat. Et hoc miraculum, in tota illa regione diuulgatum eſt.

Mulieres in Monaſterium S. Samſonis non ingrediuntur.
Comitiſſa nequam punitur.
Iterum ſanatur.

Factum eſt ergo dum hæc homines narrarentur, vt dies feſtus adueniret, in quo Epiſcopi neceſſe habebant XIV.
in illud Monaſterium conuenire, ad ordinationem Epiſcopi, ſicut mos eſt. Et ille ſanctus Samſon, nocte illius diei feſti, admirabilem vidit viſionem, & à candidiſſimis turbis circumſeptari ſe, & tres Epiſcopos egregios diademátibus aureis in capite ornatos, atque infulis pulcherrimis indutos in faciem ſibi aſſiſtere conſpexit: pariterque cum illis ingredi Eccleſiam orationis cauſa compellentes. Ingreſſus itaque Eccleſiam, vt ipſe poſtea narrabat, quibus nominibus hi tres vocabantur, ſedulè humiliterque percunctabatur. Et hoc reſponſum ab eis recepit. Petrum & Iacobum fratrem Domini, & Ioannem eſſe Euangeliſtam. Cauſam vero adueniendi eos fuiſſe à Domino Ieſu Chriſto, ad corroborandum eum in Sacerdotio ſummum Sacerdotem. Et cum hunc more Epiſcopali benedixiſſent, abierunt. Et ipſe euigilans, gratias Deo referens, expectabat aduentum rei. Et cum veniſſent Epiſcopi qui ad ordinationem veniebant, duos ad ordinandum deducentes ſecum, tertium ſecundum morem antiquitus traditum, ordinare volentes, ſed quis adhuc eſſet, ignorantes, vt mos ibi eſt à tribus Epiſcopis tres ordinari. Nocte inſecuta, adeſt Angelus Dei, ad Dubritium Pontificem dicens. Scitote quia ſanctus Samſon à vobis in tertium ordinandus eſt. Sanctus vero Dubritius præ gaudio huius Angelicæ collocutionis euigilans, atque omnia quæ vidiſſet enarrans: dixit eis. Sanctus Samſon, in ordine erit nobis tertius. Tunc hi omnes ſine vlla ambiguitate, Epiſcopum eum fieri indubitanter confirmarunt: atque cum alijs duobus in ordinem Epiſcopalem, pro fidei firmitate ſtatuerunt. Sed ſedente illo in cathedram condignam, omnes qui ibi aſtabant viderunt columbam ſuper eum cælitus emiſſam, vicem conſuetam reddentem, atque ſuper caput eius tamdiu immobiliter ſtantem, quoad totum officium completum eſt. Celebrante autem illo eodem die Miſſarum ſolemnia coram omnibus, viſum eſt Dubritio Epiſcopo & alijs duobus Monachis, ignem de ore ac naribus ipſius emanare: atque quod eſt mirabilius, ex illo eodémque die vſque ad fœlicem vitæ ſuæ finem; quando Miſſarum ſolennia agebat, Angeli Dei miniſtri ei ſemper adſtabant. Atque illo ſolo vidente, Sacrificium cum ipſo manibus ſuis frangebant. Sed hoc miraculum videns, alicui reuelare nolebat, niſi fideliſſimis ſuis ſecretè, conteſtans eis, ne in tota vita ſua alicui hominum reuelarent.

Olim ſimul tres Epiſcopi, in quibuſdam locis ordinabantur.
S. Samſon conſecratur in Epiſcopum.
Res mira.

Intervallo autem facto, longo vetuſtatis ſenio feſſus cum diem tranſmigrationis imminere ſibi ſentiret: conuocatis ad ſe fratribus dixit. Conſideremus fratres quid ſumus, & quid erimus. Quid ſumus niſi homines? Et vnde homines niſi de humo? & quid humus niſi puluis & cinis? Et quid erimus, niſi quod dictum eſt. Cum apparuerit Chriſtus ſimiles ei erimus, hoc eſt in æternitate & in immortalitate. Ideo abnegemus quod ſumus, & incipiamus eſſe quod non ſumus, Chriſto atteſtante, qui ait. Qui vult venire poſt me: abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ergo, omne bonum in ſummo Deo ſperandum eſt. Ideo cogitemus ſemper vltimum noſtri obitus diem, ornemus finem noſtrum, componamus vitam noſtram: Et quantum incerti ſumus de die noſtri obitus, tantum parati ſimus in expectatione illius. Vt quandocumque venerit, euigilet fides noſtra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Conſideremus ac penſemus quàm diſtrictus venturus eſt Iudex noſter: qui non ſolum operum, ſed cogitationum exactor apparebit. Sed ego precor Dominum, vt ad bonum faciendum creſcere vos faciat, & ſemper in melius proficere: Et qui dedit vobis initium conuerſionis, ipſe tribuere dignetur perſeuerantiam actionis. Quia omne opus in fine conſiſtit. Non laceſcat mens veſtra, non turbetur cor veſtrum: viriliter agite, & omnia veſtra in charitate fiant. Laborate in quantum poteſtis, quia non poteſtis quantum debetis. Ergo optandum eſt nobis, cum ſumma intentione ad cæleſte regnum feſtinare: in quo vocem deſiderabilem audire mereamur, de qua Dominus. Venite Benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Bene valeatis, Chriſto placeatis, cui famulamini. His dictis, & fratribus præclaro conſtituto: læto animo curſu vitæ ſuæ impleto, completis omnibus virtutibus quas Dominus per illum operari dignatus eſt, longo vetuſtatis ſenio feſſus, fœlici remeatu, dolentibus & lugentibus omnibus diſcipulis monachiſque cunctis ac famulis lachrymas vna effundentibus, & ad terram ſe ſimiliter proſternentibus: beatam animam quinto Kalend. Auguſti cum beatis meritis, quæ in hoc ſæculo pro nimio labore promeruit: impleris centum viginti annis, ad cæleſte regnum tradidit in manus Angelorum. Cuius corpuſculum in Monaſterio Doli Penetali, ſub ſpe futuræ reſurrectionis poſitum eſt. In quo loco meritis illius Deus Omnipotens, qui operatur omnia in omnibus, innumerabiles virtutes adimpleuit. Sed mirandum eſt valde, qua felicitate anima eius aſcendebat ad cælum, ita vt fratres exequias ſepulturæ præparantes audiebant choros Angelorum, & Archangelorum, Patriarcharum, & Prophetarum, & Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum, hymnos in excelſo decantantes, vna voce, vna modulatione, vno concentu animam eius venerantes ſine intermiſſione: quoúſque in cælum intrarent. Fratres verò hoc audientes, gratias Deo referebant dicentes. Benedictus Dominus, qui animam noſtri paſtoris, cùm hymnis, & choris, & canticis ſpiritualibus recipere dignatus eſt in cælum: Et nos modo ſine dubio ſcimus, quod ille interceſſor erit pro nobis ad Dominum. Cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

XV.

Coloſ. 3.
Luc. 23.
Matth. 25.
Vixit annis 120. S. Samſon.

CER-

CERTAMEN S. MARTYRIS CALLINICI, EX SIMEONE METAPHRASTE.

An. 250.

I. CVM ſimulacrorum inualeſceret inſania, & omnia exederet & corrumperet, malis quidem dæmonibus diuinus honor attribuebatur: Deo autem creatori & opifici vniuerſorum neque animum volebant adhibere, qui erant deditiimpietati, neque ei, quem par eſt, honorem tribuere. Nam cùm mutilatis eſſent animis ij, quibus obtigerat vt fierent ad Dei imaginem, veritatis quidem lucem auerſabantur, conuenientes oculis ad eius, qui illos fecerat, agnitionem: currebant autem ad tenebras erroris, neq; volentes illuſtrari ſplendore ſuæ gratiæ, neque omninò contrà intueri, & adſpicere vbiquè diffuſam radium cognitionis. Nam cùm multam & tenebricoſam effudiſſet malignus in homines ignorationem, & eos omninò in ſuam redegiſſet poteſtatem, à vero quidem & ſolo Deo diſiunxit & abduxit: ſurda autem & muta ſimulacra turpiſſimè perſuaſit colere & adorare: vt ſic eos omninò expugnaret & ſubiugaret. Sed qui nos cuſtodit & ſeruat Dominus, non conceſſit ei, vt omninò ſuum in nos impleret odium: neque ſe adeò impudenter gereret, vt nos omnes conculcaret. Multi enim eum vicerunt, & omnes eius vires perdiderunt. Domini enim amore inflammatis eorum animis, & totis eius, qui eſt potens, charitate confirmatis, ad bellum gerendum aduersùs inimicum ſtrenuè & audacter proceſſerunt, omnibus quidem membris lacerati, & carnis compagibus reſoluti, recreationem autem ac delicias ea, quæ magnos dolores afferunt, tormenta exiſtimantes: quos adhuc certaminum ſanguine diſtillantes accepit Chriſtus Agonotheta. Puræ namque ei oblati ſunt hoſtiæ, & victimæ voluntariæ Propter quæ communis ſuperatus inimicus, cecidit admirabili quodam caſu illis ſpectantibus. Cum eo congreſſus magnus quoquè athleta, & corona redimitus Callinicus, cuius luctam & certamina in præſenti proſequitur oratio, vſque adeò deriſit ea, quæ ſunt eius terribilia, vt tanquàm infantem prima ſtatim lucta proſtrauerit, & humi affixerit. Sed eius quidem egregij viri omnia ſingulatim dicere & referre nec vlla poſſet oratio, nec quæ ab eo geſta ſunt, auditione fuerunt accepta ab omnibus, vt poſſint omnia proferri ab omnibus. Quædam autem pauca, & quæ eorum, qui audiêrũt, minimè fugiunt memoriam, (etenim interfuerunt quidem, cùm decertaret martyr. & viderunt nonnulla eorum, quæ fiebant) præſenti oratione tradentur memoriæ. Sic enim & noſtro ſatisfaciemus deſiderio, & athletæ afferemus breuem laudem martyrij.

Ivl. 29. — Mortalium miſerorum cæcitas & impietas. — Diaboli ſuperbia & malitia. — Martyrum præclara virtus. — S Martyrũ hoſtiæ ac victimę, caſus inimici dæmonis.

II. HIC ergò diuinus & magnus Callinicus in bona, & omnium rerũ fertili Ciliciæ regione natus, fuit præclarè educatus, Deum quidem omnium Saluatorem & effectorem ab infantia confitens & honorans: ſimulacra autem, nullo ſenſu prædita & planè ſurda, abhorrens & habens odio. Qui cùm etiam vellet pietatem vbique diſſeminare, vſus eſt multis & longis peregrinationibus, vitam quidem dignam religione exercens vitæ autem inſtitutum exornans religione Fidem enim in Chriſtum non ſolùm in ſinu ferre, ſed etiam publicè prædicare, pium eſſe exiſtimans, cognitus fuit à multis magiſter veritatis: quos perindè ac quidam magnes trahebat ad ſeipſum, & auertebat ab errore. Ab eius enim, tanquàm alicuius Sirenis, dulciſſimo verborum capti ſono ij, qui audiebant, ſtatim deducebantur ad fidei agnitionem, pulchra ei effecti præda.

Callinicus à puero Chriſtianus. — Multis Chriſtum annunciat.

III. CVM verò multos vicos & ciuitates obiens, perueniſſet Ancyram Galatiæ ciuitatem magnam, & populo frequentiſſimam, (erat autem verbum diuinum in ea explicans & diuidens) & multi ex ijs, qui tunc illic erant, fuiſſent eius doctrinæ participes, accenſa eſt ab aliquibus in eum inuidia & odium inconſideratum. Qui enim diuinas inſolenter deſpiciebant admonitiones, & auerſati quidem erant veritatem, tanquàm terra autem petricoſa ſemen verbi non admittebant, fidei præconem accuſant apud eum, qui tunc erat Præſes ciuitatis, virum quidem plenum impietate, plenum itèm ira & crudelitate. Ei autem erat nomen Sacerdos. Ad quem cùm productus eſſet athleta, & veniſſet in eius conſpectum: Quid, inquit audax & arrogans Præſes ſancto, aduersùs tantam potentiam audes ſolus ex alijs te inſolenter gerere, idque cùm ſis aduena, & non noſtras, omnibus ſe ſubmittentibus, & dijs ſacrificia offerentibus, & eos ſtudentibus habere beneuolos ac propitios, per quos nobis donantur, quæcunque ſunt optima & pulcherrima? Sed tu quidem non ſolùm non accedis dijs ſacrificaturus, & eos placaturus: ſed eos etiam ab inſtituto dimouens, qui volunt accedere, verbis ad inducendum accommodatis decipis. neque corporis fretus magnitudine: neque authoritate vlla aut dignitate. Cui martyr Chriſti ſic manſuetè reſpondit & placidè.

Matth. 13. — Siſtitur coram Præſide, nomine Sacerdote.

IV. EGO quidem me fateor eſſe hominem ſpecie humilem & puſillum: circunfero autem in hoc meo vaſe fictili precioſum meum theſaurum, & margaritam Chriſtum Dominum meum & Saluatorem Ieſum, cuius ſum ſeruus: cui proiectus ſum ab vtero, qui eſt mihi diuitiæ, gloriatio & virtus, per quæ ſunt mihi delectabilia & longè iucundiſſima quæcunq; ſunt in vita aſpera & moleſta. Non eſt ergò mirum, ò Præſes, ſi cùm talis ſit mihi Dominus, contendo & decerto, vt & ipſe me à vitij rubigine expoliam, me integrum & ſyncerum, quoad eius fieri poteſt, conſeruans, & quemadmodùm ab errore idolorum eos, qui ſunt decepti, auellam, & adducam ad veritatem. Qui enim abducit peccatorem ab errore viæ ſuæ, (vt dicunt diuinitùs inſpirata eloquia) ſeruabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Atq; vtinàm tu quoq; à me perſuaderêris præſentem quidem relinquere deceptionem, ad veritatis autem lucem accedere. Tunc enim te vera cognouiſſes, quid ſit vniuerſorum quidem Deus & Dominus: quid autem, quæ ſunt apud vos ſimulacra, quæ reuerà ſunt animæ exitium & interitus.

Egregium eius reſpõſum. — Iacob 5.

V. HÆC cùm mala audiſſet anima, & quæ ea, quæ ſunt honeſta, habet odio, quæ contineri non poterat, ira fuit repleta, & ſanctum toruè intuens: Mihi, inquit, videris mortem vitæ præferre iucundiſſimæ, & ideò aduersùs Deos verbis vſus es inſolentibus, & amentiam tuam ſignificantibus, hæc puerilia & inania contexens, & * vno ſpiritu proferens: ſed ſcias futurum, vt nihil horum tibi proſit, neque te aliquis ex meis manibus eripiat, ne is quidem, quem tu profiteris Deum & Saluatorem. Omnia enim tua membra contrectabo. & quodcunque eſt acerbum, tibi inferam ſupplicium: vt ipſa ſcias experientia, quantum ſit malum non parére ijs, qui dominatum obtinent, & quàm multis ſint pœnis obnoxij ij, qui Deos ſubſannant, & eorum cultum repudiant. Quem martyr audaciùs fixis intuens oculis: Noli, inquit, differre, nec protrahere: ſed citò para omnia tormentorum inſtrumenta. Veniant flagella, enſis, ignis, rotæ, & quæcunque alia excogitata fuerunt ad ſupplicia. Eſt enim mihi vnum ſolum terribile & formidandum, nè quid timeatur pluſquàm Deus, & ab ea, quæ illic eſt, ſepárer beatitudine. Alia autem omnia, quæ meo corpori intuleris, voluptatem mihi potiùs reputabo, quàm cruciatum, propter meum in Deum amorem.

* for. vano — Magna eius conſtantia.

VI. TVNC Præſes cùm deſperâſſet fore, vt mutaretur, iubet ei totum corpus cædi neruis crudeliſſimis. Qui cùm cæderetur, clamabat præco: Agnoſce Deos, Callinice, & eos inuoca, vt te ab hoc tormento eximant. Ille autem tam leniter plagas accipiebat, vt ne videretur quidem omninò pati: tantum abeſt, vt concideret, aut flecteretur, ad Deum ſolum totam mentem dirigens, & ei conſtanter agens gratias, pro quo hæc pati delegerat. Et quo magis videbat corpus ſanguine diffluere, eo magis ſubſannabat eos, qui verberabant, quòd non plures & vehementiores ei plagas inferrent. Sunt eæ enim, inquit, longè minores & imbecilliores, quàm ego expectaui, & quàm ſim tolerare paratus Propter quæ maiori furore percitus Sacerdos, iubet eum pendére à ligno, & ferreis laniari vngulis.

Neruis cæditur, — Subſannat & irridet ſuos flagellatores.

Ferreis lacerratur vngu is. Quem cùm etiam circunſtetiſſent lictores agreſtes & crudeles, ſerutati ſunt totam compagem corporis, nulli corporis parti parcentes. Dixiſſes eum habere naturam lapidis, aut aliquam aliam eorum, quæ ſunt dura & repugnantia, cùm vidiſſes eum nulla affici moleſtia, nec vllo frangi dolore. Sic eum mutauit eius amor in Chriſtum, vt eius, quam habebat, obliuiſceretur naturæ. Tantum enim abfuit, vt ſummo tormento ſuccumberet, vt voce libera irrideret & ludificaretur Tyrannum. Qua de cauſa videbatur hic quidem inexpugnabilis, ille autem pudore affectus, & ſola quadam inani ſe exultatione iactitans.

VII. CVM autem omninò deſperâſſet ſtolidus, ad hoc vltimum conuerſus eſt ſupplicium, quod ſolus, vel cum admodùm paucis excogitauit & inuenit: quod quidem erat ſignum eius furioſæ & amentis animæ. Nam cùm crepidas clauîs acutis confixiſſet, iubet alligari pedibus martyris, & imperat ijs, qui eum abducebant, lictoribus, vt tractus iniret viam Gangram vſque. Vt autem maiores & acriores ei afferrentur dolores ex perforatione clauorum, cùm alios lictores collocâſſet in equis perniciſſimis, cogebat ante eos currere athletam clauis confixum. Omninò vel ad ſolum ſpectaculum fractus eſſet omnis animus, ne apertis quidem oculis hæc ferens adſpicere. Sed non ille immanis, & corde planè lapideo aut natura, eſt vllo modo commotus, aut dolorem reputauit inſuperabilem: ſed tanquàm ijs, quæ gerebantur, inſultans, præſidebat ſuperbus, impiam ſuam animam implens talibus ſpectaculis. Qui etiam iuſſit lictoribus, vt ſimulatque dictam aſcendiſſent ciuitatem, vehementiſſimam fornacem accenderent, & ſanctum in eam inijcerent: vt etiam, qui illic ſunt, aiebat, viderent eius inobedientiam, atq; contumaciam: quoniam in ea quoquè ciuitate multos, vt accepimus, abduxit à cultu deorum.

Clauis confixi calcei ei adhibentur

IIX. ILLE ergò magnus Chriſti athleta per hanc viam ductus laborioſam, habebat ſupernam gratiam eum confirmantem & ſuſtentantem: à quo etiam perficiebatur curſus celeriùs, quàm ab illis equis, quantumuis pernicibus. Nam perindè leuis, ac ſi fuiſſet ad curſum expeditus, cum illis ferro alligatis percurrebat crepidis, pſallens illa Dauidis: Expectans expectaui Dominum, & attendit mihi. Et eduxit me à lacu miſeriæ, & à luto fæcis. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & duxit greſſus meos. Et illud: Dominus illuminatio mea & Saluator meus quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Poſtquàm autem currens peregit ſexaginta ſtadia, & peruénit ad quendam locum, qui dicebatur Matrica, facit in eo quoddam inſigne miraculum. Nam cùm lictoribus, qui eum abducebant, linguæ ſiti horrerent & æſtu immodico, (erat enim menſis Iulius) & propter viæ moleſtiam propemodùm deficerent, & nec aqua alicundè apparéret, qua ſitim ſedarent, & ſe exanimatos recrearent, & nec alia inueniretur ratio, qua malo afferrent remedium, omni ſpe abiecta, ad ſolum ſanctum conuerſi ſunt, ad eius pedes prouoluti, & hæc ei dicentes cum lachrymis: Nè recorderis noſtrorum malorum, ô ſancte, nec veniant in mentem noſtræ in te contumeliæ. Sed eorum omnium oblitus, fer nobis opem periclitantibus, & da aquam ſitientibus animabus, & quæ ſunt vi æſtûs liquefactæ: conſumptus enim eſt nobis humor naturalis. Defecit, vt vides, virtus: æſtus imminet capiti. Nos omnia ſimul opprimunt mala, quæ tuum eſt ſolius mutare & curare.

Vide vim diuinæ gratiæ. Pſal 39. Pſal 26. Laborant ſiti grauiſſima lictores.

IX. HÆC dicentibus lictoribus tenui & imbecilla voce, eorum mouetur miſericordia vir maximè miſericors: & cùm ſe conuertiſſet ad preces, inuocauit Deum, qui iniuriarum & malorum obliuiſcitur, nè eos deſpiciat tanta oppreſſos neceſſitate: ſed miſereatur, & aquam eis bibendam præbeat, ſicut olim populo, qui erat in ſolitudine, & eos conſoletur, qui ſunt aduſti ſiti. Simul autem cum ſancti inuocatione & precibus (ô miraculum!) aqua ex quadam petra effluens, & tanquàm ex fonte glorioſè ſcaturiens, & lictorum torrida ora refrigerauit, repleta illo nouo & copioſo flueuto, quod poſteris eſt conſeruatum plenum & perenne. Non enim defecit fluens ab eo tempore, & nunquàm eſt conſumptum. Talis fuit martyris ad Deum fiducia & virtus. Ità eos, qui glorificant ipſum, Deus glorificat. Qui enim Solem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos, & nutrit omnes tam malos, quàm bonos, quid mirum, ſi his etiam viris, licèt ſint moribus ſæui, & cædes ſpirantes, abundè ſuppeditârit ſuam miſericordiam? Qui cùm etiam, vt diximus, abundè bibiſſent ex illa aqua, quæ affluxerat, & ſuos recreâſſent ac erexiſſent animos, pertexerunt iter facere, ſequente eos quoquè martyre. Quod cùm totis ſeptuaginta ſtadijs confeciſſent, Gangram peruenerunt, ſicut eis imperatum fuerat.

E petra ſuis hoſtibus à Deo aquã impetrat. Matth 5.

X. CÆTERVM lictores non lubentes quidem, (habebant enim ante oculos Martyris beneficium) ſed victi metu eorum, qui obtinebant dominatum, (habebant enim animos molles & flexibiles, & hiantes ad ea ſola, quæ videbantur) feſtinârunt facere id, quod iuſſi fuerant, eos maximè incitante martyre vt abiret celeriùs ad eum, quē cupiebat. Quocirca cum fornacem ſuccendiſſent, & ſanctum propè ſtatuiſſent, iam lætantem & exultantem in eam iniecerunt. Qui cùm etiam vltimis verbis Deum laudâſſet, & in certaminis conſummatione egiſſet gratias, in manus Domini tradidit ſpiritum, & ad eam, quæ illic eſt, tranſijt beatitudinem, vigeſimonono menſis Iulij. Sed tu quidem, ô beate, martyrum decus & ornamentum, ſic è vita egreſſus, & præmiorum ſtigmatibus decoratus, nunc purus ſedes cum Chriſto ſponſo puriſſimo, in hoc oblectans & exhilarans, & corona gloriæ ab eo coronatus. Memento autem noſtrî quoquè deincèps, qui te colimus, & hoc ſacrum tuum feſtum celebramus: & da nobis, vt æquabiliter & ſine vlla offenſione tranſigamus vitæ aſperitatem: vt cùm non obruti enatauerimus ex hoc mari tentationum, in portum quietis appellamus, ipſum habentes gubernatorem tuis interceſſionibus Dominum noſtrum & Saluatorem Chriſtum: Quem decet omnis honor & adoratio in ſæcula ſæculorum, Amen.

In fornace reddit ſpiritum. Feſtus dies eius.

VITA SANCTI ET IVSTI EVDOCIMI EX SIMEONE METAPHRASTE.

IVL. 29. EVDOCIMI, qui conuenienter ſuo nomini ex Deo laudem eſt aſſecutus, vitam bonum eſt exponere. Hinc enim ſimul voluptas & vtilitas non redit ſolùm ad expoſitores, ſed multò magis ad auditores: non ſolùm quòd ſe oſtenderit vehementem amatorem virtutis, & quod eſt honeſtum, ſtatim elegerit ab ineunte ætate: cum multis enim alijs fuit hic vitæ zelus ei communis: ſed quod in illo præcipuum & penè ſingulare, vel omni, vel magna ex parte excelluit, eius in mundo fuit ſupra mundum vita: & quòd cùm viueret in medio tumultuum, & harum rerum inſtabilium, quæ omnibus tempeſtatibus ſordibusque plenæ ſunt, puram & tranquillam, & minimè inquinatam ſuam conſeruauerit animam: & oſtenderit eſſe timidi & puſilli animi, mundi fugam perſequi, & adiutrice vti ſolitudine, perindè ac ſi quis in maris tranquillitate nauigans, & abſque vllis fluctibus ventiſque vehementibus, velit vocari peritus nauigationis, & intelligens eorum, quæ ad mare pertinent. Quoniam ergò illius vita eſt exemplar ſufficiens, cùm omnibus, vt ſemèl dicam, qui virtutis ſtudium ſibi vendicant, tùm ijs, qui in mundo viuunt, & mundo (vt cum diuino Paulo dicam) vti ſolùm, non abutie liguur: dicantur res illius, & virorum bonorum animis apponatur menſa diuina, & opſonia, quæ nunquàm conſumuntur. I.

1. Cor. 7.

II. SANCTVS ergò Eudocimus genus quidem duxit ex Cappadocibus, piorum parentum pia ſoboles. Quorũ alter quidem Baſilius, Eudocia autem nomine, quæ genuerat, erant genere inſignes, opibus abundantes, illuſtreſq;

Eudocimi parentes illuſtres.

autho-

authoritate. Patriciorum enim dignitate clarus erat Baſilius. Cùm tam præclaros autem generis fontes haberet filius, non tam viſus eſt nobilis ex parentibus, neque tantam ex eis accepit gloriam, quantam ipſe præclaris ſuis factis ex ſe nobilitatem ſuis attulit parentibus. Nam filios quidem, qui ex claris orti ſunt parentibus, permultos inuenies: parentes autem talium filiorum, qui in medio mundo vitam nulli reprehenſioni affinem tranſegêrunt, admodùm paucos. Ille ergò doctrinæ & diſciplinis iuſſus attendere, magnum in his poſuit ſtudium, non verberibus, non terroribus, non aliquo alio indigens ex ijs, quæ poſſunt puerilem ad res honeſtas excitare ſocordiam: ſed ipſe erat ſibi ſtimulus ex propenſione & animi alacritate ad ea, quæ bona ſunt. Multò autem magis inuigilabat lectioni diuinorum eloquiorum, & aſſiduè in eis verſabatur, adeò vt ipſe quoquè caneret cum diuino Dauide: Exultabo ego ſuper eloquia tua, vt qui inuenit ſpolia multa. Et: Quàm dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea eſt. Propterea ei reputatum eſt ſupra millia auri & argenti, iuxta diuinum prophetam, dico Dauidem. Et Dei eloquia dulcia gutturi eius fuerunt, & ſuprà mel ori eius.

Nobilitant benè facta virum.
Dat operã literis.
Pſal. 118.
Ibidem.

III. VACABAT autem diuinis templis & aſſiduè ad ea veniebat. Et cùm eius æquales & familiares dediti eſſent venationibus, & equorum curſibus, & alijs adoleſcentum ſtudijs, ille ea ægrè ferebat, & ab eis minimè mouebatur, & nulli cedebat ex ijs, quæ iuuenilibus blandiuntur cupiditatibus. Iucundè verò & lubenter verſabatur Eudocimus, aut in domo orationis, aut in lectione diuinorum eloquiorum, per quæ ſtudebat ſeipſum reddere templũ Deo dignum, vt qui nihil oſtenderet iniucundum, nihil turpe ex deformitate animi perturbationum, & in eas collato ſtudio. Non res aduerſæ, non ſecundæ, non aliquid ex ijs, quæ animum poſſunt aut efferre, aut deprimere, fuit ſatis validum ad eum à ſuo inſtituto dimouendum: ſed dexteris & ſiniſtris armis (vt dicit Paulus) dexterè vtebatur, & ea materiam faciebat philoſophiæ. Quinetiam cùm viam ſæpè ingrederetur, tam quæ ferebat ad regiam, quàm quæ in vllum alium locum, mentem ſimul & linguam habebat intentam operi: hanc quidem canentem pſalmos Dauidis, illam autem attendentem, & quæ dicebantur intelligentem, & iubenti ipſi Dauidi parentem. Non enim id ei, quod multis, vſu veniebat, qui pſallunt quidem, ſed non intelligunt: quique cum ijs, quæ dicunt, ipſi prius pugnant, & re ipſa apertè contradicunt, cùm procùl ab ijs, quæ dicuntur, aberret eorum animus. Temperantiam autem, quæ verè publica eſt, & pulchritudine alias excellit virtutes, ſic amauit, & ab ea ita apertè eſt ſuperatus, vt eam in vita ſociam, & quæ ſecum habitaret, delegerit, & audacter cùm Iob diceret non hoc ſolùm: Oculum meum non eſt cor conſecutum: ſed etiam, quod illo eſt maius, pactum feciſſe cum oculis, nullo modo intellexiſſe ſuper virginem: & vſque adeò vitauerit cum muliere colloqui, vt ſoli matri non eſſet prohibitum ad eum accedere, quam in magna habebat veneratione: vt qui non ſolùm maternis, ſed virtutis etiam cederet legibus: Præter eam autem nulli licebat mulieri cum eo omninò loqui, aut ad eum adire.

Studium & conuerſatio eius.
2. Cor. 6.
Magnum caſtitatis ſtudium.
Iob 31.
Ibidem.

IV. CVM temperantia verò coniunxit etiam eleemoſynam, cum pulcherrima eam, quæ eſt maximè hilaris, adeò vt illius quidem lumine illuſtraretur facies, huius autem oleo cor pinguefieret, eſſetque & mundus & miſericors: adeò vt altitudo, quæ procedit ex puritate, ad proximum (vt par eſt) ex conſenſu ſe inclinans, in tuto eſſet. Tam ſplendidè autem attendebat eleemoſynæ, & eam ità amplectebatur, vt non ſolùm ſuperfluis, ſed etiam neceſſarijs ſe piè gereret: & non parcè ſeminaret, ſed in benedictionibus: & non ſolùm pecunijs, ſed etiam carnibus, ſi ex ijs pauperibus dari poſſet auxilium, minimè parceret, idque admodum hilari, promptoque & alacri animo, motus dilectione in Deum & proximum. Fructus enim charitatis, eſt in fratrem miſericordia, adeò vt ipſe promptior eſſet ad dandum, quàm ille ad accipiendum, qui opùs habebat miſericordia: & cùm dediſſet, ipſe magis lætaretur, & plùs ſe iuuari crederet, quàm is, qui acceperat, quomodò res verè habebat. Maiores enim ſunt diuinæ gratiæ, quàm humanæ, quas ipſe larga manu emebat largiùs illinc ſcaturientes. Et, vt ſemèl dicam, orphanorum erat pater Eudocimus, curator viduarum, indumentum nudorum, panis eſurientium, animarum, quæ ægritudine grauabantur, ſolatium.

Eleemoſynæ valdè eſt deditus.
Itẽ cæteris miſericordiæ operibus.

V. IS cùm & ab Imperatore honores, & quæ eſt ad tempus, gloriam aſſequeretur propter virtutem, nihil ex eo lædebatur, vt cuius nec calor animæ tepeſceret, neque ad curſum ſpiritualem fieret impetus hebetior: ſed potiùs eam quoquè Deo aſcribens gratiam, hinc ſumebat occaſionem maioris in ipſum deſiderij, & eum colendi promptiùs & alacriùs. Certè cùm eſſet electus, vt præeſſet parti exercitûs Cappadocum, & moraretur circa id, quod vocatur Charſianum, gerebat magnam curam populi: vt qui non ſolùm de eis eſſet paternè ſolicitus, ſed eas etiam, quæ erant inter ſe inuicèm, vt ſolent, controuerſias ſolueret, nullam in partem propendente trutina iuſtitiæ: & iudicans orphanum (vt dicam cum Eſaia) & viduam iuſtificans, & omnibus idem apparens per æqualem in omnes beneuolentiam. Et quid opùs eſt, vt dicam ſingula? Erat virtute perfectus Eudocimus: erat inſignis charitate in Deum, & inſignis charitate in proximum. Quamobrèm eius exitium & interitum, proximo, inquam, clàculùm detrahere, adeò odio habebat, vt non ſolùm ipſe nihil tale faceret, ſed etiam ſi alius vellet facere, minimè ſuſtineret non honeſtis verbis aures præbere: & quòd ad ſe attinet, illas quoquè conſeruaret peccatis ſuperiores.

Fit præfectus militum Cappadociæ.
Eſa. 1.
Obtrectationes ferrẽ nõ ſuſtinet.

VI. ILLVM ſic viuentem, piumque vitæ inſtitutum exercentem, & rectè ſe gerentem communis in regione aliena finis occupat, cùm eſſet triginta tres annos natus, & necdùm quidem canis capillos albeſeciſſet, multorum autem canos ſuperaret prudentia. Malè autem habebat Eudocimum, non quòd abſolutè moreretur, vt qui per totam vitam id eſſet meditatus, & quam cùm egiſſet vitam, quænam ſors eſſet eum conſecutura: & alioqui cùm eſſet ſapiens, non ignorabat omninò, qualis eſſet lex inter compoſita: nempè quòd cùm accepiſſet principium, neceſſe eſſet finem quoquè conſequi: quamobrèm non eum conturbabat corporis ſeparatio: ſed quòd cùm matrem non vidiſſet chariſſimam, longè eſſet peregrinatus. Quomodò autẽ eſt mortuus? eſt enim hoc ſimul philoſophiæ & vtilitatis particeps. Ægrotabat quidem vir ille, & morbus eum iam eò deduxerat, vt vltimum ageret ſpiritum. Ipſe verò cùm ſuos accerſijſſet familiares, primùm quidem diligenter mandauit, & eos iureiurando adegit, vt eum mandarent ſepulcro, ſic indutum, & nequaquàm in ipſum obſeruarent, quæ ſolent in mortuis. Deindè cùm omnes iuſſiſſet extra fores egredi, ipſe ſolùm incluſus dat ſe orationi. Oratio autem erat, (audita enim fuit à quodam, qui prope fores auſcultabat) vt eius ad Deum exceſſus eſſet obſcurus, & nulli cognitus, quomodò etiam tota ferè eius vita nulli euaſit manifeſta. Cùm verò alia quoque adieciſſet orationi, & egiſſet gratias, & poſtremò dixiſſet, In manus tuas commendo ſpiritum meum: vere ſanctam emiſit animam. Quidam autem ex ijs, qui ſepulturæ eius inſeruiebant, màgis ruſtice, quàm pie, in hoc mandato exequendo affecti, non ſolùm cum veſtimentis & calceis, quibus erat indutus, ſed etiam cùm ſtragulis, in quibus iacebat, in lignea capſa ſic impoſitum, humi condunt eum, qui nihil habebat dignum tenebris, nube omninò ſolem, aut lignum modio, aut potiùs, ſi màuis, in cella penaria precioſiſſimum theſaurum, & qui non poteſt conſumi. Sed ille ſic quidem fuit conditus: Deus autem non paſſus eſt eum latére, ſed eum reddit manifeſtum cauſa multorum vtilitatis. Sic autem facit.

Oratio eius ante mortẽ.
Pſal. 30.
Eius è vitâ exceſſus.

VII. VIR quidam à ſpiritu vexabatur dæmoniaco, Elias nomine, cùm poſt mortem ſancti non multi dies prætерijſſent. Repente accedit ad ſepulcrum, multa quidem dicens, multa autem faciens, quę ſolet facere nequitia dæmonum in damnum humanæ naturæ, quæ deſuper bello ab eo appetitur. Dæmone quidẽ moto à ſancto, aut à Chriſti potiùs virtute, vt eum manifeſtum faceret & honoraret: mouente autẽ & torquente, & maxima tempeſtate hominẽ,

Dæmoniacus fit liber ad tumulum eius.

contur-

Digitized by Google

conturbante, cùm tanquàm mortuum Eliam humi iecisset, ſceleratum illud dæmo nium ſtatim abijt, vt quod fue-
Itèm alij morbidi.
rat homini veluti quædam diſciplina, & medicamentum ad expianda peccata ijs, qu æ Deus nouit, iudicijs. Atque
Elias quidem ſic fuit liberatus à dæmone: Deus autem non eouſquè fecit conſiſter e ſui ſerui gloriam: immò verò
cùm tanquàm tuba valdè clamans, in multos eſſet diſperſum miraculum, multitudi nem eorum, qui laborabant va-
rijs morbis, vocauit ad ſepulchrum, ſepulcrum, inquam, ex quo admirabil iter multis ſcaturiebat vita &
cutatio.

Ex his verò vna mulier, quæ habebat filium, cuius ſolutæ erant manus, quiq ue eas ferebat non ſecùs atquè VIII.
Oleo lucernæ eius ſanantur quidam debiles.
lapis ac ſtatua, cùm ardenter acceſſiſſet ad ſepulcrum, non longa opùs habuit mora, non negocijs, non diebus: ſed
cùm primùm venit, ei opem tulit ad liberandum à morbo filium, oleum ſumptum e : lucerna beati ſepulchri: quo
cùm illa filij manus vnxiſſet, vidit ſtatim eum totum illæſum, & vtentem manibus ſin ul liberis, & ſuo fungentibus
officio. Alius autem puer eodem quidem modo affectus, in hoc verò ſolo differens, q uòd priori quidem manus, ei
autem pedes erant immobiles: Is ergò ſimili fide oblatus, ſimilem quoquè conſecutu s fuit curationem. Nam cùm
is quoquè vnctus eſſet in pedibus oleo lucernæ, protinùs exilijt, & fuit cauſa magnæ g ratiarum actionis, quæ offe-
rebatur ipſi ſancto, qui curauerat, & Deo, qui præbuerat gratiam curationum.

Rvrsvs autem mulier vexata à dæmone, liberata eſt à maligno ſpiritu eam ve cante, cùm ſolùm acceſſiſſet IX.
Dæmoniaca liberatur.
ad ſepulchrum, & pulchrè didiciſſet, quemadmodùm lux perſequitur tenebras, & quà n ſit terribilis, bonus & gra-
tus ſeruus malo ſeruo & fugitiuo, propter eam, quæ ei cum Domino intercedit, coniun ctionem & familiaritatem.
Porrò autem alij quoquè mulieri, quæ graui morbo laborabat, fuit mirabilis curatio ſ olutio ſepulcri puluis ſum-
Nota de puluere ſepulcri eius
ptus cum fide, deindè aqua conſperſus, aut, vt meliùs dicam, eius lachrymis, & impoſit s parti corporis, quæ malè
ſe habebat. Et ideò cum ſeminâſſet in lachrymis feruentis in Deum fidei, meſſuit exult ationem curationis. Non
paucis quoquè alijs malè affectis, qui longè aberant, fide autem non erant longè, hic puluis ad eos allatus, vi-
ſus eſt aptum in omni morbo medicamentum, & quod multis quoque alijs modis erat iucundiſſimum. Nam cum
eo, quòd curabat certiſſimè, habebat etiam celeritatem, & cum celeritate, moleſtiæ vacuit atem, & cum moleſtiæ
v. cui te, quòd nulla erat omninò ſoluenda merces, & nihil penitùs damni accipiebatur. Deficiet me tempus & o-
ratio, defectæque erunt manus ſcriptionis operi ſeruientes, ſi voluërimus omnia comprehen lere, quæ & priùs il-
le, vbi fuit ſepultus, & nunc huc quoquè tranſlatus facit miracula.

Qvoniam autem tranſlationis meminit oratio, de ea quoquè tractandum eſt, quem admodùm facta ſit, X.
Deſcriptio tranſlationis corporis eius.
& quænam fuerit cauſa, quòd illius corpus ſepultum in finibus Charſiani, ſit in hanc regiam tr anſlatum ciuitatem.
Magna & velox eius miraculorum fama in omnes partes peruadebat, & implebat aures omniu m: & natura quidem
ſic habebat, nunc autem velocior quoque facta eſt propter rei nouitatem. Vbi enim ſperaue rit quiſpiam, homi-
nem in mundo viuentem, & qui populi ſuſceperat adminiſtrationem, & qui ſingulis horis tan tis agitabatur flucti-
bus, poſſe per ſe quieſcere, & interiorem hominem habere nulla vexatum moleſtia, illæſosq ue & manifeſtos in ſe
conſeruare typos Dei memoriæ, & eius metu cur cuſtodire mundum ab omnibus ſordibus? Nam pietatem quidem
exercere, & amplecti honeſtatem, virtutiſque aliquantiſpèr & Dei meminiſſe mandatorum, in multis fortaſsè inue-
nies ex ijs etiam, qui in mundo viuunt. Non enim eos omninò virtute nudabimus, & tanquàm propriam poſſeſſio-
nem eis ſolis tribuemus, qui ſunt à mundo ſeparati. Sed ad tantam impatibilitatis & virtutis eſſe euectum al-
titudinem, vt conſequatur quis gratiam & ſplendorem miraculorum, id eorum ſolùm dixeris, qui mundo & mun-
danis omnibus multam ſalutem dixerunt, & ſolitudines magis, quàm ciuitates, & deſerta, & longè eſſe remotum
ab amicis propter Chriſtum ſunt amplexi, eorumque paucorum: ſiquidem paucorum nouimus eam, quæ eſt pro
viribus, perfectionem.

Cvm ſic ergò fama eius mortis & miraculorum eſſet diſperſa, eius parentes (eis enim adhuc viuentibus eſt XI.
mortuus) & maximè mater, quæ maximo & germaniſſimo amore, vt filios ſolent matres, eum proſequebatur, ma-
gnum ignem habebant in viſceribus, ſimul quidem & vt filium deſiderantes, & cupientes conſpici parentes eius, qui
Attende pium matris affectum erga filium.
adeò clarus erat miraculis. Mater ergò non ferens cordis impetum, arbitrata, eſſe quid paruum & nihili faciendum,
& non ſatis firmam piæ matri excuſationem viæ longitudinem & ſenectutis imbecillitatem, horum omnium nul-
lam ducens rationem, profecta Byzantio ad id, quod iam priùs diximus, Charſianum incredibili peruënit celerita-
te. Deindè cùm adſpexiſſet eorum multitudinem, qui aſſiduè accedebant ad ſepulcrum, & donum, quod aſſeque-
bantur, qui multis & varijs laborabant morbis & affectionibus, & quàm celerem adipiſcebantur curationem, i-
pſorum, inquam, malignorum ſpirituum, morborumque & affectionum, vt qui perindè ac ſi horribilem terrorem,
& accedere non permittentem, eis incutiat ſepulcrum, non poſſint permanere: vel potiùs vt hoſtes quidam & ini-
mici, qui fortis Imperatoris ne poſſint quidem ferre conſpectum, ſed eos, quos ceperunt, ſtatim dimittant, & in fu-
gam ſe coijciant. Hæc cùm illa vidiſſet, & ſepulcro fuiſſet *circunfuſa*, iucundè & canorè deflebat, partim quidem fi-
lium lugens vt mortuum, partim autem vt ex Deo viuentem, & tantis *digna*tum miraculis admirans: & vt quæ ipſa
quoque gratia & gloria frueretur, & eo nomine gloriaretur.

Fili, voce dicebat altiore, fili, lux æterna meorum oculorum, fili arcanum quoddam & ineffabile bonum XII.
parentibus: vndenàm tibi hæc clara & magna lux curationum? Vndenàm copioſa fluxit gratia ſpiritûs? An ſunt
hæc omninò piæ vitæ remuneratio, & occultorum laborum? An potiùs non ſolùm remuneratio, ſed artha &
proœmium bonorum, quæ te poſt hæc manent? Sum ego reuerà beata inter matres, quæ digna ſum habita,
quæ eſſem & vocarer mater talis filij. Non tibi ampliùs contexo lamentationes maternas tanquàm filio, ſed
tanquàm Dei amico hymnos cano ſpiritales. Non ampliùs te voco filium, & fructum ventris mei, ſed filium
Iohan 1.
Dei per gratiam, non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, ſed reuerà natum ex Deo. Quem cum ipſa genuerim
carnaliter, ab ipſo rursùs viciſſim generor ſpiritaliter. Nec erubeſco eum vocare patrem, cuius verus pater eſt ille
Mater ad ſepulcrum eius orat.
cæleſtis: cognati autem, Angeli & ſanctorum omnium chori, bonorum operum communione, & æqualitate remu-
nerationis. Curam gerere parentum, quibus eſt grauius tuî deſiderium, quàm ſenectus. Atqui, ô chariſſime, pulchrè
carnali tuæ matri referes gratiam pro datis alimentis, ſi ſpiritali tuo patri tuis interceſſionibus eam reddas familia-
rem. Pulchrè quoquè patri tuo referes gratiam, quòd te ad hoc, vt eſſes, produxerit, ſi ad eius ſenectutis & imbecil-
litatis requiem ſinus Abrahæ petieris. Hæc nunc à te contendunt & patris canities, & matris in partu dolores, & v-
bera, quæ tu, qui es omni ex parte perfectus, ſuxiſti, cùm eſſes adhuc infans. Curam gere parentum; curam gere
cognatorum. Lætabitur, ſat ſcio, Deus, quem tu honorandum cenſes in parentibus, quos iubet illius præceptum
honorare, vtpote quòd per ipſos honor ad illum feratur. Nam & primus omnium eſt pater, & opifex, & cauſa, vt ad
Exod. 10.
hoc, vt ſint, producantur.

Hæc dixit, & iubet tolli lapidem, & capſam trahi extra monumentum. Quod cùm factum eſſet, vbi ea iu- XII.
Illuſtre miraculum in eius corpore exanimi & veſtibus.
bente, apertus eſt loculus, cernitur miraculum, & ad videndum diuiniſſimum, & ad dicendum iucundiſſimum, & ad
ea, quæ præceſſerunt, confirmanda validiſſimum. Decem & octo menſes præterierant poſt mortem, & qui tot ante
dies erat mortuus, nullum habuit ſignum, non corporis fluxionem, non compagis ſolutionem, non carnis conſum-
ptionem,

ptionem,non nigrorem, non aliquid, quod eſſet euanidum, aut quod emarcuiſſet, & eſſet liquefactum: ſed totus videbatur recens, perindè ac ſi nupèr eum reliquiſſet anima. Propemodùm videbantur eſſe membra cum motu, genæ cum rubore, labra cum flore, os cum anhelitu. Exiſtimâſſes, te eum omninò videre non mortuum, ſed potiùs dormientem, aut ſeipſum colligentem, & diligentiùs aliquid meditantem. Porro autem ipſæ tunicæ, ipſæ veſtes ſtragulæ adeò erant integræ & illæſæ, & nullo detrimento affectæ, (quòd attinet ad ſepulturam) atquè ſi fuiſſent poſitæ in arca, & diligenter cuſtoditæ. Eſt mortuis corporibus ex ſe quid iniucundum ac tetrum. Eſt veſtibus quoq; quæ longo tempore iacuerunt, & alijs eiuſmodi malus quidam odor, & qui offendit odoratum. Illic autem nihil eiuſmodi, ſed bonus odor, & gratia & delectatio, tanquàm non aliquod ſepulcrum & loculus, ſed hortus eſſet apertus. Probantur ea, quæ dicta ſunt, & quòd corpus eſſet adhuc integrum & recens, ex hoc, quod ſequitur.

XIV. QVIDAM monachus, Ioſeph nomine, ſacerdos, & qui pietati ſtudebat, cùm tunc adeſſet, ſubiectis manibus, & amplexus mortuum, conabatur erigere. Ille autem cedebat, & videbatur parère, & ſeipſum tradere. Erectus itaq; fuit vir ille admirabilis, articulis & compagibus rectè inter ſeſe habentibus. Quod cùm vidiſſet presbyter, & metu eſſet repletus, rogauit, vt permitteret ea auferre, quibus erat indutus. Ipſe autem rurſùs paruit, & manus remiſit presbytero & pedes, vt ijs vteretur vt vellet. Exuit ergò eum ſacerdos tunica, & eum altera induit. A pedibus verò amouet non ſolùm calceos, ſed ea etiam, quæ intùs erant ex ſerico impoſita pedibus. Hæc ergò omnia tam facilè fecit, & citra vllum laborem, perindè ac ſi ille opem ferret ſacerdoti, & ſe traderet, vt eo commodè vti poſſet. Deindè eum rurſùs reclinat in ea, qua prius erat, figura: adeò vt id totum diuino factum ſit conſilio, quòd ſic ſepultus fuerit, vt erat anteà: vt vel ex hoc eſſet manifeſtum omnibus, quòd poſt ſepulturam manſerit corpus potentius interitu & diſſolutione. Quod quidem viſum multis dæmonibus & morbis cauſa fuit, vt fugerent: & meritò: ſi enim etiam cùm eſſet abſconſum, erat eis terribile, poſtquàm apparuit quomodò non eſſet eiuſmodi, vt non poſſet omninò ſuſtineri?

Hæc ſunt ſanè admiratione digna.

XV. QVID poſt hæc eſt conſecutum? Contendebat mater, ſacro ſublato corpore, domum reuerti. Hæc enim, dicebat, ſtella ex meo ventre orta eſt. Qui autem in ea habitabant regione, contendebant non concedere, vt id aggrederetur. Nam etſi, dicebant, ex te proceſſit illa ſtella, cernitur tamen apud nos occidiſſe. Quomodò ergò eum à nobis auferes, qui miraculorum tales oſtendit radios? Ex te pulcher quidem germinauit palmes, ſed apud nos produxit botros miraculorum, & ei placuit, vt nos frueremur muſto gratiarum & curationum. Non erat Deo difficile, ſi vndè proceſſit, eum voluiſſet illuc rurſùs diuertere. Ne videaris ergò repugnare iudicio Dei & voluntati, neq; nobis diuinas gratias inuideas. Nè nos fonte priuaueris, qui non nobis ſolis, ſed etiam communiter omnibus eſt ad fruendum propoſitus. Ad gloriam tibi ſufficit, quòd eius matri apparueris, de cuius etiam mortuo corpore tanta eſt contentio. Nos priùs ex hac expelles patria, quàm hoc bono nobis à Deo dato noſtram priues patriam. Illa poſtquàm hæc audiſſet, ſciens eſſe ſibi aliquod ſapientius capiendum conſilium, quieuit. Deindè autem cùm iuſſiſſet omnes valere, domum reuertitur. Ille verò pius in primis monachus & ſacerdos, de quo priùs diximus, cùm remanſiſſet, & dierum multitudine omnem expuliſſet ſuſpicionem, & in eo cuſtodiendo effeciſſet cuſtodes ſocordiores, noctù ingreſſus, diuinum ſuffuratus eſt theſaurum, & cum furto aufugit. Sed odor miraculorum oſtendit vnguentum, quod celabatur, & morborum curatio fuit furti accuſatrix.

En quanti olim fiebãt ſacræ reliquiæ.

Ioſeph ſacerdos clã aufert theſaurũ corporis eius.

XVI. MVLIER enim quædam, dum is in via ferretur, & qui eum ferebant in quodam, vt eſt conſentaneum, vellent loco requieſcere: illa, inquàm, cùm à maligno vexaretur ſpiritu, in loculum irruit, & grauiter inſiliit, & veluti à magno fluctu fuit exagitata. Deindè cùm ſanctum turpiſſimis eſſet inſectata maledictis, non illa quidem omninò ſed qui eam inhabitabat, quem aduerſarium dixeris, fortis ille ab eo percuſſus receſſit, abiens in loca, ad quæ à Deo fuerat condemnatus. Illa autem ſana domum rurſùs eſt reuerſa. Nõ longum tempus interceſſerat, & virgo quædam præfecta monaſterij, quod vocabatur Mantineum, cùm ſecreto quodam & graui morbo laboraret, & non poſſet graues, quos ſentiebat ex eo, ferre dolores, cùm reſciuiſſet illud mortuum vitam afferens corpus afferri, & magna fide & animi ardore ei facta obuiàm, tanquàm viuenti & audienti ſancto ad loculum ei morbum dixiſſet, ardentis fidei mercedem, celerem inuenit curationem. Eiuſmodi miracula faciens, & eam à Deo gloriam adipiſcens, Byzantium tandèm introducitur corpus parentibus iucundiſſimum, mortalibusque vtiliſſimum, malis ſpiritibus potentius, ægritudinibus & morbis validius, medicamentum verè inexpugnabile: neq; valens ſolùm aduersùs vnum morbum, ſed, vt ſemel dicam, reſiſtens omnibus.

Dæmoniacæ ſanatiõ.

Byzantium tandem perducitur.

MATER ergò læta tali reditu filij, & ſimul caput in Chriſto tollens, ſplendoremque & magnificentiam in tempore oſtendens, argenti magno ſumptu capſam induit: non ſolùm id faciens, tanquàm in gratiam filij, ſed eum ſtudens honorare, tanquàm Dei amicum: vt illud quidem eſſet naturæ, hoc verò pij animi, & mentis Deum amantis. Cùm ſic ergò capſam argento parentes optimi circumdediſſent, hoc verè ſacrum templum deponunt in pulchro templo, quod ipſi Deiparæ conſtruxerant, communes hominibus effecti benefactores, dato dono, quod extenditur in ſempiternum: per quem dæmones fugantur, morbi ſoluuntur, & Deus in omnibus, & per omnia glorificatur. Quoniam eum decet omnis gloria, honor & adoratio, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Parentes capſam corporis eius argento veſtierunt.

VITA S. LVPI TRECENSIS EPISCOPI GRAVITER CONSCRIPTA. HABETVR IN ANTIQVIS MSS. CODICIBVS.

An. 430.

Stylum Fr. Laur. Surius paſſim elimauit.

I. BEATISSIMI & Apoſtolici viri, antiſtitis Lupi vitam vel breuiter commemorare operæ precium eſt. In eius enim præclaris operibus multiplex ſeſe dicendi materia offert. Ortus eſt in Leucorum oppido, nobili inprimis familia, patre Epirochio. Quo ex hac luce ſubtracto, traditus eſt Aliſtichio patruo ſuo, multa generis nobilitate æquè conſpicuo. Eius opera ſcholis adhibitus, rhetorum ſtudijs eſt imbutus. Deinde verò iam apprimè eruditum, florentis eloquij fama per regiones diuulgauit. Iuncta autem ei eſt matrimonio Pimeniola, ſancti Hilarij Epiſcopi Arelatenſis ſoror illuſtris memoriæ, quæ in ipſa iuuentute ſenſus maturitate pollens, pudicitiæ ſemper amore flagrabat. Cùm iam ſeptimus coniugij annus volueretur, inſtigante Domino, ſe ad conuerſionem mutuis adhortationibus contulerunt. Itaq; ſuperni ſpiritûs vigore incitatus Lupus, ad animi cultum transferens veſtium ſplendorem, relicta paterna domo, cunctiſque mundanæ cupiditatis vinculis diſſipatis, Euangelicæ perfectionis feruens deſiderio, eximiæ claritudinis & virtutis virum beatum Honoratum alacri animo ſtatuit inuiſere. Erat is Abbas primæ habitationis Lirinenſis monaſterij.

IVL. 29.

Patria & pater S. Lupi.

Traditur literis.

Ducit vxorem.

Poſteà continenter viuunt.

Beatus Honoratus Abbas.

II. VBI ad eum peruenit, eius inſtitutioni ceruicem vltrò ſubdens, Dominicæ ſeruitutis ſuaue iugum manſuetiſſimis humeris accepit, omnigenis vigilijs & ieiunijs ſeſe afficiens. Cumque annum vnum illic egiſſet, magno fidei calore regreſſus eſt ad vrbem Matiſconenſem, vt ea, quæ ipſi remanſerant, pauperibus elargiretur.

S Lupus ſuſcipit habitum in monaſterio Lerinenſi, & fit Epiſcopus S Lupus. An. 427.

Er ec-

Et eccè de improuiſo ad vrbis Trecenſis Epiſcopatum rapitur. Fuêre autem hæc eius promotionis primordia, vt ciuibus ſuis viam ſalutis ſemper concionibus ſacris explicaret, & imperitos populi ſenſus diuina lectione inſtrueret. Porrò clerum quoquè ſuum, gratia præeunte, habenis iuſtitiæ ſtrenuè moderabatur.

It in Britanniam contra Pelagianos, cum S. Germano. A. 429 vide infra 31. huius vitam S. Germani lib. 1. cap. 19. & ſeq.

Exacto verò biennij ſpacio, cùm eſſet pollens ingenio, clarus eloquio, ſanctitate præcipuus, S. Germano, III. totius perfectionis & gratiæ ſpiritalis pleno, contra hæreſin Pelagianam, quæ ſanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus eſt. Qui vno ſpiritu iuncti, & pari voluntate concordes, terribiles Oceani fluctus, temporibus hybernis inexplorato mari ſe committentes, orationum gubernaculis mitigârunt. Inter ipſas autem vndarum minas cùm ad tutam ſtationem appuliſſent, crebris virtutum ſignis aduentûs ſui nuncios præmittebant. Ad vrbis enim cuiuſdam mœnia vt propinquârunt, omnes ſe illis obuiàm effudêre, quibus ipſi admirãdis ſignis admirationi fuerunt: Erant verò ſine intermiſſione intenti ad capiendos homines: eaque cauſa ægris [a] curationes adhibebant, ſpiritus immundos palàm ex obſeſſis eijciebant. Denique omnes ad ſanæ fidei confeſſionem ab errore reuocârunt, cùm iam totam ferè Britanniam Pelagiana peſtis occupâſſet.

[a] Faciunt multa ſigna.

Hunni vastant Gallias.

S. Lupus precibus ſuam tuetur vrbem.

Non longa poſt tempora Hunni erumpentes & per omnem Galliam diffuſi, partim ſimulatæ pacis arte IV. tentabant vrbes, partim vi expugnabant. Vbi ad Trecenſem infeſto agmine venêre ciuitatem, patentibus campis ſitam, & nec armis munitam, nec muris, ſolicitus pius antiſtes, ad vſitata ſe recipiens præſidia, ſolis ad Deum fuſis precibus, ſupernæ opis auxilio eam defendit. Arimmanis ille & ferus Attila, fidem ſancti viri altiori ſenſu ſuſpiciens, pro ſua exercitusque ſui ſalute & incolumitate ſecum eum vult proficiſci ad Rhenum vſque, pollicens vbi eò ventum ſit, ſe ipſum dimiſſurum. Mox copia offertur ab eo loco reuertendi, non negatur reditus, iter quoquè indicatur: orat tyrannus obnixè ſanctum virum, vt velit pro ipſo Dominum deprecari, interprete vſus Hunigaſio. Reuerſus autem vir Dei, vt vidit ſe deſperatione ſuorum turbatum, ad montis perfugium Latiſconem cæteris ſolertior ſe contulit... tior ſe lìnauit, vt eò transferret plebem, quam orationum ſuarum ſuffragijs diſcrimini ſubiacentem inter excidia publica & hoſtilia arma defenderat. Illud perfugium diſtat ab vrbe milliaribus quinque & quadraginta. Manens verò illic biennij ſpacio, offenſus caritate ſuorum eò venientium, Matiſconem ſibi cenſuit expetendam. Illuc eunti quædam mulier iuxta * Aliſiam, corpore proſtrata in aggere publico, ſe paralyticam magna voce ſignificauit. Orauit pro ea vir ſanctus, & mox ſanitati ſe reſtitutam ſenſit.

** Baſilicam*

Sanat paralyticam.

Item mutã.

Cum iam autem in Matiſconenſi prædio degeret, circa horam ſextam oblata eſt ei puella, ex dæmonis infeſtatione linguæ officio deſtituta. V. Confeſtim ſignum crucis illi imprimens, & media nocte pro more ſurgens, pſalmodia abſoluta, inuocato nomine ſacroſanctæ Trinitatis, loquendi facultatem ei impetrauit. Etſi verò ex plurimis geſtis eius pauca iam perſtrinximus, at operæ precium tamen videtur vitæ eius hiſtoriam breuiter pertexere. Annis plùs minus viginti, lectuli quietem neſciens, in tabula cubauit. Veſtis eius perpetuò cilicium fuit. Præter illud, vnius tunicæ vſu ſemper contentus, in orationibus alternis noctibus peruigil perdurabat. * Biduanis ieiunijs defatigato corpuſculo, libidinis incentiua proſternens, fletibus ora, ſemper in futura intentus, indefeſsè rigabat. Iugi etiam diſtrictione & ſeueritate ſabbatum omne non niſi panis hordacei eſu tranſmittebat. Nec ſacræ immemor legis, cenſus ſuos pauperibus captiuiſque redimendis humaniſſimè impendebat, ſciens eleemoſynis cælorum nos poſſe regna mercari. Permultos, quos nouerat deſperatione teneri, celeri viſitatione reſouebat: atque in ijs clariſſimum virum Claudium, filium ſpectabilis Germaniani, quem iam deficiente membrorum vigore, * obtinebat vicinæ mortis pallor, hiatusque frigidi indicabant robur extinctum. Eum ferè exanimem intrà corpuſculi hoſpitium oratione retinebat, iamque morientem reuocabat ad vitam, in viſcera refuſo, qui iam abſceſſerat, calore vitali, languentibusq; venis ſuos motus recuperantibus, & ſpem viuendi ipſo etiam vultu promittente.

Eius cubile. Veſtis. Vigiliæ. Ieiunia.

** Triduanis*

Eleemoſynæ.

** detinebat.*

Penè mortuum reſtituit.

Nec minoris miraculi res eſt, vno eodemque tempore & alibi oſtendiſſe virtutem. Nam clariſſima mater VI. familiâs, germana ſoror ſancti & venerabilis presbyteri Ruſtici, quam lethalis iampridèm vexabat defectio membrorum, ità vt decem menſibus neque pes, neque manus ſuum faceret officium, ab illo viſitari peroptans, vt eum venientem intuita eſt, precibus adiungens lachrymas, palmas vtraſque extendit, dicens: Si vis, potes me ſanare. At ille bis terque in preces incumbens, lachrymarum imbre perfuſus, compellauit ægrotam. Ea verò mox ſublata voce clamauit, nihil ſe dolere, iam abſceſſiſſe languorem omnem. Cumque omni cibi appetentia hactenùs caruiſſet, quamprimùm ſibi petijt alimoniam apportari.

Item paralyticam.

Reges omnes eum venerantur.

Iam illud ſingularis gratiæ beneficium, quod ei inter mundi proceres diuinitùs collatum fuit, non patitur VII. ſolicitudo ſilentio præteriri. Omnes quidem gentium Reges ei præſtabant reuerentiam, ſed ſpecialiùs tamen à Rege Gebaulto eximia ei fuit exhibita obedientia. Namque Brionenſes, quos olim captiuos abduxerat Alemannorum immanitas, literis à beato viro acceptis, non illectus cupiditate, non præda hominum captus non auri pondere nec precio victus, ſed regia dignitate ſublimis, libertati reſtituit, hoſtili ſeruitute abſolutos, & nimiæ iam dominationis acerbitate preſſos, tanquàm deuotus reipublicæ miniſter, in eum ſtatum, quem legibus omnes amiſerant, reuocauit, priſtina dignitate donatos.

Eius aliquot inſignes diſcipuli.

Multos autem habuit vir beatiſſimus præclara virtute diſcipulos, inſigni miraculorum gloria illuſtres. In VIII. S. Polychronio, Virdunenſis eccleſiæ Epiſcopo, gratia curationum præfulſit, ità vt religatis poſt tergum manibus, dæmonibus imperaret, priuſque ſenſum perciperent obſeſſi, quàm corporum ſuorum colliſionem. S. Seuerum, Treuirenſi eccleſiæ ordinatum Epiſcopum, primæ Germaniæ gentibus prædicantem, non ambigimus inter Apoſtolos ſuum habere conſortium. Sanctum quoque Albinum, Catalaunenſem antiſtitem, diuturnæ ſanctitatis prærogatiua eminentem, non debemus taciti omittere, quàm ille crebrò permultis locis dæmones ab hominibus profligârit. Nec immeritò dum tantorum virorum celebramus præconia, eximij magiſtri laudes depromere videri debemus. Succeſſit autem ei dignus illo honore ſacerdos Camelianus, eius morum imitator. Iam annis quinquaginta & duobus S. Lupus glorioſæ memoriæ antiſtes, ſacerdotio functus erat, cùm vitæ præſentis debitum perſoluens, ſpiritum miſit ad ſuperos, dignis in terra laudibus celebrandus. Indè ergò nunc nobis, quò ſublimis euectus eſt, præſidium impendat: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt gloria & poteſtas per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Diuturnus valdè Epiſcopatus eius & obitus. A. 479.

* * *

VITA

VITA S. VVILHELMI EPISCOPI BRIOCENSIS IN MINORI BRITANNIA, AVTHORE GODEFRIDO CALVO

Bituricenſi Archiepiſcopo, qui ei multùm familiaris fuit.

AN. 1210.

PROLOG. SCRIPTVRVS vitam beati antiſtitis Wilhelmi, inhabitatorem eius inuoco Spiritum ſanctum: vt qui ei virtutes largitus eſt, mihi ad narrandum eas ſermonem tribuat, & de ſua clementia vires præbeat, quas mea imperitia denegat. Licèt autem in me non abundet ſcientia, nec ſuppetat facundia ad huiuſmodi ſancti viri miranda opera, prout condecet, depromenda, inductus tamen tam deuotione, qua ipſi ſancto ex pluribus beneficijs & ſuffragijs per euum receptis obligor, quàm requiſitione quorundam virorum valdè ſolennium, quibus obtemperare ex charitate compellor, ipſius geſta, non quidem omnia: quia non omnia didici, aut ſcire potui: ſed aliqua, quæ partim in eius domo & ſocietate exiſtens, oculata fide perſpexi: partim à quibuſdã viris fide dignis auditu percepi, ad Dei & ſanctiſſimi viri gloriam explanare conabor, ſermone quodam licèt rudi ac ſimplici, breui tamen admodùm & veraci. Vt autem quæ ſequuntur, faciliùs ſe offerant inquirenti, ſeptem infrà poſitis capitulis ſunt diſtincta. Agitur enim primò de ipſius nobili origine & ſanctæ vitæ inchoatione. Secundò, de orationis gratia, & eius ad diuina reuerentia. Tertiò, de mira ipſius ſapientia, & ſcientia, & diſcreta prudentia. Quartò, de eius feruida charitate, vitæ auſteritate & pietate. Quintò, de ipſius profunda & admiranda humilitate. Sextò, de eius felici obitu & conſummatione. Septimò de mirabili eius canonizatione & tranſlatione. *IVL. 29.*

I. SANCTVS Wilhelmus à primæuo iuuentutis ſuæ flore ſenile cor gerens, nulli voluptati animum dedit: ſed ſciens militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, in ſanctitate & iuſtitia coram Deo ſeruire diſpoſuit omnibus diebus vitæ ſuæ. Qui in carne ambulans, non ſecundùm carnis deſideria militauit, ſed eam ſpiritui ſeruire coëgit. Quod in ſuo obitu cuidam confeſſori ſuo, cui cordis arcana tanquàm domeſtico committebat, reſerauit, dicens: Frater, age gratias pro me Deo, qui me vſque hodiè mundum à peccato carnis per ſuam gratiam cuſtodiuit. Veruntamen humani generis inimicus, qui & eo, quòd à iuſto contemnitur, magis ad ſcandala prouocatur, tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, per mulierum aſtutias ipſum ſeruum Dei corrumpere pluriès attentauit. Cùm enim idem adhuc iuuenis, & in minori officio conſtitutus, in domo cuiuſdam diuitis fuiſſet hoſpitatus, mulier quædam fornicationis ſpiritu ſtimulata, radios igneos in ipſum Dei virum procaciter vibrabat. Non enim ſolùm Deo ſanctitatis merito, ſed etiam cunctis eum videntibus corporis elegantia, verborum facundia, & conuerſationis gratia placens erat. Poſtquàm autem immundus ſpiritus cor illius mulierculæ fallaciter occupauit, donèc conceptum in animo virus peccati effunderet, non quieuit. Die verò cedente tenebris, cæteris dormientibus, captato noctis ſilentio, perrexit ad beati viri cubiculum dormientis, & ad latus eius ſe proiecit coluber tortuoſus. Porrò vir Dei ad tactum mulieris inſolitum excitatus, non ſolùm ſcelus abhorruit, verùm etiam de lecto ſtatim, quaſi de medio ignis exiliens, à facie colubri ſe abſcondit: ſicut patriarcha Ioſeph, qui fugit oblatam libidinem, pallio derelicto. Verè ergò beatus Wilhelmus, qui inuentus eſt ſine macula: qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: & facere mala, & non fecit. Alio quodam tempore, cùm B. VVilhelmus pontificali officio fungeretur, quædam nobilis mulier de territorio Briocenſi, tam viri, quàm amicorum auxilio viduata, ſuper debitis & alijs negocijs in Epiſcopi curia plurimum vexabatur. Tandem quid ageret, neſciens, ex muliebri nequitia cogitauit, quòd ſi poſſet amore polluto põtificis gratiam obtinere, ſuos faciliùs aduerſarios ſuperaret, & cauſam ſuam fauore iudicis fine proſpero terminaret. Quadam igitur die deductum in partem Epiſcopum cœpit blandis ſermonibus & plenis illecebris ad commiſcendum ſecum in obſcœno libidinis prouocare. Sed vir Dei ſpiritu ſancto præmunitus, cauſam eius & intentionem cordis ſordidam intelligens, tale fertur mulieri dediſſe reſponſum: O mulier infelix, cur paſtorem tuum, pontificem, patrem & dominum, huiuſmodi verbis ſeducere voluiſti? Et excutiens manu tunicam lineam ante pectus, qua more pontificis vtebatur, quaſi de ſinu cordis ignem excluderet, cum indignationis indicijs hæc adiecit: Vide miſera, quia Dei Epiſcopus ſum & ſacerdos. Tunc increpationis viri Dei ſtimulis ſauciata, pallio confuſionis operuit vultum ſuum, & tacta dolore cordis intrinſecùs, de domo protinùs eſt egreſſa. Sic tanquàm aurum in fornace probauit Dominus ſanctum ſuum, & ſicut holocauſti hoſtiam accepit eum merito caſtitatis. Præter hæc caſtitatis inſignia, aliud in eius obitu virginitatis apparuit argumentum. Nam cùm corpus eius à miniſtris eccleſiæ lauandum digna cum reuerentia tractaretur, illius membra inferiora non pudenda, ſed quaſi puerilia ſunt inuenta. Virginitatis ergò aureola decoratus, qui cum mulieribus non eſt coinquinatus, meritò ſequitur agnum Dei. Non ſolùm autem lumbos præcinxit fortitudine caſtitatis, verùm etiam lucernas ardentes tenuit in manibus per opera charitatis. Ipſe enim tanquàm pater piiſſimus pauperes nutriebat, miſerorum miſerias releuabat, & cætera pietatis opera miſericorditer indigentibus exhibebat. Nec ſatis erat ſibi, quòd per burſarium pauperibus miniſtrabat: quinimò de burſa, quam ad hoc portare conſueuerat, ipſemet indigentibus manum miſericordiæ porrigebat. Tanto ſiquidem circa pauperes ardebat compaſſionis affectu, quòd quandò ciborum reliquiæ dabantur pauperibus congregatis, ipſe per feneſtram aliquam ſuper dantes & accipientes intuitum dirigebat, nè quiſpiam eleemoſynam defraudaret, nève pauper aliquis læderetur, vel expers muneris remaneret. Si verò multitudini pauperum non ſufficerent eroganda, defectum protinùs ſuppleri faciebat.

Margin: IVL. 29. — Iob 7. — Luc. 1. — Carnis integritatem ſeruauit. — 1 Pet 5. — Impudica mulier eum infeſtat. — Gen. 39. — Eccl 31. — Item alia. — Sap 3. — Apoc. 14. — Benignitas eius in miſeros, & pauperes.

II. TEMPORE quodam caro, cùm B. VVilhelmus videret fame pauperes cruciari, totum bladum ſuum eis expoſuit diſpergendum. Sed cùm inter tantos minimè ſufficeret, præſertim cùm vſque ad meſſem magnum adhuc temporis ſpacium ſupereſſet, precibus ſuis Canonicorum bladum accepit mutuò, pauperibus erogandum. Verè beatus eſt iſte ſanctus, qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris: ſed ſicut iucundus domo miſeris miſerans ſua Domino commodauit. Sic enim in villicatione ſua fidelis extitit, quòd omnibus ferè neceſſitati pauperum diſtributis, vndè teſtamentum faceret, nihil omninò ſupereſſet. Mâluit enim in cælo theſaurum ſibi creditum collocare, vbi nec erugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, nec furantur: quàm in terra cum ſeruo pigro Domini ſui pecuniam occultare, aut alienis relinquere deuorandum. Sic lucerna beati VVilhelmi non ſolùm luxit exteriùs ad Dei gloriam: verùm etiam arſit interiùs in affectu, cuius ardor fuit in ipſo tripliciter ordinatus, ad Deum ſcilicet, ſeipſum, & proximum. Nam in amore Dei totus, deuotis precibus vacando, exardeſcebat cum propheta, dicente: Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Quamuis enim cum Martha circa curam regiminis multis negocijs eſſet occupatus: illud tamen Mariæ neceſſarium, diuinis ſermonibus vacans & deuotis orationibus, nullatenus omittebat. Præter enim horas Canonicas & alias orationes conſuetas, diebus ſingulis Pſalterium, quod ſciebat cordetenùs, lectitabat. Iterùm quo ad ſeipſum, arſit in eodem igniculus charitatis, de quo dicit Dominus: Ingem véni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat? Ignis enim incinerat & cõſumit. Deus autem noſter ignis conſumens eſt. Cuius ardor beati viri animam per humilitatem incinerauit, corpus per fragilitatem attenuans, vtráque pari fœdere Dei ſeruitio mancipauit, ſicut in Leuitico ſcriptum eſt: Vtranque

Margin: Magna liberalitas in caritate annonæ — Eccleſ. 31. — Matth 6. — Matth. 25. — Pſalm 38. — Luc 10. — Quotidiè legit Pſalterium. — Luc 12. — Heb. 12.

pattern

partem conſumpſit ignis. Beatus verò Wilhelmus quanto maior erat, eo magis humilis apparebat, & humilitatis
opera faciebat. Nam aliquandò ad ſufflandum ignem pro calefaciendo cibo pauperum, caput ſuum dicitur in-
clinâſſe.

Die quadam ad domum eius nuncius quidam venit, commodato poſtulans balnearium vas pro muliere III.
Vide humilitatem — paupere, in puerperio decubante. Nam pro huiuſmodi pijs operibus vaſcula talia reſeruabat. Cumque cauſam eius
itineris Epiſcopus didiciſſet, [illegible] quiſquam de ſuis famulis, præter Capellanum, præſens eſſet, nec negauit ei, nec di-
ſtulit quod petebat, ſed cum a[illegible]torio Capellani ſui vas, quod blado plenum erat, euacuans, impoſuit in humeros
nuncij proprijs manibus ad portandum. Quadam a. nocte lectus cuiuſdã monachi in Epiſcopi cubiculo factus erat:
cumq; vadens dormitum Epiſcopus, lectum monachi prope terram cerneret, ſuum verò propter Pontificalem ex-
cellentiam ac reuerentiam loco ſuperiori: non eſt paſſus inferiorem ſe iacére monachum: immò fecit iterùm le-
ctum ſterni, & alterum alteri coæquari. His & alijs huiuſmodi meritis & exemplis beatus iſte Wilhelmus Pontifex
exaltationis æternæ gloriam eſt adeptus. Non ſolùm autem cor eius incinerauit ignis Dominicæ charitatis, ſed &
corpus per pœnitentiam cremauit. Quamuis enim ſuæ, necnon & aliorum dignitatibus vel meritis deferendo, ma-
gna ſæpè conuiuia præparari faceret, ſeruata tamen modeſtia, ſemper parùm guſtans de carnibus, reliquum in elee-
moſynam pauperibus erogandum reſeruabat.

Aquam bibit. — Aqua pura vel cum vino mixta largiter vtebatur, quamuis à pluribus vinum & pinguia diligere putaretur. IV.
Præterea cum lectus eius, ſicut decebat Pontificem, ſterneretur, & ſerui crederent ipſum ſuper mollia quieſcentem,
Sæpe cubat humi. — ſpreto cubili, terræ duritiam ad orandum & dormiendum ſæpiùs eligebat. Quantùm verò ad proximum, in eo cha-
ritas igne ſeruebat. Nam quotieſcunque deſolatum aliquem vel afflictum cerneret, aut infirmum, infirmabatur & i-
2 Cor. 11. — pſe ſecundùm illud Apoſtoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Die inſu-
pèr quadam, dum ipſe beatus vir ſtaret in medio domûs ſuæ, quædam hydropica ac paupercula mulier eleemoſynã
poſtulans ſtetit ante eum. Erat autem infirmitate ſic inflata, quòd vix corpus ſuum capere poterat tunicæ latitudo.
Humanitas in fœminam miſeram. — Quam intuens pius pater, qui ſuper afflictos pia ſemper geſtabat viſcera charitatis, præcepit eleemoſynam ei dari:
nec non de theriaca, quam habebat, poculum ei miniſtrabat, piè credens ipſam per antidotum huiuſmodi poſſe cõ-
ſequi ſanitatem. Accepto poculo, mulier abijt via ſua. Hora prandij memor fuit epiſcopus illius, & ferculum ſuum,
de quo parùm guſtauerat, per nuncium illi miſit. Quam per vicos & plateas nuncius diù quærens, tandèm inuénit
in lectulo paſſione nimia laborantem, & fini ſuo eam appropinquantem. Quod cùm Epiſcopo retuliſſet, timens il-
Nota vim precum eius. — le, nè per theriacam, quam ei miniſtrari iuſſerat, mortis periculum incurriſſet, oraturus pro ea ad Dominum, in
eccleſiam feſtinauit: vbi flens largiter & rugiens à gemitu cordis ſui, reum ſe mortis eius humiliter accuſando, tan-
diù miſericordiam Domini inuocauit, donec nunciatum eſt ei, quòd mulier ſurrexit, & ab infirmitate ſua dimiſſa
penitùs eſſet. Quod Epiſcopus audiens, fecit eam præ gaudio ſibi præſentari. Quam videns ſanitati plenariè reſtitu-
tam, admirans vix credere potuit, quòd hæc eſſet, quam quaſi monſtrum viderat ipſo die. Quis autem dubitet, mu-
lierem hanc de portis mortis ſancti viri fuiſſe precibus & meritis reuocatam?

Alio quodam tempore, cùm expreſſura præliorum, quæ inter Francos & Britones agitabantur, ducatus V.
Britanniæ turbaretur, & Briocenſis ciuitas, irruentibus in eam alternatim hoſtibus, damnis multis & iniurijs graua-
retur, beatus Wilhelmus, tanquàm bonus paſtor, cum fletu magno per ciuitatem circumiens, diſperſas oues cona-
Obijcit ſe periculis pro ouibus ſuis. — batur paternis affectibus, cõſolari. Sæpè etiam prædonum in medium ſe magnanimiter ingerens, animam ſuam pro
ouibus ſuis ponere non formidabat. O quotiès in ipſum ouiculas protegentem, viri ſanguinum manus ſacrilegas
iniecerunt, & in ceruicem eius vibrantes gladios, ipſum minis & contumelijs affecerunt! Ipſe verò cùm hæc omnia
pateretur, non comminabatur, ſed tanquàm agnus manſuetiſſimus, corde tacito patientiam ſeruabat. Et ſi quan-
dò propter clericorum inſtantiam neceſſitas ipſum compelleret ferre excommunicationis ſententiam in maleficos
& prædones, nè remiſſus & negligens videretur, cum dolore cordis & multis lachrymis vim clauium exercebat, cùm
2 Reg 1. — malefactores huiuſmodi ſententiæ gladio feriebat. Quanto charitatis ardore dilexit proximos, qui ſic luxit, vt Da-
1 Reg 15. — uid & Samuel, inimicos? Sic virga ſancta de radice Ieſſe, quod interpretatur incendium, procedebat. Nam virga
Ezech. 1. — correctionis, de incendio debet egredi charitatis. Ezechiel autem loquens de quatuor animalibus, de igne vidit in
ſpiritu fulgur egrediens. Ex igne verò fulgur egreditur, cùm excommunicationis ſententia, non ex ira vel odio, ſed
ex charitate profertur. Interea graui perſecutione per tyrannorum malitiam in eccleſia Britannica ſæuiente, B. Wil-
helmus zelo iuſtitiæ viriliter inflammatus, ferocitati tyrannicæ reſiſtere ſatagebat. Quam ob cauſam minis & iniu-
rijs ab ipſis tyrannis & eorum complicibus eſt adſtrictus: nihilominùs tamen murum ſe pro domo Domini, quan-
tum poterat, opponebat. Renuens igitur in præiudicium libertatis Eccleſiaſticæ principum acquieſcere voluntati,
Pellitur in exilium. — compulſus eſt exire Britanniam, & in exilium proficiſci. Sed vir iuſtus, tanquàm leo confidens in Domino, ſciensq;
quòd dignitas nominis Chriſti omnia poſſidet in omni poſſeſſione, & quòd omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus
Matth. 5. — æquor: damna, minas, exilium & contumelias propter ſpem æternæ beatitudinis ſuſtinuit patienter. Nam Domi-
nus dicit: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Tunc temporis verò Pictauenſis Epiſcopus, continuis laborans infirmitatibus, impotens & debilis erat fa- VI.
ctus, ità quòd officium ſibi competens exercere penitùs non valebat: qui beatum Wilhelmum, obſtinatæ perſe-
cutionis impetum fugientem venerabiliter ſuſcipiens & deuotè, gregis ſui curam ipſi committere dignum duxit.
Pictauenſis Epiſcopi ſuſcipit operam vicariam. — Beatus igitur Wilhelmus, aſſumpta cura vicaria Pictauenſis diœceſis, ibi per annos aliquot ſanctiſſimè conuerſa-
tus in his, quæ ad ſuum officium ſpectabant, ordines celebrando, eccleſias dedicando, altaria conſecrando, pueros
confirmando, necnon & alia pontificis officia ſolicitè miniſtrando, apud Deum & homines gratioſum ſe exhibuit
& famoſum. Cùm autem placuit Deo ferocitatis hoſtium impetum eneruare, relictis ouibus alienis, bonus paſtor
Redit ad ſedẽ ſuam. — ad oues proprias, ob ipſius abſentiam nimiùm deſolatas, reuerſus eſt cum gaudio valdè magno. Circa curam iſtam
propriarum ouium, non ſolùm ſpiritualiter ſanctæ conuerſationis exemplo & doctrinæ pabulo: verùm etiam
Ioan. 21. — temporaliter humanæ neceſſitatis ſubſidio, ſicut dictum eſt, ſolicitè vigilabat. Hoc enim triplici cibo præcepit Do-
minus Petro ſuiſque ſucceſſoribus paſcere plebem ſuam. Et quamuis gregis ſui curam præponeret omni negocio
temporali, fabricam tamen Briocenſis Eccleſiæ cathedralis, ſi poſſet in pace viuere, proponebat conſummare iam
inceptam. Circa quod opus cùm die quadam vigilantiùs cogitaret, ſpiritu prophetico repletus, dixit: Certè viuus
vel mortuus ædificium huius eccleſiæ conſummabo. Dominus autem ipſius prophetiam proceſſu temporis adim-
Felix obitus. — pleuit. Nam cùm ipſe viuens feliciter, victurus in perpetuum, præſentis vitæ curſum feliciter conſummâſſet, corpus
eius ſanctiſſimum in eccleſia cathedrali digna fuit cum reuerẽtia tumulatum. Quod cùm ibidèm duobus annis, an-
tequàm coruſcaret miraculis, tanquam lapis precioſus latuiſſet. Philippus Epiſcopus ſucceſſor eius ſtuduit nihilo
Corpus eius poſt biennium inuenitur incorruptum. — minùs fideliter ipſius propoſiti circa fabricam eccleſiæ fieri proſecutor. Oportebat autem pro fundamento quæren-
do ſecũdùm diſpoſitionem operis, corpus beati Wilhelmi de loco in quo poſitũ fuerat transferri. Factum eſt a. cùm
ad effodiendũ theſaurum illũ Clerici cum populo conueniſſent, ipſum corpus cum omnium membrorũ integritate
mirabiliter eſt repertũ, & quaſi precioſiſſimis fuiſſet aromatib. conditũ, optimo odore eos, qui aderant, adimpleuit,
ità vt

ità vt ex conuerſatione, quam viderant, & mirabilibus, quæ videbant, ipſum proculdubiò crederent eſſe ſanctum. cùm corruptibile corpus, quod quidem per biennium in ſepulcro latuerat, cernerent incorruptum. Quid aliud dicere poterant, niſi quod à Domino factum eſt iſtud; & eſt mirabile in oculis noſtris? Mirabantur præterea, nec mirum, quomodò cadauer hominis, quod tandiù iacuerat ſub terra, odoris ſuauiſſimi redolentia ſpecies aromaticas ſuperaret? Sed ille, cui integer à peccato ſeruierat carnis, ex incorrupti inuentione corporis ſanctitatis ipſius lucernam de ſub modio ſuper candelabrum exaltari diſpoſuit, vt luceret omnibus, qui in domo ſunt, odor ſuauitatis ex ipſo Domino, ſuauiter omnia diſponente, mirificè procedebat: vt qui vitæ in vitam bonus odor fuerat, bonus odor ſanctitatis, odorem miraculorum prodigijs diffunderet vſquequaquè Ab illo enim die cœpit crebrioribus coruſcare miraculis, per quæ ſanctitatis eius notitiam, non ſolùm per vniuerſam Britanniam, verùm etiam per circùm adiacentes & remotas prouincias Dominus dilatauit. Quotquot itaque diuerſis oppreſſi languoribus eius tumulum viſitârunt, ſalutis ab eo beneficia fidenter poſtulantes, recuperata ſanitatis optatæ gratia, lætantes ad propria ſunt regreſſi. Quamobrèm cateruatim currunt vndiquè populi, cernere cupientes, necnon in ſeipſis experientes miracula, quæ per eum mirabilis in ſanctis ſuis Dominus miſericorditer operatur. Quorum eleemoſynis & deuotis oblationibus eccleſia, quam ſanctus in vita vel poſt mortem dixerat ſe ſtructurum, opere precioſo ſuſcepit complementum, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei.

Pſal. 117.

Miracula ad tumulum eius.

VII. Cvm igitur beatus Wilhelmus tot & tantis miraculorum radijs, non ſolùm Britanniam, verùm etiam diuerſas mundi prouincias illuſtraret, Philippus bonæ memoriæ Brioccnſis Epiſcopus, ſucceſſor eius, indignum arbitrans, ſi tantum lumen intus vel ſubtus modium celaretur, ad dominum Papam Innocentium 4. Lugduni tunc temporis reſidentem, cum firmiſſimis miraculorum teſtimonijs & teſtibus propter huiuſmodi negocium properauit. Quibus auditis rumoribus, exultans in gaudio Præſul ſummus, miraculorum inquiſitionem Cardinali cuidam committere dignum duxit. Sed quod accidit ipſa die, propter huiuſmodi negocium aſſignata, non minùs eſt miraculo deputandum. Nam præter teſtes idoneos, quos adduxerat dictus Epiſcopus Briocenſis, alij quamplurimi de alijs mundi partibus ſubitò confluxerunt, de ſanctitate Beati Wilhelmi probatiſſima perhibentes, eò quòd tam in ſe, quam in alijs, ipſius inuocata ſuffragia pro diuerſis infirmitatibus ſenſiſſe firmiter aſſerebant. Probatis itaque miraculis: & in ſummi Pontificis audientia recitatis, necnon ab eo & cunctis Cardinalibus alijsque eccleſiarum prælatis, qui aderant, approbatis, idem ſummus Pontifex de communi fratrum conſilio Wilhelmum Briocenſem Epiſcopum in ſanctorum catalogo, meritis eius exigentibus, decreuit firmiter conſcribendum, & celebri memoria venerandum. Ipſius autem ſancti mirabilia, pauca tamen, quia non poſſet aliquis ſingula quæque ſcripto explicare, breuiter enarrabo.

Refertur ab Innocentio 4. in numerum ſanctorum.

I. Mvlier quædam Briocenſis diœceſis, quæ tribus & eo ampliùs annis per totum corpus fuerat hydropiſi ſic inflata, quòd ſanitatem poſſe conſequi nullatenùs credebatur: facto voto, ſuper beati Wilhelmi tumulum, quarto Calendas Auguſti, die videlicet, quo beatiſſimus confeſſor migrauit à ſæculo, requieuit: & poſt horam diei primam, cùm diuinum officium in eccleſia cantaretur, quaſi dċſomno euigilans, ſublato tumore, beati Wilhelmi meritis reſtituta eſt ſubitò priſtinæ ſanitati.

Miracula. Hydropicæ curatio.

II. Hòmo etiam quidam languidus apud ſanctum Briocum ante ianuam alterius hominis iacebat in ſterquilinio, ſic contractus, quòd pro victu ſuo quærendo per villam ſuper palmas & genua ſe gerebat. Cuius paſſioni mulier quædam compatiens, dixit ei: Alane, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti voueo te beato Wilhelmo, qui ſuis meritis & precibus tibi conferet ſanitatem. Et apprehendens eum ad manus mulier & eius filius, ſuper pedes ſuos erexerunt. Qui protinùs conſolidatis membris, ad eccleſiam cum multis eum ſequentibus, & Deum in beato Wilhelmo laudantibus, iter arripuit, omnipotenti Deo gratias referens & ſuo ſanctiſſimo confeſſori.

Item contracti.

III. Alia inſupèr mulier tantam lateris corroſionem patiens, quòd inteſtinis ferè patentibus, cum horrore magno fœtorem nimium emittebat, per vnam noctem ſuper ſepulcrum ſancti requieuit. In craſtino verò circa horam primam multis præſentibus, ab hac horribili paſſione ſic extitit liberata, quòd nulla remanſerunt prædictæ paſſionis veſtigia.

Mulieris horridus morbus pellitur.

IV. Cvm præterea puer quidam, velut annorum octo, circa ripam ludens cuiuſdam fluminis, in ipſum ſubitò cecidiſſet, populis clamantibus, pater eius præ dolore cucurrit ad locum citiùs quærens eum: Quem cùm multis eum iuuantibus minimè reperiſſet, ingeminatis clamoribus cœpit inſanire. Adſtans verò populus ei compatiens, dixit: Voue filium tuum ſancto Wilhelmo, ad cuius inuocationem Deus miracula operatur. At ille conſilio eorum vix intendens præ dolore, protinùs ſic clamauit: Sancte Wilhelme, confeſſor Domini benedicte tibi meum filium voueo & commendo Vix votum finierat, & eccè puer ſub aqua mortuus eſt inuentus, & de profundo fluminis extractus. Quem mortuum pater inſpiciens, iteratò clamare ad beatum Wilhelmum cœpit lachrymabiliter, & eum inuocare, dicens: Sancte Wilhelme, redde mihi filium meum viuum, quem mihi oſtendere dignatus es ſic defunctum. Mater autem pueri tunc temporis ad beatum Wilhelmum profecta peregrè pro eodem puero, quia eidem infirmitas quædam acciderat, ad eius tumulum nocte præcedenti aderat. Dum igitur pater voto & orationi deuotus exiſteret, in conſpectu adſtantium ſtatim eſt puero vita reſtituta.

Mortuus puer reuiuiſcit.

V. Alivs inſupèr puer quaſi annorum trium de Dolenſium finibus, in quoddam foſſatum cecidit, per quod faciebat mare tranſitum. Vbi cùm parentes eius cum dolore quærentes filium, annuente Domino, perueniſſent, reſupinum in aqua puerum repererunt, & de fouea extraxerunt. Cumque in eo nullum vitæ comperiſſent indicium, ipſum cum clamore valido & dolore vouerunt beatiſſimo confeſſori. Ad cuius inuocationem puer aquam euomens cum ſanguine, reſpirauit.

Item alius puer.

VI. Rvrsvs homo quidam per ſex annos & ampliùs duo foramina in ventre habuerat & habebat, adeò pernicioſa, quòd quicquid per os ſuum ſecundùm viam nutrimenti ſumebat in corpus, relictis naturæ purgatorijs locis, per illa dua foramina turpiter emittebat. Qui ante Wilhelmi tumulum requieſcens, ad inuocationem eiuſdem ſancti, à tam enormi paſſione curatus. Cuidam etiam mulieri eſt candidior ſolito mammilla ſubitò reſtituta, quam ſibi præ nimio infirmitatis dolore miſerabiliter amputauerat.

Sanantur vitia corporis teterrima

VII. Viro præterea cuidam eſt repentè cõſolidata ruptura, per quam ipſius viſcera ſe adſpectibus hominum horribiliter offerebant. Quædam rursùs puella, cuius adeò pedes & tibiæ vlceroſæ erãt ex quadam paſſione, quam medici fiſtulam nuncupant, quòd ei ſola tibiarum abſciſſio, nè per eam ſynceram corporis partem corrumpi contingeret, pro conſilio præſtolabatur, ad plenum eſt à prædictis vulneribus liberata. Alia quoquè puella, ignis incendio intercepta, fuit in medio carbonum reperta. Cui eiuſdem ſancti meritis ignis, vim ſuæ virtutis oblitus, nullum impreſſit veſtigium læſionis.

Alia miracula.

Quædam puella liberatur ab incendio.

VIII. Qvádam etiam die, cùm quidam nautæ peregrè profecti ad beatum Wilhelmum, per mare vellent ad propria remeare, facta eſt tempeſtas in mari valida, adeò vt ruptis funibus fractiſq; remigijs, fluctus nauiculam operirent. Qui nimirùm de vita deſperantes, beatiſſimi Wilhelmi auxilium inuocando, dixerunt: O beate Wilhelme, confeſſor Domini glorioſe, ſuccurre nobis in ſupremo mortis periculo conſtitutis. Statimque ad eius inuocationem

Nautæ è periculo eripiuntur.

ſani nautæ, cum nauicula fluctibus operta, ad portum proſperum ſine humano remige peruenerunt. Quid plura? Per beati Wilhelmi confeſſoris glorioſiſſimi merita reſtituit Dominus cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum: ſicut probant baculi, lectiq; lignei, quos ante ſepulcrum eius ſalutis beneficia conſecuti, redeuntes ad propria, reliquerunt. Poſſeſſi à dæmone liberantur, paralytici reparantur, quamplurimi vi febium laborantes, ſanitatem celerem conſequuntur. Hæc & alia multa & magna mirabilia, quorum non eſt numerus, præſertim cùm illius miracula finem non habeant, per beatiſſimum confeſſorem ſuum Wilhelmum Dominus omnipotens operatur: ad laudem & gloriam nominis ſui, Amen.

An.1010.

VITA S. OLAVI REGIS NORVEGIAE ET MARTYRIS, EX IOANNIS MAGNI HISTORIÆ LIB. 17. cap. 21. 22. & 23 & l. 18. c. 1. 2. 3. 4. & 5.

Ivl. 29.

Olaus Schotkonung Sueonum, Gothorum, & Noruegianorum. [a] S. Olaus Rex Noruegianus. [b] S. Olaui indoles & pietas. [c] Regem externum nó eligẽdũ [d] S Olaus patriæ libertatis aſſertor. [e] S. Olaus bellum in Sueones & Gothos mouit. [f] S. Olaus Schotkonung bellũ parat in ſanctum Olaum. [g] S. Olaui periculum. [h] S Olaus Gothlandiam oppugnat & ſubiugat. [i] S Olaus in Anglia militauit, & Danos inde eiecit. [*] Adamo lib. 2. hiſt eccl. ca. 43 Cnuth.

I. AD Olaum Regem (quem alij Iacobi nomine in baptiſmate appellatum fuiſſe affirmant) me conuerto. Qui etſi in ſuſcepta Chriſti fide diligentiſsimus obſeruator eſſet, tamen à iuſtis bellis, quibus ab adoleſcentia aſſueuerat, non ceſſauit. Cùm enim non ſolùm Gothorum & Sueonum, ſed etiam Noruegianorum Rex eſſet, & nonnullis annis ſatis quietè feliciterq; in tam amplo imperio regnaſſet, obiecit ei fortuna in regno Noruegiæ [a] potentem aduerſarium Olaum, filium Haraldi Greuska, qui poſt multa clariſſima opera in numerum Sanctorum eſt relatus. Hic [b] à primis adoleſcentiæ ſuæ annis mores ſuos ita ad omnem probitatem accommodauit, vt facilè omnibus perſuaderetur, quòd Reſpub. Noruegiana eius ductu aliquando in priſtinam dignitatem, & libertatem reſtituenda eſſet. Nec qui ſic perſuaſi erant, decipiebantur. Totus enim conatus eius eò contendit, vt diuinæ legis præcepto ſatisfieret, quo dicitur: Non [c] poteris alterius gentis hominem Regem, facere, qui non eſt frater tuus. Eaq; pietate in patriam ſuam ductus, omnes conciues ſuos induxit, vt abrogata exterorum dominatione, ſe [d] prudenter & celeriter in libertatem vendicarent. Nec minus ipſo effectu præſtare, quàm verbis conſulere curauit. Contractis namq; copijs, & valida claſſe inſtructa, ex Noruegianis littoribus ſoluens, fretum illud, quo Cimbri Dani à Gothis ſeparantur, penetrauit, claſſemq; [e] Auſtralibus & Orientalibus littoribus Gothorum & Sueonum admouens, omnia ferro, flamma, cædibus inuoluit, vt & ipſi bellorum incommodis affecti, pacem libertatemq;, quam Noruegianis abſtulerant, reſtituentes, mouerentur, ne alijs ea irrogarent, quæ ab alijs contra iuſtitiam irrogata minimè pati vellent. Nec ſolùm littora, ſed intima regni maximis bellorum calamitatibus implicauit, vt Olaus [f] Sueonum Rex numeroſum exercitum contra eius fortitudinem expedire cogeretur. A quo cùm Noruegianus in arcto maris ſinu (vbi nunc Regia ciuitas Stocholmenſis erecta eſt) concluderetur, & iam [g] omnino victus putaretur, cõfeſtim diligentiſſimo ſuorum ſtudio, defoſſa partim terra, ſaluus cum tota claſſe ad mare elapſus euaſit, indignante plurimum Olauo Suetico, quòd ſui exercitus duces omnia perfidè & diſſimulanter agendo, ipſum, quem in manibus victum habebant, tam liberè elabi permiſiſſent. Qui inde abiens [h] Gothlandiæ inſulam Oſtrogothorum litoribus vicinam inuaſit: quam etiam flamma & cædibus deuaſtaſſet, niſi incolæ, data magna pecuniæ ſumma, ſe illi ſubdidiſſent: à quibus (peracta apud eos hyeme) diſcedens, Danos Friſioſq; prætervectus, ad Angliam peruenit: apud cuius Regem Mildredum toto triennio militans, multa præclara & magnifica opera pro Anglorum libertate geſſit. Enimuerò [i] Danos à terris, ciuitatibus, oppidis, & caſtris eijciens, in eorum locum pacem, libertatemq; reſtituit. Deinde multis onuſtus ſpolijs, in Noruegiam cunctorum bonorum applauſu reuerſus excipitur. Sed non multo peracto tempore iterum in Angliam à Mildredi relicta vidua, vt contra [*] Canutum Danorum Regem, qui Angliam denuò impugnabat, opem ferat, reuocatur.

S. Olaus in prouincia Vichiæ ſedẽ elegit. [k] S Olaus ſuos ad libertatem hortatur. [l] Noruegia inexpugnabilis. [m] S Olaus in Regem Noruegiæ eligitur. [n] Olaus Schotkonung bellũ mouet in Noruegianos. [o] S Olaus Sueonum commercium cum Noruegianis interdicit. [p] Noruegiani & Sueones communibus commodis gaudent.

II. Classem igitur bellicam militibus & armis inſtructam educens, contra Danos pugnaturus Angliam repetiuit. Verùm quia Canutus fortior erat, & iam ad pacta cum Anglis conuenerat, Olaus in Noruegiam ſine victoria remeauit: ſedemq; in prouincia Vichiæ complexus, primùm amicos & conſanguineos, deinde proceres regni ad ſe vocans, querelas contra patriæ oppreſſores exaggerabat, nunc Sueones, nunc Danos vehementer accuſando, ſub quibus ad eam ſeruitutẽ turpitudinemq; patria deuenerat, vt nec veſtigium quidem libertatis habeat, quæ pridem magna regna, & nationes ſuperauerat. Proinde [k] ſuadet, & perſuadet, vt ſe viros eſſe meminerint, & ad libertatem, nõ ad ſeruitutem natos. Conſiderarent, quibus [l] præſidijs à natura muniti eſſent, quàm inſuperabilibus montibus defenderentur, quantamq; ſecuritatem à perículoſiſſimi maris acceſſu haberent. Præterea diligenter perpenderẽt, quàm probroſum eſſet fortes & robuſtos homines, armorum induſtria præſtantes, illorum ſuſtinere iugum, quos haud difficili negotio non ſolùm reprimere, verùm etiam ſuperare poſſent. Itaq; Noruegiani [m] ab Olauo efficaciter perſuaſi, ipſum in eodem loco ad regni ſolium extulerunt. Quo comperto, Olaus Sueonum, Gothorum, & Noruegianorum Rex, miſſo in Noruegiam [n] grãdi exercitu, cogitabat eos armis ad obſequium reducere, quos debuiſſet beneuolentia, & clementia in officio continere. Sed totus ille Sueonum exercitus, mortuo in via duce, abſq; pugna & victoria redire cogebatur. Deinde Olaus Noruegianus eo Sueonum inſultu plurimum prouocatus, [o] edictum in omnes Noruegiæ fines mittit, quo omnem ſocietatem & commercium cum Gothis, & Sueonibus interdicit. Quo interdicto omnes Noruegiani vehementer commoti, apud ipſum importuniſſimè agebant, vt tam perniicioſum præceptum quãtocyus reuocaret, cùm ex eo publica patriæ pernicies omnino ſecutura eſſet: aliamq; viam cum Sueonum Rege inueniret, per quam amicitia potius, quàm publica hoſtilitas augeretur. Ea enim eſſet Sueonũ & Noruegianorum conditio, vt [p] alter alterius commodo nequaquam deeſſe poſſit. Deinde ſubinferunt aptius & honeſtius medium eſſe, vt Sueonum Regis filiam in coniugium impetraret. Talem enim affinitatem illa priſtina & neceſſaria regnorum pax, concordiaq; ſequeretur, quæ ab initio regnorum nunquam fuerat, niſi cum maximo vtriuſq; partis damno, intermiſſa.

S. Olaus filiam Regis Sueciæ Olaui poſtulat, & tandẽ impetrat. [q] Plebeia multitudo in Suecia potens. [r] Nuptijs conciliatur pax inter Reges & regna.

III. Hoc modo rex Noruegianus à ſuis conſultus, legatos ad Sueciæ Regem mittit, per quos filiam eius in coniugem poſtulabat. At Sueonum Rex legatis tam honeſta petentibus non ſolùm non fauit, ſed graues minas, vt cœpto ſiſterent, opponebat. Illi tamen rem tam neceſſariam prudentius exequẽtes, occaſionem expectabant, qua fortè per ſuos proceres & conſiliarios inſtructus conſideraret, quàm graue & periculoſum eſſet, publicam pacem à tot terris & populis proſcriptam exulare. Sed non erat tanta procerum autoritas apud Regem alioquin optimum, vt ipſum ad eam affinitatem inclinare potuiſſent, donec plebeiæ [q] multitudinis nuntij nomine omnium incolarũ regni magno ſerio proponerent, niſi in amicitiam & pacẽ cum Olauo Noruegię Rege cõſentiret, cogitaret quòd ipſe in ſuo regno ſecurus nõ eſſet, ſub quo ipſi ſecuri eſſe nõ poſſent. Tãtis igitur, tamq; importunis precib. Olauus Sueonũ Rex ſuperatus, filiam ſuam Regi Noruegiæ, magna nobilium multitudine comitatã, ad oppidũ Tonsbergũ in Noruegiam miſit: cũq; qua ẽt miſſa eſt multa & pretioſa ſupellex, quę digna putabatur à Rege ſocero ad Regẽ generũ mitti. Sed pretioſior cũctis opib. erat ipſa pax, q̃ illæ nuptiæ inter Reges & regna conciliabãt. At de fide Chriſtiana nulla alia adiecta eſt cõditio, niſi ꝙ in vtroq; regno liberè p̃dicaretur, & firmiter obſeruaretur. Iam n. ante aliquot annos ambo Reges, coope-

cooperatione Mildredi Anglorum Regis, baptiſmatis ſacramento abluti fuerunt. Quocirca minus vèrum ſcribunt, qui aſſerunt filiam Olaui Schotkonung, poſt celebratas cum D. Olauo Rege Noruegiæ nuptias, multum laboris vnà cum marito impendiſſe, vt pater ad Chriſtianam fidem conuerteretur. Immò S. Olaus tam potenti Regi, & optimo Chriſtiano tam arctà affinitate coniunctus, eò efficacius omne regnum ſuum ordinauit, & Chriſti fidem per omnes Noruegiæ fines propagauit, quò maioris amicitiæ præſidium ex eo coniugio contraxerat. Tanta etiam erat eiuſdem Olaui [a] Sueonum Regis autoritas, vt fratrem ſuum Canutum Danorum Regem potentiſſimum, ex eadem matre Sigritha genitum, ab impugnatione generi ſui S. Olaui Noruegiani prohiberet. Quocirca felices erant illi Reges, & feliciores populi, qui ſub tam ſapientibus & potentibus Principibus regebantur, donec Olaus [b] Sueticus, tantæ pacis conciliator & conſeruator, circa annos Chriſti MXVIII. in fata conceſſiſſet. Sepultus in Eccleſia Cathedrali Lincopenſi, quam tunc Gothi & Suecones præcipua veneratione colebant.

S. Olaus ob amicitiam Olaui Sueonum Regis à multis bellis liberatur.

[a] Canutus tempore Olaui Schotkonung regnauit in Dania.

[b] Olaus Schorkonung moritur, & Lincopiæ ſepelitur 1018.

IV. Hoc itaque paterno fato Amundus (quem alij à vitæ diuturnitate cognomen ſortitum fuiſſe affirmant) in paterna regna conſentientibus proceribus & populis peruenit. Hic adoleſcentiæ ſuæ annos apud diuum Olauum Noruegiæ Regem agens, in [c] Chriſtiana fide piè inſtructus, & fortè (vt aliqui aſſerunt) à Bernardo Anglicano Epiſcopo (qui pridem in Noruegiam venerat) baptizatus eſt. Ego tamen credo eum prius apud patrem in Sueeia baptiſmum ſubijſſe: tantaque inter hunc Amundum, & Olaum ſororis maritum, amicitia confirmata fuit, vt nulli fratres ſeſe intimius amare potuiſſent: quam niſi Olaus aſſecutus fuiſſet, nequaquam ſe tanto tempore ab inſuperabili hoſtium multitudine defendere valuiſſet. Enimuerò poſt ſoceri ſui Olaui Sueonici Regis fata, tam domi à ſuis Noruegianis, quàm foris à Danis continuo bellorum inſultu impugnabatur. Cuius impugnationis præcipua cauſa erat ſuſceptæ fidei Chriſtianæ defenſio, pro qua dilatanda Olaus omnem operam nauans, potius voluit vitam & regnum, quàm fidem in Chriſtum amittere. Nec ſatis eſſe putabat, quòd Pontifices, & ſacerdotes continuè, & vbique in eius regno Chriſti Euangelium prædicarent, ſed nouo rerum ordine ipſe Rex Apoſtoli vicee fungens, circuibat ciuitates, vicos, villas, ſalutarem Chriſti doctrinam vbique diſſeminans, nulli eius tranſgreſſori parcendo, ſed illos, qui ab ea ſemel accepta reſilire parabant, acriter punire non diſtulit, ne quiſquam Regem Regum, per quem Reges regnant, impunè offendiſſe videretur. Quo euenit, vt plerique proceres Noruegiani, cùm conſiderarent ſibi illicita non licere, decreuerint ipſum regno & patria exturbare. Ad quod externam opem adhibere volentes, Canutum Danorum regem accedunt, eique ſupplices facti oſtendunt, ſe, & totam Noruegiam grauibus iniurijs ab Olauo Rege affici, qui patrias leges, & maiorum ſtatuta, ac conſuetudines abrogare contendit, inducta religione importabili, atque anteactis ſæculis incognita, à qua nullum ſine mortis periculo, & omnium bonorum publicatione deficere pateretur. Spectaſſet profectò tunc ad [d] Canuti pietatem, magis fauere Chriſtiano Regi pro amplianda Chriſti gloria laboranti, quàm veritatis aduerſarijs proprium Regem, eundemque optimum Chriſtianum perfidè impugnare volentibus: quorum perditis conatibus tantum fauit, vt non modò opem efficacem pollicitus fuerit, ſed ſe ab eis in Regem Noruegiæ eligi pateretur, auſus per literas optimo & innocentiſſimo Regi Olauo præcipere, vt regno cederet, aut ipſius adminiſtrationem à ſe ſuſcipere curaret. Quo comperto, Rex Olaus ad Amundum [e] Sueonum Gothorumq; Regem, à quo in omni aduerſo caſu opportunum auxilium aſſequi conſueuerat, ſe conuertit: nec ſua ſpe fruſtratus, quicquid optauit inuenit.

Amundus annoſus iis Rex internus.

[c] Amundus à S. Olao educatus.

S. Olaus ob fidem Chriſti grauiſſimas perſecutiones ſuſtinuit.

S. Olaus Rex fidem Chriſti prędicat.

S. Olaus à Danis impugnatur, quia fidem Chriſti promouet.

[d] Canutus Daniæ Rex S. Olaui hoſtis & occiſor.

[e] S. Olaus ad Amundi opem confugit.

V. INTEREA autem, cùm Canutus tam indignas inſidias in maieſtatem Olaui inſtrueret, non longè aberat, à quo Canutus inſigni contumelia, ſiue infamia viciſſim inureretur. Erat enim quidam Vlpho cognomento Sprochaleg, natione Suecus, admodum obſcœna commixtione procreatus: qui in familiaritatem Canuti tũc in Anglia commorantis aſſumptus, aſtutam operam adhibuit, vt à Canuto ad eius ſororem [f] Eſtritam in Dania manentem literas acciperet, quibus à fratre præciperetur, ne ipſa facere omitteret, quæ Vlpho per eam fieri poſtularet. Perſuaſerat enim Canuto, ſe (acceptis ab ea militum copijs) bellum aduerſus Noruegianum Olaum, & eius confœderatum Amundum Sueonum Regem promouere velle. At cùm ad Eſtritam perueniſſet, & illa interrogaret, quid poſtularet, tum Vlpho eius coniugium perſeuerantiſſimis precibus petens, facilius quàm putabat voti compos euaſit, cùm ipſa crederet, eam petitionem ex arcano fratris conſenſu prodijſſe. Peractis igitur nuptijs, Vlpho, ne Canutum patratæ perfidiæ vindicem in Dania expectaret, ſumpta ſecum coniuge in Sueciam redire feſtinabat, factus ex verſutiſſimo ſatellite acerrimus Canuti inimicus: deditq; Amundo, & Olauo ea idonea conſilia, quibus Canutus, & tota Dania facilè expugnari poſſe videbatur.

Vlpho Sprochalegh Suecus.

[f] Eſtrita Canuti Regis ſoror.

Vlphonis Suecici vaferrimum facinus.

VI. NVNC conſideremus Vlphonis conſilio & opera tres fortes exercitus aduerſus expugnandam Daniam eductos fuiſſe: quorum primus ex nauibus quadringentis conſtabat, quem Olaus Noruegianus in Selandiam, Danici regni partem, exponendum curauit: cùm alterum Amundus in Schoningiam, & tertium ex quadringentis [g] nauibus collectum, Vlpho in quendam Blechingiæ ſinum eduxit. Viſa ſunt in primo acceſſu omnia per Daniam Olauo feliciter ſucceſſura. Ipſe enim vt erat pij cordis, ita etiam Danorum animos diſpoſitos eſſe credebat: qui (vt eorum hiſtoriæ fatentur) benigniſſima reſpōſione inſidias, quas in eum [h] moliebantur, contegebant. Erat enim eorum intentio, ipſum alternis ſermonibus & promiſſis occupatum tenere, donec Canutus ex Anglia contracto ingenti claſſis numero ſuperueniens, incautum opprimeret: atque interim ad omnia, quæcunque Olaus imperaret, ſeſe promptiſſimos diſſimulabant: fuiſſetque confeſtim à Canuto nauigationem in Daniam acceleranti oppreſſus, niſi quidam Noruegianorum Danicæ aſtutiæ commenta præſentientes, Olaum [i] ſalubriore cōſilio ab imminenti periculo eripuiſſent: qui vtique in hunc modum credulitatem eius alloqui potuiſſent: Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum. Vix enim in claſſem ſuam fugiendo peruenerat, & Canutus eidem portui appropinquans, penè intercepiſſet fugientem. Sequenti verò die naualem exercitum, quem ex Anglia ſatis grandem, vtpote [k] mille nauium eduxerat, contra Olaum, qui ſe cum Vlphonis exercitu coniunxerat, ſub duce Haquino expediuit. Ipſe autem Canutus Amundo Schoningiam deuaſtanti occurſurus, terreſtre ductabat agmen: fitque inter eos [l] prælium acre & pertinax, neutra parte victoriam aſſequente: quamuis Danica hiſtoria Amundum inſigni pugna ſuperatum fuiſſe affirmet. Sed vt Dani ſibi licere volunt, ſuos autores ſequi, ita ego meos pari libertate imitari conſtitui. Poſt eam pugnam Schoningianam ventum eſt ad [m] prælium nauale, in oſtio Helgæ fluminis non longè à Calmarnia, in quo Vlpho præfectus erat homò aſtuti & vafri ingenij. Qui cùm præſentiret Danicarum nauium aduentum, aquas [n] ita in hoſtem armauit, vt earum viribus Danorum vires nō ſolùm obruere, ſed penitus delere potuiſſet. Aggerem namq; prævalidum aquarum curſui obijciens, eas prorſus à ſolito impetu cohibebat, donec ſubeunte in fluminis oſtium Danica claſſe, eaſdem rurſus rupto aggere relaxaret, ſimulq; rates vario ignium fomento accenſas dimitteret. Quo euenit, vt ferè tota Danorum claſſis, præter duas naues, quæ Dracones vocabantur, aqua & flamma penitus [o] ſubmergeretur, quemadmodum in Noruegianis hiſtorijs apparet: quamuis Danici ſcriptores aſſerant, Danos à ponte quodam per Vlphonem deturbatos perijſſe.

Tres exercitus.

Naues 400.

[g] Alter exercitus etiam ex nauibus 400.

[h] Dani, teſte Saxone, inſidias benigniſſima reſpōſione contegebant.

[i] S. Olaui periculum apud Danos.

[k] Naues mille in exercitu Canuti.

[l] Bellum atrox inter Danos & Suecones.

[m] Bellum nauale.

[n] Vlpho aquas in hoſtem armauit.

[o] Danorum ſubmerſio.

Canuti Dani aſtutia. [a] Transfugæ vehementer cauendi. [b] Aurei montes [c] Naues 600 ad Canutum Danum defecerunt. [d] S. Olaus victoriam amiſit. [e] S. Olaus vt publicus hoſtis a Norwegianis excipitur. [f] Naues 1200.

DANORVM Rex Canutus, cùm alia conſilia deeſſent, ſubmiſit eiuſmodi aſtutiæ viros in exercitum Olaui & Amũdi, qui ob ſimulata obſequia ad intimam ipſorum familiaritatem admiſſi, quicquid [a] fraudium in propoſito habebant, facilè deducerent ad effectum. Siquidem occultius quo poterant, omnes exercituum duces, promiſſis ingentibus ſtipendijs, ab illorum Regum militia ad Canutum auerterunt: quem affirmabant non modò aurum, ſed aureos [b] montes in ſuos milites erogare. Erat enim ex Anglicano auro ditiſſimus, & in militares [c] homines liberaliſſimus. Quocirca accidit, vt trecentæ naues ab Amundo, & totidem ferè ex Olaui claſſe ad Canutum ſubitò deficerent. Quibus copijs Canutus fortior effectus, totam ſuam potentiam ad exuperandam Noruegiam conuertit. Quo comperto, Amundus quamuis plurima & grauiſſima damna pro Olauo hactenus ſuſtinuerat, tamen quia cõſtituerat nunquàm deſerere amicum, adeò intima amicitia cõiunctum, obtulit ei partem regni Suetiæ, quãcunq; eligere vellet, vt in ea ſecurius, quàm inter tot domeſticas inſidias viuere poſſet. At [d] Olaus vt leo abſq; terrore manens, claſſis ſuæ reliquijs Calmarniæ relictis, per Veſtrogothiam in [e] Noruegiam remeauit: in qua non ſecus ac publicus patriæ hoſtis à proceribus & populis exceptus eſt. Erant enim eius mores diuinæ legi conformes, quam ipſi toto conatu explodere contendebant. Ad quod negotium tam impium, nuſquam opportunius auxilium, quàm apud Danos denuò circumſpiciebant. Siquidem eorum Rex Canutus mille ducentarum [f] nauium claſſe ſecum aduecta, regnum Noruegiæ, non tam vi & armis, quàm incolarum erga optimum Regem perfidia, facilius quàm honeſtius occupauit: cùm interim [g] Olaus vnico & paruo nauigio, perindè ac profugus, intra ſcopulos Noruegiani maris hinc inde iactaretur, nuſquam de vita ſecurus, immò vbiq; ad mortem quæſitus, donec relicta naui per deſerta Noruegiæ ad Neritiam, regni Suetiæ prouinciam, difficili & periculoſo itinere perueniret. Deinde in Ruſſiam diuertens, non paruo tempore apud Regem [h] Ierizleuum, qui eius ſororem habebat, commoratus eſt. VIII.

[g] S. Olaus profugus ad Neritiam peruenit [h] Ierizleus Ruſſiæ Rex ſororius S. Olaui

Haquinus Dux Noruegiæ ſubmergitur. [i] Noruegiani diſcordes in ſubſtituendo Rege. [k] S. Olaus parat reditũ in Noruegiam ex Ruſſia. [l] S. Olaus à Rege Amũdo & amicis excipitur. [m] Dagerus Ringonis Noruegianus. [n] Noruegianorum pars pro S. Olauo, pars contra eum ſtabat. [o] Trugillus Epiſcopus Danus. [p] Canutus Rex Danorum per inſidias occidit S. Olaum. [q] S. Olaui mors. [r] Haraldus frater S. Olaui fugit ad Conſtantinopolim. [s] Noruegiani poſt mortem S. Olaui ſæua tyrannide Danorũ opprimuntur [t] Noruegiani à tyranno victi grauiorem tyrannidem tolerant. [u] Magnus S. Olaui filius fit Rex Noruegiæ.

INTEREA, ſubmerſo duce Haquino, quem Canutus Noruegiæ præfecerat, Noruegiani proceres in nouam controuerſiam redierunt, cùm alijs præſens rerum ſtatus placeret, alijs verò vehementer diſpliceret, quòd tota patriæ libertas ablata eſſet: alijsq; placuit, optimum Regem [i] Olaum ab exilio ad regni ſolium reſtituendum. Qui ſuam ſententiam efficaciter executuri, legatos [k] ad Olaum mittunt. Quibus ipſe perſuaſus claſſem, militesq; ope Ierizleui comparat: quibus ſuccinctus, ex Ruſſia ad Gothlandiæ inſulam celeri nauigatione acceſſit: vnde velis ad Suetiam conuerſis, ad ciuitatem Aroſienſem peruenit: in qua per ſummam omnium Sueonum, coniugisq; ſuæ, & filiæ lætitiam atque amorem exceptus eſt. Aderat etiam [l] Amundus, qui maxima congratulatione redeuntem amicum amplexus, omnia fraternæ charitatis ſtudia in ipſo honorando, & adiuuando ſuperabundè impendit, datis ei in auxilium mille quadringentis armatis. Aduenit quoque in occurſum eius illuſtriſſimus Noruegianorum procerum Dagerus [m] Ringonis, mille ducentis equitibus comitatus. Nec parua erat militum manus, quàm frater Olaui Haraldus alijque amici ad eum in Suetiam adduxerunt, quibus copijs ſubnixus, reditum in Noruegiam parat. Quo comperto, Noruegiani [n] in diuerſa ac contraria vota ferebantur, cùm magna pars eorum optaret ipſum in regnum reſtitui: maior verò imprudentium ciuium numerus erat, qui ne in patriam admitteretur, bello venientem excipere decreuerunt: quorum princeps erat quidam Epiſcopus [o] Trugillus, natione Danus. Hic enim nihil omiſit, quo omnes & ſingulos indigenas, & alienigenas in caput innocentis regis Olaui exacerbaret. Itaq; cum periculoſa, & plus quàm ciuilis pugna inter Noruegianos confeſtim ſuborta videretur, Canutus [p] Danorum Rex non ſatis honeſto prælio ſanctiſſimum Chriſti amicum, & innocentiſſimum Regem ſuperauit, & occidit. Nam (teſte Saxone Danico) ipſum per quoſdam pecunia à ſe corruptos domeſtico [q] bello opprimendum curauit. Indignum profectò facinus, & inexpiabile flagitium, quod nulla vnquam excuſatione quantumcumq; aſtuta aboleri queat, quodque ſolum Noruegianos impellere poſſet, vt Danicum imperium à ſuis ceruicibus perpetuò remouerent. Tum Haraldus [r] Olaui frater, conſimilem Canuti militiam veritus, adito Byzantio, ſuſpectam Danorum, vel Noruegianorum fidem longinquo declinauit exilio. Noruegianis [s] autem poſt fata S. Regis Olaui (quem pro amplianda Chriſti fide glorioſo martyrio coronatum confitemur) impoſitus erat à Danis Rex quidam Sueno, Canuti Regis filius, qui adeò ſeueriter ſubiectis populis imperabat, vt apertè deprehendi poterat, iratum Deum tam crudelem [t] tyrannum illis hominibus præfeciſſe, quorum crudelis impietas ſummæ ſanctitatis virum tam acerbo odio impugnauerat, & tandem abſque omni humanitatis reſpectu trucidauit. Proinde coacti ſunt Noruegiani ea arma in tyrannum iuſtè conuertere, quæ pridem in Olaum patriæ patrem iniuſtè comparauerant. Sed ab eo victi rurſus grauiori iugo adiguntur: quod ad plures annos continuo gemitu, & ſuſpirijs ſuſtinebant, donec Magnum [u] diui Olaui filium ex Ruſſia reuocatum, in paterni regni ſolium collocarent: qui adeò prudenter & feliciter patriæ ignominiam abſterſit, vt Danorum colla Noruegiano imperio ſubiugaret. IIX.

Ex Adamo, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 43.

CORPVS S. Olaph in ciuitate magna regni ſui Throndemis cum decenti honore tumulatum: vbi hodieq; plurimis miraculis & ſanitatibus, quæ per eum fiunt, Dominus oſtendere dignatur, quanti meriti ſit in cælis, qui ſic glorificatur in terris. Agitur feſtiuitas paſſionis eius quarto Kalen. Aug. omnibus Septemtrionalis Oceani populis, Northmannorum, Sueonum, Gothorum, Semborum, Danorum, atq; Slauorum æterno cultu memorabilis. IX.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO DE SANCTO RVFFINO MARTYRE.

IVL. 30

2. Cor. 5.

NOSTIS, fratres chariſſimi, ſicut ex Catholicæ fidei magiſtro didiciſtis, quia in vltimæ diſcuſſionis examine, omnes ſimul & peccatores & iuſti ante tribunal æterni Iudicis cum ſuis ſunt corporibus exhibendi, Apoſtolo teſtante, qui ait: Omnes nos oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt referat vnusquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Et reprobi quidem ad hoc, vt quia hîc cum carne ſimul & anima Conditoris ſui præcepta calcauerint, cùm eadem illic vtraque ſubſtantia ſententiam iuſtæ damnationis excipiant, atque vtrobique deincèps ſuppliciorum amaritudinem ſentiant, qui dum viuerent, prauis ſuis delectationibus ex vtroque deſeruiebant. Electi autem, vt quia carnem ſuam nunc cum vitijs & concupiſcentijs crucifigere non deſiſtunt, cum ipſis ſuis corporibus, quibus videlicet tanquàm tabernaculis in diuina militia vſi ſunt, ad ſupernæ claritatis gloriam prouehantur: vt ſoluto militiæ cingulo, vnum tunc interior & exterior homo ſentiant quietis perpetuæ municipium, qui ad vnum peruenê- I.

re per

ſe per communia bella triumphum. & quibus vna fuit pugna, eadem fit nihilominus & corona. Iſtud pla- *Deut.15.*
nè erit ſabbatum noſtrum, ille ſeptimus legis annus, ille veraciter Iubileus. Sabbatum quippe feriarum eſſe præ- *Leuit.25.*
cipitur, & æterna per illud requies figuratur. Sub eiuſdem quoque quietis æternæ vel reſurrectionis deſignandæ *1 Cor.15.*
myſterio, in ſeptimo anno libertas redditur. In Iubileo autem tubis clangitur, vt vnuſquiſque ad poſſeſſionem
propriam reuertatur. Canet enim tuba, ſicut dicit Apoſtolus, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent. Ad poſ-
ſeſſiones ergò proprias omnes tunc reuertuntur: quia in illo vltimo reſurrectionis die vnuſquiſque proprium cor-
pus recipit, in quo, dum præſentem vitam duceret, habitauit. Tunc Adam, tunc Noë, tunc omnes antiqui patres,
imò omnium mortalium animæ ad amiſſam carnis ſuæ terram redeunt: quia recepta corpora ſua in perpetuum
poſſidebunt, & perducti in libertatem filiorum Dei, iam ſecurè gaudebunt omnes, ſeruili vinculo corruptionis
humanæ ſoluti. Cùm ergò ſanctorum corpora tantæ futura ſint dignitatis, vt & coronam vitæ perpetuæ, & im-
mortalitatis ſtolam cum ſuis animabus ſint communiter receptura: quid mirum, ſi nunc omnipotens Deus apta *Geneſ.18.*
illis loca prouideat, & eorum tumulos non paſſim, vel per caſum fieri, ſed ex ſuæ voluntatis electione diſponat?
Enimuerò & illud ſæpè non ocioſè quæritur, Cur Abraham, qui ſe ex patre corporis puluerem eſſe confitetur
& cinerem, tam ambitioſam ſepulturæ ſuæ prouidentiam habuit, vt ex omni peregrinationis ſuæ latitudine ſo- *Geneſ.24.*
lam Hebron, Chananitidis, videlicet regionis, eligeret, in qua etiam non parua ſumma ſpeluncam ſibi duplicem *Gen.49. & 50.*
compararet. Iacob quoque filios, & Ioſeph fratres ſuos obteſtantes adiurant, vt eorum oſſa ad eandem ſpeluncam
poſt obitum transferant. Quid eſt ergò, quòd ſancti viri, qui & præſentem, & omnem mundi gloriam ſublimi
mentis arce deſpexerant, tam cupidè, tam anxiè, tam ſtudioſè de loco, vbi eorum conderentur cineres, litigabant, *Pſalm 73.*
niſi quia per Prophetiæ ſpiritum nouerant, Saluatorem mundi illic de ſuo ſemine naſciturum, & ſanguinem, qui
mundi peccata dilueret, in illa ſpecialiter regione fundendum? ſicut per Pſalmiſtam dicitur: Quia Deus noſter
ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Quod nimirùm quanquàm de ipſo Domini corpore ſpecialiter
poſſit intelligi, de regione tamen illa quoque, vbi pati dignatus eſt, quæ certè mundi meditullium eſt, non incon- *Terra ſancta mundi meditulliū dicitur.*
gruè dici videtur. In Chananæa igitur terra ſancti Patres noſtri tumulos elegerunt, vt indè illi mererentur quando-
que reſurgere, vbi ille videlicet ſurrectionis author Chriſtus, primogenitus viuorum & mortuorum, in ſe digna- *Deut.34*
tus eſt reſurrectionis gloriam declarare. Et quid ampliùs dicam de honore, quem bonorum remunerator Deus *4 Reg.13.*
ſanctorum ſuorum corporibus exhibet, quandò ipſe Deus omnipotens Moyſi corpus dignatus eſt ſepelire, & Eliſei
cadauer mortuum legitur ſuſcitaſſe? Imo, vt verum fateat, quod in carne viuentibus ſanctis minimè contulit, hoc *3.Reg.13.*
ſæpè diuina diſpenſatio mortuis prærogauit. Quod in Abdo ſcilicet viro Dei liquidò perpenditur, quem viuentem *Pſalm 115.*
quidem leo potuit occiſurus inuadere, ſed cadauer eius nequaquàm permiſſus eſt aliquatenus violare. Precioſa
nimirum in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius. Non ergò mirum, ſi diuina diſpenſatio congrua Sanctorum *Notēt hæc moderni tempore hæretici quibus curæ non eſt, quo loco ſepeliantur.*
corporibus loca diſtribuit, & ea nunc quaſi quoddam depoſitum terræ commendat, quæ poſtmodùm in regnis
cæleſtibus transferenda reſtituat. Sed iam propter quod iſta præmiſimus, de beati Ruffini miraculis breuiter aliqua
perſtringamus.

II. Beati igitur huius martyris corpus de ſuburbio Aſſiſienſis oppidi, vbi antiquitus fuerat poſitum, intrà mœ-
nia poſtmodùm fuit gentilis impetûs terrore translatum. Labrum autem lapideum, in quo prædictum corpus antè
iacuerat, per longum tempus extra muros fuerat derelictum. De quo nimirùm inter populum & Hugonem, eiuſ-
dem tunc ſedis Epiſcopum, grauis eſt orta ſeditio. Epiſcopus ſiquidem ad eccleſiam beatæ Mariæ ſemper virginis,
quæ eius loci prima ſedes eſt, deferendum eſſe cenſebat, eo nimirum conſilio, vt quòd mater Eccleſia corpus mar-
tyris non haberet, quodam ſaltem vacui ſepulcri ſolatio compenſaret. Econtrà populus aſſerebat, inter ſacras reli-
quias & proprium tumulum diuiſionem fieri non debere, nec humanis nunc adinuentionibus permutandum, quod
ab ipſo glorioſi martyris conſummato triumpho videretur diuinitùs inſtitutum. Taliter igitur hinc atque indè cer-
tantibus, labrum mœnibus vrbis infertur, & ab vtriſq; ſimul partibus ad biuij cuiuſdam compitum peruenitur. Illic
itaq; cùm fautores Epiſcopi ad ſanctæ Mariæ, reliqua autem pars populi ad beati Ruffini baſilicam ſacrum vaſculum
pertrahere molirentur, his atque illis in diuerſa nitentibus, creſcente iurgio, eò vſque proceſſum eſt, vt furentes ar- *En quantus in priſco populo amor reliquiarum.*
ma corriperent, & mutuos inter ſe ictus, amiſſa placidæ mentis ratione, miſcerent. Vibratis atq; gladijs, cominùs
vtrinque concurritur, & acres ardentibus animis ad infligenda mutuò vulnera debacchantur. Sed ô prædicanda
diuina clementia, quæ humanis miſeretur erroribus, & ſæpè noſtris prauis voluntatibus ita obuiat, vt ad bonos exi-
tus ipſa etiam malè cœpta perducat. Quid multis moror? Nullus illic vulneratur, nulla deniq; nec tenuis quidem
gutta ſanguinis funditur, atque vt mirabilibus adhuc mirabiliora ſuccedant, ſexaginta ferè viri ex parte Epiſcopi
prædictum vaſculum ad Eccleſiam beatæ Mariæ conabantur attrahere, ſed nullis illud niſibus de loci ſui fixa po-
tuerunt ſtatione mouere. Illi igitur cùm iam præ laſſitudine fracti omninò deficerent, & vehiculum lapidis fundi-
tùs deſperarent, tunc ex altera parte vix ſeptem homines vrnam corripientes, ad S. Ruffini baſilicam tanta illam
permiſſi ſunt celeritate peruehere, vt non lapidem, ſed palearum potiùs viderentur faſciculum deferre. Ilicò populi
clamor exultātis attollitur, gratiarum actio fautori Deo læta perſoluitur, & quia pius Deus vnum cum populo ſuo
ſenſerit, ab omnibus alacriter diuulgatur. Tunc deniq; probatum eſt, verum eſſe quod dicitur: Vox populi, vox Dei.

III. Accessit autem ad rei certitudinem & presbyter quidam, ab ipſo videlicet beato Ruffino ad Epiſcopum
miſſus. Nam cùm præfatus Epiſcopus aduerſus eos, qui ſibi reſtiterant, non leuiter commotus eſſet, atq; illi pararent
ſibi dignè ſatisfacere, & deuota illum humilitate placare, presbytero, quem diximus, per viſum beatus martyr appa-
ruit, eiq; dixit: Vade, & dic Epiſcopo, ſi me non vult offendere, ſatisfactionem quamlibet à populo non recipiat: ſed *Vide an Sancti neſciant res humanas.*
gratis ei putam ſui amoris & benedictionis gratiam reddat: Mea ſiquidem hoc geſtum eſt voluntate, vt vaſculum il-
lud ad meam deferretur eccleſiam, quatenus meum in eo corpuſculum denuò recondatur. Nouerat etiam, quia niſi
ego illis tumultuantibus interfuiſſem, meque eorum telis oppoſuiſſem, magna hominum ſtrages fuſa iaceret. Sed
cum Epiſcopus adhuc hæſitans, ne his quidem verbis presbyteri fidem accommodare diſponeret, ecce quidam, *Contracti ſanatio.*
qui contractus fuerat, gaudens & exultans eodem die à beato ſe Ruffino fatebatur erectum, ſibiq; ab eodem beato
martyre hoc mandatum perhibebat iniunctum, vt hæc ipſa cuncta per ordinem, quæ presbyter aſſerebat, ipſe quo-
que nihilominus Epiſcopo nunciaret. Tandé Epiſcopus omni ſcrupulo dubietatis amoto, quod ſibi imperatum eſt, *Gen.27.*
incunctanter exequitur, atque in gratiam ſuo populo donatis offenſionibus fœderatur. Sed ne apud aliquem for-
taſſis Epiſcopus næuum reprehenſionis incurrat, quia ab eccleſia ſua ad horam diſcedens, contra Dei iudicium
ſentiebat, Iſaac ad memoriam reducendus eſt, qui non Eſau, à ſe videlicet electum, ſed Iacob potius, ab vxore ſup-
poſitum benedixit. Et illic ergò carnalis vxor, & hic ſpiritualis ſponſa viris ſuis in propriæ ſententiæ diuerſitate præ-
ualuit: quia qui mundi infirma elegit, vt confundat fortia, Deus vtriq; conſenſit. Propheta quoque Dauid con- *1 Cor 1.*
ſtruere templum voluit, ſed hoc illi ſuperna diſpoſitio non permiſit. Inter Paulum quoq; & Barnabam pro Iohanne *2.Reg 7.*
quodam legimus interueniſſe diſſidium: propter quod tamen non ſolum vtriuſque Apoſtoli non imminutum *Actor.15.*
eſt meritum, ſed ipſe quoque diſcipulus ab Apoſtolicæ diſciplinæ linea non errauit. Non ergò mirum, ſi nunc
homo aliquandò inſcius à veritate diſſentiat, cum & ipſis Apoſtolis & Prophetis humanitus aliquid accidiſſe, ſcri-

Cæci vidēt. Gibberoſus erigitur.

pturarum authoritas probet. Sed hæc aliâs. Nunc ad propoſita redeamus. Porrò eodem die, duo cæci ad altari beati martyris illuminati ſunt. Sed & alius debilitatus membris & gibberoſus, erectus eſt, & ſaluti per omnia reſtitutus. De omnibus porrò miraculis, duntaxàt quid factum ſit, nobis referre ſufficiat, nè ſi qualiter facta ſint ſingula, per rei geſtæ ordinem referre contendimus, auditores fortaſsè (quod abſit) lacinioſi ſtyli prolixitate grauemus. Ipſa quoque miracula enumerando perſequi cuncta negligimus, ſed velut ex magno quodam flumine cyathum haurientes trahimus, quem ſuper menſam Chriſti conuiuantibus ſalubriter propinemus: nè mentis ſtomachus ingurgitatione grauari, ſed ſobrio potu tantummodò ſitis poſſit auferri. Ad alia igitur adhuc enarranda miracula, quæ per eundem beatiſſimum martyrem diuinitùs ſunt oſtenſa, pergamus: IV.

Nota non neſcire Sanctos res noſtras.

PER idem itaque tempus vir quidam non ferendæ veſaniæ crudelis & rigidus, paupereulæ mulieri de ſui iuris agro chartulam fecerat, quam tunc cum magni furoris impetu contumaciter requirebat: vndè & bouem ſibi, & vnam ſecurim violenter abſtulerat, robur videlicet domeſticæ facultatis, & ſpem regendæ familiæ. Quod illa præ dolore non ferens, cum contribulati amaritudine ſpiritûs eccleſiam beati Ruffini feſtinanter ingreditur, ante altare proſternitur: atque vt ſibi in tantæ calamitatis articulo ſubueniret, lachrymabiliter deprecatur. Quid plura? Adeſt tandèm diuina miſericordia, & mox vt ab oratione conſurgit, iacere in pauimento ſecurim ſuam ante pedes attonita conſpicit. Ilicò mœror nimirùm in lætitiam vertitur, & digna Deo gratiarum actio à cunctis, qui aderant, vnanimiter exhibetur. Sed ecce raptor negocium adhuc ſuæ peruerſitatis exequitur, & præfatæ mulieri, niſi monimentum redderet, ſupplicium comminatur: qui tamen mox vt ſecurim tam mirabiliter redditam didicit, confuſus & obſtupefactus expauit, bouem reddidit, pœnitentiam egit, atque omnem querelam, quam eatenùs aduersùs eam habuerat, ſedata animi feritate, ſopiuit.

Boues furto ablati, per 12. milliaria peragrantes, in ſuam caulam vltro reuerſi ſunt.

PRÆTEREA duodecim fures inuicèm conſpirantes, in domum cuiuſdam ruſtici hoſtiliter irruerunt. Qui V. ligantes eum primò, deindè boues & cætera domûs animalia diripientes, protinus abiêrunt. Intereà ruſticus lachrymabiliter vociferabatur, & gemebundus aiebat: O ſanctæ Ruffine, adſpice miſerum, releua calamitate depreſſum, nec placeat tibi, vt prædones & nequiſſimi homines meæ facultatulæ paupertate ditentur. Ad hanc ergò vocem (mira res) cùm iam raptores animalia proſequentes, duodecim milliarijs ferè tranſmiſſis procùl abiſſent, ecce omnes, qui directi fuerant, greges, balantes & mugientes accurrunt, & intrà caulas ſe ſolito more recipiunt. Sicque factum eſt, vt & illi quæ præ manibus habere videbantur, repentè ſublata congemerent: & iſte quæ deflebat amiſſa recipiens, verſis vtrobique vicibus, exultaret. Viſis itaque tot virtutibus, & tam euidentibus miraculorum ſignis, prædictus Hugo, venerabilis eiuſdem ſedis Antiſtes, de parua baſilica, in qua ſanctum corpus fuerat antè receptum, magnam conſtruxit eccleſiam, & iuxta poſſibilitatem ſumptûs, non ignobiliter decorauit. Deinde beati martyris corpus ipſo alueo, qui certaminis materia fuerat, condidit, & cum magna totius diœceſanæ plebis frequentia altare deſuper conſecrauit. Porrò autem quanti illic deinceps cæci fuerint illuminati, quanti à dæmonibus erepti, quanti ex varijs languoribus liberati, perlongum eſt vel apicibus tradere, vel ſermone proferre.

Multa miracula fiunt

HIS itaque tranſactis, cœpit non parua inquiſitio fieri, quo die inuictiſſimi triumphatoris Chriſti Ruffini deberet martyrium celebrari. Nullis ſiquidem apud eos extantibus hiſtoriæ monimentis, ſola erant eatenus annuæ dedicationis ſolennitate contenti. Tandèm authore Deo, reperta paſſionis hiſtoria, conſtituit venerabilis Pontifex iuxta tenorem videlicet, quem literæ teſtabantur, vt tertio Calendas Auguſti eiuſdem glorioſi martyris feſtiuitas coleretur. Nonnulli verò aduersùs Epiſcopum inuidiæ facibus accenſi, & veſaniæ ſpiritu implacabiliter incitati, tumultuabantur, oneroſum eſſe dicentes, populum genuinaus vnius ſancti ſolennitatibus feriari, ſuperſtitioſumque eſſe domeſticis adinuentas ſtudijs feſtiuitates nouiter introduci: ad ſummam, non fabricatum hoc religionis amore, ſed ardore pecuniæ. Præſertim autem quidam proterui homines, qui à vocabulo loci, quem incolunt, Inſulani vocantur, ipſo præclaræ feſtiuitatis die irreuerenter abutentes, cœperunt cum ſuis mulierculis non modò textrinis operibus audaciter inſiſtere, verumetiam ruralibus exercitijs liberiùs inſudare. Sed protinùs illos ſententia diuinæ animaduerſionis vlciſcitur, & flagellis eruditi, ad cor redeunt, qui cor habere in proſperitate noluerunt. Vt eis aptiſſimè congruere videatur, quod per Prophetam dicitur: Redite præuaricatores ad cor. Illud etiam: Et nunc ignis aduerſarios conſumit. Nam caſas eorum repentè flamma corripuit, & non ſolùm domeſtica quæque, ſed & quæ in agris erant, omnia globis inextinguibilibus conflagrauit, adeò vt infelices illi in extremis iam periculis conſtituti, ad amnem hincindè confluerent, & in ipſum gurgitis alueum accenſa quæque iactarent. Sed vt perſpicuè probaretur hoc non caſum, ſed diuini furoris eſſe indicium, quicquid mergebatur, extingui non poterat. Miro itaque modo elementum illud vires ſui iuris & partim tenebat, & ex parte perdiderat. nam & liquida erat aqua, vt immerſa quæque fluctu dehiſcente reciperet: & quodammodò humida non erat, vt ardentia extinguere poſſet. Sed quid minimis immoror, cùm & ipſa hominum membra flamma proſiliens occupauerit, & extinctionis remedium, quocunque ſe verterent, inuenire non valerent? Tandè vſtulati, fumigati, & in modum torris combuſti, cum magnis vlulatuum ſtridoribus ad beati Ruffini altare confugiunt, indulgentiam petunt, & commiſſi piaculi decætero emendationem per pœnitentiam pollicentur. Precibus igitur beatiſſimi martyres ab incendij doloribus liberati, incolumes ad propria ſunt reuerſi. Ab illo itaque tempore abſque vllo cunctationis obſtaculo, beati Ruffini martyrium colitur, & die, quam prædiximus, cum magnæ deuotionis inſtantia ad eius eccleſiam à populis vndique conuenitur. VI.

Eſa 46.

Obſerua vltionem in violatores feſti.

Elementū aquæ vires ſuas naturales reprimit.

ILLVD quoque prætereundum eſſe non arbitror, quòd viri quidam trabem de ſylua operoſis exercitijs leuigatam, ad beati Ruffini vectare eccleſiam conabantur: quibus nimirùm quidam Peruſinorum violentiam ingerentes, lignum hoſtiliter extorſerunt. Sed cùm raptores arborem inſtantiſſimi conatûs anxietate protraherent, & iamiamq; Peruſinis mœnibus vno vix interiacente milliario propinquarent, repentè vehiculum hæſit, nulliſque virium niſibus impelli vlteriùs potuit. Intereà contigui quiq; homines ad auxilium confluunt, non pauci etiam iugati boues adducuntur. Ordinant diligentiùs machinam, inuicèm exhortantur, in robur ſe colligunt, armos obijciunt, vociferantur, impingunt, lignum tamen immobile permanet, ac ſi fixum radicibus teneretur. Demùm magiſtra neceſſitas docuit, quod cæca hominum prauitas ignorabat. Mens namque eorum perpetrati criminis conſcia, licèt ſero, liquidò cognouit, quia qui de beati martyris ſubſtantia rapinam fecerant, meritò illis diuina virtus obſtabat. Mutato itaque repentè conſilio, Aſſiſium versùs ilicò vehiculum dirigunt, & accelerandi facultate percepta, beatiſſimo martyri, quod ſuperbè rapuerant, humiliter reddunt. VII.

Pœna ſacrilegij.

Deus ſanctos viſionis ſuæ cibo reficit.

AGAMVS igitur Saluatori noſtro Chriſto gratias, & digna laudum præconia referamus: qui dum per ciues VIII. ſupernæ Hieruſalem talia nobis beneficia prærogat, tanquàm per exiguas micas ac tenues, ad plenum nos conuiuium menſæ cæleſtis inuitat: & dum illos iam poſt laborem quieſcentes in patria vbertim ſatiat, nos etiam in huius peregrinationis itinere, quaſi quibuſdam ciborum reliquijs vtcunque ſuſtentat: imò qui illos ſolido ſuæ viſionis cibo reficit, quandò nos ſignorum ſuorum lacte tanquàm paruulos nutrit, donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: Qui cum Deo Patre Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Epheſ. 4.

EIVS-

EIVSDEM HYMNVS DE IPSO SANCTO RVFFINO, BREVITER EIVS MARTYRIUM comprehendens.

MAGNVM Ruffini meritum turba canat fidelium, Cæditur in lapidibus &c.
Quo mundi victor extitit, & liber aſtra petijt.
Bellator inuictiſſimus præbet ora lapidibus,
Sed verbis grando verberum non indidit ſilentium.
Plumbatis indè cæditur: iamiàm obiſſe creditur:
Sed qui putatur mortuus, ſurgit in arma promptiùs.
Detruditur in clibanum, furentem flammis ignium, Mittitur in caminum.
Caminus ſed incendij, fit nemus refrigerij.
Nam flammis crepitantibus clarus immerſit Angelus,
Ad cuius mox imperium perdit vires incendium.
Certat martyr egregius, vt leo vinci neſcius:
Cuncta pœnarum genera mente calcat intrepida. Mergitur in aquas,
Saxum collo ſuſpenditur, ſic fluctibus immergitur,
Quem aqua Chriſto genuit, per hanc ad ipſum peruenit.
Nunc carnis liber onere, rubro veſtitur podere,
Corona plexus capite de precioſo lapide.
Te martyr alme petimus mentis pronæ viſceribus,
Nos tua ſoluant merita, quos noſtra grauant debita.
Sit Patri laus ingenito, ſit decus Vnigenito,
Sit vtriuſque parili maieſtas ſumma Flamini,
AMEN.

MARTYRIVM SANCTARVM MAXIMAE, DONATILLÆ ET SECVNDÆ VIRGINVM, AVTHORE *Adone in Martyrologio.* An. 250.

I. APVD Aphricam ciuitate Tuburbo Lucernatiæ, natalis ſanctarum virginum Maximæ, Donatillæ & Secundæ: quæ perſecutione Gallieni ſub Anolino Iudice paſſæ ſunt. Qui interrogatione facta, diſtulit audientiam, & beatas virgines ſorores Maximam & Donatillam, ad ciuitatem Tuburbitanam perduci iuſſit: quibus nec panem, nec aquam ſubminiſtrari præcepit, ſed aceto & felle potari. Videns autem beatiſſimarum fiduciam, exarſit in iram, & iuſſit vt vrgerentur ambulare. Ivlii 30. Aceto & felle iubentur potari.

II. TVNC erat quædam puella in ſuperioribus domûs ſuæ conſtituta: annorum duodecim, nomine Secunda: cui dum multæ nuptiarum conditiones offerrentur, omnes contempſit, & vnum Deum dilexit. Hæc accenſa ſpiritu Dei, cùm videret commartyres ſuas Maximam & Donatillam tranſeuntes, (fuit enim in ſuperioribus domûs eius mœnianum, vbi ſtabat) & ſanctarum virginum pulchritudinem oculis fidei conſideraret, cogitauit & decreuit ad ſimilem gratiam peruenire, &, nè aliquis prohiberet, honeſtè deſcendere. Vtque omnia impedimenta vitaret, nec opes, nec nationem ſuam contemplata eſt, nec patrem carnalem curauit: ſed relictis omnibus, vnum authorem caſtitatis Deum quæſiuit, quem internùm poſſedit & tenuit. Cùm ergò egrederentur beatæ martyres & procederent, Secunda feſtina clamabat poſt eas: Nolite me dimittere: veniam vobiſcum, & ſimùl cum eis in ciuitatem Tuburbitanam ingreſſa eſt. Alia die, hora tertia Anolinus proconſul pro tribunali conſedit, & Maximam & Donatillam ſibi præſentari præcepit, & ad tormenta elidi. Et cùm cæderentur, iuſſit calcem ſuper plagas earum ſpargi & fricari. Deindè in eculeo extendi & torqueri, & ſtatuam ad * libandum offerri. Deindè in craticula & ad carbones igneos ſterni, prunaſque ardentes ſuper comam capitis earum adijci. Poſtmodùm in theatro ad delubrum deponi, & ab † hominibus conculcari. Secundæ puellæ eximia virtus. Dirè cruciantur. * al. bibendum.

III. TVNC ex officio dictum eſt, eſſe cum eis puellam aliam, nomine Secundam: quam ſuo iudicio Anolinus proconſul applicari præcepit. Cumque adeſſet, ait: Chriſtiana es, an pagana? Secunda dixit: Chriſtiana ſum. Statim Anolinus cum Maxima & Donatilla ad beſtias eam damnauit: eaſque ferro vinctas ad ſpectaculum populi adduci præcepit. Quæ cùm inducerentur, in media arena oſculatæ ſunt ſe inuicem, vt martyrium pace complerent. Vrſus autem ferociſſimus ac ſæuiſſimus ilicò eis laxatus, in manſuetudinem verſus, earum veſtigia linxit potiùs, quàm momordit. Iratus Anolinus, quia ſe furente, beſtias mites vidit, locutus cum concilio, ſententiam ex tabella recitauit: Maximam, Donatillam & Secundam, in ſuperſtitione ſua perdurantes, quæ diuerſas pœnas pertulerunt, & beſtijs obiectæ ſunt, & dijs noſtris ſacrificare noluerunt, gladio animaduerti iuſſi. Maxima, Donatilla & Secunda dixerunt: Deo gratias. & conſummatæ ſunt 3. Calend. Auguſti. † omnibus. Damnatur ad beſtias. Vrſus manſueſcit. Cæduntur gladio.

DE SANCTO FABIO MARTYRE CÆSARENSI, EX ADONIS MARTYROLOGIO.

CÆſareæ paſſio S. Fabij martyris: qui cum ferre vexilla præſidialia recuſaret, primùm diebus aliquot in carcerem truſus eſt. Deindè productus, ſiſtitur ante tribunal. Interrogatus ſemel & iterum, in Chriſti confeſſione perdurat, & mox à furibundo iudice capitali ſententia condemnatur. Poſt hæc inhumatum corpus cuſtodiri iubetur: quod poſt triduum reticulo inſutum, in maris profunda, ſeorſum caput, ſeorſum cadauer, immergitur. Sed Domini virtute reſciſſo reticulo, membra capiti reuocantur, & ſcapulis ceruix cum indicijs paſſionis adiungitur. Atque ita ſuæ integritati redditum corpus vnda blandiore ad Caternitanum litus euectum, & condigno cultu à fidelibus in baſilica tumulatum eſt. Ivlii 31. Caput ei amputatur. Inſigne miraculum.

VITA

An. 430.

VITA SANCTI GERMANI EPISCOPI ANTISIODORENSIS, AVTHORE CONSTANTINO presbytero.

Epiſtola Conſtantii presbyteri ad ſanctum Patientem, Lugdunenſem Epiſcopum.

Obedientiæ præſtantia.

DOMINO beatiſſimo Apoſtolico, & mihi in æternum patrono Patienti, Conſtantius peccator. Meritò inter omnes virtutes obedientia vendicat principatum, quæ facit pleroſque tentare, quod nequeunt. Et ideò dignæ deuotionis laude habendi ſunt, qui conſiderata ſui impoſſibilitate, iubentibus obſequuntur. Itaque, Papa venerabilis, dum & ſanctum virum illuſtrare virtutibus ſuis deſideras, & profectui omnium, miraculorum exempla largiri: imperâſti ſæpiſſimè, vt vitam ſanctiſſimi Germani Epiſcopi obumbratam ſilentio, qualicunquè ſtylo vel præſentibus, vel poſteris traderem. Quod dum audacter aggredior, præſumptionis reum eſſe me ſentio: ſed date veniam. Nam penè eſt, vt etiam iudicium veſtrum quædam culpa reſpergat, qui tantæ materiæ relatorem magis dignum debuiſſetis eligere. Sed quia vterque charitati operam damus, dum & vos me putâſtis poſſe, quod nequeo, & ego authoritati veſtræ libens pareo, orate vt miniſterium meum gratiam, quam ſui merito non poteſt obtinere, veſtra interceſſione mereatur. Vale longùm in Chriſto, meique ſemper memor beatiſſime præſul.

Item eiuſdem Epiſtola ad ſanctum Cenſurium Antiſiodorenſem Epiſcopum.

DOMINO beatiſſimo, & mihi Apoſtolico honore venerabili Cenſurio papæ, Conſtantinus peccator.

PRIMA mihi cura eſt, pudorem conſcientiæ humilis cuſtodire: cuius cancellos ſi in aliquo fortè tranſgredior, iubentium magis culpa, quàm mea eſt. Itaque vt vitam geſtaque beatiſſimi Germani Epiſcopi vel ex parte perſtringerem, fratris veſtri ſancti antiſtitis fecit authoritas. Cuius præceptioni, ſi non vt debui, vt potui tamen, parui. Cumque obedientia mea ad beatitudinis veſtræ notitiam perueniſſet, vt iteratò in temeritatem prorumperem, præcepiſtis iubendo, vt paginula, quæ adhuc intrà ſecreti vicinia tenebatur, longiùs me authore procederet, eſſemque ipſe reatûs mei quodammodò accuſator & proditor. Manifeſtè enim condemnatio in me manebit, ſi verborum meorum abiectio doctorum afferatur auditui. Reiecto itaque pudoris velamine, obtemperans iuſſioni, tranſmiſi vobis impenſæ deuotionis obſequium, pro fiducia charitatis depoſcens, vt duplici me fauore tueamini: quatenùs & legentium examen euadam, & miniſterium meum per interceſſionem veſtram domini mei ſancti Germani ſenſibus intimetur.

VITA.

Ivlii 31. *Prologus.*

PLERIQVE ad ſcribendum, ſolicitante materia vberiore, producti ſunt, dum per multiplices ſenſus locupletari creduntur ingenia. Sed mihi illuſtriſſimi viri Germani antiſtitis vitam geſtaq; vel aliqua ex parte dicturo, incutitur pro miraculorum numeroſitate trepidatio. Et ſicut ſolis ſplendor, humanis illatus obtutibus, hebetata oculorum acie lumen confundit ex lumine: ita animi mei infirmitas oblatum præconiorum cumulum, quem implere non poteſt, expaueſcit. Sed rursùs intrà ſedem pectoris mei contentio alterna confligit: Hinc reſiſtit impoſſibilitas conſcientiæ: illinc commemorare aliqua vel proferre, & religionis contemplatio, & innumerabilium miraculorum exempla compellunt, quæ agnitioni vel profectui omnium impiè per obductum ſilentium ſubtrahuntur. Idcircò mâlui verecundiam meam negligere, quàm virtutes diuinas vſqueadeò obliuione veteraſcere. Excuſat materia Dictorem, & cui verborum abiectio diſplicuerit, ſenſus placebit. Nec vereor * perſuaſionem me huiuſce miniſterij iudicandum. Tanta enim temporum fluxêre curricula, vt obſcurata per ſilentium vix colligatur agnitio. Et verè mâluiſſem relatores tantorum bonorum alios potiùs, quàm me, fuiſſe: quia quicunque illi, me fuerant digniores. Quod quia non contigit, me mâlo eſſe, quàm neminem.

** for. perſuaſorem.*

Patria. Magna eius eruditio. Fit aduocatus. Ducit vxorem. † Dux conſtituitur.

Lib. I. I. IGITVR Germanus, Antiſiodorenſis oppidi indigena fuit, parentibus ſplendidiſſimis procreatus, & ab ipſis infantiæ rudimentis, ſtudijs liberalibus inſtitutus. In quo doctrinæ collatio cum ingenij vbertate conſentiens, eruditiſſimũ duplicato bono, id eſt, naturæ & induſtriæ, reddiderunt. Atq; vt in eum perfectio literarum plena conflueret, poſt auditoria Gallicana, intrà vrbem Romam iuris ſcientiam plenitudini perfectionis adiecit. Deindè tribunalia perfecturæ, profeſſione aduocationis ornauit. In quo actu dum multiplici laudis luce reſplenderet, ſublimem genere, diuitijs & moribus, ſortitur vxorem. Quem quidem togæ præconijs præminentem, protinùs res publica ad honorum præſumpſit † inſignia, ducatûs culmen & regimen per prouincias conferendo. Erudiebatur profectò diuinitatis occulto iudicio, ne quid perfectionis deeſſet Apoſtolico pontifici mox futuro. Parabatur eloquentia prædicationibus, iuris doctrina iuſtitiæ, vxoris ſocietas ad teſtimonium caſtitatis.

S. Amator eum reprehendit. Amputat arborē, quę erat offendiculo. S. Germanus minatur S. Amatori mortem.

II. EO namque tempore territorium Antiſiodorenſis vrbis viſitatione propria gubernabat. Cui mos erat, tyrunculorum potiùs induſtrijs indulgere, quàm Chriſtianæ religioni operam dare. Is ergò aſſiduè venatui inuigilans, ferarum copiam inſidijs atque artis ſtrenuitate frequentiſſimè capiebat. Erat autem pirus arbor in vrbe media, amœnitate gratiſſima, ad cuius ramuſculos ferarum ab eo deprehenſarum capita, pro admiratione venationis nimiæ, dependebant. Quem cælebs vir, eiuſdem tunc ciuitatis Amator Epiſcopus, his frequens compellabat eloquijs: Deſine, quæſo, vir honoratorum ſplendidiſſime hæc iocularia, quæ Chriſtianis offenſa, paganis verò imitanda ſunt, exercere. Hoc opus idololatriæ culturæ eſt, non Chriſtianæ elegantiſſimæ diſciplinæ. Et licet hoc indeſinenter vir Deo dignus perageret, ille tamen nullo modo admonenti acquieſcere voluit, aut obedire. Vir autem Domini iterùm atque iterùm eum hortabatur, vt non ſolùm à conſuetudine malè arrepta diſcederet, verumetiam & ipſam arborem, nè Chriſtianis offendiculum eſſet, radicitùs abſtirparet: ſed ille nullatenùs aurem placidam applicare voluit admonenti. In huius ergò perſuaſionis tempore, quadam die Germanus in prædia ſui iuris ex vrbe ſeceſſit. Tunc beatus Amator opportunitatem opperiens, ſacrilegam arborem cum caudicibus abſcidit, Et ne aliqua eius incredulis eſſet memoria, igni concremandam ilicò deputauit. Oſcilla verò, quæ tanquàm trophæi cuiuſdam certaminis vmbram dependentia oſtentabant, longiùs á ciuitatis terminis proijci præcepit. Protinùs autem fama greſſus ſuos ad aures Germani retorquens, dictis animum incendit, atque iram ſuis ſuaſionibus exaggerans, ferocem effecit, ita vt oblitus ſanctæ religionis, cuius iam fuerat ritu atque munere inſignitus, mortem viro beatiſſimo minitaret. Et ne ei aliquo modo quorundam Chriſtianorum conuentus furenti reſiſteret, turbam ſuorum ſecum adunans, ciuitati improuiſus aduenit. Hæc omnia, dum à quibuſdam cognita: Amatori ſanctiſſimo panderentur, ait: Ego indignum me eſſe iudicio, teſtem fieri fuſo ſanguine Saluatori: hoc eſt, quod Græci appellant martyrem. Diuina ergò reuelatione ſuæ diſceſſionis tempus agnoſcens, & Germanum ſibi futurum ſuc-

tum ſucceſſorem præuidens, Heduam profectus eſt, vbi Iulius reipublicæ rector Galliæ gubernator præſidebat.

III. TVNC Simplicius, vir ſummæ ſimplicitatis atque charitatis, eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, rumore aduentûs eius præuentus, ei cum ordine clericatûs, necnon & cum Iulio præfecto, officij ſui turmis ſtipato, ire obuius non neglexit. Quem ritè ſalutatum, atque debitæ venerationis aſſentatione priùs honoratum, ad Heduam ciuitatem perduxerunt. Ex hinc poſtera die ſanctus Amator ad prætorium Iulij ſe velle ingredi aſſerit. Cuius aduentum Iulius cognoſcens, citus in occurſum eius profectus eſt, & quemadmodùm decebat, fideliſſimum Dei cultorem obſequijs intrà tectum inducit, & more Chriſtianiſſimi filij, ipſius ſe poſtulat benedictionem ſuppliciter promereri. Suppleta ergò oratione, ſic ſacerdos reuerentiſſimus præfectum alloquitur: Finem meum, Domino mihi innoteſcente, cognoui. Et quia non eſt alter, qui regimen ſanctæ Eccleſiæ ſuſcipiat, niſi illuſtriſſimus Germanus, ſicut mihi Dominus Deus meus reuelare dignatus eſt, poſco celſitudinem tuam, vt licentiam tribuas mihi roganti, eundem Germanum tonſurare. Cui præfectus: Licèt, inquit, neceſſarius ſit atque vtilis reipublicæ noſtræ, tamen quia Deus ſibi illum elegit, ſicut tua beatitudo teſtatur, contra Dei præceptum venire non poſſum. Tunc voti compos, cum lætitia ſuæ eſt iterùm redditus ciuitati.

Nota priſcorũ erga Epiſcopos reuerentiã.

Reuelatur S. Amatori Germanũ futurum Epiſcopum.

IV. IN quam cùm veniſſet, præcepit vniuerſum populum in atrium domûs eius adeſſe. Qui cùm veniſſent, his eis concionatus eſt affatibus: Animo attentiores eſtote, filij dulciſſimi. Eſt operæpretium veſtris ſenſibus alligari, quæ meæ mentis receſſus parturiunt. Deo reuelante, diem tranſitûs mei de ſæculo euidentiſſimè ſcio atq; cognoui. Proptereà hortor vnanimitatem veſtram, vt diligentius perſcrutantes, ex cœtu veſtro virum firmiſſimum eligatis, qui ſpeculator ſit domui Dei. Illi autem hoc audientes, conticuerunt, & nullus eorum ei verbum reſpondit. Tunc ille videns, quòd omnes ſilerent, iter direxit ad ſanctam eccleſiam, in cuius comitatu omnis congeries profecta eſt populorum. Subeunte autem illo eccleſiam, cùm & populus ingredi voluiſſet, ita eum allocutus eſt, dicens: Exonerate, filij chariſſimi, iaculis manus, & arma ab humeris veſtris reijcite, & ſic domum Dei ingredimini: quoniam hæc domus eſt orationis, non Martis ſtatio petulantis. Illi verò hæc audientes, dicto citiùs quicquid chalybis geſtabant, forinſecus poſuerunt. Tunc beatus Amator videns Germanum illuſtriſſimum nihil oneris truculenti portantem, præcepit oſtiarijs, eccleſiæ fores vt clauſtris arctarent. Ipſe verò glomerata ſecum turba Clericorum atque nobilium, inijciens manus, Germanum apprehendit, & inuocato nomine Domini, cæſariem eius capiti detrahens, habitu religionis, reiectis ſæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit, talibus eum verbis exhortans atq; confirmans: Satagere te oportet, frater chariſſime & venerabilis, quò incontaminatum atque immaculatum cuſtodias honorem tibi commiſſum: quia me decedente, tibi omnipotens paſtorale commiſit officium.

Prædicit diem obitus ſui adeſſe.

Germanus ab S. Amatore tondetur, & in clerum adſciſcitur.

V. DEINDE verò incipit beatiſſimus Amator obitûs ſui incitamentis vrgeri. Et licet fuiſſet ægritudine ſaucius, nunquàm tamen omiſit prædicationibus populum confirmare, & dicere: Filioli, hanc Dominus meus, à quo huc vſque fueram peregrinus, animam meam ſuſcipiet: obſecro, vt vnanimes atque concordes fratrem Germanum loci mei faciatis adipiſci officium. Cui omnis turba conſentiens, ad confirmationem perſuaſionis eius reſpondit, Amen: non tamen ſine lachrymis, neque ſine dolore. Omnis namq; ætas atq; ordo vel ſexus lamentationibus afficiebatur, quia talem amittebat paſtorem. Erat tamen in eis inter hæc ſolatij genus, quòd non diſſimilem forent recepturi pontificem. Igitur Calendarum Maiarum quarta feria acriùs cœpit corporis diſſolutione fatigari. Sed nec ſic quieuit etiam inter dolores à ſalutari prædicatione, ſed omnibus ſalubrem admonitionem inculcans, ita loquebatur: Prohibete lamenta ſonare, vetate populos flere. Ibi profectò luctuoſæ voces emittendæ ſunt, vbi meliori deterior fuerit ſucceſſurus: hic verò incaſſum lachrymas funditis, vbi optimis meliora ſuccedant. Iſtius namque vobis prædeſtinati pontificis non ſolùm vita proderit, verumetiam mors. Hoc dicens, præcepit ſe ad ſanctam eccleſiam prouehi, vt ibi ſpiritum datori redderet, vbi die ac nocte eidem conſueuerat profiteri. Progreditur cum eo dextra læuaque frequens populo multitudo. Præcedit clericorum chorus, matronarum caterua ſubſequitur. At vbi eccleſiam eſt ingreſſus, pontificalem thronum aſcendens, ferè hora diei tertia emiſit ſpiritum. Et continuò chorus ſanctorum, quod eſt ad dicendum mirabile, ſucceſſit, & ſpiritum eius cum hymnis & laudibus in ſpecie columbæ vehebat ad cælum. Hoc multis cernentibus & narrantibus eſt confirmatum.

Rogat populum S. Amator vt recipiat Germanũ ſui loco.

B. Amator in cœlos proficiſcitur.

VI. EXINDE ad locum, qui appellatur Autricus, ad ſepulturam deducitur. Vndè dum redeunt, ecce proſpiciunt quendam hominem paralyticum, qui iam triginta annis ipſo morbo detinebatur, ceruicibus hominum baiulari. Erat autem ex territorio Biturico, quẽ ſanctiſſimi Amatoris opinio de locis proprijs vehi ac peregrinari compulerat. Accedunt hi, qui portabant, propius, viri Dei ſoſpitatem inquirunt, cognoſcunt ipſius eſſe, quam cateruatim ex vrbe viderant proficiſci, funeris pompam. Tunc languidus exorat, vt vel aquis paululum frui mereretur, quibus perfuſum fuerat illius ſacratiſſimum corpus. Hoc comperiens reuerentiſſimus Germanus, tunc presbyter admirans fidem illorum, iuſſit ex eadem aqua paralytici membra perfundi. Mox autem, vt delibuti corporis lympha ægroti eſt memoris illata, protinus languor omnis diſceſſit, & membrorum compages morbida reſolutione ilicò carens, ſuis eſt conſolidata medullis, atque neruis vigentibus reparata.

Nota vim aquæ, quã perfuſum fuit corpus S. Amatoris.

VII. TVNC ſubitò diuina procedit authoritas, quam conſenſus vniuerſitatis exequitur. Nam clerici omnes, cunctaque nobilitas, plebs vrbana vel ruſtica in vnam venêre ſententiam: Germanum Epiſcopum omnium vna vox poſtulat. Bellum ciuile indicitur poteſtati. Cuius ſubiectio facilis fuit, cùm etiam ab his, quos pro ſe parauerat, vinceretur. Suſcepit ſacerdotium inuitus, coactus, addictus: ſed repentè mutatur ex omnibus. Deſeritur mundi militia, cæleſtis aſſumitur. Sæculi pompa calcatur, vxor in ſororem ex coniuge mutatur, ſubſtantia diſpenſatur in pauperes, paupertas ambitur.

S. Germanus coactus ſuſcipit Epiſcopatum.

IIX. IAM verò enarrari non poteſt, qua hoſtilitate vim ſibijpſi concinuerit, quæve ſupplicia corporis ſui perſecutor induerit. Breuiter tamen, iuxta veri fidem, vniuerſa perſtringam. Ex ea verò die, qua ſacerdotij ſumpſit exordium, vſq; ad terminum vitæ, tanta obſtinatione & tabe corporis animam ſuam pauit, vt nunquàm panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, nunquàm vel ſalem ad vſum condiendi ſaporis acceperit. Sanè die reſurrectionis vel natiuitatis Dominicę, potiones ſingulę ſumebantur: in quibus ita vini ſapor aquis nimijs diluebatur, vt aceti auſteritas ſolet largis permixtionibus temperari. In refectionibus primùm cinerem prælibauit deindè panem hordeaceum ſumpſit, quem tamen ipſe excuſſit & moluit. Et cùm hic cibus grauior ieiunijs indiceretur, nunquàm niſi in veſpere: interdùm tamen in hebdomada media, plerunque die ſeptimo, ponebatur.

Nota miã vitæ auſteritatem.

IX. INDVMENTVM, cuculla & tunica indiſcretis fuêre temporibus. Nam neque hyeme acceſſit adiectio, neque æſtate leuamen admiſſum eſt. Quod vtrunque tam diù vſui fuit, niſi fortè donatum eſt, donec attritione nimia ſolueretur, cilicio ſemper interiùs inhærente.

Veſtes eius quales fuerint.

X. SPATIVM verò lectuli ſui trabeculæ dolariles ambiebant, iniectos cineres vſq; ad marginem continentes. Qui tamen quotidiana impreſſione denſati, in confecti ſoli duritiam præferebant. Stratum omne, ſubiecto cilicio & ſuperpoſito vno tantùm ſagulo, fuit. Caput ab humeris per ceruicis confinium nulla ſubleuauit adiectio. Ita pronus proſtrata per terram membra damnauerat. Noctibus nunquàm veſtitum, raró cingulum, raró calceamenta detraxit. Redimitus loro ſemper, & capſula ſanctorum reliquias continente. Iugis gemitus, oratio perſeuerans.

Lectus eius.

Nullum habet ceruical.

Redimitus ſanctorum reliquijs.

Lon-

Longum enim tempus ſomnum capere inter tormenta non poterat. Dicat quiſque quod ſenſerit: cæterùm abſolutè definio, beatum Germanum inter tot cruces longum traxiſſe martyrium. O quàm præclara Dei noſtri virtus & pietas, qui famulũ ſuum in via veritatis fideliter gradientem, duplici remunerauit donatione, & vt præteriti, ſi qui fuerant, decoquerentur errores, & celeriter defæcata ſanctitas præſtaretur. Quique præteritis forſitan peccatis tenebatur obnoxius, inciperet fœnerator eſſe virtutum.

Eius hoſpitalitas.

Hospitalitatem peculiari obſeruatione ſeruauit: omnibus enim, ſine vlla exceptione perſonæ, domum XI.
præbuit. Et conuiuium ieiunus paſtor exhibuit, pedes omnibus, manibus ſuis lauit, Dominicæ inſtitutionis miniſter & cuſtos.

Extruit monaſterium.

Itaqve vir beatiſſimus, quod eſt difficilimum, inter frequentias populorum, ſolitudinis vitam & eremum in XII.
ſæculi conuerſatione ſeruauit. Qui duplicem viam Chriſto ad profectum religionis inſtituens, in conſpectu Antiſiodorenſis oppidi interpoſito Icauna flumine, monaſterium collocauit: vt ad fidem catholicam populi, ad congregationem monachorum & eccleſiaſticam gratiam raperentur, præſertim cùm tali pontifice vel magiſtro, accedentibus miraculis, fides ſuccenſa ferueret. Et vt ad tentamenta virtutum creſcentibus meritis veniretur, non præſumptionis, ſed miſericordiæ principium fuit.

Ianuarius amiſſam pecuniam ab Epiſcopo requirit.

Erat illo tempore vir bonis moribus, Ianuarius nomine. Qui cùm princeps præſidiali militaret officio, exa- XIII.
ctos à prouincialibus ſolidos ad iudicem deferebat. Is cùm cauſa viſendi eum ex itinere diuertiſſet, ſacculum perdidit quem ferebat. Nulloque de circumſtantibus intuente, caſu is reperit, qui vexari inimica infeſtatione conſueuerat. Tandemq; in ſe reuerſus, damnum viator agnouit. Implet queſtibus ciuitatem, & à beatiſſimo ſacerdote non aliter, quàm ſi ipſi tradidiſſet, pecuniam requirebat. Quam in Dei nomine reformandam, quaſi verus debitor, repromiſit. Earum dies ſabbati fuit, qua per totam vrbem ſolicita indagatione percucurrit. Et cùm nihil indicij fuiſſet inuentum, poſt triduum is, qui ſolidos requirebat, lachrymans genua ſacerdotis amplectitur, conteſtans, appetiturum ſe ſupremæ mortis occaſum, niſi pecunia fuiſſet inuenta. Indicit Epiſcopus patientiam, pollicetur ſecuritatem. Nec multùm pòſt, priuſquàm proderetur admiſſum, exhibere ſecretè ad ſe vnum ex his, qui patiebantur, præcepit. Fortuitò is, qui furti author fuerat, præſentatur. Quem cùm diſtricta examinatione diſcuteret, dicens fieri non poſſe, vt admiſſum facinus lateret, inimico, per quem praua fieri conſueuerant, imperat, vt veri fidem celeriter fateatur. Sed neq; ſpiritus crimen ac malitiam, quam commiſerat, denegauit. Tum verò pia commotio ſacerdotis produci inficiantem præcepit in populum. Nec mora: Miſſam celebraturus egreditur. Præmiſſaq; in plebe ſalutatione ſolenni, in oratione tota corporis ſtrage proſternitur. Statimq; infelix inimici & captiuus pariter & miniſter in ſublime ſuſpenditur: eccleſia eius clamore completur, plebs vniuerſa turbatur. Et quaſi flammis circumdatus, cum voce maxima nomen inuocat ſacerdotis: crimen, quod commiſerat, confitetur. Tandemq; vir beatiſſimus ex oratione conſurgens, accedit ad podium, euocat æſtuantem, omnia diſcutit, vniuerſa cognoſcit. Solidi de latebris proferuntur, clamor popularis attollitur, & vnà Germani meritum, & diuinitatis potentia prædicatur. Eodemq; miraculo & deceptus pecuniam, & obſeſſus recepit ſoſpitatem. Plures quidem iam antè curauerat, ſed ſemper ſecreti obumbratione notitiam ſuppreſſit. Hoc verò factum ideò memorabile, quia publicum fuit.

Oratione Epiſcopi pecunia inuenitur. Mira efficacia precum eius.

Multi moriuntur è plebe eius.

Qvodam tempore conſpiratione terribili beato viro quoddam bellum dæmones intulerunt. Quem cùm XIV.
multiplici infeſtatione tentatum, indurum fidei lorica inexpugnabilem reperiſſent, conceptam machinã ad plebis excidium contulerunt. Nam primùm paruuli, deindè maiores natu, repentè tumefactis intrinſecus faucibus, interibant: ſic vt irruente morte, ægritudinis ſpatium vix triduo traheretur. Ira more furentis gladij populus delebatur: nihil humana prouiſio conferebat opis. Et penè ſerò plebs trepida ad diuinum præſidium per antiſtitem decucurrit. Qui protinùs oleum benedixit, cuius tactu ita intrinſecus tumefacta tabeſcebat infirmitas, vt meatus peruius ſtatim & anhelitum & cibum deficientibus miniſtraret, tantaque celeritate remedium cæleſte ſuccurrit, quanta irruerat illata pernicies. Quod admiſſum malignorum ſpirituum infeſtatione contigiſſe, vnus ab obſeſſis, dum à ſancto viro purgatur, euomuit, omneſque in fugam verſos eius oratione confeſſus eſt.

Oleo benedicto pellit morbum.

Erat autẽ familiare beatiſſimo viro, alternis vicibus nunc eccleſiam, nunc monaſterium, quaſi dux cœleſtium XV.
militum, viſitare, vt certantibus ſtudijs æmulantes, ad perfectionis gloriam prouocaret. Quadam vice occupatione detentus, cum ad monaſterium rogaretur, excuſauit aduentum. Nec multò pòſt abſolutus morarum nexibus, in ſperatam fratribus ſui præſentiam deferebat. Contigit, vt hora eadem in monaſterio vnus ex his, qui pati conſueuerat, vexaretur. Qui ſubitò cum ſumma voce proclamat: Germanus ad flumen eſt, ſed ſine nauigio non poteſt tranſmeare. Diù Abbas fidem dictis negauit, dum & nequam ſpiritum fallere, & illum non adeſſe, quia excuſauerat, iudicauit. Cumque in eadem vociferatione perſiſteret, miſſus vnus ex fratribus, veridicum fuiſſe dæmonem nunciauit. Nauigium mittitur, tranſit ſacerdos, & cum ea, qua ſolebat, gratulatione ſuſcipitur. Incumbit ſine mora orationi: congregatio tota proſternitur. Cùm ſubitò per inane aëris, inuiſibilibus nexibus hoſtis religatus appenditur, & id tantum moratum fuit, dum de oratione conſurgeretur: nihilq; aliud deprecatus eſt, quàm vt cum aliqua corporis debilitate diſcederet. Quo interdicto, fœda relinquens veſtigia, cum eo, quo erat dignus, fœtore diſceſſit. Hoc itaq; monaſterium, iter ſequens magiſtri, ſemper virtutibus floruit, & ſanitatum miraculis longè lateque refulſit. Qualiter ſanè Mamertinus ab idolorum cultura conuerſus, diuina reuelatione percepta, beatum virum eodem cœnobio degentem expetiuerit, commodum huic operi videtur inſerere. Quod tamen eiuſdem Mamertini verbis melius cenſuimus intimandum. Verùm ob quemque cupidum plenæ narrationis, libellum de hac ipſa reuelatione ex ordine editum, hic ponere diſpoſuimus.

Dæmonem ejicit. Monaſterium eius quale fuerit.

Reuelatio S. Corcodemi, & qualiter Mamertinus ad baptiſmum peruenit.

Qvanta ſit diuinæ miſericordiæ pietas, quantamque bonitatis eius generi humano patientia gratiam lar- XVI.
giatur, nemo Chriſtianorum ignorat. Ita igitur ſuarum manuum figmentum diligit, vt ad declarandam operis ſui in eo doctrinam, indifferenter omnium bonorum malorumque reſeret linguas. Quid namque intereſt inter horum ſeruorum Dei reuelationem, & Apoſtolorum, ignorantibus gentibus, manifeſtationem? Hi igitur, quorum vitam innoteſcendam auribus ratum duximus populorum, dum ipſi ſoli Deo, qui eam largitus fuerat, in notitia eſſet; humanam verò penè omnem creaturam latuiſſet, à pagano medelam vulneris quærente, neſcientibus panditur, & Pauli Barnabæque gentibus ignota ſpiritualis prudentia, per immundum ſpiritum publicatur. Igitur cum hi Deo placiti diuturno tempore in ſuis lucifluis iacuiſſent ſepulcris, per Mamertinum, qui eorum nunc ſpirituale narrat negocium, in omnium cognitionem deuenerunt. Eram itaque ego ipſe, inquit Mamertinus, idolis ſeruiens, & Iouis templi vel cæterorum falſorum deorum frequentiſſimus cultor, ita vt nullo modo vel tempore poſſem ſimulacris eorum euelli. Et cùm eorum inſtantiſſima deuotione nefandas ſtatuas venerarer, cæcitatem vnius oculi pertuli, & ariditatem manûs promerui. Eram ergò & debilitatus corpore, obſecundans ſtationibus nefandis, & quaſi reatûs mei incurſu, ipſis iratis plagatus fuiſſem, crebriùs eis lachrymoſas preces effundens, rogabam vt delictis meis veniam tribuiſſent. Cumque hoc continuatis momentis triſtior perpetrarem, eunte me ad præfatum dæmonum habitaculum, obuius mihi fuit quidem Sauinus nomine, tonſus capite, & veſtibus religioſis amictus. Quem dum percontarer, quis & vnde eſſet, vel quò pergeret, & propter hanc cauſam interrogationum adinuicem

Mamertinus feruentiſſimus dæmonum cultor.

nicem ſermocinaremur, ait præfatus vir: Vnde tibi tales accidit morbus, vel cuius religionis es tu? Cui ego: Cultor ſum Deorum maximorum, Iouis, Mercurii, Apollinis, vel omnium numinum. Propterea indifferenter aras eorũ lachrymans pulſo, vt mihi reconcilia i, quæ abſtulerunt indignati, reformentur propitii. Hæc audiens ille, reſpondit: Erras, neſciens veritatem: propterea talibus malis inuolueris, & crudeliter flagellaris. Illi ſi alicuius ſcientiæ vel intellectus regerentur doctrina, non perpetuo cæci, muti, ſurdi, odore priuati, greſſibus impediti, manibus trunci, ferro aut plumbo inhærerent colligati. Nonne ipſi ſunt, de quibus ſacratiſſima canit ſcriptura: Os habent, & non loquentur: aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo: neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum? Et ſubſequitur, de vobis loquens Propheta: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Vides pœnam ſtatutam cultoribus præparatam? Vides comparationem veridico ore prolatam? Feſtina igitur, ſi vis amiſſi oculi viſionem, & aridæ manus ſanitatis percipere viriditatem, obedire meis eloquiis. Eſt enim in eccleſia Antiſiodorenſi vir ſanctiſſimus, nomine Germanus, cuius ego ſum clericus, timens Deum & recedens à malo: cui ſeipſum Chriſtus facie ad faciem demonſtrat, & per eum inenarrabiles oſtendit corporum ſanitates. Si vis ergo ſanus fieri, relicta ſeruitute idolorum, qua es miſerabiliter irretitus, ipſius tibi præſentiæ poſce præſidium. Quo audito, agens gratias, rogaui præfatum virum, vt iret mihi, quo ad eum, de quo indicauerat, Epiſcopum poſſem peruenire, illico demonſtraret. Ille autem lætitia plenus, propter quod me ſuis vidit obedire præceptis, antetulit greſſum, & de alto aggere, quod eſt monte Matogene, oſtendens planitiem viæ, reuertitur. Ego verò perſeuerans, lætus iter carpebam. Erat autem eodem die tempeſtiuus imber ab ortu ſolis vſque ad occaſum. Et licet fuiſſem madida veſte grauatus, nequaquam tamen reſtiti fatigatus. Ecce autem labenti iam die hora pene vndecima, aduentante nocte, factæ ſunt tenebræ, pluuialibus imbribus mixtæ, ita vt nullus poſſet nec ſui itineris comitem adſpicere. Vix tandem perueni ad cœmeterium, in quo ſancti Amatoris Epiſcopi dicebant eſſe corpuſculum. Et quoniam imbres vibrato fulgure iugiter deſcendebant in terram, cœpi anxiari & nimium eſſe ſolicitus: quia non inueniebam, in quo me reciperem habitaculo. Crebris ergo micantibus ignibus ex æthere, parua cellula oſtenditur oculis meis, in qua vnus erat ſarcophagus. Quid plura? Ingredior obliqui aëris flammis perterritus. Tunc non inueniens, vbi requieſcerem, ſuper ipſum me iacti ſarcophagum, ignorans quis in eo requieſceret ſepulcro. Ingreſſo autem me, repentina lux in eodem habitaculo ita per ſudum refulſit, vt exiſtimarem ſolis radios reducis terram ſuo tempore illuſtraſſe. Supponens ergo capiti meo ſportam, quam baiulabã, & lateri baculum, vtpote laſſus atq; nimium humectatus, ſomno indulſi. Intempeſta verò nocte euigilans, reſpexi iuuenem veſtibus dealbatum, in præfatæ cellulæ veſtibulo, in qua iacebam, luciflue illuſtratum. Ego verò inſolitam latius maieſtatem adſpiciens, territus me ſupra illam, in qua dormiebam, proſtraui memoriam. Eram autem intra me orans, timore perterritus, & dicens: Deus Chriſtianorum, cui eſt purè deſeruiens Germanus Epiſcopus, cuius ego ſanctitatis atque operis bonitatem nunc ſequor, eripe me de tali, in quo tremebundus iaceo, cito terrore. Me talia proſequente, adoleſcens, quem ante oſtium ſtare præuideram, emittit vocem dulcifluam, dicens: Sancte Corcodeme, ſancte Corcodeme Leuita Chriſti. His auditis, beatiſſimus vir Corcodemus de ſepulcro, ſupra quod procubueram, reſpondit: Scio qui ſis, & vocem tuam audio: tantum dic, quid me velis Florentine frater. Surge, inquit, velociter. Beatus Peregrinus Epiſcopus cum cæteris fratribus, pro nocturnis excubiis celebrandis, in eccleſia ſunt congregati: proptereà te quoque ſanctus Amator admonet, vt venias, & interſis ſancto conuentui. Tunc beatus Corcodemus ait: Regredere citius dulciſſime frater ad ſanctum ac beatiſſimum Epiſcopum, mea reportans mandata. Hac igitur nocte non poſſum de hoc tabernaculo egredi, quoniam hoſpitalitatem præbui alicui peregrino. Scio enim, quæ hic ſit obſidens turba catulorum, & inſidias hoſpiti præparans, quo, me egreſſo, miſerum deuoret ac dilaniet. Et ſi egreſſus fuero, venenoſos in eum dentes infiget. Me ſuis Deus excubiis non fraudat: quoniam ſunt mecum fratres ſubdiaconi duo, id eſt, Alexander & Iouianus, necnon & Iouinianus lector. Ergo obſecro te, vt ſanctis Epiſcopis hæc, quæ tibi locutus ſum, referas, & ab his impetres mihi veniam. Antefatus igitur iuuenis, accepto reſponſo, egreſſus eſt. Me autem tanta cognoſcentem myſteria, medullitus formido inuaſit: inde ſoporifero ceſſerunt languida ſomno membra. Et ecce in ecſtaſi raptus, adeſſe exiſtimabam rurſus iuuenem, priuſquam galli cantarent, ad ianuam, & clamaſſe rurſum eo nomine, quo ante clamauerat. Et illo iterum reſpondente, & interrogante quid vellet, tunc ille dixit: Sancti Epiſcopi Peregrinus & Amator, priuſquam diſcedant, Miſſas ſunt votiuas celebraturi: & proptereà te quoque miſerunt inuitare, vt miniſterium tui officii peragas. Si verò formidas propter præfatum hoſpitem, aiunt, vt vice tua Alexander ei cuſtodiam præbeat. Sed & illud iuſſerunt, vt tecum Iouianum ſubdiaconum & Iouinianum lectorem, qui alleluia decantent, adducas. His peractis, videbam ego ipſe aperto ſepulcro egredientem ex eo virum, adſpectu miræ pulchritudinis decoratum, & veſtimentum eius niueum tanquam byſſum. Illo egreſſo, quemadmodum videbam, reperit tres ante oſtium ſtantes in veſte candida, & ſalutauit eos, nomine vnumquemque vocans. Tunc dicit Alexandro: Reuerendiſſimi antefati Epiſcopi Peregrinus & Amator, iuſſerunt me vſque ad eos venire. Qui iterum iuſſerunt te huic cellæ præponi, propter hoſpitem conſeruandum & cuſtodiendum à catulis, matre & filiis ſeptem, qui ad necem eius deliteſcunt. Poſt hæc rurſus contemplabar, quemadmodum tenuerit dexteram meam reuerendiſſimus diaconus, & dixerit: Veni nobiſcum hoſpes ad Miſſas. Pergentibus itaque nobis, vidi quinque ſtantes ante crepidinem altaris, ſpecioſiſſimis indutos ſtolis, & videbam me interrogantem beatiſſimum Corcodemum, qui eſſent illi, qui coram altario aſſiſtebant. Et dixit mihi: Ille, qui in medio ſtat, eſt ſanctus Peregrinus Epiſcopus & martyr, cum quo à Romana vrbe ego quoque miſſus ſum imperio Papæ Sixti. Illi duo, qui dextro adhærent lateri, ſunt Amator & Marcellianus Epiſcopi. Qui ſiniſtro, Elladius eſt & Valerianus ſanctiſſimi, qui beatiſſimo Peregrino gradatim ſucceſſerunt. Diſcedens igitur à me Perſpicuus Diaconus, ipſorum eſt redditus vultibus. Tum demum quaſi me coram audiebam ſanctum Amatorem Epiſcopum dicentem diacono: Præbe ſilentium frater, quo poſſimus, remoto ſtrepitu, votorum compotes fieri. Feſtinat enim Peregrinus frater ad proprium habitaculum Baugiacum reuerti, & oportet nos propter eum paulo temperius ſacrificium conſummare. Indicto itaque ſilentio, & catechumenorum denunciata diſceſſione, ego mirabar intra me, tantæ nouitatis contemplans myſterium. Non tamen auſus fui poſt catechumenorum denunciationem ad locum, vbi Miſſæ celebrabantur, pedem attollere: ſed videbar mihi in eodem loco, in quo reuerentiſſimus me diaconus conſtituerat, ſtare. Item videbatur mihi interrogaſſe diaconum beatus Peregrinus, ac dixiſſe: Quis homo hic eſt, qui tecum hanc baſilicam eſt ingreſſus? Et reſpondiſſe diaconum: Hic eſt hoſpes meus, cuius me cuſtodia, ne veſtris dudum parerem imperiis, retinebat. Ego iterum velut indignum videbam me ſtare iuxta ipſos, & non ſolum per vultum, ſed & veſtium qualitate diſcretum, admiranſque dicebam: Cur hi niueis ſunt veſtibus omnes induti, & ego nigris induor tegumentis? Cum hæc & talia mecum ruminaſſem, vox delata eſt in aures meas, ad Corcodemum diaconum ex ore Epiſcoporum emiſſa: Segrega frater hoſpitem tuum à noſtris cœtibus, & foras ab eccleſia expelle: quoniam indignus eſt gratiæ particeps eſſe, propter quod idolis Iouis deſeruit. Quorum quaſi præceptis deſeruiens, pellere me foras ſæpe dictus diaconus nitebatur. Tunc cadere quaſi ad pedes eius, & his eum affatibus exorare videbar, & dixi ad reuerendiſſimum diaconum: Amice Dei, deprecor te, vt apud præſentes Epiſcopos intercedas, vt mecum miſericordiam faciant,

Sauinus clericus eũ arguet noris.

Pſalm. 113.

Tempeſtiuus, pro, tẽpeſtuoſo.

Requieſcit ſuper ſarcophagum S. Corcodemi. Viſio offertur Mamertino.

Inuocat Chriſtum adhuc paganus.

Miſſæ votiuæ in primitiua Eccleſia.

Peregrinus Epiſcopus & martyr.

Miſſio catechumenorum ſub Miſſa.

& ritum dæmonum, quo teneor obligatus, diſrumpant. Ad quam ſupplicationem motus, videbatur me eis præſentaſſe, & ab illis accepto mandato, mihi manum impoſuiſſe. Poſt impoſitionem, iterum manus, videbam me ſanctis Epiſcopis præſentatum, & inſtructum ab eis, quæ amplecteret, & à quibus cæremoniis ſepararer. Et rurſum audire me putabam Epiſcopos, quemadmodum delegauerint ſancto diacono, dicentes: Amantiſſime frater, reduc tecum hoſpitem, & mone illum, vt Lucifero exorto, fratri repræſentetur Germano: quia ipſi eſt à Chriſto Deo directus, vt per eum omni plenitudine ſpiritualis gratiæ impleatur. Deinde videbam meipſum ſupplicare illis, & ipſos me alloqui, & exhortari ad perficiendam in me doctrinam fidei. Videbam etiam illis diſcedentibus, præfatum diaconum tenentem manum meam, & reſtituentem me ad ſuam, de qua eduxerat, cellulam. Item videbam, priuſquam ingreſſi eſſemus cellulam, procidere me ad pedes eiuſdem diaconi, & ita dixiſſe: Ne, quæſo, iraſcatur dominus meus, ſi adhuc locutus fuerit in conſpectu tuo famulus tuus. Qui quaſi reſpondebat: Dic, quæ te remordent, cum fiducia. Et ego: Obſecro te, quot temporum lapſa ſunt curricula, ex quo in hoc habitaculo requieſcis? Qui reſpondit: Poſt martyrium beatiſſimi Peregrini die tertio paſſionis eius, non quidem eo tempore, de ſæculo migraui. Optaueramus quidem participes fieri paſſionis ego cum fratribus meis, ſicut fueramus vnius quoque baiulatores mandati: ſed non poſt multum temporis Imperator eſt ordinatus, doctrina Chriſtiana refulgens, qui perſecutione remota, cunctas clauſas eccleſias patefecit, & eis catholicos præpoſitos ordinauit. Propterea non potuimus, quæ voluimus, conſequi. Fratres autem mei erant hi: Marſus presbyter, Alexander & Iouianus: & ſepultus ſum in hoc loco ab iiſdem fratribus meis. Ipſi autem, vt mihi diuinitus reuelatum eſt, confeſſores obierunt. Iouinianus verò lector, Deo procurante, martyrium conſummauit. Cumque hæc omnia in exceſſu mentis vidiſſem, ſopore fugato, expergefactus ſum, & continuo gallus cantauit. Ego autem memor mei, oſtenſo mihi ſignaculo frontem muniui. Tunc ego planctigerum eiulatum emittens, ſupra ſepulturam tanquam ſuper aram procubui Dominicam. Quam irrigans lachrymis, preces fundebam, & dixi: Domine Deus Iſrael, qui in altis habitas, & humilia reſpicis, & alta à longe cognoſcis: præter quem non eſt alius Deus: qui ob reparationem generis humani in terram veniſti, & cum hominibus conuerſatus es: cuius nutu ac miſericordia ego indignus in hac nocte meæ ſaluationis ſecreta noſſe promerui, concede mihi, vt celerius famuli tui Germani contempler adſpectum, cui me recto itinere perduxiſti. Completa oratione, proſtratum corpus erexi: & cum aciem oculorum ad baſilicam ſancti Amatoris dirigerem, adſpexi lucem immenſam intus foriſque fulgentem, ita vt crederem, repulſa noctis caligine, ſui temporis metas ſolem continuo repleuiſſe. Dehinc ex eodem item loco vox canora atque hymnigera ad meos eſt auditus delata. Continuo ego in eodem, quo audieram, loco ſubſtiti, quouſque quæ cantabantur, audirem. Prima ergo antiphona, quæ ad aures meas venerat: Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Secunda hæc erat: Saluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te. Tertia: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Et cum hæc audiſſem, reuerſus ſum ad me, proſtrauique me ſepties in ſupradicto ſarcophago, orans & dicens: Deus ſancti Corcodemi, ſuſcipe feſtinantem ad te, & ne confundas me ab expectatione mea. Tua enim pietate & gratia ad hoc delatus ſum habitaculum, per quod meorum contagia cognoui errorum. Rurſus conſurgens, illuc ad ipſam baſilicam eleuaui meos obtutus, & audio iterum antiphonam, meæ ſaluti atque conuerſioni conſonam: Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. His ſanctis affatibus confortatus, tertio me in oratione proſtraui. Terna igitur obſecratione perfecta, ſurgens videbam eam, quam priùs videram, lucem ablatam à facie oculorum, in quibus ante fulſerat, & repentinæ illico tenebræ circumſepſerunt me. Ego tamen iam myſterio edoctus, fronti meæ Dominicum infixi vexillum. Dum hæc geruntur, vulgaris lux terris reddita radiauit. Mox iterum atque iterum ſalutis meæ characteres confirmans, ſancto hoſpiti grates exoluens, ad ducem cæleſtis Imperatoris citius properaui. Exploranti ergò, vbi ſanctiſſimus Germanus Epiſcopus eo die habitaret, incolæ ciuitatis dixerunt: Non eſt hic. Monaſterium habet proximum, & illuc frequentiſſime gratia viſitationis cymba portatur. Tunc deprecatus ſum eos, qui mihi indicauerant, vt ad ipſum monaſterium ducentem viam demonſtrarent. Qua arrepta, quò tendebam, perueni: & me paululum ante oſtium immorante, ſubito vir beatiſſimus Germanus egreditur: quem, procidens in terram, adoraui. Ille autem non euentu, ſed admonitus, egrediebatur in occurſum meum. Deus enim omnium conditor reuelauerat famulo ſuo & meam neceſſitatem, & quorum fuiſſem ad eum iuſſione directus, ſicut poſtea comperi. Curuatus ergo ſolotenus, obſecrabam virum Dei, vt me benediceret. Qui extenta manu, eleuauit me, dicens: Habe fiduciam: ne terrearis & apprehendens mentum meum, oſculatus eſt me. Cui ego: Ne facias, vir ſanctiſſime, quoniam adhuc ab oſculis ararum dæmonum, os meum non eſt mundatum. Cui ſanctus Germanus: Agnoui ego nocte tranſacta, ab omnibus illecebris te mundatum fuiſſe. Quo audito, obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit. Tunc egregio viro inhærente manui meæ, pariter ad monaſterium ingreſſi ſumus. Ego verò intra meipſum mouebar, dicens: Quis huic indicauit, quæ clam geſta ſunt noctis præteritæ ſpacio? Et me talia cogitante, introducit me in cellulam ſuam, & ſedens, dixit: Obſecro fili, vt quæcunque geſta ſunt, & ad tuam notitiam nocte præterita peruenerunt, mihi innoteſcere non demoreris. Tunc ego incipiens, à prima origine vſque ad eundem profectum mei, ſingulatim expoſui, reticens de turba catulorum. Mox ille ait: Nonne obſecraui te, vt omnia narres, & nihil mihi de oſtenſis tibi myſteriis celes? Et cur partem, penè cuncta miraculis excedentem myſterii reticuiſti? Proſequere & expone nobis inſidias, quæ te circumadſtabant catulorum. Ego vero hæc audiens, dixi: Quid narrem domino meo puluis & cinis? Vbi diuinitus fit allocutio, ceſſet incognita mortalium linguarum narratio. Video enim te Deo plenum, & cum ſis localis, vbique quæ aguntur, cognoſcis. Ille ſubridens, dixit, Verè quicquid propter te actum eſt à viris venerabilibus Epiſcopis vel à diacono, cognoui, & præſens fui. Ne formides: fides tua te ſaluum fecit. Hæc audiens, declinans me in faciem, ingemui, & apprehendens genua eius, reliqua, quæ ad perficiendam fidei Chriſtianæ potentiam ſuperfuerunt, rogaui vt per eius dexteram implerentur. Tunc demum pari comitatu ad ciuitatem proceſſimus. Ingreſſis autem nobis in eccleſiam, vocatis clericis & quibuſdam laicis, dixit mihi: Repete, quæſo, quæ dudum in monaſterio, me interrogante, narraſti, vt & hi audiant, qui ignorant. Cui ego, tremulus & timore proſtratus, reſpondi: Quid dicam, quod non beatitudo tua ante præſciat? Et Epiſcopus: Propter adſtantes dixi tibi, non propter me. Ego autem iterum repetens omnia, illis quoque innotui. Qui infinito gaudio exhilarati, Deo laudes & gratias referebant, dicentes: Gratias tibi Deus, quia hoc tibi vas electionis ante mundi conſtitutionem prædeſtinaſti, per quod virtutis tuæ virtutes omnibus & ſine fine demonſtrares. Tunc beatus Epiſcopus inducit me in locum, vbi remiſſio fit omnium peccatorum, & de more ſacerdotali aquis benedictis baptiſmum mihi tradidit, replens circa me & in me vniuerſa officia gratiæ ſpiritualis. Ad quem ego Domine, ſicut animæ receſſus ſaluaſti, ita & corporis debilitata membra reſtitue ſanitati. Da ſolitam lucem vtriſq; parentibus oculis adſpicere, & geminis manibus conſueta opera attrectare. Hæc audiens antiſtes, dixit mihi: Credis hoc me poſſe in te operari? Reſpondi: Credo domine, & propterea ad tuam profectus ſum pietatem. His auditis, accepto oleo conſignans oculum atque manum, officiis propriis repulſo morbo, reſtituit ſanitati. Hi qui adfuerant videntes, rurſum opera Dei laudauerunt, quæ per virum probatiſſimum atque ſanctiſſimum Germanum fiebant Epiſcopum.

Mamertinus deſtinatur S. Germano Epiſcopo vt ab eo inſtituatur.

Pſal. 137.

Pſalm 96. *Pſalm 85.* *Pſalm 31.* *Pſalm 118.*

Pſalm 19.

Vide quam ſolenne in prima Eccleſia, Cruce ſe conſignare.

Excipitur à S. Germano humaniſſime.

Aeneid 3.

Mamertinus S. Germano, quid viderit, exponit.

Mamertinus baptizatur. S. Germanus eius oculos & manus ſanat oleo.

ſcopum. Tunc ait turbæ, quæ cum eo erat: Pergamus cum hoc homine ad locum, in quo hoſpitatus eſt nocte, & videamus, ſi adhuc ſerpens ibi eſt cum catulis ſeptem. Qui dixerunt: Quicquid præcipis, fiat. Ego autem exiens de medio eorum, præcedebam, illis cum Epiſcopo ſubſequentibus vſq; ad locũ: cumq; veniſſemus ad locũ oratione celebrata, dixit Epiſcopus: Dic mihi iuuenis, vbi vidiſti adſtantem virum veſtibus niueis circumdatum? Et ego: Domine, hîc in veſtibulo. Iterum dicit: Super quod ſepulcrum inclinatus es nocte? Ego autem digito oſtendens, monſtraui ſepulcrum. Tunc ſanctus Epiſcopus dixit: Remouete lapidem de hoc ſepulcro, vt interiora eius inſpiciamus. Remoto itaque lapide, viſi ſunt ſerpentes octo: primus immaniſſimus, cæteri verò ſeptem paulo inferiores. Viſis ergo hominibus, ille coluber capite erecto circumſpiciebat omnes, plus tamen Germanum Epiſcopum. Cui præfatus vir: Serpens nequiſſime, adhuc non deſerens calcaneum humani generis, audes poſt præuaricationem tuam & deuictionem, gyros ſuper membra reuerentiſſimi Corcodemi tuos extendere? Viuit Dominus, quoniam morte cum omnibus tuis fueras dignus: ſed quoniam obediſti præfati fratris imperio, & abſtinuiſti veneniferos voratus tuos à præſentis hoſpitis corpore, egredere ſoſpes, & vlterius vbi conuerſatio hominũ eſt, recumbere non audeas. Sit autem habitaculum tuum ſylueſtre gremium, vel eremi vaſtitas. Quos autem itineris tui in circuitu habitatores repereris, ne noceas aut lædas. Non ego, ſed Chriſtus per me tibi imperat. Tunc ſerpens, velut iniquitatis ſuæ mole grauatus, ſubmiſſo capite, ſepties ſuarum ſpirarum tendens volumina, tanquã valedicens & gratias agens beatiſſimo Germano, pectoris tractu graditur: cuius poſt tergũ turba minor ſequitur. Viſa enormitate corporis eius, cuncti trementes beatiſſimi Germani comites fugã arripiunt. Stabat tamen ille immobilis, fiduciam habens beatiſſimæ ſanctitatis. Tunc redarguens populum fugientem, dixit: State, & videte mirabilia Dei, quæ operatur in nobis indignis In ipſo autem tractu æſtimatus eſt ſerpens habere longitudinem cubitorum ſeptem. His miraculis oſtenſis, illa cellula beati Corcodemi diaconi, quæ propter denſitatem veprium, nulli niſi tantum antiſtiti Germano fuerat nota, facta eſt Deo operante omni ſexui cognita: & non ſolum omniũ notitiam promeruit, ſed & culturam. Omnes igitur ex hoc tempore eidem cellulæ votiuam gerentes deuotionẽ, alacriter frequentabant. Mamertinus igitur, per quem, & in quo Deus virtutum ſuarum oſtenta depalauit, videns hæc, non ſolum à gentilitate & errore, ſed etiam à cæcitate ac aridirate clementiſſime liberatus, & à ſerpentum morſibus Dei nutu ereptus, conſecrauit ſe monaſterio ſancti Germani Epiſcopi ita deuore, vt nuſquam ex eo foras egrederetur, niſi fortè eiuſdem Epiſcopi aut imperio, aut comitatu illectus. Cuius ſancta conuerſatio ita doctrina ſpirituali floruit, vt defuncto Archimandrita Alogio, qui eum monachum fecerat, ipſe hæreditariæ ſanctitatis eius officium ſuſcepiſſet.

Oſtendit S. Germanus Mamertino à quibus fuiſſet catulis præſeruatus.

Nota quid poſsint ſancti adhuc mortales.

Serpens 7. cubitorum.

Mamertinus fit monachus.

XVII. QVODAM enim tempore, cum hyeme iter ageret, & diem totam in ieiunio ac fatigatione nimia duxiſſet, commonetur, vt, cogente veſpere, quocunq; ſuccederet. Erat eminus domicilium abſque tectis, iampridem ſine habitatoribus ſemirutum, quod etiam per incuriam vulgaris habitatoris arbuſta contexerant, vt penè eſſet melius, noctem ſub nudi aëris rigore durare, quam in illo periculo & horrore ſuccedere: præſertim cum duo ſenes, propter infeſtationem terribilem, hanc ipſam domum inhabitabilem prædixiſſent. Quod vt vir beatiſſimus comperit, horrentes ruinas quaſi amœnitates expetiit, ibique inter multiplices, quæ quondam fuerant, manſiones, inuenta vix vna eſt, quæ inſtar haberet habitaculi. Illic claues & ſarcinulæ & pauciſſimi comites collocantur, quibus breuis cœnula eſui fuit, Epiſcopo penitus abſtinente. Deinde alta iam nocte, cum vnus ex clericis legendi ſuſcepiſſet officium, ille ieiunio & fatigatione confectus, ſopore ſuperatus eſt. Tunc ſubito ante os legentis adſtitit vmbra terribilis, & paulatim ſub oculis intuentis erigitur. Parietes etiam ſaxorum imbribus colliduntur. Tunc vero perterritus lector, præſidium ſacerdotis implorauit. Qui ſtatim proſiliens, effigiem terribilis imaginis intuetur, & præmiſſa obſecratione nominis Chriſti, imperat, vt quis eſſet, quidve illic ageret, fateretur. Qui protinus terrifica vanitate depoſita, voce humili more ſupplicantis eloquitur, ſe vel comparem ſuum, authores fuiſſe multorum criminum, inſepultos iacere, & ob hoc inquietare homines, quia ipſi quieti eſſe non poſſent. Rogat, vt pro eis Dominum precaretur, quatenus recepti, requiem mererentur. Ad hæc vir ſanctus indoluit, imperatque, vt locum oſtenderet, quo iacerent. Tum vero, cereo præcedente, dux vmbra progreditur, & inter difficultates maximas ruinarum, intempeſta nocte locum, in quo proiecti fuerant, indicauit. Vt verò mundo redditus eſt dies, circumiectos incolas inuitat, hortatur ipſe operis maturator aſſiſtens. Rudera tumultuariè ſuperiecta ad tempus, raſtris auulſa purgantur. Inueniuntur corpora fuſa ſine ordine, oſſa ferreis adhuc nexibus illigata. Ad legem ſepulturæ foſſa dirigitur, membra exuta vinculis, linteis ambiuntur, Humus ſuperiecta componitur, oratio interceſſionis impenditur, obtinetur defunctis requies: ita vt poſt eandem diem, ſine vllo terroris indicio, domicilium frequentato habitatore floruerit.

S. Germanus intrepidus moratur in loco infeſto.

Spectrum terribile mox illi ſubmittitur.

Attende, quam ſit piũ mortuos ſepelire & pro iis Dominum deprecari.

xxviii NEQVE illud omittendum videtur, quod in eodem itinere poſt dies aliquot, noctis cæcitate compulſus, mediocrium perſonarum ſucceſſit hoſpitio. Nam id maxime, ambitum fugiens, requirebat. Cumq; in diuino opere ſolito pernoctaſſet officio, lux orta eſt, nullis gallorum cantibus nunciata, cum earum auium copia in iiſdem domibus non deeſſet. Cauſam nouitatis explorat: agnoſcit multum iam tempus eſſe, quo triſtis taciturnitas naturale gallicinium damnauiſſet. Ab omnibus exoratus, mercedem manſionis exoluit. Acceptum enim triticum benedictione condiuit. Quo paſtæ auiculæ, auditus habitantium vſque ad moleſtiam frequentatis fatigabant. Ita virtus diuina etiam in rebus minimis maxima præminebat.

Nota vim benedictionis

XIX. EODEM tempore ex Britanniis directa legatio, Gallicanis Epiſcopis nunciauit, Pelagianam peruerſitatẽ in locis ſuis late populos occupaſſe, & quamprimum fidei catholicæ debere ſuccurri. Ob quã cauſam Synodus numeroſa collecta eſt, omniumq; iudicio duo præclara religionis lumina vniuerſorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus, Apoſtolici ſacerdotes, terram corporibus, cælum meritis poſſidentes. Et quanto laborioſior neceſſitas apparebat, tanto eam promptius heroës deuotiſſimi ſuſceperunt, celeritatem negocii fidei ſtimulis maturantes.

S. Germanus & Lupus Epiſcopi mittuntur in Angliã ad extirpandam Pelagianã hæreſim Anno 429.

XX. QVIBVS territorium Pariſiacæ vrbis itineris continuatione permeantibus, vicus quidam, cui Metodoti vetuſtas vocabulum indidit, fatigationi eorum humanitatem hoſpitii miniſtrauit. Ciues loci, tantorum virorum agnito ſuperuentu, permixta vulgi multitudine, obuiam procedunt, benedictionem expetunt, debitam ſanctis venerationem impendunt. Cumq; beatiſſimus Germanus confluentem multitudinem ſalutaris verbi hortatione refoueret, ad medium circumſtantis populi longe porrecto intuitu, puellam quandam Genoueſam nomine, inter adſtantes eminus conſpicatur. At vates diuinus, neſcio quid in ea cæleſte & angelicum auſpicatus, è proximo hanc iubet ſuis ſiſti conſpectibus. Obſtupuêre omnes, intentiſque animis propheticam de puella ſancti viri ſententiã expectabant. Cuius caput venerabilis pontifex ſacri oris exoſculatione demulcens, inter caſtos amplexus, quibus eſſet orta parentibus, vel quo cenſeretur nomine, ab adſtantibus ſciſcitatur. Mox puellæ edicitur nomen: parentes quoque euocati, in præſentiam adducuntur Epiſcopi. Interrogati de puella, ſuam eſſe filiam profitentur. Tum Germanus, vt erat ipſius ſemper diuinitatis conſcius, prophetico intonans ſpiritu, tali electam à Deo puellam præconio extulit, in hunc modum virginis genitores affatus: Beatos, inquit, vos dies illa fecit, qua tantæ prolis

De S. Genoueſa virgine quid vir Dei teſtatus ſit.

vos contigit eſſe parentes. Cuius ortus natiuitatis, ipſis quoque Angelis lætitiam peperit ſalutarē. Erit enim precioſi apud Deum meriti, ac ſpiritualis perfectione propoſiti, ipſis etiam viris aliquatenus imitanda.

Vorum virginitatis cō ſeruandæ in primitiua Eccleſia.

PLVRIMA quoque alia, quæ prolixitas explicare non patitur, in laudem virginis proſecutus, tandem verſus ad puellam, iterata hanc benignitate complectitur, teneroſq; annos, qua tantus vir poterat, affabilitate conſolatur. Atq; inter deoſculantis lenia blandimenta, ne ſibi animi ſui ſecretum pandere erubeſcat, hortatur. Percontatur, ſi vitæ ſanctimonialis cælibatum velit ſuſcipere, ac Chriſti ſponſalitio titulari. Illa tanti ſponſi nomine delectata, titulum virginitatis amplectitur, ſeque huius profeſſionis iamdudum adſtringi deſiderio profitetur. Exorat, vt ſi id dignum ipſe duceret, ſanctitatis eius benedictione voti ſui compos redderetur. Rurſus in amplexus virginis ſacerdos incumbit, & vt conſtantis eſſet animi, exhortatur. Interea greſſum diuertit ad eccleſiam, maximo populorum agmine proſequente. Ibique inter diutiſſimos pſalmorum concentus, ac prolixam orationis continuationem, beatus Germanus dexteram ſuper caput virginis indefeſſe tenuit. Expleta ſolenniter oratione, cibum vna cum gratiarum actione ſumpſerunt. Tum commendas eam parentibus, in craſtinum redire præcepit. Subeunte diluculo, maturè adeſt Genoueſa. At beatus Germanus, vtrum pridianæ profeſſionis eſſet adhuc memor, virginem percontatur. Illa ſpiritu animata diuino, conſtanter ſe ſuæ ſponſionis reminiſci fatetur, atque in eius obſeruantia perpetuo ſe manere decernere. Vt autem id fieri poſſet, ſuperno auxilio quam maxime & beati patris interceſſionibus indigere. Atq; vt ipſam diuinitatem cerneres amborum votis euidentiſſime fauere, Germanus vultum in terram defixit. Moxque æreum nummum diuina, vt credo, allatum ſententia, impreſſione Crucis exſculptum inſpexit, inſpectumq; protinus à terra collegit. Quem loco muneris Genoueſæ tradidit, atq; ſemper collo ſuſpenſum ob ſui memoriam ferre præcepit. Hoc, inquit, me recedente, pignus mei amoris præ oculis iugiter geſtare memento. Cæterum vniuerſa alia mundialis pulchritudinis ornamenta, auri gemmarumve compacta fulgoribus, nunquam tuis vel collo vel digitis inſeri patiaris. Habeant hæc, quæ ſæculo militant: tu, quæ ſponſa Chriſto adſcripta es, ornamenta ſpiritualia concupiſce. Ita fatus, virgini valefecit, atq; vt ſui ſemper eſſet memor, admonuit. Commendanſq; eam iterum parentibus, iter quod ceperant, perrexerunt. XXI.

Interdicit S. Genoueſæ, Deo ſe virginē dedicanti, omnia mūdi ornamēta.

XXII. HI itaque Oceanum mare, Chriſto duce & authore, conſcendunt, qui famulos ſuos inter diſcrimina & tutos reddidit, & probatos. Ac primum de ſinu Gallico flabris leuibus nauis in altum prouecta deducitur, donec ad æquor medium perueniret: vbi porrectis in longum viſibus, nihil aliud videretur, quam cælum, & maria. Nec multo poſt occurrit in pelago legionis inimica vis dæmonum, qui tantos ac tales viros pertendere ad recipiendam populorum ſalutem, liuidis iniquitatibus inuiderent. Opponunt pericula, procellas concitant, cælum diemq; nubium nocte ſubducunt, & tenebrarum caliginem maris atq; aëris horrore congeminant. Ventorum furorem vela non ſuſtinent, & Oceani moles fragilis cymba vix tolerat. Cedebant miniſteria victa nautarum, ferebatur nauigium oratione, non viribus. Et caſu dux ipſe vel pontifex fractus corporis laſſitudine, ſopore reſolutus eſt. Tum vero quaſi repugnatore ceſſante, tempeſtas excitata conualuit, & iam nauigium ſuperfuſis fluctibus mergebatur. Tunc beatus Lupus omneſq; turbati, excitant ſeniorem, elementis furentibus opponendum. Qui periculi immanitate conſtantior, Chriſtum inuocat, Oceanum increpat, & procellis ſæuientibus cauſam religionis opponit. Statimq; aſſumpto oleo, in nomine Trinitatis leui aſpergine fluctus ſæuientes oppreſſit. Collegam commonet, hortatur vniuerſos, oratio vno ore & clamore profunditur. Adeſt diuinitas, fugantur inimici, tranquillitas ſerena ſubſequitur. Venti contrarii ad itineris miniſteria vertuntur, nauigium famulatrix vnda proſequitur. Decurſiſq; immenſis ſpatiis, breui optatu litoris quiete potiuntur. Ibiq; conueniens ex diuerſis partibus multitudo, excepit ſacerdotes, quos venturos etiam vaticinatio aduerſa prædixerat. Nunciabant enim ſiniſtri ſpiritus, quod timebant. Qui imperio ſacerdotum dum ab obſeſſis corporibus detruduntur, & tēpeſtatis ordinem, & pericula, quæ intulerant, fatebantur, victoſq; ſe eorum meritis & imperio non negabant.

Horrida maris tempeſtas.

Dormit S. Germanus, in naui.

Vide mirā ſancti viri virtutem.

Pelluntur dæmones ab obſeſſis.

INTEREA Britannorum inſulam, quæ inter omnes eſt vel prima, vel maxima, ſacerdotes Apoſtolici raptim opinione, prædicatione, virtutibus impleuerunt. Et cum quotidie irruente frequentia ſtiparentur, diuinus ſermo non ſolum in eccleſiis, verumetiam per triuia, per rura, per deuia diffundebatur: vt paſſim & fide catholici firmarentur, & deprauati viam correctionis agnoſcerent. Erat in illis Apoſtolorum inſtar gloria & authoritas per conſcientiam, doctrina per literas, virtutes ex meritis. Accedebat præterea tantis authoribus aſſertio veritatis. Itaque regionis vniuerſitas in eorum ſententiam prompta tranſierat. Latebant abditi ſiniſtræ perſuaſionis authores, & more maligni ſpiritus, gemebant perire ſibi populos euadentes. Ad extremum, diuturna meditatione concepta, præſumunt inire conflictum. Procedunt conſpicui diuitiis, veſte fulgentes, circumdati aſſentatione multorum: contentioniſq; ſubire aleam maluerunt, quam in populo, quem ſubuerterant, pudorem taciturnitatis incurrere, ne viderentur ſeipſi ſilentio damnauiſſe. Illic planè immenſæ multitudinis numeroſitas, etiam cum coniugibus ac liberis excita conuenerat. Aderat populus ſpectator futurus & iudex: adſtabant partes, diſpari conditione diſſimiles. Hinc diuina authoritas, inde humana præſumptio: hinc fides, inde perfidia: hinc Chriſtus, inde Pelagius author. Primo in loco beatiſſimi ſacerdotes præbuerunt aduerſariis copiam diſputandi, quæ ſola verborum nuditate, diu inaniter & aures occupauit, & tempora. Deinde antiſtites venerandi torrentes eloquii ſui cum Apoſtolicis & Euangelicis tonitruis profuderunt. Miſcebatur ſermo proprius cum diuino, & aſſertiones violentiſſimas lectionum teſtimonia ſequebantur. Conuincitur vanitas, perfidia confutatur: ita vt ad ſingulas verborum obiectiones reos ſe, dum reſpondere nequeunt, faterentur. Populus arbiter vix manus continet: iudicium cum clamore teſtatur. XXIII.

Magnos faciūt fructus in Anglia

Suſcipitur diſputatio cum Pelagianis.

Hæretici confutātur.

CVM ſubito vir tribunitiæ poteſtatis cum coniuge procedit in medium, decem annorum filiam cæcam ſinibus ingerens ſacerdorum: quam illi offerri aduerſariis præceperunt. Sed illi conſcientia puniente deterriti, iungunt cum parentibus preces, & curationem paruulæ à ſacerdoribus precantur. Qui expectationem populi & inclinatos aduerſarios intuentes, orationem breuiter fundunt. Ac deinde Germanus plenus ſpiritus ſancto, ſanctam inuocat Trinitatem, & protinus adhærentem lateri ſuo capſulam, cum ſanctorum reliquiis collo auulſam, manibus comprehendit, eamq; in conſpectu omnium puellæ oculis applicauit. Quos ſtatim euacuatis tenebris, lumine veritatis impleuit. Exultant parentes, miraculo populus contremiſcit. Poſtquam diem ita ex animis hominum perſuaſio iniqua deleta eſt, vt ſacerdotum doctrinam ſilentibus deſideriis ſectarentur. XXIV

Nota hæc de reliquiis ſanctorum.

COMPRESSA itaque peruerſitate damnabili, eiuſq; authoribus confutatis, animiſq; omnium fidei puritate cōpoſitis, ſacerdotes ad beatum Albanum martyrem, authori Deo per ipſum gratias acturi, properabant. Vbi Germanus, omnium Apoſtolorum diuerſorumq; martyrum reliquias ſecum habens, facta oratione iuſſit reuelli ſepulcrum precioſa ibidem munera conditurus: arbitrans opportunum, vt membra ſanctorum, ex diuerſis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cælum, ſepulcri quoq; vnius teneret hoſpitium. Quibus depoſitis honorifice atq; ſociatis, de loco ipſo, vbi beati martyris effuſus fuerat ſanguis, maſſam pulueris ſecum portaturus abſtulit. In qua apparebat, cruore ſeruato, rubere martyrum cædem, perſecutore pallente. Quibus ita geſtis, innumera hominum eodem die ad Dominum conuerſa eſt turba. XXV.

Hæreſis ex Anglia profligatur.

En quanti facit vir tātus etiā puluerem martyris.

INTE-

XXVI. INDE dum redeunt, inſidiator inimicus caſualibus laqueis præparatis, Germani pedem lapſus occaſione contriuit, ignorans illius merita, ſicut Iob beatiſſimi, afflictione corporis propaganda. Et dum aliquandiu vno in loco infirmitatis neceſſitate conſtringitur, in vicinia, qua manebat, caſuale exarſit incendium. Quod conſumptis domibus, quæ illic paluſtri arundine tegebantur, ad habitaculum, in quo idem iacebat, flabris ſtimulantibus ferebatur. Concurſus omnium ad antiſtitem conuolauit, vt eleuatis manibus periculum, quod imminebat, euaderet. Qui omnibus increpatis, moueri ſe fidei præſumptione non paſſus eſt. Multitudo omnis deſperatione perterrita, obuiam occurrit incendio. Sed vt potentia Dei manifeſtior appareret, quicquid cuſtodire tentauerat turba, conſumitur: quod verò iacens & infirmus defenderat, reſeruatur. Hoſpitium ſancti viri expaueſcens flamma tranſiliuit, vltra citraq; deſæuiens, & inter globos flammantis incendii, incolume tabernaculum, quod habitator incluſus ſeruabat, emicuit. Exulta turba miraculo, & victam ſe diuinis virtutibus gratulatur. Excubabat diebus ac noctibus ante tugurium pauperis turba ſine numero, hi animas curari cupientes, hi corpora.

Iob 2.

Flamma nõ audet attingere ſancti viri hoſpitium.

XXVII. REFERRI nequeunt, quæ Chriſtus operabatur in famulo, qui virtutes faciebat infirmus. Et cum debilitati ſuæ remedii nihil adhiberi pateretur, quadam nocte candentem niueis veſtibus vidit ſibi adeſſe perſonam, quæ manu extenſa iacentem videretur attollere, eumq; conſiſtere firmis veſtigiis imperabat. Poſt quam horam ita fugatis doloribus recepit priſtinam ſanitatem, vt die reddito, itineris laborem ſubiret intrepidus.

Diuinitus curatur eius pes læſus.

XXVIII. INTEREA Saxones Pictiq; bellum aduerſus Britones iunctis viribus ſuſceperunt, quos eadem neceſſitas in caſtra contraxerat. Et cum trepidi partes ſuas penè impares iudicarent, ſanctorum antiſtitum auxilium petiêrunt. Qui promiſſum maturantes aduentum, tantum ſecuritatis ac fiduciæ contulerunt, vt acceſſiſſe maximus crederetur exercitus. Itaque Apoſtolicis ducibus Chriſtus militabat in caſtris. Aderant etiam Quadrageſimæ venerabiles dies, quos religioſiores reddebat præſentia ſacerdotum, intantum, vt quotidianis prædicationibus inſtituti, certatim ad gratiam baptiſmatis conuolarent. Nam maxima exercitus multitudo vndam lauacri ſalutaris expetiit. Eccleſia ad diem reſurrectionis Dominicæ frondibus contexta componitur, & in expeditione campeſtri inſtar ciuitatis aptatur. Madidus baptiſmate procedit exercitus, fides feruet in populo, & contempto armorum præſidio, diuinitatis expectatur auxilium. Interea hæc inſtitutio vel forma caſtrorum hoſtibus nunciatur. Qui victoriam quaſi inermi exercitu præſumentes, aſſumpta alacritate feſtinant. Quorum tamen aduentus exploratione cognoſcitur. Cumq; emenſa ſolennitate Paſchali, recens de lauacro maior pars exercitus arma capere & bellum parare tentaret, Germanus ducem ſe prælii profitetur. Elegit expeditos, circumiecta percurrit, & è regione, qua hoſtium ſperabatur aduentus, vallem circumdatam editis montibus intuetur. Quo in loco nouum componit exercitum, ipſe dux agminis. Et iam aderat ferox hoſtium multitudo, quam appropinquare intuebantur in inſidiis conſtituti. Cum ſubito Germanus ſignifer vniuerſos admonet, & prædicit, vt voci ſuæ vno clamore reſpondeant: ſecuriſq; hoſtibus, qui ſe inſperatos adeſſe confiderẽt, Alleluia, tertio repetitum, ſacerdotes exclamant. Sequitur vna vox omnium, & eleuatum clamorem repercuſſo aëre montium incluſa multiplicant. Hoſtile agmen terrore proſternitur, & ruiſſe ſuper ſe non ſolum rupes circundatas, verumetiam ipſam cæli machinam contremiſcunt. Trepidationiq; iniectæ vix ſufficere pedum pernicitas credebatur. Paſſim fugiunt, arma proiiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuiſſe diſcrimini. Plures etiam timore præcipites, flumen quod ſenſim venientes tranſierant, deuorauit. Vltionem ſuam innocens intuetur exercitus, & victoriæ præſtitæ ocioſus ſpectator efficitur. Spolia colliguntur expoſita, & prædam cæleſtis victoriæ miles religioſus adipiſcitur. Triumphant pontifices, hoſtibus fuſis ſine ſanguine, triumphant victoria fide obtenta, non viribus. Compoſita itaq; opulentiſſima inſula ſecuritate multiplici, ſuperatiſq; hoſtibus, vel ſpiritualibus, vel carne conſpicuis: quippe qui viciſſent Pelagianiſtas & Saxones, cum totius numero regionis reditum moliuntur. Tranquillam nauigationem merita propria & interceſſio Albani martyris parauerunt: quietoſq; antiſtites ſuorum deſideriis felix carina reſtituit.

Quadrageſimæ venerabiles dies.

In fugã cõpelli hoſtes, dũ Alleluia clamat cum ſuis.

ſor mãrtyr.

XXIX. ITAQVE reditu venerabilium ſacerdotum exultant Galliæ, gaudent eccleſiæ, dæmones contremiſcunt. Certè expectatio propriæ ciuitatis beatum Germanum votis duplicibus ambiebat, quam & apud maieſtatem diuinam, & inter mundi procellas ſeruare conſueuerat. Tributaria enim functio præter ſolitum, & neceſſitates innumeræ, ciues ſuos quaſi pupillos orbatos parente, depreſſerant. Recipiunt præſidium deſtituti, cauſas agnoſcit, mœroribus congemiſcit. Et pro quiete vel requie quæſiturus remedia ciuitati, poſt marina diſcrimina labores terrenæ expeditionis ingreditur. Itaq; Gallias illuſtraturus, paruiſſimo comitatu & exigua euectione progreditur, qui pro largiſſimis theſauris Chriſtum ferebat in pectore.

Reuertũtur Epiſcopi in Gallias.

S. Germanus mœroribus ciuiũ ſuorũ cõgemiſcit.

XXX. Operæpretium puto mandare memoriæ, etiam eius iter clarum fuiſſe virtutibus. Nec dum territorium ſuæ ciuitatis exceſſerat, viam leniter carpens, eratq; imminente iam veſpera dies pluuius, cum ſubito comitatui ſuo nudus pede, cucullo vacuus, minus expeditus, viator acceſſit, cuius etiam nuditati condoluit. Qui doloſe inhærens contubernio, iungitur manſioni, & inter innocentes occupatoſq; cuſtodes, qui Deo, non animalibus, vigilabant, iumentum, quo ſenior vehebatur, prædo nocturnus arripuit. Die reddito, amiſſio euectionis agnoſcitur. Et vt ſacerdoti animal non deeſſet, vnus ex clericis in peditem mutatur ex equite. Dum itaque agitur iter circumiecti comites intuentur beatum virum extra morem, conceptam lætitiam vultus obumbratione velantem. Quod cum ab omnibus videretur, vnus ex reliquis authoritate concepta, cauſam lætitiæ percontatur. At ille inquit: Paululùm remoremur: quia infelicis illius labor & irridendus eſt. & dolendus, quem mox videbitis æſtuantem. Cumq; delapſi animalibus ſubſtitiſſent, paulo poſt eminus intuentur peditem poſt ſe manu captum animal deducentem. Qui breui adiungitur: dum accelerat, immoratur. Statimq; veſtigiis prouolutus, crimen quod commiſerat, confitetur, & ita totius noctis ſpatio irretitum eſſe ſe retulit, vt longius prodire non poſſet, nec euadendi viam aliam reperiſſet, niſi vt abductum animal reformaret. Ad hæc vir beatus: Si heſterna, inquit, die nudo tibi tegimen dediſſem, furandi neceſſitas non fuiſſet. Quod deeſt, accipe: reforma, quod noſtrum eſt. Itaq; confeſſor criminis pro pœna commiſſi non ſolum veniam, verumetiam præmium cum benedictione ſuſcepit.

Pœna hominis nequã, qui furto abſtulerat iumentum viri Dei.

XXXI. QVÆREBAT vir Deo plenus ſecretum & abiectionem oculi, cum virtutibus proderetur, in quo vere Euangelica ſententia probatur, ciuitatem ſupra montem poſitam latere non poſſe. Vitabat ſuorum ſolatia, extraneorum declinabat occurſus: ſed obſcurari non poterat maieſtatis luce circumdatus. Nam vici omnes, municipia, ciuitates, quotquot ſeſe per itineris eius tramitem porrigebant, in occurſum cum coniugibus ac liberis conuolabant. Et cõtinuatum plerunq; agmen, dum occurrentes iungebant, proſequentibus cohærebant.

Matth. 5.

Vult laterẽ ſed nõ valet.

XXXII. Prætereiri ſilentio impium puto, in Alsienſi loco quantum virtutis abſens operatus eſt. Erat illic presbyter, Senator nomine, natalibus nobilis, religione nobilior. Coniunx illi Nectariola nomine, ſimilis ſanctitate: quos prætereiens, pro ſtudio antiquæ charitatis expetiit. Aduenienti præparant manſionem, & quantò maior perſona aderat, tanto minor impenditur apparatus. Matrona furtim ſtramen in lectulo ſubdidit ſacerdotis, quo ille inſcius cubitauit. Deductaq; nocte oratione vel pſalmis, die reddito, iter, quod agebatur, ingreditur. Illuſtrato hoſpitio, familia tota gaudebat. Strati reliquias fidelis matrona recollegit & condidit. Accidit poſt dies aliquot, vt Agreſtius quidam bene ingenuus, habens vxorem, filios & parentes, poſſeſſio fieret inuadentis inimici, ſuorumq; omnium fletibus, non minus Germani abſentia, quam infelicis captiuitas lugebatur. Et cum nihil remedii poſſet adhiberi, præſumpſit

Vxor ãnie ſacerdotiſ, poſtea ſoror.

virtutẽ

Nota virtutem ſtraminis, in quo vir ſanctus cubauerat.

virtutem fidei matrona venerabilis. Stramen conditum profert, quo furioſus circumdatus colligatur. Qui per ſpatium noctis vnius, quaſi appoſito vallatus incendio, inclamato ſemper nomine ſacerdotis: qui cum abeſſet præſentia, virtute nō deerat: diuino purgatur auxilio, neq; vnquam poſtea in omni vitæ ſuæ ſpatio periculum tentationis incurrit.

Hilarius Epiſcopus Arelatenſis reuerenter excipit eū.

ITAQVE ſanctus Germanus Arelatum petens, ad Lugdunenſium vrbem, Arari famulante deuectus eſt. Vbi certantibus populi ſtudiis, indiſcreta ætas & ſexus vno occurrit officio. Omnes benedictionem flagitant, tactum requirunt, & quod ſupereſt multitudini, releuat vel vidiſſe. Diuiſæ infirmitates paſſim benedictione ſanantur, prædicationibus ciuitas recreatur. Et licet feſtinus abſceſſerit, ſitientem populum tamen doctrinæ fontibus irrigauit. Si itinera eius cuncta percurram, ſi vniuerſa commemorem, parabit prolixitas congeſta faſtidiū. Sed dabit Dominus veniam, quod ſciens plura prætereo. Itaq; aduenientem beatiſſimum virum vrbis Arelatenſis religioſa gratulatione ſuſcepit, Apoſtolicum inſtar ſui temporis ſacerdotem ſuſcipiens. Illuſtrabatur eo tempore ciuitas Hilario ſacerdote, multimoda virtute precioſo. Erat enim fidei igneus torrens, cæleſtis eloquii & præceptionis diuinæ operarius indefeſſus. Qui venerabilem ſanctum Pontificem affatu, vt patrem reuerentia vt Apoſtolum ſublimabat. XXXIII

Febris quartana profligatur.

AVXILIARIS etiam tum regebat per Gallias apicem præfecturæ: qui præſentiam ſacerdotis duplicata gratulatione ſuſcepit, quod & inſignem virtutibus virum deſiderabat agnoſcere, & quod vxor eiuſdem longo iam tempore quartano tabeſcebat incommodo. Ingredienti longiſſimo præter conſuetudinem famulatur occurſu, ſimulque admiratione defigitur. Ita enim dignitas vultus, ſermonis eruditio, prædicationis authoritas ſtupentis animum compleuerunt, vt merito famaeum minorem fuiſſe cognoſceret. Inuentus enim rebus maior eſſe, quam nunciis. Offert munera, ingerit beneficia, ambiturq; à beatiſſimo viro, vt dignaretur accipere, quod tradebat. Incommodum confitetur vxoris: qua viſitata, ita vis paſſionis extincta eſt, vt tremor præcedens & febris ſubſequens deleretur. Redditaq; priſtinæ ſanitati fidelis matrona, remedium cæleſte ſuſcepit, quo & corpus ſalubritate, & anima conualuit credulitate. Acceptis itaq; ex voluntate beneficiis, optatum leuamen propriæ detulit ciuitati, licet in ſe maximum ciuibus & remedium referret & gaudium. XXXIV.

Nota antiquā deuotionē erga ſanctos.

Cælitus ei reuelatur dies natalitius S. Iuliani.

DENIQVE dum multa peragraret, & ſalutaris doctrinæ pabulo audientium corda menteſq; reficeret, peruenit quodam tempore ad Briuatenſem vicum, vbi ſanctiſſimi Iuliani martyris corpus honorabiliter habebatur humatū. Ibi namque plebs vicina mœſta pendebat, eo quod ignoraret diem in qua beatiſſimus martyr deberet pro virtutis ac paſſionis gloria honorari. Factum eſt autem, dum ibidem aduentaret, vt ſciſcitaretur ab incolis, quo tempore huius ſacra ſolennia celebrarentur. At illi ſe neſcire fatentur. Tunc ille: Oremus, inquit, & fortaſſe nobis hæc Domini potentia reuelare dignabitur. Adueniente autem noctis tempore redierunt quique ad ſua. Tunc idem ſanctiſſimus pontifex more ſolito in oratione pernoctauit. Redeunte verò matutino tempore ac ſole orto, conuocatis ſenioribus loci, ſi cui fortè Dominus aliquid depalauerit, inquit. At illi: Minime, inquiunt, Domine. Et ille: Quinto Calendarum menſis ſeptimi celebrandam eſſe ſciote ſolennitatem. Nam vt mihi diuinitus eſt oſtenſum, hac die hic ab infidelibus extinctus, ſanctorum martyrum eſt ſocietati coniunctus. Tunc deuotus qui aderat populus, vota præſuli reddens, optatam refert corporis & animæ medicinam. XXXV.

Noui Pelagianiſtæ ruſus exurgiit in Anglia, quo rurſum proficiſcitur S. Germanus

INterea ex Britanniis nunciatur, Pelagianam peruerſitatem iterato paucis authoribus dilatari. Ruſumq; ad beatiſſimum Germanum preces omnium deferuntur, vt cauſam Dei, quam prius obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni feſtinus occurrit, dum & laboribus delectatur, & Chriſto ſe gratanter impendit. Ceſſit tandem inimici inuidia, victa virtutibus, nec tentare auſus eſt, quem Dei amicum iam ſciebat. LIB.II I.

Seuerus Treuirorū Epiſcopus itineris comes

Inuidiæ interrogatæ S. Genouefæ.

ADIVNCTO itaq; Seuero Epiſcopo, totius ſanctitatis viro, qui tūc Treuiris ordinatus Epiſcopus, gentib. primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat, Pariſios iterato dum expetit, totius plebis plauſu, vt tantum virum decebat, excipitur. Benedictionem poſtulatus, vbertim omnibus impetitur. Interea pignoris ibidem dudum à ſe ſpecialius commendati non immemor, de puella Genoueſa, qualiter ſe habeat, attentius ſciſcitatur. Credo ſanctum virum minime latuiſſe, quæ & qualia poſt eius diſceſſum ab obloquentibus virgo beata pertulerat, infamias, probra, criminationes cunctas poſtremo, quæ à liuidis manare aſſolent, ſimultates. Atque vt eorum irreuocabilem in malo pertinaciam par eſſet agnoſcere, iniquæ mentis virus, & iam dudum concepta molimina nec in ipſa ſancti viri præſentia aliquatenus potuere ſupprimere. Verum ille, cui melius, quam ipſis ſuis etiā eſſet parentibus nota, obtrectantiū garrulitate poſthabita, ad virginis ſe diuerſorium contulit, atq; hanc non ſine ingenti ſtupore intuentium, adeo humiliter ſalutauit, vt aduerteres eum in illa ipſius diuinitatis, cuius erat templum, præſentiam fuiſſe veneratum. Et ne aduentus Pontificis beati ſacræ virgini nil contuliſſe videretur, néve eius inter improbos perſona inexpurgata remaneret, habito ſermone ad populum, prima conuerſationis eius auſpicia declarans, cuius & quanti meriti eſſet apud Deū, cunctis euidenter expoſuit. In argumentum tantæ rei atentem terram: cui orans ſuperiacere conſueuerat, frequēti lachrymarum imbre madentem oſtentans. Itaq; vniuerſorum animis erga innocentem paſtorali aſſertione compoſitis, iter præmaturans inceptum, mare Chriſto authore conſcendit. Ad itineris tranquillitatem elementa conſentiunt, nauigium venti, fluctus aëra proſequuntur. II.

Eius ſanctitatem prædicat S. Germanus

Rurſu mare Anglicanū conſcendit.

Elaphius vadit ei obuiam.

INTEREA ſiniſtri ſpiritus peruolantes per totam inſulam, Germanum venire inuitis vaticinationibus nunciabant, in tantum vt Elaphius quidam, regionis illius primus, in occurſum ſanctorum ſine vlla manifeſti nuncii relatione properauerit, exhibens ſecum filium, quem in ipſo flore adoleſcentiæ debilitas dolenda damnauerat. Erat enim areſcentibus neruis contracto poplite, cui per ſiccitatem cruris vſus negabant veſtigii. Hunc Elaphium prouincia tota ſubſequitur. Veniunt ſacerdotes, occurrit inſcia multitudo: confeſtim benedictio & ſermonis diuini doctrina profunditur. Recognoſcit populum in ea, quam reliquerat, credulitate durantem. Intelligunt culpam eſſe paucorum: inquirunt authores, inuentoſq; condemnant. III.

Contractū ſanat.

† *Attrectat.*

CVM ſubito Elaphius manibus aduoluitur ſacerdotum, offerens filium, cuius neceſſitatem ætas & debilitas, etiam ſine precibus, allegabant. Fit communis omnium dolor, præcipue ſacerdotum, qui conceptam miſericordiam ad diuinam clementiam contulerunt. Statimq; adoleſcentem beatus Germanus ſedere compulit, † attractat poplitem debilitate curuatum, & per tota infirmitatis ſpatia medicabilis dextra percurrit. Salubrem tactum ſanitas feſtina ſubſequitur: ariditas ſuccum, nerui officia receperunt, & in conſpectu omnium filio incolumitas, patri filius reformatur. Implentur populi ſtupore miraculi, & in pectoribus omnium fides Catholica firmabatur. Prædicatio deinde ad plebem de præuaricationis emendatione conuertitur, omniumq; ſententia prauitatis authores expulſi ab inſula, ſacerdotibus adducuntur, ad mediterranea deferendi: vt & regio abſolutione, & illi emendatione fruerentur. Quod in tantum ſalubriter factum eſt, vt in illis locis etiam nunc fides intemerata perduret. Itaq; compoſitis omnibus, beatiſſimi ſacerdotes ea, qua venerant, proſperitate reuerſi ſunt. IV.

Hæreſis recrudeſcens in Anglia extirpatur.

† Alanorū legendū vt notat Sirmundus in notis ad Sidonium.

VIX domum de tranſmarina expeditione remeauerat, & iam legatio Armoricani tractus, fatigationem beati antiſtitis ambiebat. Offenſus enim ſuperbæ inſolentia regionis vir magnificus Aëtius, qui tum rempublicam gubernabat, Eocharich ferociſſimo † Alemannorum Regi, loca illa inclinanda pro rebellionis præſumptione permiſerat, quæ ille auiditate barbaricæ cupiditatis inhiauerat. Itaque genti bellicoſiſſimæ, Regiq; idolorum miniſtro, obiicitur V.

ſcitur ſenex vnus,ſed tamen omnibus,Chriſti præſidio,maior & fortior.Nec mora, feſtinus egreditur, quia imminebat bellicus apparatus.Iam progreſſa gens fuerat,totumq; iter eques ferratus impleuerat, & ſacerdos noſter obuius ferebatur,donec ad ipſum Regem,qui ſubſequebatur accederet.Occurrit in itinere iam progreſſo,& armato duci inter ſuorum cateruas opponitur:medioq; interprete,primum precem ſupplicem fundit,deinde increpat differentem: ad extremum manu iniecta,freni habenas inuadit,atq; in eo loco vniuerſum ſiſtit exercitum. Ad hæc Rex ferociſſimus admirationem pro iracundia,Deo imperante,concepit.Stupet conſtantiam,veneratur reuerentiam, authoritatis pertinacia permouetur.Apparatus bellicus armorumq; commotio,ad conſilii ciuilitatem, depoſito tumore, deſcendit:tractaturq;,qualiter,non quod Rex voluerat,ſed quod ſacerdos petierat,compleretur. Ad ſtationem quietā Rex exercituſq; ſe recipit:pacis ſecuritatem fideliſſimam pollicetur ea conditione,vt venia,quam ipſe præſtiterat, ab Imperatore vel ab Aëtio peteretur.Interea per interceſſionem & meritum ſacerdotis Rex compreſſus eſt, exercitus reuocatus,prouinciæ à vaſtationibus abſolutæ.

Totū Germanorum exercitum ſiſtit vir Dei

V. EXINDE Italiam petiturus egreditur,cui id ſolum ſuffecerat,ne vnquam labore vacuus,quiete frueretur: ſed, vt Propheta ait,ambulabat de virtute in virtutem.Nam dum præterit, ex conſuetudine pietatis,familiarem ſuum Senatorem presbyterum iterum viſitauit,à quo illi annorum viginti circiter muta offertur puella. Cuius os,frontem, vultumque rorum cum olei attrectatione benedixit. Deinde poculum conditum præcepit offerri,in quo tres particulas panis propriis manibus comminutas infudit. Vnamq; in os puellæ ipſe inſeruit, imperans,vt priuſquam acciperet,benedictionis petitionem ediceret.Quam ſtatim clara voce,antequam panem ſumeret,poſtulauit, ac deinceps vſus loquendi,natus ex mirabilibus,in reliqua eius ætate permanſit.Deinde profecturus,ſolito affectuoſius in amicum irruit:os frontem oſculatur.Inhæret amplexibus,& huiuſmodi verbis ſalutatum reliquit: Vale in æternum, frater chariſſime:vale animæ meæ portio.Tribuat Deus,vt nos in die iudicii ſine confuſione videamus. Cæterum in hac luce mutuo nunquam fruemur adſpectu.

Pſalm. 83.
Viſitat dilectum ſuum Senatorem presbyterū: Muta puella loquitur.

VI. ERAT iter illius comitatu proprio ſolitarium,ſed occurrentibus ab hominibus conſtipatum, intantum,vt per omnes aggeres quos in itinere ſuo illuſtratos reliquit,vſque in hodiernum diem vbicunque aut orauit,aut docuit,oratoria,cellulæ & ſigna Crucis clara præfulgeant. Territorium ſane Auguſtodunenſe dum præterit, aduenienti multitudo indiſcretæ ætatis & ſexus occurrit. Qui dum loca ſanctorum ex more circumiret,tandem peruenit ad tumulum ſancti Caſſiani pontificis.In quo ita diuina virtus apparuit, vt in Pario lapide contrarius color Crucem exprimeret,& ſalutare ſignum varietas diſtincta monſtraret.Quod dum Germanus ſanctiſſimus fuiſſet intuitus, fuſis ex more Chriſto precibus,ait:Quid hic agis frater glorioſe? At ille ſtatim è tumulo,cunctis, qui aderant, audientibus:Dulci,inquit,in pace quiete potior,& aduentum redemptoris expecto. Cui Germanus mutua ſermonis voce dixit:Quieſce per longum in Chriſto frater tempus.Vt autem diuinæ tubæ cantum, & exoptati clangoris ſonum ac ſacræ reſurrectionis gaudia obtinere mereamur, & pro nobis & pro hac plebe attentius intercede ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Crucis ſignum apparet in lapide.
Sancti pro nobis orāt.

VII. MIRANDA eſt in ſancto viro principalis miraculorum eminentia,cui cuncta imis etiam ſepulcris abdita famulabantur ad votum. Et ſingula quidem,quæ ab eo mirabiliter ſunt geſta, præcipua ſunt admiratione ſuſcipienda: Hoc vero eo mirabile,quo infrequens eſt.Cuius enim animū admiratio nō percellat,duos nō incelebres viros,quos nulla vnquam mutui conſpectus alternitas præſentauerat,alterum à viuentibus,à ſepultis alterum ſeruiſſe colloquia? Vterque nimirum beatæ illius & ſupernæ Hieruſalem ciuis erat,cuius pars iam cælo fruitur,pars adhuc in terris peregrinatur. Quod factum eſt,vt is,qui iam patriam obtinebat, exulantem licet adhuc commilitonem agnoſceret, agnitique votis atque colloquio reſponderet. Illic in conuentu omnium proſtrati parentes in terram, filiam in annis nubilibus obtulerunt,cui debilitas pœnam ſæuiſſimam temporis acceſſione generauerat. Ab ortu enim natiuitatis ſuæ ita contractis neruis in palmam digiti curuabantur,vt creſcentibus introrſum nimiè vnguibus, cedente carnis teneritudine,totidem inciperent eſſe vulnera,quot digiti. Et niſi inſiſtenti acumini oſſa obiecta aliquatenus reſtitiſſent,palmam totam vlcera interius immerſa transfoderent. Huius dexteram comprehenſam dum attrectat ſacerdos,tractus ſalubriter benedixit: apprehenſoſq; ſingulariter digitos,cedentibus neruis,in vſum flexibilem reuocauit. Redditurq; miniſterio manus,quæ inferebat ſibi ipſa perniciem:inſuper id pietatis adiungit,vt ſanctis manibus, directis iam digitis,exceſſum vnguium ad formam communis conſuetudinis reſecaret.

Sanatur puella contracta.

VIII. DECVRSIS itaque ciuitatibus Gallicanis,dum Alpes,Italiam ingreſſurus,exuperat,caſu artificibus, ex opere mercenario domum redeuntibus,itineris collatione ſociatur. Qui dum grauati inſuſtis faſcibus, iuga nubibus inſerta conſcendunt,torrente obuio tenebantur:qui in illis præruptis præcipitiis neque animalium, neque hominum veſtigia fideliter hærere patiuntur. Erat ex illis viator vnus, & claudus, & ſenior. Huius faſcem vir beatiſſimus humeris ſuis inter vaſtos gurgites deportauit,eumque exoneratum,iterato tranſitu,ſubiecta ceruice tranſpoſuit. Liber hic paruper ſubſiſtere,& admiratione tanti viri aliquādiu ſpatiari. Vere Dominus in ſanctis ſuis potens,vere omnipotens,vere fons benignitatis eius nullis verborum ſuffragiis explicandus. Cerneres,ſi adeſſes,in ſancto viro ingenuam quandam ſpiritus carniſq; palæſtram,inuictam dico animi fortitudinem, imbecillitati corporeæ concertantem. Is certe, cuius facies ſqualida, cuius inediam ſeptimus plerunque dies pane tantum hordeaceo recreabat, cuius ſomnum ſtratus mollior nunquam exceperat,quem continui itineris quotidiana fatigatio diſtrahebat, qui denique ſemetipſum ferre vix poterat,tantam ſubito charitatis concepit animo corporeque virtutem, vt nec ponderis quantitate addictus,nec torrentis obuii impetu territus,ſenem ætate pariter & debilitate grauiſſimum, faſce prius tranſpoſito,ſanctis in humeris vectitaret. Et vt plus mireris negocium, animaduerte hoc à nobili & clariſſima perſona patratum,quod nec infimus quiſque noſtri temporis facere dignaretur. Re enim vera ab operibus miſericordiæ alienum ſe reddere non poterat,in cuius ſacro pectore humilitas virtutum mater,charitas quoq; ac miſericordia gratiſſimum cubile collocauerat.Et cum ſtudioſiſſime ſui agnitionem abiectione velaret,Mediolani, quis aut quantus eſſet,celare non potuit.

Nota etiā humilitaté tanti Pontificis.
Nota admirabilem cibi abſtinentiam.
Venit Mediolanū S. Germanus.

ERAT enim dies ſanctorum ſolennitate venerabilis, qui in vnum plurimos collegerat ſacerdotes. Et dum Miſſa ſacris myſteriis celebratur altari,incognitus & improuiſus ingreditur. Statimque vnus è populo captiuus inimici,cum ingenti vociferatione proclamat: Cur nos in Italia Germane perſequeris? Sufficiat tibi, quod nos de Galliis excluſiſti: ſufficiat,quod nos & Oceanum mare oratione ſuperaſti. Quid vniuerſa perluſtras? Quieſce, vt nos quieti eſſe poſſimus. Fit admiratio & terror in populo. Quis eſſet Germanus, dum alter alterum intuetur, inquiritur.Et licet habitu deſpicabilis videretur, vultus tamen dignitate cognoſcitur. Conſultus gradum aut ordinem,non negauit. Epiſcopi omnes ſanctum Dei digna humilitate venerantur. Exorant,vt furioſum, qui nomen eius confeſſus fuerat,viſitaret. Quem non præſumptionis cothurno,ſed obedientiæ ſtudio præcepit exhiberi, remotumq; in ſacrario celebri abſolutione purgatum, ad conuentum publicum reuocauit incolumem. Hoc primum virtutis ſuæ ſignum in Italia per famulum ſuum Chriſtus operari dignatus eſt.Concurrebat diuerſa populi multitudo,

Sanctorum ſolennitas. Miſſæ celebratio.
Sanat dæmoniacum.

benedictionem experiæ ſanitas opperiens: Iunctiſq; cum prædicatione miraculis, & animas curabat, & corpora.

Viri benignitas in pauperes.

EGRESSVS vrbe opulentiſſima, dum iter ſenſim horis felicibus carperet, occurrunt pauperes eleemoſynam poſtulantes. XI. Conſulit diaconum, quantum eſſet in ſumptibus, tres tantum aureos eſſe reſpondit: totoſq; ſtatim præcepit erogari. Ad hæc diaconus: Vnde victuri hodie ſumus? Reſpondens, ait: Paſcet Deus pauperes ſuos: tu quod habes, præſta pauperibus. Diaconus quaſi prouidus, duos erogat, reſeruat vnum. Dumq; iter agitur cœptũ, intuentur poſt ſe equites concitatos. Qui breui adiuncti, ſtatim deſiliunt, & prouoluti genibus huiuſmodi precem fundunt: Dominus noſter vir ſpectabilis Leporius, non longe abhinc domicilio fruitur: qui cum familia ſua ita implicitus diuerſo tenetur incommodo, vt & propria, & ſuorum infirmitate ſuccumbat. Cuius ad vos lachrymas deportamus: infirmum, ſi dignum ducitis, viſitate. Si vero precem noſtram veſtræ occupationis neceſſitas vincit, orationem interceſſionis impendite: Mereatur benedictionem: ſi non meretur adſpectum. Ad hæc vir beatiſſimus, repletus miſericordia, & relicto itinere, ea via rectior iudicatur, quæ mercedem boni operis præparabat. Diuertit, reclamantibus ſuis, & deſideratum petentibus præſtat aduentum, dicens: Nihil mihi prius eſt, quam præcepta Domini complere. Tum illi cum exultatione, cum gaudio ducentorum ſolidorum munus, quod tranſmiſſum fuerat, obtulerunt. Deinde conuerſus ad diaconem, ait: Accipe, quæ traduntur, & intellige te fraudem feciſſe pauperibus. Nam ſi totum, quod dedi, indigentibus contuliſſes, remunerator noſter trecentos hodie reddidiſſet. Contremuit diaconus, ſecretum reatus ſui innotuiſſe pontifici.

O præclarã ſancti viri vocem.

Multos morbidos ſanat.

INTEREA gradum accelerant: peruenitur. Et tanquam manifeſta ſanitas fuiſſet ingreſſa, ita omnium animos XII. ſancti releuauit aduentus. Notas profert & exerit medicinas: Chriſtũ proſtratus exorat, ſuiſq; lachrymis gaudia mercatur aliorum. Viſitantur domini, viſitantur & famuli, ac ſine vlla diſcretione perſonæ tugutia circumit, cubilia vniuerſa perluſtrat. Et interpoſito vnius diei ſpatio, ita cæleſtes medicinas obtinuit, vt egrediens die tertia, domũ totã reliquerit incolumitate gaudentem, proſequente eum domino, quem lectulo inuenerat decumbentem. Præcedebat enim venerabilem virum fama laudabilis, exigens, vt nunciati deſideretur agnitio.

Petrus Epiſcopus Rauennæ, cognomento Chryſologus.

FEREBATVR iam per ora Rauennatium populorum, & aduentus ſui moras præuius accuſabat effectus. Tan- XIII. dem diu expectatus excipitur. Prouiderat quidem, vt nocturno ingreſſus tempore, ſecreta obſcuritate tegeretur: ſed deſiderantium excubias vitare non potuit. Illic Petrus tum pontifex, Chriſti eccleſiam Apoſtolica inſtitutione retinebat.

REGEBAT etiam Romanum imperium Placidia Regina cum filio Valentiniano iam iuuene: qui ita fidem ca- XIV. tholicam diligebant, vt cum omnibus imperarent, Dei famulis ſublimi humilitate ſeruirent. Qui omnes venerabilem ſacerdotem certantibus ſtudiis prouido amore ſuſcipiunt. Ambiunt principes, occurrunt proceres, eccleſia cum exultatione amplectitur. Ad diuerſorium ſacerdotis Regina venerabilis vas argenti ampliſſimum, refertum cibis delicatioribus, ſine vlla carnis admixtione tranſmiſit. Quod ſuſceptum, ea ratione diſtribuit, vt cibos miniſtris ſuis traderet: ipſe vero vindicaret argentum, remittens loco muneris paxillam ligneam, panem hordeaceum continentem. Quod illa vtrunq; cum gaudio ingenti complexa eſt, quod & argentum ſuum tranſmiſiſſet ad pauperes, & illam eſcam beati viri cum miniſterio abiecti vaſculi ſuſcepiſſet. Nam & lignum poſtea auro ambiit, & panem multis remediis & virtutibus reſeruauit.

Honorifice Rauennæ ab Imperat. excipitur

Nota quanti fecit regina vaſculũ ſancti viri

QVADAM die, dum plateam latiſſimam turbis anguſtiatus ingreditur, carcerem refertum vinctis, ſupplicia & XV. mortem expectantibus, præteribat. Qui agnito tranſitu ſacerdotis, vnum clamorem collatis vocibus ſuſtulerunt. Cauſam requirit, agnoſcit: cuſtodes euocat, ſubtrahuntur. Diuerſæ enim palatii poteſtates, miſerorum turbam in ergaſtuli illius noctes damnauerant. Quo ſe verteret miſericordia, non habebat. Tandem ad notum recurrit auxilium, & quod difficile erat ab hominibus impetrare, à maieſtate diuina depoſcit. Greſſum dirigit ad carcerem, cernuus in orationem membra proſternit. Tum vero Dominus noſter adſtantibus populis gratiam quam famulo ſuo [illegible]bueret, oſtendit. Clauſura vinculis & ſera conſtricta diſſoluitur. repagula ferrata diſſiliunt. Diuina pietas reſerat, quod meditatio humanæ crudelitatis arctauerat. Procedit ad libertatem turba de vinculis, exhibens vacua onera catenarũ, tenens nexus quibus antea tenebatur. Relinquitur carcer innocens aliquando, quia vacuus: & præcedente pietatis triumpho, turba miſerorum gremio eccleſiæ gaudentis infertur.

Carcerem precibus patefacit.

CRESCEBAT quotidie admiratio & fama pontificis: occurrebant populi, ſanabantur infirmi. Chriſtuſq; gratiã, quam contulerat, dilatabat. Aſſidebant iugiter obſequentes ſex venerabiles ſacerdotes: qui non minus abſtinentię eius cruces ſine interpolatione durantes, quam virtutes aſſiduas, mirabantur. Hi teſtes operum illius multis fuere temporibus.

Abſtinentia eius quanta fuerit.

VOLVSIANI cuiuſdam filius, qui tum patritii Segiſuulri cancellis præerat, ſuccenſus igne febrium vexabatur: & XVI. ita æſtuantis vaporis accenſio adoleſcentiæ medullas corpuſque conſumpſerat, vt deſperatio conclamata ſequeretur. Medici manus & promiſſa iam ſubtrahuntur, luctuſque ſolus parentibus reſeruatur. Ad beatum virum ſpes tarda conuertitur: parentes cum amicis omnibus & propinquis ſancti genibus implicantur. Additur etiam interceſſio ſacerdotum, cum quibus feſtinus expetiit ægrotantem. Euntibuſq; occurſor obuius, adoleſcentem iam mortuum nunciauit, nec eſſe cauſam, qua ſe vir venerabilis fatigaret. Inſiſtunt tamen antiſtites, ſupplicant vt cœptum miſericordiæ impleret officium. Inueniunt corpus exanime, & vitæ calore repulſo, mortis frigore iam frigidum. Depoſitaq; pro animæ requie oratione, remeabant, cum ſubito multitudinis luctus attollitur: inhærent ſeniores ſui manibus ſacerdotis, vt pro parentum orbitate & defuncti reditu Domino ſupplicaret. Diu reſiſtit, ſancto pudore confuſus: ceſſit tandem miſericordiæ & charitatis imperio, fidei arma concutiens. Turbas eiecit, mortuoq; in oratione proſtratus adiungitur. Rigat lachrymis terram, cælo alti gemitus porriguntur, vocat planctibus Chriſtum. Interea mouetur exanimis, & paulatim membris emortuis vitalia redduntur officia. Oculi lucem quærunt, micant digiti. Lingua iam reſurgit: vterque conſurgit, iſte de oratione, ille de morte. Germanus manu alleuat dormientẽ: reſidet, reſpirat, reficitur, reſpicit, paulatimque vigore concepto, integram recipit ſoſpitatem. Redditur parentibus filius, luctus conuertuntur in gaudium, & vno clamore populorum virtus maieſtatis extollitur. Continuat Chriſtus virtutes in famulo, & mox recipiendum in requiem, miraculorum laude ſublimat.

Mortuum reuocat ad vitam.

ACHOLII eunuchi, tum præpoſiti regalis cubiculi, alumnus, iam iuuenis liberaliter inſtitutus, huiuſmodi dæ- XVII. monio vexabatur, quod per menſtruum tempus, redeuntibus incrementis lunaribus, captiuos ſuos caduca alliſione proſternit. Interuentu Reginæ vel procerum, ſancto viro præſentatur & traditur. Quem diu examinatum purgare eadem die diſtulit, cum ſoleret furioſiſſimos dæmones, prima manus impoſitione depellere. Ita enim miſerandi iuuenis medullas & interiora penetrauerat, vt quaſi vas proprium certis temporibus poſſideret. Recludi ergo eum ſecum nocte conſtituit. Tum vero ex interioribus latebris manifeſtus erupit, & quaſi inter tormenta compoſitus, tempus indicat, quo ab ineunte ætate ceperat innocentem. Itaque iuſſus egreditur: purgatuſque adoleſcens, poſt diem alterum palatio reformatur. Cauſam ſanè Armoricanæ regionis, quæ neceſſitatem

Nota eius in dæmones poteſtatẽ.

peregri-

peregrinationis indixerat, obtenta venia & ſecuritate perpetua, ad proprium obtinuiſſet arbitrium, niſi titubationis perfidia mobilem & indiſciplinatum populum ad rebellionem priſtinam reuocaſſet. Quo facto, & interceſſio ſacerdotis euanuit, & imperialis † crudelitas circumſcriptione fruſtrata eſt. Qui tamen pro calliditate multiplici, breui pœna perfidæ temeritatis exoluit.

† *credulitas.*

XIX. Germanvs igitur quadam die, matutinali ſolennitate perfecta, dum cum Epiſcopis ſermones de religione confetret, mœſtiſſimam protulit mentionem, inquiens: Commendo vobis, fratres chariſſimi, tranſitum meum. Videbar mihi per nocturnum ſoporem à Domino noſtro viaticum peregrinaturus accipere. Et cum cauſam peregrinationis inquirerem, Ne metuas, inquit, ad patriam, non ad peregrinationem, te dirigo, vbi habebis pacem & requiẽ ſempiternam. Deriuabant intellectu alio ſomnium ſacerdotes, ſed ille ſtudioſius commendabat extrema dicens: Bene noui, quam patriam Deus ſuis famulis repromittit. Factum eſt, vt poſt dies aliquot ſequeretur incommodũ. Quo ingraueſcente, ciuitas tota turbatur. Accelerabat tranſitum, qui vocabat ad gloriam, & feſſum à laboribus Dominus inuitabat ad præmia.

Prædicit obitũ ſuum.

XX. Regina Placidia, depoſito imperii ſupercilio, occurrit pauperi, requirit infirmũ, tribuens quicquid ab ea beneficii poſtulat. Peculiariter ſane periit, quod illa inuita conceſſit, vt gleba corporis ſui patriæ redderetur. Viſitantiũ verò tanta fuit diebus ac noctibus multitudo, quantam aut admiſit aditus, aut domus recepit. Tempus omne choris pſallentibus tenebatur. Septimo incommodi die ad cælos anima felix & beata transfertur.

Feliciſſimè decedit beatiſsimus vir.

XXI. Hæreditas deinceps relicta diuiditur: partem præſumpſit imperium, partem vendicant ſacerdotes. Et quod fieri de opibus ſolet, naſcitur de exiguitate contentio, dum deeſt quod capiant. Solius benedictionis hæres capſulam cum † ſanctis regina ſuſcepit. Cucullã cum interiori cilicio Petrus Epiſcopus vſurpauit. Sex verò antiſtites, vt aliquid monumenti ex ſucceſſione ſanctitatis acciperent, diſrumpere quod ſuperfuerat, maluerunt. Vnus pallium, alter cingulum accepit: duo tunicam, duo ſagulum diuiſerunt.

† *Reliquiis.* Eius ſancta hæreditas diuiditur.

XXII. Deinde apparatu defuncti feruent ſtudia conferentium, accuſantium cur parua expenſa mortuo deberetur. Acholius corpus aromatum conſtrictione ſolidauit, Regina veſtiuit. Quibus omnibus rite perfectis, expenſis & euectionibus iter inſtruit Imperator, miniſtroſque eius copioſa largitione proſequitur. Sacerdotes religionis obſequium, & in præſenti inſtruunt, & ordinatione præmittunt, vnumque agmen reformatur ad Gallias.

Funus eius honorifice curatur.

XXIII. Placentivm † corpus dum præterit, cæca iam nocte peruenit. Quod in eccleſia collocatum, dum vigiliis ſanctæ deuotionis excolitur, matrona quædam loci eius paralyſi diſſoluta, ita vt nullum membrum ſuo fungeretur officio, precariò depoſcit, vt feretro corporis ſubderetur: ibique vſque ad lucem extenta decubuit. Mature corpus attollitur: ſurgit, & mulier viuificata per mortuum, mirantibus populis, propriis pedibus debitum reddit obſequium.

† *Placentiã.* Paralytica ſanatur ad feretrũ corporis eius.

XXIV. Excipivnt Galliæ patronum proprium famulatu maiori, quippe vbi reuerentiæ iungebatur affectus. Omne hominum genus diuerſo occurrit officio. Alii vias præruptis depoſitis molliunt, & pontium innouatione continuant: alii expenſas ingerunt: alii pſalmis intonant: alii colla ſupponunt. Refulgebat repercuſſo ſolis radio, ſplendorem ſibi etiam per diem vindicans luminum multitudo, totoq; miniſterio charitatis, propriæ redditur ciuitati, vbi ſepultus corpore, quotidianis miraculis viuit & gloria.

Galli ſummo ſtudio corpus eius excipiunt. Nota de luminibus.

XXV. Ego duplicem veniam lector à te expoſco: Primum, quod ſolœciſmis & abiectione verborum aures tuas vulnero: deinde, quod prolixior pagina videtur parere faſtidium. Sed non pigeat recenſere, quod Chriſtum præſtare non piguit. Quid dum ſanctos ſuos glorificat, nos inuitat exemplo. Et tamen Deum teſtor, conſcium ſecretorum, me plura de domini mei Germani factis agnita & probata tacuiſſe. Ex quo reum me eſſe fateor, ſupprimendo quod mirabiliter ad profectum omnium diuina virtus operata eſt: & ideo inſcribendo ſuccinctum magis me arbitror fuiſſe, quam nimium.

Hoc vero dolendum eſt.

Fulgida fulgentem Germanum ſidera captant.
Florida florentem Germanum millia plaudunt.
Cælica cæleſtem Germanum carmina cantant.
Splendida ſplendentem Germanum gaudia pangunt.

Sedit autem idem dominus & Apoſtolicus noſter, ſanctiſſimus Germanus in Epiſcopali cathedra annos xxx. dies xxv. Obiit vero plenus ſpiritu ſancto apud Rauennam Italiæ ciuitatem, pridie Calend. Auguſtas, Valentiniano adhuc iuuene imperante cum Placidia matre à quibus ibidem pro admiratione ſanctitatis ac aſſiduitate miraculorum honorifice ſuſceptus, Domino ſibi apparente, obitum ſuum prænoſcens, obtinuit, vt propriæ redderetur ciuitati. Cuius ſacratiſſimum corpus honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus, ſuam eſt delatum ad vrbem. Ibique ſub die Calendarum Octobrium, à propriis ciuibus celeberrimo cultu condigne eſt ſepulturæ traditum: vbi innumerabilibus virtutibus pollens, ſumma excolitur gloria, Amen.

Eius ſepultura honorificentiſſima, & innumera miracula.

VITA B. IGNATII LOYOLÆ, QVI RELIGIONEM CLERICORVM SOCIETATIS IESV INSTITVIT, AVTHORE PETRO RIBADENEIRA eiuſdem Societatis Sacerdote: *Licet autem B. Ignatius necdum ſolemniter ſit catalogo Sanctorum inſcriptus; permiſſione tamen Pauli V. Pontificis Maximi, ipſi religioſi vt de Beato ſolemniter dicunt officium.*

An. 1540.

I. Beatvs P. Ignatius de Loyola auctor & parens Societatis Iesv, natus eſt in ea parte Hiſpaniæ, quæ Cantabria nominatur, anno ab ortu Domini cIↃ. cccc. xci. Innocentio VIII. Romano Pontifice, Federico III. Rom. Imperatore, Ferdinando denique & Iſabella Catholicis Hiſpaniarum Regibus. Ei pater fuit Bertrandus Iagnez, Ognez & Loyolæ dominus, Illuſtriſq; & antiquæ familiæ ſuæ princeps: mater verò Marina Sonez claris orta parentibus Baldæ dominis, genere & virtute non inferior viro femina. Atque harum vtriuſque familiarum duces vt è prima nobilitate Cantabriæ, ita apud Hiſpanos magni ſunt & appellantur. Ignatius ab infantia acri fuit ingenio, & vehementi quadam incitatione naturæ: qui vt primum è pueris exceſſit, in aulã Regum Catholicorum deductus eſt, cum æqualibus educandus. Simul atque verò cum ætate maior etiam naturæ vis acceſſit, cũ eſſet ea animi magnitudine, vt nihil extimeſceret, omnia pericula humana deſpiceret; omni armorũ genere ſeſe exercuit, vt aliquando militari gloria poſſet excellere. Cum itaq; Galli anno ſalutis humanæ cIↃ. IↃ. xxi. arcem Pampelonenſem cingerent, ad eam propugnandam cum reliquis centurionibus præſidioq; Ignatius noſter ingreſſus eſt. Cum autem acrior eſſet obſidio, & qui obſidebantur de ſubſidio deſperarent, deditionis cepère conſi-

Ivlii 31.

conſiliũ, omninoque rẽ perfeciſſent niſi conſiliis eorum occurriſſet Ignatius, monuiſſetque hoſti vel propoſita morte reſiſtendum. Sed cum arcem Galli tormentis verberarent, eamque noſter hic propugnaret, ferrea pila cruſ eius dexteram tanta vi percuſſit, vt id penitus ſuffregerit, eiuſdemque impetu excuſſus è muro lapis læuum haud leuiter offenderit. Eo igitur proſtrato ceteri turbati ſeſe & arcem Gallis dediderunt, qui Ignatium in tabernaculum ſuum deductum beneque habitum, eius demum genere cognito, lecticâ domum atque in priſtinum hoſpitium deportauerunt. Interea morbi vis adeo ingraueſcebat, vt tenuis eius vitæ ſpes oſtenderetur. Sed quo propior periculo res erat, eo maiorem illi Deus opem & auxilium tulit. Etenim pridiè illius diei qui beato Petro ſacer eſt, quem ille præcipuo quodam cultu venerabatur, idem Apoſtolorum princeps cælitus ad eum miſſus, eique viſus eſt quaſi opitulaturus eumque curaturus. Hoc viſo, paulatim morbo leuari cœpit, ſed quia natura & voluntate concinnus & elegans erat, corporis venuſtatem haud negligendam ratus, os quod infra poplitem fœdius eminebat, cum ceteriſque minime coaleſcere potuerat, ſecandum curauit, vt, quemadmodum ex illo audiui, ocreas aptius & pedum integumenta componeret. Cruciatum verò hunc adeò contempſit, vt minimè ſe ligari ſit paſſus, quod id illa ſua animi magnitudine, conſtantiaque indignum putaret. Quinimo cum id ea parte quæ ſana erat & integra ſecari placuiſſet: eo tamen animi robore & firmitate fuit, vt omnes raperet in admirationem. Nam quem colorem ac vultum prima in curatione tenuerat, eundem in extrema hac carnificina ſeruauit. Interim dum vis morbi remitteret, cum lectulo affixus hærere cogeretur; vt bellicorum heroicorumque facinorum lectione mire capiebatur, ita fallendi temporis cauſa, aliquos id genus libros poſtulauit. At cum tales forte ad manum non eſſent, alii duo oblati, vnus quidem de Chriſti Domini, alter verò de vita geſtiſque Sanctorum. Hic primum leuandi duntaxat tædii cauſa legere cœpit, mox verò ſenſim gratia quædam & iucunda animi voluptas acceſſit: denum ea lectione Deus tales in eius animo motus excitauit, vt iam mutata mente flagraret eos imitandi ſtudio quorum vitam legendo cognouerat. Porrò quamuis animus id ſubinde refugeret appetituſque rationi acre bellum moueret, nec ſegnius dæmon oppugnaret, priſtinique mores vetuſtate corroborati multum valerent ad eum ab hac voluntate deterrendum: gratia tamen corruptam naturam, vis cæleſtis dominatum vitiorum, auxilium diuini numinis, quod eum ad magna delegerat; omnes dæmonis artes fraudeſque ſuperauit. Itaque cum de nocte ſurrexiſſet è lectulo (quod ei ſolemne & vſitatum erat) ad precandum Deum, poſitis humi genibus ante imaginem beatiſſimæ Virginis matris, illius ope fretus, eius ſeſe miſericordiæ, amantiſſimoque filio totum addixit, illius ſigna ſecuturum, remiſſurumq; nuntium rebus humanis.

In propugnatione arcis Pampelonenſis vulneratur.

A S. Petro viſitatur & ſanatur.

Legendis SS. vitis conuertitur.

Ecce autem eo tempore quo Deum placabat, ingens tota domo inauditus eſt ſtrepitus, cubiculum in quo erat contremuit, vitreaque feneſtra confracta eſt. Hac porro in vitæ conuerſione carnis ſuæ infirmitatem non mediocriter pertimeſcebat: verum Sacratiſſima Virgo Angelorum Regina, cuius tutelæ fideique ſe totum commiſerat, in ipſa peruigilatione nocturna ſuum complexa filium ei ſeſe palam oſtendit: quo viſo mirifice recreatus, tantum repente cepit faſtidium omnium quæ cum inhoneſta præſertim voluptate coniuncta ſunt, vt omnes earum rerum imagines ex illius memoria aſpectus ille deleuerit, caſtitatemque iam tum ad extremum vſque vitæ terminum integram illibatamque ſeruarit. Deliberabat cum animo ſuo de aliquo vitæ genere, in quo ſeueriore diſciplina domaret & coerceret omnes cupiditates, cum Deoque poſſet eſſe coniunctior. Quamobrem vbi conſtituiſſet domum, parentes, amicos deſerere, neque poſſet Martinus Garcia frater eius natu maximus illum de ſententia dimouere, per cauſam viſendi Naiaræ Ducis, ad ſacram B. Virginis ædem in Monteſerrato poſitam, duobus famulis comitatus iter direxit, quo in itinere partem earum rerum quas ſecum ferebat illis diſtribuit, atque ita eos à ſe dimiſit. Ex quo autem diſceſſit, conſuetudinem iniit ſingulis noctibus ſeſe acerrimè verberandi, quam & itinere toto retinuit. Præterea Dei amore ſtudioque honoris eius flagrans acta ſua, cogitata, quæque animo deſtinabat in poſterum omnia ad maiorem eius gloriam referebat. Etenim hic illi ſcopus erat vt omnia eadem Dei gloria metiretur. Ad hæc in eadem peregrinatione Deo Sanctiſſimæque eius Matri ſeſe perpetuo caſtitatis voto ſingulari pietate cõſtrinxit. Progreſſus vero ad vicum haud procul à Monteſerrato diſtantem, neceſſaria quibus peregrinationem Hieroſolymitanam adornaret, comparauit, tunicam videlicet talarem canabinam aſperam & craſſam, funem pro cingulo, ſparteos calceos; poſtremo ad potionem aquæ, cucurbitam. Vt ad ſacram B. Virginis ædem Montiſſerrati peruenit, velut æger ſalutis ſuæ percupidus, diligenter in primis optimum maximeque ſolertem animarum medicum peruestigauit, cui plagas animi ſui detegeret. Nactus ergo ſacerdotem quendam religioſum natione Gallum Ioannem Clanonem, virum ſanctitatis laude præſtantem ac celebrem; apud hunc tribus ipſis diebus totius anteactæ vitæ ſordes eluit magna diligentia, ingentique peccatorum dolore. Atque hic primus fuit in cuius velut patris ac magiſtri ſinum conſilia ſua intimaſque animi cogitationes effunderet. Iumentum quo vectus erat cœnobio reliquit, gladium vero pugionemque quibus mundo meruerat, ante B. Virginis aram è tholo ſuſpendendum curauit, nouæ militiæ candidatus, præſtantiorique inſtructus armorum genere quibus Deo impoſterum militaret. Ea ipſa nocte cui feſtus Angelicæ ſalutationi dies illuxerat, quo Dei Verbum in vtero ſanctiſſimæ matris noſtra ſe humanitate veſtiuit, anno noſtræ ſalutis CIↃ. IↃ. XXII. quam occultiſſime potuit ad hominem pauperem ſe contulit, cui veſtes omnes ad interulam exutas dedit, & optatum illum quem paulo ante mercatus fuerat corpori ſaccum induxit. Hoc ornatus amictu nouus miles ante B. Virginis aram pernoctauit & modo ſtans, modo genibus nixus multis lacrymis præteritæ vitæ noxas eluere, Deum ſanctiſſimamque Dei matrem intenta ſupplicatione propitiare non deſtitit. Porro ne qua illius fama vulgaretur, priuſquam diluceſceret, inde digreſſus atque à militari via quæ Barcinonem ducit deflectens, Minoreſſam tribus à Monteſerrato miliariis diſſitam vrbem contendit. Hilaris alacerque gradiebatur Ignatius aſpero deformique corporis cultu, fune præcinctus, tornatilem baculum manu geſtans, capite ſiniſtroque pede nudatis: dextro enim propterea quod ex vulnere debilior erat, & ſingulis noctibus intumeſcebat ſparteum calceum induxerat. Sed enim exultantem gaudio animum, nonnulla mox triſtitia Deus contraxit. Etenim citato greſſu quidam eum inſecutus eſt, vt percunctando cognoſceret, pauperine dediſſet pretioſas illas veſtes & elegantes, ob quas quaſi furto ſublatas miſer à iudice in carcerem compactus eſſet. Hic vt innocentem periculo liberaret, veritatem quidem ingenue eſt confeſſus, vimq; lacrymarum profudit, ſeipſum incuſans, qui ne quidem de altero bene mereri poſſet, niſi pudore ſimul iniuriaq; afficeret, nomen autem ſuum, genus, ac patriam exquirenti, nequaquã aperuit, quod nihil opus eſſe exiſtimaret & alioqui latere atq; contemni quam honorari mallet. Minoreſſæ ad noſocomium S. Luciæ recta diuertit, vt cum ceteris mendicis quotidie precario victum oſtiatim quæreret. Ibi talem rationem iniuit, vt duro quodam & auſtero genere vitæ corpus affligeret, ſenſus coerceret, & inaniſſimas earum rerum quæ memoriæ prius inhæſerant imagines prorſus abſtergeret. Quoniam vero in compoſitione comæ nimiam olim curam diligentiamque poſuerat, nudo capite dies & noctes inceſſit, capillos promiſit implexos & ſqualidos, ac per eundem ſui contemptum paſſus eſt vngues barbamque exceſcere. Obductus erat illo ſacco quem diximus, humo nuda cubabat, noctes pene ducebat inſomnes, præteritorumque peccatorum memoria magnam ei lacrymarum vim exprimebat. Singulis diebus iterum & tertio ſeſe flagellis acerrimè cædebat, flexiſq; humi poplitibus orationem in ſeptenas horas magno animi ſenſu producebat. Matutino ſacrificio, Veſperarum & Completorii officiis

II.

B. Virgo ei apparet, eiuſq; ope impetrat à Deo caſtitatem.

Peregrinatur ad Monteſerratũ, corpuſque quotidie caſtigat.

Caſtitatem Deo vouet perpetuam

De tota vitã cõfeſſionẽ inſtituit.

Tyro Chriſti in oratione peruigilat.

Minoreſſæ auſteram agit pœnitẽtiam.

officiis attenta animi cogitatione intereſſet, qui quanto erat nitior atque tenerior tanto facilius impreſſiones cæleſtium rerum diuinaſque laudes in intimas medullas admittebat. Semel in die corpus reficiebat ſolo pane & aqua contentus, ad eum modum ſingulis diebus ieiunabat, exceptis Dominicis, quibus obibat ſacra Confeſſionis & Euchariſtiæ myſteria. Tanto deniq; ſtudio appetitiones animi domabat, eaſq; rationis ſubiiciebat imperio, vt ſibi ſubtraheret illud omne quod corpus aliquo voluptatis ſenſu poſſet afficere. Quocirca licet optimam corporis conſtitutionem eſſet ei largita natura, hanc tamen tanta vitæ aſperitas paucis diebus ita afflixit, vt magnam ei debilitatem attulerit.

III. NEQVE tamen iſta domandi corporis ratio tantum vires eius extenuauit, quantum animi ægritudo ſcrupuliq; fregerunt. Etenim quamuis omni cura totius vitæ maculas ſacra confeſſione deleuiſſet, vt diximus: Deus tamē qui ſic eum exercere decreuerat, ad eum penitus expiandum, tantis autem moleſtiis exagitari permiſit, vt nec ab oratione leuamen, nec à ieiuniis, vigiliis, acerrimiſque flagellis, vel alio acerbitatis genere tanto vulneri remedium vllum acciperet: quin tanta eum vis ægritudinis animi id temporis deprimebat, vt affixus ſolo hæreret, quaſi vndis & tempeſtate maris oppreſſus. Atque illa procella tantum inualuit, vt quaſi amiſſo gubernaculo, & omni conſolatione deſtitutus, ſtatuerit neque cibum neque potionem guſtare (niſi de vita periclitaretur) quoad eſſet optatam animi pacem & tranquillitatem adeptus. Hac lege ſibi indicta, ſeptem ipſos dies omni paſtu atque potu ſeſe abſtinuit, nihil interim de quotidiana ſeptem horarum oratione, nihil de trina verberatione, nihil de reliqua exercitatione remittens. Et eam quidem inediam porrò continuaſſet, niſi communicato cum eo ſacerdote conſilio cuius in aure peccata depoſuerat, is omnino id fieri prohibuiſſet, & cibum ſumere interpoſito etiam obedientiæ nomine iuſſiſſet. Audiens dicto fuit Ignatius, quamuis nihil admodum de priſtinis viribus deceſſiſſe ſentiret. Propter quam ſimplicem obedientiam & inflammatos animi motus cum diuina precatione coniunctos, lacrymarumque vbertatem, eum tandem recreare Deo eſt viſum eiuſque mentem tam noua ac cæleſti luce perfundere, ita animum tranquillare, tamque admirabilem ei ſpirituum diſcretionem largiri, neminem vt tanta vexaret religionis anxietas, quem non ab eodem ipſe conſultus omni moleſtia liberaret. Nec illud modo ſingulare beneficium in eum Deus contulit, ſed inſuper, vt ſuo loco dicemus, alia permagna beneuolētiæ ſigna monſtrauit, vt illud Vatis vſurpare poſſet. Secundū multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Tanta porro luce Deus animum ſerui ſui vel in his initiis colluſtrauit adeoque accuratum ſtudium ipſe poſuit in notanda ratione, & via, qua idem Deus ad ſe regendum, & ad cumulatiſſimæ virtutis gloriam perducendum vtebatur, vt licet ad illud vſque tempus armorum ſtudio fuiſſet deditiſſimus, & ita litterarum expers, vt legere ſolum noſſet & ſcribere; librum tamen ſacrarum commentationum ſcripſerit, doctrina cœleſtibuſque delitiis adeo refertum, facile vt perſpici poſſit eum Spiritus Sancti gratia edoctum fuiſſe, qui quod in eo deerat ſcientiæ doctrinæque ſuppleuerit. Eſt enim incredibile quantum fructum ex eo libro poſtea ceperint qui ad ſacras illas exercitationes & meditationes acceſſerunt, quantaque inde vtilitas ad omnem eccleſiam, nec minus ad religioſas familias, quam ad alios quoſcunq; peruenerit. Eum librum Paulus III. Pont. Max. diligenter examinatum & expenſum breui diplomate approbauit, quo cunctos ad eum legendum, animumque ad eas meditationes appellendum hortatur. Sed quia noſter Ignatius in ſeipſum erat durior, nec quidquam de ſolita acerbitate remittebat, immoderatis laboribus corporis, & perpetuis animi contentionibus victus, in grauem morbum incidit, cui interea ciues Minoreſſani omnia neceſſaria magna caritate ſuppeditabant, quorum in animis tanta vis amoris in Ignatium eſt impreſſa, vt quamuis octoginta iam anni effluxerint, Minoreſſæ tamen extet etiamnum recens & iucunda memoria, hæreantque vitæ illius monimenta non pauca. Incolæ enim & magna vſque hodie pietate frequentant ea loca in quibus ille commorari & orare conſueuerat, & eius precibus diuinam opem implorant. Quin etiam Ioannes Baptiſta Cardona Doctor & Epiſcopus Vichenſis (cuius in diœceſi Minoreſſa ſita eſt) & electus Dertudenſis, Minoreſſæ in Eccleſia B. Luciæ antea Valetudinario pauperum, vbi Societatis Ieſu auctor Ignatius pœnitentiæ duxit exordium, ad memoriam pœnitentiæ illius ſempiternam lapideam pyramidem præclara cum inſcriptione erigendam curauit, quam, quia res eſt ſingularis, hominumque regionis illius iudicia de ſanctitate Patris noſtri teſtatur, huc afferendam putaui. Eſt autem eiuſmodi. Ignatio de Loyola Bertrand filio, Cantabro, Clericorum Societatis Ieſu parenti: qui anno ætatis ſuæ trigeſimo in arce Pampelonenſi cum Gallis acriter pro patriæ defenſione pugnauit, & acceptis mortiferis plagis iiſque ſingulari Dei ope curatis, incenſus deſiderio adeundi loca ſancta vrbis Hieroſolymorum, dedit ſe in viam voto caſtitatis obſtrictus, & relictis armis quæ tanquam miles ſecum portarat, iiſque in æde B. Virginis Montiſſerrati ſuſpenſis, ſacro veſtitus ac penè nudus, cœpit ſuperioris vitæ peccata deflere, & vt nouus Chriſti miles inedia, lacrymis & oratione ſemetipſum vlciſci. In memoriam tantæ rei Deique gloriam, honorem & ſplendorem Societatis eius, Ioannes Baptiſta Cardona Valentinus, Epiſcopus Vichenſis, & Dertudenſis electus, pro ſuo in ipſius Patris ſanctitatem atque eius ordinem amore, hunc lapidem hoc in loco collocandum curauit vt ſanctiſſimo viro, cuique vniuerſa Chriſtiana reſpublica multum deuincta eſt. Sixto V. Rom. Pont. & Catholico Rege Hiſpaniarum maximo Philippo II.

Scrupulis quib. angebatur.

Septem dierum inedia ſe macerat.

Tranquillitatē animi obtinet, diſcretioneq; ſpirituum.

Pſal 93.

Librū exercitiorū conſcribit.

Pyramis Minoreſſana eiuſque inſcriptio.

IV. IAM verò cum aliquantulum recreatus videretur ex morbo, in eum iterum & tertio relapſus eſt, propterea quod inuicto conſtantique animo ſibi maius onus, quam ferre poſſet, imponeret. Sed vſu tandem edoctus & incredibili ſtomachi dolore ac hiemis aſperitate victus, de ſententia amicorum, corpus duabus tunicis vilibus, cineritii coloris breuibus horridiſque operuit, caput verò eiuſdem coloris dimidiato velut cucullo contexit. Ac in eo quidem vitæ genere noſter Ignatius annum pene Minoreſſæ commoratus conſtanter perſeuerauit. Sed quoniam Deus eum ad maiora deſtinarat, ex ea ſolitudine reuocauit, & adeundi Hieroſolymam ei mentem iniecit. Minoreſſa itaque diſceſſit ſolo Deo comitatus, qui cum ſolus agere, ſine comitum impedimento cupiebat, tametſi complures huius itineris comites illi ſeſe obtuliſſent: verum ille ſolus Barcinonem contendit, propterea quod totus à paterna Dei prouidentia & nutu pendere, nulla in hominibus ſpe poſita, peroptabat. Barcinonenſe igitur templum ad audiendam concionem ingreſſus ſeſſum fuit in gradibus altaris inter medios puerorum greges. Illic Eliſabetha Roſella nobilis mulier, vt noſtrum peregrinum adſpexit, neſcio quo fulgore (vt ipſamet mihi Romæ narrauit) os ei collucere ſibi viſa eſt intueri, vocemque audire, qua illum iuberetur arceſſere. Itaque peracta concione ſtatim vocandum curauit, & ad viri ſui prandium benigne adhibuit, hic inter epulas mirari omnes eum de rebus diuinis magna grauitate diſſerentem, inſignique modeſtia ad amorem veri ſummique boni cohortantem. Myoparonem inde conſcenſurus erat, vti iam cum nauarcho pactus fuerat, ſed Eliſabethæ conſilio mutauit pactionem, & relicto myoparone qui in vrbis conſpectu naufragium fecit, in aliam nauem ingreſſus, Caietam incolumis tenuit, vnde magnis cum incommodis & laboribus Romam petiit. Etenim anno CIƆ. IƆ. XXIII. vt grauis peſtilentia Italiam peruaſerat, factum eſt vt omnibus paſſim tectis ac mœnibus arceretur, & vbicunque nox eum occuparet, ibi ſubſiſtere cogeretur, neque vel tantillum progredi poſſet fame ac debilitate confectus. Nihilominus tamen quacunque ope potuit Romam Dominico palmarum die peruenit, ſtationes vrbis auguſtaque ac ſancta loca adiit, atque apoſtolicam benedictionem ab Adriano VI. qui tum Dei Eccleſiam adminiſtrabat, accepit. Romæ cum ad dies quindecim ſubſiſteret, multi Hieroſolymitanam ei peregrinationem dehortari conati ſunt,

Proficiſcitur Hieroſolymam.

obiiciendis

obiiciendis nauigationis longæ & infeſtæ periculis, durioris annonæ & morborum incommodis: ſed obfirmatus eius animus omnes illorum conatus eluſit. Quinetiam leuiter perſuaſus à quibuſdam vt ad perſoluendum naulum ſeptem vel octo aureos nummos acciperet, eos mox accepiſſe pœnituit, quod id minimè conuenire & cum extrema paupertate quàm maxime diligebat pugnare videretur; quare factis obuiam pauperibus eos diuiſit. Iam verò incredibile dictu eſt, quanta, quam grauia pertulerit in tam longinqua peregrinatione incommoda. In publico quippe pernoctare, omnes eum à ſe repellere, ac veluti quoddam mortis ſimulacrum horrere, etiam eiuſdem viæ comites & ſocii, ſqualore corporis atque oris pallore deterriti. Sed qui teſtatur Dominus: Non dimittam

Ioſue 1. Chriſtus ei apparet eumque conſolatur.

neque derelinquam te; Quioſa Patauium abeunti in æquata agri planicie adeſſe viſus, eum ſuauitate præſentiæ ſuæ recreauit, atque ad toleranda pro amore ſuo multo duriora erexit, facilem denique tum Patauii tum Venetiis ingreſſum præbuit. qua in vrbe legatum Caroli Cæſaris & Hiſpaniarum Regis conueniendum ſibi non putauit, quod non humanam gratiam, ſed tantummodo diuinam expeteret. Sed ecce Venetiis noua difficultas rurſus exorta eſt; quia non defuerunt qui iterum eius nauigationis cogitationem ex animo conarentur euellere, propterea qu[illegible]d anno ſuperiore Rhodus inſula in Solymanni Turcarum Imperatoris poteſtatem veniſſet, & febri fuiſſ[illegible] Ignatius. Verum nullæ machinæ potuerunt aut eius animi magnitudinem vincere, aut ſpem debilitare [illegible] vel actuariolum è portu ſolueret, & Hieroſolymam ipſe Deo duce traiiceret. Interea de more vict[illegible]

A patritio Veneto Dei monitu nocte quæritur & humi iacens inuenitur.

quærebat, & in publica Sancti Marci area, eius ciuitatis potiſſima; noctem exigebat, quando Senatore[illegible] ma nobilitate ſuauiter quieſcentem in lectulo cæleſtis eiuſmodi vox excitauit è ſomno: Quorſum tam n[illegible] exquiſitus accubitus? domus adeo magnifica & lauta? interim dum ſeruus meus pernoctat nudus & pau[illegible] publico? tu in pretioſo ſtrato decumbis; ille iacet in humo nuda ſub dio. Hic ille ingenti metu perculſus [illegible] feſtim è lecto ſe corripit, peregrinum quærit diligenter, deprehenſumque in area D. Marci humi cubantem, [illegible] eum eſſe ſentiret, de quo vox illa monuerat, domum deduxit ac perhonorificè liberaliterque tractauit. Sed cu[illegible] honores & delitias eiuſmodi reſpueret, incidiſſetque in popularem quendam ac veterem ſodalem ſuum, m[illegible] ab eo precibus rogatus à lautiore hoſpitio ad eius conuictum ſe recepit. Haud longo interuallo ad Andream Gritum Venetorum ducem acceſſit, ab eoque contendit, vti eius auctoritate, prima nauigatione facultas [illegible] tranſmittendi mare gratis concederetur. Annuit ille præcepitque vt prætoria naui qua nouus Gubernator ve-

Nauigat Hieroſolymã, magnoque periculo liberatur.

hebatur ſine naulo in Cyprum tranſportaretur. Soluit igitur prid. Id. Iul. Anno CIↃ. IↃ. XXIII. quo die ægro [illegible] dicinam hauſerat, quamuis ob hoc medici manifeſtum ei vitæ diſcrimen denunciarent. Sed ſuperioris medici ductum ſecutus, breui inter nauigandum perfectam ſanitatem recuperauit. Multa, vt fit, flagitia in ea naui committebantur quæ noſter peregrinus amore Dei vehementer incenſus, magna libertate reprehendebat, quod cum vectoribus minus probaretur, de eo exponendo in deſerta quapiam inſula deliberarunt; verum ad eam appropinquantes nautæ aduerſo repente vento naui reiecta non potuerunt cogitata perficere. In hac nauigatione Deus ſuæ præſentiæ ſuauitatem ei ſæpius impertiuit, eius animum ſpe roborauit, & incredibili gaudio confirmauit, tandem prid. Kalend. Septemb. ſaluum & incolumem Ioppen inuexit, Hieroſolymamq; ante diem

Loca ſancta ſingulari cũ deuotione inuiſit.

XVIII. Kal. Octobr. perduxit. Magis eſt cogitare quam dicere, quanta voluptate Deus eum perfuderit cùm primum ſanctam illam ciuitatem vidit, quanta gratia in ea commorantem affecerit, quantam alacritatem attulerit, cum ea loca venerabundus adiret; quæ Dominus ſua præſentia conſecrauit, quanta conſolatione permulſerit illius diuini beneficii memoria, quod nulla mens aut cogitatio capere poſſit. Conſtituerat Hieroſolymis reliquum vitæ ſuæ tempus degere, hominumque ſaluti pro ſua virili tranſmittere, quamuis hoc poſtremum nulli patefaciendum putaret, ne quiſquam eum laudandi vel de eo bene ſentiendi hinc occaſionem acciperet. Sed cum voluntatem in iis ſedibus reſtandi Præpoſito Prouinciali Franciſcanorum expoſuiſſet, multis grauibuſque incommodis ex eo cognitis, de Patris ipſius ſententia, Deique nutu eum ad maiora vocantis, in Hiſpaniam renauigare decreuit, & illud vitæ genus amplecti quod Deus ſibi gratum acceptumque eſſe monſtraſſet. At priuſquam Hieroſolyma

In monte Oliueti quid ei accidit. Chriſtus cũ ſua præſentia conſolatur.

decederet, reuiſendi montis Oliueti, in cuius ſaxo cernuntur adhuc Chriſti aſcendentis in cælum impreſſa veſtigia, mira eum inceſſit cupido; quo vt voto poteretur, clam ſe ſubduxit, & nullo duce, nullo comite, nulla Turca cuſtode (quæ res eſt ibi plena periculi) ſolus properauit ad montem. Cum deſiderii ſui compos abſceſſiſſet inde, noua cupiditate rurſum incenſus notandi qua cæli plaga ſitum eſſet dexteri, qua ſiniſtri pedis veſtigium, iterum ad eundem recurrit: cumque vt admitteretur nihil haberet quod pro mercede cuſtodibus daret, cultellum & forficulas obtulit. Quamuis autem & Franciſcanæ familiæ Patres, & Chriſtianus ab iis ad hominem perquirendum miſſus, acriter eum increparent, ſolitam tamen animi tranquillitatem retinuit, quod Chriſtum præſentem & ad portam vſq; cœnobii præeuntem cerneret; quo viſo, ſupra modum recreatus omnem cum gaudio moleſtiam ſuperabat.

CVM autem peregrinus hic noſter Hieroſolymis in Italiam reuerteret, vt adulta hyeme, omnia glacie niuibuſque concreuerant. Interim linea dumtaxat veſte conciſoque ad humeros thorace & tunica breuiore ſemiamictus, calceis pedibus indutis, cruribus nudis incedebat. Cùm tres porto in inſula Cypro naues offendiſſet velificari paratas, vnam Turcarum, Venetorum alteram, firmam illam omnibuſque rebus egregiè inſtructam; tertiam modicam, male coagmentatam & vetuſtate carioſam. In hanc conſcendit Ignatius, propterea quòd V.

Redit in Italiam, ſola qua vehebatur naui ſaluatur, aliis pereuntibus.

nauarchus Venetæ nauis eum propter egeſtatem repudiaſſet, addidiſſetque contumelioſe facetus: Si ſanctitas eius hominum prædicationi reſponderet, calcaret pedibus freta ſi vellet, nihil eſſe metuendum, nullum vitæ diſcrimen aditurum. Tres igitur illæ, ſecundo quidem vento ſimul ſoluerunt, ſed præcipitante iam die coorta eſt atrox & ſæua tempeſtas, qua Turcica cum omnibus omnino vectoribus fluctibus hauſta periit. Veneta in conſpectu Cypri ad ſcopulum afflicta ſaluis tamen hominibus confracta eſt. Sola poſtrema, qua ſeruus Dei traiiciebatur, anno CIↃ.IↃ.XXIV. medio Ianuario Venetias incolumis tenuit. Hic paucis diebus cum reſtitiſſet, viæ ſe ruſum commiſit vt in Hiſpaniam remigaret, quindecim ſexdecimve tantum nummis argenteis liberalitate cuiuſdam donatus, pannique fruſto ad fouendum ſtomachum nuditate & frigoris aſperitate languentem. Quo in iti-

Pecuniam ſibi datam erogat pauperibus, ipſeq; ſtipẽ quæritat.

nere Ferrariam cum diuertiſſet, ſacraque in æde ſupplex Deum oraret, mendicis quibuſdam manus ad ſtipem porrigentibus largitus eſt quidquid pecuniarum acceperat; indeque egreſſus oſtiatim ad cibum fragmenta panis precario, ſuo more, quærere cœpit. mox Genuam profectus, qua vel Hiſpanorum vel Gallorum præſidiis cuncta tenebantur (quos inter tota Gallia Ciſalpina graue bellum exarſerat) necnon [a] ab Hiſpanis militibus comprehenſus vt explorator male mulctatus, & vt fatuus irriſus eſt atque contemptus; ſed & pugnis & calcibus hominem cõtuderunt, vehementer in media verberum acerbitate gaudentem. Dimiſſus ab Hiſpanis in ſtationes Gallorum incurrit, ſed euentu diſſimili, humaniter quippe ab iis habitus, tandem Genuam Deo duce peruenit: inde perículoſo & infeſto pyratis mari Barcinonem reuectus, vt qui portus fuerat primus, idem eſſet eiuſdem nauigationis extremus.

a In Hiſpanorũ Gallorumq; ſtationes incidit.

REPERIVIT Hiſpaniam Ignatius magna Deo ſeruiendi cupiditate incenſus in eo genere vitæ, ad quod ab eo vocaretur, omnibus tamen in rebus proximi ſalute propoſita. Capro igitur maturo conſilio reque Deo commendata, ſtudia decreuit amplecti, vt ad diuinam gratiam etiam literarum lumen accederet. Quamobrem id ætatis vir, annũ enim VI.

ag-bat

agebat trigeſimum tertium, Hieronymo Ardebalo, ludimagiſtro Barcinonenſi, viro inprimis bono & pietatis laude præſtanti, in diſciplinam ſe tradidit primis grammaticæ præceptis imbuendum. Eliſabetha interim Roſella quam diximus, matrona pia & nobilis, omnia ei ad victum neceſſaria ſuppeditante. Tantus ei diuini amoris vis ſuique peruincendi ardor inceſſerat. Vnde tametſi dæmon in varias ſe figuras conuerteret, & nihil non ad labefactandum Ignatium à ſtudioque reuocandum moliretur: magis tamen Dei gratia animique conſtantia ad perſeuerandum, quam hoſtiles machinationes ad eum frangendum, fraudeſque valuerunt. Barcinone ſtomachi morbo leuari ſibi viſus eſt, quamobrem ad ſolitam pœnitentiæ ſeueritatem reuerſus, cuius feruorem propter inualetudinem grauiſſimoſque tanti itineris labores intermiſerat, calceos ita perforauit vt reſciſſis tantummodo ſoleis integra ſuperiori parte ad oſtentationem vitandam ineunte hieme nudis plantis incederet. Neque vero ſolum in hoc ſed in reliquis etiam pœnitentiæ ſtudiis eandem rationem ſeruabat. In hac vrbe duo commemoratione digna contigerunt, in quibus patientiæ & caritatis exempla monſtrauit. Primum cum certum & exploratum haberet, petulantes quoſdam adoleſcentes liberius frequentare ſacras virgines cœnobij Angelorum è Dominicana familia, quod extra muros vrbis ea tempeſtate ſitum erat, his perſuadere conatus eſt, vt ad vitandas occaſiones illos aditu prohiberent, animumque ad veram pietatem & religionem adiungerent. Cum vero procaces illi huius conſilio ſibi ianuas occluſas eſſe cognoſcerent, primum minas intentare, tum ex inſidiis occupatum Ignatium adeo graui fuſtuario multare, vt æger inde decumbere cogeretur. Nec ſic tamen eius animi fortitudo potuit ab incœpto retardari: quinetiam lætabatur, quia dignus fuiſſet pro nomine Ieſu contumeliam pati. Alterum fuit eiuſmodi: Cum ex Angelorum cœnobio rediret Ignatius hominem ad viam Lullianam impulſu dæmonis ex ædium ſuarum trabe laqueo ſuſpenſum audiuit, eo celeriter aduolauit, & pendentem ex infelici tigno reſtem abſcidit: ac tametſi de eius morte nemo dubitaret, humi tamen abiectus pro hominis ſalute Deum orare ſupplex inſtitit, hominemque appellauit, & ecce ita reſtitutus eſt ſenſibus; vt peccata ſacerdoti cõfiteretur, actum demum animam inferorum faucibus ereptam Deo redderet. Ea res conſideratis omnibus miraculi loco habita breui vniuerſam ciuitatem fama compleuit. Barcinone biennium exegit ad ſtudia grãmaticæ intentus: tum vero de quorundam eruditorum hominum ſententia anno CIↃ.IↃ.XXVI. Complutenſem Academiam ad capeſſendas altiores diſciplinas petiuit. Ibi cum ad publicum noſocomium diuertiſſet, conſilio nonnullorum eum cuncta celeriter & promptè deuorare cupientium Dialecticam & Phyſicam & Magiſtrum ſententiarum non ſane felici ſucceſſu ſimul aggreſſus eſt. Ea quippe multitudo & varietas intelligentiæ tenebras offudit, & memoriæ perturbationem confuſionemque attulit. Sed cum ſtudio caritatis arderet, & hominum non ſolum animis ſed etiam corporibus opitulandi deſiderio flagraret, nec continuis ſtudiorum laboribus fractus, nec oſtiatim mendicandi cura debilitatus, eodem tempore pueris aliiſque rudioribus fidei rudimenta tradebat, compluribus aliis perorationem & meditationem virtutis viam monſtrabat, ſtipemque cogebat ad ſuſtentandam eorum egeſtatem quos maiori inopia laborare cognouerat. Ea res in hac Academia magnam admirationem effecit, ſed tum potiſſimum cum Ignatium nudis pedibus, laneca tunica natiui coloris amictum viderent, neque differenti ab eo veſtitu tres eius contubernales, qui virtutis illius exemplo permoti idem vitæ genus profitebantur: ſicut & alius quidam adoleſcens natione Gallus qui ad eandẽ ſocietatem acceſſerat: quo fiebat, vt etiam per iocum vulgo tunicatorum ſocietas nominaretur. Ea nouitas de Ignatio eiuſque Sociis variorum vulgo ſermonum anſam dedit, dum quiſque quod viderat, quod audierat, ex animi ſui ſententia vel mitiorem vel in deteriorem partem interpretatur. Sed cum Ioannes Figeroa vicarius Archiepiſcopi Toletani, qui poſtea Regio conſilio præfectus in Regno Caſtellæ deceſſit è vita, diligenter in mores & doctrinam inquiſiuiſſet Ignatij, nihil tamen nec in moribus nec in doctrina niſi ſanum comperit, quod & ſuo teſtimonio comprobauit. Nihilominus vt virtus eius & veritas magis eluceret, ob quorundam calumnias vanaſque ſuſpiciones, duos & quadraginta ipſos dies in publica cuſtodia eſt habitus, quo tempore dici vix poteſt, quantas, quam liquidas animo hauſerit voluptates, quod patiendi pro Chriſto vel innocenti ſibi oblata eſſet occaſio. Non deerant interim magnæ auctoritatis viri, qui pro ſingulari in ipſum amore ſuam operam offerrent ad eum vinculis eximendum. Sed adduci nunquam potuit, vt à quoquam cauſſæ ſuæ patrocinium ſuſcipi pateretur; neque enim id neceſſarium ſibi putabat qui innocentia fretus totus à diuino nutu pendebat; ad hæc, ſi quem forte errorem admiſiſſet, cupiebat videlicet ab eccleſiaſticis magiſtratibus corrigi, quorum ei ſemper antiquiſſima fuiſſet auctoritas. Tandem vero cum ſecundus & quadrageſimus dies abiiſſet, vna cum ſociis vt innocens eſt abſolutus, & omni culpæ ſuſpicione liberatus. Aliud B. Patri contigit in eadem vrbe mirabile: A vicario dimiſſus è carcere, eodem quo ceteri ſcholaſtici genere veſtis vti iubebatur: atque ad eam rem vicarius Ioanni Lucenæ homini caritatis officiis debito mandauit, vti ſtipem per compita cogeret: cum vero huic rei intenti ambo ciuitatem obirent, frequens forte populus luſum pilæ ſpectabat ante domum viri è primaria nobilitate, cuius nomen iuſta de cauſſa reticetur. Is huiuſmodi collectæ cauſſa cognita, conuerſis in Ioannem Lucenam oculis ira commotus, & qui inquit, conuenit te eo loco virum huc te abiicere? addiditque indignans: Ardeam ego, ſi hic, pro quo ſtipem corrogas, rogo dignus non ſit. Ea vox grauiter eorum aures vulnerauit quibus B. Patris ſanctitas erat ſpectata & cognita. Eodem die peroptatus de Philippi II. Regis ortu nuntius venit, vnde factum, vt Compluti totaque paſſim Hiſpania triumphales ignes excitarentur, dum ergo idem hic nobilis in turrim domus ſuæ tormentario puluere inſtructam ad ignes artificioſos adſcenderet: ecce ibi temere illapſa ſcintilla puluereque correpto, horribili caſu cum turri peruſtus interiit. Id vbi Patri nuntiatum eſt præ commiſeratione doloreque illacrymans: Hoc ipſum, inquit, hodierno die mane domum eius me prætereunte ſibi ipſe fuerat imprecatus, ego quidem certe, id ei nequaquam optaui. Eius euenti repente totam vrbem fama peragrauit, fuitque in miraculis habitum ad illuſtrandam huius Ignatij ſanctitatem. Compluto Dominum Fonſecam Archiepiſcopum Toletanum Valiſſoleti commorantem ſibi adeundum putauit. A quo perbenigne acceptus, operaque ſua & ſuorum ad omne officium humanitatis prolixe delata, viatico inſuper inſtructus Salmanticam venit. Ibi nequaquam ſibi quieſcendũ ratus, pro ſua conſuetudine cœpit animos hominum excitare atque ad virtutem ac pietatem cohortari, quo factum eſt, vt paucis diebus eius fama adeo percrebuerit, vt religioſi quidam viri metu periculi, reique nouitate & populi concurſu permoti, qui frequens ad eum audiendum ventitabat ſimul etiam ne in ſanctitatis nomine malum aliquod occultum lateret, cui facile poſtmodum occurri non poſſet, pro ſuo caritatis ardore rem ad Vicarium detulerunt. Eorum ergo conſilio, Ignatius vna cum ſocio habetur in vinculis, & ferrea catena bene longa vterque; ſimul ita conſtringitur vt alter ſine altero neque progredi neque loco mouere ſe poſſet. Verum nec in cuſtodia incitatus ille ſolitarum exercitationum curſus elanguit: ponebat ob oculos pulcritudinem virtutis, vitij fœditatem, animos audientium ad deſpicientiam rerum humanarum incitabat. Magni ad eum audiendum fiebant concurſus, fructuſque reſpondebat minime pœnitendus; exultabat inter hæc animo, cum ſe pro Domino catena vinctum conſpiceret. Mortemque pro eo ſubire vehementer optabat, quem pro ſe ſublatum in crucem meminerat. Eorum vero qui ad ſe conſolandum veniebant dolorem, & inanem commiſerationem eo redarguebat, quod immenſos in cruce Chriſti theſauros reconditos ignorarent. Duobus & viginti diebus in iis vinculis, læti atque alacres fuere; abunde ſuppeditantibus neceſſaria amicis, quamque in Ignatio viderant ſanctitatem mirifice diligentibus. Tandem Baccalaureus Frias Vicarius, adiu-

Ob impedita peccata fuſtuario excipitur.

Cuidã qui ſe ſuſpenderat, vitã ſpatiumq; confitendi impetrat.

Nobilis rogũ Ignatio imprecatus eodem die conflagrat.

Salmanticę in vincula conicitur in eumque inquiritur.

tus eruditorum conſilio innocentes per ſententiam abſoluit, eorumque vitam & mores ab omni labe puros, integroſque pronuntiauit.

Conſulto Deus Ignatium reſeruabat, vt multorum liberorum parens exiſteret, ideoque curſum eius aduerſis licet procellis dirigebat in portum, ad illud gerendum negotium ad quod eum ante delegerat. Quocirca ad conquiſitionem multorum ſociorum ad educendos è cœno peccatorum hominum animos, rectaque diſciplina excolendos incitari cœpit ardentius, ſimulque in hanc cupiditatem venire Pariſios vt adiret omnium tunc Academiarum parentem ſcholamque communem & quoddam quaſi totius orbis theatrum. Tantuſque is ardor fuit, vt neque viri complures & amici auctoritate pollentes, nec vis hiberni frigoris, nec cruentum bellum inter Hiſpanos Galloſque ſuſceptum, nec viæ hoſtium excurſionibus infeſtæ, nec exempla crudelitatis in viatores à militibus exprompta, Ignatium inde deducerent, quo ſeſe ſentiebat cæleſtibus auris impelli; conſueuerat ſcilicet inuenire pacem in bello, in periculis ſecuritatem, in laboribus otium & quietem. Igitur viam pedes ingreſſus per mediam Galliam, Deo duce, ineunte menſe Februario anno CIↃ.IↃ.XXVIII. ſaluus & incolumis Lutetiam vſque penetrauit. Antequam in Academia Pariſienſi ad ſublimiores diſciplinas ſe applicaret Ignatius, latinæ linguæ rudimenta repetiuit, & in humaniorum litterarum palæſtra fere biennium abſumſit. Deinde politiori litteratura ſatis inſtructus in curriculum Philoſophiæ deſcēdit, quo feliciter ſane confecto, Magiſterio artium de conſilio magiſtri ſui ſe decorari eſt paſſus, vt eſſet quoddam eruditionis teſtimonium, quo facilius ad hominum ſalutem incumberet. His honeſtatus inſignibus, ſacræ Theologiæ ſtudia proſequebatur ſingulari Dei ope adiutus, quippe ad perpetuas animi contentiones in adipiſcenda eius ſcientiæ cognitione ſuſcepta, accedebant haud exigua egeſtatis incommoda. Etenim principio Hoſpitali D. Iacobi domo, precario receptus, in ſingulos dies oſtiatim victum quæritabat, tribuſque prioribus annis ſemel & iterum in Galliam Belgicam, ſemel in Angliam, quibus in locis Hiſpani mercatores negotiabantur, per ſummam inopiam proficiſci coactus eſt, vt exigua pecunia donatus, ad proſequenda ſtudia reuerteretur. Præterea tanto pœnitentiæ ſtudio corpus affligebat ſuum, vt ipſa per ſeſe poſſet omnem valetudinem tollere, qua corrupta neceſſe habuit ſtudiorum curſum intermittere, ne vitam amitteret. Quid dicam de aſſiduo labore iuuandi proximum, & ad omnem virtutem cohortandi? Quid de tempeſtatibus & procellis quæ huius rei cauſſa illi ſubeundæ fuerunt, quam multis, quam variis, quam diuturnis? Ex ſcholaſticis enim ingenui quidam adoleſcentes & ingenio ad virtutis laudem ſingulari, cum nuntium rebus humanis remittere & euangelica ſectari conſilia ſtatuiſſent, ſermonibus exempliſque B. Patris inducti, facultatibus in egentes diſtributis, in hoſpitali domo diuerſabantur, & mendicorum more victum oſtiatim rogabant. Ea res grauiſſimos Academia tota motus excitauit, magnoque erat in odio parentum Ignatius, quo fonte genus hoc vitæ manaſſe ſibi perſuaſerant, quam inſaniam æſtimabant. Tantumque valuit inuidia, vt eum aperte criminarentur, multoſque atroces de eo rumores, vt mos eſt maleuolorum, in Dei ſeruos diſſiparent. Neque res in ſermonibus conquieuit, ſed (quod eſt turbulentorum & male moratorum ſupplicium) in gymnaſio S. Barbaræ, in quo ſtudiis artium operam dabat, crudelis ei & publicæ verberationis terror iniectus eſt propterea quod ſodalibus ſuis auctor fuiſſet ad frequentanda ſacramenta, Deum feſtis diebus ſupplicatione placandum, denique eius conſilio quidam Amator nomine, Hiſpanus diſcipulus, collegium deſeruiſſet, rebuſque omnibus abdicatis nudus ſe ad Chriſtum nudum applicaſſet. Quamuis autem ſurgentis huius in ſeſe machinationis mature fuiſſet admonitus, collegij tamen fores occluſæ cum eſſent, ære campano ſignum datum, magiſtri virgis armari, frequentiſſimique diſcipuli ad ſpectaculum adeſſent, ita præſentiam animi retinuit, vt neque titubaret, neque ſe in latebras abderet, neque vllam timoris ſignificationem daret. Verum ne imminueretur Dei gloria, ne qua virtus ignominiæ labe notaretur, neue plantæ nouellæ atque floreſcentes radicitus ea tempeſtate vellerentur, gymnaſiarcham adiuit, ſuamque apud eum ſapienter ac libere cauſſam egit. Afferebat ille quidem, quod in ſe erat promptam & paratam ſubeundæ propter Chriſtum pœnæ voluntatem: ex altera parte tamen vehementer ſe dolere aiebat, iacturam eorum quorum animis igniculi virtutum nuper inſiti nondum adoleuiſſent, ſi propterea quod iis colendæ pietatis auctor fuiſſet, virgis cæderetur. Qua oratione ita gymnaſij moderatoris flexit animum, vt ille cœnaculum ingreſſus omnium exſpectationem falleret, & cui ſupplicium parabatur ſupplex ab eo errati veniam poſceret, qui ita affectus eſſet, vt aliorum ſalute curandi Dei ſolius honorem quæreret, ſuum negligeret. Ad eum modum periculo atque infamia liberatus Ignatius, integritas eius cognita, magnaque eius nominis exiſtimationi facta acceſſio. Quin etiam collegij præſes Iacobus Goueanus natione Luſitanus, doctor & eruditus & ſanctus, eum tanta deinceps beneuolentia, cunctoſque filios eius complexus eſt, vt eo potiſſimum auctore Ioannes III. Luſitaniæ Rex è Societate Ieſu Patres in Indiam miſerit, qui vaſtas illas & longinquas regiones peragrando fideque imbuendis barbarorum animis, & ad Dei cultum adducendis vberrimos fructus extulerunt, tamen boni Deus eruit ex hac occaſione minima dedecoris & ignominiæ pleniſſima. Quinimo vt veritas oculis hominum teſtatior eſſet, & B. Patris innocentia magis eniteret, quidquid in ipſum homines moliebantur, illud fructum & vtilitatem ipſius inprimis ſociorumque traducebat, qui imitandæ virtutis eius amore in dies ſe ad eius ſocietatem aggregabant, quod in hac ipſa vrbe manifeſtum fuit, poſtquam aduerſarij eius maledictis & criminationibus non contenti, Ignatium etiam ad ſacrum fidei quæſitorem detulerunt. Is erat eo tempore Matthæus Orii Theologiæ Magiſter è Dominicana familia vir eruditus & pius. At ille doctrinam eius moreſque, & libellum ſacrarum cōmentationum Minoreſſæ, vt diximus, compoſitum, quem exhiberi ſibi iuſſerat ita probauit vt huius exemplum, illius permiſſu, ſibi deſcribendum curauit: denique integritatis ei & innocentiæ teſtimonium, publici notarij chirographo & ſigillo munitum dederit, & hic ipſe fuit, qui poſtea Romæ Ignatium grauiſſime cum ſociis accuſatum ſuo teſtimonio mira opportunitate defendit, vt ſuo loco dicturi ſumus. VIII.

Pariſios aſpera hyeme periculoſo itinere concedit.

Studia eius Pariſiis, labores & perſecutiones.

Quam viā Deus parat Ignatio & ſociis eius in Indias Orientales.

Quoniam vero in eam curam tota mente incumbebat Ignatius, vt auditores & adminiſtros curandæ ſalutis animorum ſibi adiungeret, nihil fuit ei antiquius, quam vt aliquos adoleſcentes aptos ad hæc munus & bene moratos eiuſdem propoſiti ſocios ſibi adiungeret. Itaque Petrum Fabrum Allobrogem, Franciſcum Xauerium Nauarrum, Iacobum Laynem Seguntinum, Alphonſum Salmeronem Toletanum, Simonem Rodriguez Luſitanum, Nicolaum Bobadillam Palentinum commode nactus eſt. Ad eos acceſſere poſtea tres alij, Claudius Iayus Allobrox, Ioannes Codurius Ebredunenſis, & Paſchaſius Brouëtus Ambianenſis, collectiſque omnibus vniuerſi numero decem fuerunt. Mirum dictu quanta fuerit inter ipſos animorum & voluntatum conſenſio, quamquam diuerſæ nationis homines, & Hiſpanis eo tempore Galli permixti, quo duo regna grauiſſimo inter ſe bello diſſidebant. Omnes erant laurea artiumque decorati inſignibus, & in Theologiæ ſtudio verſabantur. Decimo octauo porro Kal. Septemb. quo die Aſſumptionis Deiparæ memoria celebratur, confeſſione peccatorum expiatis animis, ſumptoque pane cæleſti, in æde ſuburbana montis Martyrum obſtrinxere ſe voto ſinguli res humanas abdicandi ad conſtitutam diem, & in perpetua paupertate ſeruiendi ſaluti proximorum, nominatim autem nauigandi Hieroſolymam, infidelium animos Deo conciliandi, & ad eius cultum adiungendi gratia, ſi quidem Venetiis intra anni ſpatium ſoluendi, vel poſteaquam eo traieciſſent, ibidem commorandi facultas eſſet: ſin minus Romam adirent, & Pontifici Maximo ſuam operam impenſe ad auxilium eccleſiæ, proximique deferrent. His rebus ita conſtitutis, ſociis emenſo

Socii quos Pariſiis collegit, votaque ab iis edita.

ſtudiorum curriculo Venetias iret indixit, vt eorum quorundam confectis in Hiſpania aliiſque viis negotiis, inde rediens illos ibidem ipſe præſtolaretur. Itaque Pariſiis diſceſſit in patriam, quo cum perueniſſet, nullis precibus flecti potuit, vt paternam in domum quam frater natu maximus familiæ princeps adminiſtrabat, diuerteret, cui noſocomium prætulit, victumque de more oſtiatim quæſiuit. Plebem hinc Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuere, ſacraſque conciones ad populum habere inſtituit, tanta frequentia, vt templorum excluſus anguſtiis in agrum prodire cogeretur, multique arbores ad eum facilius audiendum videndumque occuparent. Quanquam vero febri iactaretur corporeque eſſet infirmo, quauis tamen hebdomade iterum & tertio concionabatur, tanta vocis contentione vt trecentis etiam paſſibus & eo amplius diſtantium ad aures perueniret id quod ab omnibus quaſi in miraculi loco ponebatur. Fructus autem reſpondit adeo copioſus, vt multi à turpitudine vitiorum ad honeſtam vitæ diſciplinam reuocarentur, multaque præclara atque vtilia ad leuandam inopum egeſtatem, & tollenda ſcelera decernerentur, vt non animis ſolum, ſed corporibus etiam proſpiceretur; quo factum eſt vt totam breui regionem impleret & fama rerum mirabilium & pulcerrimarum amore virtutum. In iis enim ſedibus Baſtidum quendam nomine, multis annis comitiali morbo laborantem curauit: duas item feminas, vnam quidem nobilem quam exulcerati pulmones, tuſſis, macies phtiſiſque extenuabat: alteram quam ſpatio quatuor annorum ſpiritus malignus afflirat, aliaque mirabilia permulta prodigiorum loco habita, diuina virtute perfecit. Quamobrem eum vt virum ſanctum ſuſpiciebant omnes, eiuſque veſtem religioſe attrectare conabantur. Tandem ea prouincia deceſſit omni viatico deſtitutus ac precario victitans Pampelonam, Seguntum, Siquentiam, Toletum ad agenda ſociorum negotia peragrauit. Inde Valentiæ nauim paratam conſcendens, multis iactatus incommodis Venetias tenuit, vbi ſocios, vti Lutetiæ conuentum erat opperiretur. Sed quia dæmon apertas iam cum eo gereret inimicitias, proſpiciebatque ab eo ſibi graue bellum imminere, ſicut alibi ſic & Venetiis in inuidiam vocauit, miniſtrorumque ſuorum voce proclamauit, eum effigie ab Hiſpanis ignominiæ cauſſa publice cremata, ex iudicij incendio profugiſſe. Sed ab his aliiſque eiuſmodi criminationibus Hieronymus Verallus Archiepiſcopus Roſanus, qui tum apud Venetos ſummi Pontificis legatione fungebatur, poſteaque in collegium patrum purpuratorum eſt cooptatus, Ignatium purgauit & innocentem abſoluit. Itaque dum ſociorum aduentum præſtolatur, de ſolitis occupationibus nihil remittens, nonnullos ſibi nouos commilitones pios & eruditos adſciuit, quoſdam viros nobiles è Senatu virtutum ſtudiis informauit, omnibus denique quibus eius erat ſanctitas ſpectata & cognita, cum ſigna impreſſa pietatis, tum iucundiſſimam ſui memoriam reliquit. Tandem ſocij Lutetia Venetias appulerunt anno CIↃ.IↃ XXXVII. ante diem 6. Id. Ianuar. multis laboribus exerciti tum pedeſtris itineris longitudine, tum anni tempeſtate incommoda. Sed omnes difficultates ac moleſtias fieri cum ope diuina, tum ardentes maiora pro Deo patiendi cupiditate ſuperarunt. Vt vero ad Ignatium nouis iam ſodalibus auctum peruenerunt, quanta dici non poteſt inter ſeſe gratulatione complexi? Mox valetudinariis diſtributis, ægros quacunque potuerunt ope recreare cœperunt. Inde Romam profecti eadem qua Pariſiis venerant ratione oſtiatim victu quærendo, & per vernæ inediæ tempus quotidiana ieiunij lege accurate ſeruanda. Deinde fauſta Pauli III. Pont. Max precatione, tum eius Hieroſolymam nauigandi remanendique auctoritate muniti, ad Ignatium qui Venetiis reſtiterat ſumma item rerum omnium inopia regreſſi ſunt. Ibi ſacerdotio qui ſacerdotes non erant initiati ſunt eodem anno CIↃ.IↃ. XXXVII. D. Ioannis Baptiſtæ natali die, cum prius vota paupertatis & caſtitatis ad pedes Sedis Apoſtolicæ legati nuncupauiſſent, Porro dum conſtitutæ Hieroſolymitanæ nauigationi dies adeſſet, ne quid abiret temporis ſine fructu, in varia interim Venetorum oppida ſocios diſtribui placuit. Ignatius ergo, Petrus Faber, & Iacobus Laynes Vicetiam profecti ſunt, & in agri ſuburbani deſerto, ſemiruto, ventiſque peruio tuguriolo quadraginta diebus commorati, quo in loco Patres è Capucinorum familia ſibi poſtea domum ædificarunt. Modicis ſtramentis humus tecta lectus erat: precarij panis fruſtulis veſcebantur ſitu obducti magnoque labore quæſiti, qui & aqua macerandus & percoquendus erat, vt in cibum eſſet aptior. Labente vero die cum tranſmittendi Hieroſolymam eſſent omni ſpe depulſi, celebriores academias Italiæ excolendas ſibi deſcripſere: ipſe vero Ignatius Petro Fabro & Iacobo Layne comitatus, Deo vocante, Romam adiuit ad iacienda illius Societatis fundamenta, quæ eſſet Dei gloriam per orbem terrarum adeo propagatura. Qua in re illud euenit mirabile, vt cum ſuperioribus annis compluribus ante CIↃ.IↃ.XXXVII. & ſequentibus vſque ad LXX. naues peregrinorum in orientem ſoluere conſueſſent, eo dumtaxat anno clauderetur mare, diceres Deum Ignatio ſociiſque viam ad maiora præſtruere, quàm ipſi vel cogitare vel mente complecti potuiſſent.

In Hiſpania proficiſcitur.

Venetiis accuſatur, & abſoluitur.

Socij Venetiis conueniunt, & ægris in hoſpitali deſeruiunt.

Sacerdotio initiantur & per Venetam ditionem diſtribuuntur.

Hoc ſolo anno mare clauſum euntibus Hieroſolymam.

Honore ſacerdotij decoratus Ignatius annum plenum & integrum collegit animum, & ad primum illud & auguſtiſſimum ſacrificium idoneè comparauit. Interea B. Virgini toto pectore ſupplicauit, vt quæ eſſet ſingularis Dei hominumque conciliatrix, aditum ſibi monſtraret ad Filium, vt à Filio agnitus eundem ipſe agnoſceret, inueniret, diligeret, ei ſummam obſeruantiam obedientiamque præſtaret. Obſecrauit eam præterea, vt ad ſuſceptionem tanti negotij facilem viam patefaceret, remoueretque ſi quod impedimentum occurreret. His deſideriis inflammatus, itinere pedeſtri, victu de more precario, duobus quos diximus comitatus, Romam rectà contendit. Interea quotidie ſacrum Domini corpus ab altero ſuſcipere pie & religioſe non deſtitit: vnde mira diuinitus lumina & incredibiles animo voluptates hauriebat. Ecce autem cum vrbi Romæ iam immineret, ac relictis comitibus templum quoddam auium deſertumque ingreſſus eſſet, effuſo in orationem animo à ſenſibuſque alienato, in magna luce per ſpeciem ei ſe Deus Pater oſtendit, Ieſu Chriſto Filio crucem humeris ferenti Ignatium ſocioſque commendans: quos cum ille in fidem ac tutelam recepiſſet, vt erat cruce onuſtus ad Ignatium conuerſus, hilarique ac ſereno vultu compellans, Ego vobis, inquit, Romæ propitius ero. Qua diuinitus obiecta viſione mirifice erectus Ignatius rem omnem ſuis patefecit ad corroborandos eorum animos, ne quando rebus aduerſis frangerentur, vel periculorum metu deterriti langueſcerent. Ea luce perfuſus ſic animo ſanctiſſimum Ieſu nomen impreſſit, tantoque crucis amore ſuccenſus eſt, vt ob eam cauſſam, Ignatij ſociorumque rogatu, Sedes Apoſtolica huic ordini Societatis Ieſu nomen imponeret. Sic Paulus III. Pont. Max. excuſſis iis calumniis quibus appetebatur Ignatius, appellandam cenſuit. Cum enim Romæ quidam hæreticus praua dogmata vulgaret, & audientium animis pro concione venenum infunderet, noſtris publice refellentibus ſæuiſſimam in eos tempeſtatem commouit, quæ tamen ſingulari Dei prouidentia breui ſedata eſt. Niſi quis forte caſu factum exiſtimet, vt ex Hiſpania, Gallia, Venetiis alius alia de cauſſa Romam eodem tempore conuenirent, quotquot Ignatij iudices ante extiterant, quorum quæ à tribunalibus non modo abſolutus ſed præclaro etiam innocentiæ teſtimonio ornatus diſceſſerat. Quo factum, vt veritate cognita præfectus vrbis Romæ iubente Pontifice omni eos ſuſpicione liberaret. Quo maiori conſilio Societas hæc noua ſtabiliretur, idem Pontifex eius inſtituti cognitionem tribus è ſacro purpuratorum Patrum collegio delegauit, & illi quidem, ne res conficeretur, pugnauere: ſed omnium acerrime Bartholomæus Guidiccionius Cardinalis, propterea quod è republica Chriſtiana iudicaret, vt à creatione nouarum religionum abſtineretur, ſed magis veteres labefactatæ, in priſtinam diſciplinam reuocarentur, vti ab Innocentio III. in concilio Lateranenſi, & à Gregorio X. in Lugdunenſi lege ſancitum fuerat. Nec id cuiquam mirum videri debet: nam & BB. Dominicus & Franciſcus ſummi illi religionum Patriarchæ, familiarum ſuarum primordia per eaſdem difficultatum ſalebras traduxere. Erant quippe hæc opera diuinitus inſtituta ad hanc vtuti-

Ignatij in B. Virginem matrem pietas.

Chriſtus crucem baiulans ſeque ei ſpondet propitium fore.

Occaſio nominis Societatis Ieſu.

Tempeſtas in Societatem excitata Romæ miraque in ea ſedanda Dei prouidentia.

In confirmanda Societate difficultas.

trutinam normamque reuocanda. Sed quia Dei Filius Ignatij cauſam iam ante ſuſceperat, ſeque propitium Romæ futurum ſpoponderat, ita Cardinalis Guidiccionij voluntatem mutauit, vt ab eius ore vox illa manaret. Nouas quidem religiones probare non poſſum, hanc tamen improbare non audeo: ſic enim animo affectum eſſe me ſentio, vt quo non ducit ratio, eo diuina voluntas incliner, eoque impellat affectu, quo argumentis adduci ante non poteram. Atque ita factum eſt, vt idem Cardinalis apud Pontificem Societatis inſtitutum prolixe laudarit, & Pontifex eo perlecto hoc quaſi oraculum promeret: Digitus Dei eſt hic: & initia quidem parua, ſed ſperare ſe futurum, vt nequaquam exigui fructus inde in eccleſiam redundarent. Et ordinem Societatis confirmauit ille quidem anno CIↃ.IↃ.XL.V. Kal.Octor. quo die anniuerſaria SS. Coſmæ & Damiani gratulatio celebratur. verum tamen maioris experimenti cauſa certo adhuc perſonarum numero definiuit. Quam confirmationem anno demum CIↃ.IↃ.XLIII. renouauit, omni hominum & temporum definitione ſublata. Quod ipſum anno CIↃ.IↃ.L. Iulius III. Pauli III. ſucceſſor, & deinceps reliqui Pontifices ad hoc vſque tempus, cumulatè præſtiterunt, nouis quinimo gratiis Societatem auxerunt & beneficiis ornauerunt, vt eorum diplomata teſtantur. Verum vt ad Ignatium reuertamur, ad eum quem diximus modum confirmata Societate, primi eius commilitones qui in Italia reſtiterant ad creandum Præpoſitum generalem Romam conuenere, ceteri litteras ſuæ voluntatis indices miſerunt. Atque eo conuentu communibus ſuffragiis & vna omnium conſenſione Præpoſitus generalis Ignatius eſt deſignatur. Sed ille qua erat animi demiſſione, ne Societati regendæ præficeretur, pro ſua virili pugnauit, vniuerſoſque ſuppliciter rogauit, ne ſuis humeris onus imponeretur cui ſuccumberet, & quod ſine detrimento Societatis ferre non poſſet. Hac Patres obſecratione permoti iacentem eius animum erexerunt, quattuor dierum orationes ad explorandam Dei voluntatem indixerunt. Demum in ſuffragia turſus itum eſt, ſed eodem euentu: at nec ſic inſignis illa ſui deſpicientia ſuperari potuit, nec opinio propriæ vilitatis euelli. Sed cum receſſiſſet in cœnobium D. Petri quod in aureo monte, poſitum eſt, paucis diebus ibi commoratus, totius vitæ maculas aperuit cuidam P. Theophilo è Franciſcana familia, cui & ante confirmationem Societatis confiteri peccata conſueuerat. Igitur conſultus ille cum reſpondiſſet, ipſum Spiritui Sancto repugnaturum ſi cunctorum ſuffragationi reſiſteret. Hac voce victus Ignatius, ceruices iugo ſubiecit quod ei Deus imponebar. Itaque eodem anno CIↃ.IↃ XLI. X. Kal. Mai vrbis Romæ celebriora templa, & ſtationes adiuit Patribus comitatus ac tribus fratribus, è quibus vnus eram, atque in æde B. Pauli rem diuinam fecit. Inter quam tria religionis vota nuncupauit quartumque adiunxit, quo Romano Pontifici in obeundis quocunque terrarum miſſionibus fidem obſtringeret. Ceteri deinde ſacrum Domini corpus ab eius manu ſumſerunt, cum ſe iiſdem votis ad pedes eius obligauiſſent, omnium animis tanta cæleſtium voluptatum irrigatione perfuſis, vt lachrymantibus oculis ſummas Deo gratias agerent, qui ad felicem exitum perduxiſſet confirmaſſetque quod operatus fuerat in ipſis. Ex eo tempore ſtetit ordo Societatis ab Apoſtolica Sede confirmatus, atque ad maiorem Dei gloriam vtilitatemque eccleſiæ, tum religioſos votis illigatos, tum caput à quo gubernaretur, habuit.

Paulus III. Societatem Ieſu confirmat.

Ignatius Generalis Præpoſitus eligitur.

Ignatius & ſocii profeſſionem emittunt.

Facvs Generalis ordinis Magiſter Ignatius tale ſui muneris duxit exordium: poſtridie ſurrexit bene mane de lecto & à ſomno reliquos excitauit. Nam aſſiduam ſuorum curam gerere ſuarum partium exiſtimabat, efficiendumque vt ſuum munus quiſque præſtaret. Atque vt, quo ſublimiorem dignitatis gradum aſcenderat, eo magis etiam ſeſe demitteret, culinam ingreſſus in eius officiis multis ſe diebus exercuit, tantaque alacritate ad alia viliſſima quæque miniſteria domus acceſſit, vt ea tractare tanquam nouitius ad progrediendum in virtute longius ad coercendas ſenſuum cupiditates abdicandamque voluntatem videretur. Doctrinam deinde Chriſtianam tradere aggreſſus, eiuſque rudimentis in æde noſtra puerorum animos atque ignaræ plebis imbuere, ſex & quadraginta ipſos dies in expoſitione mandatorum, ſymboli ceterorumque fidei noſtræ myſteriorum continenter poſuit, Qui licet vt homo peregrinus Italicè loqueretur, orationemque proferret ad audientes impropriam & incultam, verborum tamen grauitas magnos in eorum animis motus excitabat. Cumque docendi finem feciſſet, multi repente ſacerdotem adibant acri peccatorum dolore perculſi, atque ad eius pedes genibus nixi tantos ſciebant gemitus, vt inter confeſſionem nimia vi lachrymarum crebrius inſiſtere, & vocem interrumpere cogerentur. Teſtis huiuſce rei ſum locuples, & qui tatum è pueris nondum exceſſeram, quæ docuiſſet ipſe pridie, ego poſtridie recolere ſolebam. Huc accedebat labor nouellæ Societatis radices altius figendi totoque orbe propagandi. Eandem quotidianis ipſe orationibus alebat, prudentia gubernabat, caritate accendebat, animi magnitudine defendebat, denique ad virtutem acuebat eximiæ probitatis exemplo. Ad hæc Deus qui eum necopinantem ad tale opus delegerat, tantam ei gratiarum copiam largitus eſt, vt quidquid ſuſciperet abſolutum ilico perfectumque iri, certum atque exploratum videretur. Tantum quippe valuit eius virtus & induſtria, vt ab Apoſtolica Sede confirmata Societas (quod eſt omnino mirabile) minimis initiis ita creuerit, vt vnius anni ſpatio cancellis ſuis egreſſa, ſeſe in Galliam, Italiam, Germaniam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Hiberniam Indiamque occidentalem effunderet. Præfuit B. Pater Societati annos quatuordecim, menſes tres, dies nouem à decimo Kal. Mai. CIↃ.IↃ.XLI vſque ad prid. Kal. Auguſt. anni CIↃ.IↃ.LVI. quo die diſceſſit è vita. Hoc interim ſpatio nunquam Roma niſi bis abfuit, ſemel cum in regnum Campanum profectus, iterum cum Ornietam vt ad Paulum III. Pont. Max. de grauiſſimis negotiis referret, quæ duobus hiſce temporibus caſus obtulerat. Interim in hac cura verſatus eſt, vt ſtabiliret & gubernaret ipſemet Romanam domum, quæ eſſet mater ceterarum, vnde noſtros varias in partes mitteret concionandi gratia; iis præceptis inſtructos quorum normam ac regulam ſecuti, digne Chriſti miniſterio fungerentur. Sed quia Societatis integritas, famaque Dei beneficio manabat in dies latius, quæ mirifice valebat ad conciliationem animorum, ob idque multi collegia expetebant, vt eius doctrinæ laboriſque fructum perciperent, hoc etiam agebat vt hanc prouinciam quibus in locis magis neceſſarium videbatur idoneis inprimis hominibus probatiſſimiſque mandaret, & ipſa Societas tanquam nouella quædam planta, quam Deus in eccleſia pro ſua bonitate volebat longe lateque propagari, radicibus firmata conualeſceret. Denique quia B. Patrem eiuſque familiam dæmon iam inde ab initio ferre non poterat, falſiſque criminationibus & calumniis eam identidem onerabat, acriter eum maxime à ſe ſuiſque depellendas ratus, veritatem mendacio opprimi minime patiebatur. Verum, quia domeſticis oneribus tantis ac tam grauibus contentus eſſe non poterat, quibus vel robuſtiſſimus quiſque ſuccubuiſſet, ad externos etiam ſe transferebat, & eos ingenti caritate ad ſalutem vocabat. Laborauit enim vt inueterata quædam Romæ vitia tollerentur, eaque ſtatuerentur quæ eſſent cum hominum ſalute coniuncta; in quibus illud fuit, vt lex Innocentij III. iam intermortua renouaretur, qua cauetur, ne medicus poſſit ægroto operam ſtudiumque nauare, priuſquam animus ſit ſacra delictorum confeſſione purgatus. Deinde vt locus in vrbe decerneretur Iudæis & infidelibus alendis, qui vellent lucem veritatis aſpicere. Ab eo profecta ſodalitas illa quæ in cœnobio B. Marthæ conſtituta, à Gratia Mariæ nomen accepit, in quam vſque eo reciperētur profligatæ mulieres ſiue matrimonio iunctæ ſiue liberæ, quoad viris reconciliarētur, vel ad meliorē frugē reuocarētur. Quæ res, pardēri ſua caritate adeo ei cordi fuit, vt cū è cœno peccatorū emerſiſſent eas, nōnunq̄ luce palā ad B. Marthæ comitaretur: nec ætas, nec quā valebat auctoritas, nec dignitatis gradus in quo Deus eū collocarat ab hoc officio retardaret. Cū vero quidā obiiceret in his mulierculis fere operā perdi, quippe cū inueterata peccādi libidine, facile ad ingeniū redire, inq; eadē vitia relabi ſoleāt: Minime, inquit, imo ſi omnibus vitę meæ curis & vigiliis id efficere, poſſum,

Generalis factus quid agere cœperit.

Primo poſt confirmationem ſuā anno Societas mire propagatur

Occupationes Ignatij Romæ.

Operа piæ que fundationes quas Romæ procurauit.

poſſum, vt harum aliqua noctem vnam peccatis vacuam ducat, bene feliciterque ſuſceptas arbitrabor, vt vel exiguo illo tempore diuina maieſtas non offendatur. Nec minori cura pupillorum orbitati ſubuenit, eius enim opera aſſignatæ ſunt habitationes duæ pueris ac puellis quæ amiſſis parentibus, omnibus pariter vitæ commodis eſſent deſtitutæ. Denique maiorem in modum laborauit, vt conſtitueretur cœnobium S. Catharinæ vulgo de funariis aſylum commune virginum: quæ vel egeſtate vel ſua negligentia, vel perfidia matrum, pudicitiæ diſcrimen adirent. Atque vt eximius hic in proximos amor & in rebus pro Deo agendis animi conſtantia magis eluceret, Deus in ipſum ſæuas ſubinde tempeſtates indidem oriri patiebatur, quæ tandem ad veritatem tanquam ad ſcopulum alliſæ frangebantur omnes; vnde magis eius acta confirmabantur, & ſanctitas euadebat illuſtrior. Fidem ſuperare videbatur, vt vnus ſuſtinere tot onerum grauitatem quibus beatus hic Pater premebatur, imbecilla præſertim ac tenui valetudine: Nam præter eas de quibus diximus occupationes quæ multos etiam bene ſanos defatigaſſent, accipiebat quotidie litteras ex omnibus orbis pene partibus, à principibus omniſque generis optimatibus, quibus alius preces, alius conſilia, alius eius induſtriam ſuis in negotiis expoſcebat: multi item pro beneficiis ex labore filiorum acceptis, gratulabantur: mitto cetera, quibus procul dubio fractus debilitatuſque ſuccumberet, niſi Dei ope ſuſtentaretur; qui ita leuabat Ignatium, vt quo eſſet infirmior, inque onere tam graui quo magis humano eſſet auxilio deſtitutus, eo maiorem præferret alacritatem, Deique virtus magis in eius infirmitate ſplendeſceret. Denique B. Pater animi virtute corporis debilitatem ſubleuabat, huius vitæ labores patienter ferebat, ex vnius diuinæ nutu voluntatis ſuam pendere deſiderans. Sed quamuis ita ſe res haberet, tanta cupiditate tamen Dei videndi fruendique ardebat, vt nunquam de morte ſine lachrymis gaudio fluentibus cogitaret.

XI. QVAMOBREM ingraueſcente iam ætate, morbis oppreſſus, turbulentis eccleſiæ temporibus afflictus, Chriſtique intuendi deſiderio, gemebundus eum obſecrauit, vt huius vitæ exilio liberatus, eo migrare ſibi liceret, vbi liberius laudes eius decantaret beatoque conſpectu frueretur. Nec irritas fuiſſe preces ſignis haud dubiis intellexit. Scriptis enim litteris ad Dominam Leonoram Maſcarenam, quæ Patris ipſius erat ſtudioſiſſima & Catholici Hiſpaniarum Regis Philippi II. pueritiæ præfuerat, ei ad extremum valedixit, addiditque (vt ipſa mihi narrauit) has eſſe litterarum ſuarum poſtremas, ſeque in cælo maiori impoſterum ſtudio ſalutem eius curaturum. Tametſi igitur grauiori morbo non vrgeretur, qui domeſticos aliqua mortis imminentis ſuſpicione percelleret, ſed tantummodo ſolita debilitate langueret, cum tamen extremum ſibi diem aduentare præſentiret, animum confuſione expiauit, & cæleſtibus epulis refecit; quod ei ſolemne erat, quoties rem ipſe diuinam facere non poſſet; deinde tertio Kal. Aug. ſub veſperam P. Ioannem Polancum, quo in ſcribendis litteris vſus fuerat adminiſtro, tale nihil opinantem vocauit, eique animo tranquillo obitum ſibi inſtare prædixit; quamobrem ſuo nomine ſummum Pontificem mature adiret, ab eoque poſt religioſa pedum oſcula, fauſtam ſibi precationem peccatorumque indulgentiam impetraret, quo lætior & ſecurior migraret è corpore. Eam vero ſummus Pontifex admodum libenter magnaque ſignificatione tum amoris, tum doloris impertiuit. Aduocati deinde medici, cum nullum ab eo morbo periculum eſſe dicerent, ſiluit Ignatius: nam qua erat animi demiſſione dona Dei quibus erat præditus, futurique præſcientiam oſtentare nolebat, quare ſuam medicis libertatem relinquere ſtatuit, eorumque ſequi iudicium quidquid tandem illi præſcriberent. Itaque poſtridie mane, prima ab ortu ſolis hora prid. Kal. Aug CIↃ IↃ. LVI. feria hebdomadæ ſecunda, ſublatis manibus, ſereno vultu, oculis in cælo defixis, voce menteque appellato Ieſu nomine, animam ſuo reddidit conditori. Vir modeſtia plane mirabili: quam ad vitæ finem vſque ſeruauit. Cum enim extremum obitus ſui diem non ignoraret, animum tamen inducere non potuit, vt, quod in eius erat arbitrio vicarium ſibi ſufficeret, aut filios ad eos exhortandum vocaret fauſtáue precatione proſequeretur, aut alio quopiam fungeretur officio Patris, prorſus quaſi omnium infimus eſſet, nec vllam operam ad conſtituendam Societaté contuliſſet. Ætatis agebat cum diſceſſit annum ſexageſimũ quintum, à conuerſione, trigeſimum quintũ quos in extrema paupertate, pœnitentia, peregrinationibus, literarũ ſtudiis vinculis, cõpedibus, laboribus ærumniſq; traduxit, q̃ omnia pro Chriſto ſumma lætitia animiq; magnitudine pertulit. Conatus eſt item dæmon & cuiuſque generis aduerſarij totis eum viribus affligere, ſuſceptoſque ad Dei gloriam conatus eius diſturbare, ſed inuicto animi robore omnibus Dei beneficio ſuperior ſemper euaſit. Vixit annis ſex & decem à confirmata Societate, quam interea multiplicatam vidit & toto propemodum orbe diffuſam. Duodecim prouincias conſtitutas reliquit, Luſitaniæ, Caſtellæ, Aragoniæ, Bœticæ, Italiæ, quæ Galliam Ciſalpinam Hetruriamque complectitur, Neapolis, Siciliæ, Germaniæ tum ſuperioris tum inferioris, Galliæ, Braſileæ, Indiæ quæ ad ortum eſt, in quibus tũ Societatis vel collegia vel domicilia centum numerabantur. Luxit Romana ciuitas vniuerſa mortem huius admirandæ ſanctitatis viri, ſed eius in primis filij qui Romæ tunc erant, ceterique vniuerſi. Illius tamen mortui, vel vt verius dicam viuentis, opem auxiliumque ſenſerunt. Nam ex illius obitu ſuauiſſimus quidam in vniuerſa Societate doloris ſenſus eſt conſecutus, lacrymæ iunctæ cum gaudio, deſiderium ſanctæ ſpei plenum, vigor & robur animorum paſſim excitatum, ita vt omnes laborandi pro Chriſto, grauiaque ac difficilia patiendi noua quadam ardere cupiditate viderentur. Eius corpus in templo noſtro S. Mariæ de Strata ad dexteram aræ ſummæ Kal. Aug humili ſepulcro mãdatum eſt. Anno vero CIↃ. IↃ. LXIX. ara loco mota, primum in aduerſam eiuſdem ædis partem translatum. Inde rurſus anno CIↃ. IↃ. LXXXVII. XIII. Kal. Decemb. qui dies S. Pontiano conſecratus eſt, in ædem ſumptuoſam profeſſæ domus ab Alexandro Farneſio Cardinali nuper exſtructam. Tumulo conditum fuit ad altaris dexteram in arca plumbea, planumque ſaxum impoſitum, muro vero nigrum politumque marmor inſertum, & hæc inciſa inſcriptio.

Dies obitus eius vlt. Iulij 1556.

Prouincias & domos Societatis quot conſtitutas reliquerit

Sepultura eius corporiſque tranſlatio.

D. O. M.

IGNATIO SOCIETATIS IESV FVNDATORI: OBDORMIVIT IN DOMINO ÆTATIS SVÆ ANNO LXV, CONFIRMATI A SEDE APOSTOLICA ORDINIS XVI. SALVTIS HVMANÆ CIↃ. IↃ LVI. PRIDIE KAL. AVG. EIVS IN CHRISTO FILII PARENTI OPTIMO POSVERE.

NVNC ibi pie colitur corpus huiuſce B. Patris ab omnibus non modo filiis, ſed vniuerſo populo curiaque Romana, atque aliis qui eo religionis cauſſa ventitant. Mouentur enim admirabili ſanctitate vitæ rebuſque mirabilibus ſuas Deus ad illuſtrandum eius apud homines nomen, eiuſdem precibus afficit, copioſiſſimiſque fructibus qui à filiorum ſudore laboribuſque toto terrarum orbe naſcuntur. Neque non vident radicem quæ plantas eiuſmodi genuit quam perfectiſſimam eſſe oportere, vberrimum Deoque gratiſſimum fontem, è quo fluxerunt illæ abundantes ac ſalutaris aquæ virtutum atque doctrinæ, ad aridam huius mundi irrigandam, quæ innumerabiles alioqui ſpinas & herbas frugibus inimicas effunderet. Fuit mediocri ſtatura, ore venuſto, fronte lata neque rugoſa, depreſſis oculis, palpebris vi lachrymarum contractis & corrugatis, modicis auribus, naſo maiore & aquilino, colore nec albo nec fuſco ſed vtroque mixto & temperato, caluitie veneranda, vultus illi iucunde grauis & grauiter iucundus, quique intuentes ſpecie quadam & conformatione recrearet, grauitate componeret. Ex altero crure nonnihil claudicabat, quod accepto vulnere demptoque oſſa paulo contractius erat, honeſte tamen & quod incedendi moderatione tegeret.

XII. ENIMVERO quis admirabilem concentum virtutum eius pro dignitate commemoret? quis cæleſtes opes quibus eum Deus locupletauit, cæleſtia dona quibus ornauit? pœnitentiæ grauitatem? perfectam contemptionem rerum

humanarum? eximiam animi demiſſionem? inuictam patientiam? amabilem manſuetudinem? prudentiam ſingularem? ſuauem & efficacem gubernandi rationem? conſtantiam in rebus aduerſis? robur in iis quæ difficilia ſunt pro Dei amore ſuſcipiendis, vigilantiam & ſollicitudinem in exſequendis? ardentem amorem in Deum & proximum? quis aſſiduitatem, contentionem, tranquillitatem orationis, qua animus Dei ſponſi ſui amore concaleſcebat? quis prodigia quæ idem Dominus per eum fecit & in dies facit? nam vt omittamus pœnitentiæ ſeueritatem, egeſtatem, inediam, frigus, verberationes, cilicia, & omne pœnarum genus, quibus corpus exercuit ex quo cœpit Deo ſeruire, humilitatem inprimis reliquarum virtutum fundamentum ardenter amplexus eſt. Itaque pannoſus & ſeminudus, egens in hoſpitali pauperum domo paſſim cum egentibus verſari, abiici & conculcari, ignobilis eſſe ac pro nihilo putari, exultare gaudio ſi quando deſpiceretur, & pro Chriſti amore vexaretur. Sic enim expreſſam non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum nobis huius virtutis imaginem reliquit: vt eam nobis proponentes eo magis nos demittamus, quo volumus excelſiorem in locum adſcendere, quantoque ſublimiorem ædificij molem exſtruimus, tanto altiora fundamenta iaciamus: illud denique certum & exploratum habeamus, multo magis hanc ſubmiſſionem ad ſalutem & conuerſionem animorum valere, quam humanam auctoritatem, vel cum tenuiſſima ambitionis aut arrogantiæ ſuſpicione coniunctam. Et ille quidem talis tantuſque cum eſſet, vt ex ipſomet audiui, petebat ab omnibus è domo virtutum exempla, ſu[…]ebatque materiam erubeſcendi, nec vllum niſi ſe tantum improbabat. Scripſit aliquando in quadam epiſtola, qu[…]m vidi, ſe nullum vnquam cum vllo quamuis improbo de rebus diuinis exorſum eſſe ſermonem, quin hac arte ſibi magnum cepiſſe fructum videretur, propterea quod ſine dubitatione ſe nequiorem illo deterioremque exiſtimaret. Ad hæc dictitabar, credere ſe in terris reperiri neminem, qui collatis in ſe tot tamque aſſiduis Dei beneficiis ſæpius quam ipſe prætermiſſæ gratiæ culpam incurreret, & negligentius officium Deo præſtaret. Mihi dixit aliquando, ſe à Deo precatum vt cum è vita migraſſet, cadauer ſuum auibus & feris dilaniandum abiici pateretur; Cum enim, inquit, vt probe noui, nihil ſim niſi ſterquilinium & fœtida cloaca, quid aliud ſceleribus meis dignum exoptem? Ab omnibus cupiebat illudi, aiebatque futurum vt in publico pannoſus, aut ſeminudus & lutulentus incederet, niſi moderaretur affectibus, vt fatuus ab omnibus iudicaretur. Sed hunc humilitatis ardorem caritate deſiderioque iuuandi proximum temperabat. Raro de rebus ſuis agebat niſi res magnam neceſſitatem afferret. Quod ſi de iis alius eo præſente tractaret, aut ea diceret quæ eſſent cum eius laude coniuncta, continuo ſeipſum colligebat lachrymans & magno rubore ſuffuſus. Sacerdos quidam Societatis maturus & ætate grauis ei à confeſſionibus aliquandiu fuerat, natione Nauarrus, nomine Iacobus Eguia vir tantæ virtutis & innocentiæ laude cumulatus, vt B. Pater diceret: Cum ad cœtum beatorum in cælis aggregati fuerimus, P. Iacobus in tantam excelſitatem aſcendet, vt eum nos locorum interuallo diſiuncti videre vix poſſimus. Atque hic ſenex virtutes & integritatem B. Patris grauiter extollere ſolebat, vt qui eius animi candorem intimoſque ſenſus exploratos haberet & cognitos. Erat hæc Patri adeo grauis & odioſa laudatio, vt eum interpoſito obedientiæ nomine iuſſerit eiuſmodi ſermonibus abſtinere. Sed hic immemor edicti, cum in priſtinam ſubinde conſuetudinem relaberetur, deſtitit etiam ipſe eius in aure peccata deponere. Hic idem ſenex illud crebro vſurpabat; Vtinam me Deus P. Ignatio vel paucis diebus ſuperſtitem eſſe vellet! ad ea patefacienda quæ de ipſo cognoui. Sed Deo cuius in poteſtate ſunt omnia longe aliter viſum eſt. Nam hic ante B. Ignatium triduo deceſſit, quod ipſum, vt creditum fuit, precibus impetrauit Ignatius. Tantam autem ſui cognitionem erat conſecutus, vt compluribus annis antequam huius lucis vſuram amitteret, nullo omnino ſenſu tangeretur inanis gloriæ, tantoque lumine illuſtratus vt diceret, nullum eſſe culpæ genus à quo minus ſibi putaret metuendum. Hic tamen vermis omnia rodit, etiam cedros Libani: atque in animo ſui amore excæcato & de ſe maiora ſentiente innaſcitur. Nihil erat apud eum lautum, nihil elegans, nihil exquiſitum, nihilque ſumptuoſum, humilitatem cuncta redolebant: vilis erat illi veſtitus tametſi nitidus & mundus, vilis lectus, vilis cibus, adeoque tenuis & parcus, vt perpetuam quandam ieiunij legem ſeruare videretur: In abiectioribus domus miniſteriis libentiſſime verſabatur, cuiuſmodi erat componere lectos ægrotorum aliaque id genus quam plurima. Quod ſi res in controuerſiam vocaretur non ſatis clara & euidens, facile in aliorum ſententiam ibat. Quamuis honoris gradu ſuperior eſſet omnibus, ſe tamen æquabat iis qui ſub eius erant poteſtate, immo vero ſubiiciebat ſe interdum etiam minimo, admirabili quadam lenitate & modeſtia. Cum doctrinam Chriſtianam rudioribus traderet, puer quidam è collegio ſimpliciter & candide monuit, vt curam & ſtudium in expolitione linguæ poneret, eo quod neſcio quid barbarum & peregrinum in Italica lingua ſonaret. Cui Pater, Recte mones, inquit, ſed obſerua diligenter (amabo) me docentem, & ſi quid vitioſum fuerit notato, vt emender. Cur ordinem nomine Ieſu inſigniri voluerit, ea potiſſimum ratio fuit, ne de ſuo nomine diceretur, neue eius conſtituendæ ſocius & adminiſtrator fuiſſe videretur. Si quando mentionem eius inferret, illud vſurpare conſueuerat. Hæc minima Societas, vt quemadmodum eſſet ipſe iudicio ſuo minimus, tales etiam haberentur & filij. Sed quid hanc virtutem commemorem, qua toties ex animi ſui ſententia Societatis adminiſtrationem deprecatus, & vſque eo recuſauit quoad is qui à confeſſionibus ipſi fuerat, religionem iniecit? ſed nec tamen in poſterum conquieuit? nam anno CIↃ.IↃ.L. præcipuos è Societate Patres conuocauit, vt iis auctoribus magiſterio ſe abdicaret. Denique teſtatus eſt & ſcriptis ad eos litteris confirmauit, in ſe nō reperiri vel minimam partem earum virtutum quæ ad hoc munus neceſſariæ eſſe videantur. Verum ſit hoc humilitatis eius, ſcimus enim quicunque eum nouimus tam eximiis fuiſſe præditum, tanta ſcientia gubernandi, vt ſummi moderatores ordinis noſtri ab eo bene regendi exempla petere merito deberent. Sed quamuis quod deſiderabat impetrare non potuit, patreſque facti auctores futuros ſe negauerunt, noua tamen huius abdicationis conſilia tractare non deſtitit, & omnes vias perueſtigare, quibus adminiſtratione ſolutus & liber ad contemplationem ſe transferret. Exiſtimabat enim (vt mihi quidem dicebat) inutilem ſe & ineptum ad omnia, & in eo gradu collocatum, quem alius quam ipſe felicius teneret. Sed neque tum ipſi quod optabat extorquere fas fuit; firmiſſime ſiquidem aſſeueratum fuit, non eſſe ſperandum vt ad eius voluntatem accederet vnquam Societatis auctoritas, neque commiſſuram vt eius gubernacula alius eo viuo capeſſeret. Ab hac tam eximia præſtantique virtute naſcebatur deſpicientia ſui rerumque humanarum ac terrenarū. Auet enim qui vere demiſſus eſt deprimi, cenſetque eam depreſſionem, vt B. Bernardus auctor eſt, munire ad humilitatem viam. Ab eadem oriebatur in laboribus fortitudo, patientia in rebus aduerſis. Talis enim cum ſit ad ſeipſum ſemper intentus, ſeque maxime nocentem & conſolatione indignum exiſtimet, omnibus ſe rebus inferiorem putat, nec mali ſibi quidquam poſſe accidere, quod pro magnitudine peccatorum ſuorum exiguum non videatur: huic denique optatiſſimum eſt, vt res omnes quaſi iuſtitiæ diuinæ adminiſtri debitas atque vltrices à ſe pœnas repoſcant.

Mundi contemptus atque in tribulatione conſtantia

QVID dicā domitas habuiſſe cupiditates? quid libidines & reliquos impetus animi nō rectos? tāta pace mentiſque II.
trāquillitate fruebatur, vt nihil admodū eū turbare poſſe videretur. Erat ea cōſtitutione corporis, vt bilis maxime dominaretur, tāta tamē in eo cernebatur comitas, affabilitaſq; ſermonis, vt eū natura pituitoſū & frigidū diceres. Sed eo quod in affectu vitioſum erat edomito, vim tamen in agendo vigoremque retinebat. Eundem tenorem ſemper in rebus gerendis habuit & perpetuitatem in omni vita ſeruauit. Licet enim valetudo corporis eſſet varia, ſemper tamen conſtans animus & æquabilis erat, nec inclinatio rerum aut temporis animi inclinationem afferebat. Atque hæc æquabilitas animi perpetuaque conſtantia in corpus etiam ſuo modo redundabat, vultumque pro ſua voluntate fingebat

Paſſionum eius mortificatio

gebat. Aliquando cum morbo laboraret, monuit medicus, vt omnium rerum imagines quæ triſtitiam animo afferre poſſent, e cogitatione depelleret. Quocirca ſecum attentè cogitare cœpit, num res tam atrox & acerba poſſet accidere, quæ ſe moleſtia afficeret, & è perpetua mentis pace & tranquillitate deiiceret. Hæc cogitanti & rerum naturam peregrinanti illud vnum occurrit; Si quo caſu Societas diſſolueretur. Quod ſi tamen hoc ſine ſua culpa eueniret, & quartam horæ partem in oratione poneret, priſtinam animi quietem ſe recuperaturum ſperabat, etiamſi vniuerſa Societas tanquam ſal aquâ colliquiſſet. Quantum ergò à ſe ipſo auulſum, & Deo conglutinatum fuiſſe oportuit, cuius in re tam graui eiuſque propria, tanta erat cum diuina voluntate conſenſio? indicium id ſanè clarum & euidens, vitioſam naturam penitus in Ignatio edomitam ac compreſſam fuiſſe. Hac abdicatione voluntatis, hac animi moderatione & cognitione ſui, ad caritatis in Deum reliquarum virtutum reginæ ac dominæ perfectionem ſibi fecerat gradum, quæ quidem nulla in re magis elucet, quàm in earum rerum varietate & copia, quas pro eius amore geſſit ac pertulit. Verus enim amor nunquam eſt otioſus: nec ſatis ei eſt multis agendo frangi laboribus pro eo quem diligit, niſi & multa pati paratus ſit ſanguinemque profundere. Et quidem quantis laboribus hic ſe B. Pater exercuerit, quanta pro Dei honore gloriæque propagatione perpeſſus ſit, illud quodammodò ex iis quæ dicta ſunt colligi poteſt. Sed idem tamen dicere ſolebat, huius inferioris mundi vniuerſas in altera libræ lance poſitas, nullius apud ſe ponderis fore ſi in alteram imponerentur quas hauſerat à Deo gratias in vexationibus, carceribus, catenis, quas pro eius amore ſubierat, nec quidquam poſſe tantum in animo ſuo voluptatem gignere, quantam in tolerandis pro Deo rebus aduerſis capiebat. Vnde cum quidam Pater ex eo quæreret, quænam eſſet breuior, certior & ſecurior quærendæ perfectionis via, rerum multarū & grauium pro Dei amore perpeſſionem eſſe reſpondit. Roga Deum, inquit, vt idem tibi beneficium tribuat, nam in quem illud collocat, alia multa confert quæ in eodem includantur. Hoc rogabat, hoc adeptus erat, hoc docebat Ignatius, vnde quanta in Deum fuerit caritate perſpicimus. Sed alia etiam nobis ſuppetunt argumenta maiora. Finis quippe quo omnes eius referebantur actiones & cogitationes, erat maior Dei gloria. Non enim illi ſatis erat, vt in eo quod agebat non offenderetur Deus, niſi ſimul eius amplificaretur honor & gloria. Cumq; de duobus bonis quæreretur, vtrū eſſet eligendum, ſemper illud præferebat, in quo maior cerneretur Dei gloria. Hic perpetuus illi ſcopus fuit, hoc omnibus in rebus vnū ſpectauit. Quare inter agendum cū Deo, hanc vocem ex intimo animi ſenſu frequentius promebat, Domine quid volo aut quid velle poſſum extra te? Ad hæc tantò Dei videndi amore flagrabat atque ex hoc ergaſtulo corporis euolādi, vt cum memoriam mortis repeteret, lacrymas cohibere non poſſet, quæ ab oculis animi geſtientis alacritate manabant. Nec id ideo ſolū, vt ſibi cōſequeretur ſupremū hoc beatitudinis bonū, ſed etiam vt lucem ſacratiſſimæ Chriſti humanitatis videret, cui ſic intimè afficiebatur vt ſolet amicus, eius quē in corde & oculis gerit grata memoria delectari. Ann. CIↃ.IↃ.XLI. menſe Iulio me præſente dixit, quòd ſi Deus alterum de his duobus eligendū proponeret, aut vt cōtinuò de præſidio & ſtatione vitæ decederet, beatitudinem aditurus, aut in vita maneret an in virtute perſeueraret incertus, hoc ſecundum ſe potius alteri prępoſiturū, modo tamen certū & exploratū haberet, rem magnam, pro diuinæ illius maieſtatis honore geſturum ſolius Dei non ſui ratione habita, nec vlla vel ſui periculi, vel ſecuritatis cogitatione propoſita. Cuius rei hanc afferebat rationem: Rex, inquit, aut Princeps aliquis reperiatur in terris qui cuiuſpiam à ſua familia officium, magnis beneficiis remunerare velit, ſi ille hac Regis ſui gratia vti nollet ad tēpus, vt interea pro eo res magnas obiret, nonne Dominū non modò hanc ſerui remunerationem conſeruare, ſed etiam amplificare oporteret, cū hic ea ſeſe pro Domini ſui cōmodo & vtilitate priuaret. Quòd ſi hoc homines faciunt, quanto magis à Deo ſperare debeamus? aut quam obrem extimeſcamus, ne nos deſerat, aut aditum nobis ad felicitatem occludi patiatur, quia beatitudinem diſtulimus & eo frui in eius gratiam prætermiſimus: Perſuadeat hoc, inquit, ſibi qui volet, quod ad me attinet, nunquam in animū inducam, vt hoc de Deo optimo & Rege maximo, & ſuſceptorum pro ſe laborum memori cogitem. Alias in eam cogitationem venit, quonam modo affectus eſſet, ſi ad inferos impiorum & ſceleratorum regionem à Deo deturbaretur, eiuſque rei ſententiam ſuam retulit: ſic enim eſt in eo libello quem ſcripſit ipſe: Duo mihi proponebam, quorū alterum erat ſupplicium illud incendii quo flagrarem, alterum contumeliæ & conuitia quibus impii Deum inſectantur. Ad primum quod attinet ne pœnam quidem eam arbitrabar, ſiquidem occurrebat aliud multo maius cruciamentum cum audirem ſceleratos in ſanctiſſimum Dei nomen maledicta iactantes. Atque hæc eſt illius oratio. Quantus ergo Dei amor in illo ardebat qui erga eum ſic erat affectus? quanta flamma caritatis illud pectus incendebat cū nec illa apud inferos torrentis incendii flumina illam poſſent extinguere, aut efficere vt vllum cruciatum ſentiret in pœnis, ſed iniuriam ſolum & offenſionem dilecti ſui?

XIV. De hoc flagranti Dei amore ſuccendebantur faces amoris in proximos, propterea quòd illos in Deo, & in illis Deum conſideraret. Vnde dicebat, ſi ad animorum ſalutem vel minimum pertineret, in publico nudis pedibus, ridiculis & probroſis rebus onuſtum incedere ſe paratiſſimū eſſe, nec vllum ſe quamuis vile, quamuis deforme & contēnendum veſtimenti genus recuſare, ſi quam animam eo indutus ad Deum poſſet adiungere. Lutetiæ homo meretriciis amoribus irretitus erat, quem fruſtra ſæpe conatus fuerat ab hac meretricia familiaritate diuellere: tandem aliquando in frigidiſſimum ſe lacum, viæ coniunctum, qua ille tranſiturus erat immerſit: atque ad turpes delitias properantē magna contentione vocis appellauit: Perge miſer deformes & obſcœnas voluptates potiturus, Ego me hic vſq; eo frigore macerabo quoad iuſtiſſimam peſtem tibi deſuper imminentem auertero. Obſtupefactus ille & tam ſingulari caritatis exemplo perculſus incitatum ad nefarios amores gradum reuocauit, & ex impura libidine cui ſeruiebat emerſit. Hoc ſemper admodum diligenter ac ſtudioſe cauit, ne maleficia maleficiis compenſaret, ſed vt de ſe male meritis bene mereretur, nec mala ſolum beneficiis exæquaret, ſed etiā obrueret. Cuiuſdā benignitate pecuniam ad ſe miſſam ſtudiorum nomine, contubernali ſuo cuſtodiendam dederat, quam ille inſigni perfidia auertit ad ſeque tranſtulit, & Pariſiis latenter erupit. Inde Rotomagi cum in grauem periculoſumque morbum incidiſſet, quia ſatis exploratam habebat qua caritate Pater eſſet, eum litteris inualetudinis ſuæ certiorem fecit, atque ad extremum perinde ac ſi beneficio ſibi obſtrictus eſſet, rogauit, vti Rhotomagū celeriter aduolaret auxilio ſibi futurus. Hic illicò pro eius ſalute Deū religioſe precatus in viam ſe dedit, atq; ad opem miſero ferendā Rotomagum, quod Pariſiis triginta milliariis abeſt, adiit incredibili animi magnitudine ac robore præditus magnaque animi voluptate perfuſus. Et hoc quidem iter nudis pedibus triduo confecit, ita cibo ac potione vacuus vt ne aquam quidem guſtaret quo hiſce laboribus tanquam ſacrificio Deum placaret & fraudatori ſuo ſalutem impetraret. Alius Lutetiæ multis ab eodem beneficiis affectus, malo ſpiritu afflatus & amens Ignatium è medio tollere decreuerat, cuius rei perficiendæ cauſa cum gradus aſcendiſſet, hanc cœlo delapſam formidoloſam vocem audiuit: Infelix quid agis? qua voce contremuit timore perterritus, & flens ad ipſius ſe pedes abiecit, eique ſui conſilii prauitatem expoſuit, hic autem blanditiis hominem mœrentem deliniuit, iacentem erexit.

Charitas ei in proximos.

Charitas in eos qui iniuriam intulerant.

Hæc tamen tanta charitas & animi manſuetudo conſequi non potuit, vt hic idem in ea de qua diximus tempeſtate, quæ ante confirmationem Societatis poſtea Romæ commota eſt, non ipſum Patrem calumniis mendaciſque oneraret, & in inuidiæ faces ei ſubiiceret. Poſteaquàm verò is iudicum ſententia iuſtas temeritatis ſuæ pœnas luit, & tempeſtas ſedata eſt Pater vt bene facta malis factis rependeret, in Societatem adſcripſit ro-

garus eorum precibus, qui eam procellam excitarant, hominem in Societatē adſcripſit, quamuis iuſto Dei iudicio poſtmodum ab ea defecerit. Si talibus beneficiis alienos affecit & à quibus in perniciem vocabatur, quid mirum ſi ſuos iiſdem proſequebatur? Cum Pater quidam ex iis nouem quos Pariſiis eduxerat ita vehementer oppugnaretur à dæmone, vt eius ſalus ageretur, eum continuis precibus & lacrymis periculo liberauit, quibus inedia talis acceſſit, vt tres ipſos dies neque cibum neque potionem guſtaret. Alius quidam Pater neſcio qua in re fræna diſciplinæ laxarat, & cancellos rationis egreſſus, Patris animum ob damnum quod in alium redundabat graui mærore moleſtiaque contraxerat. Ille porrò de eo vindictam eiuſmodi ſumpſit: lacrymas effudit, Deumque ſuppliciter pro eius ſalute rogauit, atque inter ſacrificandum ex intimo ſenſu clamauit: Ignoſce illi Domine, neſcit enim quid faciat. Alius non nemo è fratribus aliquando faſtidire cœpit inſtitutum vitæ ſuæ illudque velle deſerere. Cumque iam fixum & ſtatutum haberet Deum fontem aquæ viuæ relinquere, ciſternaſque repetere quæ aquas gratiæ continere non valent, ſentiretque Pater id ab inani metu profectum, quòd admiſſa quædam delicta confiteri pudor vetaret, eum adiuit & deſtinato conſilio deformitatem ipſe ſuperioris vitæ ſuæ ei commemorare cœpit, quam cæcus fuiſſet in vanitate cordis ſui, quanta fluxarum rerum cupiditate irretitus, vt ægro ſuperfluam hanc excuteret verecundiam, doceretque diuinæ miſericordiæ ac bonitati confidere. Quid dicam eius affabilitatem & comitatem in omnes, in primis in eos qui in eius erant poteſtate? quid de eorum ſalute perpetuam ſolicitudinem & curam? quid quanta lenitate indulgeret ignauis, lapſos erigeret, mœrentes releuaret, timidos excitaret, miſereretur naturæ vitio laborantium aut morbis? Etenim mirabantur omnes quanta ſolicitudine curaret diligentem ægrotorum rationem habendam: mihique dixit, aliquando ſe ſingulari diuinæ prouidentiæ decreto infirmioris valetudinis eſſe, vt ſuis ipſe doloribus, aliorum incommodis diſceret ope & commiſeratione ſuccurrere. Vicentiæ cum febri æſtuaret, renunciatum eſt illi P. Simonem Rodriguez oppreſſum morbo decumbere, & Baſſanæ (quod oppidum Vicentia diei itinere diſiunctum eſt) de vita periclitari: in viam ergo repentè ſe dedit cum P. Fabro ad eum viſendum & conſolandum, ambulabatque æger licet tanta hilaritate & pedum mobilitate, vt P. Faber eum conſequi vix poſſet. Alias P. Laynem iter cum eo facientem repentinus & acerbiſſimus dolor oppreſſit, quem vt inde leuaret Ignatius, denario quem vnicum precario acceperat, equum conduxit, in eumque Laynem vili detritoque pallio ſuo inuolutum impoſuit, antecedebat autem ipſe tanta animi alacritate & celeritate pedum, vt equus, ſicut mihi Laynes narrauit, in eo conſequendo laboraret. Sed nulla re magis paternum amorem prodebat in filios, quam in eorum exiſtimatione curanda, in ſpiritu virtutibuſque progreſſu, delendiſque ſempiterna obliuione delictis, quæ vel humana imbecillitate vel imprudentia committebant, ſi illa ſaltem agnoſcerent, eorumque pœniteret, & aliquod ſpecimen emendationis darent. Hac amabili & paterna lenitate aliiſque generis eiuſdem rapiebat animos ſuorum, & quamcunque volebat in partem impellebat, eoſque ad arbitrium ſuum & purum Dei amorem, in quo vera conſiſtit perfectio, effingebat. Verum hic amor in filios non debilis erat aut remiſſus, ſed ſuauis æque ac fortis. Neque magis benignus erat in modeſtos & obſequentes, quam in ſuperbos & contumaces ſeuerus. Ad hoc ſcilicet vnicè nitebatur vt ſuos ad virtutem incitaret, beneque ad illud vitæ genus quod profitebantur animaret. Tractabat omnes vel remiſſe vel grauiter, vnumquemque ad naturam ſuam accommodatè, ſemper tamen charitatis lege ſeruata. Tantaque induſtria leuitatem cum ſeueritate iungebat, vt tametſi ſuos omnes indifferentes in rebus agendis eſſe vellet, ſine propenſione in alteram partem; tamen cuiuſque naturam perſpiciebat, & quemque ad ſuam propenſionem aptè regebat. Intelligebat enim quàm laborioſum ſit niti repugnante naturâ, nec quidquam violentum eſſe diuturnum. Atque hanc quidem adiaphoriam ita ſartam tectam eſſe cupiebat, vt in ea quidem exigenda, rigida ſeueritas, in altero verò præſtanda paterna humanitas elucerer.

Ignatij in ſubditos benignitas.

Ignatij caritas ſuauis & fortis.

Summa virtutum eius enumeratio.

Exitvm hiſtoriæ nunquam inueniremus, ſi admirabilē B. Patris amorem perſequi, reliquaſq; virtutes eius in- XV.
numerabiles commemorare vellemus, pluſquam humanam in conſtituenda hac Societate prudentiam, animi magnitudinem in ſuſcipiendis rebus arduis, contrarijs aduerſiſque repellendis, manſuetudinem & comitatem in conciliandis animis eorum quibuſcum agebat, flectendaque eorum qui ſibi aduerſabantur voluntate. Quid dicam de incredibili eius vigilantia ac ſolicitudine in rebus inchoatis ad exitum perducendis? Non enim rationes & vias ſolum efficaces ad agendum inueſtigabat: Sed inſtitutum opus nunquam deſerebat, niſi confectum & abſolutum cerneret. Quid de ſingulari perpetuaque Dei fiducia: Sperabat enim eius patrocinium in carceribus, opem in laboribus, potentiam in rebus arduis, benignitatem in egeſtate, liberalitatem in alenda familia, quam ſæpe mirabiliter ſuſtentauit, ſpemque illius non fuiſſe vanam manifeſtis nonnunquam Deus ſignis oſtendit. Quid de eius modeſtia? quid de grauitate verborum? quid de coercenda temeritate alienas actiones condemnandi? quid quàm circunſpectus in dicendis vel audiendis alienis peccatis tametſi publicis ac diuulgatis? quid de lenitate ac prudentia in abrumpendo ſermone qui vel minimam obſtrependi occaſionem daret? quid de cæteris eius virtutibus iiſque adeo perfectis, vt ſi vnaquæque ſola in eo fuiſſet, adeoque eminentibus, vt iudicare difficile ſit, in qua magis excelleret. Sed his prætermiſſis ad eam veniamus quæ reliquarum dux eſt & magiſtra, & veluti quidam aquæductus, vnde manant & fluunt in animam cæleſtia dona ac munera, orationem dico ac pietatem, & perpetuam cum Deo conſuetudinem. Confeſſus eſt ipſemet ſeſe à Deo pietatis dono cumulatum fuiſſe, idque quadam animi demiſſione infirmiori valetudini ſuæ attribuit, quòd iam inclinante ætate & ad morbos propenſâ, vnam pietatem colere poſſet, nihil præterea. Sacerdotij dignitatem adeptus inter ſolemnes & diuinas precationes tanta cælitus voluptate perfundebatur, tam vberes fundebat lacrymas, vt in ſingulis penè verbis cogeretur inſiſtere, precationes etiam horarias frequenter interrumpere, quibus rebus factum eſt vt in amittendorum luminum diſcrimen veniret. In rebus grauioribus nihil vnquam decernebat, etiamſi decernendi probabiles rationes multæ ſuppeterent, niſi Deum precatus, ei negotium ſuppliciter commendaſſet. Nulla diei hora dilabebatur, qua ſe non colligeret, omiſſiſque ceteris cogitationibus animum diſcuteret. Quod ſi negotium paulo grauius eius orationem abrumperet, eam iacturam prima commoditate compenſabat, quamuis rebus exterioribus ita ſe nunquam commodaret, vt internam animi pietatem amitteret. Intuebatur Deum præſentem in rebus omnibus, iiſque tanquam libris vtebatur, in quibus eius perfectionem legeret, & ad eum mentem erigeret. Quidquid videbat, inde ſalutaria vitæ documenta eruebat, affirmabatque hoc genus orationis vtiliſſimum eſſe ijs qui officiis profanis exercentur. Priuſquam ad orationem accederet, animum præparabat, & eius interiora ſcrutabatur, itaque ſeipſum incendebat, vt os ei inflammari & igneſcere quodammodo videretur, quod obſeruatum ſæpe à nobis eſt. Sic attentus erat ad rem etiam minimam, vbi cum Deo agendum erat, adeoque in ea peragenda ſibi præſens, vt Dei maieſtatem coràm intueri videretur: verbi gratia, cum ſumendis epulis ſolēnem precationē adhiberet, vel ſumtis gratias ageret, & in aliis eiuſdem generis. Inter orandū aſſiduæ perenneſq; lacrymæ Dei munere fluebant ex oculis, ad quas accedebat vt magna mentis alacritas, ita non modicū corporis detrimentum, quod tamen ne animi fructum perderet negligebat. Sed cum & rationibus & conſilio medicorum perſuaſum haberet, quantum illo continuo fletu valetudini ſuæ officeret, ſic eius dominatum à Deo precibus impetrauit, vt arbitrio ſuo lachrymis habenas laxare vel coercere videretur, in eoq; tantam accepit diuinæ miſerationis gratiā, vt ſiccis oculis animus tamen maderet, & rationis imperio conſumptis lacrymis earū tamē fructus hæreret. Nullo

Orationis ſtudiū eiuſque deuotio.

ſtrepitu

ſtrepitu quamuis magno, turbabatur vel ab oratione reuocabatur, ſiquidē nullam eius occaſionem dediſſet: minimo verò ſi in eo vitando antea fuiſſet incurius: ita vt non ipſe ſtrepitus eū, ſed imprudentia in eo præuidendo aditumq; præcludendo turbaret. Interrogatus à P. Layne quā viam & rationē in orando ſeruaret, ſe non agere in rebus diuinis, ſed agi patiq; reſpondit. Has enim voces vſurpant ij qui de contēplatione tractant ſcriptores, eumq; altiſſimum contemplationis gradum ſtatuunt. Hinc videlicet vbi de Hierotheo magiſtro ſuo diuinus Dionyſius Areopagita agit: Erat, inquit, patiens diuina ſanctiſſimæ Virg. Mariæ ſecundum Deum opt. max. fuit addictus, cuius vt in perpetuum patrocinium ſe tradidit, ex quo lux cæleſtis ei primū oborta eſt, ita fidem deinceps omnibus in rebus durioribus implorauit, vt mirum non ſit ab eius potentiſſima ac benigniſſima manu multa eum præclara beneficia accepiſſe, vt ex iis quæ dicta quæque dicenda ſunt perſpici poteſt.

Dio. de diu. Nom.

Eius erga B. Virginē deuotio.

Reuelationes ei diuinitus factæ.

XVI. Sed quid mirum tam ſtudioſum orationis fuiſſe, cum in ea ſic Deo frueretur, vt in eius contemplationem penitus abſorberetur, toties diuina quadam luce ac ſpecie colluſtraretur? Nam cum primum ex vulnere æger decūberet antequam è ſæculi vanitate ereptus ad Deū conuerteretur, idem Deus ſingulari beneficio, apoſtolū Petrū, vt diximus, ad eum ſanandū miſit, tum cū in maximū ſalutis diſcrimen vocaretur. Poſteaquā vero ad Chriſti ductū ſe applicauiſſet, cū infirmitas virū laboribus impar in mentē veniret, illuſtriſſima ſupremaq; Angelorū Regina ac Domina Filiū ſinu complexa nocte quadam ei vigilanti videndā ſe præbuit, eumq; claritatis ſuæ ſplendore perfudit, dulcedine preſentiæ recreauit, confirmauitq;, & cunctas turpiū rerū imagines veluti ſpongia quadā ex eius cogitatione deleuit. Dū Minoreſſæ conſiſteret acerbiſſimæ pœnitentiæ, de qua diximus ſtudio deditus, ſuperatis vehementiſſimis oppugnationibus dæmonum ſcrupuliſq; quibus grauiſſimè angebatur, aſtitit ei Deus eiuſq; diuinis ſolatiis mentem erexit. Cū enim in gradibus ædis S. Dominici precationes in honorem B. Mariæ horarias recitaret, eius intelligendi vim tanto derepente lumine illuſtrauit, vt quandam ei ſanctiſſimæ Trinitatis repræſentaret imaginem, quo veluti ſigno exteriori ſpeciem illam explicaret, quam clarius intelligendo conceperat: quæ res tanta eum conſolatione permulſit, vt ſingultum & lacrymas continere non poſſet, nec quidquam liberet niſi de hoc myſterio cogitare vel dicere. Ad quod aperiendum tot afferebat ſimilitudines & exempla, vt omnes audientes obſtupeſcerent. Atq; illud eius animo iam tū ſic impreſſum atque iniuſtum inhæſit, vt illicò libellum de hac materia octoginta fere paginarum ſcribere ſit aggreſſus, tametſi rudis adhuc & illiteratus nihil niſi elementa formare ac legere didiciſſet. Ex eo tempore tantam intelligētiam ſanctiſſimæ Trinitatis, eſſentiæ diuinæ, diſtinctionis & proprietatis Perſonarum adeptus eſt, tam continuam, excellentem & abſtractam à ſenſibus, vt idem ipſe in autographo libello, qui poſt mortē eius repertus eſt, dicat fieri non potuiſſe vt vel multorum annorum ſtudiis parem conſequeretur. In alio item ſcriptū reliquerit, videri ſibi in hac vita maiorem ſe habere non poſſe, ea quàm ſibi Deus in quadam viſione patefeciſſet. Iterum autem cum Minoreſſam redíſſet, viā & rationē magno animi ſui gaudio videre ſibi viſus eſt quā Deus in fabricando mūdo tenuiſſet. Alias cum ſacroſancto Sacrificio apud Dominicanos intereſſet, hoſtiaq; ſacra tolleretur, oculis mentis clarè perſpexit, verè ſub figura panis Chriſtum verum Deum & hominem contineri. Inter orandum frequentius & diutius iiſdem oculis ſacram Chriſti ſeruatoris humanitatem vidit, nonnunquam ſacratiſſimam Virginem Mariam eius Matrem, non Minoreſſæ ſolum ſed etiam in agro Patauij ſuburbano, Hieroſolymis, aliiſque locis compluribus. Egreſſus aliquando Minoreſſa ad orandum in æde ſacra quarta milliarij parte à vico diſtante, cum inter contemplandum Deum aliena retur à ſenſibus, ſedit in ripa fluminis qui iter illud interſecat. Ibi oculis in præterfluentem coniectis aperti ſunt ei oculi mentis, nouaq; & inuſitata luce illuſtrati, non eo modo quo ſpeciem aut imaginem ſub ſenſum cadentem videret, ſed nobiliori ac ſublimiori, quique ſola mēte percipi poſſit. Illuminatus hac luce multa clariſſimè perſpexit quæ ſunt myſteriorum fidei & cognitionis ſcientiarum, ita vt res eædem quas antea cognitione percepiſſet, aliæ poſtea diuerſæque viderentur. Et quidem ſopor ille ſenſuum animique diuinitus illapſa ſuſpenſio, ſatis longa fuit atq; diuturna. Sed illud mirabilius, quod ei Minoreſſæ adhuc agenti contigit. Nam die quodam ſabbathi ſub horam completorij, officio ſenſuum ita deſtitutus fuit, vt mortuus à pleriſque iudicaretur, fuiſſetq; corpus ſepulturæ mandatum niſi animaduerſum fuiſſet cor quamuis leniter palpitare. Hæſit in hac alienatione ſenſuum vſque ad ſabbathum inſequentis hebdomadæ, eandemque completorij horam. Tum præſentibus iis qui eum frequentes ſeruabant, oculos aperuit quaſi è ſuauiſſimo gratiſſimoque ſomno excitatus, leníque atque amabili voce Ieſu nomen appellauit. Hæc ex iis cognouimus partim qui rem geſtam viderunt, partim qui ab iis qui viderant audiuerunt. Singularis atq; eximia fuit & illa ſpecies quam ingreſſurus in vrbem Romam vidit, vt diximus, cum in ſacra quadam ædicula precanti Pater æternus ei ſe videndum exhibuit cum Filio humeris crucem ferente, atque hanc ſuauiſſimam vocē protulit: Ego vobis Romæ propitius ero. Cum eſſet in monte Caſſino, vbi D. Benedictus vidit animā S. Germani Epiſcopi Capuani ab Angelis in cælum igneo in globo deduci, vt auctor eſt S. Gregorius, B. Pater animam Baccalaurei Hoſij ſocij ſui, quem Venetias itineris comitem habuerat, adſcendentem in cœlū conſpexit eamq; agnouit, qui & is quidē Patauij defunctus, vbi cū P. Ioanne Codurio verſabatur, ad feliciorem vitam migrauit. Cum idem P. Ioannes Codurius Romæ deceſſit è vita, eo die quo memoria glorioſæ mortis B. Ioannis Baptiſtæ recolitur anno CIↃ. IↃ. XLI. B. Pater paulo ante eius mortem, ad cœnobium S. Petri trans Tyberim in aureo monte, pro ægro ſacris operaturus conceſſerat; at ecce cū pontem Sixtinum tranſiret, vidit coruſcantem eius animam ſublatam in cælum, & ad comitem viæ P. Ioannem Baptiſtam Violam (qui poſt hoc ipſum mihi narrauit) conuerſus: Hui, inquit, P. Ioannes Codurius efflauit animā. P. Leonardus Keſſelius natione Belga vir in Societate noſtra ſenex & ſanctus fuit, & omnium iudicio talis. Eum ipſe Coloniæ noui, vbi prima collegij noſtri fundamenta iecit; quod deinde ſumma laude & ſanctitatis gloria multis annis adminiſtrauit: Huic ergo magnū quoddam & inuſitatum deſiderium cum teneret vidēdi potiundiq; colloquio B. P. Ignatij, litteras ad eum dedit quibus petebat vt ſibi Colonia Romam pedibus ire liceret, plus trecentis milliarijs Gallicis inde diſtantem, tantummodo vt in eius aſpectum ſanctiſſimoſque ſermones veniret. Reſpondit B. Pater eius præſentiam Coloniæ propter aliorum vtilitatem neceſſariam eſſe, propterea ne de ſtatione decederet, Deum fortaſſe viā magis facili & expeditā ſui videndi copiam daturum. Igitur die quadam P. Leonardo Coloniæ vigilanti apparuit viuus adhuc & ſpirans Beatus Ignatius, cum eoque ſatis longo ſermone diſſeruit, poſt autem viſione ſubtractā hominem in modum exultantem gaudio reliquit, quod ei rem tam expetitam conſequi tam admirabiliter contigiſſet. Ioannes Paſchalis filius Agnetis Paſchalis. Quotidie primum ſacrum audire conſueuerat, quod Barcinone in ſacello B. Eulaliæ ſub ara principe maioris eccleſiæ fiebat, huic paucis annis à morte B. Pater ante eandem aram maximam aſtitit, quem vbi Paſchalis agnouit, ah Pater mi inquit, volentemque propius accedere, B. Pater, indicio manus prohibuit, & ex oculis eius ſeſe repentè ſubduxit. Alias generis ſexcenta breuitatis cauſa prætermittēda duximus. Sed quod magis in admirationem nos egit qui eum noueramus, & eo familiariter vtebamur, illud eſt, cum diuina in eum beneficia quæ diximus quotidiana eſſent & viſitata, vt ea quæ ſcripſit inter conſtituendas Societatis noſtræ leges; & quæ poſt eius mortem inuenta declarant, quod nunquam tamen ex eius ore verbum vel viſionis, vel alienati à ſenſibus animi cæterarūq; eiuſmodi rerū niſi adeò rarò & parcè, vt nobis miraculi inſtar eſſet, exiiſſe cognouimus: è cōtrario verò demiſſionē animi, caritatē, patientiā, deſpicientiā ſuiipſius, ꝓpter Dei gloriā, ſuſcipiēdos pro ſalute animarum

S. Petrus ei apparet.

Item B. Virgo.

Reuelatur ei imago quædā SS. Trinitatis.

Chriſtum in ſacra hoſtia contēplatur.

Videt ſacrā Chriſti humanitatem Virginemque Deiparam.

A Deo illuminatur atque inſtruitur.

Octo dierū extaſis.

Greg. 2. dial. cap. 35.

Animam Hoſij in cælum euntē videt.

Item animam P. Codurij.

Etiam nunc viuens Romæ P. Leonardo Keſſelio Coloniæ apparet.

benedictionem expertæ ſanitas oppetiens: Iunctiſq; cum prædicatione miraculis, & animas curabat, & corpora.

Viri benignitas in pauperes.

XI. EGRESSVS vrbe opulentiſſima, dum iter ſenſim horis felicibus carperet, occurrunt pauperes eleemoſynam poſtulantes. Conſulit diaconum, quantum eſſet in ſumptibus, tres tantum aureos eſſe reſpondit: totoſq; ſtatim præcepit erogari. Ad hæc diaconus: Vnde victuri hodie ſumus? Reſpondens, ait: Paſcet Deus pauperes ſuos: tu quod habes, præſta pauperibus. Diaconus quaſi prouidus, duos erogat, reſeruat vnum. Dumq; iter agitur cœptũ, intuentur poſt ſe equites concitatos. Qui breui adiuncti, ſtatim deſiliunt, & prouoluti genibus huiuſmodi precem fundunt: Dominus noſter vir ſpectabilis Leporius, non longe abhinc domicilio fruitur: qui cum familia ſua ita implicitus diuerſo tenetur incommodo, vt & propria, & ſuorum infirmitate ſuccumbat. Cuius ad vos lachrymas deportamus: infirmum, ſi dignum ducitis, viſitate. Si vero precem noſtram veſtræ occupationis neceſſitas vincit, orationem interceſſionis impendite: Mereatur benedictionem, ſi non meretur adſpectum. Ad hæc vir beatiſſimus, repletus miſericordia, & relicto itinere, ea via rectior iudicatur, quæ mercedem boni operis præparabat. Diuertit, reclamantibus ſuis, & deſideratum petentibus præſtat aduentum, dicens: Nihil mihi prius eſt, quam præcepta Domini complere. Tum illi cum exultatione, cum gaudio ducentorum ſolidorum munus, quod tranſmiſſum fuerat, obtulerunt. Deinde conuerſus ad diaconem, ait: Accipe, quæ traduntur, & intellige te fraudem feciſſe pauperibus. Nam ſi totum, quod dedi, indigentibus contuliſſes, remunerator noſter trecentos hodie reddidiſſet. Contremuit diaconus, ſecretum reatus ſui innotuiſſe pontifici.

O præclarã ſancti viri vocem.

Multos morbidos ſanat.

XII. INTEREA gradum accelerant: peruenitur. Et tanquam manifeſta ſanitas fuiſſet ingreſſa, ita omnium animos ſancti releuauit aduentus. Notas profert & exerit medicinas: Chriſtũ proſtratus exorat, ſuiſq; lachrymis gaudia mercatur aliorum. Viſitantur domini, viſitantur & famuli, ac ſine vlla diſcretione perſonæ tuguria circumit, cubilia vniuerſa perluſtrat. Et interpoſito vnius diei ſpatio, ita cæleſtes medicinas obtinuit, vt egrediens die tertia, domũ totã relinqueret incolumitate gaudentem, proſequente eum domino, quem lectulo inuenerat decumbentem. Præcedebat enim venerabilem virum fama laudabilis, exigens, vt nunciari deſideretur agnitio.

Petrus Epiſcopus Rauennæ, cognomento Chryſologus.

XIII. FEREBATVR iam per ora Rauennatium populorum, & aduentus ſui moras præuius accuſabat effectus. Tandem diu expectatus excipitur. Prouiderat quidem, vt nocturno ingreſſus tempore, ſecreta obſcuritate tegeretur: ſed deſiderantium excubias vitare non potuit. Illic Petrus tum pontifex, Chriſti eccleſiam Apoſtolica inſtitutione retinebat.

XIV. REGEBAT etiam Romanum imperium Placidia Regina cum filio Valentiniano iam iuuene: qui ita fidem catholicam diligebant, vt cum omnibus imperarent, Dei famulis ſublimi humilitate ſeruirent. Qui omnes venerabilem ſacerdotem certantibus ſtudiis prouido amore ſuſcipiunt. Ambiunt principes, occurrunt proceres, eccleſia eum exultatione amplectitur. Ad diuerſorium ſacerdotis Regina venerabilis vas argenti ampliſſimum, refertum cibis delicatioribus, ſine vlla carnis admixtione tranſmiſit. Quod ſuſceptum, ea ratione diſtribuit, vt cibos miniſtris ſuis traderet: ipſe vero vindicaret argentum, remittens loco muneris patinulam ligneam, panem hordeaceum continentem. Quod illa vtrunq; cum gaudio ingenti complexa eſt, quod & argentum ſuum tranſmiſiſſet ad pauperes, & illam eſcam beati viri cum miniſterio abiecti vaſculi ſuſcepiſſet. Nam & lignum poſtea auro ambiit, & panem multis remediis & virtutibus reſeruauit.

Honorifice Rauennæ ab Imperat. excipitur

XV. QVADAM die, dum plateam latiſſimam turbis anguſtiatus ingreditur, carcerem refertum vinctis, ſupplicia & mortem expectantibus, præteribat. Qui agnito tranſitu ſacerdotis, vnum clamorem collatis vocibus ſuſtulerunt. Cauſam requirit, agnoſcit: cuſtodes euocat, ſubtrahuntur. Diuerſæ enim palatii poteſtates, miſerorum turbam in ergaſtuli illius noctes damnauerant. Quo ſe verteret miſericordia, non habebat. Tandem ad notum recurrit auxilium, & quod difficile erat ab hominibus impetrare, à maieſtate diuina depoſcit. Greſſum diuertit ad carcerem, cernuus in orationem membra proſternit. Tum vero Dominus noſter adſtantibus populis gratiam quam famulo ſuo [illegible]bueret, oſtendit. Clauſura vinculis & ſera conſtricta diſſoluitur: repagula ferrata diſſiliunt. Diuina pietas reſerat, quod meditatio humanæ crudelitatis arctauerat. Procedit ad libertatem turba de vinculis, exhibens vacua onera catenatũ, tenens nexus quibus antea tenebatur. Relinquitur carcer innocens aliquando, quia vacuus: & præcedente pietatis triumpho, turba miſerorum gremio eccleſiæ gaudentis infertur.

Nota quantu fecit regina vaſculũ ſancti viri

Carcerem precibus patefacit.

CRESCEBAT quotidie admiratio & fama pontificis: occurrebant populi, ſanabantur infirmi. Chriſtuſq; gratiã, quam contulerat, dilatabat. Aſſidebant iugiter obſequentes ſex venerabiles ſacerdotes: qui non minus abſtinentię eius cruces ſine interpolatione durantes, quam virtutes aſſiduas, mirabantur. Hi teſtes operum illius multis fuere temporibus.

Abſtinentia eius quanta fuerit.

XVI. VOLVSIANI cuiuſdam filius, qui tum patritii Segiſuulti cancellis præerat, ſuccenſus igne febrium vexabatur: & ita æſtuantis vaporis accenſio adoleſcentiæ medullas corpuſque conſumpſerat, vt deſperatio conclamata ſequeretur. Medici manus & promiſſa iam ſubtrahuntur, luctuſque ſolus parentibus reſeruatur. Ad beatum virum ſpes tarda conuertitur: parentes cum amicis omnibus & propinquis ſancti genibus implicantur. Additur etiam interceſſio ſacerdotum, cum quibus feſtinus expetiit ægrotantem. Euntibuſq; occurſor obuius, adoleſcentem iam mortuum nunciauit, nec eſſe cauſam, qua ſe vir venerabilis fatigaret. Inſiſtunt tamen antiſtites, ſupplicant vt cœptum miſericordiæ impleret officium. Inueniunt corpus exanime, & vitæ calore repulſo, mortis frigore iam frigidum. Depoſitaq; pro animæ requie oratione, remeabant, cum ſubito multitudinis luctus attollitur: inhærent ſeniores ſui manibus ſacerdotis, vt pro parentum orbitate & defuncti reditu Domino ſupplicaret. Diu reſiſtit, ſancto pudore confuſus: ceſſit tandem miſericordiæ & charitatis imperio, fidei arma concutiens. Turbas eiecit, mortuoq; in oratione proſtratus adiungitur. Rigat lachrymis terram, cælo alii gemitus porriguntur, vocat planctibus Chriſtum. Interea mouetur exanimis, & paulatim membris emortuis vitalia redduntur officia. Oculi lucem quærunt, micant digiti. Lingua iam reſurgit: vterque conſurgit, iſte de oratione, ille de morte. Germanus manu alleuat dormientẽ: reſidet, reſpirat, reficitur, reſpicit, paulatimque vigore concepto, integram recipit ſoſpitatem. Redditur parentibus filius, luctus conuertuntur in gaudium, & vno clamore populorum virtus maieſtatis extollitur. Continuat Chriſtus virtutes in famulo, & mox recipiendum in requiem, miraculorum laude ſublimat.

Mortuum reuocat ad vitam.

XVII. ACHOLII eunuchi, tum præpoſiti regalis cubiculi, alumnus, iam iuuenis liberaliter inſtitutus, huiuſmodi dæmonio vexabatur, quod per menſtruum tempus, redeuntibus incrementis lunaribus, captiuos ſuos caduca alliſione proſternit. Interuentu Reginæ vel procerum, ſancto viro præſentatur & traditur. Quem diu examinatum purgare eadem die diſtulit, cum ſoleret furioſiſſimos dæmones, prima manus impoſitione depellere. Ita enim miſerandi iuuenis medullas & interiora penetrauerat, vt quaſi vas proprium certis temporibus poſſideret. Recludi ergo eum ſecum nocte conſtituit. Tum vero ex interioribus latebris manifeſtus erupit, & quaſi inter tormenta compoſitus, tempus indicat, quo ab ineunte ætate ceperat innocentem. Itaque iuſſus egreditur: purgatuſque adoleſcens, poſt diem alterum palatio reformatur. Cauſam ſanè Armoticanæ regionis, quæ neceſſitatem peregri-

Nota eius in dæmones poteſtatẽ.

peregrinationis indixerat, obtenta venia & ſecuritate perpetua, ad proprium obtinuiſſet arbitrium, niſi titubationis perfidia mobilem & indiſciplinatum populum ad rebellionem priſtinam reuocaſſet. Quo facto, & interceſſio ſacerdotis euanuit, & Imperialis † crudelitas circumſcriptione fruſtrata eſt. Qui tamen pro calliditate multiplici, breui pœna: perfidæ temeritatis exoluit.

† credulitas.

XIX. Germanus igitur quadam die, matutinali ſolennitate perfecta, dum cum Epiſcopis ſermones de religione conferret, mœſtiſſimam protulit mentionem, inquiens: Commendo vobis, fratres chariſſimi, tranſitum meum. Videbar mihi per nocturnum ſoporem à Domino noſtro viaticum peregrinaturus accipere. Et cum cauſam peregrinationis inquirerem, Ne metuas, inquit, ad patriam, non ad peregrinationem, te dirigo, vbi habebis pacem & requiē ſempiternam. Detiuabant intellectu alio ſomnium ſacerdotes, ſed ille ſtudioſius commendabat extrema dicens: Bene noui, quam patriam Deus ſuis famulis repromittit. Factum eſt, vt poſt dies aliquot ſequeretur incommodū. Quo ingraueſcente, ciuitas tota turbatur. Accelerabat tranſitum, qui vocabat ad gloriam, & feſſum à laboribus Dominus inuitabat ad præmia.

Prædicit obitū ſuum.

XX. Regina Placidia, depoſito imperii ſupercilio, occurrit pauperi, requirit infirmū, tribuens quicquid ab ea beneficii poſtulat. Peculiariter ſane petiit, quod illa inuita conceſſit, vt gleba corporis ſui patriæ redderetur. Viſitantū verò tanta fuit diebus ac noctibus multitudo, quantam aut admiſit aditus, aut domus recepit. Tempus omne choris pſallentibus tenebatur. Septimo incommodi die ad cælos anima felix & beata transfertur.

Feliciſsimè decedit beatiſsimus vir.

XXI. Hæreditas deinceps relicta diuiditur: partem præſumpſit imperium, partem vendicant ſacerdotes. Et quod fieri de opibus ſolet, naſcitur de exiguitate contentio, dum deeſt quod capiant. Solius benedictionis hæres capſulam cum † ſanctis regina ſuſcepit. Cucullā cum interiori cilicio Petrus Epiſcopus vſurpauit. Sex verò antiſtites, vt aliquid monimenti ex ſucceſſione ſanctitatis acciperent, diſrumpere quod ſuperfuerat, maluerunt. Vnus pallium, alter cingulum accepit: duo tunicam, duo ſagulum diuiſerunt.

† Reliquiis. Eius ſancta hæreditas diuiditur.

XXII. Deinde apparatu defuncti feruent ſtudia conferentium, accuſantium cur parua expenſa mortuo deberetur. Acholius corpus aromatum conſtrictione ſolidauit, Regina veſtiuit. Quibus omnibus rite perfectis, expenſis & euectionibus iter inſtruit Imperator, miniſtroſque eius copioſa largitione proſequitur. Sacerdotes religionis obſequium, & in præſenti inſtruunt, & ordinatione præmittunt, vnumque agmen reformatur ad Gallias.

Funus eius honorifice curatur.

XXIII Placentium † corpus dum præterit, cæca iam nocte peruenit. Quod in eccleſia collocatum, dum vigiliis ſanctæ deuotionis excolitur, matrona quædam loci eius paralyſi diſſoluta, ita vt nullum membrum ſuo fungeretur officio, precariò depoſcit, vt feretro corporis ſubderetur: ibique vſque ad lucem extenta decubuit. Mature corpus attollitur: ſurgit, & mulier viuificata per mortuum, mirantibus populis, propriis pedibus debitum reddit obſequium.

† Placentiā. Paralytica ſanatur ad feretrū corporis eius.

XXIV. Excipiunt Galliæ patronum proprium famulatu maiori, quippe vbi reuerentiæ iungebatur affectus. Omne hominum genus diuerſo occurrit officio. Alii vias præruptis depoſitis molliunt, & pontium innouatione continuant: alii expenſas ingerunt: alii pſalmis intonant: alii colla ſupponunt. Refulgebat repercuſſo ſolis radio, ſplendorem ſibi etiam per diem vindicans luminum multitudo, totoq; miniſterio charitatis, propriæ redditur ciuitati, vbi ſepultus corpore, quotidianis miraculis viuit & gloria.

Galli ſummo ſtudio corpus eius excipiunt. Nota de luminibus.

XXV. Ego duplicem veniam lector à te expoſco: Primum, quod ſolœciſmis & abiectione verborum aures tuas vulnero: deinde, quod prolixior pagina videtur parere faſtidium. Sed non pigeat recenſere, quod Chriſtum præſtare non piguit. Qui dum ſanctos ſuos glorificat, nos inuitat exemplo. Et tamen Deum teſtor, conſcium ſecretorum, me plura de domini mei Germani factis agnita & probata tacuiſſe. Ex quo reum me eſſe fateor, ſupprimendo quod mirabiliter ad profectum omnium diuina virtus operata eſt: & ideo in ſcribendo ſuccinctum magis me arbitror fuiſſe, quam nimium.

Hoc vero dolendum eſt.

Fulgida fulgentem Germanum ſidera captant.
Florida florentem Germanum millia plaudunt.
Cælica cæleſtem Germanum carmina cantant.
Splendida ſplendentem Germanum gaudia pangunt.

Sedit autem idem dominus & Apoſtolicus noſter, ſanctiſſimus Germanus in Epiſcopali cathedra annos xxx. diēs xxv. Obiit vero plenus ſpiritu ſancto apud Rauennam Italiæ ciuitatem, pridie Calend. Auguſtas, Valentiniano adhuc iuuene imperante cum Placidia matre à quibus ibidem pro admiratione ſanctitatis ac aſſiduitate miraculorum honorifice ſuſceptus, Domino ſibi apparente, obitum ſuum prænoſcens, obtinuit, vt propriæ redderetur ciuitati. Cuius ſacratiſſimum corpus honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus, ſtatim eſt delatum ad vrbem. Ibique ſub die Calendarum Octobrium, à propriis ciuibus celeberrimo cultu condigne eſt ſepulturæ traditum: vbi innumerabilibus virtutibus pollens, ſumma excolitur gloria, Amen.

Eius ſepultura honorificentiſſima, & innumera miracula.

VITA B. IGNATII LOYOLÆ, QVI RELIGIONEM CLERICORVM SOCIETATIS IESV INSTITVIT, AVTHORE PETRO RIBADENEIRA eiuſdem Societatis Sacerdote. *Licet autem B. Ignatius necdum ſolemniter ſit catalogo Sanctorum inſcriptus: permiſſione tamen Pauli V. Pontificis Maximi, ipſi religioſi vt de Beato ſolemniter dicunt officium.*

An. 1540.

I. Beatus P. Ignatius de Loyola auctor & parens Societatis Iesv, natus eſt in ea parte Hiſpaniæ, quæ Cantabria nominatur, anno ab ortu Domini cIↃ. cccc. xci. Innocentio VIII. Romano Pontifice, Federico III. Rom. Imperatore, Ferdinando denique & Iſabella Catholicis Hiſpaniarum Regibus. Ei pater fuit Bertrandus Iagnez, Ognez & Loyolæ dominus, Illuſtriſq; & antiquæ familiæ ſuæ princeps: mater verò Marina Sonez claris orta parentibus Baldæ dominis, genere & virtute non inferior viro femina. Atque harum vtriuſque familiarum duces vt è prima nobilitate Cantabriæ, ita apud Hiſpanos magni ſunt & appellantur. Ignatius ab infantia acri fuit ingenio, & vehementi quadam incitatione naturæ: qui vt primum è pueris exceſſit, in aulā Regum Catholicorum deductus eſt, cum æqualibus educandus. Simul atque verò cum ætate maior etiam naturæ vis acceſſit, cū eſſet ea animi magnitudine, vt nihil extimeſceret, omnia pericula humana deſpiceret; omni armorū genere ſeſe exercuit, vt aliquando militari gloria poſſet excellere. Cum itaq; Galli anno ſalutis humanæ cIↃ. IↃ. xxi. arcem Pampelonenſem cingerent, ad eam propugnandam cum reliquis centurionibus præſidioq; Ignatius noſter ingreſſus eſt. Cum autem acrior eſſet obſidio, & qui obſidebantur de ſubſidio deſperarent, deditionis cepēre conſi-

Ivlii 31.

conſiliũ, omninoque rẽ perfeciſſent niſi conſiliis eorum occurriſſet Ignatius, monuiſſetque hoſti vel propoſita morte reſiſtendum. Sed cum arcem Galli tormentis verberarent, eamque noſter hic propugnaret, ferrea pila cruſ eius dexterum tanta vi percuſſit, vt id penitus ſuffregerit, eiuſdemque impetu excuſſus è muro lapis læuum haud leuiter offenderit. Eo igitur proſtrato ceteri turbati ſeſe & arcem Gallis dediderunt, qui Ignatium in tabernaculum ſuum deductum beneque habitum, eius demum genere cognito, lecticâ domum atque in priſtinum hoſpitium deportauerunt. Interea morbi vis adeo ingraueſcebat, vt tenuis eius vitæ ſpes oſtenderetur. Sed quo propior periculo res erat, eo maiorem illi Deus opem & auxilium tulit. Etenim pridiè illius diei qui beato Petro ſacer eſt, quem ille præcipuo quodam cultu venerabatur, idem Apoſtolorum princeps cælitus ad eum miſſus, eique viſus eſt quaſi opitulaturus eumque curaturus. Hoc viſo, paulatim morbo leuari cœpit, ſed quia natura & voluntate concinnus & elegans erat, corporis venuſtatem haud negligendam ratus, os quod infra poplitem fedius eminebat, cum cceteriſque minime coaleſcere potuerat, ſecandum curauit, vt, quemadmodum ex illo audiui ocreas aptius & pedum integumenta componeret. Cruciatum verò hunc adeò contempſit, vt minimè ſeligari ſit paſſus, quod id illa ſua animi magnitudine, conſtantiaque indignum putaret. Quinimo cum id ea parte quæ ſana erat & integra ſecari placuiſſet: eo tamen animi robore & firmitate fuit, vt omnes raperet in admirationem. Nam quem colorem ac vultum prima in curatione tenuerat, eundem in extrema hac carnificina ſeruauit. Interim dum vis morbi remitteret, cum lectulo affixus hærere cogeretur; vt bellicorum heroicorumque facinorum lectione mire capiebatur, ita fallendi temporis cauſa, aliquos id genus libros poſtulauit. At cum tales forte ad manum non eſſent, alii duo oblati, vnus quidem de Chriſti Domini, alter verò de vita geſtiſque Sanctorum. Hic primum leuandi duntaxat tædii cauſa legere cœpit, mox verò ſenſim gratia quædam & iucunda animi voluptas acceſſit: demum ea lectione Deus tales in eius animo motus excitauit, vt iam mutata mente flagraret eos imitandi ſtudio quorum vitam legendo cognouerat. Porrò quamuis animus id ſubinde refugeret appetituſque rationi acre bellum moueret, nec ſegnius dæmon oppugnaret, priſtinique mores vetuſtate corroborati multum valerent ad eum ab hac voluntate deterrendum: gratia tamen corruptam naturam, vis cæleſtis dominatum vitiorum, auxilium diuini numinis, quod eum ad magna delegerat, omnes dæmonis artes fraudeſque ſuperauit. Itaque cum de nocte ſurrexiſſet è lectulo (quod ei ſolemne & vſitatum erat) ad precandum Deum, poſitis humi genibus ante imaginem beatiſſimæ Virginis matris, illius ope fretus, eius ſeſe miſericordiæ, amantiſſimoque filio totum addixit, illius ſigna ſecuturum, remiſſurumq; nuntium rebus humanis.

In propugnatione arcis Pampelonenſis vulneratur.

A S. Petro viſitatur & ſanatur.

Legendis SS. vitis conuertitur.

Ecce autem eo tempore quo Deum placabat, ingens tota domo inauditus eſt ſtrepitus, cubiculum in quo erat contremuit, vitreaque feneſtra confracta eſt. Hac porro in vitæ conuerſione carnis ſuæ infirmitatem non mediocriter pertimeſcebat: verum Sacratiſſima Virgo Angelorum Regina, cuius tutelæ fideique ſe totum commiſerat, in ipſa peruigilatione nocturna ſuum complexa filium ei ſeſe palam oſtendit: quo viſo mirifice recreatus, tantum repente cepit faſtidium omnium quæ cum inhoneſta præſertim voluptate coniuncta ſunt, vt omnes earum rerum imagines ex illius memoria aſpectus ille deleuerit, caſtitatemque iam tum ad extremum vſque vitæ terminum integram illibatamque ſeruarit. Deliberabat cum animo ſuo de aliquo vitæ genere, in quo ſeueriore diſciplina domaret & coerceret omnes cupiditates, cum Deoque poſſet eſſe coniunctior. Quamobrem vbi conſtituiſſet domum, parentes, amicos deſerere, neque poſſet Martinus Garcia frater eius natu maximus illum de ſententia dimouere, per cauſam viſendi Naiaræ Ducis, ad ſacram B. Virginis ædem in Monteſerrato poſitam, duobus famulis comitatus iter direxit, quo in itinere partem earum rerum quas ſecum ferebat illis diſtribuit, atque ita eos à ſe dimiſit. Ex quo autem diſceſſit, conſuetudinem iniit ſingulis noctibus ſeſe acerrimè verberandi, quam & itinere toto retinuit. Præterea Dei amore ſtudioque honoris eius flagrans acta ſua, cogitata, quæque animo deſtinabat in poſterum omnia ad maiorem eius gloriam referebat. Etenim hic illi ſcopus erat vt omnia eadem Dei gloria metiretur. Ad hæc in eadem peregrinatione Deo Sanctiſſimæque eius Matri ſeſe perpetuo caſtitatis voto ſingulari pietate obſtrinxit. Progreſſus vero ad vicum haud procul à Monteſerrato diſtantem, neceſſaria quibus peregrinationem Hieroſolymitanam adornaret, comparauit, tunicam videlicet talarem canabinam aſperam & craſſam, funem pro cingulo, ſparteos calceos; poſtremo ad potionem aquæ, cucurbitam. Vt ad ſacram B. Virginis ædem Montiſſerrati peruenit, velut æger ſalutis ſuæ percupidus, diligenter in primis optimum maximeque ſolertem animarum medicum peruestigauit, cui plagas animi ſui detegeret. Nactus ergo ſacerdotem quendam religioſum natione Gallum Ioannem Clanonem, virum ſanctitatis laude præſtantem ac celebrem; apud hunc tribus ipſis diebus totius anteactæ vitæ ſordes eluit magna diligentia, ingentique peccatorum dolore. Atque hic primus fuit in cuius velut patris ac magiſtri ſinum conſilia ſua intimaſque animi cogitationes effunderet. Iumentum quo vectus erat cœnobio reliquit, gladium vero pugionemque quibus mundo meruerat, ante B. Virginis aram è tholo ſuſpendendum curauit, nouæ militiæ candidatus, præſtantiorique inſtructus armorum genere quibus Deo impoſterum militaret. Ea ipſa nocte cui feſtus Angelicæ ſalutationi dies illuxerat, quo Dei Verbum in vtero ſanctiſſimæ matris noſtra ſe humanitate veſtiuit, anno noſtræ ſalutis CIↃ. IↃ. XXII. quam occultiſſime potuit ad hominem pauperem ſe contulit, cui veſtes omnes ad interulam exutas dedit, & optatum illum quem paulo ante mercatus fuerat corpori ſaccum induxit. Hoc ornatus amictu nouus miles ante B. Virginis aram pernoctauit & modo ſtans, modo genibus nixus multis lacrymis præteritæ vitæ noxas eluere, Deum ſanctiſſimamque Dei matrem intenta ſupplicatione propitiare non deſtitit. Porro ne qua illius fama vulgaretur, priuſquam diluceſceret, inde digreſſus atque à militari via quæ Barcinonem ducit deflectens, Minoreſſam tribus à Monteſerrato miliariis diſſitam vrbem contendit. Hilaris alacerque gradiebatur Ignatius aſpero deformique corporis cultu, fune præcinctus, tornatilem baculum manu geſtans, capite ſiniſtroque pede nudatis: dextro enim propterea quod ex vulnere debilior erat, & ſingulis noctibus intumeſcebat ſparteum calceum induxerat. Sed enim exultantem gaudio animum, nonnulla mox triſtitia Deus contraxit. Etenim citato greſſu quidam eum inſecutus eſt, vt percunctando cognoſceret, pauperine dediſſet pretioſas illas veſtes & elegantes, ob quas quaſi furto ſublatas miſer à iudice in carcerem compactus eſſet. Hic vt innocentem periculo liberaret, veritatem quidem ingenue eſt confeſſus, vimq; lacrymarum profudit, ſeipſum incuſans, qui ne quidem de altero bene mereri poſſet, niſi pudore ſimul iniuriaq; afficeret, nomen autem ſuum, genus, ac patriam exquirenti, nequaquã aperuit, quod nihil opus eſſe exiſtimaret & alioqui latere atq; contemni quam honorari mallet. Minoreſſæ ad noſocomium S. Luciæ recta diuertit, vt cum ceteris mendicis quotidie precario victum oſtiatim quæreret. Ibi talem rationem iniuit, vt duro quodam & auſtero genere vitæ corpus affligeret, ſenſus coerceret, & inaniſſimas earum rerum quæ memoriæ prius inhæſerant imagines protſus abſtergeret. Quoniam vero in compoſitione comæ nimiam olim curam diligentiamque poſuerat, nudo capite dies & noctes inceſſit, capillos promiſit implexos & ſqualidos, ac per eundem ſui contemptum paſſus eſt vngues barbamque excreſcere. Obductus erat illo ſacco quem diximus, humo nuda cubabat, noctes pene ducebat inſomnes, præteritorumque peccatorum memoria magnam ei lacrymarum vim exprimebat. Singulis diebus iterum & tertio ſeſe flagellis acerrimè cædebat, flexiſq; humi poplitibus orationem in ſeptenas horas magno animi ſenſu producebat. Matutino ſacrificio, Veſperarum & Completorii officiis

B. Virgo ei apparet, eiuſq; ope impetrat à Deo caſtitatem.

Peregrinatur ad Monteſerratũ, corpuſque quotidie caſtigat.

Caſtitatem Deo vouet perpetuam.

De tota vita cõfeſſionẽ inſtituit.

Tyro Chriſti in oratione peruigilat.

Minoreſſæ auſteram agit pœnitẽtiam.

II.

officiis attenta animi cogitatione intererat, qui quanto erat mitior atque tenerior tanto facilius impreſſiones cæleſtium rerum diuinaſque laudes in intimas medullas admittebat. Semel in die corpus reficiebat ſolo pane & aqua contentus, ad eum modum ſingulis diebus ieiunabat, exceptis Dominicis, quibus obibat ſacra Confeſſionis & Euchariſtiæ myſteria. Tanto deniq; ſtudio appetitiones animi domabat, eaſq; rationis ſubiiciebat imperio, vt ſibi ſubtraheret illud omne quod corpus aliquo voluptatis ſenſu poſſet afficere. Quocirca licet optimam corporis conſtitutionem eſſet ei largita natura, hanc tamen tanta vitæ aſperitas paucis diebus ita afflixit, vt magnam ei debilitatem attulerit.

III. Neqve tamen iſta domandi corporis ratio tantum vires eius extenuauit, quantum animi ægritudo ſcrupuliq; fregerunt. Etenim quamuis omni cura totius vitæ maculas ſacra confeſſione deleuiſſet, vt diximus: Deus tamē qui ſic eum exercere decreuerat, ad eum penitus expiandum, tantis animi moleſtiis exagitari permiſit, vt nec ab oratione leuamen, nec à ieiuniis, vigiliis, acerrimiſque flagellis, vel alio acerbitatis genere tanto vulneri remedium vllum acciperet: quin tanta eum vis ægritudinis animi id temporis deprimebat, vt affixus ſolo hæreret, quaſi vndis & tempeſtate maris oppreſſus. Atque illa procella tantum inualuit, vt quaſi amiſſo gubernaculo, & omni conſolatione deſtitutus, ſtatuerit neque cibum neque potionem guſtare (niſi de vita periclitaretur) quoad eſſet optatam animi pacem & tranquillitatem adeptus. Hac lege ſibi indicta, ſeptem ipſos dies omni paſtu atque potu ſeſe abſtinuit, nihil interim de quotidiana ſeptem horarum oratione, nihil de trina verberatione, nihil de reliqua exercitatione remittens. Et eam quidem inediam porrò continuaſſet, niſi communicato cum eo ſacerdote conſilio cuius in aure peccata depoſuerat, is omnino id fieri prohibuiſſet, & cibum ſumere interpoſito etiam obedientiæ nomine iuſſiſſet. Audiens dicto fuit Ignatius, quamuis nihil admodum de priſtinis viribus deceſſiſſe ſentiret. Propter quam ſimplicem obedientiam & inflammatos animi motus cum diuina precatione coniunctos, lacrymarumque vbertatem, eum tandem recreare Deo eſt viſum eiuſque mentem tam noua ac cæleſti luce perfundere, ita animum tranquillare, tamque admirabilem ei ſpirituum diſcretionem largiri, neminem vt tanta vexaret religionis anxietas, quem non ab eodem ipſe conſultus omni moleſtia liberaret. Nec illud modo ſingulare beneficium in eum Deus contulit, ſed inſuper, vt ſuo loco dicemus, alia permagna beneuolētiæ ſigna monſtrauit, vt illud Vatis vſurpare poſſet. Secundū multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Tanta porro luce Deus animum ſerui ſui vel in his initiis colluſtrauit adeoque accuratum ſtudium ipſe poſuit in notanda ratione, & via, qua idem Deus ad ſe regendum, & ad cumulatiſſimæ virtutis gloriam perducendum vtebatur, vt licet ad illud vſque tempus armorum ſtudio fuiſſet deditiſſimus, & ita litterarum expers, vt legere ſolum noſſet & ſcribere; librum tamen ſacrarum commentarionum ſcripſerit, doctrina cœleſtibuſque delitiis adeo refertum, facile vt perſpici poſſit eum Spiritus Sancti gratia edoctum fuiſſe, qui quod in eo deerat ſcientiæ doctrinæque ſuppleuerit. Eſt enim incredibile quantum fructum ex eo libro poſtea ceperint qui ad ſacras illas exercitationes & meditationes acceſſerunt, quantaque inde vtilitas ad omnem eccleſiam, nec minus ad religioſas familias, quam ad alios quoſcunq; peruenerit. Eum librum Paulus III. Pont. Max. diligenter examinatum & expenſum breui diplomate approbauit, quo cunctos ad eum legendum, animumque ad eas meditationes appellendum hortatur. Sed quia noſter Ignatius in ſeipſum erat durior, nec quidquam de ſolita acerbitate remittebat, immoderatis laboribus corporis, & perpetuis animi contentionibus victus, in grauem morbum incidit, cui interea ciues Minoreſſani omnia neceſſaria magna caritate ſuppeditabant, quorum in animis tanta vis amoris in Ignatium eſt impreſſa, vt quamuis octoginta iam anni effluxerint, Minoreſſæ tamen exſtet etiamnum recens & iucunda memoria, hæreantque vitæ illius monimenta non pauca. Incolæ enim & magna vſque hodie pietate frequentant ea loca in quibus ille commorari & orare conſueuerat, & eius precibus diuinam opem implorant. Quin etiam Ioannes Baptiſta Cardona Doctor & Epiſcopus Vichenſis (cuius in diœceſi Minoreſſa ſita eſt) & electus Dertudenſis, Minoreſſæ in Eccleſia B. Luciæ antea Valetudinario pauperum, vbi Societatis Ieſu auctor Ignatius pœnitentiæ duxit exordium, ad memoriam pœnitentiæ illius ſempiternam lapideam pyramidem præclara cum inſcriptione erigendam curauit, quam, quia res eſt ſingularis, hominumque regionis illius iudicia de ſanctitate Patris noſtri teſtatur, huc afferendam putaui. Eſt autem eiuſmodi. Ignatio de Loyola Bertrandi filio, Cantabro, Clericorum Societatis Ieſu parenti: qui anno ætatis ſuæ trigeſimo in arce Pampelonenſi cum Gallis acriter pro patriæ defenſione pugnauit, & acceptis mortiferis plagis iiſque ſingulari Dei ope curatis, incenſus deſiderio adeundi loca ſancta vrbis Hieroſolymorum, dedit ſe in viam voto caſtitatis obſtrictus, & relictis armis quæ tanquam miles ſecum portarat, iiſque in æde B. Virginis Montiſſerrati ſuſpenſis, ſacro veſtitus ac penè nudus, cœpit ſuperioris vitæ peccata deflere, & vt nouus Chriſti miles inedia, lacrymis & oratione ſemetipſum vlciſci. In memoriam tantæ rei Deique gloriam, honorem & ſplendorem Societatis eius, Ioannes Baptiſta Cardona Valentinus, Epiſcopus Vichenſis, & Dertudenſis electus, pro ſuo in ipſius Patris ſanctitatem atque eius ordinem amore, hunc lapidem hoc in loco collocandum curauit vt ſanctiſſimo viro, cuique vniuerſa Chriſtiana reſpublica multum deuincta eſt. Sixto V. Rom. Pont. & Catholico Rege Hiſpaniarum maximo Philippo II.

Scrupuli quib. augebatur.

Septem dierum inedia ſe macerat.

Tranquillitatē animi obtinet, diſcretionēq; ſpirituum.

Pſal 93.

Librū exercitiorū conſcribit.

Pyramis Minoreſſana eiuſque inſcriptio.

IV. Iam verò cum aliquantulum recreatus videretur ex morbo, in eum iterum & tertio relapſus eſt, propterea quod inuicto conſtantique animo ſibi maius onus, quam ferre poſſet, imponeret. Sed vſu tandem edoctus & incredibili ſtomachi dolore ac hiemis aſperitate victus, de ſententia amicorum, corpus duabus tunicis vilibus, cineritii coloris breuibus horridiſque operuit, caput verò eiuſdem coloris dimidiato velut cucullo contexit. Ac in eo quidem vitæ genere noſter Ignatius annum pene Minoreſſæ commoratus conſtanter perſeuerauit. Sed quoniam Deus eum ad maiora deſtinarat, ex ea ſolitudine reuocauit, & adeundi Hieroſolymam ei mentem iniecit. Minoreſſa itaque diſceſſit ſolo Deo comitatus, qui cum ſolus agere, ſine comitum impedimento cupiebat, tametſi complures huius itineris comites illi ſeſe obtuliſſent: verum ille ſolus Barcinonem contendit, propterea quod totus à paterna Dei prouidentia & nutu pendere, nullarū hominibus ſpe poſita, peroptabat. Barcinonenſe igitur templum ad audiendam concionem ingreſſus ſeſſum iuit in gradibus altaris inter medios puerorum greges. Illic Eliſabetha Roſella nobilis mulier, vt noſtrum peregrinum adſpexit, neſcio quo fulgore (vt ipſamet mihi Romæ narrauit) os ei collucere ſibi viſa eſt intueri, vocemque audire, qua illum iuberetur arceſſere. Itaque peracta concione ſtatim vocandum curauit, & ad viri ſui prandium benigne adhibuit, hic inter epulas mirari omnes eum de rebus diuinis magna grauitate diſſerentem, inſignique modeſtia ad amorem veri ſummique boni cohortantem. Myoparonem inde conſcenſurus erat, vti iam cum nauarcho pactus fuerat, ſed Eliſabethæ conſilio mutauit pactionem, & relicto myoparone qui in vrbis conſpectu naufragium fecit, in aliam nauem ingreſſus, Caietam incolumis tenuit, vnde magnis cum incommodis & laboribus Romam petiit. Etenim anno CIↃ. IↃ. XXIII. vt grauis peſtilentia Italiam peruaſerat, factum eſt vt omnibus paſſim tectis ac mœnibus arceretur, & vbicunque nox eum occuparet, ibi ſubſiſtere cogeretur, neque vel tantillum progredi poſſet fame ac debilitate confectus. Nihilominus tamen quacunque ope potuit Romam Dominico palmarum die peruenit, ſtationes vrbis auguſtaque ac ſancta loca adiuit, atque apoſtolicam benedictionem ab Adriano VI. qui tum Dei Eccleſiam adminiſtrabat, accepit. Romæ cum ad dies quindecim ſubſiſteret, multi Hieroſolymitanam ei peregrinationem dehortari conati ſunt,

Proficiſcitur Hieroſolymam.

obiiciendis

obiiciendis nauigationis longæ & infeſtæ periculis, durioris annonæ & morborum incommodis: ſed obfirmatus eius animus omnes illorum conatus eluſit. Quinetiam leuiter perſuaſus à quibuſdam vt ad perſoluendum naulum ſeptem vel octo aureos nummos acciperet, eos mox accepiſſe pœnituit, quod id minimè conuenire & cum extrema paupertate quàm maxime diligebat pugnare videretur; quare factis obuiam pauperibus eos diuiſit. Iam verò incredibile dictu eſt, quanta, quam grauia pertulerit in tam longinqua peregrinatione incommoda. In publico quippe pernoctare, omnes eum à ſe repellere, ac veluti quoddam mortis ſimulacrum horrere, etiam eiuſdem viæ comites & ſocii, ſquallore corporis atque oris pallore deterriti. Sed qui teſtatur Dominus: Non dimittam neque derelinquam te; Quioſa Patauium abeunti in æquata agri planicie adeſſe viſus, eum ſuauitate præſentiæ ſuæ recreauit, atque ad toleranda pro amore ſuo multo duriora erexit, facilem denique tum Patauii tum Venetiis ingreſſum præbuit. qua in vrbe legatum Caroli Cæſaris & Hiſpaniarum Regis conueniendum ſibi non putauit, quod non humanam gratiam, ſed tantummodo diuinam expeteret. Sed ecce Venetiis noua difficultas rurſus exorta eſt; quia non defuerunt qui iterum eius nauigationis cogitationem ex animo conarentur euellere, propterea quod anno ſuperiore Rhodus inſula in Solymanni Turcarum Imperatoris poteſtatem veniſſet, & febri [illegible] Ignatius. Verum nullæ machinæ potuerunt aut eius animi magnitudinem vincere, aut ſpem debilitare, [illegible] vel actuariolum è portu ſolueret, & Hieroſolymam ipſe Deo duce traiiceret. Interea de more victum [illegible] quærebat, & in publica Sancti Marci area, eius ciuitatis potiſſima; noctem exigebat, quando Senator [illegible] ma nobilitate ſuauiter quieſcentem in lectulo cæleſtis eiuſmodi vox excitauit è ſomno: Quorſum tam [illegible] exquiſitus accubitus? domus adeo magnifica & lauta? interim dum ſeruus meus pernoctat nudus & pan[illegible] publico? tu in pretioſo ſtrato decumbis; ille iacet in humo nuda ſub dio. Hic ille ingenti metu perculſus [illegible] feſtim è lecto ſe corripit; peregrinum quærit diligenter, deprehenſumque in area D. Marci humi cubantem, [illegible] eum eſſe ſentiret, de quo vox illa monuerat, domum deduxit ac perhonorificè liberaliterque tractauit. Sed cum honores & delitias eiuſmodi reſpueret, incidiſſetque in popularem quendam ac veterem ſodalem ſuum, [illegible] ab eo precibus rogatus à lautiore hoſpitio ad eius conuictum ſe recepit. Haud longo interuallo ad Andream G[illegible] tum Venetorum ducem acceſſit, ab eoque contendit, vti eius auctoritate, prima nauigatione facultas [illegible] tranſmittendi mare gratis concederetur. Annuit ille præcepitque vt prætoria naui qua nouus Gubernator vehebatur ſine naulo in Cyprum tranſportaretur. Soluit igitur prid. Id. Iul. Anno CIↃ. IↃ. XXIII. quo die æger me[illegible] dicinam hauſerat, quamuis ob hoc medici manifeſtum ei vitæ diſcrimen denunciarent. Sed ſuperioris medici ductum ſecutus, breui inter nauigandum perfectam ſanitatem recuperauit. Multa, vt fit, flagitia in ea naui committebantur quæ noſter peregrinus amore Dei vehementer incenſus, magna libertate reprehendebat, quod cum vectoribus minus probaretur, de eo exponendo in deſerta quapiam inſula deliberarunt; verum ad eam appropinquantes nautæ aduerſo repente vento naui reiecta non potuerunt cogitata perficere. In hac nauigatione Deus ſuæ præſentiæ ſuauitatem ei ſæpius impertiuit, eius animum ſpe roborauit, & incredibili gaudio confirmauit, tandem prid. Kalend. Septemb. ſaluum & incolumem Ioppen inuexit, Hieroſolymamq; ante diem XVIII. Kal. Octobr. perduxit. Magis eſt cogitare quam dicere, quanta voluptate Deus eum perfuderit cùm primum ſanctam illam ciuitatem vidit, quanta gratia in ea commorantem affecerit, quantam alacritatem attulerit, cum ea loca venerabundus adiret; quæ Dominus ſua præſentia conſecrauit, quanta conſolatione permulſerit illius diuini beneficii memoria, quod nulla mens aut cogitatio capere poſſit. Conſtituerat Hieroſolymis reliquum vitæ ſuæ tempus degere, hominumque ſaluti pro ſua virili tranſmittere, quamuis hoc poſtremum nulli patefaciendum putaret, ne quiſquam eum laudandi vel de eo bene ſentiendi hinc occaſionem acciperet. Sed cum voluntatem in iis ſedibus reſtandi Præpoſito Prouinciali Franciſcanorum expoſuiſſet, multis grauibuſque incommodis ex eo cognitis, de Patris ipſius ſententia, Deique nutu eum ad maiora vocantis, in Hiſpaniam renauigare decreuit, & illud vitæ genus amplecti quod Deus ſibi gratum acceptumque eſſe monſtraſſet. At priuſquam Hieroſolyma decederet, reuiſendi montis Oliueti, in cuius ſaxo cernuntur adhuc Chriſti aſcendentis in cælum impreſſa veſtigia, mira eum inceſſit cupido; quo vt voto potiretur, clam ſe ſubduxit, & nullo duce, nullo comite, nulla Turca cuſtode (quæ res eſt ibi plena periculi) ſolus properauit ad montem. Cum deſiderii ſui compos abſceſſiſſet inde, noua cupiditate rurſum incenſus notandi qua cæli plaga ſitum eſſet dexteri, qua ſiniſtri pedis veſtigium, iterum ad eundem recurrit: cumque vt admitteretur nihil haberet quod pro mercede cuſtodibus daret, cultellum & forficulas obtulit. Quamuis autem & Franciſcanæ familiæ Patres, & Chriſtianus ab iis ad hominem perquirendum miſſus, acriter eum increparent, ſolitam tamen animi tranquillitatem retinuit, quod Chriſtum præſentem & ad portam vſq; cœnobii præeuntem cerneret; quo viſo, ſupra modum recreatus omnem cum gaudio moleſtiam ſuperabat.

Ioſue 1.

Chriſtus ei apparet eũque conſolatur.

A patritio Veneto Dei monitu noctequæritur & humi iacens inuenitur.

Nauigat Hieroſolymã, magnoque periculo liberatur.

Lòca ſancta ſingulari cũ deuotione inuiſit.

In monte Oliueti quid ei accident.

Chriſtus cũ ſua præſentia conſolatur.

CVM autem peregrinus hic noſter Hieroſolymis in Italiam reuerteret, vt adulta hyeme, omnia glacie ni- V.
uibuſque concreuerant. Interim linea dumtaxar veſte conciſoque ad humeros thorace & tunica breuiore ſemiamictus, calceis pedibus indutis, cruribus nudis incedebat. Cùm tres porro in inſula Cypro naues offendiſſet velificari paratas, vnam Turcarum, Venetorum alteram, firmam illam omnibuſque rebus egregiè inſtructam; tertiam modicam, male coagmentatam & vetuſtate carioſam. In hanc conſcendit Ignatius, propterea quòd nauarchus Venetæ nauis eum propter egeſtatem repudiaſſet, addidiſſetque contumelioſè facetus: Si ſanctitas eius hominum prædicationi reſponderet, calcaret pedibus freta ſi vellet, nihil eſſe metuendum, nullum vitæ diſcrimen aditurum. Tres igitur illæ, ſecundo quidem vento ſimul ſoluerunt, ſed præcipitante iam die coorta eſt atrox & ſæua tempeſtas, qua Turcica cum omnibus omnino vectoribus fluctibus hauſta periit. Veneta in conſpectu Cypri ad ſcopulum afflicta ſaluis tamen hominibus confracta eſt. Sola poſtrema, qua ſeruus Dei traiiciebatur, anno CIↃ. IↃ. XXIV. medio Ianuario Venetias incolumis tenuit. Hîc paucis diebus cum reſtitiſſet, viæ ſe rurſum commiſit vt in Hiſpaniam remigaret, quindecim ſexdecimve tantum nummis argenteis liberalitate cuiuſdam donatus, pannique fruſto ad fouendum ſtomachum nuditate & frigoris aſperitate languentem. Quo in itinere Ferrariam cum diuertiſſet, ſacraque in æde ſupplex Deum oraret, mendicis quibuſdam manus ad ſtipem porrigentibus largitus eſt quidquid pecuniarum acceperat; indeque egreſſus oſtiatim ad cibum fragmenta panis precario, ſuo more, quærere cœpit. mox Genuam profectus, qua vel Hiſpanorum vel Gallorum præſidiis cuncta tenebantur (quos inter tota Gallia Ciſalpina graue bellum exarſerat) necnon [a] ab Hiſpanis militibus comprehenſus vt explorator male mulctatus, & vt fatuus irriſus eſt atque contemptus; ſed & pugnis & calcibus hominem cõtuderunt, vehementer in media verberum acerbitate gaudentem. Dimiſſus ab Hiſpanis in ſtationes Gallorum incurrit, ſed euentu diſſimili, humaniter quippe ab iis habitus, tandem Genuam Deo duce peruenit: inde periculoſo & infeſto pyratis mari Barcinonem reuectus, vt qui portus fuerat primus, idem eſſet eiuſdem nauigationis extremus.

Reditin Italiam, ſola qua vehebatur nauis ſaluatur, aliis pereuntibus.

Pecuniam ſibi datam erogat pauperibus, ipſeq; ſtipẽ quæritat.

a In Hiſpanorũ Gallorumq; ſtationes incidit.

REPETIVIT Hiſpaniam Ignatius magna Deo ſeruiendi cupiditate incenſus in eo genere vitæ, ad quod ab eo voca- VI.
retur, omnibus tamen in rebus proximi ſalute propoſita. Capto igitur maturo conſilio reque Deo commendata, ſtudia decreuit amplecti, vt ad diuinam gratiam etiam literarum lumen accederet. Quamobrem id ætatis vir, annũ enim

agebat

agebat trigeſimum tertium, Hieronymo Ardebalo, ludimagiſtro Barcinonenſi, viro inprimis bono & pietatis laude præſtanti, in diſciplinam ſe tradidit primis grammaticæ præceptis imbuendum. Eliſabetha interim Roſella quam diximus, matrona pia & nobilis, omnia ei ad victum neceſſaria ſuppeditante. Tantus ei diuini amoris vis ſuique peruincendi ardor inceſſerat. Vnde tametſi dæmon in varias ſe figuras conuerteret, & nihil non ad labefactandum Ignatium à ſtudioque reuocandum moliretur: magis tamen Dei gratia animique conſtantia ad perſeuerandum, quam hoſtiles machinationes ad eum frangendum, fraudeſque valuerunt. Barcinone ſtomachi morbo leuari ſibi viſus eſt, quamobrem ad ſolitam pœnitentiæ ſeueritatem reuerſus, cuius feruorem propter inualetudinem grauiſſimoſque tanti itineris labores intermiſerat, calceos ita perforauit vt reſciſſis tantummodo ſoleis integra ſuperiori parte ad oſtentationem vitandam ineunte hieme nudis plantis incederet. Neque vero ſolum in hoc ſed in reliquis etiam pœnitentiæ ſtudiis eandem rationem ſeruabat. In hac vrbe duo commemoratione digna contigerunt, in quibus patientiæ & caritatis exempla monſtrauit. Primum cum certum & exploratum haberet, petulantes quoſdam adoleſcentes liberius frequentare ſacras virgines cœnobij Angelorum è Dominicana familia, quod extra muros vrbis ea tempeſtate ſitum erat, his perſuadere conatus eſt, vt ad vitandas occaſiones illos aditu prohiberent, animumque ad veram pietatem & religionem adiungerent. Cum vero procaces illi huius conſilio ſibi ianuas occluſas eſſe cognoſcerent, primum minas intentare, tum ex inſidiis occupatum Ignatium adeo graui fuſtuario mulctare, vt æger inde decumbere cogeretur. Nec ſic tamen eius animi fortitudo potuit ab incœpto retardari: quinetiam lætabatur, quia dignus fuiſſet pro nomine Ieſu contumeliam pati. Alterum fuit eiuſmodi: Cum ex Angelorum cœnobio rediret Ignatius hominem ad viam Lullianam impulſu dæmonis ex ædium ſuarum trabe laqueo ſuſpenſum audiuit, eo celeriter aduolauit, & pendentem ex infelici tigno reſtem abſcidit: ac tametſi de eius morte nemo dubitaret, humi tamen abiectus pro hominis ſalute Deum orare ſupplex inſtituit, hominemque appellauit, & ecce ita reſtitutus eſt ſenſibus; vt peccata ſacerdoti cōfiteretur, actum demum animam inferorum faucibus ereptam Deo redderet. Ea res conſideratis omnibus miraculi loco habita breui vniuerſam ciuitatem fama compleuit. Barcinone biennium exegit ad ſtudia grāmaticæ intentus: tum vero de quorundam eruditorum hominum ſententia anno ↀ.ↀ.XXVI. Complutenſem Academiam ad capeſſendas altiores diſciplinas petiuit. Ibi cum ad publicum noſocomium diuertiſſet, conſilio nonnullorum eum cuncta celeriter & promptè deuorare cupientium Dialecticam & Phyſicam & Magiſtrum ſententiarum non ſane felici ſucceſſu ſimul aggreſſus eſt. Ea quippe multitudo & varietas intelligentiæ tenebras offudit, & memoriæ perturbationem confuſionemque attulit. Sed cum ſtudio caritatis arderet, & hominum non ſolum animis ſed etiam corporibus opitulandi deſiderio flagraret, nec continuis ſtudiorum laboribus fractus, nec oſtiatim mendicandi cura debilitatus, eodem tempore pueris aliiſque rudioribus fidei rudimenta tradebat, compluribus aliis per orationem & meditationem virtutis viam monſtrabat, ſtipemque cogebat ad ſuſtentandam eorum egeſtatem quos maiori inopia laborare cognouerat. Ea res in hac Academia magnam admirationem effecit, ſed tum potiſſimum cum Ignatium nudis pedibus, lanea tunica natiui coloris amictum viderent, neque differrent ab eo veſtitu tres eius contubernales, qui virtutis illius exemplo permoti idem vitæ genus profitebantur: ſicut & alius quidam adoleſcens natione Gallus qui ad eandē ſocietatem acceſſerat: quo fiebat, vt etiam per iocum vulgo tunicatorum ſocietas nominaretur. Ea nouitas de Ignatio eiuſque Sociis variorum vulgo ſermonum anſam dedit, dum quiſque quod viderat, quod audierat, ex animi ſui ſententia vel mitiorem vel in deteriorem partem interpretatur. Sed cum Ioannes Figeroa vicarius Archiepiſcopi Toletani, qui poſtea Regio conſilio præfectus in Regno Caſtellæ deceſſit è vita, diligenter in mores & doctrinam inquiſiuiſſet Ignatij, nihil tamen nec in moribus nec in doctrina niſi ſanum comperit, quod & ſuo teſtimonio comprobauit. Nihilominus vt virtus eius & veritas magis eluceret, ob quorundam calumnias vanaſque ſuſpiciones, duos & quadraginta ipſos dies in publica cuſtodia eſt habitus, quo tempore dici vix poteſt, quantas, quam liquidas animo hauſerit voluptates, quod patiendi pro Chriſto vel innocenti ſibi oblata eſſet occaſio. Non deerant interim magnæ anctoritatis viri, qui pro ſingulari in ipſum amore ſuam operam offerrent ad eum vinculis eximendum. Sed adduci nunquam potuit, vt à quoquam cauſſæ ſuæ patrocinium ſuſcipi pateretur; neque enim id neceſſarium ſibi putabat qui innocentia fretus totus à diuino nutu pendebat; ad hæc, ſi quem forte errorem admiſiſſet, cupiebat videlicet ab eccleſiaſticis magiſtratibus corrigi, quorum ei ſemper antiquiſſima fuiſſet anctoritas. Tandem vero cum ſecundus & quadrageſimus dies abiiſſet, vna cum ſociis vt innocens eſt abſolutus, & omni culpæ ſuſpicione liberatus. Aliud B. Patri contigit in eadem vrbe mirabile: A vicario dimiſſus è carcere, eodem quo ceteri ſcholaſtici genere veſtis vti iubebatur: atque ad eam rem vicarius Ioanni Lucenæ homini caritatis officiis debito mandauit, vti ſtipem per compita cogeret: cum vero huic rei intenti ambo ciuitatem obirent, frequens forte populus luſum pilæ ſpectabat ante domum viri è primaria nobilitate, cuius nomen iuſta de cauſſa reticetur. Is huiuſmodi collectæ cauſſa cognita, conuerſis in Ioannem Lucenam oculis ita commotus, & qui inquit, conuenit te eo loco virum huc te abiicere? addiditque indignans: Ardeam ego, ſi hic, pro quo ſtipem corrogas, rogo dignus non ſit. Ea vox grauiter eorum aures vulnerauit quibus B. Patris ſanctitas erat ſpectata & cognita. Eodem die peroptatus de Philippi II. Regis ortu nuntius venit, vnde factum, vt Compluti totaque paſſim Hiſpania triumphales ignes excitarentur, dum ergo idem hic nobilis in turrim domus ſuæ tormentario puluere inſtructam ad ignēs artificioſos adſcenderet: ecce ibi temere illapſa ſcintilla puluereque correpto, horribili caſu cum turri peruſtus interiit. Id vbi Patri nuntiatum eſt præ commiſeratione doloreque illacrymans: Hoc ipſum, inquit, hodierno die mane domum eius me prætereunte ſibi ipſe fuerat imprecatus, ego quidem certe, id ei nequaquam optaui. Eius euenti repente totam vrbem fama peragrauit, fuitque in miraculis habitum ad illuſtrandam huius Ignatij ſanctitatem. Compluto Dominum Fonſecam Archiepiſcopum Toletanum Valiſſoleti commorantem ſibi adeundum putauit. A quo perbenigne acceptus, operaque ſua & ſuorum ad omne officium humanitatis prolixe delata, viatico inſuper inſtructus Salmanticam venit. Ibi nequaquam ſibi quieſcendū ratus, pro ſua conſuetudine cœpit animos hominum excitare atque ad virtutem ac pietatem cohortari, quo factum eſt, vt paucis diebus eius fama adeo percrebuerit, vt religioſi quidam viri metu periculi, reique nouitate & populi concurſu permoti, qui frequens ad eum audiendum ventitabat, ſimul etiam ne in ſanctitatis nomine malum aliquod occultum lateret, cui facile poſtmodum occurri non poſſet, pro ſuo caritatis ardore rem ad Vicarium detulerunt. Eorum ergo conſilio, Ignatius vna cum ſocio habetur in vinculis, & ferrea catena bene longa vter; ſimul ita conſtringitur vt alter ſine altero neque progredi neque loco mouere ſe poſſet. Verum nec in cuſtodia incitatus ille ſolitarum exercitationum curſus elanguit: ponebat ob oculos pulcritudinem virtutis, vitij fœditatem, animos audientium ad deſpicientiam rerum humanarum incitabat. Magni ad eum audiendum fiebant concurſus, fructuſque reſpondebat minime pœnitendus; exultabat inter hæc animo, cum ſe pro Domino catena vinctum conſpiceret. Mortemque pro eo ſubire vehementer optabat, quem pro ſe ſublatum in crucem meminerat. Eorum vero qui ad ſe conſolandum veniebant dolorem, & inanem commiſerationem eo redarguebat, quod immenſos in cruce Chriſti theſauros reconditos ignorarent. Duobus & viginti diebus in iis vinculis, læti atque alacres fuere; abunde ſuppeditantibus neceſſaria amicis, quamque in Ignatio viderant ſanctitatem mirifice diligentibus. Tandem Baccalaureus Frias Vicarius, adiu-

Ob impedita peccata fuſtuario excipitur.

Cuidā qui ſe ſuſpenderat, vitā ſpatiumq; confitendi impetrat.

Nobilis rogū Ignatio imprecatus eodem die conflagrat.

Salmanticę in vincula coniicitur in eumque inquiritur.

tus eruditorum conſilio innocentes per ſententiam abſoluit, eorumque vitam & mores ab omni labe puros, integroſque pronuntiauit.

Consulto Deus Ignatium reſeruabat, vt multorum liberorum parens exiſteret, ideoque curſum eius aduerſis licet procellis dirigebat in portum, ad illud gerendum negotium ad quod eum ante delegerat. Quocirca ad conquiſitionem multorum ſociorum ad educendos è cœno peccatorum hominum animos, rectaque diſciplina excolendos incitari cœpit ardentius, ſimulque in hanc cupiditatem venire Pariſios vt adiret omnium tunc Academiarum parentem ſcholamque communem & quoddam quaſi totius orbis theatrum. Tantuſque is ardor fuit, vt neque viri complures & amici auctoritate pollentes, nec vis hiberni frigoris, nec cruentum bellum inter Hiſpanos Galloſque ſuſceptum, nec viæ hoſtium excurſionibus infeſtæ, nec exempla crudelitatis in viatores à militibus exprompta, Ignatium

Pariſios aſpera hyeme periculoſo itinere concedit. inde deducerent, quo ſeſe ſentiebat cæleſtibus auris impelli; conſueuerat ſcilicet inuenire pacem in bello, in periculis ſecuritatem, in laboribus otium & quietem. Igitur viam pedes ingreſſus per mediam Galliam, Deo duce, ineunte menſe Februario anno CIƆ.IƆ.XXVIII. ſaluus & incolumis Lutetiam vſque penetrauit. Antequam in Academia Pariſienſi ad ſublimiores diſciplinas ſe applicaret: Ignatius, latinæ linguæ rudimenta repetiit, & in humaniorum litterarum palæſtra fere biennium abſumſit. Deinde politiori litteratura ſatis inſtructus in curriculum Philoſophiæ deſcē-

Studia eius Pariſiis, labores & perſecutiones. dit, quo feliciter ſane confecto, Magiſterio artium de conſilio magiſtri ſui ſe decorari eſt paſſus, vt eſſet quoddam eruditionis teſtimonium, quo facilius ad hominum ſalutem incumberet. His honeſtatus inſignibus, ſacræ Theologiæ ſtudia proſequebatur ſingulari Dei ope adiutus, quippe ad perpetuas animi contentiones in adipiſcenda eius ſcientiæ cognitione ſuſcepta, accedebant haud exigua egeſtatis incommoda. Etenim principio Hoſpitali D. Iacobi domo, precario receptus, in ſingulos dies oſtiatim victum quæritabat, tribuſque prioribus annis ſemel & iterum in Galliam Belgicam, ſemel in Angliam, quibus in locis Hiſpani mercatores negotiabantur, per ſummam inopiam proficiſci coactus eſt, vt exigua pecunia donatus, ad proſequenda ſtudia reuertere tur. Præterea tanto pœnitentiæ ſtudio corpus affligebat ſuum, vt ipſa per ſeſe poſſet omnem valetudinem tollere, qua corrupta neceſſe habuit ſtudiorum curſum intermittere, ne vitam amitteret. Quid dicam de aſſiduo labore iuuandi proximum, & ad omnem virtutem cohortandi? Quid de tempeſtatibus & procellis quæ huius rei cauſſa illi ſubeundæ fuerunt, quam multis, quam variis, quam diuturnis? Ex ſcholaſticis enim ingenui quidam adoleſcentes & ingenio ad virtutis laudem ſingulari, cum nuntium rebus humanis remittere & euangelica ſectari conſilia ſtatuiſſent, ſermonibus exemplisque B. Patris inducti, facultatibus in egentes diſtributis, in hoſpitali domo diuerſabantur, & mendicorum more victum oſtia im rogabant. Ea res grauiſſimos Academia tota motus excitauit, magnoque erat in odio parentum Ignatius, quo fonte genus hoc vitæ manaſſe ſibi perſuaſerant, quam inſaniam æſtimabant. Tantumque valuit inuidia, vt eum aperte criminarentur, multoſque atroces de eo rumores, vt mos eſt maleuolorum, in Dei ſeruos diſſiparent. Neque res in ſermonibus conquieuit, ſed (quod eſt turbulentorum & male motatorum ſupplicium) in gymnaſio S. Barbaræ, in quo ſtudiis artium operam dabat, crudelis ei & publicæ verberationis terror iniectus eſt propterea quod ſodalibus ſuis auctor fuiſſet ad frequentanda ſacramenta, Deum feſtis diebus ſupplicatione placandum denique eius conſilio quidam Amator nomine, Hiſpanus diſcipulus, collegium deſeruiſſet, rebuſque omnibus abdicatis nudus ſe ad Chriſtum nudum applicaſſet. Quamuis autem ſurgentis huius in ſeſe machinationis mature fuiſſet admonitus, collegij tamen fores occluſæ cum eſſent, ære campano ſignum datum, magiſtri virgis armati, frequentiſſimique diſcipuli ad ſpectaculum adeſſent, ita præſens iam animi retinuit, vt neque titubaret, neque ſe in latebras abderet, neque vllam timoris ſignificationem daret. Verum ne imminueretur Dei gloria, ne qua virtus igniculum æ labe notaretur, neue plantæ nouellæ atque floreſcentes radicitus ea tempeſtate euellerentur, gymnaſiarcham adiuit, ſuamque apud eum ſapienter ac libere cauſſam egit. Aſſerebat ille quidem, quod in ſe erat promptam & paratam ſubeundæ propter Chriſtum pœnæ voluntatem: ex altera parte tamen vehementer ſe dolere aiebat, iacturam eorum quorum animis igniculi virtutum nuper inſiti nondum adoleuiſſent, ſi propterea quod iis colendæ pietatis auctor fuiſſet, virgis cæderetur. Qua oratione ita gymnaſij moderatoris flexit animum, vt ille cœnaculum ingreſſus omnium exſpectationem falleret, & cui ſupplicium parabatur ſupplex ab eo errati veniam poſceret, qui ita affectus eſſet, vt aliorum ſalute curandi Dei ſolius honorem quæreret, ſuum negligeret. Ad eum modum periculo atque infamia liberatus Ignatius, integritas eius cognita,

Quam viā Deus parauit Ignatio & ſociis eius in Indias Orientales. magnaque eius nominis exiſtimationi facta acceſſio. Quin etiam collegij præſes Iacobus Goueanus natione Luſitanus, doctor & eruditus & ſanctus, eum tanta deinceps beneuolentia, cunctoſque filios eius complexus eſt, vt eo potiſſimum auctore Ioannes III. Luſitaniæ Rex è Societate Ieſu Patres in Indiam miſerit, qui vaſtas illas & longinquas regiones peragrando fideque imbuendis barbarorum animis, & ad Dei cultum adducendis vberrimos fructus extulerunt, tamen boni Deus eruit ex hac occaſione minima dedecoris & ignominiæ pleniſſima. Quinimo vt veritas oculis hominum teſtatior eſſet, & B. Patris innocentia magis eniteret, quidquid in ipſum homines moliebantur, illud fructum & vtilitatem ipſius inprimis ſociorumque traducebat, qui imitandæ virtutis eius amore in dies ſe ad eius ſocietatem aggregabant, quod in hac ipſa vrbe manifeſtum fuit, poſtquam aduerſarij eius maledictis & criminationibus non contenti, Ignatium etiam ad ſactum fidei quæſitorem detulerunt. Is erat eo tempore Matthæus Orii Theologiæ Magiſter è Dominicana familia vir eruditus & pius. At ille doctrinam eius moreſque, & libellum ſacratum cōmentationum Minoreſſæ, vt diximus, compoſitum, quem exhiberi ſibi iuſſerat ita probauit vt huius exemplum, illius permiſſu, ſibi deſcribendum curauit: denique integritatis ei & innocentiæ teſtimonium, publici notarij chirographo & ſigillo munitum dederit, & hic ipſe fuit, qui poſtea Romæ Ignatium grauiſſime cum ſociis accuſatum ſuo teſtimonio mira opportunitate defendit, vt ſuo loco dicturi ſumus. VIII.

Quoniam vero in eam curam tota mente incumbebat Ignatius, vt auditores & adminiſtros curandæ ſalutis

Socii quos Pariſiis collegit, votaque ab iis edita. animorum ſibi adiungeret, nihil fuit ei antiquius, quam vt aliquos adoleſcentes aptos ad hæc munus & bene moratos eiuſdem propoſiti ſocios ſibi adiungeret. Itaque Petrum Fabrum Allobrogem, Franciſcum Xauerium Nauarrum, Iacobum Laynem Seguntinum, Alphonſum Salmeronem Toletanum, Simonem Rodriguez Luſitanum, Nicolaum Bobadillam Palentinum commode nactus eſt. Ad eos acceſſere poſtea tres alij, Claudius Iayus Allobrox, Ioannes Codurius Ebredunenſis, & Paſchaſius Brouetus Ambianenſis, collectiſque omnibus vniuerſi numero decem fuerunt. Mirum dictu quanta fuerit inter ipſos animorum & voluntatum contenſio, quamquam diuerſæ nationis homines, & Hiſpanis eo tempore Galli permiſti, quo duo regna grauiſſimo inter ſe bello diſſidebant. Omnes erant laurea artiumque decorati inſignibus, & in Theologiæ ſtudio verſabantur. Decimo octauo porro Kal. Septemb. quo die Aſſumptionis Deiparæ memoria celebratur, confeſſione peccatorum expiatis animis, ſumptoque pane cæleſti, in æde ſuburbana montis Martyrum obſtrinxere ſe voto ſinguli res humanas abdicandi ad conſtitutam diem, & in perpetua paupertate ſeruiendi ſaluti proximorum, nominatim autem nauigandi Hieroſolymam, infidelium animos Deo conciliandi, & ad eius cultum adiungendi gratia, ſi quidem Venetiis intra anni ſpatium ſoluendi, vel poſteaquam eo traiecíſſent, ibidem commorandi facultas eſſet: ſin minus Romam adirent, & Pontifici Maximo ſuam operam impenſe ad auxilium eccleſiæ proximique deferrent. His rebus ita conſtitutis, ſociis emenſo

In Hiſpaniā proficiſci-tur.

ſtudiorum curriculo Venetias iter indixit, vt eorum quorundam confectis in Hiſpania aliiſque viis negotiis, inde rediens illos ibidem ipſe præſtolaretur. Itaque Pariſiis diſceſſit in patriam, quo cum perueniſſet, nullis precibus flecti potuit, vt paternam in domum quam frater natu maximus familiæ princeps adminiſtrabat, diuerteret, cui noſocomium prætulit, victumque de more oſtiatim quæſiuit. Plebem hinc Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuere, ſacraſque conciones ad populum habere inſtituit, tanta frequentia, vt templorum excluſus anguſtiis in agrum prodire cogeretur, multique arbores ad eum facilius audiendum videndumque occuparent. Quanquam vero febri iactaretur corporeque eſſet infirmo, quauis tamen hebdomade iterum & tertio concionabatur, tanta vocis contentione vt trecentis etiam paſſibus & eo amplius diſtantium ad aures perueniret id quod ab omnibus quaſi in miraculi loco ponebatur. Fructus autem reſpondit adeo copioſus, vt multi à turpitudine vitiorum ad honeſtam vitæ diſciplinam reuocarentur, multaque præclara atque vtilia ad leuandam inopum egeſtatem, & tollenda ſcelera decernerentur, vt non animis ſolum, ſed corporibus etiam proſpiceretur; quo factum eſt vt totam breui regionem impleret & fama rerum mirabilium & pulcerrimarum amore virtutum. In iis enim ſedibus Baſtidum quendam nomine, multis annis comitiali morbo laborantem curauit: duas item feminas, vnam quidem nobilem quam exulcerati pulmones, tuſſis, macies phtiſiſque extenuabat: alteram quam ſpatio quatuor annorum ſpiritus malignus afflarat, aliaque mirabilia permulta prodigiorum loco habita, diuina virtute perfecit. Quamobrem enim vt virum ſanctum ſuſpiciebant omnes, eiuſque veſtem religioſe attrectare conabantur. Tandem ea prouincia deceſſit omni viatico deſtitutus ac precario victitans Pampelonam, Seguntum, Siguentiam, Toletum ad agenda ſociorum negotia peragrauit. Inde Valentiæ nauim paratam conſcendens, multis iactatus incommodis Venetias tenuit, vbi ſocios, vti Luteriæ conuentum erat opperiretur. Sed quia dæmon apertas iam cum eo gerebat inimicitias, proſpiciebatque ab eo ſibi graue bellum imminere, ſicut alibi ſic & Venetiis in inuidiam vocauit, miniſtrorumque ſuorum voce proclamauit, eum effigie ab Hiſpanis ignominiæ cauſſa publice cremata, ex indicij incendio profugiſſe.

Venetiis accuſatur, & abſolui-tur.

Sed ab his aliiſque eiuſmodi criminationibus Hieronymus Verallus Archiepiſcopus Roſanus, qui tum apud Venetos ſummi Pontificis legatione fungebatur, poſteaque in collegium patrum purpuratorum eſt cooptatus, Ignatium purgauit & innocentem abſoluit. Itaque dum ſociorum aduentum præſtolatur, de ſolitis occupationibus nihil remittens, nonnullos ſibi nouos commilitones pios & eruditos adſciuit, quoſdam viros nobiles è Senatu virtutum ſtudiis informauit, omnibus denique quibus eius erat ſanctitas ſpectata & cognita, cum ſigna impreſſa pietatis, tum iucundiſſimam ſui memoriam reliquit.

Socij Venetiis conueniunt, & ægris in hoſpitali deſer-uiunt.

Tandem ſocij Lutetia Venetias appulerunt anno CIↃ.IↃ XXXVII. ante diem 6. Id. Ianuar. multis laboribus exerciti tum pedeſtris itineris longitudine, tum anni tempeſtate incommoda. Sed omnes difficultates ac moleſtias freti cum ope diuina, tum ardentes maiora pro Deo patiendi cupiditate ſuperarunt. Vt vero ad Ignatium nouis iam ſodalibus auctum peruenerunt, quanta dici non poteſt inter ſeſe gratulatione complexi? Mox valetudinariis diſtributis, ægros quacunque poterant ope recreare cœperunt. Inde Romam profecti eadem qua Pariſiis venerant ratione oſtiatim victu quærendo, & per vernæ inediæ tempus quotidiana ieiunij lege accurate ſeruanda. Deinde fauſta Pauli III. Pont. Max precatione, tum eiuſ. Hieroſolymam nauigandi remanendique auctoritate muniti, ad Ignatium qui Venetiis reſtiterat ſumma item rerum omnium inopia regreſſi ſunt.

Sacerdotio initiantur & per Venetam ditionem diſtri-buuntur.

Ibi ſacerdotio qui ſacerdotes non erant initiati ſunt eodem anno CIↃ.IↃ. XXXVII. D. Ioannis Baptiſtæ natali die, cum prius vota paupertatis & caſtitatis ad pedes Sedis Apoſtolicæ legati nuncupauiſſent. Porro dum conſtitutæ Hieroſolymitanæ nauigationi dies adeſſet, ne quid abiret temporis ſine fructu, in varia interim Venetorum oppida ſocios diſtribui placuit. Ignatius ergo, Petrus Faber, & Iacobus Laynes Vicetiam profecti ſunt, & in agri ſuburbani deſerto, ſemiruto, ventiſque peruio tuguriolo quadraginta diebus commorati, quo in loco Patres è Capucinorum familia ſibi poſtea domum ædificarunt. Modicis ſtramentis humus recta lectus erat: precarij panis fruſtulis veſcebantur ſitu obducti magnoque labore quæſiti, qui & aqua macerandus & percoquendus erat, vt in cibum eſſet aptior.

Hoc ſolo anno mare clauſum euntibus Hieroſolymam.

Labente vero die cum tranſmittendi Hieroſolymam eſſent omni ſpe depulſi, celebriores academias Italiæ excolendas ſibi deſcripſere: ipſe vero Ignatius Petro Fabro & Iacobo Layne comitatus, Deo vocante, Romam adiuit ad iacienda illius Societatis fundamenta, quæ eſſet Dei gloriam per orbem terrarum adeo propagatura. Qua in re illud euenit mirabile, vt cum ſuperioribus annis compluribus ante CIↃ.IↃ.XXXVII. & ſequentibus vſque ad LXX. naues peregrinorum in orientem ſoluere conſueſſent, eo dumtaxat anno clauderetur mare, diceres Deum Ignatio ſociiſque viam ad maiora præſtruere, quàm ipſi vel cogitate vel mente complecti potuiſſent.

Ignatij in B. Virginē matrem pietas.

HONORE ſacerdotij decoratus Ignatius annum plenum & integrum collegit animum, & ad primum illud & auguſtiſſimum ſacrificium idonee comparauit. Interea B. Virgini toto pectore ſupplicauit, vt quæ eſſet ſingularis Dei hominumque conciliatrix, aditum ſibi monſtraret ad Filium, vt à Filio agnitus eundem ipſe agnoſceret, inueniret, diligeret, ei ſummam obſeruantiam obedientiamque præſtaret. Obſecrauit eam præterea, vt ad ſuſceptionem tanti negotij facilem viam patefaceret, remoueretque ſi quod impedimentum occurreret. His deſideriis inflammatus, itinere pedeſtri, victu de more precario, duobus quos diximus comitatus, Romam rectà contendit. Interea quotidie ſacrum Domini corpus ab altero ſuſcipere pie & religioſe non deſtitit: vnde mira diuinitus lumina & incredibiles animo voluptates hauriebat. Ecce autem cum vrbi Romæ iam immineret, ac relictis comitibus templum quoddam auium deſertumque ingreſſus eſſet, effuſo in orationem animo à ſenſibuſque alienato, in magna luce per ſpeciem ei ſe Deus Pater oſtendit, Ieſu Chriſto Filio crucem humeris ferenti Ignatium ſocioſque commendans: quos cum ille in fidem ac tutelam recepiſſet, vt erat cruce onuſtus ad Ignatium conuerſus, hilarique ac ſereno vultu compellans, Ego vobis, inquit, Romæ propitius ero.

Chriſtus ei apparet crucem baiulans ſeque ei ſpondet propitium fore.

Qua diuinitus obiecta viſione mirifice erectus Ignatius rem omnem ſuis patefecit ad corroborandos eorum animos, ne quando rebus aduerſis frangerentur, vel periculorum metu deterriti langueſcerent. Ea luce perfuſus ſic animo ſanctiſſimum Ieſu nomen impreſſit, tantoque crucis amore ſuccenſus eſt, vt ob eam cauſſam, Ignatij ſociorumque rogatu, Sedes Apoſtolica huic ordini Societatis Ieſu nomen imponeret.

Occaſio nominis Societatis Ieſu.

Sic Paulus III. Pont. Max. excuſſis iis calumniis quibus appetebatur Ignatius, appellandam cenſuit. Cum enim Romæ quidam hæreticus praua dogmata vulgaret, & audientium animis pro concione venenum infunderet, noſtris publice refellentibus ſæuiſſimam in eos tempeſtatem commouit, quæ tamen ſingulari Dei prouidentia breui ſedata eſt.

Tempeſtas in Societatem excitata Romæ miraque in ea ſedanda Dei prouidentia.

Niſi quis forte caſu factum exiſtimet, vt ex Hiſpania, Gallia, Venetiis alius alia de cauſſa Romam eodem tempore conuenirent, quotquot Ignatij Iudices ante extiterant, quorum ipſe à tribunalibus non modo abſolutus ſed præclaro etiam innocentiæ teſtimonio ornatus diſceſſerat. Quo factum, vt veritate cognita præfectus vrbis Romæ iubente Pontifice omni eos ſuſpicione liberaret.

In confirmanda Societate difficultas.

Quo maiori conſilio Societas hæc noua ſtabiliretur, idem Pontifex eius inſtituti cognitionem tribus è ſacro purpuratorum Patrum collegio delegauit, & illi quidem, ne res conficeretur, pugnauere: ſed omnium acerrime Bartholomæus Guidiccionius Cardinalis, propterea quod è republica Chriſtiana iudicaret, vt à creatione nouarum religionum abſtineretur, ſed magis veteres labefactatæ, in priſtinam diſciplinam reuocarentur, vti ab Innocentio III. in concilio Lateranenſi, & à Gregorio X. in Lugdunenſi lege ſancitum fuerat. Nec id cuiquam mirum videri debet: nam & BB. Dominicus & Franciſcus ſummi illi religionum Patriarchæ, familiarum ſuarum primordia per eaſdem difficultatum ſalebras traduxere. Erant quippe hæc opera diuinitus inſtituta ad hanc

 truti-

Digitized by Google

poſſum, vt harum aliqua noctem vnam peccatis vacuam ducat, bene feliciterque ſuſceptas arbitrabor, vt vel exiguo illo tempore diuina maieſtas non offendatur. Nec minori cura pupillorum orbitati ſubuenit, eius enim opera aſſignatæ ſunt habitationes duæ pueris ac puellis quæ amiſſis parentibus, omnibus pariter vitæ commodis eſſent deſtitutæ. Denique maiorem in modum laborauit, vt conſtitueretur cœnobium S. Catharinæ vulgo de funariis aſylum commune virginum: quæ vel egeſtate vel ſua negligentia, vel perfidia matrum, pudicitiæ diſcrimen adirent. Atque vt eximius hic in proximos amor & in rebus pro Deo agendis animi conſtantia magis eluceret, Deus in ipſum ſæuas ſubinde tempeſtates indidem oriri patiebatur, quæ tandem ad veritatem tanquam ad ſcopulum alliſæ frangebantur omnes; vnde magis eius acta confirmabantur, & ſanctitas euadebat illuſtrior. Fidem ſuperare videbatur, vt vnus ſuſtineret tot onerum grauitatem quibus beatus hic Pater premebatur, imbecilla præſertim ac tenui valetudine: Nam præter eas de quibus diximus occupationes quæ multos etiam bene ſanos defatigaſſent, accipiebat quotidie litteras ex omnibus orbis pene partibus, à principibus omniſque generis optimatibus, quibus alius preces, alius conſilia, alius eius induſtriam ſuis in negotiis expoſcebat: multi item pro beneficiis ex labore filiorum acceptis, gratulabantur: mitto cetera, quibus procul dubio fractus debilitatuſque ſuccumberet, niſi Dei ope ſuſtentaretur; qui ita leuabat Ignatum, vt quo eſſet infirmior, inque onere tam graui quo magis humano eſſet auxilio deſtitutus, eo maiorem præferret alacritatem, Deique virtus magis in eius infirmitate ſplendeſceret. Denique B. Pater animi virtute corporis debilitatem ſubleuabat, huius vitæ labores patienter ferebat, ex vnius diuinæ nutu voluntatis ſuam pendere deſiderans. Sed quamuis ita ſe res haberet, tanta cupiditate tamen Dei videndi fruendique ardebat, vt nunquam de morte ſine lachrymis gaudio fluentibus cogitaret.

XI. QVAMOBREM ingraueſcente iam ætate, morbis oppreſſus, turbulentis eccleſiæ temporibus afflictus, Chriſtique intuendi deſiderio, gemebundus eum obſecrauit, vt huius vitæ exilio liberatus, eo migrare ſibi liceret, vbi liberius laudes eius decantaret beatoque conſpectu frueretur. Nec irritas fuiſſe preces ſignis haud dubiis intellexit. Scriptis enim litteris ad Dominam Leonoram Maſcarenam, quæ Patris ipſius erat ſtudioſiſſima & Catholici Hiſpaniarum Regis Philippi II. pueritiæ præfuerat, ei ad extremum valedixit, addiditque (vt ipſa mihi narrauit) has eſſe litterarum ſuarum poſtremas, ſeque in cælo maiori impoſterum ſtudio ſalutem eius curaturum. Tametſi igitur grauiori morbo non vrgeretur, qui domeſticos aliqua mortis imminentis ſuſpicione percelleret, ſed tantummodo ſolita debilitate langueret, cum tamen extremum ſibi diem aduentare præſentiret, animum confuſione expiauit, & cæleſtibus epulis refecit; quod ei ſolemne erat, quoties rem ipſe diuinam facere non poſſet; deinde tertio Kal. Aug. ſub veſperam P. Ioannem Polancum, quo in ſcribendis litteris vſus fuerat adminiſtro, tale nihil opinantem a vocauit, eique animo tranquillo obitum ſibi inſtare prædixit; quamobrem ſuo nomine ſummum Pontificem mature adiret, ab eoque poſt religioſa pedum oſcula, fauſtam ſibi precationem peccatorumque indulgentiam impetraret, quo lætior & ſecurior migraret è corpore. Eam vero ſummus Pontifex admodum libenter magnaque ſignificatione tum amoris, tum doloris impertiuit. Aduocati deinde medici, cum nullum ab eo morbo periculum eſſe dicerent, ſiluit Ignatius: nam qua erat animi demiſſione dona Dei quibus erat præditus, futurique præſcientiam oſtentare nolebat, quare ſuam medicis libertatem relinquere ſtatuit, eorumque ſequi iudicium quidquid tandem illi præſcriberent. Itaque poſtridie mane, prima ab ortu ſolis hora prid. Kal. Aug CIↃ.IↃ.LVI. feria hebdomadæ ſecunda, ſublatis manibus, ſereno vultu, oculis in cælo defixis, voce menteque appellato Ieſu nomine, animam ſuo reddidit conditori. Vir modeſtia plane mirabili: quam ad vitæ finem vſque ſeruauit. Cum enim extremum obitus ſui diem non ignoraret, animum tamen inducere non potuit, vt, quod in eius erat arbitrio vicarium ſibi ſufficeret, aut filios ad eos exhortandum vocaret fauſtâue precatione proſequeretur, aut alio quopiam fungeretur officio Patris, prorſus quaſi omnium infimus eſſet, nec vllam operam ad conſtituendam Societatē contuliſſet. Ætatis agebat cum diſceſſit annum ſexageſimū quintum, à conuerſione, trigeſimum quintū quos in extrema paupertate, pœnitentia, peregrinationibus, literarū ſtudiis vinculis, cōpedibus, laboribus ærumniſq; traduxit, q̄ omnia pro Chriſto ſumma lætitia animiq; magnitudine pertulit. Conatus eſt item dæmon & cuiuſque generis aduerſarij totis eum viribus affligere, ſuſceptoſque ad Dei gloriam conatus eius diſturbare, ſed inuicto animi robore omnibus Dei beneficio ſuperior ſemper euaſit. Vixit annis ſex & decem à confirmata Societate, quam interea multiplicatam vidit & toto propemodum orbe diffuſam. Duodecim prouincias conſtitutas reliquit, Luſitaniæ, Caſtellæ, Aragoniæ, Bœticæ, Italiæ, quæ Galliam Ciſalpinam Hetruriamque complectitur, Neapolis, Siciliæ, Germaniæ tum ſuperioris tum inferioris, Galliæ, Braſileæ, Indiæ quæ ad ortum eſt, in quibus tū Societatis vel collegia vel domicilia centum numerabantur. Luxit Romana ciuitas vniuerſa mortem huius admirandæ ſanctitatis viri, ſed eius in primis filij qui Romæ tunc erant, ceterique vniuerſi. Illius tamen mortui, vel vt verius dicam viuentis, opem auxiliumque ſenſerunt. Nam ex illius obitu ſuauiſſimus quidam in vniuerſa Societate doloris ſenſus eſt conſecutus, lacrymæ iunctæ cum gaudio, deſiderium ſanctæ ſpei plenum, vigor & robur animorum paſſim excitatum, ita vt omnes laborandi pro Chriſto, grauiaque ac difficilia patiendi noua quadam ardere cupiditate viderentur. Eius corpus in templo noſtro S. Mariæ de Strata ad dexteram aræ ſummæ Kal. Aug humili ſepulcro mādatum eſt. Anno vero CIↃ.IↃ.LXIX. ara loco mota, primum in aduerſam eiuſdem ædis partem tranſlatum. Inde rurſus anno CIↃ.IↃ.LXXXVII. XIII. Kal. Decemb. qui dies S. Pontiano conſecratus eſt, in ædem ſumptuoſam profeſſæ domus ab Alexandro Farneſio Cardinali nuper exſtructam. Tumulo conditum fuit ad altaris dexteram in arca plumbea, planumque ſaxum impoſitum, muro vero nigrum politumque marmor inſertum, & hæc inciſa inſcriptio.

Dies obitus eius vlt. Iulij 1556.

Prouincias & domos Societatis quot conſtitutas reliquerit

Sepultura eius corporiſque trāſlatio.

D. O. M.

IGNATIO SOCIETATIS IESV FVNDATORI: OBDORMIVIT IN DOMINO ÆTATIS SVÆ ANNO LXV, CONFIRMATI A SEDE APOSTOLICA ORDINIS XVI. SALVTIS HVMANÆ CIↃ.IↃ LVI. PRIDIE KAL. AVG. EIVS IN CHRISTO FILII PARENTI OPTIMO POSVERE.

NVNC ibi pie colitur corpus huiuſce B. Patris ab omnibus non modo filiis, ſed vniuerſo populo curiaque Romana, atque aliis qui eo religionis cauſſa ventitant. Mouentur enim admirabili ſanctitate vitæ rebuſque mirabilibus ſuas Deus ad illuſtrandum eius apud homines nomen, eiuſdem precibus afficit, copioſiſſimiſque fructibus qui à filiorum ſudore laboribuſque toto terrarum orbe naſcuntur. Neque non vident radicem quæ plantas eiuſmodi genuit quam perfectiſſimam eſſe oportere, vberrimum Deoque gratiſſimum fontem, è quo fluxerunt illæ abundantes ac ſalutaris aquæ virtutum atque doctrinæ, ad aridam huius mundi irrigandam, quæ innumerabiles alioqui ſpinas & herbas frugibus inimicas effunderet. Fuit mediocri ſtatura, ore venuſto, fronte lata neque rugoſa, depreſſis oculis, palpebris vi lachrymarum contractis & corrugatis, modicis auribus, naſo maiore & aquilino, colore nec albo nec fuſco ſed vtroque mixto & temperato, caluitie veneranda, vultus illi iucunde grauis & grauiter iucundus, quique intuentes ſpecie quadam & conformatione recrearet, grauitate componere. Ex altero crure nonnihil claudicabat, quod accepto vulnere demptoque oſſa paulo contractius erat, honeſte tamen & quod incedendi moderatione tegeret.

XII. ENIMVERO quis admirabilem concentum virtutum eius pro dignitate commemoret? quis cæleſtes opes quibus eum Deus locupletauit, cæleſtia dona quibus ornauit? pœnitentiæ grauitatem? perfectam contemptionem rerum

 humana-

gebat. Aliquando cum morbo laboraret, monuit medicus, vt omnium rerum imagines quæ triſtitiam animo afferre poſſent, e cogitatione depelleret. Quocirca ſecum attentè cogitare cœpit, num res tam atrox & acerba poſſet accidere, quæ ſe moleſtia afficeret, & è perpetua mentis pace & tranquillitate deiiceret. Hæc cogitanti & rerum naturam peregrinanti illud vnum occurrit; Si quo caſu Societas diſſolueretur. Quod ſi tamen hoc ſine ſua culpa eueniret, & quartam horæ partem in oratione poneret, priſtinam animi quietem ſe recaperaturum ſperabat, etiamſi vniuerſa Societas tanquam ſal aquâ colliquiſſet. Quantum ergò à ſe ipſo auulſum, & Deo conglutinatum fuiſſe oportuit; cuius in re tam graui eiuſque propria, tanta erat cum diuina voluntate conſenſio? indicium id ſanè clarum & euidens, vitioſam naturam penitus in Ignatio edomitam ac compreſſam fuiſſe. Hac abdicatione voluntatis, hac animi moderatione & cognitione ſui, ad caritatis in Deum reliquarum virtutum reginæ ac dominæ perfectionem ſibi fecerat gradum; quæ quidem nulla in re magis elucet, quàm in earum rerum varietate & copia, quas pro eius amore geſſit ac pertulit. Verus enim amor nunquam eſt otioſus: nec ſatis ei eſt multis agendo frangi laboribus pro eo quem diligit, niſi & multa pati paratus ſit ſanguinemque profundere. Et quidem quantis laboribus hic ſe B. Pater exercuerit, quanta pro Dei honore gloriæque propagatione perpeſſus ſit, illud quodammodò ex ijs quæ dicta ſunt colligi poteſt. Sed idem tamen dicere ſolebat, huius inferioris mundi vniuerſas in altera libræ lance politas, nullius apud ſe ponderis fore ſi in alteram imponerentur quas hauſerat à Deo gratias in vexationibus, carceribus, catenis, quas pro eius amore ſubierat, nec quidquam poſſe tantam in animo ſuo voluptatem gignere, quantam in tolerandis pro Deo rebus aduerſis capiebat. Vnde cum quidam Pater ex eo quæreret, quænam eſſet breuior, certior & ſecurior quærendæ perfectionis via, rerum multarũ & grauium pro Dei amore perpeſſionem eſſe reſpondit. Roga Deum, inquit, vt idem tibi beneficium tribuat, nam in quem illud collocat alia multa confert quæ in eodem includantur. Hoc rogabat, hoc adeptus erat, hoc docebat Ignatius, vnde quanta in Deum fuerit caritate perſpicimus. Sed alia etiam nobis ſuppetunt argumenta maiora. Finis quippe quo omnes eius referebantur actiones & cogitationes, erat maior Dei gloria. Non enim illi ſatis erat, vt in eo quod agebat non offenderetur Deus, niſi ſimul eius amplificaretur honor & gloria. Cumq; de duobus bonis quæreretur, vnũ eſſet eligendum, ſemper illud præferebat, in quo maior cerneretur Dei gloria. Hic perpetuus illi ſcopus fuit, hoc omnibus in rebus vnũ ſpectauit. Quare inter agendum cũ Deo, hanc vocem ex intimo animi ſenſu frequentius promebat, Domine quid volo aut quid velle poſſum extra te? Ad hæc tantò Dei videndi amore flagrabat atque ex hoc ergaſtulo corporis euolãdi, vt cum memoriam mortis repeteret, lacrymas cohibere non poſſet, quæ ab oculis animi geſtientis alacritate manabant. Nec id ideo ſolũ, vt ſibi cõſequeretur ſupremũ hoc beatitudinis bonũ, ſed etiam vt lucem ſacratiſſimæ Chriſti humanitatis videret, cui ſic intimè afficiebatur vt ſolet amicus, eius quẽ in corde & oculis gerit grata memoria delectari. Ann. CIↃ.IↃ.XLI. menſe Iulio me præſente dixit, quòd ſi Deus alterum de his duobus eligendũ proponeret, aut vt cõtinuò de præſidio & ſtatio ne vitæ decederet, beatitudinem aditurus, aut in vita maneret an in virtute perſeueraret incertus, hoc ſecundum ſe potius alteri prępoſiturũ, modo tamen certũ & exploratũ haberet, rem magnam, pro diuinæ illius maieſtatis honore geſturum ſolius Dei non ſui ratione habita, nec vlla vel ſui periculi, vel ſecuritatis cogitatione propoſita. Cuius rei hanc afferebat rationem: Rex, inquit, aut Princeps aliquis reperiatur in terris qui cuiuſpiam à ſua familia officium, magnis beneficiis remunerare velit, ſi ille hac Regis ſui gratia vti nollet ad tẽpus, vt interea pro eo res magnas obiret, nonne Dominũ non modò hanc ſerui remunerationem conſeruare, ſed etiam amplificare oporteret, cũ hic ea ſeſe pro Domini ſui cõmodo & vtilitate priuaret. Quòd ſi hoc homines faciunt, quanto magis à Deo ſperare debeamus? aut quam obrem extimeſcamus, ne nos deſerat, aut aditum nobis ad felicitatem occludi patiatur, quia beatitudinem diſtulimus & eo frui in eius gratiam prætermiſimus: Perſuadeat hoc, inquit, ſibi qui volet, quod ad me attinet, nunquam in animũ inducam, vt hoc de Deo optimo & Rege maximo, & ſuſceptorum pro ſe laborum memori cogitem. Alias in eam cogitationem venit, quonam modo affectus eſſet, ſi ad inferos impiorum & ſceleratorum regionem à Deo deturbaretur, eiuſque rei ſententiam ſuam retulit: ſic enim eſt in eo libello quem ſcripſit ipſe: Duo mihi proponebam, quorũ alterum erat ſupplicium illud incendij quo flagrarem, alterum contumeliæ & conuitia quibus impij Deum inſectantur. Ad primum quod attinet ne pœnam quidem eam arbitrabar, ſiquidem occurrebat aliud multo maius cruciamentum cum audirem ſceleratos in ſanctiſſimum Dei nomen maledicta iactantes. Atque hæc eſt illius oratio. Quantus ergo Dei amor in illo ardebat qui erga eum ſic erat affectus? quanta flamma caritatis illud pectus incendebat cũ nec illa apud inferos torrentis incendij flumina illam poſſent extinguere, aut efficere vt vllum cruciatum ſentiret in pœnis, ſed iniuriam ſolum & offenſionem dilecti ſui?

XIV. De hoc flagranti Dei amore ſuccendebantur faces amoris in proximos, propterea quòd illos in Deo, & in illis Deum conſideraret. Vnde dicebat, ſi ad animorum ſalutem vel minimum pertineret, in publico nudis pedibus, ridiculis & probroſis rebus onuſtum incedere ſe paratiſſimũ eſſe, nec vllum ſe quamuis vile, quamuis deforme & contẽnendum veſtimenti genus recuſare, ſi quam animam eo indutus ad ad Deum poſſet adiungere. Lutetiæ homo meretriciis amoribus irretitus erat, quem fruſtra ſæpe conatus fuerat ab hac meretricia familiaritate diuellere: tandem aliquando in frigidiſſimum ſe lacum, viæ coniunctum, qua ille tranſiturus erat immerſit: atque ad turpes delitias properantẽ magna contentione vocis appellauit: Perge miſer deformes & obſcœnas voluptates potiturus, Ego me hic vſq; eo frigore macerabo quoad iuſtiſſimam peſtem tibi deſuper imminentem auertero. Obſtupefactus ille & tam ſingulari caritatis exemplo perculſus incitatum ad nefarios amores gradum reuocauit, & ex impura libidine cui ſeruiebat emerſit. Hoc ſemper admodum diligenter ac ſtudioſe cauit, ne maleficia maleficiis compenſaret, ſed vt de ſe male meritis bene mereretur, nec mala ſolum beneficiis exæquaret, ſed etiã obrueret. Cuiuſdã benignitate pecuniam ad ſe miſſam ſtudiorum nomine, contubernali ſuo cuſtodiendam dederat, quam ille inſigni perfidia auertit ad ſeque tranſtulit, & Pariſiis latenter erupit. Inde Rotomagi cum in grauem periculoſumque morbum incidiſſet, quia ſatis exploratam habebat qua caritate Pater eſſet, eum litteris inualetudinis ſuæ certiorem fecit, atque ad extremum perinde ac ſi beneficio ſibi obſtrictus eſſet, rogauit, vti Rhotomagũ celeriter aduolaret auxilio ſibi futurus. Hic illicò pro eius ſalute Deũ religioſe precatus in viam ſe dedit, atq; ad opem miſero ferendã Rotomagum, quod Pariſiis triginta milliarijs abeſt, adiit incredibili animi magnitudine ac robore præditus magnaque animi voluptate perfuſus. Et hoc quidem iter nudis pedibus triduo confecit, ita cibo ac potione vacuus vt ne aquam quidem guſtaret quo hiſce laboribus tanquam ſacrificio Deum placaret & fraudatori ſuo ſalutem impetraret. Alius Lutetiæ multis ab eodem beneficijs affectus, malo ſpiritu afflatus & amens Ignatium è medio tollere decreuerat, cuius rei perficiendæ cauſa cum gradus aſcendiſſet, hanc cœlo delapſam formidoloſam vocem audiuit: Infelix quid agis? qua voce contremuit timore perterritus, & flens ad ipſius ſe pedes abiecit, eique ſui conſilij prauitatem expoſuit, hic autem blanditijs hominem mœrentem deliniuit, iacentem erexit.

Charitas eius in proximos.

Charitas in eos qui iniuriam irrogarant.

Hæc tamen tanta charitas & animi manſuetudo conſequi non potuit, vt hic idem in eadẽ quã diximus tempeſtate, quæ ante confirmationem Societatis poſtea Romæ commota eſt, non ipſum Patrem calumniis mendaciſque oneraret, & in inuidiæ faces ei ſubiiceret. Poſteaquàm verò is iudicum ſententia iuſtas temeritatis ſuæ pœnas luit, & tempeſtas ſedata eſt Pater vt bene facta malè factis rependeret, in Societatem adſcripſit ro-

gatus eorum precibus, qui eam procellam excitarant, hominem in Societatē adſcripſit, quamuis iuſto Dei iudicio poſtmodum ab ea defecerit. Si talibus beneficiis alienos affecit & à quibus in perniciem vocabatur, quid mirum ſi ſuos iiſdem proſequebatur? Cum Pater quidam ex iis nouem quos Pariſiis eduxerat ita vehementer oppugnaretur à dæmone, vt eius ſalus ageretur, eum continuis precibus & lacrymis periculo liberauit, quibus inedia talis acceſſit, vt tres ipſos dies neque cibum neque potionem guſtaret. Alius quidam Pater neſcio qua in re fræna diſciplinæ laxarat, & cancellos rationis egreſſus, Patris animum ob damnum quod in alium redundabat graui mærore moleſtiaque contraxerat. Ille porrò de eo vindictam eiuſmodi ſumpſit: lacrymas effudit, Deumque ſuppliciter pro eius ſalute rogauit, atque inter ſacrificandum ex intimo ſenſu clamauit: Ignoſce illi Domine, neſcit enim quid faciat. Alius non nemo è fratribus aliquando faſtidire cœpit inſtitutum vitæ ſuæ illudque velle deſerere. Cumque iam fixum & ſtatutum haberet Deum fontem aquæ viuæ relinquere, ciſternaſque repetere quæ aquas gratiæ continere non valent, ſentiretque Pater id ab inani metu profectum, quòd admiſſa quædam delicta confiteri pudor vetaret, eum adiuit & deſtinato conſilio deformitatem ipſe ſuperioris vitæ ſuæ ei commemorare cœpit, quam cæcus fuiſſet in vanitate cordis ſui, quanta fluxarum rerum cupiditate irretitus, vt ægro ſuperfluam hanc excuteret verecundiam, doceretque diuinæ miſericordiæ ac bonitati confidere. Quid dicam eius affabilitatem & comitatem in omnes, in primis in eos qui in eius erant poteſtate? quid de eorum ſalute perpetuam ſolicitudinem & curam? quid quanta lenitate indulgeret ignauis, lapſos erigeret, mœrentes releuaret, timidos excitaret, miſereretur naturæ vitio laborantium aut morbis? Etenim mirabantur omnes quanta ſolicitudine curaret diligentem ægrotorum rationem habendam: mihíque dixit, aliquando ſe ſingulari diuinæ prouidentiæ decreto infirmioris valetudinis eſſe, vt ſuis ipſe doloribus, aliorum incommodis diſceret ope & commiſeratione ſuccurrere. Vicentiæ cum febri æſtuaret, renunciatum eſt illi P. Simonem Rodriguez oppreſſum morbo decumbere, & Baſſanæ (quod oppidum Vicentia diei itinere diſiunctum eſt) de vita periclitari: in viam ergo repentè ſe dedit cum P. Fabro ad eum viſendum & conſolandum, ambulabatque æger licet tanta hilaritate & pedum mobilitate, vt P. Faber eum conſequi vix poſſet. Alias P. Laynem iter cum eo facientem repentinus & acerbiſſimus dolor oppreſſit, quem vt inde leuaret Ignatius, denario quem vnicum precario acceperat, equum conduxit, in eumque Laynem vili detritoque pallio ſuo inuolutum impoſuit, antecedebat autem ipſe tanta animi alacritate & celeritate pedum, vt equus, ſicut mihi Laynes narrauit, in eo conſequendo laboraret. Sed nulla re magis paternum amorem prodebat in filios, quam in eorum exiſtimatione curanda, in ſpiritu virtutibuſque progreſſu, delendiſque ſempiterna obliuione delictis, quæ vel humana imbecillitate vel imprudentia committebant, ſi illa ſaltem agnoſcerent, eorumque pœniteret, & aliquod ſpecimen emendationis darent. Hac amabili & paterna lenitate aliiſque generis eiuſdem rapiebat animos ſuorum, & quamcunque volebat in partem impellebat, eoſque ad arbitrium ſuum & purum Dei amorem, in quo vera conſiſtit perfectio, effingebat. Verum hic amor in filios non debilis erat aut remiſſus, ſed ſuauis æque ac fortis. Neque magis benignus erat in modeſtos & obſequentes, quam in ſuperbos & contumaces ſeuerus. Ad hoc ſcilicet vnicè nitebatur vt ſuos ad virtutem incitaret, beneque ad illud vitæ genus quod profitebantur animaret. Tractabat omnes vel remiſſe vel grauiter, vnumquemque ad naturam ſuam accommodatè, ſemper tamen charitatis lege ſeruata. Tantaque induſtria leuitatem cum ſeueritate iungebat, vt tametſi ſuos omnes indifferentes in rebus agendis eſſe vellet, ſine propenſione in alteram partem; tamen cuiuſque naturam perſpiciebat, & quemque ad ſuam propenſionem aptè regebat. Intelligebat enim quàm laborioſum ſit niti repugnante naturâ, nec quidquam violentum eſſe diuturnum. Atque hanc quidem adiaphoriam ita ſartam tectam eſſe cupiebat, vt in ea quidem exigenda, rel giosa ſeueritas, in altero verò præſtanda paterna humanitas eluceret.

Ignatij in ſubditos benignitas.

Ignatij caritas ſuauis & fortis.

Summa virtutum eius enumeratio.

Extrvm hiſtoriæ nunquam inueniremus, ſi admirabilē B. Patris amorem perſequi, reliquaſq; virtutes eius innumerabiles commemorare vellemus, pluſquam humanam in conſtituenda hac Societate prudentiam, animi magnitudinem in ſuſcipiendis rebus arduis, contrariis aduerſiſque repellendis, manſuetudinem & comitatem in conciliandis animis eorum quibuſcum agebat, flectendaque eorum qui ſibi aduerſabantur voluntate. Quid dicam de incredibili eius vigilantia ac ſolicitudine in rebus inchoatis ad exitum perducendis? Non enim rationes & vias ſolum efficaces ad agendum inueſtigabat: Sed inſtitutum opus nunquam deſerebat, niſi confectum & abſolutum cerneret. Quid de ſingulari perpetuaque Dei fiducia: Sperabat enim eius patrocinium in carceribus, opem in laboribus, potentiam in rebus arduis, benignitatem in egeſtate, liberalitatem in alenda familia, quam ſæpe mirabiliter ſuſtentauit, ſpemque illius non fuiſſe vanam manifeſtis nonnunquam Deus ſignis oſtendit. Quid de eius modeſtia? quid de grauitate verborum? quid de coercenda temeritate alienas actiones condemnandi? quid quàm circunſpectus in dicendis vel audiendis alienis peccatis tametſi publicis ac diuulgatis? quid de lenitate ac prudentia in abrumpendo ſermone qui vel minimam obſtrependi occaſionem daret? quid de cæteris eius virtutibus iiſque adeo perfectis, vt ſi vnaquæque ſola in eo fuiſſet, adeoque eminentibus, vt iudicare difficile ſit, in qua magis excelleret. Sed his prætermiſſis ad eam veniamus quæ reliquarum dux eſt & magiſtra, & veluti quidam aquæductus, vnde manant & fluunt in animam cæleſtia dona ac munera, orationem dico ac pietatem, & perpetuam cum Deo conſuetudinem. Confeſſus eſt ipſemet ſeſe à Deo pietatis dono cumulatum fuiſſe, idque quadam animi demiſſione infirmiori valetudini ſuæ attribuit, quòd iam inclinante ætate & ad morbos propensâ, vnam pietatem colere poſſet, nihil præterea. Sacerdotij dignitatem adeptus inter ſolemnes & diuinas precationes tanta cælitus voluptate perfundebatur, tam vberes fundebat lacrymas, vt in ſingulis penè verbis cogeretur inſiſtere, precationes etiam horarias frequenter interrumpere, quibus rebus factum eſt vt in amittendorum luminum diſcrimen veniret. In rebus grauioribus nihil vnquam decernebat, etiamſi decernendi probabiles rationes multæ ſuppeterent, niſi Deum precatus, ei negotium ſuppliciter commendaſſet. Nulla diei hora dilabebatur, qua ſe non colligeret, omiſſiſque ceteris cogitationibus animum diſcuteret. Quod ſi negotium paulo grauius eius orationem abrumperet, eam iacturam prima commoditate compenſabat, quamuis rebus exterioribus ita ſe nunquam commodaret, vt internam animi pietatem amitteret. Intuebatur Deum præſentem in rebus omnibus, iiſque tanquam libris vtebatur, in quibus eius perfectionem legeret, & ad eum mentem erigeret. Quidquid videbat, inde ſalutaria vitæ documenta eruebat, affirmabatque hoc genus orationis vtiliſſimum eſſe iis qui officiis profanis exercentur. Priuſquam ad orationem accederet, animum præparabat, & eius interiora ſcrutabatur, itaque ſeipſum incendebat, vt os ei inflammari & igneſcere quodammodo videretur, quod obſeruatum ſæpe à nobis eſt. Sic attentus erat ad rem etiam minimam, vbi cum Deo agendum erat, adeoque in ea peragenda ſibi præſens, vt Dei maieſtatem coràm intueri videretur: verbi gratia, cum ſumendis epulis ſolēnem precationē adhiberet, vel ſumtis gratias ageret, & in aliis eiuſdem generis. Inter orandū aſſiduæ perenneſq; lacrymæ Dei munere fluebant ex oculis, ad quas accedebat vt magna mentis alacritas, ita non modicū corporis detrimentum, quod tamen ne animi fructum perderet negligebat. Sed cum & rationibus & conſilio medicorum perſuaſum haberet, quantum illo continuo fletu valetudini ſuæ officeret, ſic eius dominatum à Deo precibus impetrauit, vt arbitrio ſuo lachrymis habenas laxare vel coercere videretur, in eoq; tantam accepit diuinæ miſerationis gratiā, vt ſiccis oculis animus tamen maderet, & rationis imperio conſumptis lacrymis earū tamē fructus hæreret. Nullo

Orationis ſtudiū eiuſque deuotio.

XV.

ſtrepitu

Dio de diuinis erga B. Virginē deuotio.

ſtrepitu quamuis magno, turbabatur vel ab oratione reuocabatur, ſiquidē nullam eius occaſionem dediſſet: minimo verò ſi in eo vitando antea fuiſſet incurius: ita vt non ipſe ſtrepitus eū, ſed imprudentia in eo præuidendo aditumq; præcludendo turbaret. Interrogatus à P. Layne quā viam & rationē in orando ſeruaret, ſe non agere in rebus diuinis, ſed agi patiq; reſpondit. Has enim voces vſurpant ij qui de contēplatione tractant ſcriptores, eumq; altiſſimum contemplationis gradum ſtatuunt. Hinc videlicet vbi de Hierotheo magiſtro ſuo diuinus Dionyſius Areopagita agit: Erat, inquit, patiens diuina ſanctiſſimæ Virg. Mariæ ſecundum Deum opt. max. fuit addictus, cuius vt in perpetuum patrociniū ſe tradidit, ex quo lux cæleſtis ei primū oborta eſt, ita fidem deinceps omnibus in rebus durioribus implorauit, vt mirum non ſit ab eius potentiſſima ac benigniſſima manu multa eum præclara beneficia accepiſſe, vt ex iis quæ dicta quæque dicenda ſunt perſpici poteſt.

Reuelationes ei diuinitus factæ.

S. Petrus ei apparet.

Item B. Virgo.

XVI. Sed quid mirum tam ſtudioſum orationis fuiſſe, cum in ea ſic Deo frueretur, vt in eius contemplationem penitus abſorberetur, toties diuina quadam luce ac ſpecie colluſtraretur? Nam cum primum ex vulnere æger decūberet antequam è ſæculi vanitate ereptus ad Deū conuerteretur, idem Deus ſingulari beneficio, apoſtolū Petrū, vt diximus, ad eum ſanandū miſit, tum cū in maximū ſalutis diſcrimen vocaretur. Poſteaquā vero ad Chriſti ductū ſe applicauiſſet, cū infirmitas viriū laboribus impar in mentē veniret, illuſtriſſima ſupremaq; Angelorū Regina ac Domina Filiū ſinu complexa nocte quadam ei vigilanti videndā ſe præbuit, eumq; claritatis ſuæ ſplendore perfudit, dulcedine præſentiæ recreauit, confirmauitq;, & cunctas turpiū rerū imagines veluti ſpongia quadā ex eius cogitatione deleuit. Dū Minoreſſæ conſiſteret acerbiſſimæ pœnitentiæ, de qua diximus ſtudio deditus, ſuperatis vehementiſſimis oppugnationibus dæmonum ſcrupuliſq; quibus prauiſſimè angebatur, aſtitit ei Deus eiuſq; diuinis ſolatiis mentem erexit. Cū enim in gradibus ædis S. Dominici precationes in honorem B. Mariæ horarias recitaret, eius intelligendi vim tanto derepente lumine illuſtrauit, vt quandam ei ſanctiſſimæ Trinitatis repræſentaret imaginem, quo veluti ſigno exteriori ſpeciem illam explicaret, quam clarius intelligendo conceperat: quæ res tanta eum conſolatione permulſit, vt ſingultum & lacrymas continere non poſſet, nec quidquam liberet niſi de hoc myſterio cogitare vel dicere. Ad quod aperiendum tot afferebat ſimilitudines & exempla, vt omnes audientes obſtupeſcerent. Atq; illud eius animo iam tū ſic impreſſum atque inuſtum inhæſit, vt illicò libellum de hac materia octoginta fere paginarum ſcribere ſit aggreſſus, tametſi rudis adhuc & illiteratus nihil niſi elementa formare ac legere didiciſſet. Ex eo tempore tantam intelligētiam ſanctiſſimæ Trinitatis, eſſentiæ diuinæ, diſtinctionis & proprietatis Perſonarum adeptus eſt, tam continuam, excellentem & abſtractam à ſenſibus, vt idem ipſe in autographo libello, qui poſt mortē eius repertus eſt, dicat fieri non potuiſſe vt vel multorum annorum ſtudiis parem conſequeretur. In alio item ſcriptū reliquerit, videri ſibi in hac vita maiorem ſe habere non poſſe, ea quàm ſibi Deus in quadam viſione patefeciſſet. Iterum autem cum Minoreſſam rediſſet, viā & rationē magno animi ſui gaudio videre ſibi viſus eſt quā Deus in fabricando mūdo tenuiſſet. Alias cum ſacroſancto Sacrificio apud Dominicanos intereſſet, hoſtiaq; ſacra tolleretur, oculis mentis clarè perſpexit, verè ſub figura panis Chriſtum verum Deum & hominem contineri. Inter orandum frequentius & diutius iiſdem oculis ſacram Chriſti ſeruatoris humanitatem vidit, nonnunquam ſacratiſſimam Virginem Mariam eius Matrem, non Minoreſſæ ſolum ſed etiam in agro Patauij ſuburbano, Hieroſolymis, aliiſque locis compluribus.

Chriſtum in ſacra hoſtia contēplatur.

Videt ſacrā Chriſti humanitatem Virginemque Deiparam.

A Deo illuminatur atque inſtruitur.

Octo dierū extaſis.

Greg. 2 dial. cap. 35

Animam Hoſij in cælum euntē videt.

Item animam P. Codurij.

Egreſſus aliquando Minoreſſa ad orandum in æde ſacra quarta milliarij parte à vico diſtante, cum inter contemplandum Deum alienaretur à ſenſibus, ſedit in ripa fluuioli qui iter illud interſecat. Ibi oculis in præterfluentem coniectis aperti ſunt ei oculi mentis, nouaq; & inuſitata luce illuſtrati, non eo modo quo ſpeciem aut imaginem ſub ſenſum cadentem videret, ſed nobiliori ac ſublimiori, quique ſola mēte percipi poſſit. Illuminatus hac luce multa clariſſimè perſpexit quæ ſunt myſteriorum fidei & cognitionis ſcientiarum, ita vt res eædem quas antea cognitione percepiſſet, aliæ poſtea diuerſæque viderentur. Et quidem ſopor ille ſenſuum animique diuinitus illapſa ſuſpenſio, ſatis longa fuit atq; diuturna. Sed illud mirabilius, quod ei Minoreſſæ adhuc agenti contigit. Nam die quodam ſabbathi ſub horam completorij, officio ſenſuum ita deſtitutus fuit, vt mortuus à pleriſque iudicaretur, fuiſſetq; corpus ſepulturæ mandatum niſi animaduerſum fuiſſet cor quamuis leuiter palpitare. Hæſit in hac alienatione ſenſuum vſque ad ſabbathum inſequentis hebdomadæ, eandemque completorij horam. Tum præſentibus iis qui eum frequentes ſeruabant, oculos aperuit quaſi è ſuauiſſimo gratiſſimoque ſomno excitatus, lenique atque amabili voce Ieſu nomen appellauit. Hæc ex iis cognouimus partim qui rem geſtam viderunt, partim qui ab iis qui viderant audiuerunt. Singularis atq; eximia fuit & illa ſpecies quam ingreſſurus in vrbem Romam vidit, vt diximus, cum in ſacra quadam ædicula precanti Pater æternus ei ſe videndum exhibuit cum Filio humeris crucem ferente, atque hanc ſuauiſſimam vocē protulit: Ego vobis Romæ propitius ero. Cum eſſet in monte Caſſino, vbi D. Benedictus vidit animā S. Germani Epiſcopi Capuani ab Angelis in cælum igneo in globo deduci, vt auctor eſt S. Gregorius, B. Pater animam Baccalaurei Hoſij ſocij ſui, quem Venetias itineris comitem habuerat, adſcendentem in cœlū conſpexit eamq; agnouit, qui & is quidē Patauij defunctus, vbi cū P. Ioanne Codurio verſabatur, ad feliciorem vitam migrauit. Cum idem P. Ioannes Codurius Romæ deceſſit è vita, eo die quo memoria glorioſæ mortis B. Ioannis Baptiſtæ recolitur anno CIↃ.IↃ.XLI. B. Pater paulo ante eius mortem, ad cœnobium S. Petri trans Tyberim in aureo monte, pro ægro ſacris operaturus concederet; at ecce cū pontem Sixtinum tranſiret, vidit coruſcantem eius animam ſublatam in cælum, & ad comitem viæ P. Ioannem Baptiſtam Violam, (qui poſt hoc ipſum mihi narrauit) conuerſus: Hui, inquit, P. Ioannes Codurius efflauit animā.

Etiamnum viuens Romæ P. Leonardo Keſſelio Coloniæ apparet

P. Leonardus Keſſelius natione Belga vir in Societate noſtra ſenex & ſanctus fuit, & omnium iudicio talis. Eum ipſe Coloniæ noui, vbi prima collegij noſtri fundamenta iecit; quod deinde ſumma laude & ſanctitatis gloria multis annis adminiſtrauit: Hunc ergo magnū quoddam & inuſitatum deſiderium cum teneret vidēdi potiundiq; colloquio B. P. Ignatij, litteras ad eum dedit quibus petebat vt ſibi Colonia Romam pedibus ire liceret, plus trecentis milliarijs Gallicis inde diſtantem, tantummodo vt in eius aſpectum ſanctiſſimoſque ſermones veniret. Reſpondit B. Pater eius præſentiam Coloniæ propter aliorum vtilitatem neceſſariam eſſe, propterea ne de ſtatione decederet, Deum fortaſſe viā magis facili & expeditā ſui videndi copiam daturum. Igitur die quadam P. Leonardo Coloniæ vigilanti apparuit viuus adhuc & ſpirans Beatus Ignatius, cum eoque ſatis longo ſermone diſſeruit, poſt autem viſione ſubtractā hominem in modum exultantem gaudio reliquit, quod ei rem tam expetitam conſequi tam admirabiliter contigiſſet. Ioannes Paſchalis filius Agnetis Paſchalis. Quotidie primum ſacrum audire conſueuerat, quod Barcinone in ſacello B. Eulaliæ ſub ara principe maioris eccleſiæ fiebat, huic paucis annis à morte B. Pater ante eandem aram maximam aſtitit, quem vbi Paſchalis agnouit, ah Pater mi inquit, volentemque propius accedere, B. Pater, indicio manus prohibuit, & ex oculis eius ſeſe repentè ſubduxit. Alias generis ſexcenta breuitatis cauſa prætermittēda duximus. Sed quod magis in admirationem nos egit qui eum noueramus, & eo familiariter vtebamur, illud eſt, cum diuina in eum beneficia quæ diximus quotidiana eſſent & viſitata, vt ea quæ ſcripſit inter conſtituendas Societatis noſtræ leges, & quæ poſt eius mortem inuenta declarant, quod nunquam tamen ex eius ore verbum vel viſionis, vel alienati à ſenſibus animi ceterarūq; eiuſmodi rerū niſi adeò rarò & parcè, vt nobis miraculi inſtar eſſet, exiiſſe cognouimus: è cōtrario verò demiſſionē animi, caritatē, patientiā, deſpicientiā ſuiipſius, propter Dei gloriā, ſuſcipiēdos pro ſalute animarum

marum

matũ labores, orationẽ, domãdas libidines, appetitiones cohibendas, & ceteras eiuſmodi virtutes, vt magni duce-bat, ita frequenti ſermone vſurpabat. His enim ſancti ſumus, & amicitiam cum Deo iungimus, illa vero quamuis in ſpeciem ſublimiora nobilioraque ſint, ſomnia ſunt tamen, neque perpetua ſanctitatis & diuinæ gratiæ argumenta.

NEQVE vero huius B. Patris anima, tantum cæleſti luce de qua diximus, illuſtrabatur, verum etiam aliquid ex XXII.
eius lucis plenitudine ſic redundabat in corpus, vt etiam nonnulli eius luce refulgere, & ex eo radios emitti ſæpe cõſpexerint. Hoc ſe vidiſſe Barcinone confirmauit Eliſabetha Roſella, cum Pater, vt ſupra meminimus, in gradibus altaris ſederet inter puerorum greges: hoc item Ioannes Paſchalis filius Agnetis Paſchalis, qui diu Patrem in eadem vrbe Barcinonenſi domi ſuæ benignè fouit. Idẽ Loyolæ multi notarunt, cũ è Lutetia rediſſet & ad hoſpitalẽ domum diuertiſſet: deniq; & Romæ B. enim Philippus Nerius ſpectatæ vir Sanctitatis, auctor oratorij venerabiliũ ſacerdotũ B. Mariæ Vallicellæ, qui vrbi Romæ incredibiliter profuit, & quem probè noui, B. P. Ignatio cõiunctiſſimus erat, ad eius conſiliũ in dubiis rebus cõfugere ſolitus cuius & cũ angeretur animo, vel ſolo recreabatur aſpectu. Is ergo dictitabat, B. Ignatij caput quaſi cœleſtibus quibuſdã radijs coruſcare ſolitũ, ac totũ eſſe luminoſum, ſummum diem obiit B. hic Pater ſeptimo Kal. Iun. anno CIƆ.IƆ.XCV. quo die anniuerſaria eius memoria à filijs celebratur. Sed illud commemoratione dignius quod ſibi accidiſſe teſtatus eſt Alexander Petronius in vrbe Roma celebris medicus & B. N. Patris amantiſſimus. Cum enim ille graui morbo laborans à B. Ignatio inuiſeretur, ingreſſo eo in obſcurum cubiculum & tenebricoſum, clauſis feneſtris omnibus, nouo id derepente lumine refulſit. Miratus autem Alexander atque à coniuge ſciſcitatus vnde ea lux diffuſa, repentè conualuit, beneficiumque recuperatæ valetudinis præſentiæ B. Patris attribuit. Ac tum quidem rem ſilentio preſſit, ſimul tamen vt Pater hanc vitam meliore commutauit, eam ſparſit in vulgus, quam ingens admiratio ſanctitatis & fama B. viri eſt conſecuta. Similiter & alibi ſæpe viſum hoc lumen naturam ſuperans ex eius ore diffundi. Ioannes vero Paſchalis frequenter eum Barcinone conſpicatus tribus quatuorue palmis à terra ſuſtolli, cum diuinum numen oratione placaret ac diceret O Deus, ô Domine, ô ſi te homines noſſent! Nec minus à Deo prophetiæ donum accepit & diuina luce perfuſus multa antequã euenirent prædixit. Cũ Minoreſſa deceſſit Hieroſolymam profectus, Ioannes Paſchalis tunc agens ætatis annum XIIX. itineris comitem ſe præbuit, ſed eum Pater redire iuſſit, matrique opem præſtare: matrimonio iunctum iri prædixit, ſuſcepturumque liberos quorum cauſa multis afficeretur incommodis, ad quæ patienter ferenda hortatus eſt; aliaque multa prænunciauit, quorum veritatem comprobauit euentus. Cum Pariſiis veniſſet in Belgium, precariam pecuniam ſuſtentandæ vitæ gratia vt diximus quæſiturus, & à quibuſdam mercatoribus inuitatus Antuerpiæ cum iis epularetur, adoleſcens quidam inter eos aderat modicum ſeiunctus à ceteris, Petrus Quadratus nomine, Medinæ Campi natus; In quem coniectis oculis, iuſſit eum propius accedere. Cum enim aiebat, in poſterum optimè is eſſet de Societate Ieſu meriturus, par eſſe vt amicitiam iam tum coirent, ſeque magnopere Deo ſciret obſtrictum, quòd ſe ad conſtituendum olim Societati Ieſu collegium delegiſſet. Quòd vt multis annis ante iacta Societatis fundamenta prædixit ita re ipſa veram prædictionem fuiſſe compertum eſt. Longo ſiquidem internallo Petrus ille Quadratus & Domina Franciſca Manga coniux eius, Medinæ Campi Societatis collegium ædificarunt. Cum Vicentia profectus P. Simonem Baſſani vehementer ægrotantem comite P. Fabro inuiſeret, eo relicto deflexit è via, vt pro ægri ſalute Deo ſupplicaret, interea diuinitus intellexit illum ex eo morbo minimè moriturum, idq; P. Fabro indicauit. Vt igitur ad ægrum peruenit, eũ amplexus; Nihil metuendũ, inquit, frater mi Simon, nec enim iam moriere: quibus dictis repentinò ſanitatẽ recuperauit vt ipſemet magiſter Simon ſæpe teſtatus eſt, idq; Faber P. Layni, Layner autem mihi renunciauit. Baſſani quidã è ſocij: inſtitutum vitæ ſuæ in dubium reuocarat, iamq; ſecum deliberabat ſatiuſne foret viro cuidam in ſolitudine vitã agenti & innocentiæ laude præclaro familiaritate coniungi, animumq; ad contemplationem applicare, an B. Patri adhærere & animos proximorum iuuare. Cum adiret ipſum ſolitarium hac de re conſilium capturus, formidoloſis quibuſdam viſis inter eundum territus ac perturbatus, domum in qua Ignatius erat regreſſus eſt: qui lumine illuſtratus prophetico intimas illius cogitationes animaduertit, &, Modicæ fidei, inquit, quare dubitaſti? Hac ille voce confirmatus in cœpto genere vitæ ad mortem vſq; perſtitit. Anno CIƆ.IƆ.XLI. Stephanus Baroellus natione Italus inſtitutum Societatis Romæ complexus eſt, paucilque diebus adeo graui periculoſoque morbo oppreſſus, vt de eius vita pene eſſet à medicis deſperatũ. Interim B. Pater ad D. Petri montis aurei ſe cõtulit ſacrũ pro illius ſalute facturus, quem de more comitatus ſum, eiq; rem diuinã facienti operã præſtiti. Sacrificio gratijſq; Deo peractis, Stephanus, inquit Pater, non morietur nunc quidẽ, atque ille cõtinuo reuelari cœpit ex morbo. Tũ profectus in Luſitaniã, atq; inde in Italiã reuerſus annos cõplures in Societate vixit, in eaq; tandẽ religiosè & laudabiliter vitã expleuit. Doctor Arrouira Barcinonenſis, vir honoratus & nobilis qui poſtea apud Philippum II. Hiſpaniarum Regem, pro ſua republica legatione functus, B. Patre familiariter, vt mihi dixit, vſus eſt. Hic cũ ab Ara Cæli veniret, obuiã Patri factus eſt cũ litteris à Domino Franciſco Borgia, duce Gandiæ ad ſe miſſis, qui tũ regnũ Catalauniæ pro Rege gubernabat vxore etiam tum incolumi. Cũ de hiſce litteris inter ſe agerent, noris, inquit Pater, harũ litterarum auctorem Romam olim ventu-rũ vt Societati præponatur. Quæ quidem res tũ demũ eſt perfecta, cũ vxore defuncta, noſtræ Societatis inſtitutũ profeſſus, poſteaquam multos annos generalis per Hiſpaniã Cõmiſſarius fuiſſet, tertius ei regendæ magiſter præpoſitus eſt ann. CIƆ.IƆ.LXV. poſtridie kal. Iul. quo die Viſitationis Mariæ Virginis beata cõmemoratio celebratur. Affirmat idẽ Michael Arrouira ſe tũ eum eſſet admodũ adoleſcens, & incertus de genere vitæ, matrimonio tandẽ ſtatuiſſe coniungi, ſed antequam Patri conſiliũ aperuiſſet, quod ſermonibus differri nolebat, eum præoccupauit Pater: &, cogitas, inquit, vxorem ô quantos ſuſcipies gemitus! quantis exercebere laboribus! Quæ prædictio profecto veriſſima fuit: & ſicut ille mihi priuatim narrauit, ita præſẽte Epiſcopo Barcinonẽſi teſtimonio iuratus aſſeruit. Simul ac Agnes Paſchalis ceſſit è vita, Romæ de eius morte Pater certior factus eſt, vt eius ſalutẽ Deo cõmendaret: reſpondit ſe priuſquã ea de re litteras accepiſſet eam mortuã ſciuiſſe & eius animã iam in cœlum receptam. Cũ P. Laynes Venetiis à Senatu contenderet, vt eius auctoritate veniremus in poſſeſſionem prioratus S. Mariæ Magdalenæ vrbis Patauij, quẽ Paulus III. collegio Patauino adiunxerat, rem difficultate plenam, & cum potentibus aduerſariis gerendam vidit, cumque pene rei perficiendæ ſpem abieciſſet, B. Patrem litteris orauit, vt pro felici ſucceſſu Deo ſacrificium offerret, quòd humanam in eo nihil valituram ſperaret induſtriam. Pater igitur ſacris operatus eſt B. Mariæ Virginis natali die, Patriq; Layni reſcripſit his verbis: Feci quod poſtulaſti, ſecurus eſto, neue te res iſta conturbet, quin eam pro tuo deſiderio factam putes. Vt ille ſcripſit, ita res voto parem exitum habuit. Nam diei B. Mariæ natalis octaua conuenit Senatus, & vno omniũ pene conſenſu nobis eſt addicta poſſeſſio maximè mirantibus iis qui in illius reipublicæ ſtatu verſati ſunt. Inſuper vti P. Laynẽ ſibi in adminiſtratione ſucceſſurũ prædixerat, ita ipſe eo mortuo ad gubernacula regendæ Societatis acceſſit. Ann. CIƆ.IƆ.LV. Patres Hieronymũ Natalem & Ludouicum Gonſalem de Camera, nauigaturos in Hiſpaniam iuſſit in nauem Genuæ ſine mora conſcendere, aſſeruitq; ſecũdis ventis vſuros, quod & contigit licet hiems eſſet maritimos curſus aſſueta præcludere. Collegio Germanorũ extrema inopia ſine ſpe rei melioris laborante eius è ſacro purpuratorum collegio patroni, penitus deijcientes animũ, monuerunt Patrem, vt re tam deſperata ab eius curatione deſiſteret, quibus ipſe reſpondit, eam nullo modo curationẽ ſe velle deſerere, venturum aliquando tẽpus quo collegiũ rebus omnibus neceſſariis eſſet inſtructum. Vaticinationi reſpondit euentus: nam ei Grego. XIII. Pont.

Max.

Max. optimè proſpexit, perpetuoſque prouentus attribuit. Eodem modo cum Romano Societatis Collegio actum eſt: cum enim in eas coniectum eſſet anguſtias, vt inopia premeretur earum rerum, ſine quibus vix, aut ne vix quidem hominum vita ſuſtentatur, nec humana ratio ei conſulendi ſuccurreret, Deo ſupplicauit Pater, tum ſignificauit quibuſdam è Patribus, nihil opus eſſe vt quiſquam angeretur, paucis menſibus Deum ei ſubſidio futurum, vt reuera fuit, & nonnunquam admirabiliter, quoad idem Gregorius honeſtis id penſionibus vtcunque ſtabiliuit. Alia generis eiuſdem multa prædixit, quæ omnia ſicut prænunciarat euenerunt, ſed ea, ne longior ſim, volens libenſque prætereo.

XVIII. QVIA verò poſtremo quinti libri capite de miraculis breuiter egimus quaſi nulla feciſſet, aût ad demonſtrandam eius ſanctitatem neceſſaria non eſſent, ſtatui nunc ea paulò fuſius exponere, nō omnia quidem (res enim nimis in longum excurreret) ſed partem duntaxat eorum, quæ Deus efficere per ſeruum ſuum dignatus eſt. Quamuis enim cum anno CIƆ.IƆ.LXXII primum vitam eius latinè ſcriberem, alia nonnulla miracula ab eo facta nouiſſem: tamen adeo mihi certa & explorata non erant, vt in vulgus edenda mihi perſuaderem: poſtea verò quæſtionibus de eius in diuos relatione publicè habitis grauibus & idoneis teſtibus fuerunt comprobata. Enimvero Deus vt ſeruum ſuum extollat in terris, tam frequentibus eum in dies miraculis dignatur, vt mearum partium eſſe ducam litteris hic mandare nonnulla, è publicis actionibus ſumpta quas habuerunt complures Antiſtites, iuratis etiam eorū, quibus ipſa hæc admiranda contigerunt, aliorumque locupletiſſimorum & certiſſimorum teſtium teſtimoniis. Prætermiſſis igitur iis quorum in eius vita mentionem fecimus, quæ multa magnaque ſunt, prædictionibus item aliiſq; præclaris Dei muneribus ac donis, miracula hic pauca de multis afferamus, quæ Deus huius B. Patris ſupplicatione perfecit. Primum maxima pollebat poteſtate & auctoritate in dæmones, in quem etiam ingens odium conceperant, vt hoſtem infenſiſſimum eum inſectātes quod & palam profitebantur. Nā Minoreſſæ cū eſſet, iam tū diabolus quaſi fulgore collucens & venuſtus ei apparere conſueuerat, quoad cæleſti lumine perfuſus malum dæmonem eſſe cognouit, cuius vnū ſtudium erat, vt ipſum quoquo modo in fraudem induceret. Nec Minoreſſæ ſolum, ſed etiam inter peregrinandum, & Pariſiis & Romæ, ſed adeo tetra ac deformi ſpecie, vt per contemptum facilè tanquam ignauum ac languidum canem ſeipſo ne pelleret. Conatus eſt autem ille nequam & improbus tum præterea ei terrorem inicere Compluti cū eſſet in hoſpitali domo Ludouici Antezanæ, ſed fruſtra. Romæ præterea ſecundum quietē eum præfocare tētauit, & fauces eius ita oppreſſit, vt ſanctiſſimum Ieſu nomen inclamare cogeretur, idq; tanta cōtentione vt multos poſt dies vox eius rauca permāſerit. Alias cū iaceret in lectulo cædebatur à ſpiritibus malis, frater verò quidā nomine Ioannes natione Catalaunus, qui mè ſemel & iterum mihi narrauit, ſonitum quidem verberum audiuit, atq; è lecto velut ope ſtatus ſurrexit, verum ei nihil admodum nocere Deo repugnante potuerunt. Et illi quidem quòd eriperet animas ex eorū vnguibus Ignatius, angebātur, adeo vt palam ſæpe clamarent hoſtem ſe non habere maiorē. Anno CIƆ.IƆ.XLI. me audiente dixit diabolus qui adoleſcentē quendā nomine Matthæū affligebat, ne ſibi nominaretur Ignatius, quod eſſet omniū inimicorū maximus. Idē Patauij dixit malo ſpiritu miles afflatus, & Trepani in Sicilia quædam mulier. Deniq; quanto Ignatiū odio dæmones proſequebantur, tantas, tam q; atroces in eū tempeſtates concitabant, vt inimicitias euidentiſſimè proderent: quas cū illo gerebāt, quas tamē omnes Deo opitulante vincebat. Cū Aſperitiæ moraretur in hoſpitali domo, mulier quæ iterum iam annum ſpiritu nequam agitata ad eum propter famam ſanctitatis eius adducta eſt, vt ſacris exorciſmis eam adigeret, proq; eius ſalute Deum obſecraret. Ille ſe ſacerdotij non eſſe decoratum inſignibus magna animi demiſſione reſpondit, nec exiſtere tanta in Deum ſua merita, ſuppliciter tamen pro ea rogaturum. Vt fidē ſuam liberauit, mulier ab infeſta dæmonis iactatione dimiſſa omniq; moleſtia liberata eſt. Romæ Matthæū illum adoleſcentem in quē hoſtis cōmunis humani generis atrociſſimā ſæuitiam exercebat, eius tyrannide ſolis ſermonibus & collocutionibus eripuit in cubiculum cum eodem incluſus: quē ego iuuenem tā calamitatis quā incolumitatis eius tempore probè noui. Et hic ad ſacram religioſorum familiam tandē aggregatus in ſolitaria domo Camaldoli, frater Baſilius cognominatus eſt. Anno CIƆ.IƆ.LIV. poſita ſunt fundamenta Lauretani collegij Societatis cui regendo primus P. Oliuerius Manaræus præpoſitus fuit, qui adhuc apud Belgas in viuis eſt, vir admodū religioſus & pius & in Societate ſua virtute celebris. Teſtatur ille, ſimul ac noſtri nouam domum incolere cœperunt dæmones infeſtos fuiſſe, ſolitoſq; illos dies & noctes cuncta miſcere. Iam enim ſtrepitum excitabant, iā ſeſe obijciebant oculis vel Mauri, vel obſcœni canis vel felis, vel alius animalis ſpecie neq; noſtros de nocte ſomnū capere patiebantur. cumque ſacris operati fuiſſent, orationes, aquam luſtralem, exorciſmos Diuorū reliquias, & alia id genus, fruſtra adhibuiſſent, idē P. Oliuerius de his B. P. Ignatium litteris certiorē fecit, atq; eius fidē implorauit. Reſcripſit ille vt Dei bonitati confideret, eſſe propediē ab iis moleſtiis liberādos: ad ſe verò quod attineret, diuinū numen impenſe oratione placaturū. Vt litteras accepit P. Oliuerius, mox domeſticis omnibus conuocatis in cōmuni cœtu eas recitauit, & ecce, dictu mirabile, iā tunc omnia ſpectra, omnia dæmonū terriculamenta ſic euanuerunt, vt in poſterū nuſquam apparerent eorū impreſſa veſtigia. Atque hæc quidem P. noſtro viuo adhuc & ſpirante contigerunt. Eo verò mortuo, cum Trepani in Sicilia mulier agitata ſpiritu nequam ſacris adiurationibus adigeretur, Ioannes à Vega Siciliæ Prorex accepto de eius morte nuncio, quamuis nondum emanaſſet in vulgus, ex ipſa quæri iuſſit, vbinam eſſet Pater Ignatius auctor Societatis Ieſu; reſpondit dæmon, inimicum ſuum corporis ſui ergaſtulo, ad auctores ac parentes aliorum Ordinū Dominicū & Franciſcum in cœlis aggregatum. Anno CIƆ.IƆ.XCI. nou. Senis in Italia puellam admodum probam & ſimplicem, Iacobam Prati nomine, pediſſequam nobiliſſimæ matronæ cuiuſdam, quæ erat Archiepiſcopi eiuſdem ciuitatis amita. In hanc admodum dæmones erant infeſti, eſe ſibi viſendos varijs figuris exhibebant, eam mira crudelitate cædebant. Duodecim annis in ea calamitate verſata eſt: tūc verò B. Patris imaginem geſtare cœpit, ſpiritus impuri quamuis oculis conſpicerentur, & hunc eſſe magnis clamoribus inimicum ſuum teſtarentur, imaginem abijcere iuberent, eò tamen audaciæ nunquam venerunt, vt ad eam vel accederent, aut attingerent. Verum cum obijceretur imago eorum adſpectibus, demittebant oculos, aiebantque rem a ſeo ſceleratam & impiam ſeſe videre non poſſe. Ac licet eos irritaret puella, licet ad ſe percutiendam voce laceſſeret, quandiu tamen imaginem ſecum habuit, verberibus eam appetere nunquam ſunt auſi. Cum autem curioſius experiri vellet, an hic dæmonum timor ab imagine B. Patris, an aliunde proficiſceretur, eam ſepoſuit, & ecce continuò dæmones in eam impetu facto tanta atrocitate verberarunt, vt velut mortuam reliquerint. Hoc incōmodo ſuo periclitata, ſtatuit in poſterū hanc imaginem nunquā deponere, qua velut clypeo tuta eſſet, adeoq; formidoloſa dæmonibus: qui cum illā ferre non poſſent, feriebant parietes cubiculi & ciſtas & qualos. Nec illud abſimile quod Anconæ anno CIƆ.IƆ.XCIX. cuidā ludimagiſtro contigit. Hic audiebat domi ſuæ lemuribus, qui principio cubiculum eo abſente verrebant, lectum cōponebant, lumen afferebant, poſtea verò omnia turbabant, imagine B. Patris in cubiculo collocata, nullū deinceps in eo ſenſit incommodū, quamuis extrà magnos excitarent ſtrepitus, ianuas feneſtraſq; aperirēt & clauderēt, & quadā inter ſe colliſione tympanorum ſonitū imitarentur. Verū iiſdem in locis etiam poſita B. Patris imagine cunctus fragor cōquieuit omniſque terror abſceſſit. Dum anno CIƆ.IƆ.XCVII. octauo Id. Iul. Romæ in æde ſacra dæmon adiuratur. P. Ioannes Baptiſta Peruſcus lipſanothecam multis Diuorum atq; inter cæteras etiam B. Patris reliquiis inſtructam ſinu geſtans, in eam Deo ſupplicaturus ingreditur. Hic in ipſo introitu diabolus, eo quod ſecum Pater gerebat vri ſe magno clamore conqueritur.

Odium dæmonum in ipſum, eiuſque in illos poteſtas atque auctoritas.

Aſperitiæ dæmoniacam liberauit.

Collegium Lauretanū à ſpiritibus malignis vexatum.

Dæmon cōfitetur Patrē eſſe inimicum ſuū.

Romæ femina à dæmone liberata.

Sacris

Sacris igitur exorciſmis adactus vt dicat quid ſit illud, confitetur eſſe reliquias B. Patris Ignatij magni ſerui Dei, auctoris Societatis Ieſu, cum in cœlo beatam vitam agere, iam quidem incognitum, ſed in terris breui conſecrandum. Tum P. Petruſcus lipſanothecam accepit, qua collo miſeræ mulieris iniecta, dæmon vlulat, & reliquiis huius Patris vri ſe vociferatur, denique à muliere abſcedit Deo volente, vt tantum beneficium precibus B. Patris ferret acceptum.

Alia in Maiorica liberata.

In vrbe inſulæ Balearicæ maioris fœmina Catharina Roca nomine, duodecim pene annis quotidie fuit à dæmone vexata, Iam manus eius & caput ad parietem allidebat, iam tollebat altius, atque ei tantam grauitatem ac pondus addebat, vt duo viri bene valentes & robuſti iunctis viribus non poſſent vel vnum digitum à terra ſuſtollere. Nonnunquã more furioſi canis latrabat, alias grunniebat vt ſus, à iudicio frequenter & ſenſibus alienata in ore ſpumas agebat. Res erat commiſeratione digniſſima, tot quæſitis vndique remedijs non potuiſſe ſanari. Tandem anno CIƆ.IƆ.XCIIX. præcipitante Auguſto menſe, ſacerdos quidam Ioãnes Pe nomine, autographum B. P. Ignatij nomẽ capiti miſerrimæ mulieris impoſuit tum cum ſenſibus eſſet deſtituta: illa verò furioſos & inuſitatos toto corpore atque ore præſertim geſtus egit, tum demum diabolus emigrauit, liberamque ac ſanam reliquit. Illa porrò ſeſe honeſtè ſubduxit, Deoque precibus Ignatij recuperatæ valetudinis gratias egit.

Alia Senenſis.

Montiſchala locus eſt in agro Senenſi, ibi quandam virginem nomine Mnam, filiam Gratiani Galæ, maligni ſpiritus grauiter affligebant, ei frequenter corporea & a[illegible]ctabili forma apparentes, illicienteſque in ſtuprum. Sed cum animaduerterent conſenſum ſe extorquere non poſſe, adeò crudeliter eam tutuderunt, vt corpus tumore ac liuore decoloratum relinquerent. Verum hoc eam malo Deus imaginis B. P. Ignatij applicatione liberauit.

Memorabilis ſororum Mutinenſium ab infeſtatione dæmonum liberatio.

SED iſtud animaduerſione eſt dignius, planioremque facit quam à Deo accepit in dæmones poteſtatem, eodem hoc anno CIƆ.IƆ.C. Mutinæ ciuitate Longobardiæ contigit, quod hic exponam eo modo quo ibi perſcriptum eſt, atque ad nos inde tranſmiſſum, preſſius tamen & breuius. Quatuor ſunt Mutinæ ſorores, iuuenes, honeſtæ & nobiles, quarũ vna matrimonio iuncta, tres reliquæ nubiles, hę cũ alia itẽ nubili puella quã cognatione ẽt attingebãt, multis iã annis adeò ſæuos & atroces atque aſſiduos inſultus immundorũ ſpirituum ſuſtinebant, vt omnes ad cõmiſerationem mouerent. Morbo continenter affligebantur, cui medici mederi non poterant, nec eius naturam conijcere. In altiora loca nonnunquam deportabantur, vt inde præcipiter agerentur: alias in ſecretiora domus cubicula ludebantur, veſtis diſcindebatur, capilli ſpargebantur, corpus lacerabatur: cum periculo vitæ allidebantur ad terram, & vſque eò cædebantur quoad domeſtici ſonitum verberum audientes, opitulaturi aduolarent. Porrò quamuis probæ virgines hæ fuiſſent, bene natæ honeſteque educatæ, in ſermone verecundæ, ab infernis tamen hiſce belluis obſcœnitatem verborum, horribilia in Deum maledicta, vaſtoſque ac terribiles vlulatus cogebantur emittere. Non poterant ſine magna vi ad precandum accedere, nec ad Dei laudem verbum audire vel proloqui. Intereſſe ſacroſancto ſacrificio grauiſſimum prorſus intollerabile illis erat, propterea quòd dæmones quaſi defectas animo proſternebant, adeoque inſanos clamores edere compellebant, vt magna vi adhibita retineri vix poſſent. Cum ſe ad pedes ſacerdotis abijcerent, peccatorum confeſſionem ijdem impediebant, cogebantque fœdum in modum linguam exercere in ſacramenti ſacerdotiſque deſpectum. Sed quod illis grauiſſimum fuit, indomitæ libidinis ſtimulo continenter miſeras agitabant, erant enim alioqui honeſtiſſimæ, ac domi nobiles & earum aliquæ perpetuam Deo virginitatẽ vouerant. Quin etiam ipſimet adiurati dæmones confeſſi ſunt, eò ſe machinas omnes contuliſſe, vt illis pudicitiam eriperent, atque in diſcrimen ſalutis animi corporiſque adducerent, ſed inanes ſuos conatus fuiſſe, propter vſum ſacramentorum, quibus acrius eo ſe turbantur, quo grauius adirent per culum. Neque hac tantorum malorum varietate contenti, eius quæ in matrimonio erat filium quatuor & de[c]em menſes natum occiderunt, atque vt grauius eius animum vulnerarent, ei moriturum denunciarunt eo ipſo die quo poſtea magno matris & totius familiæ dolore defunctus eſt. O altam & reconditam rationem iudiciorum Dei! Virgines hæ religioſæ & piæ remedium quæſiuerant à rebus iis omnibus, quas eſſe nouerant in vſu quotidiano Eccleſiæ, vt ab hac hoſtium generis humani tyrannide liberarentur. Adhibuerant orationes, ſacrificia, exorciſmos, aquam luſtralem, reliquias Diuorum, ceteraſque rationes & remedia quæ in Eccleſiæ conſuetudine ſunt poſita. Viæ diu fuerant opera ſacerdotum & religioſorum virtute & prudentia ſingulari, vt ab his tanquam bonis medicis curarentur. Sacram ædem Lauretanam frequentarant, ceteraq; loca quæ religioſa habentur, eaq; præſertim in quibus Deus ſolitus in dæmones poteſtatem oſtendere. Sed hæc fruſtrà tentata ſunt omnia, ſcilicet Deus iſtam curationem maiori gloriæ reſeruabat Ignatij, cuius meritis & orationibus quattuor illæ ſorores & his alia cognatione iuncta, diuturnis tormentis liberatæ ſunt: & iam incolumitatem, natiuum oris colorẽ, & mentis alacritatẽ recuperarunt. Stimulus ille libidinis vim ſuã perdidit, oratio facilis iã ea quæ eſt in voce, quã quæ in ſola mẽte. Interſunt rei diuinæ magna religione & animi voluptate. Modeſtia elucet in moribus, colloquia cũ domeſticis, vt ſolebãt, ſuauitate cõ[di]ta. Quocirca mirantur omnes qui illas norunt, ſed multo magis cũ ante oculos ponũt viã & rationẽ, qua precibus B. Ignatij his malis ereptæ ſunt, atq; hæc eſt eiuſmodi. Rector Collegij Societatis Ieſu Mutinẽſis miſeriam & calamitatem harum virginum cum inaudiſſet, re ex intimo animi ſenſu Deo commendata, diuinitus admonitus (vt res ipſa monſtrauit) earum domum adit ſecum ferẽs impreſſam B. Patris imaginem, quam pietatis cauſa ſeruabat, ingreſſus eſt earum cubiculum eo tempore quo ſacerdos dæmones adiurabat, nullique penitus imaginis mentionem facit, affixit eam parieti atque orationi inſtitit. Tum ſubitò tartarei ſpiritus inſanos clamores, horribiles edere eiulatus, Ignatij fundatoris Societatis adeſſe imaginem, qua ſummo cruciatu conficerentur. Nec à petulantibus quidem maledictis temperabant: nunc glabrionem, nunc claudum, nunc cæcutientem appellantes. Cur autem his nominibus eum vocarent fateri iuſſi, reſponderunt, glabrum ſe nominaſſe propter caluitium & raram barbam, claudum verò propter tibiarum ex altero crure ſuſtracto inæqualitatem; poſtremò cæcutientem propter vberrimum fletum, quo de ſenſu videndi periclitatus fuerat: querebanturq; hominem longinquum & alienigenam inde vſq; ex Hiſpania veniſſe, vt ſe implacabiliter & viuus & mortuus perſequeretur. Atque eo ipſo tempore multi tenebrarũ principes confeſſi virtutem Ignatij editiſq; horrendis vlulatibus corpus vnius ſororum egreſſi ſunt, ea humi afflicta ac velut mortua relicta. Ex eo die reliquæ ſorores earumq; mater & vniuerſa domus colendi B. Patris amore teneri cœperunt, ſpe concepta valetudinis optatiſſimæ recuperandæ, adeoque natalem eius diem ſolemnem ac feſtum agendi, pridieque ieiunandi voto ſe obſtrinxerunt. Huic amori conſecuta res noua incrementum dedit. Nam Auguſtinus Viuado Pater Societatis per id tempus Roma Mutinam proficiſcens ad concionandum, tulit ſecum lipſanothecam, in qua reliquiæ B. Patris erant inter ceteras, quibus in cubiculo ſororum occultè collocatis, dæmones mox has Ignatij reliquias eſſe vociferati ſunt, atque addiderunt vnde & à quo eſſent allatæ. Intolerabiles autem inde cruciatus ſe perferre conſitebantur, ſe cunctos ex ijs corporibus eiuſdem ſupplicatione deturbandos, Deumque ſtatuiſſe nomen eius in terris gloria illuſtrare. Alio quopiam die præcipuus quidam dæmon antequã egrederetur illuſit quidem Ignatio, atque in eum maledicta congeſſit. Sed imminente diſceſſu Deus eum magno ſuo pudore fateri oſſis eius particula ſe aduri, tertioque ſanctũ appellare adegit: Sanctus, inquit, Ignatius, Sãctus Ignatius, Sanctus Ignatius me ſua animi demiſſione, potentia, pietate qua fuit in ſanctiſſimam Virginem expellit. Alij cum celare vellent ſe per Ignatium pelli, mallentq; depulſionem hanc alius ſanctis attribui, quos ſingulari cultu ſorores illæ proſequebantur, in egreſſu tamen ſe mentitos eſſe fateri cogebantur, & Ignatium or-

Digitized by Google

tium ornare gloria ac dicere, ſolius eius opera in hac eiectione Deum vti velle. Alias inſanos clamores edebant, atque exeuntes; Vbi eſt, inquiunt, Lucifer poteſtas tua? quandoquidem chartæ fragmentum ſacerdotis iſtius imagine conſignatum nos eiicit, neque potes obſiſtere? Aliquando cum eſſent inani conatu toto die ſæpius adiurati, ſe non abituros eſſe dicebant, niſi ſubſidium inuocaretur Ignatij, cumque ſacerdos diceret; Impero vobis per merita B. Ignatij vt exeatis, illi nulla interpoſita mora præcipites rabie ac furore cedebant. Ita ſubinde loquebantur: Ah, ah Deus, itane vero nos gloria ſpolias, vt eam iſti ſacerdoti claudo rugoſoque tribuas? Quam efficacitatem impreſſa B. Patris imago eiuſque reliquiæ habebant, eandem & ipſius vitæ liber habere viſus eſt. Cum enim ad ædes harum virginum deportatus eſſet ad eum legendum, & vel imponeretur earum capiti vel pectori, vel aliquod capitulum legeretur, tartareos ſpiritus cum mire torquebat, tum ad abeundum, cedendumque Dei voluntati compellebat, qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis, datque vim conculcandi leonem & draconem, deque omnibus demonibus triumphandi. Ad duos menſes durauit iſte conflictus, donec referretur plena victoria. Vt enim præclare D. Bernardus ait agens de duobus dæmonibus per ſanctum Malachiam eiectis, iſtam moram & tarditatem non attulit inopia poteſtatis ſed ſtatutum Dei, vt omnibus fieret inimici poteſtas apertior, & ſancti qui eum exturbabat victoria clarior.

Verborum Ignatij in tractandis hominum animis efficacia.

XX. Nec vero ſolum in dæmones, ſed etiam in animis hominum quibuſcum agebat hanc diuinitus auctoritatem viſus eſt accepiſſe. Fuit enim vis illa mirabilis, quam Deus eius orationi tribuit, quæ humana maior apparebat, animoſque permouebat non eloquentia verborum, ſed ſpiritus rerumque quas tractabat grauitate. Itaque homines duros & confirmatos molliebat vt ceram, adeoque flectebat, vt ſeipſos & ſuam mutationem mirarentur. Moleſtias & angores duobus ſæpe verbis leuabat, ex animis ægritudines depellebat, iacentes excitabat, eiſque pacem & ſecuritatem dabat. Iudæus quidam Iſaac nomine, fidei myſteriis imbuendus domi noſtræ morabatur, quia Chriſtiana ſacra amplecti decreuerat, ille die quopiam tanta vi oppugnatus fuit à dæmone, vt velut furioſus & amens abire velle ſe diceret, nullumque cum ſacris fidei noſtræ myſteriis habere commercium. Pater hominem vocandum ad ſe curauit, eique tantummodo dixit: Iſaac mane nobiſcum, qua voce ille furentem ſubito mitigauit: & leo ferus in mitem agnũ conuerſus eſt, domique remanſit, dum ſacro fonte tingeretur. Ioannem Paulum vnum è fratribus Patris noſtri ſociũ, ita diabolus aliquando vexauit, inanique ſcrupulo dies noctéſque ſtimulauit & punxit, vt vix ſpiritum ducere, animi certe quietem inuenire nuſquam poſſet: non oratione, non ſtudio pœnitentiæ, non ſacramentorum vſu, non quæſitis aliunde remediis recreari, tanto denique in luctu verſabatur, vt viua mortis imago eſſe videretur, at vbi rem cum B. Patre communicauit, is duobus tantummodo verbis vſus, omnem veluti manu moleſtiam ei non ademit ſolum, ſed ita radicitus euulſit, ac ſi nunquam ea laboraſſet. Alium noui, cuius nomen (quoniam viuus adhuc eſt) tacitus prætereo, qui adoleſcens admodum, neſcio quo caſu, tanto timore perculſus eſt, vt vel vmbram ſuam formidaret, mox vero vt hanc perturbationem & inanem metum B. Patri commemorauit, vno illius verbo priſtinam animi ſerenitatem & æquitatem recepit. Huic ipſi & alia duo contigerunt quæ clariſſime demonſtrarunt quantum robur ſerui ſui verbis Deus addidiſſet, quamq; flexanima eſſet eius oratio apud eos qui illius ſermone congreſſuque vterentur. Primum ita pertinax hic adoleſcens aliquando fuit, vt ſalutaria Patris conſilia prorſus reſpueret. idem tamen mox vnica eius grauiore compellatione ſic flexus eſt, vt abiecta omni cunctatione exclamaret, Faciam Pater, faciam. Promiſſioni reſpondit euentus, eo quod ob admirabiles quos ſentiebat animi motus amplius ſibi obſiſtendum non putaret. Alterum eſt, quod hic idem cogitarat & pene conſtituerat à Societate deficere, vt vero confeſſione B. Patri totius vitæ noxas aperuit, illeque dixit: Obſecro te ne ingratus in eum ſis, qui in te tanta beneficia contulit, omnem ſubito eiuſmodi deliberationem ſuſtulit, hominemque ita confirmauit, vt in cœpto vitæ inſtituto permanere decerneret, in quo etiamnum laudabiliter perſeuerat, neque deinceps vnquam eiuſmodi cogitatione pulſatus eſt. Alia huius generis multa commemorare poſſemus, quamobrem P. Franciſcum Borgiam virum ea ſanctitate & prudentia qua omnes norunt, referre memini: Pater Ignatius, inquit, loquebatur tanquam poteſtatem habens, eaque vi præditus, vt animos hominum quamcunque in partem vellet, impelleret. Narrat D. Bernardus Sanctum Malachiam Epiſcopum domuiſſe feminam natura ferocem & iracundam, ſuoque iudicio maius illud fuiſſe miraculum, quam cum idem mortuam luci reſtituit: in altero ſiquidem hominem exteriorem, in altero vero interiorem excitarat ad vitam. Hæc beati illius viri ſententia.

Bernard. in vita Malachiæ.

XXI. SED inſtitutum narrationis noſtræ curſum proſequamur, aliaque nonnulla miracula, quæ Deus illius precibus eo mortuo fecit: maximeq; his poſterioribus annis, quibus de eius conſecratione deliberatio ſuſcepta eſt. Deus enim multa, varia & magna in variis prouinciis edit, quibus in ipſum pietas hominum excitetur, & quemadmodum in cælo celebratur eius gloria, ſic etiam celebretur in terris. Eo temporis puncto quo Romæ deceſſit è vita, Bononiæ ſplēdeſcens, inclytuſque apparuit nobili matronæ viduæ Margaretæ Delis nomine, & Societatis amantiſſimæ. Atque illa ſine cunctatione viſum narrauit P. Franciſco Palmæ Rectori Collegij, cuius ad aurem ſolebat animi noxas eluere: mortuumque indicauit Ignatium ac ſe vidiſſe confirmauit, adeoque natiuis eum coloribus depinxit, ac ſi eum antea cognouiſſet, quem reuera viderat nunquam. Porro cum eum Patrem adiit, quamuis illico rei fidem non fecit: tamen vbi diei & horæ nuncius allatus eſt, quo die & hora vitam hanc meliore commutarat, vera dixiſſe compertum eſt. Anno CIↃ.IↃ.LVI. Kal. Auguſti ei parentatum eſt frequentiſſimo populo qui ad eum videndum & venerandum cōfluxerat. Affuit inter ceteros Bernardina quædam religioſa mulier, & magnopere pietati dedita. Hæc filiam habuit annos decem & quatuor natam, graui periculoſaque ſtruma laborantem. Quamuis autem magnam partem facultatum ſuarum in adhibendas curationes abſumſiſſet, non modo tamen inanes impenſas fecerat, ſed etiam morbus in dies ingraueſcebat. Eam illo ipſo die mater ad templum Societatis adduxit, vt corpus B. Patris contingeret. Sperabat enim eius precibus à Deo filiæ reſtitutum iri valetudinem, quam à medicorum ope expectare non poterat. Sed tanta populi frequentia conuenerat, vt quidquid agerent mater & filia, vix tamen ad confertam turbam faciendæ modũ inuenire non poſſent, & ad corpus iam loculo incluſum accedere. Cum viderent igitur ſe operam luſiſſe, ac vehemēter dolerent, conatæ ſunt ſaltem aliquid reliquiarum B. Patris impetrare, quod acceptum magna fide, magnaque pietate filiæ collo, ſtrumiſque atque vlceribus quæ iam penè in cancrum erupèrant mater admouit. Eccè tibi res ſanè mirabilis. Nam Dei miſericordia meritiſque Ignatij filia priſtinam valetudinem momento temporis conſecuta eſt, omnibus rei nouitate attonitis, magnoque velut teſtimonio ſanctitatis eius, quod etiam mortuus morbos ab iis depelleret qui eius fidem religioſe & ſuppliciter implorabant. Anno CIↃ.IↃ.LXIX. prid. Kal. Aug. qui dies eſt B. Patri natalis quo primum corpus eius translatum eſt, quidam Dei ſeruus in eius ſepulcro duorum dierum ſpatio ſuauiſſimum cōcentum & ſymphoniam continenter audiuit. Romæ Druſilla Torlellina ægra morbo graui, cum æſtu febrique iactaretur, ad eamque grauiſſimus capitis dolor accederet, multa remedia quæſiuit, in brachiis, in naribus in capite incidēdas ſibi venas curaui. Sed his omnibus morbi vis non modo non leuabatur, ſed etiam gliſcebat in dies. Vbi vero frōti particulam oſſis B. Patris impoſuit, repentinò conualuit. Alia mulier Olympia Norina tanto cruciatu doloris oculorum afflicta fuit, vt trium menſium ſpatio videndi ſenſum amitteret. Adiungebatur inſuper continua febris & acerbus capitis dolor, qui nullam partem neq; diurnæ, neq; nocturnæ quietis eam capere patiebatur. Inter horum maxima cruciamenta morborum autographum B. Patris nomen allatum, quo mox ad frontem oculoſque applicato, protinus vidit, omnique febris & doloris moleſtia, liberata eſt. In eadem vrbe anno CIↃ.IↃ.XCVII. Hieronymus Gabrielli

Eo momento quo Romæ mortuus eſt Bononiæ nobili matronæ apparuit.

Puellam à ſtrumis inſanabili morbo liberauit.

Audita muſica in eius ſepulcro.

Cæcam curauit.

Puerum deſperatum ſanauit.

 briel li

brielli, puer nobilis ſeptimum agens ætatis annum, in malignam febrim incidit & lateris dolorem, exigua ſpe vitæ relicta, qui eodem ſcripto ab Ignatio nomine recreatus ex morbo periculoque ereptus eſt. Anno cIↄ.Iↄ.xcix.

Filiolam cui pectus obſtructum

Ioanna Vrſina Corneliæ Vrſinæ, ducis Cæſi filio tanta tuſſi quatiebatur, vt reſpirare non poſſet, nedum lac ſugere. Dux mater eam Patri Ignatio commendauit, obſecrauitque vt ei priſtinam valetudinem impetraret: atque vt omnes noſſent id beneficij ab ſe profectum, efficeret, vt in puella repentina mutatio facta videretur. Cum igitur filiola totam noctem diemque dimidiatum duxiſſet inſomnem, pūcto tēporis in ſomnū incidit, mox tuſſis depulſa eſt, & lac nutricis hauſit infantula. Dux a. beneficij memor ſepulcro Patris votiuā tabulā imponendā curauit.

Surdæ auditum reſtituit.

Eodē anno Angela Ruggiera pene vnius anni ſpatio inſolitū paſſa tinnitū in capite, auris dexteræ auditū perdiderat, cui ſimul atque alioquid reliquiarum B. Patris impoſuit, votumque nuncupauit ſic extenuandi corpus inedia die eius natali, vt cibos omnes præter panem & aquam excluderet, ſumendæque poſtridie SS. Euchariſtiæ integram exinde ſanitatem recepit.

P. Vaſquez graui lateris dolore curauit.

Rurſus eodem anno die lunæ qui dies fuit XIII. Kal. Aug. P. Michael Vaſquez religioſus Societatis Ieſu profeſſus, & ſtudiorum collegij Romani præfectus tanta doloris acerbitate lateris & renum conflictatus eſt, vt frigidus toto corpore ſudor erumperet, & velut animam agens ſenſibuſque deſtitutus moriturus putaretur. Multa remedia leniendo malo adhibebantur, ſed inani conatu: quinimmo quo plura medicamenta fiebant, tanto omnium iudicio maiora incrementa ſumebat. Igitur B. Patris reliquias afferendas ad ſe curauit, & magna religione atque ex intimo animi ſenſu eidem ſe commendans, ad eam partem qua acrius torquebatur, admouit, & illinc omnis cedere dolor, aliaſque partes inuadere quaſi fugeret perſequentem, quas cum eædem illæ rangerent ex illis etiam depellebatur, donec tandem vndequaque adhibitis illo in priſtinam valetudinem reſtitutus eſt. Nam quarta vel quinta poſt hora cruenta calculorum fragmenta, velut carnis particulis inuoluta ſine ſenſu doloris eiecit. Sententia medicorum fuit eum lapidem ſacrorū pignorū virtute fuiſſe confractum, & quoniam acutus erat, pupugiſſe meatus atque læſiſſe. Ægrotus nulla interiecta mora repugnantibus multis ſurrexit è lectulo, eam enim morbi depulſionem non humanam, ſed diuinam eſſe iudicauit, propterea abſolutam atque perfectam, nec ex eo quidquam eſſe metuendum. Eidem Patri Michaeli Vaſquez cura mandata fuerat agendi cum purpuratis patribus iis qui ritibus eccleſiaſticis præſunt, de Ignatio in numerum Diuorum adſcribendo: vt videri poſſit Deus adeo ſubitum ei acutumque morbum immiſiſſe, vt ipſemet beneficium Patris expertus, impenſius ad ſtudium conſecrationis eius incumberet.

Sanauit cancrum qui mammam mulieris depaſcebatur

Rurſus alia matrona Romana cancro laborabat qui per alteram ſerpebat mammam, adeoque grauis erat vt iudicio medicorum breui moritura videretur. Ea ad B. P. ſepulcrum cum oraret eueſtigio ſenſit è cælo vim quandam ad ſe manare, & paucis diebus nulla facta medicina lues illa depulſa eſt, nullo etiam remanente veſtigio. Et vir quidem eius mulieris argenteam telam, mulier vero papillam item argenteam inauratam ſepulcro donarunt in memoriam accepti beneficij ſempiternam.

Grauidam mulierem liberauit à morte, cuius in vtero mortuus erat infans

Alia quædam Orintia Caſul prægnans, & cui nulla vitæ ſpes oſtendebatur, quod in vtero fœtus eſſet extinctus, cum pectori chirographum B. patris nomen appoſuiſſet ilico mortuum onus effudit incolumiſque permanſit. Sed alia miracula edita Romæ prætermittamus, quorum pene infinita eſt copia: aliaſque prouincias Italiæ percurramus.

Puerum deſperatum ſanauit.

In agro Anconitano domus eſt Diuæ Mariæ Lauretanæ in qua ſanctiſſima Virgo nata æternumque Dei Verbum noſtram ſibi humanitatem induxit ibi puer natus annos ſex in grauiſſimum morbum incidit, eumque iam medici deſperauerant, cum porrecta illi particula tunicæ B. Ignatij, eoque ſuppliciter inuocato momento conualeſcit, neque vires priſtinas vlla ex parte deſiderat.

Febrim curat.

Mulier Recanati, quod oppidum milliario diſtat Laureto, grauiſſima febri exæſtuans, etiam ex ſtomacho cum vehementiſſime laboraret B. Patri ſupplicauit, & mox febris remiſit omniſque doloris acerbitas.

Fluxum ſanguinis

Adoleſcens de vita periclitatus magna ſanguinis continenter è naribus fluente copia: at qui nullo remedio ſiſti poterat, eum reliquiæ Patris ſuo contactu repreſſerunt.

Vlcus

Mulieri extremo dolore cruciatæ mammillarum, propter vlcus innatum, eædem adhibitæ reliquiæ ſaluti fuerunt.

Calculum

Eadem in vrbe Horatius Leopardus vir nobilis anno cIↄ.Iↄ.xcix. menſe Octobri calculi oppreſſus doloribus, & obſtructis, obturatiſque meatibus illis quibus humor à renibus & veſica profunditur, in ſummum vitæ diſcrimen incidit & iam humana nulla remedia ſuppetebant. Igitur ſanctiſſimæ Virgini ſupplicauit vt B. Ignatij meritis curaretur, ſimul Patris patrocinium implorauit: res mira, ipſo temporis momento mitigatur doloris acerbitas, vrinam effundit modicoque interuallo granorum arenæ copiam, & lapidum fruſta: nec vllum denique remanſit morbi veſtigium.

Palpitationem cordis.

Ibidem eodem anno & menſe Lucandia, Pompeii Georgij, coniux, quam quintum iam menſem inualetudo grauiſſima cordiſque palpitatio iactarat, particulæ veſtis eiuſdem appoſitione ſanata eſt. Eadem mulier cum eſſet nonum menſem grauida, fluxiſſentque illi non minus quam viginti ſanguinis libræ, ita debilitata eſt, vt quodammodo ſenſus amitteret, ſalutem tamen ſuam vt potuit B. Patri commendauit, quo facto & fluxus ille ſanguinis ſtetit, & illa ad ſe rediit. Nec ita magno interuallo cum prorſus eniti non poſſet: rurſus inuocato Ignatio extinctum ſine dolore fœtum emiſit, incolumis.

Apparuit ægrotæ mulieri.

Maceratæ, quod oppidum tribus ferme milliariis à Laureto diſiunctum eſt, menſe Nouembri, anno cIↄ.Iↄ.xcix. Dominæ Eliſabethæ Moronæque eiuſdem vrbis Epiſcopi neptis eſt animam agenti ſine ſpe longioris vitæ Pater apparuit, eique valetudinem ilico reſtitutum iri promiſit, ſimul iuſſit eam è lecto ſurgere, Deoque pro reddita ſibi ſanitate gratias agere.

Dolorem mammillæ ſanauit.

Neapoli menſe Iunio anno cIↄ.Iↄ.xcix. Domina Ioanna Aragonenſis Princeps Caſtri Bertrandi, dux Terrænouæ grauiſſimis preſſa incommodis dextera intumeſcente mammilla, adhibitiſque nequidquam ſpatio quatuor menſium multis medicamentis ad aliud remedium confugit, imaginē Patris magna in ipſum pietate fiduciaque mammillis adiunxit, & eodem die tumor omnis dolorque abſceſſit. Anno igitur ſæculari sac. cIↄ Iↄ c Romam profecta gratias egit, & ſepulcro B. Patris argenteam tabulam & quatuor cereos apponendos curauit.

Peſtilentem febrim.

Nolæ anno cIↄ.Iↄ.xcix. menſe Nouembri Franciſcus Blaſius vir nobilis peſtilente febri vexatus, ad quam accedebant intolerabiles capitis & ſtomachi dolores, iudicioque medicorum de vita periclitans: admonitus à matre Zenobia Toſia, B. Patris oſſiculum ad caput applicauit, eoque inuocato omni ſenſu doloris, & incommodo liberatus eſt.

Mortiferā pleuritidē

Lecci ciuitate Apuliæ in regno Neapolitano fœmina Patientia nomine Dominæ Antoninæ Cubella famula, adeo crudeli lateris dolore correpta eſt, vt deſperata vita tantum non ei ſepulcrum effoderetur. Allata interim ſunt illi ſacra pignora B. Patris Ignatij: quibus applicitis, ſuauem in ſomnum incidit quem ante capere nullo modo poterat, in quo & eundem P. vidit veſte ſacerdotali indutum, cui ille: filia, inquit, à Deo opem pete: nam ex morbo ſanā te faciet: qua voce audita, mox valens lætaque ſurrexit.

Offenſum Pueri genu

In eodem oppido puer trimulus Baronis Beglibonis filius è ſinu nutricis fortuito excuſſus in terram, eo caſu dexterum crus grauiter offendit, quem lapſum quia nutrix ſibi metuēs parentes celauerat. Adeo exulceratum eſt malum, vt puero ſemel & iterum, irrito quidem labore, crus fuerit incidendum. Porro cum tertiam inciſionem experiri periculoſum videretur; pater filio metuens, quem febri ac vulnere deficientem videbat, ad collegium Societatis confugit reliquias B. Patris accepit, addiditque infanti. Interea chirurgi crus tertio reſcindere parati puerum meliori loco deprehenderunt, qui paucis diebus, curato vulnere omni eſt periculo liberatus.

Patrem Societatis tempeſtate & Turcis liberauit Puerum à febri & dy-

Pater è Societate Natalis Maſuca nauigans in Siciliam captus eſt à Turcis, ac ſæua tempeſtate coorta fluctibus abſorberi timuit, at fidem B. Patris obteſtatus, protinus hanc vocem audiuit: Eſto ſecurus, nec enim hac tempeſtate mergeris, nec deueheris ad Turcas. Itaque tempeſtas ſedata, nauigiaque Turcarum apud inſulam Lampaduſam à Chriſtianis erepta ſunt: ſic ille duplici piratarum & maris periculo ereptus portum tenuit. Palermæ vrbe Siciliæ Coſmas Fetier tertium agens ætatis annum medici celeberrimi filius tanta febri ac dyſſenteria preſſus fuit, vt pater eius vi-

tam

tam deſperans funebrem pompam appararet, ſed ei admoto veſtis ſacerdotalis quæ B. Ignatij corpus attigerat fruſtulo repente morbo leuari cœpit, & patre domeſticiſque mirantibus ac exultantibus eodem die nullas amplius eius morbi reliquias ſenſit. Sed omittamus Italiam ac Siciliam, ad Hiſpaniamque veniamus. Anno cIↃ.IↃ.LXXI. Toleti hiberno quodam die ſub noctem feminam quandam nomine Vegam è familia Alfonſi Villeregalis Duron, & Mariæ Torres vxoris eius, tantus lateris dolor inuaſit, vt medici eadem nocte eam confiteri, ſacram Euchariſtiam percipere, teſtamentum facere iuberent ante lucem morituram exiſtimantes. Hoc vt audiuit vir honeſtus Ioannes Meſa Alfonſi Villeregalis amicus, ſupplex ad Deum acceſſit, & duo fragmenta, vnum linei pileoli, alterum corij quo ſtomachum P. Ignatius tegere, & ipſe Ioannes Meſa ferre ſecum religioſe ſolebat, ad egrotæ mulieris latus applicuit eoque contactu morbum depulit, Et ah, inquit illa, Domine Ioannes de Meſa, quid mecum actum eſt? quid eſt quod mihi tam repente omnem dolorem abſterſit? In vrbe Burgenſi Domina Franciſca Bernui religioſa profeſſa cœnobij S. Dorotheæ ſingulari virtute mulier & admodum ſolitaria, magno cruciatu calculi pleuritidiſque confecta, patrocinio B. Patris adiuta vnius anni fere ſpatio pluſquam centum calculos maiores minoreſue ſine ſenſu doloris eiecit. Anno vero cIↃ.IↃ.XCIII rupta quadam pectoris vena, ſanguis eidem per os effluens ſiſti non poterat, donec tandem eius ſacci particula quem Pater in Monteſerrato primum induit, cum ſuum pauperi veſtitum daret, in ſinum recepta, repente fluxus ille ſanguinis repreſſus eſt, & ipſa libera incolumiſque permanſit. Domina Ioanna Gangora ſacra virgo è conuentu de Huelgas, morbo languida, diploma Sedis Apoſtolicæ quærebat, quo cœnobio ſibi liceret exire ad curandam valetudinem. Interim ad B. Ignatij patrocinium confugit. poſitaque ante oculos ipſius Patris imagine priſtinas vires ita reuocauit, vt litteris Apoſtolicæ Sedis nihil ſibi opus eſſe iudicaret. Maria Auala è Franciſcana familia grauibus animi moleſtiis torquebatur. Ei conſilium datum vt ad B. Ignatium recurreret, propterea quod is eſſet qui ægritudinem animi curare poſſet. Orationi igitur inſiſtens Ignatii nomen oblita, dicebat: O Sancte Athanaſi mihi diuinam opem impetra, vt his quæ patior malis eripiar. Cum hæc diceret, hanc vocem audiuit: Non Athanaſius vocatur, ſed Ignatius. Eſto animo ſecura, nam eo pro te Deum rogante experitam ſanctitatem recipies, quod & factum eſt. Lanzarotus Ruffinus natione Belga variis laborans, à mediciſque deſperatus chirographo B. P. accepto ad perfectam valetudinem rediit, & ſurrexit è lecto, ſtupefactis medicis, atque iis omnibus qui periculum nouerant. Affectus eſt eodem beneficio Dominus Lopes de Caſtro nepos Dominæ Eleonoræ Gallo Antiſtitæ cœnobij S. Dorotheæ, de cuius vita cum medici Burgenſes & Vallisoletani ſpem perdidiſſent, ad B. Ignatium tanquam aſylum confugit, vouitque certam pecuniam egentibus ſe daturum, quo facto priſtinam valetudinem recepit & confirmauit. Franciſcus Ortiz paſtor eccleſiæ SS. Petri & Felicis vrbis Burgenſis biennium acerbam vexationem pertulerat ad crura iuncturaſque defluente continenter humorum copia, ſed eundem B. Patrem ſupplex adiit, & perfectam eius incommodi leuationẽ eſt conſecutus, Sacerdos ex Auguſtiniana familia vir grauis & è conuentu Burgenſi prid. Id. Nouemb. anno cIↃ.IↃ.XCIX. in diœceſi Burgenſi confeſſionem audiuit filiæ Ioannis Gomez pagani hominis puellæ duos & viginti annos natæ, ardenti febri & peſte laborantis. Hortatus porro & illam vt quanto poſſet maximo affectu ſe B. commendaret Ignatio, vnaque imagine ipſius ei in ſinum data omnis ſubito lues ac febris euanuit. Ciues plerique Burgenſes eadem lue correpti, haurientes aquam in quam immerſum fuerat B. Patris oſſiculum ſupplicantes priſtinam firmitatem ſunt conſecuti. Ipſemet etiam Franciſcus Ortiz paſtor eccleſiæ SS. Petri & Felicis eiuſdem vrbis, permultos hac ratione fuiſſe ſanatos, eiſque hoc potionis genus ſe propinaſſe teſtatur. Humanis enim remediis deficientibus ad diuina confugit. Nec vero obſcurum id fuit ſed tota vrbe vulgatum. Quin Baccalaureus ipſe Santius Cantabranenſis, paſtor eccleſiæ S. Stephani eodem beneficio ſe vſum eſſe confirmat. Nam contagione & acerrima tertiana vehementer afflictus eam aquam hauſit. Ignatiumque precatus melius habuit. Eandem bibit & Abel à Turre, eccleſiæ S. Stephani eiuſdem vrbis parochus, ſibi propinatam à matre, cum eadem eſſet peſte correptus, ſtatimque epoto poculo liberatus eſt. Madriti P. Michael Garſes religioſus Societatis Ieſu profeſſus ex oculo dextero laborabat, acutiſſimoque pungebatur dolore, copioſo acrique humore eum obruente. Nec inciſione venæ, nec vllis remediis leuabatur: quinimo quo plura adhibebantur, eo magis ingraueſcere malum abſque vlla quietis intermiſſione videbatur. Tandem V. Id. Sept. anno cIↃ.IↃ.XCVI. cum in ſummo cruciatu dolorum eius oculi fuiſſet à prima luce in veſperam, P. Bartholomeus Perez miſericordia motus, tradidit ei Ignatii nomen ipſius auctoris manu conſcriptum, & ad oculum iuſſit adiungi. Sperabat enim lenitum iri dolorem, vt exploratum iam erat in multis, qui ad eius opem confugerant. P. igitur Garſes humi genua poſuit, preces concepit, oculum nomine contigit tum cum acerbiſſimus vrgeret dolor. & eo ipſo pũcto temporis reſtituta ſanitate lætatus eſt. Cubitum diſceſſit, ſoporatus noctem ſuauiter duxit, è lecto poſtridie mane ſurrexit, templum adiit, ſacras confeſſiones audiuit. Omnes denique è collegio ſanum oculum vidimus, quem ſuperiori die plane cruentum videramus. Gandiæ Franciſca Vignola ætatis annum agens decimum tertium, vnius pene anni ſpatio grauiter ex altera tibia laborarat, nec incedere niſi claudicando poterat, idque admodum ægre, præſertim frigidiori cælo, quod valde aduerſum & infeſtum erat. Kal. autem Ian. quo die gratiſſima circunciſionis Domini memoria ab eccleſia celebratur, anno cIↃ.IↃ.C. templum quamuis difficulter ad audiendum ſacrum cum adiiſſet, indeque domum rediiſſet vi doloris vehementer afflicta: Hortante matre ſalutem ſuam B. commendauit Ignatio, eiuſque nacta chirographum, tibiæ coniunxit, ſanata eſt: ambulauit, ac ſi nullum vnquam perpeſſa fuiſſet incommodum. Eius pater arte medendi eruditus, omneſque domeſtici factum in miraculorum loco numerauerunt. Poſtridie eius diei mater & filia ad ſacram Societatis ædem Deo Beatoque Ignatio gratias acturæ conuenerunt. Cereumque oſcillum tholis eius ſuſpenderunt. Nec huic diſſimile contigit eodem loco menſe Octobri, anno cIↃ.IↃ.C. Ioſephæ Borgiæ Gaſparis Ferreræ coniugi. Cum enim amplius vnum menſem male affecto crure loco ſe mouere nõ poſſet, nec vllis medicamentis morbum depellere, Ignatij fidem implorauit ex animo, quintoque Dominicam orationem & Angelicam ſalutationem in eius honorem recitauit. Id cum triduo continuaſſet, in lectuloque iacens ac vim profundens lacrymarum; quod magnis cruciamentis premeretur opem B. viri expoſceret, repentinus eam ſomnus oppreſſit. In ipſo autem ſopore Pater ei ſe videndum præbuit, lætoque & hilari vultu dixit ſe eius curandi cauſſa veniſſe, ſacraque manu mali ſedem contingere viſus morbum ſuſtulit, experrecta mulier, ſanam ſe eſſe mirata eſt, ac mane templum Societatis petiuit, imaginemque ceream obtulit perpetuum accepti beneficii à B. Patre monumentum. Sed illud inprimis memorabile, quod accidit eodem loco in ſequentis anni menſe Nouembri virgini cuidam piæ, atque à ſæculi conſuetudine abſtractæ, Ioſephæ Chaſtellæ, annos natæ XL. Illa comitiali morbo laborabat, eiuſq; tanta vis erat, vt à ſede rationis præcipitem ac ſeipſam dentibus vnguibuſque laniantem multi prohibere vix poſſent. Cum vero illa grauis agitatio conquieſceret, inſolitus dolor hærebat in corde, corpus erat adeo contritum & debile, vt ne inſequenti quidem die mouere ſeſe aut aliquod opus ſuſcipere poſſet. Sed cum audiuiſſet quanta beneficia per id tempus, variis in locis, in homines Deus per B. Patrem collocaſſet, ea nocte qua vſitatum malum recurrit ſolitoque vehementius, vt nonnihil rediit ad ſeſe, fiduciæ plena, ſupplex inuocauit Ignatium, quinquieſque orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem percurrit: & eueſtigiò incolumem ſe deprehendit, dolore cordis & aliis cruciamentis ſolutam & liberam, quæ ceteroquin æquè ac alias ab illa ſenſuum alienatione remanſerant. Quies grata ſucceſſit, & tranquillam noctem (quod antea nunquam) in ſomno traduxit. Vt porro diluxit, ſurrexitque è lectulo, ſoror & fra-

ſententia.

Dolorem lateris.

Dolorem lateris & calculi.

Repreſſit fluxum ſanguinis.

Multos alios morbos ſanauit.

Afflictionẽ ſpiritus.

Variolas.

Dolorem cruris.

Peſtem.

Multos peſtiferos ſanauit.

Dolorem oculi ſubito curauit.

Tibiam puellæ.

& fratris vxor eam domi oberrantem præter ſolitum cũ viderent, magnam in admirationem adductæ ſunt. At illa deſinite, inquit, mirari, ſed gratias Deo mecum perſoluite, qui per B. Ignatium integras mihi vires nullo mali veſtigio remanente reſtituit. Octauo tamen vel decimo poſt die crudelis adeo vis colici doloris eandem ſubito corripuit, vt pene vitam extorſerit ſed qua iam imbuta erat in Patrem pietate, illius protinus implorato auxilio, eadem qua prius facilitate dolor aufugit. Et illa quidem ad ſacram Societatis ædem duplicis beneficij teſtes, binas cereas imagines deportauit, quicunque vero hæc cognouerunt diuinam bonitatem atque potentiam magnifice prædicauere. His adiungamus & illud quod Deus eodem in loco prid. Id. Decemb. anno ſuperiore ſæculari perfecit. Puella ſeptennis biduum febri agitata neque ſoporem ceperat, neque guttam aquæ libauerat præfocante guttur angina, adeo vt deſperata iam vita parentes ſepulturam filiæ magis quam medicinam cogitarent. Cum puellæ amita B. Ignatij imaginem conſpicata, (quam Pater eius vt pote faber ad ſe delatam habebat domi, ligno includendæ gratia) accepit, atque in ſpem non dubiam erecta ad puellæ caput admouit, opem eius Sancti ſuppliciter obteſtari iuſſit, ac nouendiales vouere ſupplicationes, ſi morbo releuaretur. Paret illa, & ſeruata quartam horæ partem imagine, matrem vocat, B. Ignatij meritis incolumem ſe renunciat, cibum poſtulat. Comedit igitur, bibit, & ea nocte vt viuens valenſque dormiuit, poſtridie vero prima luce, ipſa & amita pariter ad collegium Societatis gratulatum iuerunt, votiuas nouendij ſupplicationes inchoarunt, imaginem ceream ſuſpenderunt. Nunc continente relicta ad Baleares inſulas curſum dirigamus, in quarum maiore Deus anno CIↃ IↃ. XCVII. magna & admirabilia per B. Ignatiũ patrauit. Ioanna Clara Nognera mulier vidua virtutis & probitatis exemplar, luminibus amiſſis primum dextero deinde ſiniſtro autographo nomine B. Patris impoſito, ita videndi ſenſum recuperauit vt inſequenti die ſolitos labores exerceret, fixiſque & non caligantibus oculis ſolem adſpiceret. Quid de mulieribus dicam, quæ inter extremas pariendi anguſtias deprehenſæ præſentaneam mortem ſuam, fœtus vero etiam æternam iam iamque expectantes, tamen vel pia B. Patris Ignatij inuocatione vel nominis eius imaginiſve applicatione feliciter enixæ ſunt? Multas ſane eiuſmodi probatæ fidei hiſtorias poſſem commemorare, ſed vt ne in hoc argumento prolixus ſim, vel otioſus, vna altera ve perſtringenda me lectoremque expediam. Hieronyma Rebaza in hac eadem inſula complures dies intolerabili parturiendi dolore, corporis debilitate, animique defectione de vita periclitata ſumptis variis fruſtra medicamentis, cum prolem in vtero mortuam putaret, quod nullo motu cieretur, potentiſſima ei medicina ad eam expellendam, non ſine propoſito vitæ diſcrimine parabatur. Sed ea repudiata, quia nimis erat anceps & dubia, cæleſtem vt ſecuriorem antetulit, afferri ſibi rogauit ſcriptum illud nomen Ignatij, quo tanta miracula in ea ipſa inſula Deus ediderat. Allatum eſt XIII. Kal. Nouemb. anno CIↃ. IC. XCIIX & quarta pòſt horæ parte filium viuum ſanumque peperit. Sed illud multo maiorem admirationem mouit omnibus, quod os infantis queri medicinis redundaret, quas mater ſuperiori triduo ſumſerat. Obſtetrix eas exemit, & ex oculis eiulantis continuo fluxere lacrymæ quæ cunctis gaudio riſum fecerunt. Huic miraculo præſens affuit Hieronyma Pi, quæ Raphaelis Pi matrimonium tenebat. Illa decimum ſextum iam annum continua cruciamenta glandium in faucibus enatarum patiebatur, quibus nullum remedium inuenerat. Eodem accedebat & illud: dens in ore vacillabat, quo magnis inter edendum afficiebat moleſtiis. Ergo cum vidiſſet Hieronymam Rebazam tam admirabiliter per ſchedulam B. Patris nomine inſcriptam periculo in quo verſabatur ereptam, idem & ipſa nomen popoſcit, quod oſculata religioſeque venerata momento temporis euaneſcente glandium dolore denteque priorem firmitatem obtinente conualuit. Hinc ea mulier eiuſque vir tanta pietate fuerunt erga P. Ignatium, vt ad cõferenda per ipſum maiora in eos beneficia, Deus commoueri videretur. Nam poſtridie illius diei, qui dies fuit duodecimus Kal. Nouemb. Ioannes Pi eorum filius duplici tertiana conflictatus eſt adeo vehemente & periculoſa, vt quarto die cum peccata in aure ſacerdotis exonerasſet, ſacriſque epulis animum refeciſſet, de ſede mentis deturbaretur. Erat ei lingua tumida, oculi depreſſi atque turbati, ceteraque mortem præcurrentia ſigna comitabantur: quarto Kal. Nouemb. hæc quam diximus ſcheda ægro admota, proque eius ſalute cum lachrymis eſt à parentibus ſupplicatum. Et ecce ſubito febris remittere, æger ad mentem redire, vocem & oculorum claritatem recipere. Et cum hæc fierent hora fere noctis octaua, poſtridie prima luce ſanus & incolumis è lecto ſurgere. Ad eum interim venit medicus, quemque vel mortuum vel animam certe agere putabat, in pedibus conſiſtentem & carentem febri valentemque deprehendit. Equus quo quidam Bartholomæus Conſtantius chirurgus vehebatur fortuito lapſu ſeſſorem ita humi afflixerat, vt capitis congelatio acerbam ei inſuper ophthalmiam gigneret, quæ nullam homini quietem ſomnumque indulgeret, iamque alterius oculorum ſenſum perdiderat, alter ita erat imbecillis, vt lumen ſolis ſuſtinere non poſſet. Adeoque morbi quem inſanabilem medici iudicabant, curationem abiecerant, cum ipſe feria quarta ſanctæ hebdomadæ, ſcriptum flagitauit adferri ſibi nomen Ignatii. Res mira, eo qui deportabat introeunte cubiculum antequam propius ad eum accederet repente immodicum capitis frigus abſceſſit, & oculorum dolore mitigato inuſitatam cepit animi voluptatem. Vt vero tam admirabilem ſanationem ab ea ſcriptura manaſſe perſpexit, pannos quibus caput eius fouendi gratia inuoluebatur abiecit; exclamauitque: Valeo; valeo: capitis atque oculorum dolore ſum liber. Eodem die ianuas feneſtraſque cubiculi aperiendas curauit, quas ad arcendum lumen oculo moleſtum occluſerat. Poſtridie ſanus & alacer ad collegium Societatis contendit, ad gratias Deo agendas, à quo propter Ignatii merita iis incommodis eſſet ereptus omnemque rei geſtæ ſeriem liberis ſuis narrauit. Colonia Vich quæ Ludouico Vich nupſerat, tribus menſibus non ferendam capitis acerbitatem perpeſſa ſimul vnius oculi lumen amiſerat, quippe cuius reflexæ palpebræ ſic aciem obduxerant, vt ad eas reducendas medici chirurgique nullas ex omni arte medendi rationes inuenirent eoque rem deſperatam abiicerent: Tertio Non. Mai. ſcriptum B. Patris nomen accepit, oculum affectum contigit, Ignatium inuocauit, vltro ſe palpebræ erexere, videndi ſenſum recepit, ad domum Societatis ſe contulit. Sed ne prætermittamus Germaniam. Eberſperga locus eſt non procul è Monachio quæ ducum Bauariæ ſedes eſt: ibi mulier parturiens extremos biduum labores perpeſſa eniti non potuit, atque ita demum elanguit, vt exhalatura potius animam, quam fœtum paritura videretur. Vir incredibiliter mœrens Patrem Societatis adiuit, qui ibi tunc erat, conſilium opemque in rebus aduerſis petiturus. Pater memor miraculorum quæ Deus variis in locis per B. Ignatium effeciſſet, & quidem in feminis tali in re ac tempore conſtitutis, eius opem pro muliere genibus nixus ardenter implorat. Quia porro nullas tum alias eius reliquias habebat, quas ad eam mitteret, Regulas Societatis ab eo olim conſcriptas charta inuoluit, viroque tradidit, vt iis tanquam re ſacra coniugem religioſe contingeret, Deum auxilio futurum, fiduciam modo tam præclaro opere dignam conciperet. Re perfecta quas longa conflictatio vires ademerat, mulier reuocauit, filium inde peperit velut in figuram pullaſcentis oui contractum, vehementer obſtetrice mirante, ceteriſque feminis eius artis nequaquam ignaris. Ceterum & mater & filius vitam incolumitatemque tenuerunt. Nec prætereunda ſunt illa quæ alio ſub ſole apud Indos euenere. Anno CIↃ. IↃ. XCIIX. menſe Septemb. nauicula S. Mariæ Regalis nomine Cartagenã ſoluit è portu SS Trinitatis inſulæ Cubæ. Ea vehebatur Bartholomæus Lobognertero Archiepiſcopus Regni nouæ Granatæ, cum eoque eius rogatu Alfonſus Median & Franciſcus Figueroa Patres Societatis, aliique complures ordinis eccleſiaſtici & ciuilis. Iis lõga ſpatia prætervectis & in cõſpectu Iamaicæ cõſtitutis decimo Cal. Ian. cõcitata eſt adeo ſæua tẽpeſtas, vt oẽs ob oculos certiſſimã ſibi mortẽ proponerẽt. Iam n. confractus erat maior malus, aliiſq; carcheſii, & antẽnarũ lacerata vela, tãta violẽtia ventorũ, vt noua reponi nullo modo pateretur, Tumẽtes fluctus tãto impe-

tu

tu ruebant la nauim, vt ſub vndis potius quàm in ſummis aquis fluctuare videretur. Nauarchus Dominicus Rodrigues nomine iam clauum deſtituerat ſecum reputans, nihil opis ſupereſſe in rebus humanis, niſi Deus è cœlo mitteret. Cum rabies illa tempeſtatis vnum diem tenuiſſet, & in horas inualeſceret, vectores omnes diuinum nomen placandum eſſe cenſuerunt, hîc Patres Societatis memoria repetentes ea miracula quæ Deus ederet eo tempore rogatu B. P. Ignatij, eius auxilium ex intimo animi ſenſu flagitarunt, & quantum potuerunt voce contenderunt vt Archiepiſcopus idem ceterique præſtarent. Quod cum impenſe ab omnibus eſſet factum, violentiſſimus repente ventus defecit, obſtupefactis omnibus & incredibili voluptate perfuſis, qui cum ſe iam inter mortuos reputarent, vitam ſibi modo reſtitutam videbant. Archiepiſcopus Loboguerreto vouit anniuerſariam eius diei feſti celebritatem, ſacrificiumque pontificali ritu, ſi quando Romanus Pontifex Ignatium in numerum Sanctorum adſcriberet. Item & ceteri qui cum eo nauigarunt ſua quiſque vota concepere, vt ex iis quæſtionibus liquet quæ de hoc miraculo primum Sanctæ ciuitate noui Regni Archiepiſcopo Domino Bartholomæo præſente ſunt habitæ, deinde Cartagenæ auctoritate Domini fratris Ioannis Ladradæ è Dominicana familia eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Sed non tum modò Patres Alfonſus Median & Franciſcus Figueroa ceterique eiuſdem peregrinationis ſocij è periculis maris, & euidentiſſimò naufragio precibus B. Patris emerſerunt: an. ſiquidẽ cIↄ Iↄc. maiori nauigio cui B. V. de Aranzazu inſigne erat è nouò Regno Granata renauigantes in Hiſpaniam, cum Bahama ſuperaſſent, acerrimis tempeſtatibus iactati ſunt. Nam procellæ magno impetu puppim feriebant, proram verò aduerſi venti, præterea ſyrtibus periculoſiſſimis cingebantur, hic rurſum P. Franciſco Figueroa reliquias B. Patris mari immergente, opemque eius ſuppliciter expoſcente ſubitò mare tranquillatum eſt. Sed vt manifeſtius adhuc periculum ad Terceras inſulas incurrerunt, ita illuſtrius in ibi Patris auxilium fuit. Etenim cum ventus ita ſub auroram inualuiſſet, vt nauigium in aduerſam plagam reijceret; Nautæ ceterique peregrini mortem cernentes ob oculos, fixis ſolo genibus palam ſua peccata confeſſi ſunt, ac Dei miſericordiam implorarunt, cum ecce rupto maiori velo venit omnibus in mentem beneficium illud, quod in ſitu Bahamẽſi per Ignatium eiuſque reliquias accepiſſent. Itaque P. Franciſcum Figueroa flagitarunt, vt aliquid item reliquiarum eius mari immergeret, ſeſeque è manifeſto mortis periculo rurſus ereptum iret. Audiens dicto fuit Pater, & momentò temporis (ô Dei bonitatem ſuos honore ſeruos ornantis) tempeſtas illa ſedata, lux diſſipatis nubibus cœlo reddita hinc quotquot eo nauigio vehebantur incredibilem animi voluptatem ceperunt, cum eſſent non periculo tantum, ſed etiam periculi metu liberati, vt illi Patres ceterique qui erant in eorum ſocietate teſtantur. Ne longum faciam & alij permulti varijs in locis ac regionibus ad Deum confugientes, Ignatijque præſidium implorantes, vel infeſtas animi libidines ſubiugarunt, vel animi tranquillitatem in dubiis, corporis valetudinem in morbis, ſecuritatem in periculis, robur in rebus aduerſis ſunt conſecuti. Vnum ad extremum omnino recens omitti non debet, Idib. Iul. cIↄ. Iↄ. c. x. Burburgo non ignobili Flandriæ oppido, ope B. Ignatij patratum miraculum, Antonina Maſia duodennis puella, D. Alexandri Maſij I. V. Licentiati vrbis illius Conſiliarij filia, cum ab ineunte ætate calculo fuiſſet obnoxia, eo denique deuenerat, vt ipſos viginti ſeptem dies, reſtagnantem veſicæ humorem occluſis meatibus retinere cogeretur: hinc corpus miſerandum in modũ intumeſcere, febri æſtuare, omnis cibi appetentia in faſtidiũ verti, doloribus dies noctesque excruciari tantis vt à tribus iam bene experientibus medicis deſperata, nihil niſi acerbam in horas ſingulas mortem expectaret. Aderat tum forte Societatis noſtræ è proximo S. Vvinnoci Bergenſi Collegio Sacerdos, qui cum moribundus puellæ mentionem miraculorum B. P. iniecisset, ipſa protinus in ſpem patrocinij eius erecta, votum cõcepit, ſi quidem eius ope ſanitatem reciperet pridiano maceratam ieiunio, quotannis, die eius natali, ſacra Confeſſionis & Euchariſtiæ myſteria prè dum viueret obituram. Nõnullis deinde ægro lateri adhibitis B. P. reliquijs. & pleramque inſequentis noctis partem acerbiſſimis conflictata doloribus, mane ſub horam tertiam patentes quorum iacebat in cubili repente inclamat, ſanam ſe omnique malo liberam eſſe; mox longo ſitu putreſcentem corporis ſentinam exhaurit, & quidem (quod mireris) ſinè vllo doloris ſenſu, nullis vt ante calculis arenulisue permixtam; ſimul febris remittit, inflatio detumeſcit, ſurgit, ambulat cibum ſumit. Eodem die ad templum, Deo Beatoque Ignatio gratias actura ſe confert, cuius natali die quindecim poſt dies occurrente, S. Vvinoci Bergas ad templum Societatis voti reà contendit. Et hucuſque perſeuerat incolumis. Res geſta mandato Reuerendiſſimi D. Iacobi Blaſæi Audomarenſis Epiſcopi examinata multorumq; idoneorum teſtium actrium inprimis medicorũ iuratis teſtimoniis confirmata, deinceps ad diuini nominis gloriam ſeruiq; eius Ignatii omnium ore celebratur.

Sed quamuis multa certaq; ſint ea miracula quæ diximus, multoque plura breuitatis cauſa reliquimus: omniũ tamen meo quidem iudicio maximum eſt illud, cum Deus hunc B. Patrem delegit ad conſtituendum gubernandumq;, & propagandum eum ordinem qui toto orbe cum apud Catholicos, tum apud hæreticos, ac barbaras gẽtes, tantum boni in Chriſtianam remp. inuexit. Hoc adeò magnum euidenſque miraculum eſt, vt tametſi nullum aliud haberemus, illud ſatis eſſe deberet cognoſcendæ quam Deus B. impertiuit Ignatio ſanctitati. Cum enim res magnas alicui mandat, ſatis conſtat eum neceſſarias quoque illi vires ſpiritumq; ſuggerere, quibus feliciter eas ad finem exitumque perducat. Idem credo iudicabunt omnes ſapientes & animi perturbatione vacui, ſi conſiderarint quantum mutarit mentem Ignatii, cum eum ab humana & licentiori militia, ad cæleſtem ac diuinam traduxit, torq; ac tam illuſtrium liberorum parentem effecit: ſi aſperitatem viarum, quibus eum duxit, perſeuerantiam & victoriam quæ ad eum venit, ſi ſocios Hiſpanos Galloſque quos Lutetiæ difficillimis temporibus coëgit, quibus Hiſpania Galliaq; bello flagrabat, atque eos inter ſe ſummæ caritatis nexu cõiunxit: ſi ventos ac tempeſtates quibus iactata fuit ea nauicula iam ex eo tempore quo Deus eam mari commiſit, ſemperq; contra vim ventorum feliciter portum tenuit, cum humano more prudentes eam perituram exiſtimarẽt: ſi quam animo illius impreſſit ideam conſtituendi huius ordinis, qui quidem par eſt reliquis, ſi naturam Religionis attendas, diſpar autem quibuſdam rebus, quæ ſunt eius propriæ, ſi progreſſum & propagationem eius quem annis ſexaginta (tot enim ſunt ab anno confirmationis eius vſque ad annũ cIↄ. Iↄ. c. x. quo hãc hiſtoriam ſcribimus) Deus omnibus regnis orbis Chriſtiani, tot ac tam remotis regionibus Indorum & barbarorum dilatauit, quo lux Euangelii nondum ſeſe diffuderat. Noſtræ ſiquidem Societatis homines ad Angolam, Manicongonem, Monomotapam, Braſiliam, Æthiopiam Oromuſium, Goam, Malacam, Molucas, Chinam, Iaponem, regnum Mogor & Peguanum aliaque penetrarunt. Etenim terram continentem regni Peruani, Nouam Hiſpaniam, inſulas Manilam & Philippinas, vt res notiſſimas tacitus prætereo. Atque ipſa Societas trecenta eoque amplius collegia domoſq; numerat in viginti tres prouincias ac duas viceprouincias diuiſa. Idẽ ſentiret quiſquis oculos in id quod maioris eſt momenti coniecerit, in fructum, inquam, quem Deus ex huius B. Patris filiorumque laboribus ſiue cum Catholicis, ſiue cum infidelibus agendo colligit. Et inter Catholicos quidem quantũ profecerint, dicere ſuperſedeo, ſed quiſque intueri poteſt, cũ pateat omnibus & veluti manu tangamus, quanto ſtudio fidei Chriſtianæ myſteriis puerorũ animos, litteris & bonis moribus iuuentutem erudiant, vinctos ægrotoſq; viſitent & conſolentur, hoſpitales pauperum domos oberrant, inopum egeſtatem ſubſidio leuent, animas hominum Deo commendent, morientes adiuuent. Neque negandum eſt Rempublicam Chriſtianam, tametſi multum defecit, multum tamen inſtaurari vtilioribus & frequentioribus cõcionibus, oratione & meditatione diuinorum myſteriorũ crebriorẽ ſacramẽtorũ vſu Cõfeſſionis & Euchariſtiæ, grauioribus laboribus pænitẽtiæ, qui vtiliſſimè ſuſcipiũtur ad hominibus

Dei amantibus, quamuis illa ipſa quæ fiunt præ iis quæ fieri debent, exigua iure meritoq; videantur. Aliæ Religioſorum familiæ diſcipulis Societatis implentur, qui & in ijs perſeuerant ac laudabiliter vitam traducunt. Eædem noſtrorum ope corroboratæ, exemplis adiutæ, maius ſtudium virtutis præ ſe tulerunt; maioremque ſanctitatis & doctrinæ lucem diffuderunt, Rempublicam ſuis humeris ſuſtentarunt, noſque ad acriores labores atque ad peragenda maiori cura & ſolicitudine noſtra munia excitarunt. Fructus quem gentes veritatis luce nondum imbutæ receperunt tantus eſt, vt paucis explicari non poſſit. Nec tamen eſt huius inſtituti longam orationem texere ad commemorandos barbaros multitudine innumerabiles, locis infinitos, qui per Societatis homines ad fidei ſplendorem & cognitionem Chriſti venerũt, humeroſq; ſuauiſſimo legis illius iugo ſubmiſerunt: labores & ærumnas quas ob id pertulerunt atque in dies perferunt: multitudinem magnitudinemque miraculorum, quæ Deus vt in iis locis neceſſaria, per eos patrat, ad fidem barbarorum animis inſerendam. Sed vtilitatem quam idẽ Deus eduxit educitq; in dies in regionibus hæreſeos labe infectis è perpetuis diſceptationibus & certaminibus noſtrorum cum hæreticis, nemo crederet eorum (niſi viderit) qui pace fruuntur & otio quo nos in hiſce regnis quietis & pacatis nati fruimur. Deo tribuenda laus qui nobis eam tranquillitatem perpetit, ſimulque pietati Regum qui nobis eam conſeruant. Verum teſtificantur homines qui ibidem verſati ſunt, noſque verum ſcimus eſſe qui vidimus, vitæ probitate noſtrorum, Catholica ſolidaq; doctrina in ſcholis explicata, in templis pronũciata, libris editis diuulgata, diſputationibus cum iiſdem hæreticis agitata & ab errorum maculis vindicata, inſtitutione iuuentutis (nam ſuperioribus annis recenſebantur plus triginta millia diſcipulorum, & iam plura numerabuntur) Catholica fides quæ in Septemtrione euerſa & conculcata videbatur, erecta eſt caputq; extulit, ſatiſque roboris adepta ad conuincendum & opprimendum mendacium, deinde verò innumerabiles qui fide dubij nutabant, ſub obedientia Romanæ eccleſiæ perſeuerare ſtatuerunt, hæretici cõplures qui ab ea defecerant, poſtliminio redierunt. Verum qui obſtinato ſunt animo, ſpecie vtilitatis & ambitione cæcati, poſuerunt audaciam, reuerentur quos Ieſuitas appellant, ſuoſque capitales hoſtes eſſe apertè confitentur, atq; vt tales oderunt, calumnijs onerant, inſectãtur. Multa præterea collegia, ſeminariaq; ſunt inſtituta, ad alendos & erudiendos pauperes adoleſcentes, ac præſertim ob fidem exules. Eccleſiaſtici multi religioſiq; è quouis ordine ſeſe in diſciplinam Societatis tradiderunt, qui perfecto abſolutoq; ſtudiorum curriculo ſuas ad eccleſias & cœnobia redeũtes, ceteros ad obſeruationẽ legum reuocant, & ad virtutem excitant probitatis exemplo. Horum operâ numeroquẽ eorum qui è ſcholis Societatis ad religioſorum familias ſe contulerunt, eccleſiaſticus ordo ac cœnobitæ, veterẽ morum diſciplinam multis in locis reſtituerunt, priſtinumque ſplendorem recuperarunt. Pagi, vici, oppida, prouinciæ Religionem Catholicam retinuerunt, operâq; Sodalitatum, concionibus, vſu ſacramentorum, ieiunijs, ſtudio pœnitentiæ, officiis miſericordiæ fidem excitarunt, ſeque filios eccleſiæ Catholicæ re ipſa comprobarunt. Vtq; fructus hic diuturnior & Deo gratior exiſtat, Ignatij filij hanc ſuo ſanguine plantam cum opus eſt irrigare non dubitant moriunturq; pro fide, pretio quod pro ea perſoluunt eam eſſe veriſſimam obſignantes. Nam præter viginti quinque Societatis homines, qui pro euangelij veritate apud Indos ſanguinem profuderunt, alij ſexaginta ab hæreticis interfecti ſunt. Hi enim qua ſunt odij acerbitate in huius ordinis homines, exiſtimantes ijs ſublatis ſe poſſe facilius animis imperitorum ſuos errores inſerere, eos vexare, atq; vt proditores omni genere crudelitatis excruciatos necare nõ ceſſant, quod Angliæ conſiliarij miniſtrique vtq; hodie factitant. Id non leue ſcilicet argumentum eſt hoc opus à Deo profectum, eumque qui illud inchoauit à Deo potiſſimum fuiſſe delectum, ad amplificandam ſuis filiorumq; laboribus eiuſdem Dei gloriam, & eccleſiam illuſtrandam. Atq; iſtud, vt dixi, maximum eſt è miraculis B. Patris & miraculum miraculorum, quod tot ac tam eximia miracula continet, quot res à Deo per B. Patrem euiſq; filios effectæ ſunt omni admiratione digniſſimæ. Et tribuatur gloria vt omnium bonorum auctori, quandoquidem, vt docet Apoſtolus, Neq; qui
I. ad Cor. 3. plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, cui tanquam radici omnis arboris pulcritudo fructuſq; accepta referri debent.

Pavlò copioſiores fuimus in vita N. B. P. Ignatij, cuius maiorẽ neceſſitudine cõtubernij cognitionẽ hauſimus. Quidquid enim dictum eſt exiguũ eſt pro multitudine earum rerũ quæ dici poſſent. Quia verò nondũ in Diuorum numerum adſcriptus eſt, nec à Sede Apoſtolica toti Eccleſiæ colẽdus & inuocandus proponitur, vt alij quorũ vitam ſcripſimus, neceſſarium viſum fuit cõmemorare potiſſima quædam miracula aliaſque res quarum nulla in vitis reliquorũ Sanctorum facta ſit mentio. Certum tamen eſt nos prætermiſſe permulta, quòd hæc pro eo quod in hoc opere in
Teſtimonia de B. Ignatio. tendimus, ſatis eſſe videantur, Deum inquam laudare, qui eum ſanctum fecit, virtutes eius ad imitandum proponere, & patefacere ignaris, vt huius viri ſanctitatem venerentur & colant. Quamobrem antequam huic narrationi finẽ imponam, illud adiungam, nimirũ hunc B. Patrem vt ſanctus fuit in vita, ita ſanctum habitum, eique reuerentiam & honorem tributum ab omnibus qui cum illo verſabantur, multoq; magis ab ijs quibuſcum maior ei erat familiaritas propterea quod multo clarius admirabiles eius virtutes cernerent, & veluti manu tangerent donorũ & gratiarũ ma-
B. Franciſci Xauerij. gnitudinem quæ Deus in eum contulerat. P. Franciſcus Xauerius vir Apoſtolicus & ſingulari virtute, quo adminiſtro Deus tot ac tanta perfecit miracula, qui infinitos homines in tenebris ignorantiæ veri Dei iacentes, ad veritatis lumẽ adduxit, ita colebat, ita venerabatur Ignatium, vt eius autographũ nomen geſtaret in ſinu, quo tanquam fortiſſimo quodam clypeo aduerſus omne periculorum genus tutus eſſet. & ex India genibus nixus litteras ad eum ſcriberet. P.
P. Petri Fabri. Petrus Faber primus ei in cõſtituenda Societate adiutor & ſocius, vir planè mirabilis & incredibili diuinitus luce per-
P. Franciſci Borgiæ. fuſus: proponebat eum ſibi ac aliis exemplar ſanctitatis omniumq; virtutũ. P. Iacobus Laynes ſecundus Generalis Societatis magiſter, vir ea doctrina & pietate quæ nota eſſet omnibus, mihi dicere ſolebat; Deum cernẽtem animum P. Ignatij, eius ornamentis mirifice delectari, eamq; ob cauſam tantis muneribus ac beneficiis eius filios proſequi. P. Frãciſcus Borgia qui tertius vniuerſam Societatem adminiſtrauit, vir in hiſce Regnis amplitudine notiſſimus, & ſua virtute celebrior, anno ciↄ.iↄ.l. Romam profectus eſt ob id maximè vt B. Ignatium videret, & in eius congreſſum & colloquium ſeſe penitus daret. Cumque primis ſacris operaretur, fecit autem id in domo Loyolæa, ſolum eius cubiculi deoſculatus eſt, in quo B. Pater natus fuerat, pro ea reuerentia qua in hunc ſanctum mouebatur. Similiter afficiebantur omnes qui cum illo familiariter agitabant. Nec domeſticorũ ſolum, ſed etiam externorum idem erat de eius in-
Pauli III. papæ. tegritate iudicium, eademque veneratio. Paulus III. Pont. Max. qui primus Societatem confirmauit, de huius conſilio multa magni momenti decreuit. Inter cætera ſacrum Inquiſitorum collegium Romæ conſtituit, in illudque quatuor ex ordine patrum purpuratorum cooptauit auctoritate prudentiaque præcellentes, qui in illo tri-
Iul. papæ 3. bunali iudicijs quæſtionum fidei præſiderent. Iulius III. P. Petrũ Caniſium Viennenſem Epiſcopum facere vel Ferdi-
Marcelli Papæ 2. nando Rege Romanorũ multũ flagitãte nunq̃ voluit, quia id minimè probaretur Ignatio Marcellus II. qui Iulio ſuc-
Pauli papæ 4. ceſſit dicebat in negotiis Societatis auctoritatẽ ſolius Ignatij apud ſe grauiorẽ eſſe, quã omnes rationes, quæ ex aduerſo poſſent afferri. Paulus IV. cuius in pontificatu noſter hic deceſſit ẽ vita, tantũ ei honorẽ habuit, vt eum ad pedes ſuos
Gregorij Papæ 13. demiſſũ inter loquendũ excitaret, capiteq; ꝑtegere vellet. Gr. XIII. in diplomatis an. ciↄ.iↄ.lxxxiii. & ciↄ.iↄ.lxxxiv. ſcriptis ad ſtabiliendũ & defendendũ inſtitutũ Societatis diſertè dicit, Spiritũ Sanctũ iniecisse mentẽ Ignatio ad con-
Pij papæ 4. & 5. ſtituendã Societatẽ eiq; inſtituti formã tradidiſſe. Hoc etiã adiungit, vniuerſam Rempublicam Chriſtianam refici & recreari per filios ipſius Societatis. Denique tam Gregorius, quàm qui Gregorium anteceſſerunt Pius IV. & Pius V. labores

bores Societatis tantis efferẽt laudibus, & fructus quos Deus inde collegit colligitq; indies, vt modeſtia eos hoc loco ſuadeat prætermitti. Sed hi tamen fructus diuina virtute ab Ignatio tanquã à radice prodiere. Ferdinandus Romanorum Rex, de quo iam diximus, præter ea collegia quæ Societati ædificauit, aliaque multa beneficia quibus eam propter Ignatium affecit, cum vehementer incumberet ad creandum Claudium Iaium vnum è decem primis Ignatij ſocijs Triestẽſem Epiſcopum, ab incœpto deſtitit ſimulac intellexit id Ignatio non probari. Ioannes III. Luſitaniæ Rex pro ſua pietate qua erat in Ignatium anno CIƆ. IƆ. LIII. P. Ludouico Gonſali de Camera Romam è Luſitania proficiſcenti præcepit, vt diligenter intueretur & attente conſideraret mores & actiones eius, & ad ſe ſingula quæque accuratè perſcriberet. Profectus eſt, mandata Principis diligenter curauit, ſcripſitque quidquid de negotio ſibi commiſſo dici poſſet, illud eſſe, nulla ſe vel lectione diuinarum rerum, vel oratione ad amorem Dei tantum accendi, quantum intuendo & ſpectando diligenter Ignatio. Gaſpar Quiroga Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus ac Generalis Hiſpaniarum inquiſitor, qui Romæ Patris amantiſſimus fuerat, virum perfectiſſimum fuiſſe teſtatus eſt, demiſſum, ſuauem, patientem, contemptorem rerum humanarum, ſtudioſum diuinæ gloriæ & ſalutis animarũ, nunquam turbari, nec rebus ſecũdis efferri, nec aduerſis deprimi. Gabriel Paleotus Cardinalis & Epiſcopus Bononienſis eum appellat lumen eccleſiæ, aitque impulſu diuino inſtituiſſe Societatem ad excitandam & confirmandam eccleſiaſticam diſciplinam. Albertus Bauariæ dux eidem fuit mirificè deditus, ad eum ſæpe litteras dedit, eique vt ſancto reuerentiã exhibuit: propter eum Societatem amauit, eique fauit, vt omnes eius filij quos non minus paternæ pietatis quàm amplitudinis hæreditates ſecutæ ſunt. Ioannes Vega præſes Caſtellæ dum Caroli V. Cæſaris Romæ legationem obiret, B. P. amicitia coniunctiſſimus fuit, atque in ijs litteris quas eo mortuo ſcripſit ad Societatem, eum beatum & ſanctũ ducem appellat, dignumque cuius ſignum in cælo cum vexillis SS. Dominici ac Franciſci poneretur. P. Ioannes Auila concionator Apoſtolicus, cuius vitam ſcripſit P. Ludouicus Granatenſis auctor egregius, pro ſua animi demiſſione P. Ignatium gigantem, ſeq; cum eo collatum pumilionem eſſe dicebat. Idem P. Ludouicus de hoc verba faciens admiratione ſe obſtupefactum dicit intuentem vitam, heroicas & admirabiles virtutes huiuſce noui ſpeculi virtutum & prudentiæ, quod Deus hoc noſtro tempore pro ſalute infinitorum hominum miſit. Hæc enim ſunt eius verba. Idem pariter alij multi ſapientes ac prudentes ſentiunt: idem plurimi variarum nationum auctores, qui ſuum hac de re teſtimonium ſcripſerunt, ac de eo vt de ſancto mentionem inferunt. In hoc numero eſt P. Laurentius Surius natione Germanus, qui huius vitæ ſummam attigit. In eodem Ioannes Molanus Belga, qui beatiſſimum nominat. In eodem Genebrardus Gallus, qui à Deo contra Lutherum miſſum affirmat. Denique Doctor Sanderus Anglus, qui hominem diuinũ vocat, & auctore atque impulſore Deo feciſſe quod fecit. Thomas Bozius propter vitæ ſanctitatẽ illuſtriſſimum appellat. Paulus Morgi ordinis Geſtanorũ, Angelus frẽ de Paz Minorũ, Mambriuus Roſa omnes Itali ſcriptores honorifice de huius B. Patris vita prædicant. Idem litteris mandarunt Gonſales Igleſus Magiſter Alfonſus Villega, & Stephanus Garibai noſtri temporis Hiſpani ſcriptores, eumque benedictum vocant, beatum & ſanctum. Doctor Iacobus Paiua Luſitanus, qui pro doctore Theologo Regis ſui, Concilio Tridentino interfuit, illuſtrem nominat, exemplum ſanctitatis, admirabilem virum mortalibus ſingulari beneficio datum. Verum ſi coniiciamus oculos in Reges & principes, qui ſanctiſſimum D. N. Clementem IIX. hodie in cathedra B. Petri ſedentem rogarunt, vt eum qui ſuo iudicio ſanctus erat, in numerum ſanctorum referret, videbimus ſummos & potentiſſimos orbis Chriſtiani principes id ſupplicare & vehementer flagitare. Etenim Rudolphus II. Imperator, eiuſque mater Auguſta Maria Auſtriaca, Philippus II. Rex Catholicus, cuius gratiſſimam memoriam retinemus Philippus III. eius filius qui nũc regni clauum tenet, Margarita Regina, Gulielmus Bauariæ dux, eiuſque ſoror archidux Maria, litteras ad Pontificem dederunt, in quibus eum beatum & ſanctum Patrem nominant, è cuius integerrima & innocentiſſima vita tanquam fonte flumen multorum donorum ac munerum manans lætificauit ciuitatem Dei. Nec hi ſolum aliique magni principes ſuam pietatem ac beneuolentiam in Patrem hoc officij genere teſtificati ſunt, ſed ipſa etiam Regna, hoc eſt ſupremæ regnorum Caſtellæ & Aragoniæ curiæ, principatus Catalauniæ, horumque proreges ac præfecti. Eccleſia Toletana, Hiſpalenſis Granatenſis: vrbs Cæſaraugusta, Valentia, Barcinona, Cantabria prouincia in qua Pater eſt natus, aliique complures Epiſcopi, duces ac domini: idque vulgò ſentiunt omnes ſapientes omniumque populorum Catholici animi perturbatione vacui, nec prauis opinionibus imbuti. Vnum genus infeſtum aduerſumque eſt eorũ, qui ad hoſtes eccleſiæ defecerunt, qui in id vnum incumbunt, vt de eius fama detrahant, ſcribant etiam libros in quibus & eius vitam & vniuerſum eius ordinem criminentur. In hoc numero eſt Caluinianæ ſectæ colluuione notatiſſimus Simon Litus Miſſenus, qui quinq; libros edidit contra alios quinque, quos de B. Ignatij vita in vulgus emiſimus. Qui mea ſententia non minus valent ad arguendam huius ſanctitatem, quam præclara de eius virtute tot ac tantorum virorum teſtimonia quos diximus. Sicut enim magnæ laudis eſt à bonis laudari: ſic non minoris ab improbis vituperari, vt ait D. Hieronymus ſcribens ad B. Auguſtinum: Catholici, inquit, te conditorem antiquæ rurſus fidei venerantur atque ſuſpiciunt, &, quod ſignum maioris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur, & me pari perſequuntur odio, vt quos gladiis nequeunt, voto interficiant.

Ferdinandi Imperatoris.
Ioannes III Regis Luſitaniæ.
Gaſparis Quirogæ Cardinalis.
Gabrielis Paleoti Cardinalis.
Alberti Ducis Bauariæ.
Ioannis Vegæ.
Ioannis Auilæ.
Ludouici Granatẽſis.
Variorum.
Lib. I epiſt. epiſt 37.

VITA S. PETRI RAVENNATIS ARCHIEPISCOPI, COGNOMINE IVNIORIS, VT HABETVR TERTIO LIBRO HISTORIARVM Rauennatum Hieronymi Rubei.

An. 496.

I. IOHANNE ſecundo Rauennatum Archiepiſcopo vita functo; Petrus iunior in eius locũ ſubrogatus eſt, cuius Archiepiſcopatus tempore, Galeſius Pontifex Maximus fato conceſſit, in cuius locum Anaſtaſius ſecundus ſubrogatur: qui cum adhuc alterum annum Pontificatum nõ adminiſtraſſet, moriens, ſucceſſorem habuit Symmachum Sardum, in cuius creatione diſſenſum eſt. Pars enim ſacratorum virorum apud Conſtantinianam baſilicam Symmachum decernit Pontificem: Pars ad diuam Mariam in via noua Laurẽtium creat: vnde ſeditio ingens. Senatu populoq; Romano duas in partes diuiſo, orta eſt. Quamobrem omnium conſenſu Concilium Rauennæ indicitur: plerique iuſſu Theoderici ſcribunt. In eo maximè Petrus Archiepiſcopus Rauennas enituit: & re tandem omni controuerſiaq; diſcuſſa, Symmachus in Pontificatu confirmatur: qui certè ingenti benignitate vſus, Laurentium competitorem, Nucerinum Epiſcopum fecit. Illi Concilio poſt Laurentium Mediolanẽſium Antiſtitem ſubſcripſit Petrus Archiepiſcopus Rauennas. Verum haud multò poſt ſeditioſi quidam ſacrati viri, adiuuantibus Feſto & Probino Senatorij ordinis, Laurentium reuocant, quapropter indignatus Theodoricus, Petrum Altini Epiſcopum Romam mittit, qui; pulſo vtroque, ſedem teneret. Cæterum Symmachus, habito centum & viginti Epiſcoporum cõcilio, cui interfuit Petrus Archiepiſcopus Rauennas & ſubſcripſit, obiecta conſtanter diligenterq; diluit, omniumq; ſententijs obtinuit; vt Laurentius ac Petrus Altini Epiſcopus, malorum omnium capita relegarentur.

31. IVLII.
S. Petrus iunior fit Archiepiſcop. Rauennas.
Concilium Rauennẽſe.
Diſt. 17 & 96.
E. Epiſcopus Rauennas ſubſcribit.

PETRVS

Templum extruit. Moritur. Sepelitur. Suauiſſim' odor ex eius corpore emanat.

II. PETRVS Archiepiſcopus Rauēnam reuerſus, admirabile D. Petro Apoſtolorum principi templum extruere, ad oppidum Claſſenſe cœpit. Sed leui morbo correptus, vitam cum morte cōmutauit haud multò poſt, pridiè Calend. Sextiles. Vir innocentiſſimus, moribus compoſitis, corpore gracili ac tenui, procera ſtatura: promiſſa barba, cuius gentiles ex Syria, D. Apollinaris tempore, Rauēnam venerant. Sepultus eſt in D. Petri quod inceperat: vel vt alij putant, in D. Iacobi ad fontes: qua in ſententia eſt Andreas Agnellus. Cum enim ipſe, quo loco ſepultus eſſet Petrus Archiepiſcopus hæſitaret, vnà cum Gregorio D. Apollinaris in Claſſe ſacerdote, & D. Seueri ędituo, diuinitus incenſus, Apollinariam in ædem ſe recipiens, ad fontem, vbi D. Iacobo erecta ædicula erat, cū diligenter inquirerent, vidit ipſe, quiq; ſecum aderant complures, ſepulcrum ex Proconiſſo lapide egregium, cuius cum operculū amouiſſent, ex cypreſſo arca in conſpectum ſeſe dedit, cui erat Petri Archiepiſcopi imago inſculpta, hic adſcriptis verbis: Dominus Petrus Archiepiſcopus. Arca detecta ſuauiſſimi vnguenti odorem efflauit, cadauerq; ſanctiſſimum viſum eſt, omnibus integrum membris, perindè ac ſepulturæ traditum tunc primum fuiſſet.

III. HIC Petrus diuinos, nouæ legis ab Chriſto Deo traditæ, libros tabulis exaratos aureis, præſtantiſſimis gemmis ornauit, ad quos ſuam imaginem adiunxit, his verbis inſcriptis: Dominus Petrus Antiſtes ob diem ordinationis ſuæ ſanctæ Eccleſiæ obtulit. Hæcq; omnia diu in Vrſiano templo perſteterunt. Huius Petri tempore D. Arnulphus, qui è regio ſanguine Francorum, Lotharingiæ Dux, poſteà vitæ ſanctitate miraculisq; illuſtris, Turonenſium fuit Epiſcopus, vt teſtis eſt Sigebertus, Rauennam venit: cumq; Petrum Archiepiſcopum inuiſiſſet, die quodam Dominico feſto ipſi in æde Vrſiana Deum contemplanti poſt matutinas preces, ferunt, animam viri improbi nuper demortui, ad infeſos cruciatûs locos ſempiternos à dæmonibus pertractam, cunctisq; qui aderant audientibus, Arnulphi viri ſanctiſſimi opem implorantem, viſam fuiſſe: pro qua cum Arnulphus Deum rogâſſet, ad corpus redijſſe: cumq; deinde virum rediuiuum, ingentem Arnulphi virtutem & multa merita narrare ſolitum. Quamobrem cum maximus Arnulpho honor apud omnes conciliaretur, Rauenna illum, honores omnes fugientem, occultè abijſſe.

S. Arnulphus Epiſcopus eum inuiſit. Defūctum reſuſcitat.

Petrus Archiepiſcop' Eius vita habetur 23 Iulij. Imago Crucifixi ipſi Chriſto perſimilis. Inſigne miraculum.

IV. TEMPLVM quod inceperat, D. Petro dicatum, omnium quæ tunc in Italia eſſent, pulcherrimum teſtantur: fuiſſeq; arbitrantur capitolium illud Iouis, de quo (vt ſupra memorauimus in D. Apollinaris Archiepiſcopi vita) Eleucadius eius diſcipulus, atq; item Archiepiſcopus Rauennas meminit, trecentas aras habuiſſe. Hoc autem ab Theodorico rege impetratum, Deo, ac D. Petro, Petrum hunc Archiepiſcopum dediâſſe. In eo pictam Chriſti imaginem fertur adeò exactè, diligenterq; & eius ſimilem, vt cum in Ægypti ſolitudinibus vaſtiſſimis, vir quidam ſanctus ſuppliciter ac inſtanter à Deo peteret Chriſti imaginem ſibi oſtendi, audierit, Rauennam vt pergeret, in D. Petri æde illam viſurum. Quapropter duobus leonibus comitantibus, Rauennam quam celerrimè cum veniſſet, & imaginem fuiſſet præ foribus templi conſpicatus, eamq; genibus innixus toto animi feruore veneratus, ex hoc lachrymabili hoſpitio, cœleſtem in patriam euolauit. Leones ſepulturæ locum, humo pedibus egeſto, effodientes, vnà cum populo, qui ad rei miraculum accurrerat, virum ſanctum in foſſam deponunt, deſuper humum congregantes, tumulum ex more compoſuerunt. Ingenti deinde fremitu rugientes, geſtibusq; præ ſe ferentes maximum dolorem, tandem interijſſe fama eſt: nouæq; rei timore percuſſos omnes, foſſis hinc atq; hinc factis, ibidem leones ſepeliſſe. Huius Petri Archiepiſcopi tempore Geruntium Phicoclenſem Epiſcopum, cui nunc Ceruienſi nomen eſt, ob Chriſtum ſupplicio affectum ſcribitur: qui & ipſe concilio Symmachi maximi Pontificis interfuit.

Finis Menſis Iulij.

Digitized by Google